Digitized by Google

9
1 E
14

Duodecima Centuria ECCLESIASTICAE HISTORIAE, CONTINENS DE-SCRIPTIONEM AMPLISSIMARVM RERVM IN REgno Christi,

quæ Duodecimo post eius natiuitatem seculo acciderunt: cum Imperium Romanum gubernarent, Heinricus quartus, Heinricus quintus, Lotharius Saxo, Cunradus tertius, Fridericus Barbarossa, Heinricus sextus: & Doctores in Ecclesia præcipui excellerent, Petrus Alfonsus, Honorius Augustodunensis, Hugo S. Victoris, Rupertus Tuitiensis, Bernhardus, Richardus, Petrus Cluniacensis, Petrus Lombardus, Hugo Heterianus, Iohannes Salesburiensis, Anselmus Auelbergensis, Potho presbyter, Berengosius, Eckbertus, Hildebertus Cenomanensis, Petrus Blesensis, Petrus Cantor, & alij quidam: eodem ordine, diligentia & fide, ut superiores Centuriæ, ex uetustis & probatis historicis, patribus, & alijs scriptoribus:

IN DVCATV ILLVSTRISSIMORVM Principum ac Ducum Megapolensium, in ciuitate Vuismaria,



PER AVTORES CONTEXTA.

Accessit Rerum uerborumq; in hac Centuria præcipuè memorabilium, tum Locorum Scripturæ explicatorum, geminus INDEX.

Casa

di Spoleto S. J.

BASILEAE, EX OFFICINA OPORINIANA. 1569.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC *DOMINO, D. IVLIO DVCI BRVNSVICENSI ET LVNAEBVRGENSI, DOmino suo clementissimo:*

G. ET P. PER CHRISTVM.



ACRA SCRIPTVRA ET VNIuersalis experientia testantur, populorum Rectores uel ex ira, uel ex misericordia à DEO Opt. Max. in mundo existere. Non enim cæco casu res hominum uoluũtur. Sed uel efficit DEVS, pro sua clementia & omnipotentia bona: uel infligit, pro suo iustissimo iudicio, pœnas & calamitates, ac permittit mala fieri. Ex ira autem magistratus mali, permissione DEI, dominantur, qui non sunt salutares aut fœlices, sed licentia, tyrannide & furoribus summa atq; ima turbant ac miscent, quando peccata populi DEVM offendunt, ac pœnas merentur: ut in Propheta scriptum est, Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur illis. Item: Propter populi peccata, multi principes. Sic non dubium est, Turcicam & Moscouiticam potentiam & immanitatem, esse flagellum DEI, quo mundum hunc ob multiplicia scelera & delicta castigat. Nam DEVS purus est spiritus, omnis generis spurciciem & flagitia, quæ in hac mundi sentina in immensum crescunt, seriò abhorrens. Vult igitur in hac etiam uita illustria exempla pœnarum conspici, ut inde homines nonnihil coniecturam faciant, quantis supplicijs in omnem usque æternitatem omnes mortales affecturus sit, qui in idololatria, securitate, contemptu sacramentorum, uoluptatibus, rapinis, usque ad uitæ suæ finem perdurant.

Ex misericordia autem & fauore DEI salutares populorum gubernatores excitantur & donantur, quando pij & uirtutibus ornati Heroes, & suis & alijs regionibus & hominibus saluti sunt. Quid autem in uita humana pulchrius, quid utilius, quàm quando magistratus pij, iusti, prudentes, ueraces, patientes, pacifici, subditos regunt, qui bonos fouent & ornant, & malos debito modo coherceant. Sub talium umbra uerè, quod in Daniele pingitur, omnis generis auiculæ in frondibus nidificantur, animalia ueluti sub tecto cubant, & grata pace fruuntur. Talis Rector fuit Dauid, Iosaphat, Ezechias, & alij nonnulli in populo DEI. Sicuti autem gemmæ meritò in precio

habentur, quia rariores sunt reliquis lapidibus, & præstantiores uires atque usus habent: ita & salutares magistratus, præsertim quos seria pietas erga Deum commendat, tanquam insignia decora & ornamenta generis humani, maximi fieri iure debent, quia sunt peculiaria Dei dona, & de hominibus præclarè merentur.

Esse autem piorum & salutarium magistratuum præcipuum in hac terra officium, ut abolitis idolis & falsis cultibus, syncerum DEI uerbum, ut est in monumentis Prophetarum & Apostolorum à DEO patefactum, suis subditis tradi curent, grauissimæ rationes docent.

Nam uerbum DEI id à magistratibus exigit. Psal. 2. dicitur: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Osculamini filium. Hoc dicto monentur omnes magistratus, non tantùm ut ipsi diligenter uerbum DEI discant (quod non modò cultuum diuinorum, sed uniuersæ quoque uitæ humanæ, hoc est, tum imperandi, tum obtemperandi normam præscribit) uerùm etiam ut ita seruiant Domino, ut populus subiectus ueram pietatem percipiat, regeneretur, DEVM colat, & saluetur.

Psal. 24. Attollite portæ capita uestra, & eleuamini portæ mundi, ut introeat rex gloriæ. In portis autem antiquitùs iudicia exerceri solebant. Itaque phrasi usitata Scripturæ, in portis sedere, significat iudicare: & iudices terræ, reges, principes, magistratus nuncupantur. Mandat igitur Spiritus sanctus, ut omnes magistratus expendant, hoc uel potissimum suum esse officium, ut locum Ecclesiæ DEI inter subditos suos concedant: hoc est, in id summa curà incumbãt, ut uera religio apud suos floreat, homines de DEO, de conuersione, de inuocatione, de consolatione in pauoribus cõscientiæ, rectè ac dextrè instituantur. Nam sicuti homines non cõduntur, atque in hunc mundum collocantur, ut tantùm uictui, honoribus ac uoluptatibus operam dent atque inuigilent: sed ut per uerbum & Spiritum sanctum renati, DEO placeant, eiq; seruiant in sanctitate & iusticia, ac tandem in uera fide & moriantur, & in extremo die ad beatam atque æternam uitam resurgant: ita etiã non ob hanc in primis causam magistratus in altum euehuntur, alijsq; prçficiuntur, ut honore magno colantur, dignitate summa, reditibus ac uoluptatibus perfruantur: sed ut iusticiam ciuilem & pacem ad hunc omniũ summum finem dirigant, ut populus in tranquillitate DEO creatori suo seruiat, numerosaq; Ecclesia colligatur & sanctificetur, quæ tum in hac, tum in altera uita DEVM celebret. Hanc igitur ob causam Spiritus sanctus iubet aperire portas, ut Dominus gloriæ, hoc est, ipse CHRISTVS, qui est Rex regum & Dominus domi-

dominantium, ad dexterā patris nunc in gloria sedens & regens, per uerbum & sacramenta ingrediatur: ac non solùm in templis publico ministerio, & in domibus patrumfamiliás, ubi pueri Catechismum discunt, tenerisq; linguis recitant, psalmosq; in laudem altissimi DEI decantant: sed etiam in intimis hominum cordibus habitet. Nota res est, præsertim pijs, omnes homines uel esse Spiritus sancti, uel spiritus maligni tēpla seu habitacula. Quid uerò horribilius, quid pestilentius, quàm mali spiritûs organon esse, quem Paulus ait in filijs incredulitatis efficacem esse? Nam ex fructibus, inquit CHRISTVS, arbor cognoscitur. Etsi autem pij imbecillem carnem post regenerationem quoque in hoc mundo circumferunt, aliquādo etiam hallucinantur: tamen & agnoscunt & deplorant hanc suam deprauationē, petunt ueniam lapsuum, implorant auxilium & gubernationem Spiritus sancti, & cupiunt ab ista peccatrice natura liberari, ac transire in aliam longè beatiorem uitam. Quid igitur maius, quid præstantius, quàm Sancti spiritus tabernaculum esse, & ab ipso sapientiam, gubernationē, & felices euentus nancisci? Sunt autem homines habitacula DEI, ubi uerbum DEI purè docetur, & sacramenta iuxta ipsius CHRISTI institutionem administrantur. Ibi enim tanquā in propria sua officina, tabernaculo seu templo, promisit DEVS sese præstò & efficacem futurum esse.

Esa. 49. scriptum est, Erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices. O' præclara laus piorum magistratuum. Nam constituuntur nutritores Ecclesiæ DEI. Quomodò autem eam fouebūt & sustentabūt? procul dubio nulla re alia magis & fructuosius, quàm remota falsa religione, & liberali Ecclesiarum & scholarum constitutione. Vult enim DEVS per ministros uerbi plebem erudiri: sed illi sine scholis educari nequeunt. Iam porrò si uiri eruditi, ac præcones uerbi diuini non benignè & liberaliter alantur, uti DEVS præcepit, quomodo scholis & ecclesijs rectè prospici potest? Mira autem res in mundo est, quòd homines plerunq; multò plus in falsam religionem & idololatricos cultus profundunt, quàm in plantationem ac conseruationem ueræ pietatis conferunt. Sed ista uanitas hominum ex peccato est, & diabolus ipsemet fatetur Matth. 4. sese regna huius mundi & eius gloriam ijs largiter affundere, qui procidentes sese adorant: hoc est, falsam religionem, dogmata impia & cultus superstitiosos fouent, ornant, promouent.

Non mala, sed nonnihil limitanda tamen est ista sententia, quòd magistratus ciuilis sit custos utriusque tabulæ Decalogi. Nam externus de externis tutor est, & manifestam blasphemiā, idololatriam & cultus à uerbo DEI alienos, cum consilio Ecclesiæ rectè sentientis, prohibere & punire debet. Sed non tamē est

caput Ecclesiæ Dei, nec habet infinitam potentiam, seu licentiam potius, in dogmatibus & cultibus pro suo arbitrio statuendi, condendi & obtrudendi quælibet. Est enim uerbum DEI & reuelatum, & certis monumentis comprehẽsum, quod normam dogmatum & cultuum præbet, a quo uel latum unguem discedere, summum nefas est. Nec accipiunt pastores a magistratibus capita docendi, aut regulam in ministerio agendorum: sed ipse DEVS in Biblicis libris ista omnia dictauit, & docentes atque discentes ad eos alligauit.

Nec dubium est, omnes tres Hierarchias florere & beatas esse, nempe Ecclesiasticũ, politicum & œconomicũ regimen, si DEVS per uerbum incorruptum, ac legitimum sacramentorũ usum alicubi regnet. Vbi enim homines sana doctrina imbuuntur, ibi DEVM cœli recte possunt inuocare, auertere pericula ingruẽtia, ac plurima amplissimaq; DEI dona impetrare. Est enim pius homo commune bonum, quemadmodũ impius aut sceleratus commune malum est. Non solum enim sanctus homo pluribus hominibus officia uaria præstat: sed etiam DEVS propter suos cultores alijs quoque uicinis, imo etiam posteritati clementer benedicit. Sic in uerbo DEI legimus, propter Abraham & Dauid DEVM posteritati multa bona præstitisse. Ac sunt homines pij magistratui in rebus afflictis multo magis sua pietate precibusq; ad DEVM præsidio, quam cataphracti exercitus, tormenta horrisona, arces munitæ. Nam & stipati sunt cultores DEI angelorum præsidio, & cum euentus bellorũ & calamitatum moderationes a DEO pendeant, DEVS ipse, ut Psalmus inquit, uoluntatem timentium se facit. Non igitur tantum summũ in mundo ornamẽtum, sed cõsolatio etiã suauissima in corde magistratus est, quando certo nouit, in sua ciuitate, ditione, regno, uerã DEI Ecclesiã, DEVM recte colens & celebrans existere, DEVMQVE ipsum nõ tam in tẽplis suæ terræ, quam in ipsis cordibus subditorũ sedem suã posuisse: multas legiones sanctorũ angelorũ, corpora & facultates custodire, propulsare cacodæmones, & infringere ipsorum conatus, quibus damnum inferre dies noctesq; tentant.

Ex hac pietate, quæ ex uerbo DEI incontaminato per Spiritũ sanctum percipitur, crescit quoq; obedientia & reuerentia erga magistratum. Etsi autem etiam in media CHRISTI Ecclesia scandala interdum accidunt (nam diabolus infestat perpetuo uarijs modis cœtum piorum, magna est hominũ imbecillitas, & est Ecclesia in hac uita cœtus mixtus) tamẽ in ea maior uiget disciplina, & homines sunt modestiores, quam ubi uerbũ DEI uel omnino exulat, uel falsi cultus integritatẽ cœlestis doctrinæ adulterarũt. Regnant inter Turcas & alias nationes orbis terrarũ publicæ & fœdæ libidines & latrocinia. Sub papatu tolerãtur publica lupa-

naria

naria more gentilium, & sacrificulorũ, monachorum & aliorum impurissimi cœlibatus. Capit Romæ ipse Põtifex, qui se CHRISTI uicarium in terris inani spuma iactat, singulis annis peculiarẽ ex meretricũ prostitutione tributũ: nec ibi pudor est uiris rasis & unctis, publicè scorta adire, alloqui, ducere, ornare, & in primis manifesta & tetra idolomania cuncta loca obsidet ac replet.

Imò cum benedictio Domini diuites faciat, non dubium est, quin & honore & rebus corporalibus DEVS augeat, qui se cognoscunt & uenerantur, iuxta dictum, Glorificantes me glorificabo, & contemnentes me contemnam.

Sed illud quoq; adijciendum est, sicut inter spinas lilium efflorescit & fragrat: ita DEVS in cruce Ecclesiam conseruat, expolit, ornat. Nam ista est DEI consuetudo, ut eos prius deijciat, quos uult extollere: mortificet quos uult uiuificare: & contra sensum cõmunem, contra hominũ cogitationes, cõtra naturę etiam sæpe cursum, mirabiliter sanctos suos regat, euehat & conseruet.

Operæprecium itaq; est, ut omnes magistratus pręcipuas suę functionis partes intelligant, & ut prudenter ac fœliciter omnia suscipiant & gerant: ipsi quoque fundamenta ueræ pietatis prius inquirant & cognoscant, DEVM timeant, sedulò orent, rectè inchoata animo constanti efficiant, nec frangi se patiantur uel magnitudine uel asperitate rerum. Nam in eiusmodi conatibus, carnis propriæ deprauatio, diabolus & mundus improbus uarias remoras quasi cruciatus obijciunt.

Ad hanc autem rem etiam prodest, historias Ecclesiæ CHRISTI magistratibus ciuilibus esse cognitas saltem aliqua ex parte, non tantùm ut uideant, quomodo Cæsares, principes & alij, qui alijs præfuerunt, Ecclesiam Dei fouerint & iuuerint: sed etiam ut cognoscant, quo id successu factum sit, quomodo honoribus & opibus aucti sint. Ac si qui in hac uita non uidentur magna præmia reportasse, illis iuxta uocem diuinam, in æterna uita multò locupletior compensatio est reposita. Equidem Constantinum illum Magnũ, Theodosium, Marcianum & alios magis in historijs extollit pietas excellens, qua Ecclesiam CHRISTI promouerunt, quàm ullæ aliæ res gestæ, aut quantumuis lata imperia.

Beneficium pręterea Dei gratis pectoribus cognoscendũ est, quod hoc tempore doctrinam de magistratuum officio & dignitate, præclarè illustrauit. Constat enim, Papa dominãte seu grassante potius per orbem terrarũ, politicum magistratũ, iuxta uaticinia sacrarum literarũ de Antichristo, uehementer conculcatũ ac protritum fuisse. Nam coronæ Cæsareæ potestatem iste Arctolycus ad se rapuit, pro libitu uel deijcere uel exaltare potuit orbis Romani monarchas, reditus optimos passim in locis omnibus ad se rapuit, imò etiam colla Imperatorum pedibus cal-

care ausus est: quod exemplum, nempe Friderici Barbarossæ, in hac Centuria extat.

Præclarè igitur & piè, princeps Iuli, dux Brunsuicensis & Lunæburgensis, facis, quòd in primordio tuæ gubernationis Ecclesiarum piam reformationē instituis. Sic enim CHRISTVS uult, omnes mortales primùm quęrere Dei regnum, ac pollicetur benignißimè, deinde reliqua omnia, hoc est, largißimam Dei in corporalibus rebus benedictionē subsecuturam esse. Precamur igitur cum omnibus pijs, ut Dominus Deus istis sanctis tuis coeptis aspiret, & faciat ut longa posteritas tantis bonis ad æternam suarum animarum salutem fruatur.

Hanc igitur Centuriā historiæ CHRISTI, quæ Duodecima in ordine est, tuæ Celsitudini inscribēdam esse putauimus: quia hoc ipso tempore in lucem prodit, quo sub tuo imperio ducatus tuæ Celsitudinis fit hospitiū CHRISTI publicū, & plurimi homines ex pontificijs tenebris in admirabilē & salutarem Euangelij lucē deducuntur. Etsi enim celeberrima ciuitas Brunsuicum iam pluribus annis syncerę doctrinę, cœlitùs traditę & patefactæ, dedita fuit, & Baalitico cultu abolito, pura fide & immaculatis ceremonijs Deo seruiuit: fuerūt etiam alia nonnulla uicina loca, quæ ueritatis lucē & cognouerūt & amplexa sunt: tamen nūc te duce, tota terra, quę gubernationi tuę paret, publicè hoc summo bono fruitur, cessant abusus, & coalescit in unam & consentientem Ecclesiam CHRISTI. Hoc egregium opus, quod summæ Dei benignitati meritò adscribi decet, in Ecclesia Dei annotari ac prædicari conuenit.

Cùm autem Ecclesia CHRISTI eorū qui ante nos uixerunt in eadem republica, acta & uniuersam historiā lubenter inspiciat & conseruet: ideo non dubitamus, tuæ Celsitudini & institutū nostrum probari, quo ex antiquitate omni, non sine labore, per Dei auxilium, Ecclesiasticā historiam colligimus atq; contexuimus, & hanc ipsam istius Centuriæ nuncupationem non displicituram.

Postremò æternum patrem Domini nostri IESV CHRISTI precamur, ut tuæ Celsitudini diuturnam ac felicem gubernationem concedat. Bene in CHRISTO uale. Die Concordiæ, hoc est, 18 Febr. Anno Domini 1569.

Tuam Celsitudinem reuerenter colentes,

M. Matthias Flacius Illyricus.
Iohannes Vuigandus D.
M. Andreas Coruinus.
M. Thomas Holshuter.

Duodecimæ Centuriæ Historiæ Ecclesiasticæ

CAPVT I.

VODECImum seculũ post Christum, sub illustrißimorum Cæsarum Romanorũ Henrici quarti, Henrici quinti, Lotharij Saxonis, Cũradi tertij, Friderici Barbarossæ, & Heinrici sexti imperio decurrit. Multi autem doctrina, scriptis & fama celebres hac ętate in Ecclesia Christi Doctores uixerunt, inter quos præcipui fuerunt Petrus Alfonsus, Honorius Augustodunensis, Hugo S. Victoris, Rupertus Tuitiensis, Bernhardus, Richardus, Petrus Cluniacensis, Petrus Lombardus, Hugo Heterianus, Iohannes Salesburiensis, Anselmus Auelbergensis, Potho presbyter, Berengosius, Eckbertus, Hildebertus Cenomanensis, Petrus Blesensis, Petrus Cantor, & Hildegardis & Mechtildis fœminæ eruditę, alijq; multi uiri literis & facundia clari.

Longè autem lateque pontificium regnum primatum obtinuit, adeò ut hoc seculo paßim floruerit, quodq; in primis obseruatu dignum est, hoc seculo Scholastica doctrina nata & fundata est per Petrum Lõbardum: qui cum spinosas & subtiles quæstiones conatus sit decidere atq; amputare, magis illas adauxit, ut historia sequẽtium seculorum testatur.

Fuerunt autem nonnulli, qui ueluti per transennam uiderunt, quòd Pontificius status à forma propria regni Christi, tum in doctrinę capitibus, tum in ceremoniarum obseruatione, tum in uniuersa regni ratione, non parũ discederet, ausi etiam sunt aliquid priuatis commonefactionibus, & publicis quoque scriptis reprehendere. Sed tum exibilationem, tum odia ac persecutiones atroces præmij loco reportarunt. Nam Episcopi non modò iam excommunicationes seueras scribebant, sed simul arma ferre, atq; sanguinem sitire ac fundere didicerant: idq; non solùm domi per ministros suos, uerùm etiam foris in prælijs, fortè Petrum imitantes, qui Christo prohibente in Oliueto arma sumebat. Inueniet itaque in hac historia Christianus lector plurimas Antichristi notas, quibus Romani præsules adeò manifestè sese produnt, ut nemo tam impudens atq; impius futurus sit, qui non toto pectore cohorrescat. Quid enim indignius dici potest, quàm quòd Hadrianus papa Imperatori Friderico indignatur, omnemq; fauorem denegat, eo quòd sinistram pontificis strepam attigisset, cum dexteram contrectare debuisset. Imò adhuc multò indignius factum contra Imperatorẽ Romanum Alexander tertius perpetrauit, ut scilicet toti orbi nota fieret ea Romani Antichristi proprietas, quòd non modò sit contẽptor, sed crudelis quoq; conculcator politici Magistratus. Nam cum Venetias idem Imperator ad superbum Papam accesßisset, noluit eum prius in gratiam recipere, & ab excommunicatione liberare, nisi spectãte toto populo, sese humi ad limen templi S. Marci prostrauisset. Quo facto, Alexander sublato pede, collum uncti Domini propudiosè calcat, insuper istas uoces adijciens, Super aspidẽ & basiliscum ambulabis. Cũ autem Imperator nonnihil mutiret, Non tibi, sed Petro: Papa repetita calcatione iracunda, Et mihi, inquit, & Petro. Quis uerò sine indignatione tantum non factum solùm, sed effrenem quoq; ac planè satanicam tyrannidem legere uel cogitare potest? Sed iusta Dei ira ista acciderunt omnia, qui ob contemptum uerbi sui, eiusmodi Alastoras in Ecclesia sinit grassari.

Videbit insuper pius lector, quomodo de inuestituris Episcopi cum Magistratu politico perpetua bella gesserint, & quomodo Papa Romanus omnes Monarchas non tã uoce, quàm armis potuerit premere atque cogere.

Noui denique ordines Hospitaliorum, Templariorum, & similium, tot hoc seculo inuenti ac confirmati sunt, ut enumerari uix poßint.

Sed ista omnia ex sequenti narratione plenius licebit petere. Nos uti cœpimus, res amplißimas Deo benedicente colligemus, & in medium proponemus.

cum eis tanquam finitimis coniuncti, Romanos ut hostes auersabãtur, ut habent Annales Nicetæ.

Liddẽsis episcopus barbarorũ impetus fugiẽs, Ioppen se cõtulit. Tyrius li.10.ca.22.

In Cappadocia fuit Ecclesia. Tyrius lib. 15.cap.18.

In Armenia. Metropolitanũ enim Armeniæ plus quàm mille sub se habere episcopos, Frisingensis lib.7. cap.37. memoriæ ꝓdidit. Et Nicetas inquit, Armenios & Alemannos in plerisq; religionis dogmatib. consentire, eo quòd apud utrosq; sacrarũ imaginum adoratio interdicta sit, & azymis in sacris utantur. lib.2. de gestis Isaacij Angeli. Hierosolymitanę Synodo interfuit Maximus Armeniorum pontifex, imò omnium episcoporum Cappadociæ, Mediæ & Persidis, & utriusq; Armeniæ princeps & doctor eximius. Tyrius lib.15.cap.18.

In India. Narrabat Gabulensis episcopus Eugenio papæ, quòd ante non multos annos Ioannes quidã, ultra Persidem & Armeniam in extremo Oriente degẽs, rex & sacerdos cum gente sua Christianã profiteatur religionem, uerùm Nestorij fermento permixtam. Frisingensis lib. 7. cap. 33. Circiter annum Salutis 1119, Ioannẽ patriarcham Indorum non postremum, Romam uenisse ad Calixtum pontificẽ, Schedelius testatur.

In Arabia. Balduinus enim rex ex Arabia Christianos euocat, & Hierosolymis eos habitare concedit. Tyrius lib.11.cap.27.

Petracensis urbs, quæ ultra Iordanẽ in finibus Moab sita est, secundæ Arabiæ metropolis, anno Salutis 1167 episcopali dignitate insignitur. Tyrius lib.20.cap.3.

In Cilicia Paschale festum Emanuelem Constantinopolitanum celebrasse, Tyrius narrat lib.18.cap.25.

DE ECCLESIIS PER *Africam.*

ROgerus Siciliæ rex archiepiscopum Africæ, qui sub seruitute Romam uenerat consecrandus, ad sedem suam remittit liberum, anno 1148. Sigeberti Cont.

In Aegypto. Tunium & Tenebiũ Aegypti pagos à Christianis inhabitatos, scribit Nicetas lib.5. de gestis Manuelis.

Tamiathi insignis Mariæ matri Domini dicata Ecclesia extitit, quæ propterea in magno habita est precio, ꝙ olim ibi mundi Saluator infans cruentas Herodis manus fugiens, substitisset cum parentibus. Nicetas lib.5. de gestis Manuelis.

DE ECCLESIIS IN MAri Mediterraneo.

IN Cypro. Cyprũ enim Christianorũ populis refertam, à Rainaldo Antiocheno principe uastatam, scribũt Nauclerus generatione 39: & Tyrius lib.18.cap.10.

In Sicilia. Barum enim ciuitatem, quòd Græcis fauerẽt ciues, solo æquat Vuilhelmus Siciliæ rex, soli Nicolao dicatæ parcẽs ædi, anno 1157. Sigeberti Cont.

Syracusani episcopi meminit Tyrius libro 13.cap.22.

DE ECCLESIIS PER *Europam.*

IN Græcia. In Gursol munitissimo Græciæ castro monachorum & clericorum fuisse cœtum, Frisingensis lib.1. de gestis Friderici, cap.33. testatur. Corinthi etiã, Thebis & Athenis Christianos sua habuisse domicilia, ibidem non obscurè indicatur.

Attici patriarchæ Cosmę, annales Nicetæ Choniatæ meminẽre.

In Macedonia. Eustachij enim Dyrrachini; Mithaelis Thessalonicensis, & Theopolitani Hypopsephij mentionem faciunt Nicetæ annales.

Constantinopoli. Nam ibi patriarcharũ sedes fuit, quos suo loco recensebimus.

Lopadij præsulem Andronicus oculis priuat, ut testatur Nicetas.

Chonis. Nam Chonarum episcopũ Nicetam, Annales Nicetæ celebrant.

Berynthum urbem maritimã regionis Phœnicis, Christianorũ sanguine captã, tãquam coloniam cõcessit Balduinus, ut ait Syluius lib.4. in Blondi decades.

Panormitano episcopo Alexandri tertij epistolæ quædam inscriptæ habentur.

In Sardiniam Homo Dei (uiri nomen est) & Albertus mittuntur episcopi, ex cõuentu Casinensi. Chronicon Casinense lib.4.cap.82.

Dalmata quidam nobilis, Sauinus nomine, à Casinẽsibus monachos petit, qui in sua gente monasticen profiteantur, cui gratificatus abbas fratres aliquot ex sua tiara eò ablegat. Eos uerò benignè exceptos Sauinus prope Ragusium, permittente eius loci archiepiscopo, monasterio donauit. Aliquanto pòst Petronius & Athenulfus Casinenses monachi, Dalmatis mittũtur abbates. Chron. Cas. lib. 4. ca. 82.

In Italia. Romæ est aliqua ecclesia, licet ea ciuitas Antichristi sede illustris sit.

Pręnestinę ecclesiæ Vuilhelmus quidã ꝓfuisse scribitur, in appẽdice Mariani Scoti.

Mediolani episcopi hac ætate Imbertus & Eberhardus fuerunt, ut Sigeberti & Mariani Scoti Cõtinuatores indicant. Anselmũ eiusdem Ecclesiæ præsulẽ, quòd Contradũ regẽ inunxisset, deponit Honorius secundus papa. Otto Frisingẽsis lib.7.cap.17.

Brixiæ. De Brixiano antistite ex epistola Alexandri tertij constat.

Floren-

Florentię.Natalibus Saluatoris peractis, Heinricus quintus Aretiam abijt,ubi à clero populoq; multa excipitur beneuolentia.Cranzius lib.5.cap.32.Saxoniæ.

Alexandriæ nouæ urbi episcopum dedit Alexāder tertius,anno Salutis 1175.Platina in uita eius.

Aquileiæ.Nam Vldarici eius loci patriarchæ, Otto Frisingensis lib.7.cap.14.mentionem facit.

Triuentinæ & Triuesinensis sedium episcopaliū nomina in Chronico Casinēsi lib.4.cap.36 extant.

Auersæ,Fundę. Harum enim appellationes in eodem reperiūtur Chronico, lib.4.cap.54.55. Girardus Fundanus cōsul in Alifano solo magnificā extruxit ecclesiam. Ibidem.

Bononiæ. Ad eius enim loci episcopum Alexander tertius epistolam scripsit,ut patet ex secundo tomo Conciliorum.

Ad Cusanum episcopū eiusdem quoddam epistolæ fragmentum in secundo tomo Conciliorum uidere licet.

Emolismensi episcopo,Romanæq; sedis legato, ab Hildeberto inscripta est una epistolarum.

Rauennæ. Ad Rauennatensem episcopum scripsit Alexander tertius lib. 1. tit. 6. c.8.Causam.

Placentiæ.Chronicon Casinense Aldonem Placentinum Heinrico quinto familiarē fuisse innuit,lib.4. cap.39. Placentino Episcopo ab Alexādro tertio inscripta est epistola,quæ in secundo tomo Conciliorum habetur.

Ad Lucēsem episcopum eiusdem in Decretalibus extat epistolium.

Paduæ archiepiscopi sedes fuit, ut ex Alexandri tertij quadam epistola patet.

Sutrij Burdinus pseudopapa commoratus est.Sigeberti Continuator.

Narnię Augustinus episcopus fuit.Chronicon Casinen.lib.4.cap.89.

Tullensis episcopus est Heinricus. Frisingensis lib.1.cap.44.

Vuelpho secundus Boiorum dux amplissimum Padalironæ in agro Mantuano Benedictinæ turbæ collegium instituit. Auentinus lib.6.

Papiensis episcopus ex Alexandri tertij epistola clarus habetur.

Salernitano episcopo ab eodem inscriptę sunt literę in secundo Cōciliorū tomo.

Terracinensis episcopus Benedictus S. Stephani quoddam sacellum consecrasse scribitur anno 1103. in Chronico Casinēsi lib.4.cap.24.

Caietæ Richardus Ecclesiæ gubernator extitit.Chron.Cas.lib.4.cap.59.Et ad eius dem sedis antistitem Alexandri tertij in Decretis uidere licet epistolas.

Patàuini episcopi Conradi meminit Frisingensis lib.2.cap.8.de gestis Frid.

Hostiæ fuit Ecclesię Eugenius papa Hostiensi episcopatui Bolitrensem cōiunxit. Sigeb.Continuator.

Portuę.Eugenij enim autoritate Portuēsis & S. Rufinæ episcopatus coierunt. Sig. Cont. Portuensem & Sabinēsem episcopos Heinricus quintus in uinculis tenet. Chron.Cas.lib.4.cap.41.

Pisis.Vincentius lib.27.cap.16.& Chronicō Casinense lib.4.cap.66. Ad eiusdē sedis archiepiscopum Alexandri tertij in tomo Cōciliorum secundo epistola legitur. Pisis conciliū à Galliæ Germaniæq; episcopis celebratur, anno 1130, teste Sigeberti Continuatore.

Alatrini episcopi Conradi mentio fit apud Platinam in uita Paschalis secundi.

Lucensis episcopus ex Alexandri tertij epistola notus est.

Celbatensis monachus Sigebertus à Platina in uita Paschalis celebratur.

Vigilensis & Vellenensis Ecclesiarū Alexander in epistolis decretalibus meminit, lib.3.tit.26.c.9.11.

Casini monachorum celeberrimum & locupletissimum fuit contubernium.

Venetensis episcopi Ruandi mētio fit apud Sigeberti Continuatorem. Venetum patriarcham Honorius deposuit. Martinus Cappellanus.

Gradi patriarchæ sedes fuit, ut ex epistola Alexandri 3 uidere est,lib.5.Decretalium,tit.21.cap.2.

Consentinorum archiepiscopi Rodolphi nomen extat in Chronico Casinensi lib.4.cap.89.

Albanensis pontifex Nicolaus Romanam sedem conscendit. Sigeberti Continuator.

Histriæ præfectus Engelbertus secundus Lauenti D.Paulo construxit cœnobium,quod Hirsaugia accitis repleuit monachis.Auentinus lib.6.annalium.

In Apulia. Bruno enim Coloniensis episcopus in Apulia defunctus, Barræ in æde Nicolao sacrata terræ mandatur. Frisingēsis lib.7.cap.21. Apulorū relatione didici, uos in concilio Barensi sermonem habuisse de Spiritu sancto, inquit Hildebertus in epistola quadam.

Liguriæ quidam episcopus Romanæ Synodo à Calixto celebratæ interfuit, ut Chronicō Casinēse habet lib.4.cap.80.

Cœnobitę B.Mauri in Granafolio, Casinensium opem contra sui cœnobij prędones implorant.Ibidem.

Vbergensi

Vbergensi episcopo, Foranensi procuratori & canonicis ibidem degentibus, Barthoniensi, Vincentino & Hermonensi episcopis ab Alexandro tertio inscriptæ sunt epistolæ, quæ inter Decretales locum habent.

IN GALLIIS.

LVdouicum regem Francorũ religiosum & Dei timentem, ac Gallicanas ecclesias doctorum uirorum multitudine illustres fuisse, testatur Sigeberti Continuator.

Remis S.Remigij abbas, Carnoti factus est episcopus. Et Remensium episcoporũ Radulphi & Rainaldi idem meminit, sub annum 1124.

Atrebatensi Ecclesiæ post Lambertum Robertus præfuit, anno 1115. Sigeberti Cõtinuator. Ad quendam eiusdem Ecclesiæ præsulem Alexander tertius scribit, ut ex Decretis constat.

Sagiensem episcopum Hildebertus cõpellat, ac ut se uinctum inuisere non dedignetur, rogat.

Viennæ totius Franciæ clericorum cõcilium fuisse, Ludouici Crassi Francorum regis temporibus, testatur Ganguinus lib. 6. de Francis.

In Berbeel monasterio Ludouicus Frãcorum rex tumulatur, teste Sigeberti Continuatore.

Gratianopoli Hugo episcopus obijt, anno 1132. Sigeberti Cont.

In Burgundia Cistercienſium conuentus hac ætate cœpit, ut suo dicemus loco.

Cluniaci. Crisperij prior Theobaldus, in Cluniacensi abbatia Vuilhelmo successit. Cont. Sigeb.

In Molismensi conuentu monachũ aliquandiu egit Stephanus Hardingus Cisterciẽsis ordinis autor, teste Baleo de scriptoribus Britanniæ, Cent. 2. cap. 63.

In Lotharingia. Bituricensis Ecclesiæ archiepiscopum Albericum, ob eruditionem insignem & prudentiam commendat Sigeberti Continuator.

Sagiensis episcopus regius cancellarius factus est. Sigeberti Continuator.

Tharenteliæ Petrus quidam fuit episcopus. Vincentius lib. 27. cap. 124.

Nouiomagi. Simon regio apud Francos stemmate natus, Nouiomensi sede potitus est, anno 1121. Continuator Sigeberti.

Lingonensem episcopum Godefridum uocat Sigeberti Continuator.

Aureliæ. Hugo eius loci decanus appellatur à Sigeberti Continuatore.

Senonensis episcopus post Guilhelmũ Guido fuit. Idem. Ad Senonum archiepiscopum in secundo Conciliorum tomo Alexandri tertij extat epistola.

Cornubiensi Ecclesiæ Bernhardus Brito præfuit. Sig. Cont.

Taruanensem episcopatum duo Milones successiuè administrarunt. Sigeberti Continuator.

Lactorensis episcopus, Harduini locum in Burdegalensi sede potitus scribitur, apud eundem.

Andeliaci B. Mariæ templum Franci equorum stabulum fecerunt, iuxta eundẽ.

Andegauensi Ecclesiæ Gaufridus episcopus præfuit. Sigeberti Cõtinuator. Andegauis in regio sacello Galterius Linconiensis consecratur episcopus. Idem. Andegauorum Ecclesiæ episcopum Hildebertus in epistola quadam hominem Dei, & exemplar Christianæ religionis appellat, nomen tamen silentio premit.

Burdegalensis prouinciæ statum Ecclesiasticum propter quosdam schismaticos turbulentum fuisse, eiusq; mali incentorẽ extitisse Girardum Engolismensem antistitem, Vincentius lib. 27. capite decimotertio: & Heinricus de Erfordia, ca. 87. annotant. Gaufridum Burdegalensem episcopum, uirum religiosum, & uerbi Dei seminatorem egregiũ uocat Sigeberti Continuator.

Pictauiensis episcopus Guilhelmus per Gerardum sede sua exturbatus est. Vincentius lib. 27. cap. 13. Gisleberti & Ioannis eiusdem sedis antistitum Sigeberti Continuator meminit. Pictauiensi episcopo Alexander tertius literas scripsit.

Rotomagi Hugonem præfuisse Ecclesiæ, Sigeberti habet Continuator. Eiusdem Ecclesiæ & Petrus Blesensis in epistola meminit.

Carnotensis episcopus Gaufredus fuit. Vincentius libro uigesimoseptimo, capite decimotertio. Carnotensium etiã Ecclesias prędatur Hugo comes, Ludouici Grossi temporibus. Ganguinus lib. sexto. Eadem Ecclesia ab Hildeberto in epistola celebratur.

Cenomanensem episcopum Gildebertum uocat Epitome mundi, aliàs Hildebertus dicitur. Cenomanensi præsuli Alexander tertius scribit, subdiaconum matrimonium contrahere non posse.

Parisiensem Ecclesiam Petrus Lombardus, qui uulgò Magister sententiarum dicitur, hac ætate illustrat. Hugo S. Victoris decanus fuit in eodem cœtu, teste Sigeberti Continuatore. Ad Parisiensem episcopum Alexander tertius literas dedit.

Leunæ. Nam Francorum rex, uastatis circumquaque Rollandi agris, solis Leu-

nensibus pepercit monachis. Sigeber. Cótinuator.

Trecensem quendám diaconum moribus & literatura conspicuum uocat Hildebertus.

Antisiodorensem Ecclesiam sub annum Salutis 1139 Hugo administrauit. Sigeberti Continuator.

Redeensis episcopi in epistola quadam Hildebertus meminit.

Morinorum episcopi Ioannis, eiusq; successoris Milonis sub annum 1130 Sigeberti Continuator & Chronicon Flandriæ meminêre. Ad decanum & Capitulũ Morinensem Alexandri tertij epistola in Decretis annotatur libro tertio, titulo 23. c. primo.

Tornaci S. Stephano, in Tillano Syluestro, in Stagello S. Ceciliæ, apud Gallos Gelasius secundus consecrat Ecclesias, teste Platina in uita eius. Anselmus abbas S. Vincentij Laudunensis, Tornacensibus mittitur episcopus ab Eugenio pontifice Romano. Sig. Cont.

Tungrensium episcoporum catalogum infrà uidere licet.

Traiectini fuêre antistites iuxta Mariani Scoti appendicem, Godebaldus & Andreas. Heinricus quintus in inferiore Traiecto Pentecosten celebraturus, in morbum incidit anno 1124, ut habet Cuspinianus.

Vitriaci. Ludouicus Francorum rex expugnato Vitriaco castro, quod Theobaldo comiti parebat, ignem templo subiecit, in eoq; ultra 1300 homines, nec sexus nec ætatis habita ratione, concremauit. Sigeberti Continuator.

Leodij primaria ædes fulmine feritur, anno 1118. Sigeberti Continuator. Leodiensis Ecclesiæ epistola contra Paschalem secundum scripta in 2. Conciliorum tomo extat.

Legerensis episcopi Iuliani meminit Ganguinus libró sexto, de gestis Francorum.

Metis. Diggeri, Mariani Scoti appendix, & Stephani Metensium episcoporum Otto Frisingensis lib. 1. cap. 44. de gestis Friderici mentionem faciunt.

Turonensis clerus & populus dissident sub annũ 1123. Philippus Ludouici Francorum regis frater, decanus S. Martini ibidem fuit. S. Briocci episcopus Iugelbãdo in Turonensi sede successit. Sigeberti Continuator. Extat & in tomo secũdo Conciliorum ad eiusdem Ecclesiæ archiepiscopum epistolæ fragmentum quoddam.

Beluaci Philippus quidam, & Heinricus Ludouici Francorum regis germanus frater, egerunt episcopos. Sigeberti Continuator. Beluacũ, cuius ecclesias Lancelinus comes affligebat, libertati restituit Ludouicus Francorum rex, teste Ganguino lib. 6. de Francis.

Suessonum episcopus Ioslemus uir magni consilij fuit, anno 1127. Sigeberti Continuator.

Ambianensi episcopo Alexander tertius literas scripsit, lib. 3. Decretorum, tit. 30. c. decimoquinto.

Cameraci Burcardus, Hermannus, Liethardus episcopi memorantur à Sigeberti Continuatore. Elegit te sibi Cameracensis Ecclesia in pastorem & episcopum animarum. Petrus Blesensis.

Lexouiensis cuiusdam canonici, Hildebertus Cenomanensis episcopus meminit.

Castellionis abbas Balduinus est, apud Sigeberti Continuatorem.

Nannetensi archidiacono Hildeberti quædam epistola inscribitur.

Syluanecti Petrus egit episcopum, teste Sigeberti Continuatore.

Tolosanus episcopus Alexandri tertij literis celebratur.

In Hispanijs: Vlisisbonẽsi archiepiscopatui Portugalliæ rex ciuitates sex donauit, teste Sigeberti Continuatore. Portugalensium Christianorum, & Lacebonæ, meminit Helmoldus capite sexagesimosecundo historię Sclauorum. Philippus & Philobertus Hispani, fratres, Ecclesiam quam in patria extruxerant, Benedicto Casinensi subiecerunt, ut habet eius cœnobij Chronicon lib. 4. capite 94. Alfonsus Hispanorum rex Petro Alfonso Iudæo Baptismi testis extitit. Vincentius libro 25. cap. 118.

Toletanum archiepiscopum Alexander tertius monet, ut diaconos duos, si de Simonia conuicti fuerint, loco moueat. Extat epistola tomo secundo Conciliorum.

Virdunensis episcopi Heinrici mentio fit in appendice Mariani Scoti.

Clareuallis ob Bernhardum abbatem hoc seculo maximè in precio fuit.

Laudunensis pręsul tumultuantibus ciuibus, gladio confossus est, anno 1112. Sigebertus. Fusinaci Bartholomæus Laudunensis episcopus monachum induit. Idem. Eiusdem urbis clerum magna immanitate exercuit Thomas de Marla comes. Ganguinus lib. 6.

Claremontanæ abbatiæ Sigeberti Continuator meminit.

Lingonensis episcopus Godefridus. Continuator Sigeberti.

IN GERMANIA.

Colonia, Moguntia, archiepiscoporum sedes in Germania fuêre, ut historiæ testantur. Mansêre & reliqui episcopatûs, quos superiori seculo recitauimus.

Treueri episcopi fuerunt Egilbertus & Bruno. Appendix Mariani Scoti.

Basileæ. Ortlibus episcopus à Frisingẽsi libro primo, capite 59. de gestis Friderici, celebratur.

Argentinensis Ecclesiæ episcopi Ottho, Cuno, Bruno & alij hoc floruerunt seculo, ut Mariani Scoti Continuator annotat.

Curienses, Constantienses, Vuormatienses, Spirenses, Augustani suos præsules habuerunt.

In Alsatia. Fridericus dux senior in monasterio quodam S. Vualpurgis in Alsatiæ finibus sepultus est, teste Frisingensi libro primo, capite trigesimonono de gestis Friderici.

In Norico Chiminum monachorum domicilium fuisse, Auentinus libro sexto annalium testatur.

In Sueuia. In Zuuifalten monasterio Fridericus Sueuiæ dux exceptus, diuinitùs liberatus est. Frisingẽsis lib. 1. de gestis Friderici, cap. 19.

Aichstadij Burchardus episcopum egit. Ottho Frising. libro 2. capite octauo de gestis Friderici.

Salisburgi, siue Iuuauij, pontifex fuit Thiemo, ut testatur Otto Frisingensis lib. 7. capite 7. Et cap. 13, Conradi & Bertholdi meminit. Eberhardi libro 2. capite 8. de gestis Friderici.

Ratisponæ Hartuicus & Cuno episcopos egerunt. Appendix Mariani Scoti.

Fruxinum Otto episcopus & Hartuicus canonicus commendant, quorum ille historiam octo librorum scripsit, & duos de rebus gestis Friderici Imperatoris, quibus hic alios duos adiecit.

Austriam plurima hisce temporibus recepisse cœnobia, ex loco de monachatu patebit.

Viennæ Scotis monasterium condidit Heinricus secundus Austriæ marchio, ut ait Cuspinianus.

In Vngaria. Demesiensis cœnobij meminit Bonfinius lib. 5. decad. 2. rerum Vngaricarum. Præsulum Vngaricorum mentio apud eundem fit sæpius.

Bohemiæ præsules Cromerus in sua historia illustres reddit.

Pragensis episcopi nomen apud Frisingensem libro 2. capite octauo de gestis Friderici extat.

In Franconia. Bambergæ Rupertus & Ottho episcopi fuerunt. Appendix Mariani Scoti.

Eboracum amplissimum Franconiæ cœnobium sub Lothario Imperatore initium sumpsit, ut Cuspinianus de Imperatoribus refert.

Francofurti Bernhardus docuit, & multa miracula edidit, ut in uita eius annotatur.

Herbipoli Emerhardus, Embricho, Sigfridus, episcopi fuerunt, ut testatur Mariani Scoti appendix. Scotigena quidam multos annos ibidem Ecclesiasticorum institutioni præfuit, teste Cranzio lib. 5. capite 31. Saxoniæ.

Fuldæ. Eius loci abbas Godefridus in conuentu Francofordiano ab Imperatore sua priuatur dignitate, aliusque substituitur. Chronicõ Fuldense. Arnulphi eiusdem cœtus abbatis meminit Sigeberti Continuator.

Spanheimensis abbas primus fuit Bernhelmus, ut habet Mariani Scoti appendix.

Misenæ. Albertus Misnensis episcopus Conrado Imperatori familiaris fuit, ut patet ex Ottone Frisingensi libro primo, cap. 61. de gestis Friderici.

Mersburgi. Nam Ecbertus Mersburgicus antistes ob extructa quędam cœnobia commendatur in Mersburgensi Chronico libro 2. cap. 27. Quinquagenalia Heinricus quintus Mersburgi celebrasse scribitur ab Hedione.

Brandenburgici episcopi Vigeri nomen extat in appendice Mariani Scoti.

In Saxonia. Magdeburgum archiepiscopi fuit sedes, eaq; Notbertus potitur anno 1127. Sig. Cont. Hartuici & Heinrici in appendice Mariani Scoti fit mentio.

Quedlinburgi Heinricus quintus paschalia peregisse, scribitur apud Auẽtinum lib. 5. annalium.

Halberstadiensis episcopi infrà crebra mentio incidit.

Northusæ Synodum episcoporum habitam, in capite de Concilijs indicabitur.

Brunsuigæ magister scholæ, eiusdem Ecclesiæ canonicus fit Geroldus. Helmoldus capite 80. Heinricus Brunsuigensis conuentus abbas Lubecana sede potitus est, ope Heinrici Leonis, ut habet Holsatiense Chronicon.

Ridegeshusen cœnobij non procul à Brunsuiga distantis, Helmoldus capite 80. meminit.

Monasterij siue Mimigardeuordæ Theodoricum appendix Mariani Scoti, & Fridericũ Otto Frisingensis lib. 2. cap. 2. eius sedis uocant episcopos.

Padelbornæ literarum studia floruisse,

Kirckeham cœnobiū in aquilonari Angliæ parte, ob loci amœnitatem commendat Baleus Cent.3.cap.35.

Douerensis monachorū conuentus meminit Baleus Cent.3.cap.21. Et Dorensis cœnobij prope Herefordiam abbatem Adamū uocat, ibidem cap.40.

Dorobernę Saluatoris fanū extitit. Cent. 2.cap.68.

Teukesburij ad confluentiam Auonæ & Sabrinę fluminum, Alanus abbas claruit. Idem Cent.3.cap.46.

Salopiæ monasterij præses designatur Robertus. Idem Cent.2.cap.76.

Salterienses monachi Benedicti regulā professi sunt. Cent.2.cap. 77.

In Sempringham Gilbertus nouam monachorum sectam instituit, ut suo dicemus loco.

Mellifontanum abbatem Malachias sortitur successorem.

Batensis episcopus Robertus fuit.

Exouiam Ecclesiæ domicilium fuisse, episcoporum mentio testatur apud Sigeberti Continuatorem.

Roffensem Galterus, Heliensem Nigellus, Carlinensem Adulfus administrarunt episcopatum. Idem.

Monemūthæ archidiaconus fuit Galfridus, ut Baleus Cent.2. scriptorum Britanniæ, capite 86.indicat.

Glocestria Benedictinæ sectæ monachis insignis est apud Polydorum libro 13.historiæ Ang.

Becci. Nam ibi Herbertus & Richardus Abrincenses episcopi sepulti sunt, teste Sigeberti Continuatore.

Excestriæ. Coriniensis conuentus, qui & Excestriensis dicitur, abbatem egit Serlo quidam, anno 1129. Baleus Cent. decima, capite 44.

Ad Panormitanensem archiepiscopum Petri Blesensis extat epistola, quem olim socium, nunc uerò dominum & amicum esse testatur.

Herefordensi episcopo inscriptæ literæ ab Alexandro tertio, in tomo Conciliorum secundo habentur.

Heliensis archidiaconus ex Alexandri literis, quę secundo tomo Conciliorum insertę sunt, notus est.

Salesberiensis cuiusdam episcopi meminit Alexander tertius in epistola ad Herefordensem episcopum, libro tertio Decret. titul. trigesimooctauo, capite septimo. Ex literis.

In Connereth Malachias episcopus est, ut testatur Bernhardus in uita eius.

Episcopatuum denique Anglicorum apud Sigeberti Continuatorem plurium fit mentio, Lemonicensis, Maclouiensis, Blesensis, Hiltinensis, Aquicinensis, Legiensis, In Castri loco, Haunoniensis: & monasteriorum, Montis acuti, Hidæ, Berniendefici, Montis S. Michaelis de periculo maris, Montis, cuius abbati Anglorum rex Ecclesias pontis Vrsonis subiecit, Gemmeticensis, Salmuriensis, S. Ebrulfi, Lirensis, S. Augustini, de Burc, de Campis seu Campellis, in Reuerle, S. Vuandregisili, Fontanetensis, S. Petri super Dinam, S. Benedicti supra Ligerim fluuium, Cadomi, in Fonte S. Martini, Sustulæ ad Mosam fluuium, de Prato, Viuariensis, Mortui maris, Montis Dei, S. Mariæ de frigido monte.

In Vuicciorum prouincia Eueshami abbatem egit Adamus quidam. Baleus Cent. 2. cap. 93.

Ningellæ uerbum Dei prædicat Nobertus. Sig. Continuator, sub annum Salutis 1122.

Normanni.

Constantiæ apud Normannos Algaricum quendam fuisse episcopum, Vincent. libro uigesimosexto, capite 20. testatur. Richardi eiusdem sedis antistitis meminit Sig. Continuator.

Fiscanensis prioris meminit Baleus Centuria secunda scriptorum Britanniæ, capite sexagesimosecundo.

Philippum Baiocensem, Arnulphum Lexouiensem, & Herebertum Abrincacensem apud Normannos episcopos, inaugurationi Heinrici Anglorum regis adfuisse, sub annum 1155, Sigeberti Continuator annotat. Ebroicensis Rotrocus apud eundem celebratur.

In Scotia. Plures Scotis à Trustino Eboracensi episcopos consecratos, inter quos Gillas quidam Candidæ casæ destinatus principem obtinuerit locum, ait Polydorus libro undecimo Angliæ historiæ. Scotiæ episcoporum meminit & Alexander 3. in epistola ad Herefordensem episcopum tomo 2. Conciliorum.

In Hybernia. Celsus Armachanus archiepiscopus, & totius Hyberniæ primas, sub annum Christi 1128. in uiuis esse desijt, teste Baleo Cent. decimaquarta, capite octuagesimoquarto. Quatuor in Hybernia sunt sedes archiepiscopales, sicut sunt quatuor illic prouinciæ, quæ illis correspondeant: Armachana, Dubliensis, Cassellensis & Tuamensis. Quarum Armachana decem & quinque habuit episcopatus, Dubliensis quinq;, Cassellensis tredecim, & Tuamēsis decē. Et hāc ordinationē fecit Eugenius tertius pōtifex Romanus anno Domini 1152. p legatū à suo latere, Ioannē Papirionē, tituli

S. Lau-

S. Laurentij in Damaso presbyterum Cardinalem. Idem Cent.14. in appédice capitis 97. Malachiæ Hybernorum archiepiscopi fit mentio apud Sigeberti Continuatorem. Dunelmæ Ioannes factus est archiepiscopus anno 1182. iuxta eundem.

In Flandria. Brugis Carolus Flandriæ comes in Ecclesia Donatiani inter orandum trucidatur. Sigeberti Continuator.

Antuerpiensibus & Floresfiensibus monachis Norbertus Præmonstrato abbates misit, teste Sigeberti Continuatore, sub annum 1129.

Verulano episcopo scripsit Alexander tertius, libro primo, tit.9. capite tertio. Ex transmissa.

Et ad Batonensem episcopum extat eiusdem Papæ epistola, libro primo, tit. 11. capite 1.

Spalensis etiam Ecclesia ex eiusdem epistolio nota est, quod extat in Decretis libro tertio, tit.28. capite 4. De his.

DE PROPAgatione.

Bartholomæi Lundunensis episcopi industria, in pluribus suæ prouinciæ locis, ubi prius religionis diuinique cultus studium fuerat nullum, Ecclesiarum iacta fuisse fundamenta, quarum paulo pòst splendore etiam transmarinæ regiones illustratæ fuerint, Sigeberti refert Continuator, sub annum 1113.

Guilhelmus Siciliæ rex captam Sibillam, quæ est metropolis insulæ Gerx inter Africam & Babylonem, Christianis habitandam concessit, eisque præfecit archiepiscopum anno 1158. ut idem annotat.

Capta Ascalone à Balduino Hierosolymorum rege, Agareni, qui religionem Christianorum respuebant, eiecti sunt, morigeris alijs conseruatis. Idem. Horum tamen maximam partem ad uomitum redijsse innuere uidetur. Nam sub annum 1181. Soldani matre cum filio rerum summa potiente, eosdem paganorum metu non ausos fuisse publicè suæ pietatis qualecunque præbere indicium, narrat. Verùm & hos quos metuebant, paulo pòst miraculo quodam diuinitùs edito, in Christi castra tráfiisse, annotat.

Rugiani, qui Archonem urbem primariam incolebant, expugnationis uehementia fracti, ab Erico Danorum rege, cum de religione Christiana recipienda fidem dedissent, pacis conditiones æquiores impetrant. Primùm itaque solenni ritu sacrato flumine ablui iussi, mox stagnum non tam initiandæ religionis, quàm pellendæ sitis ardore petentes sub specie sacrorum, fessa obsidione corpora refecerunt. Datus est quoque ijsdem antistes, qui cultioris uitæ normam præscriberet, & nouæ religionis rudimenta traderet. Verùm illi non multo pòst ad suam idololatriam redierunt. Tandem Vualdemarus rex denuò eorum castro expugnato, hac eos lege inter cætera recipit, ut simulachro cum omni sacra pecunia tradito, captiuos Christianos ergastulo liberatos absque redemptionis precio dimitterent, omniaque ueræ religionis sacra Danico ritu celebranda susciperent, atque agros latifundiaque deorum in sacerdotiorum usus conuerterent. Quin & principum scribæ in urbem immissi, qui sacerdotali ministerio rudem religionis populum Christianis assuefacerent sacris, eiusque sacrilegis sensibus sanctitatis disciplinam ingererent, ut habet Saxo Grammaticus libro decimoquarto Danicæ historiæ, & Cranzius libro quinto, capite decimoquinto & decimosexto Vandaliæ. Absolon quoq; de Roschilde, & Berno Magnopolitanus episcopi præstò fuere, ac regi pia in noua religione apud gentem prauam & peruersam plantanda, consilia suggesserunt. Rugianorum princeps Iaremarus, de uero Dei cultu edoctus, magno desiderio Baptismi sacris initiatus, non solùm reliquæ multitudini pietatis illustri præijt exemplo, uerùm etiam docendi munere est perfunctus: ac quia præ cæteris Sclauis Rugianorum gens durior, prauæque religionis tenacior esset, nonnunquam minis ad officium eosdem coegit, ut Helmoldus libro secundo, capite duodecimo historiæ Sclauorum testatur. Annus quo hæc accidêre fuit Salutis 1168.

Eugenium tertium per Hadrianum Anglum Noruegiam (Onuphrius & Sueciam addit) in suam religionem traduxisse testatur Ranulphus libro septimo, capite uigesimosecundo, & Baleus de actis Romanorum pontificum. Legatus autem Romam reuersus, ob rem præclarè gestam post Anastasij obitum pontifex creatur. Martin. Polonus.

Cruento prælio deuictos Finlandos Ericus Sueonū rex, pietate maximè insignis, Christianam religionem coëgit amplecti, ut narrat Ioannes Magnus libro decimonono Gothicæ histor. cap.3.

DE CONVERSIONE.

Maximè illustris est hac ętate Moysis Iudæi conuersio, qui cum religione nomen quoq; mutauit, dictusq; est Petrus Alfonsus, ut suo loco dicemus.

Norbertus, sectę Pręmonstratensis autor, uerbi diuini prædicatione plurimos ab errore quodam conuertisse scribitur, inter quos fuit Theobaldus quidam Vuestphá-

liæ comes cum coniuge, qui tria in suo territorio castella per Norbertum diuino mancipauit cultui, ut Sigeberti annotat Continuator sub annum 1123.

Extat inter epistolas Petri Blesensis una quædam ad Soldanum scripta, qua ei de receptis Moysi scriptis gratulatur, ac de fide porrò eum erudit, cuius fragmentum adscribimus: Soldano Iconij ueritatem agnoscere, & agnitam custodire. Ex literis tuis & nunciorum tuorum fideli relatione cognouimus, quòd in uotis habeatis ad Christum conuerti. Cumq; iam receperitis, ut audiuimus, Pentateuchum Moysi, prophetias Isaiæ & Ieremiæ, Pauli etiam epistolas, atque Iohannis Euangelium, & Matthæi: postulas tibi mitti uirum orthodoxum aliquem in lege Christi, à quo quasi uice nostra plenius instruaris. Nos autem petitioni tuæ plurimùm in Deo cõmendabili, grato concernentes assensu, tales excellentiæ tuæ curabimus destinare, qui apud te in doctrina sacra & salutaribus monitis uicem Apostolicæ autoritatis suppleant.

DE AMPLIATIONE.

FEruens admodum fuit hominum, plus satis superstitiosorum, in extruendis monachorum claustris studium. Nam solius Lotharij Imperatoris temporibus sedecim, & sub Friderico uix pauciora apud Boios monachorum contubernia instituta esse, narrat Auentinus lib. 6. Annaliũ.

Præter noua, quibus hac ætate Anglia creuit, monasteria, alioquin eiusmodi ociosorum hominum domicilijs refertissima, nouos etiam episcopatus accepit. Nam Elyensis sub annum Salutis 1111. initium sumpsit. Et Heinricus primus Anglorum rex Carlioli (Sigeberti Continuator uocat Carlinum) de nouo episcopalem constituit sedem, anno 1135. Autor est Polydorus lib. 11. Anglicæ historiæ.

Adelbertus cognomento Vrsus, Orientalis Sclauiæ dominus, profligatis oppressisq́ue Sclauorum cõtumacibus, ad Hauelam Albimq́; degentibus, Hollandos, Flandros & Rheni accolas substituit, quibus urbes & oppida rursus incolenda dedit. Horum igitur concursu Brandenburgicus & Hauelbergensis episcopatus plurimùm accepêre incrementi. Ecclesiarum præterea, decimarumq́; numerus ubiq; locorum in immensum ferè accreuit, ut Helmoldus in Sclauorum Chronico cap. 89. refert.

Prima etiam Erico Sueonum regi cura fuit de Ecclesijs uel fundandis, uel redditibus sacerdotumq́; numero augendis. Inter cætera uerò pietatis suæ monumenta Vpsalensem sedem, quæ totius regni primaria est Ecclesia, à suis maioribus inchoatam, ipse magnifico labore multisq́; impẽsis perfecit, ut testatur Ioannes Magnus li. 19. Gothicæ historię, capite 4.

Geroldus Aldenburgi episcopus, cum aliquid fructus ex sui officij administratione perciperet, autor fuit comiti suæ terræ, ut in Susle pago iuxta Grempine fluuium, qui piratarum erat receptaculum, Ecclesiæ fundamentum iaceretur. Voti compos factus, prædicationis partes, comite consentiente, Deilano ex Faldrensi conuentu accito demandantur. Posthæc in Lucelenburg & Rhatecoue Ecclesiæ esse cœperunt, comite & episcopo atria seu spacia designantibus. Horum itaq;, quam sibi mutuò præstabant, opera, haud parum Domini opus in Vuagirorum terra creuit. Quin & in Polaborum ditione studio Euermodi episcopi & Heinrici comitis de Raceburg Ecclesiarum numerus adauctus est. Comes enim, Vuestphaliæ populis in suam traductis regionem, agros distribuit, qui religionis studio feruentes, nihil quod ad diuinum faceret cultum, prætermisêre. Ac fuere hæc initia satis prospera, quibus Bernhardi temporibus (is enim post patrem Heinricum summa rerum potiebatur) plurimùm accessit incrementi: ac ut Helmoldus ait, consummatum est opus, quod pater eius feliciter cœperat, cap. 84. & 92.

DE INSTAVRATIONE.

IN Norico Chiminũ, ab Vngaris olim uastatum cœnobium, Conradus Iuuauensis restaurat, & Augustinianę professionis replet monachis. Auentinus libro sexto Annalium.

Malachias consecratus episcopus in Conereth (quæ urbs cum multos annos pastore destituta fuisset, uastos gentilium mores ferè tota induerat, pietas ac honestas penè omnis interciderant apud quosuis) monitis, precibus ac lachrymis institit sedulò, ut feros barbarosq́; mores ac ritus deponerẽt: ac cum ipsi ciues templa inuisere negligerent, ipse per uicos plateasq́; cursitans concionatur, seq́; non solum conuicijs, sed & præsentissimo mortis periculo obijcit. Sed uicit tandem hac sua parrhisia. Nam ciues barbarie nonnihil deposita, Christianas honestasq́; leges amplexati sunt, Ecclesiæ reparatę, qui rebus sacris commodè pręessent requisiti, sacramentorum usus restitutus, conuentus sacri frequentes habiti, confessiones factæ, concubinatus nuptiarum celebritate honestãtur. Postremò sic mutata in melius omnia, ut hodie illi genti conueniat, quod Dominus per prophetam dicit, Qui antè non populus meus, nunc populus meus: ut Bernhardus in uita Malachiæ scribit.

Interfecto

Interfecto Sclauorum principe Crucone, quem & alij Critonem appellant, uiduam eius Heinricus Godeschalci filius uxorem ducens, omnem simul obtinuit principatũ in terra Sclauorum & Obotritorũ. Sub huius igitur umbra (pietati enim addictus erat) in territorio Nordalbingorum, quos hodie Holsatos appellamus, Ecclesiæ, quarũ multos iam annos nulla fuerat habita ratio, desolatæq; steterant, reparatę leguntur. Et Sclaui, licet religionem extremè odissent, tamen continuis bellis, quę ipsis erant minimè felicia, fracti, pacem pietatemque colere coacti fuerunt. Nulla autem in uniuersa Lutitiorum Obotritorumq; prouincia erat Ecclesia, nisi Lubecæ solummodò, quæ ob ducis aulam insignis tum habebatur. Ea igitur arrepta occasione, Vicelinus quidam sacerdos, de consilio Bremensis archiepiscopi, Rodolpho & Ludolpho canonicis eum comitantibus, Lubecæ ducem adiens, prædicandi facultatem in omni solo ipsi subiecto dari sibi expetit. Istorum itaq; postulatis non solùm mox annuit Heinricus, sed multa insuper eos beneuolentia complexus, Lubecę primum templum eis aperuit. Verùm immatura ducis morte interueniẽte, ad Sclauos, quos parũ fidos sciebant, excurrere prohibiti fuerunt. Posthæc Bremam reuersus Vicelinus, ab Archiepiscopo ad Falderẽses, qui sacerdotem sibi dari petierant, ablegatur: ac licet Christiano censerentur nomine, attamen auitã religionẽ, quæ Ethnica erat, mordicus pleriq; adhuc tuebantur. Verùm hæc multorũ animis Vicelini prędicatione exempta est. Hoc tam felici muneris Ecclesiastici successu Rodolphus & Ludolphus, quos diximus, exciti, Epponem, Luithmundum & Folcardum sacerdotes in suum adsciscunt consortium: profectiq; ad Vicelinum, fidelem ipsi apud Holsatos finitimosq; populos præstiterunt operam. Verùm ad Sclauos nullus eis tum patebat aditus, propter intestinum ipsorum bellum. Heinrici enim filij, post patris obitum, de successione accerrimè concertabant. Horum autem natu maiore Canuto fortè trucidato, Suentopolch, cum Adolphi Holsatiorum comitis adiutus copijs, solus rerum potiretur summa, æquiori erga Christianos fuit animo. Ea igitur re cognita, Vicelinus ne ullam occasionem prætermisisse uideretur, ipsum adijt, ac ut eam rem, quam à patre ipsius olim impetrauerat, in actum producere liceret, obnixè rogauit. Voti igitur sui compos factus, Ludolpho & Voluuardo sacerdotibus sacra in urbe Lubecensi peragenda cõmisit. Eos uerò mercatores magna ibi frequentia degentes, benignè fouerunt, usq; dum oppidum illud à Rugianis uastaretur, ut Helmoldus cap. 35. & 47. & aliquot sequentibus testatur.

Cæterùm Heinrici stirpe uiolenta morte è medio sublata, ad Canutum regio sanguine apud Danos natum, principatus deuolutus est, quem quidem Lotharius Imperator Regem Obotritorum appellauit. Is uerò cum religioni faueret, odio diaboli à patruo occisus est. Huic Pribislaus & Nicolotus, quos truculentas Helmoldus bestias uocat, successere, sub quibus omnis apud Sclauos idololatria iterũ inualuit. At Vicelinus, qui nihil nõ religiõis ergò tẽtabat, blãda hunc, non sine pręsenti periculo, emollitũ oratione, licet, ut apparet, eũ non conuerterit, à Christianorum tamen persecutione nonnihil compescuit, præsertim cum Imperatoris Lotharij accederet authoritas. Exinde libera Hermanno, Ludolpho & Brunoni, quos Lubecæ substitisse diximus, Sclauis prędicandi facultas affulsit. Ibidem cap. 50. 53. 54. & Chronicõ Holsatiense. Factaq; est ex immensa misericordia Dei, & uirtute Lotharij Cæsaris, seminatio nouellæ Ecclesiæ in Sclauia. Verùm immatura Imperatoris morte, quæ quidem Heinrico Saxonũ duci, & Alberto Marchioni, de Saxoniæ ducatu dimicandi occasio fuit, magna simul propagandæ religionis difficultas incidit, cum impunè in Ecclesias teneras, earumq; bona perexigua sæuirẽt militares Harpyię. Tandem autem à sacro exercitu, qui cruce insignitus erat, deuicti Sclaui, fidem recipere cogũtur, seq; baptismate ablui passi sunt. At dilapso oppugnantium exercitu, ut sus ad uolutabrum reuersi sunt quàm plurimi. Helmoldus.

Præterea Hartuicus Bremensis non religionis gratia, sed ambitione magis, ut apparet, accensus, omnem mouit lapidem, quò suffraganeos Episcopos Daniæ, Noruegię, Suecię, quos Hamburgensis olim paruisse inspectioni constabat, in suam iterum redigeret potestatem. At cùm promissis largitionibusq; Romanum pontificem ac Imperatorem in suam pertrahere sententiam minimè posset, apud Sclauos Aldenburgensem, Raceburgensem, & Mechelburgẽsem episcopatus, qui iam annos ferè octoginta quatuor iacuerant, restaurauit, atq; episcopos eò misit, ne ipse scilicet suffraganeis destitueretur. Idq; inconsulto duce Sclauorum, proprio suo arbitrio fecit. Ea autem res magnæ simultatis inter Vicelinum, quẽ Aldenburgensibus consecrarat episcopum, & ipsum ducem materia fuit. At noui illi episcopi nihilominus concrediti sibi muneris partes fideliter peragentes, Barbaros ab idolorum cultu recedere, & Christi uerbum amplecti

amplecti monuerunt. Verùm paucos tamẽ expugnarunt, cũ comitis Adolphi & Henrici ducis fauore, quibus inscijs episcopale in suo territorio susceperant munus, destituerentur. Helmoldus cap. 70.

Boleslaus Polonorum dux, icto cum Ruthenorum rege, quem Petri cuiusdam dolo captum in uinculis tenebat, fœdere & amicitia, Stetinensem urbem, quę Pomeranorũ caput habebatur, expugnat, Naclam (fortè Anclam) diripit, omnemque illum agrum igni ferroq; miserè uastat. Ac feruntur ea calamitate Pomeranorum decem & octo millia cæsa, & octo circiter millia in captiuitatem abducta esse, paucis admodum cũ suo principe relictis, qui Christo se nomina daturos sanctè promiserunt. His Boleslaus cõsulturus, Bamberga Ottonem (in sua enim ditione qui id muneris feliciter obiret, nemo inueniebatur) per literas acciuit, quarũ quidem exemplum subijcimus.

Domino suo & patri amantissimo Ottoni uenerabili episcopo Boleslaus dux Polonorum filialis obsequij deuotionem. Quia in diebus iuuentutis tuæ apud patrem meum decẽtissima te honestate conuersatum memini, & nunc quoque Dominus tecum est, firmans te & benedicens tibi in omnibus uijs tuis. Si tuæ non displicet dignitati, ueteres tecum renouare, animo sedit, amicitias, tuo quoque consilio, similiter & auxilio uti ad Dei gloriam promouendam, ipsius gratia coadiuuante. Nosti enim, ut arbitror, quomodo Pomeranorum cruda barbaries non mea quidem, sed Dei uirtute humiliata, societati Ecclesiæ per Baptismi lauacrum se admitti petiuit. Sed ecce per triennium laboro, quòd nullum episcoporum uel sacerdotum idoneorum, mihiq; coaffiniũ ad hoc opus inducere queo. Vnde quia tua sanctitas ad omne opus bonum prompta & indefessa prædicatur: rogamus pater amantissime, nõ te pigeat, nostro comitante seruitio, pro Dei gloria, tuęque beatitudinis incremento id laboris assumere. Sed & ego tuæ paternitatis deuotus famulus, impensas omnes, socios itineris, linguæ interpretes & coadiutores presbyteros, & quęcũq; necessaria fuerint prębebo: tu tantùm uenire dignare. Historia Bambergensis.

His acceptis literis magno perfusus est gaudio Otto, impetrataq; ab Honorio secundo abeundi licentia, itineri se accinxit, multis clericorum eum comitantibus, anno Salutis 1125. Commeatum uerò Imperatorem subministrasse, Auentinus scribit. Aduenienti Pomeranorũ dux, magna stipatus satellitum cohorte, obuiam processit, multaq; excepit beneuolentia. At Pomeranorum gens effera & crudelis uix ab Ottonis comitibus cruentas reprimebat manus. Verùm hos Otto sanctitate & doctrinæ prędicatione, diuina simul cooperante gratia, subinde magis ac magis non modò mitiores, sed etiam religioni nouæ æquiores reddidit. In castro Pirissa cum sacerdotibus & clericis sibi adiunctis, uiris pijs & doctis, aliquot diebus Christianæ religionis elementa proposuit, & nihil quod ad Barbarorum conuersionem quoquo modo facere uidebatur, prætermisit. Nec fuit eius labor inanis. Nam diebus, quibus ibi commoratus est, ferè uiginti ad septem circiter millia hominum ad Baptismum accesserunt. Inde digressus, Caminũ uenit, ubi inter reliquam plebeculam, quæ Christo cateruatim nomina dabat, & ducis coniunx cum uniuerso Gynecæo erat. Ipse etiam Dux cum suo sodalitio simul imbuitur sacris, & deinceps uigintiquatuor concubinas, quas præter legitimam coniugem alebat, cum rectius ab Ottone edoctus fuisset, dimisit. Ac ut breuiter dicamus, eo loci non tantùm infimam plebem, sed ipsos principes uiros obsequẽtes admodum habuit. Conditum est ibidem templum, cui Otto unum ex suo præfecit sodalitio pastorem. Exactis Camini diebus quinquaginta, conscensaq; nauicula Iulinum contendit. Eò quidem secundis applicuit uentis, sed magnam incolarum expertus est sæuitiam. Ducis enim palatium ingressus ab ijs circumdatur, effractisq; foribus prosternitur, multisq; tunditur uerberibus. Otto autem tacitè sibi congratulatus, quòd & in hoc filij Dei Apostolis fieret cõformis, ab incœpto minimè destitit: sed spiritu mansuetudinis corda adamantina emollire non cessauit. Eos tãdem adeò mites reddidit, ut dici non possit, quãtis lachrymis, quantaq; religione illatam episcopo uim deprecati sint, ipsumq; Numinis ferè loco deinceps uenerati sint. Hac igitur ratione uniuersa ferè Pomeranorum natio in Christi castra, erectis, quod dicitur, signis transijt. Estq; Iulinum cathedralis Ecclesiæ sedes, autore Otthone, designatum. Ex animi tandem sententia istis omnibus, uti diximus, peractis, ad suos pedem retulit Otto, ut in historia Bambergensi memoriæ traditum est. Helmoldus ca. 41. Vrspergẽsis.

Liuonia etiam à Meinardo Segebergensi Canonico fidei rudimẽta percepit. Nam is sæpius per mercatores Saxones & Vandalos, quos religionis propagandæ studiũ tenebat, eò adductus, cum gentem illam à ueri Dei cultu non prorsus abhorrere animaduertisset, Hartuicum Bremensem archiepiscopum, ut sua autoritate cœpto operi sibi insistere liceret, sollicitat: qui non

modò postulatis annuit, uerùm adiunctis ei socijs, ut Episcopalis alicubi sedes designetur, iubet, cui ipse Meinardus primus præsedeat episcopus. Arrisit homini cōsilium, magnoq; conatu rē aggressus, reluctantium corda non tam uerbi prædicatione, quàm muneribus expugnauit, ac Rigę, quę soli fertilitate & nauigationum commoditate maximè insignis habetur, cathedralē totius Liuoniæ Ecclesiam constituit, anno Salutis 1186. Præterea, quò contra externorum incursiones, aliorumq; uiolentiam oculis quotidie obuersantem, se muniret, in insula Dunauiæ fluminis (quæ pòst Kerckholm appellata, & Teutonici ordinis monachorum domicilium facta est) arcem quandam construxit. Verùm Meinardo extincto, pietas simul, quam magno cum labore & periculo hominum mentibus ipse instillarat, simul euanuit. Cum enim Bertholdus Cisterciensis sectæ abbas quidam, Meinardi locum capere iussus esset, armis multoq; milite instructum, quem quidem Celestinus pontifex religionis ergò, larga peccatorum ueniæ promissione donarat, eò uenire oportuit, quo eos officium facere ui quadā cogeret. Sed cum ferociori equo, quo utebatur episcopus, in medium hostium agmen temerè prolapsus esset, miserè cōfossus est: fortè quia Deus noluit episcopos armis episcopatus capere, sed uerbo Dei, doctrina, pietate, orationibus. Anno 1198, ut refert Cranzius lib. 7. cap. 13. Saxoniæ.

DE DEFECTIONE.

ARchonenses, quos paulo antè ad religionem amplectendam ui quadā coactos esse diximus, post Erici regis abitum, nulla obsidum quos dederant, habita ratione, cum religione Antistitem suum iterum eiecerunt, & ad sui idoli, quod saluū sibi relinqui, Regi se dantes pacti fuerant, redière cultum, ut Saxo libro 14. Daniæ historiæ testatur.

Sclauos sæpius religionem mutasse, ex ijs quæ paulo antè diximus patet.

De Prutenorum seu Pomeranorum defectione, quos Ottonem Bambergensem cōuertisse scripsimus, in hunc modum scribit Cromerus, historiæ Polonicæ autor: Vix dum circumacto anno, Prussi in pristinum errorem apertè labuntur, ritus Christianos explodunt, sacerdotes cęterosq; qui constātius Christianam religionem retinebant, eijciunt, templa prophanant. Veriti autem ne extrema quæq; pro his quæ patrarant, paterentur, ad Boleslaum principem legatos mittunt cum donis magni precij, profitentur se in fide eius permanere, cæteraq; omnia eius iussa facturos esse, religionis modò Christianæ necessitatem ut sibi remitteret, multitudinē patrias & auitas religiōes neutiquā uelle aut posse abijcere, & omnia malle perpeti prius, quàm ab inueteratis tempore & consuetudine ritibus ad nouos transire. Leuius quàm par erat Christiano principi, uiolatam & neglectam ab ipsis religionem Boleslaus ferre uisus est, cum ij de fide erga ipsum sua nihil mutarent. Itaq; sic tunc legatos eorum dimisit, ut factum eorum approbasse uideretur, pluris faciens suam quàm Dei maiestatem, siue adeò muneribus delinitus. Libro sexto de rebus Polonorum.

Iuelinus quidam Armenius, uir bello strenuus, & ad quælibet tentanda pronus, abnegata religione Christiana, Turcis terram sanctam affligentibus se adiunxit, nec parum Christianis molestus fuit, sub Balduino quarto rege Hierosolymorum. Tyrius libro 21. capite 21.

CAPVT III.

DE TRANQVILLITATE *& Persecutione Ecclesiæ.*

PAVCA quæ de persecutione hoc loco uerè dicamus, autores suppeditāt. Syncerior enim cœlestis doctrina caligine multa, quā quidē humanæ traditiones & figmēta induxerant, obscurata & quasi sepulta fuit: rarissimi erāt Ecclesiæ doctores, quibus doctrina pura curę fuisset: ac inter mille uix unum reperies episcopū, animarū salutem in amplissimo suo munere seriò spectantem. Reliquum episcoporum, uel ut rectius dicamus, Antichristi sociorū uulgus, seculi sectabatur luxum, delicias, gloriā & dignitates, ac prorsus apud hos iacuit confessio & propagatio doctrinæ uerę, quam quidē ipsi nūquàm didicerant. Multæ quidem pontificū tū Romanæ, tum aliarum Ecclesiarū calamitates à Scriptoribus commemorantur: uerū suæ fortunæ plerunq; illi ipsi sua polypragmosine extitêre fabri. Dum enim politicos gubernatores præter sui officij rationem in suum redigere ius & potestatē magnis laboribus, quo iure quaúe iniuria contenderunt, suæ temeritatis dignas sæpius dedêre pœnas. Eius aūt rei exemplum unū illustre, ut de cæteris nihil hic dicamus, nobis suppeditat Paschalis Romanus pōtifex. Nam cum Romæ in Pontificis uerba Heinricus quintus iam inaugurandus iurare nollet, contentio inter eos oborta est, quæ solennem illam actionem impediuit. Cæsareani igitur milites tam in ciues quā in clerum, qui frequēs tum ex omnib prouincijs Pōtificis iussu cōfluxerat, impetū facientes, multos

multos eorũ sine discrimine trucidarũt, sacrisq; superstites exuerunt uestibus. Quid multis? Ipse põtifex Paschalis cum reliqua cardinalium, cleri, ciuiumque multitudine uinctus abducitur. Helmoldus ca.40. in Sclauorum Chronico. De eadem autem pontificis calamitate Blondus in hunc modum scribit: Libet uerò Pandulfi Lateranẽsis Ecclesiæ hostiarij, qui interfuit, scribendi ordinem uerbaq; imitari. Pontifice capto temperatum est à cardinalium episcoporumque opprobrio. Sed archipresbyteri presbyteriq;, & cætera cleri turba ad unum omnes spoliati, adeò ut nec interior tunica, nec fœmoralia sint relicta. Postera die Romanus populus armis correptis, in ciuitatem Leoninam furore irrupit, illisq; ex Teuthonicis, qui per hospitia sunt inuenti, occisis, pugna in scalis sancti Petri, ad quas regij milites conuenerant, est relata. Nec diu loco certatum est, quòd deturbatis illis atrioq; Teuthonici intra Ecclesiam confugientes, de ea faciliter sunt defensi. Exercituq; regio, qui ad Saxonum ciuitatis Leoninæ portam, in atrijs consederat, ut oppressis in Ecclesia suis subueniret, parante, se Romani in urbem per pontem Traiani rapidum receperunt. Per biduum uerò quod secutum est, Teuthonicis armis retentis, id ciuitatis Leoninæ, quod à basilica in Saxonum portam uinarijs hospitatorijsq; tabernis frequentabatur, ad libitum discurrerũt. Sed quarto ab inde die, quum rescissent Romanos structis in urbe aciebus, ut irrumperent, se parare, illicò ex pontifice, cardinalibus cęterisq; captiuis in castra perductis aufugit. Blõdus decadis 2. li. 4. Nõ igitur uerè ista pontificis castigatio, potest dici persecutio. Sed clerus alijque sacrificuli plebem ad arma contra Imperatorem seu Magistratum sumenda, extimulantes, reuera persecutores immanes & crudeles fuêre, digni pœnis politicis tanquam seditiosi. Verùm nos ijs iam omissis, illa quæ iustiori persecutionis titulo censeri possunt, breuiter recensebimus.

DE TRANQVILLITATE *& persecutione sub Heinrico* IIII.

Anglicæ quidem Ecclesiæ, quæ superiori ætate uarijs iactatæ fuerant calamitatibus, Heinrici primi Anglorum regis pietate pacem recuperarũt. Nam is sub annum Salutis 1101. summa rerum post fratris obitum potitus, Anselmum ab exilio, licet ex proceribus plurimi reclamarent, inter quos primus erat comes de Mellento, tandem reuocauit, ut Malmesburiensis li. 5. cap. 28: & Ranulphus lib. 7. ca. 12. testantur. Vintoniensem episcopatum, cuius uix uestigia supererãt, restituit, eumq; Guilhelmo Giffardo administrandum tradidit. Cœnobia etiam, quæ suis orbata fuerant incolis, monachis iterum repleuit. Attamen pòst de suo erga religionem studio nonnihil remisit. Nam Vintoniensem, quem diximus episcopum, cum ab Eboracensi, regi plus iusto in quibusuis rebus morigero, consecrari detrectaret, omnibus facultatibus exutum multauit exilio. Quin & Anselmum Ecclesiasticæ libertati patrocinantem, multis affecit contumelijs, ut narrat Polydorus lib. 11. Ang. hist. Non tamen Anselmi actiones tam fuerunt iustæ, ut celebrantur à nonnullis: id quod suo loco annotatur.

Daibertum Hierosolymorum patriarchã Balduinus rex, Arnulphi cuiusdam archidiaconi instinctu, adeò afflixit, ut ipse consilij & auxilij inops, suam sedem tandẽ reliquerit, & Antiochiam commigrarit, sub annum Salutis 1103. Tyrius lib. 10. cap. 25.

DE TRANQVILLITATE *& persecutione sub Heinrico* V.

Pater Heinricus Regni consortem acceperat Heinricum filium, eius nominis quintum, uirũ bellicosum & audacem: sed episcoporum impulsu filius parentem, contra ius gentium & Dei legem regno exuit, misereq; affligit. At non fuit diuturna horũ impia confœderatio. Nam occasione reuocationis priuilegij de inuestitura episcoporum Imperatori concessa per Paschalem, & ratione excommunicationis contra Imperatorem parentem in Lateranensi concilio promulgatæ, Episcopi Imperatorem in suam potestatem omnino redigere conati sunt: inde non modò animorũ mutua exacerbatio, sed maximè cruentum enatum est bellum. Hoc mali Imperatori creabat Moguntinus Adelbertus, qui Saxones contra eundem armabat, homo perfidus, ex quo hactenus Imperator totus pependerat, & optimè de ipso meritus fuerat. Ideoq; captus, triennio in carcere pœnas luit. Gelasio etiam Romano pontifice, quòd inscio Imperatore se in cathedram locari passus fuerat, repudiato, Burdinus constituitur pontifex. In Gelasium quoq; secundum Leo ac Cincius Frangepanes, seditiosissimi potentissimiq; per eam tempestatem Romæ ciues, quòd unum ex suis pontificem fieri concupiuerint, prima electionis die manus uiolentas inaudito aliàs furore inijcere ausi sunt. Blondus Decad. secundæ, lib. 4. Cæterùm post multa utrinq; data acceptaque damna, tandem Calixti secũdi, qui Gelasio successerat, studio alma Ecclesiæ pax, quæ multos iam exularat annos, restituta, & in magnum quasi accreuit montem, ut Ot-

Otho Frisingensis lib.7.cap.16.loquitur,unde de ipso pontifice Romæ scriptum est:

Ecce Calixtus bonor patriæ,decus Imperiale,
Burdinum nequam damnat.pacemq; reformat.

Nam excommunicationis fulmine eò usq; adegit Imperatoré,ut omne ius inuestiendi episcopos, de quo hactenus multis prælijs, multoq; sanguine dimicatũ fuerat, restitueret Romanis Papis.

Gallicæ etiam Ecclesiæ haud parũ afflictæ leguntur Ludouici Crassi temporibus. Nam Vualdricum Laudunensem episcopũ ciues. quos à praua temerè iurandi consuetudine,ut apparet,reuocare annisus fuerat,gladio in sacra æde confoderunt,eiusq; demum igni tradiderunt. Hinc auté tantũ enatum est incendium, ut plures Ecclesiæ monasteriaq; in cineres redacta fuerint, anno 1112. Sigebertus & Vincentius lib.27.cap. [illegible] At Ganguinus li.6.& Æmilius li.5. Thomam quendam de Marla, stupendæ immanitatis latronem, Laudunensem clerum ac ipsam urbem multis attriuisse calamitatibus scribunt. Nam S.Ioannis monasterium duobus castellis Creciaco Noningentoq; priuauit,eaq; opere & præsidijs muniuit,ex quibus crebras faciens eruptiones, multa in uicinos proteruè & insolenter gessit.Ipsi uerò episcopo Galtero (sic eum appellant) ab Ecclesia multo cum dedecore abrepto, oculos exculpi,ac tandem uarijs tormentis enectum,uestibusq; exutum proijci iussit, nec sepelire passus est cadauer.Preterea Bellouacensem Ecclesiá,eiq; ministrantes Lancelinus comes, dominij in eos acquirendi cupiditate æstuans, grauiter afflixit. Hugo etiam Puteacensis,Carnotensem uastans agrum, nec ab Ecclesiarum sacris sacerdotibusq; manus abstinuit. Verũ hosce omnes regia autoritate & bellico neruo cõpescuit Ludouicus rex, ut Ganguinus indicat.

Cum Vuilhelmum Pictauensem comité, qui legitima coniuge abiecta,cuidam uicecomiti uxorem abalienauerat, Petrus Pictauorum episcopus liberius argueret, & cum omnia frustrà fierent, publicè iam eum excõmunicare inciperet, ille præcipiti furore percitus criné antistitis inuolat, strictumq; mucronem uibrans,Iá,inquit,morieris, nisi me absolueris. Tum uerò præsul timore simulato,inducias petens loquendi,quod reliquum fuerat excommunicationis fidenter perorauit,comitem à Christianitate suspendens, ut nec cum aliquo conuiuari, nec etiam loqui auderet,nisi maturè resipisceret. Ita officio suo,ut uidebatur sibi,peracto, martyrij quoq; trophęum sitiens collũ protendit, Feri,inquiés feri. At Vuilhelmus se se retrahens inquit, Tantum certè te odi, ut nec meo te digner odio, nec cœlum unquam intrabis meæ manus ministerio. Veruntamen paulo pòst uipereo mulierculæ infectus sibilo, incesti dissuasorem detrusit in exilium,ubi uita excedit. Malmesburiensis lib.5.cap.50.

Hildebertus Cenomanensis episcopus, quem uirum bonum & pium fuisse, plures eius testantur epistolæ, multas tribulationes Romæ, quin & uincula ac carceres pro Christo & eius Ecclesia passus est, ut Supplementum historiarum testatur. Quæ autem fuerint causæ,non adscribitur. Atqui causas illas ex epistolis ipsius sumere licet, quòd uidelicet præposterum pontificię religionis studium improbarit. Nam reprehẽdit comitem quãdam,quòd religionis causa S Iacobum inuisere uelit:& dicit eum rectius facturum, si domui ac suæ regioni bene pręsit:ubiq; uerum Deum rectè coli posse. In alia epistola reprehendit consuetudinem quãdam, ubi intinctus panis dabatur, & ostendit utramq; speciem iuxta institutionem Christi seorsim dandam esse. In alia epistola grauiter admonet Honorium papam,ne quasuis appellationes ex ultramontanis locis admittat, alioqui eum & Episcoporum potestatem omnem annihilaturum, & amplissimam fenestram uitijs aperturum.In alia cõqueritur de exactionibus Romanę curiæ,ac dicit, Omnes calamitates & aduersitates orationibus uinci ac repelli,præter Romanas expilationes. Præterea & hæc de Romanis, in quodã epistolarum Hildeberti uolumine inuenimus,quæ ad uerbum subijcimus. Romani sunt quos timent, & qui timentur. Hi sunt,quos hæc peculiariter prouincia manet, inferre calũnias,deferre personas,afferre minas,auferre substátias.Hi sunt,quorum laudari audis in ocio occupationes, in pace prædas,inter arma fugas, interuina uictorias. Hi sunt, qui causas morantur adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliuiscuntur locupletati. Hi sunt,qui emunt lites,uendunt intercessiones:deputant arbitros,iudicanda dictant,dictata conuellunt: attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos:trahunt addictos,retrahunt transigentes.Hi sunt,quod si petas,& nullo adulante beneficium promittunt,pudet negare,pœnitet præstitisse. Hi sunt,qui negant reuerẽtiam clericis,originé nobilibus,consessum prioribus, congressum æqualibus, cunctis iura.Nullum illis genus hominum,ordinũ, temporũ cordi est.In foro Scythę,in cubiculo uiperę, in cõuiuio scurrę,in exactióibus harpyiæ,in collocutionibus statuæ,in quęstionibus bestiæ, in tractatibus cochleæ, in contractibus trapezitæ. Ad intelligendũ saxei,ad iudicandum lignei, ad succensendũ

flammei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias pardi, ad facetias ursi, ad fallendũ uulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum Minotauri. Spes firmas in rerum motibus habent, dubia tempora certius amát, & ignauia pariter conscientiaq; trepidantes. Cum sint in prętorijs leones, in castris lepores, timent fœdera ne discutiantur, bella ne pugnent. Quorum si nares afflauerit rubiginosi aura marsupij, confestim uidebis & illic & oculos Argi, & manus Briarei, & ingenium Sphyngis. De suis porrò calamitatibus, quas pro Ecclesiastica libertate sustinuit, in epistola queritur. Sicut frequẽs, inquit, tribulationum cõcursus sacris nos inuitat concilijs, sic idem reuocat & abducit. Aduersa etenim, quæ turbam querimoniarum nobis offerũt, ita nostram contriuêre facultatem, ut unicum superesset solatium usus ipse patiẽdi. Ea profectò ante peractum cœpêre triennium, quod totum euolutum cõtinuis lamentis recens uulnus in uulnera quotidie fatigauit. Deniq; tam modico tẽpore sex in urbe sustinuimus consules, quorum nullus pacificum prætendens ingressum, gladijs & igne eam sibi uendicauit potestatem. Plebs coacta in fauorem, tyrannũ suscepit ex necessitate, non ducem ex lege: in susceptum studia simulauit, nõ exhibuit. Fidem reperit in ea quæ superior. Consul uerò tanto grauius dominatus est, quanto breuius. Et quia nõ parcit populis regnum breue, finem rapinis inopia posuit, non uoluntas. Ea clades usq; ad sanctuarium Domini deuagata est, & primò quicquid extra muros nostræ fuerat potestatis, uel euanuit in fauillas, uel dissipatũ est in rapinas. Deinde similibus cecidêre præiudicijs & episcopales domus & Ecclesiæ non paucæ. In reliquis quibus ignis pepercit, æquè periclitata est & facultas pauperum & reuerentia sacrorum. Omnia confracta sunt, omnia direpta, omnia contaminata. Nihil eorum manus euasit, qui gratis ad flagitia discurrunt, ad honestum nec precio. Eisdem clerus iniurijs affectus, summam rerum iudicat affluentiam consolari naturam. Ad necessaria uotum restringit omnibus indigens. Illius angustiæ super dolorem uulnerum nostrorum addiderunt, grauiusq; confundimur, quòd eorum releuare non possumus inopiam, quàm quòd nemo uult nostram. Prętereа longum est enarrare quàm constanti tyrannide rex Anglicus in nos sæuierit, qui temperantia regis abiecta, decreuit non prius Pontifici parcendum, quàm Pontificem compelleret in sacrilegium. Quia etenim turres Ecclesiæ nostræ deijcere noluimus, transmarinis subijciendi iudicijs coacti sumus iniurias pelagi sustinere, singularẽ scilicet molestiam in terris, atq; unicam totius humanæ compaginis dissolutionem. Tantis igitur agitati turbinibus, ad Apostolorũ limina decreuimus proficisci, magnum nouæ tribulationis arbitrati remedium, si Romanus pontifex nobis & consilio subuenerit & auxilio. Suscipite igitur nostrã beneuoli excusationem, diligenter attendentes nostros sumptus itineris expensæ pariterq; concilij sufficere non posse, qui de reliquijs incendiorum tanquam tabulæ de naufragio extracti, defectum nobis in uia pollicẽtur. Et de uinculis quæ patiatur, alia epistola testatur, quam hic quoque subijcere uisum fuit. Omnibus episcopis, presbyteris, atque uniuersis Ecclesiæ filijs Hildebertus Cenomanorum sacerdos, uinctus Christi Iesu, salutem. Feliciter sunt miseri, quos constat non meruisse quæ perferunt. In aduersis siquidem quædam felicitas est, quem reum putas, esse tamen innocentem. Hinc est quòd gloriamur in uinculis, quorum causa nobis est pro solatio, nõ conscientia pro flagello. Gloriamur enim cum Paulo dicẽtes: Gloria nostra hæc est, testimonium consciẽtiæ nostrę. Qualis autem ea sit, uel quæ fuerit nostrorum causa uinculorum, audiant fratres mei, consacerdotes mei, domini & amici mei. Credo tanto deuotius oraturos eos pro me, quantò nouerint in me pati Christum. (Viuit Deus & Dei filius & utriusque Spiritus, quòd non mentiar.) In turre Cenomanensi comes Rotrocus in uinculis tenebatur, ad eum metu mortis trepidum uocatus accessi. Deinde mihi confessus est, domui suæ disposuit, testamentum fecit, Ecclesijs distribuit. Quod ut illibatum permaneret, submissis à me precibus impetrauit, quatenus ego ipse matrẽ eius adirẽ, de testamẽto testimonium perhiberem, inhiberem ne quis illud minuere pręsumeret, ne quis omnino tentaret annullare. Factum est ut comes postulauit. In quo utinam pedem non contulissem. Mater comitis in osculo me suscepit, applausit testamento, gratias agẽs quòd gratia comitis accessissem. Rem taliter factam nec mater nec filius diffitetur. Eadem die initum est aduersus me consilium. In crastinum iniectæ manus in me. Iteratam diceres Christi traditionem. Quinta enim feria in osculo sum susceptus, sexta feria tanquam cum Christo iturus ad crucem, contumeliosè captus sum, & positus in custodia publica. Diuiserunt etiam sibi uestimenta mea, equis iam inter eos distributis qui gratis ad facinus discurrunt, ad honestum nec precio. Hæc ille.

Cameracensi sede Hermanum tertio, successorem uerò Liethardum quarto pontificatus anno exturbatum, Sigeberti Continuator

nuator sub annum 1127 indicat. At causas al to tegit silentio.

Nannetensem quẽdam archidiaconum exulantem solatur Hildebertus, eiq́; suam promittit operam. Verùm exilij causa ibidem non exprimitur.

In S. Honorati insula à barbaris piratis, catholicæ religionis expertibus & infensissimis hostibus, monasterium funditùs euersum, ac monachorum plurimi interfecti sunt, ut testatur Hildebertus in epistola.

Monachos Thabor montem incolentes, Turci opprimunt & trucidant: ipsum uerò cœnobium direptũ Vulcano tradunt, sub annum Salutis 1113. Sigeberti Continuator. Blondus libro quarto decad. secundæ.

Heinricum Monasteriensm episcopum indignis modis à suis ciuibus tractatum, scribit Vrspergensis.

Theodoricus Cicensis episcopus à quodam monasticæ professionis uiro, quem ob uitæ morumque turpitudinem sæpius obiurgarat, ad altare inter precandum cultro perfoditur, ex quo uulnere post triduum expirauit, anno 1123. Vrsperg.

DE TRANQVILLITAte & persecutione sub Lothario Saxone.

SVb Lothario Imperatore mediocris tũ in politia, tum in Ecclesia rerum fuit status. Erat enim is, ut Vrspergensis ait, belli strenuus ductor, in armis præcipuus, prouidus in consilio, terribilis inimicis Dei & sanctæ Ecclesiæ, ueritatis amicus, iusticiæ socius, iniusticiæ inimicus, quo uiuente Romanum imperium titubare non potuit. Romanam etiam Ecclesiam, multis procellis quassatam, pacauit, expulso Petro Leonis, & Innocentio inuitis hostibus restituto. Rogerium quoque Apuliæ regem, Romanam cathedram molestantem compescuit. Idem Lotharij encomium apud Vincentium, Antoninum & Erfordensem extat.

Cæterùm primo Imperatoris eiusdem anno, Carolus Flandriæ comes suorũ optimatum proditione, quibus ob pietatis & iusticiæ zelum exosus erat, Brugis in S. Donatiani ęde dum preces faceret, à sicarijs nefariè occisus est, ut refert Sigeberti Continuator.

Meginherus Treuirensis archiepiscopus cum suorum clericorum libidines & luxũ, pro suo munere, grauius reprehendisset, facilè odium ipsorum incurrit: quod cum tandem erumperet, ipsique pessima in episcopum molirentur, contra eorum contumaciam & præfractam petulantiam, Romani põtificis opem imploratum, Romam adijt: uerùm in itinere proditione suorum clericorum, à Conrado Sueuię duce, quem paulo antè, eo quòd Imperij dignitatem contra Lotharium affectaret, Honorij secundi iussu, sacra communione ipse priuarat, interceptus, Parmis in carceris squalore miserè obijt. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Anno 1130, iuxta Appendicem Mariani Scoti.

Eadem & Arnulphi cuiusdam presbyteri, sacerdotum Baal Romæ carpentis uicis, fortuna fuit, de quo idem Trithemius in hunc modum scribit: His temporibus sub Honorio papa secundo, Romam uenit quidam presbyter Arnolphus, uir magnæ deuotionis, & prædicator egregius: qui cum inter annunciandum uerbum Dei clericorum lasciuiam, libidinẽ, auariciam & nimium fastum reprehenderet, & paupertatem Christi & Apostolorũ eius, integerrimamq́; uitam ad imitationem omnibus proponeret, à Romana quidem nobilitate ut uerus Christi discipulus laudatus est: sed cardinalium & clericorum odio nimium est habitus, à quibus & noctu captus, occultè est interfectus. Hoc suum martyrium antea cum adhuc esset in eremo, diuinitùs sibi fuit reuelatum, cum per angelum ad prædicandum Romam mitteretur. Vnde & publicè dixit: Scio quòd animam meam quæritis, scio quòd me breui iam occidetis. Sed quare? ueritatem uobis dico, fastum, superbiam, auariciam, luxuriam, nimiumque studium quod comparandis diuitijs miseri impenditis, reprehendo, propterea uobis nõ placeo. Ego testem inuoco cœlum & terram, quòd annunciauerim uobis ea, quæ mihi Dominus præcepit: uos autem contemnitis & me & creatorem uestrum, qui uos per unigenitum suum filium redemit. Nec mirum, si hominem me peccatorem, uobis ueritatem annũciantem, morti tradituri estis: cum etiam si sanctus Petrus hodie resurgeret, & uitia uestra, quæ nimis multiplicata sunt, reprehenderet, ei minimè parceretis. Cum hæc alta uoce clamasset, subiunxit: Ego quidem mortem subire pro ueritate non timeo: uobis autem in uerbo Domini prædico, quòd omnipotens Deus non parcet impuritatibus uestris. Vos enim omni spurcitia pleni, plebem uobis commissam præceditis ad infernum. Deus uindex est. Cumque odium cleri propter ueritatem in eum sæuire cœpisset, eorum insidijs captus & submersus est. Martinus Polonus in Chronico, Sabellicus & Platina suspensum affirmãt, tulisseq́; id Honorium papam iniquo animo, sed tamen quęstione abstinuisse. sed fabulæ sunt. Simoneta inquit, Cum licentius quàm par esset, in suggestu strepere consueuisset, clericorum insidijs, quorum lasciuiam, libidinem, pompam, diuitias

rias improbasset, inopinatè Arnulphū Romæ necatum, ariolantes quidam aiunt. libro quinto, capite septimo. Ac uerè hic locum habet illud Bernhardi, quod Hugo cardinalis in Postilla super primum Ioannis citat: Videtur bone Iesu aduersus te coniurasse uniuersitas Christianorum, & illi in tua persecutione primi sunt, qui in Ecclesia tua uidentur primatum tenere.

Stupendam in Christianos Sclauorum crudelitatem Helmoldus prodidit. Nam quosdam ait, cum uiscera carnifices extorserint, palo circumduci, alios crucibus affigi, quod supplicij genus ob redemptionis ludibrium frequentissimum est. Præterea Christianorum sanguine sua numina placare eosdem consueuisse narrat, inter quę quidem primū locum S. Vitus tenuit, cui quotannis hominem Christianum litare soliti sunt. Hos autem Imperator, ut Christo nomina darent, omnino statuerat cogere, nisi mors immatura eum præuenisset. Helmoldus cap. 53. de Sclauis.

Affricana quædam classis per Rogerium Siculum irritata, Syracusam urbem ex improuisò capit, cuius incolæ sine discrimine sexus & ætatis occisi, uel in tristem seruitutem abacti sunt: episcopus cum paucis fugam capessens uix euasit, sub annū Salutis 1128. Tyrius libro decimotertio, capite uigesimosecundo.

Aurelianensem subdecanum & quēdam Thomā Parisiensem persecutorum gladijs, nemine id sceleris uindicāte, cecidisse, queritur Petrus Cluniacensis lib. 3. epistola 17 ad Innocentium papam. Innocentes quidē eos uocat, sed innocentiæ causas non exprimit. Deniq; in quātam ipse, cū alijs multis ex concilio Romano discedentibus, in episcopatu Lunensi inciderit calamitatem, multis uerbis & lachrymis exponit eidem pontifici, eiusque subsidium in tantis rerum angustijs implorat. Regressi, inquit, ab uberibus uocantis Ecclesiæ, à concilio pietatis uestræ, ut grex Dominicus simpliciter ambulans, luporum morsus incurrimus, & nostris seculis insolita rabie dispersi, captiuati, uulnerati, & rebus omnibus penè expoliati sumus. Aderat in comitatu nostro non ignobilis neque ultima pars Ecclesiæ Dei, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum legio, monachorum non paruus numerus: archidiaconorum, nobilium, clericorum & religiosarum personarum populus. Horribile spectaculum, tantas tamque necessarias Ecclesiæ Dei personas uidere distrahi, dissipari, uulnerari, atque gladijs insequentibus ubi ubi per diuersa fugari. Episcoporum atque abbatum plurimi ad proxima castra uiolenter abducti, & quidam eorum post uerbera & uulnera barbarica immanitate incarcerati sunt. Inter quos dominus Remensis, cui nec ætas nec dignitas adesse potuerunt, post multas iniurias & uulnera turri conclusus tenetur. Dominus Petragoricensis similia expertus est. Sed quid ego de singulis quasi solis loquor, cum Bituricensis & Senonensis, suis penè omnibus amissis, uix ad pontem Tremulum tremuli & anheli peruenerint: & ibi cum Ebredunensi, Trecensi ictu hastæ de equo deiecto, & inde grauiter infirmato, cum Lemouicensi, Atrebatensi, Belicensi, Redonensi, atq; alijs episcopis, abbatibus etiam Lemouicensi, Vuizeliacensi, S. Michaelis de clusa, S. Germani Parisiensis, Corbiensi, Nouiomensi, Burguliensi, S. Sulpitij, S. Remigij, Crassensi, S. Ioannis de prato, de monasterio Hender, Melundensi, Salmurensi, & alijs quamplurimis secundo carcere inclusi teneantur? Refertus est Burgus ille & constipatus multitudine sanctorum, quę uelut Hierusalem obsessa à Babylonijs, pedem ultrà protendere non audet. Nulli tutus ingressus, omnibus negatur egressus. Nec multa spes in aliquo, nisi in illo qui educit uinctum de domo carceris, & in uobis sanctissime pater, qui eius uices in terra geritis. Et paulo pòst: De meis iniurijs plura dicere supersedeo, qui dū cū domino Vizeliacensi abbate, armatis hostibus pro pace sociorum obuius occurrissem, primo impetu mula nostra ictu lanceę confossa, in partem cedere coacta est. Fratres nostri fugati, famuli capti, res penè omnes ablatæ. Ego ad proximam uillam me cōferens, tamdiu delitui, donec conductu hospitis nostri ad pōtem Tremulum, quò alij præcesserant, uespertinis horis & ipse perueni. Lib. 3. epistola 27.

DE TRANQVILLITATE *& persecutione sub Conrado* III.

ET huius Imperatoris ætate Ecclesiarum præsules non modò quietè uixerunt, sed ipse quoque pro suo munere Ecclesię patrocinium suscepit. Nam cum Bernhardi maxima apud omnes tam summos quàm infimos uiros autoritas esset, eius hortatu sacra induit arma. Alijs tamen in locis Ecclesia omnis mali expers non fuit. Nā cum Stephanum Angliæ regem pœniteret, quòd concessisset, ut unicuique liceret arces condere, & multi diuersis in locis iam ędificassent, omnes apud eum in suspicionē uenēre, inter quos in primis fuerunt Rogerius Sarisberiensis, & Alexander eius nepos ex fratre Lincolniensis episcopi, ambo multæ autoritatis & potentiæ. Rogerius binas arces munitissimas extruxerat, Alexander unam

der unam posuerat. Itaq; misso utroq; antistite in carcerē, & Nigello Elyensi episcopo in exilium acto, ea omnia loca occupauit, ubi thesauros Rogerij ad quadraginta millia marcarum reperit. Polydorus Verg. lib. 12 historiæ Ang.

Caloioannes Constantinopolitanæ urbis Imperator, cum frustra Syriam, Gabulēsi episcopo firmiter resistente, armis tentasset, in miseros eremitas Syrios ex cauernis suis extractos omnem effundit bilē, quos magna immanitate trucidat, sub annum 1143. ut refert Frisingensis libro septimo, capite uigesimooctauo.

Capta etiam Edissa Mesopotamiæ urbe ab Alaph (Otto Frisingensis Sanguinum uocat) Turcorum principe, omnes Christiani, quotquot fidem abiurare noluerūt, cum episcopo miserè mactati sunt. Mulieres etiam & matronæ, præsertim nobiliores, in Christianæ religionis ludibrium, sacris impositæ aris uiolatæ, pòst interfectæ sunt, ut Bonfinius libro sexto decadis secundæ rerum Vngaricarum, & Syluius in Blondi Decades libro quinto annotant. Accidēre hæc anno Salutis 1140. iuxta Bergomēsem. Paulus Constantinus Phrygio annū habet 1143. Sigeberti Continuator & Frisingensis libro septimo, capite 30 annum 1145, ipsumque diem Christo natalem. At Tyrius belli sacri scriptor testatur, expugnata urbe, ab hoste irruente quosuis obuios prostratos fuisse, populoq; ad arces, quę in urbe erant, agminatim saluti scausa confluente, non exiguā multitudinem ex compressione occubuisse, inter quos & Hugo episcopus fuerit cū quibusdam suis clericis. Libro decimosexto, capite quinto.

Clizastlanes quoq; Sultanus eadem ferè tempestate magnam Christianorum multitudinem Laodicea Phrygiæ pecudū more abegit, multos etiam occidit: inter quos & Salomon pontifex fuit, ut habent annales Nicetæ Choniatæ sub imperio Manuelis Comneni.

DE TRANQVILLITATE *& persecutione sub Friderico Barbarossa.*

SVccessit Conrado patruo in Romani Imperij administratiōe Fridericus, princeps manu ingenioque strenuus. Animi & corporis uirtutes ipsi inerant plurimę, ęqui iustique obseruantissimus, pacisq; studiosus erat. Exinde magnam plerique spem conficiendæ tum in Germania tum Italia pacis concipiebant. Inoleuerant enim tunc pontificiæ cum Imperatoribus contentiones, cum pontifices Imperatoriam maiestatem, quam ex suo suffragio pendēre uolebant, contemptui penè haberent: nec Romani Imperij principes ambitionem sacrificulorum istorum præposteram æquo animo diutius ferre possent. Hinc perpetui certaminis semina nata sunt, sæpiusq; aduersus rebelles Italos arma sumpsit Imperator. Sed cum non religionis causa, sed seditionis gratia eosdem oppugnarit, longiori narratione hoc loco supersedēdum censemus.

Et quantis calamitatibus, quarum quidē ipsi pręsules nō postrema fuerunt causa, Ecclesia prematur, queritur Potho Prumiēsis presbyter, his uerbis: Ecce nostris, proh dolo, temporibus, peccatis exigentibus, nec interiora domus quieta, nec exteriora sunt pacata. Exteriora domus bellorum tempestate quatiuntur, & interiora optatæ quietis solatio destituuntur. Nos sumus qui in interioribus domus spiritualibus studijs uacare debemus, qui in abscondito domus Dei abscondi cupimus à conturbatione hominum. Cæterùm quoties foris pugnæ perstrepunt, toties intus timores & sollicitudines nos inquietant. In his periculosis temporibus huiusmodi præcipuè incommoda uigent, quando orta inter principes discordia, surgente bellorum procella, statum quietis suæ domus Dei amittit. Quocirca seditionem ac discordiam, rem utique perniciosissimam, indies excrescere uidemus. Hinc est quòd non solùm exteriora domus Dei in secularibus conturbata & commota sunt: uerùm illi qui in interioribus domus sub silentio & quiete uitam ducunt, & spiritualibus uacant exercitijs, adeò statum mentis immutarunt, ut penè omnis sapientia eorum deuorata sit. Vnde aurum sapientiæ, quo facies Ecclesiæ ornatur, obscuratum est: & sacræ religionis color optimus, quo pictura domus Dei decorabatur, mutatus est. Ipsi etiam lapides sanctuarij dispersi sunt in capite omnium platearum: quia nimirum Ecclesiasticæ personæ, quæ ministerio domus Dei funguntur, fusi sunt exterius, & per latam huius mūdi uiam terrenis dediti oblectamentis dispergūtur. Quid ergo mirum, si exteriora domus huius in secularibus personis à se inuicem discordent, cum & hi qui intus sunt, per discordiam se diuidant, & pacem cum Deo non habeant? Spiritualibus namque secularia fulciuntur, & ab interioribus domus exteriora reguntur. Libro primo de statu domus Dei. Ad alia nunc accedimus.

Eo tēpore, quo Romæ Fridericus à Pōtifice corona redimitus est, quidā in urbe Romana (hominis conditio nusquā exprimitur) asseruit, regnū sacerdotio præferendū. Ob id dictum à pontificijs Gnathonibus comprehensus, papali iudicio mox sistitur,

igni que adiudicatur patrum sententia. Cineres collecti hinc inde in mille loca dispersi sunt. Chronicon Cosmidromij.

Antiocheni patriarchæ insignem iniuriam, leuissima quadam de causa ipsi illatam, commemorat Tyrius. Nupserat Constantia Raimundi Antiocheni principis uidua, gregario cuidam militi Rainaldo de Castellione, spretis, qui ipsius ambierant nuptias, uiris illustribus non paucis. Quod factum cum patriarchæ, penes quem uiduitatis tempore gubernatio steterat, minus probaretur, liberius de persona actionibusque publicè ac priuatim interdum loquebatur. Petulanti præsulis lingua commotus Rainaldus, uiolentas manus ei iniecit, & captum illum carceri inclusit, cum prius caluicie eius melle peruncta, æstiuo tempore per integrum diem, sole feruentissimo existente, sub dio eum sedere coëgisset, nemine uel contra æstum uel muscarum molestias quicquam subsidij præstante. Intercedente tamen Hierosolymorum rege, carcere exēptus in pristinum dignitatis locum restitutus est: quo sponte relicto, Hierosolymam se contulit. Accidêre hæc sub annum 1158. Libro decimooctauo, capite primo de sacro bello. Porrò idem princeps maleuolorum consilio, quos alebat frequentes, eosque ipse maleuolus magnifaciebat, Cyprum insulam Christianis refertam uiolenter occupauit, urbes oppidaque solo æquauit, utriusque sexus monasteria confregit, ingentemque auri uim inde abstulit. Nauclerus generat.39.

Boamundus Rainaldi priuignus, Antiochiæ principatu potitus, Sibyllam quandam, repudiata Theodora coniuge, uxorē ducit. Ob quod delictum Ecclesiastico feritur anathemate: ac cum pertinax esset, omnia, præter paruulorum baptisma, sacra cessarunt toto principatu ministeria. Tantam seueritatem indignius ferēs princeps, furijsque extimulatus, in patriarcham, episcopos reliquos ac prælatos sæuit, uiolentas etiam manus ijsdem injiciens, nec à sacris rebus, templis ac monasterijs abstinet, bona facultatesque diripit. Ipsum patriarcham cum clero in quodam Ecclesiæ municipio obsidet, satisq; hostiliter oppugnat. Iussu autem Balduini regis Hierosolymorū, Heraclius patriarcha, Ecclesiasticis & politicis uiris prudētibus eū comitantibus, inter quos & Tripolitanus erat comes, ad placandū principē abit. Horum quidem intercessione pax aliqua Ecclesiasticis uiris tū restituitur: uerùm legatis digressis, ad ingenium redijt princeps, ac in ipsos politicos etiam sæuit, quorum plures nō modò aulæ suæ consortio, sed & tota regione excludit, anno 1181, uel circiter. Tyrius lib.22. ca.6.7.

Saladinus castro de uado Iacob, ui & bellicis machinis expugnato, quoscunque ibi reperit templi milites, ferris medios dissecuit, inferioris ordinis sacerdotes capitis damnauit. Reliquæ uerò Christianorum plebeculæ uitam promisit, si nepotem suum, quem bello captum in uinculis tenebant, restituerent. Sigeberti Continuator sub annum 1180.

Alexio Porphyrogenito impubere Cōstātinopoli imperante, Alexius Sebastocrator matris Imperatoris fretus gratia, summā rerum sibi uendicabat. eius conatibus cum Theodosius patriarcha aduersaretur, malū sibi creauit. Nam Sebastocrator primarios sacerdotes plurimos auro & conuiuijs sibi deuincit, deinde de absente patriarcha iudicium ferri iubet, quòd Cæsarissæ contra Imperatorem (Sebastocratorem intellige: id enim nominis homo fastuosus sibi usurpabat) seditiosæ fauerit, & è tēplo quasi arce quadā tumultus occasionem impudenter & temerè dederit. E' sacro itaq; palatio pulsum patriarcham, in Pantepopti relegat monasterium, plurimis uijs antè tentatis, & uarijs rationibus excogitatis, improbissimorum senatorum & sacerdotum consilijs usus, ut id facinus honesta aliqua specie fucaret: sed quicquid contra ipsum in mediū proferebatur, firmum non fuit. Præterea Cæsarissa Alexij Porphyrogeniti Imperatoris soror, sed nō uterina, omnesq; ferè eiusdem consanguinei patriarcham uenerabātur, & manibus pedibusq; Sebastocratori conatibus adeò repugnabant, ut & ipse tandem restitutionē eius comprobare cogeretur. Cæterū die reditus instante, omnes magistratus, omnes sacerdotes honestatis amātes, & tota urbis multitudo, cōcursu ad monasteriū facto, progressionem splendidissimam effecerunt: uici unguentis delibuti, suffitus ex lignis Indicis & aromatibus facti, tanta multitudine comitante, ut uesperi demum in magnū Sophiæ templum perueniret, cū quidem primo diluculo monasterium egressus esset. Sacerdotes uerò qui ei dignitatem abrogarant, ita facti puduit, ut nō modò publicas uias declinarent ob admissum facinus, sed mortē etiam optarent. Nicetas sub Alexio Cōneno Porphyrogenito.

Lopadij episcopum Andronicus Imperator, eo quòd sui gregis motū quendā cōtra ipsum nō castigasset, oculis priuat. Et Disypatum Georgium magni templi lectorem, eo quòd de Imperatoris sæuitia liberius questus esset, in carcerem conijcit, subinde in animo habens, uerubus transfixum, & pinguem hominē instar porcelli super carbones

bones assatum, uxori eius mittere: ac sanè fecisset, nisi Leo socer eius tyranni furorem autoritate sua repressisset. Nicetas lib. 2. de gestis Andronici.

Thessalonicensi urbe à Vuilhelmo Siculo uastata, ipsi sacerdotes à calamitate publica immunes fuisse credibile nõ est: cum quidem hostes sacra prophanis miscerent, templa arasq́ue multo hominum trucidatorum sanguine fœdarent, cantantes sacerdotes alieno clamore, meretricijs canticis caninisque latratibus turbarent. Ibidem.

Ioannes Romanæ ecclesiæ cardinalis, ab Alexandro papa Constantinopolim, petente id Manuele Imperatore, missus, ut Græcorum Ecclesiam Romanæ uniret atque subijceret, à Græcis occisus est: alligatumque cadauer cani, cuius cauda ori Cardinalis inserta erat, per uicos ciuitatis magna immanitate pertractum, tandem igni traditur. Sigeberti Continuator, sub annum 1182. Cuspinianus de Imperatoribus ab Andronico, Manuelis odio, hanc cędem perpetratam scribit.

Apud Francos Ecclesiarum calamitates plerunq; ex bonis, quæ possederunt, enatæ leguntur. Iis enim politici inhiantes, nihil non in Ecclesiasticorum detrimentũ moliti sunt. Sic Claremontensis princeps, eiusq; nepos Podiensis comes Guillermus, & alter de Polinato comes, quibus ex rapto uiuere uolupe erat, passim Ecclesias prædati sunt. Eos uerò Ludouicus captos fidem dare coegit, nunquam se Ecclesijs ullis molestos fore. Non multo pòst Guilhelmus Cabillonensis comes illis truculentior & rapacior, Cluniacensem agrum armis infestat: collectaq; latrunculorum manu, quos Brabantianos uocant, monasterium illud amplissimum diripere contendit. Hisce cũ monachorum cœtus sacris ornatus uestibus, cum sanctorum reliquijs & crucibus, inermi eos comitante plebecula, supplicandi gratia obuiam procederet, ipsi latrunculi omni humanitate deposita, leonum more, in ipsos strictis irruentes gladijs, ad quingentos ibidem mactarunt. Annonius libro 5. cap. 56. de gestis Francorum. Ganguinus lib. 6. Præterea Niuernensis comes seditiosos Veselai ciues in abbatem Pinconem, sub cuius erant iurisdictione, concitauit, qui diuturna obsidione cœnobitas presserunt. Sed rege obsessis suppetias ferente, ab armis discesserunt oppugnatores: & numeratis septuaginta solidorum millibus, in gratiam recepti sunt. Ganguinus ibidem.

Philippo etiam, qui post Ludouicum regnum apud Gallos administrauit, cũ eiusmodi prædonibus plurimum fuit negotij. Nam Ebem Charetonium, qui inter illos turiges prædonum facilè princeps censebatur, in Dei seruos grassantem edomuit. Compescuit præterea Imbertum de Belloico, & Cabilonensium comitem, qui prædas ex sacris locis agẽtes, uiros religiosos magnis uexabant incommodis. Ibidem.

Apud Anglos Thomæ Cantuariẽsis martyrium multis decantatur uerbis. Nam cum ille Heinricum secundum Anglorum regem reprehendisset, quia ineptissimos quosq; sacerdotes episcopali dignitate donaret: seu, ut Ioannes Maior lib. 3. de gestis Scotorum inquit, quia Ecclesiasticos uiros iudicio seculari subijcere laboraret, in exilium eiectus est. Voluisse Thomam sacerdotium à ciuilibus legibus uindicare, illibatasq; seruare sanctiones pontificias, etiam Erfordensis indicat. Addit præterea Vincẽtius lib. 29. cap. 25, quòd omnes, quotquot Thomæ cognatione iuncti inueniri potuerunt, Rex omnib. bonis exutos regno suo eijci iusserit, nulla uel senum uel puerorũ, denique etiam non grauidarum & lactantium mulierum habita ratione. Dum igitur in exilio uagatur Thomas, Rex maiorem natu filium regem post se designat, eiq; Rogerius Eboracensis coronam imponit: id quod Cantuariensis archiepiscopi munus erat. De ea autem iniuria Thomas ille arrogans & inquietus apud Alexandrum Romanum conquestus, contra Rogerium, Gilbertum Londinensem & Ioscelinum Sarisberiensem episcopos pontificium extorquet anathema. Ea autem res suprà quàm dici potest, apud Heinricum inuidiam in Thomam iam exulem auxit. Cæterùm Ludouico Francorum rege & Alexandro Romano pontifice intercedentibus, ab exilio reuocatus, regiq; conciliatus, pristinum dignitatis locum recipit, promittente simul rege, se ei de illatis iniurijs satisfacturum. Post annum itaq; septimum, quàm in exilium actus fuerat Thomas, ex Gallijs in patriam reuersus, summo quidem bonorum gaudio excipitur: sed à maleuolis, quos inter primus erat Rogerius Eboracensis, cui sacris interdictum fuerat, probris afficitur. Tandem pertractis aliquot in suam sententiam episcopis, Rogerius in Normanniam ad regem abit, ac Thomam denuò defert, accusat & criminatur, quòd sacerdotij libertatem, quòd ius humanum pariter atq; diuinum, quòd instituta maiorum euertere, corrumpere, delere deniq; conetur, qui sibi tantum sumat, ut uelit episcopos suo arbitratu Christianorum cœtu excludere, exclusosq; perpetuò exterminare, item regiæ pręrogatiuæ derogare, ac cunctis ius ciuium tollere. Hæc & alia eiusmodi ita re-

gem Heinricum mouerunt, ut ira uehementer accensus, aliquando exclamarit: Me miserum, non possum in meo regno pacem cũ uno sacerdote habere? Nec quisquam meorum omnium est, qui me hac molestia liberare uelit? Ex huiusmodi uocibus fuerunt improbi nonnulli, quibus uisa est occulta uoluntas regis esse, ut Thomas è medio tolleretur. Eam igitur ob causam uelut hostis regis habitus, iam tum cœpit sic uulgò contemni, ac in odio esse, ut cum uenisset aliquando Strodum (qui uicus situs est ad Medueiam flumen) eius loci accolæ cupidi bonum patrem iam despectum ignominia aliqua afficiendi, caudam equi cui insidebat, amputarent. Nonnulli præterea satellites, gratum se regi facturos officium, si Thomã quamprimùm trucident, arbitrãtes, statim Cantuariam proficiscuntur: impetuq; in ipsum uespertinis precibus occupatum facto, quinq; uulneribus, ut Ganguinus annotat, conficiunt, eiusq; bona impunè diripiunt, anno 1171. Polydorus Vergilius lib. 13 Anglicæ historiæ. Iohannes Maior, annũ habet 1172.

Anno Domini 1179. puerum quendam apud Vualdeschoch martyrizatum, Matthęus Parisiensis annotat.

Infelicia fuisse hæc tempora sacerdotibus, in Hirsaugiẽsi Chronico etiam Trithemius queritur, ut qui ablata bona uel magno ære à principibus redimere, aut iniurias patiẽter tolerare coacti fuerint. Ea autem calamitas maximè Conradum Vuormaciẽsem episcopum pressit, cuius ditionem Conradus comes Palatinus Rheni armis infestam reddidit.

Testatur & Helmoldus in Sclauorũ Chronico, se cum Geroldo Aldenburgensi episcopo apud Sclauos gentiles compedes & diuersa tormentorum genera uidisse, quæ Christicolis de Dania aduectis illata sint. Aspeximus præterea, inquit, sacerdotes Domini captiuitatis diutina detẽtione macẽratos, quibus nec ui nec prece subueniri poterat. Cap. 84.

Lis fuerat Vernero Plocensi apud Polonios episcopo cum Bolesta quodã, uiro prępotenti & feroci, de Carsco pago, quem hic Ecclesiæ ademerat. In ius autem ab episcopo uocatus Bolesta, causa excidit. Ira itaque excandescens, Prutenos quosdam sicarios cum fratre Benasso ad uillam Biscupice, ubi episcopus commorabatur, mittit: qui noctu effractis foribus ipsum securè dormientem cum fratre Benedicto, Benedictinę professionis monacho, trucidant. Cromerus libro 6 de rebus Polonorum.

DE TRANQVILLITATE ET *persecutione sub Heinrico sexto.*

Simultas quædam inter Richardum Anglum & Philippum Franciæ regem, in Syria pro sacra terra bella gerentes, exorta fuerat. Richardus itaque domum reuersus in Turonensem clerum sæuire cœpit, exactis è templo sacerdotibus, eorumq; direptis bonis. Ad eam igitur iniuriam ulciscendam Philippus rex omnium ferè Ecclesiarum bona, quæ in principatu Richardi erant, uicissim diripuit, suisq; sedibus sacrificulos exturbauit. Nec ab his quæ suæ ditionis erant, manus continuit: sed uectigalibus & crebris exactionibus eosdem pressit, dictitans, grandi sibi opus esse pecunia ob terræ sanctæ liberationem, quæ in milites eroganda sit. Sic peccãti semper in prõptu est ratio, qua suo patrocinetur errori. Ganguinus lib. 6. de Francis.

Mense Iulio anni 1198, Parisios reduxisse Iudęos, Ecclesiasque grauiter ibi afflixisse Philippum regem, Antoninus tit. 17. cap. 9 testatur.

Cum Philippo Francorum regi sacris interdictum esset, quòd præter legitimam cõiugem, Mariam quãdam uxorem duxisset, ipse iratus multos episcopos sedibus suis expulit. Chronicon Flandrię sub anno 1199.

Basilium Camaterum Constantinopolitanum patriarchã Isaacius Angelus, cuius tamen opera in Imperio nanciscẽdo maximè usus fuerat, loco mouet, hoc prætextu, quòd mulieres, ab Andronico in monasteria detrusas, ad pristinam uitæ rationem & habitum redire permisisset. Et Nicetam Mũdanum, quem Basilio substituerat, aliquanto pòst idem eiecit, senium, delirium & leuitatẽ causatus. Cui quidem Leontium quẽdam, noctu à Dei genetrice, ut ipse asseuerabat, sibi monstratum, surrogat, quẽ itidẽ antequam annus elaberetur, deijcit. Nicetas lib. 2. de gestis Isaacij Angeli.

Bertholdus secundus Liuoniensium episcopus, cum armis religionem suos edocere pręter uocationẽ contẽderet, miserè trucidatur ab infidelibus, anno 1198. Cranzius lib. 7. cap. 13 Saxoniæ.

DE POENIS PERSECVTORVM.

Ludouicus Francorũ rex, expugnata arce Noningento, quã Thomas de Marla tenebat, magna seueritate in Laudunenses ciues, qui episcopũ suum occiderãt, animaduertisse scribitur à Sigeberto. Nam ut Ganguinus annotat, cũctos præsidiarios milites, qui Thomæ in uastandis Ecclesijs, earumq; ministris affligendis auxilium tulerant, furcis appendit. Ipse Thomas, Æmilio teste, à Viromanduo, qui regi militabat, occisus est. Lib. 5.

Cum

Cum eidem regi Ludouici filij tristis casus nunciaretur (nam inter crura lasciuientis equi cum domesticus sus incurrisset, equus ferociter cæspitans, iuuenem humi prosternit: quo lapsu nocte quæ mox insecuta est, expirauit) Bernhardi Clareuallensis sermonem in mētē sibi reuocat. Is enim cum regem cleri bonis manus inijcientem frustrà reprehēdisset, tandem subiecit: Hęc tua, ô Rex, pertinacia, filij interitu mulctabitur. Ibidem.

Cluniacensium monachorum cæsores, quoscunq; Ludouicus rex nancisci potuit, furcis suspendit. Ipsum uerò Guilhelmū comitē malorum facē, omni sua ditione exutum perpetuò damnauit exilio. Annonius lib. 5. cap. 56. de gestis Francorum.

Philippus Francorum rex, cum post reductos in patriam Iudæos, Ecclesias duriter affligere cœpisset, infelicissimum cōtra Anglū bellum gessit. Nam plura eius oppida hic expugnat, ac terrā circumquaq; longè lateq; uastat, multaq; pręda tandem onustus, Philippo frustra in armis existente, discedit. Vincentius lib. 29. cap. 60. Antoninus tit. 17. cap. 9. §. 30.

Interfectorū Thomę Cantuariensis, quidam digitos dentibus sibi pręmordentes; alij fame diffluentes, quidam paralysi dissoluti, miserè uitā tandē finierunt. Schedelius ętate 6. Et Antoninus ex Iacobo de Voragine refert, quosdā etiā mēte captos fuisse. tit. 13.

Et Caroli Flādrensis cæsores diuino iudicio ad pœnas rapti ferūtur. Ipsi enim ꝓditores aut securi ꝑcussi, aut in crucē acti, aut ex pręcipitio deiecti, aut duello uicti, paucissimi exilio mulctati sunt. Sig. Cont.

Omni Bolestę prouincię, cuius iussu Vernerus interemptus fuerat, sacris interdixit Petrus Gnesnensis pręsul. Princeps uerò Polonorum, Boleslaus Crispus, ipsum cōprehendi, & in foro Gnesnensi extructo rogo uiuum cremari iussit. At Benassus, cuius manu perpetrata fuerat cædes, nusquā postea comparuit: creditumq; est, eum terræ hiatu absorptum, meritum episcopo supplicium expendisse. Cromerus lib. 6.

Alexius quidam, qui Manuelis filium se profitebatur, regnumq; affectabat, cum post largiorem compotationē dormiret, à quodam sacerdote suo ipsius gladio iugulatur. Eius caput Sebastocrator contēplatus, & flauis crinibus equestri flagello discussis, Nō omnino sine causa, inquit, urbes hūc hominē secutę sunt. Ac is quidē suorū scelerū has pœnas dedit, tum quòd Persas cōtra Romanos incitauit, & ex his ipsis quotquot ad eū confluxerāt, populariū suorū sanguine contaminauit: tū quòd homo detestādus Chonis celebre tēplū Michaelis archiducis cœlestiū copiarum uiolauit, Persis in sanctissimum Dei tabernaculū introductis: nec spectare dubitauit pernicies humani generis, Christi & Sanctorū imagines calculis uarij coloris expressas aboleri, & sacros postes securibus & celtibus reuelli, & sacrosanctam mensam profanari, & in terrā abijci. Annales Nicetę de imperio Isaaci Angeli, lib. 3.

Rainaldum Antiochenum principem nō multò post Cyprū direptā, à Turcis, cū infeliciter contra eosdem pugnasset, in captiuitatem maxima ignominia abductum, scribit Nauclerus generatione 39. annum circiter 1160.

CAPVT IIII.

DE DOCTRINA.

Confessionem de Deo, Petrus Alphonsus in præfatione sui libri recitat, quā quidem ante baptismū exposuit: Credēdū, inquit, quòd unus sit Deus in personarum trinitate, quæ nec ullo se præcedūt tēpore, nec aliqua à se segregātur diuisione, quas Christiani Patrē & Filiū & Spiritū sanctum nomināt: & quòd B. Maria de Spiritu sancto cōcipiens, sine uirili commixtione Christū peperit, corpus generans animatū, quod incōprehēsibilis Deitatis esset habitaculū. Vnus itaq; tribus Christus perfectus substantijs, corpore scilicet, anima, & Deitate, idē & Deus & homo est: & quòd eum Iudæi crucifixerunt, sua dispositione & uoluntate, ut sicut erat creator, fieret & redemptor totius sanctæ Ecclesiæ, fidelium scilicet præcedētium & sequentiū: mortuusq; corpore, & sepultus, & tertia die resurrexit à mortuis: ascendit etiam in cœlum, & ibi simul est cum patre, uenturus in die iudicij iudicare uiuos & mortuos, sicut prophetę locuti sunt, & futurū pędixerūt.

Symbolū Honorij in speculo Ecclesię, sermone de Natiuit. tale extat: Credo in Deū patrē omnipotentē, creatorem cœli & terrę & totius creaturæ. Et credo in eius unigenitum filium, dominū nostrum Iesum Christum. Et credo in Spiritū sanctum. Credo ꝙ istæ tres personæ, pater & filius & Spiritus sanctus una uera deitas est, quæ semper fuit sine initio, & semper erit sine fine. Credo quòd idem Dei filius conceptus est de Spiritu sancto, & natus est de S. Maria ꝑpetua uirgine. Credo quòd propter nostrā salutē captus est, ligatus est, irrisus est, flagellatus est, crucifixus est. Mortuus est in humanitate, nō in deitate. Credo qđ sepultus est. Credo ꝙ ad infernū iuit, & inde sumpsit q suā uoluntatē fecerāt. Credo ꝙ tertia die resurrexit à mortuis, & post resurrectionē comedit

dit & bibit cũ suis discipulis ad probãdam uerã suã resurrectionẽ. Et postea in quadragesimo die sursum ad cœlos iuit, suis discipulis inspicientibus. Et ibi sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, ei coæternus & compotentialis. Credo quòd adhuc inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos, unumquemque secundum opera sua, & secundum ipsius misericordiam. Credo sanctam Ecclesiam catholicam & Apostolicam. Credo communionem sanctorum. Credo remissionem omnium peccatorum, de quibus pœnitentiam egi, & confessionem feci, & ultrà nõ iteraui. Credo quòd isto eodemque corpore, in quo hodie appareo, mori debeo, resurgere debeo. Deo rationem reddere debeo de omnibus quę unquam feci, siue bona siue mala. Et ibi retributionem accipiam, secundum hoc quod in ultimis inuentus fuero. Et credo etiam uitam æternam. Amen.

Summam doctrinæ Christianæ Petrus Blesensis ad Soldanum scribit: Igitur piè credas, & fideliter teneas, quòd unus est Deus: sic tamen ut in assignatione Deitatis sit unitas in substantia, & trinitas in personis. Est enim Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Est autem discretio in personis, ut nec pater sit filius, nec filius sit Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus sit pater, aut filius. Res equidem difficilis est, intellectum & aciem humanæ rationis transcendit. Sed tanto elegantius habet fides meritum, quanto est difficilior ad credendum. Porrò licet nihil inuenire possumus, quod expressam habeat unitatem, quæ in Deo est, & summæ trinitatis imaginem, nec uerba inueniantur quibus possumus de illa summa essentia dignè loqui: quod possumus, facimus, & quasi balbutientes per uerba rebus accommodata transitorijs, rem tibi ineffabilem aperimus. Paulus apostolus dicit, Quia inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque uirtus eius & diuinitas. Vide ergo mentem hominis corpusque solare, considera, & uidebis qualitercũque licet tenuerit, & quasi oculo conniuenti quandam similitudinẽ trinitatis agnosce. Est in mẽte hominis intelligentia, memoria & uoluntas. Mentẽ aũt uocamus memoriã, mentẽ dicimus intelligẽtiã, mentẽ dicimus uolũtatẽ. Memoria, intelligentia & uoluntas sunt una mẽs. Sed nec memoria est intelligẽtia uel uoluntas. In eodem corpore solis radium uideo, sentio calorem, & agnosco splendorem. Hæc tria unius sunt essentiæ, nullum tamen illorum est alterum. Sic in illa ineffabili & incircumscriptibili deitatis gloria est filius à patre, & Spiritus sanctus ab utroque. Cum pater & filius & Spiritus sanctus eiusdem substantiæ, eiusdem potentię & gloriæ sunt, non sunt tamen tres Dij: sed in tribus personis est una substantia, & unius potentiæ, & in una substantia tres personæ. Hæc fidei nostræ professio non tantùm à Christo & eius sequacibus traxit exordium, sed à Mose & patriarchis atq; prophetis suum habuit fundamentum. In libro Mosi diuinæ essentiæ unitas declaratur, ubi dicitur: Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est. Et iterum: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: non erunt tibi dij alieni præter me. Pluritatem uerò personarum ibi patenter insinuat, ubi dicit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Cum enim uerbum Dei sit filius Dei, sicut Iohannes, cuius Euangelium recipis, protestatur, dicens: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil. Vides quòd ad filium & Spiritum sanctum patris sermo dirigitur, cum hæc duo pluraliter dicat, Faciamus: & per uerbum & Spiritum sanctum Dominus Deus operatus est uniuersa, sicut Dauid propheta dicit: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Idem etiam propheta mysterium trinitatis eleganter insinuat, ubi ter hoc nomen Deus in eodem uersiculo repetit, & inculcat, dicens: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Prænominatus Iohannes in Epistola sua Canonica dicit: Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Esaias etiam propheta, quem recipis, se audiuisse testatur Seraphin clamantia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Zebaoth. Quare tertiò replicat Sanctus, nisi ut in Domino Deo exercituum trinitatem insinuet personarum? Est itaque in summa & beatissima trinitate pater qui genuit filium, filius qui genitus est à patre, Spiritus sanctus qui progreditur ab utroque. Nec in illa genitura aut processione damnum receptionis aut imminutionis passa est in patre uel in filio diuina substantia. Sicut enim lumen à lumine sumitur sine imminutione luminis à quo sumitur: sic æqualis à patre filius, & utroque coæqualis Spiritus sanctus ab utroque procedit. Modum autem genituræ aut processionis istius humana ratio non attingit. Vnde cum Esaias de filij generatione constaret,

constaret, modum generationis inenarrabilẽ esse sciens, Generationẽ eius, inquit, quis enarrabit? Propheta Dauid in persona filij de hac generatione sic loquitur: Dixit Dominus ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Filius etiam Dauid Salomon, quẽ Deus scientia & intellectu mirabiliter illustrauit, in persona Christi, qui est, sicut Paulus dicit, Dei uirtus & Dei sapientia, in libro Sapientię, sicut tamen eum recipis, ita dicit: Dominus possedit me in initio uiarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum antequam terra fieret. Nec dum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Quando pręparabat cœlos, aderam: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta cõponens. Apostolus etiam Paulus Spiritui sancto, imò toti trinitati testimonium perhibet, dicens: Misit Deus Spiritum filij sui in corda uestra. Et alibi: Si Spiritus eius qui Iesum suscitauit, habitat in uobis, uiuificabit & mortalia corpora uestra propter inhabitantem Spiritum eius in uobis. Et si Christi testimonium in unitate essentiæ & personarum trinitate desideras, ipse in Euangelio dicit: Ego & pater unum sumus. Christus etiam discipulis dicit: Ite & baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Cum enim homo perdidisset propter inobedientiam paradysum, & infernales miserias perpetuò meruisset, missus est à patre filius, dignumque fuit ut mitteretur filius, & non pater. Cum enim à nullo esset pater, filius erat ab aliquo, eratque conuenientius ut haberet in tempore matrem, qui ab æterno habuerat & patrem. Cum enim scriptum esset in Psalmo Dauid, Non est qui redimat, neque qui saluum faciat. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Non est qui det placationem pro anima sua, ne dum pro aliena: missus est à Deo patre filius, ut homo pro homine moreretur, & pro homine captiuo tributum tanquam homo exolueret, eum tanquam Deus cœlesti portione redimeret. Huius aduentum desiderauerant Patriarchæ, prædixerunt prophetæ. Atque illius dilationem impatientius festinantes, querela continua dicebant: Quando ueniet, quando uidebimus? Da tamen sustinẽtibus te mercedem, ut & prophetæ tui fideles inueniantur. Vtinam Domine dirumperes cœlos, dicit Esaias, & uenires. Et Dauid: Domine inclina cœlos, & descende. Sed & teste Esaia angeli pacis præ dilatione nostræ salutis amarè flebant. Idem uerò Esaias de Christi natiuitate manifestius loquens, Ecce, inquit, uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Immanuel. Cum autem Maria originem de Iesse traxerit, idem propheta natiuitatem Mariæ, & per Mariam Christi, ac plenitudinem Spiritus sancti in Christo manifestè declarat, dicẽs: Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Natus est itaque filius Dei de uirgine incorrupta, Spiritu sancto in ea cooperante, nostræque salutis negocium ineffabiliter procurante. Abyssus autem inscrutabilis est incarnationis Dominicæ sacramentum. Plurima tum antiquis patribus acciderunt, in quibus huius natiuitatis figura præcessit. Quòd enim uellus Gedeonis rore cœli cõplutum est in area circumquaque arida remanente, Ros spiritus Domini designatur in uirgine, quæ ad hoc propter humilitatem suam specialiter & singulariter à Domino est prælecta. Cui Psalmista concordat, dicens: Descendet sicut pluuia in uellus. Quòd Mosi in rubo ignis apparuit, & non est rubus combustus igne, uirginitatis integritas in Maria ostenditur. Quòd uirgis aliarum tribuum manentibus siccis, uirga Aaron, de cuius stirpe uirgo beatissima traxit ortum, fronduit & floruit, florem de uirga Iesse, quem uaticinauerat Esaias, partum scilicet incorruptæ uirginis, indicauit. Cum inimici Dei essemus, per aduentum Christi reconciliati sumus, sicut propheta prædixerat, Et pax, inquit, erit in terra dum uenerit. Ideoque angeli in ipsius natiuitate gloriosæ pacis canticum cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Noua etiam stella Magis apparuit, atque historiarum testimonio Romæ fons oleĩ de terra fluxit in Tyberim. Templum etiam quod idola non ruiturum prædixerant, donec uirgo páreret, in eadem nocte funditus corruit. Probatica quoque piscina, quę Hierosolymis erat, aduentu angeli moueri, & sanitates conferre cœpit uehementissimè. Nocuit nobis uetus Adam, sed plus profuit nouus. Amplius nobis contulit huius humilitas, quàm superbia illius nobis abstulerit. Nam Paulo apostolo teste, Non sicut delictum, ita & donum. Damni enim extimationem beneficij magnitudo transcendit. Quem prius habuimus terribilem Deum & iudicem, nunc habemus humilem fratrem & proximum. Christus itaque cursum nostræ mortalitatis transiens in fame & siti, in lassitudine & dolore, & in uniuersis mi-

serijs huius uitæ, demum traditus à discipulo, & tanquam uile mancipium uenditus, flagellatus, consputus, spinis coronatus, illusus, affixus stipiti, & morte turpissima condemnatus, quæ non rapuit soluit, & sponte morti se offerens, omnia in humilitate sustinuit, sicut Esaias quãdoq; prędixit. In humilitate, inquit, judiciũ eius sublatum est, sicut ouis ad occisionẽ ductus est, & sicut ouis corã tõdente se, sic non aperuit os suum. Qui ergo puerulus à iusto Simeone semel fuerat oblatus in templo, in uespera legis & fine ceremoniarum pro redemptione nostra manus suas in cruce leuauit ad patrem, iuxta illud Dauidicum, Eleuatio manuũ mearũ sacrificium uespertinũ. Sic reatus quẽ Adam delectatione per superbiam ligni contraxerat, mortis amaritudine per humilitatẽ sublatus est, fusoq; sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa sunt deleta. Alium siquidẽ redẽptionis modum poterat Dominus procurasse, sed nullus suæ benignitati nostręq; saluti cõgruentior apparebat. Cum enim homo iuxta suę præuaricationis exigentia captus à Diabolo teneretur, postulabat iusticia, ut non eriperetur per uiolentiã: sed qui per superbiã lapsus est, sua, si posset: sed si sua nõ poterat, aliena saltẽ humilitate resurgeret. Ita Christus innocens, quẽ agnus paschalis signauerat, & in lege se pro nobis hostiã obtulit salutarẽ. Cum lex Mosis caprã uel ouem constituisset precium ac redemptionẽ hominis à peccato, Christus per quem gratia & ueritas facta est, attendens umbratiles leges, ceremonias non sufficere ad salutẽ hominis, extimationẽ pluris faciẽs quã sanguinẽ hirci, ouis & uituli sanguinẽ, sanguinẽ & mortẽ suam pro nostra salute obtulit, & sic semel introiuit in sancta summus & uerus pontifex, æterna redemptione inuenta. Aperuit itaq; librũ, & soluit signacula eius leo de tribu Iuda, & quod hostiæ legales minimè potuerunt, gladiũ amouit uersatilem, & paradisum, qui omnib. antiquis clausus fuerat, reserauit ingressũ. Sic olim in morte summi pontificis solet his, qui ad ciuitatem refugij confugerant, securus ad propria reditus indulgeri. Olim cõsueuerat causari & dici, Cur exijt à me Dominus amplius quàm à cæteris creaturis? quid pro me fecit, quid pro me laborauit? dixit, & factus sum, sicut iumenta & arbores & cætera uniuersa. Sic suæ potentiæ nutu soloq; ex uisionis arbitrio me creauit. Sed iam obstructum est os loquentium iniqua, & iam homini dissimulare non licet, quanta pro eo Dominus fecerit, qui ut seruum redimeret, proprio filio suo non pepercit. Porrò in hac nostræ salutis dispensatione dilectio Christi medullitus intimata est: qui cũ in lege Mosi nobis dilectionem Dei & proximi dederit in mãdatis, eandem in schola Euangelicæ disciplinæ frequẽtius fortius uerbis, & tandem exhibitione operis inculcauit. Maiorem enim charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Dedit itaque materiam diligendi se, qui in suis dilectionibus nos præuenit, nec aliud à nobis exiget, nisi ut ipsum diligamus ex corde. Sanè inhumanus est & crudelis qui misericordiam eius non recolit, qui Dominum tam clementem ex affectu non diligat, qui se pro eo, si opus est, mortis periculo desiderabiliter non exponit. Christus autẽ mortuus est & sepultus, tertia die resurgẽs à mortuis, sicut discipulis uiuẽdo prædixerat, eisdẽ frequenter apparuit, & cũ ipsis loquens, comedens, ostensis uulnerib. manuũ & pedum & lateris. In cordibus quorundam qui adhuc hęsitabãt in fide, ostẽsione uulnerum uulnus dubitationis amouit. Quadraginta itaq; diebus cũ eis uisibiliter cõuersatus, eisdẽ comitantib. uenit in montẽ Oliueti, & uidẽtibus illis eleuatus est, & ascẽdit ad patrẽ, ut eũ in patris ęqualitate credamus: attamen in cõmuni resurrectione uiuorum & mortuorum iudicẽ expectamus. Epist. 83.

Hildebertus etiam rhythmis complexus est aliquam summam.

Alpha & O magne Deus,
Hely, Hely, Deus meus:
Cuius uirtus totum posse,
Cuius sensus totum nosse:
Cuius esse summum bonum,
Cuius opus quicquid bonum.
Super cuncta, subter cuncta,
Extra cuncta, intra cuncta:
Subter cuncta, nec subtractus,
Super cuncta, nec elatus:
Intra cuncta, nec inclusus,
Extra cuncta, nec exclusus:
Super totus præsidendo,
Subter totus sustinendo:
Extra totus complectendo,
Intra totus implendo.
Intra nusquam coartaris,
Extra nusquam dilataris:
Subter nullo fatigaris,
Super nullo sustentaris:
Mundum mouens non moueris,
Locum tenens non teneris:
Tempus mutans non mutaris,
Vaga firmans non uagaris.
Vis externa uel necesse,
Non alternat tuum esse.
Heri nostrum, cras & pridem,
Semper tibi nunc & idem.
Tuum Deus hodiernum,
Indiuisum, sempiternum.

In hoc totum præuidisti,
Totum simul perfecisti,
Ad exemplar summæ mentis,
Formam præstans elementis.
Nate patri coæqualis,
Patri consubstantialis,
Patris splendor & figura,
Factor, factus & creatura:
Carnem nostram induisti,
Carnem nostram suscepisti:
Sempiternus temporalis,
Moriturus immortalis:
Verus homo uerus Deus,
Impermixtus homo Deus:
Non conuersus hic in carnem,
Nec minutus propter carnem:
Hic assumptus est in Deum,
Nec consumptus propter Deum.
Patri compar deitate,
Minor carnis ueritate.
Deus pater tantùm Dei,
Virgo mater sed & Dei.
In tam noua ligatura,
Sic utraq; stat natura,
Vt conseruet quicquid erat,
Facta quiddam quod non erat.
Iste noster mediator,
Iste noster legislator,
Circumcisus, baptisatus,
Crucifixus, tumulatus,
Obdormiuit & descendit,
Resurrexit & ascendit.
Sic ad cœlos eleuatus,
Iudicabit iudicatus.
Paracletus increatus,
Neq; factus neq; natus,
Patri consors genitoq;,
Sic procedit ab utroq;,
Ne sit minor potestate,
Vel discretus qualitate.
Quanti illi, tantus iste:
Quales illi, talis iste.
Ex quo illi, ex tunc iste:
Quantum illi, tantum iste.
Pater alter, sed gignendo:
Natus alter, sed nascendo:
Flamen ab his procedendo:
Tres in unum subsistendo.
Quisq; trium plenus Deus:
Non tamen dij, sed Deus.
In hoc Deo, Deo uero,
Tres & unum asseuero,
Dans usiæ unitatem,
Et personis trinitatem.
In personis nulla prior,
Nulla minor, nulla maior.
Vnaquæq; semper ipsa,
Sic est constans atq; fixa,
Vt nec in se uarietur,
Nec in ullam transmutetur.
Hæc est fides orthodoxa,
Non hoc error siue noxa.
Sicut dico, sic & credo,
Nec in prauam partem cedo.
Inde uenit bone Deus,
Ne desperem quamuis reus.
Reus mortis non despero,
Sed in morte uitam quæro.
Quo te placem nil prætendo,
Nisi fidem quam defendo.
Fidem uidens hac imploro:
Leua fascem quo laboro.
Per hoc cathaplasma,
Conualescat ægrum plasma.

Vincentius lib.25.cap.114.

In Remensi concilio à Bernhardo alijsque hæc confeßio est composita: Credimus simpliciter naturam diuinitatis esse Deũ, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin diuinitas sit Deus, & Deus diuinitas. Si uerò dicitur, sapientia sapientẽ, magnitudine magnum, æternitate æternum, unitate unum, diuinitate Deum esse, & alia huiusmodi: credamus non nisi ea sapiẽtia, quæ est ipse Deus, sapientem esse: non nisi magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse: non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse: non nisi ea unitate, qua ipse est, unum esse: non nisi ea diuinitate Deum, quæ est ipse, id est seipso sapientem, magnum, ęternum, unum Deum. Cum de tribus personis, patre, filio & Spiritu sancto loquimur, ipsas unum Deum, unam diuinam substantiam fatemur esse, & econuersò. Cum de uno Deo, una diuina substantia loquimur, ipsum unum Deũ, unam diuinam substantiam, esse tres personas profitemur. Credimus solum Deum patrem & filium & Spiritum sanctum ęternum esse, nec aliquas omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates uel unitates dicantur, & huiusmodi alia, de Deo esse, quę sint ab æterno, & non sint Deus. Credimus ipsam diuinitatem, siue substantiam diuinam, siue naturam dicas, incarnatam, sed in filio esse. Otto Phrisingensis lib.1.cap. 56. de Friderico Aenobarbo.

De religione porrò ait Potho: Nulla enim alia religio uera est, nisi quæ uirtute ac iusticia cõstat. lib.2. de Statu domus Dei.

DE SCRIPTVRA *Sancta.*

PRimùm appellationes quędam annotandæ sunt.

Ager. Sancta scriptura rectè dicitur ager, quia profectò res publica est, res in aperto posita, & cunctis hominibus, imò populis omnibus legere uel audire cupientibus proposita est. Rupertus Tuitiensis lib. 1. de

glorificatione Trinitatis: & de processione Spiritus sancti, cap. 2.

Argentum & aurum. Argentum & aurum Domini sacra Scriptura est, iuxta dictum Psalmi: Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. Rupertus lib. 1. Commentariorum in Iohannem, cap. 3.

De literarum scientia inquit Bernhardus: Non tamen dico contemnendam aut negligendam scientiam literarum, quæ ornat animam, & erudit eam, & facit ut etiam posſit alios erudire. Sed duo illa oportet & expedit ut præcedant, in quibus summam salutis constitui, superior ratio declarauit. Et uide si non intuebatur, & si non docebat hunc ordinem, qui dicebat, Seminate uobis ad iusticiam, metite spem uitæ, & tunc demum illuminate uobis (ait) lumen scientiæ. Vltimam posuit scientiam tanquam picturam, quæ statum habere nequeat super inane: & ideo illa duo præmisit, & subiecit illi tanquam si solidum aliquid picturæ substerneret. Securus iam intendam scientiæ, si uitæ prius per beneficium spei securitatem accepero. Super Cantica Sermone 37.

De diuisione Scripturę sic inquit Lombardus: Veteris ac nouæ legis continentiam diligenti indagine etiam atque etiam considerantibus nobis, præuia Dei gratia innotuit, sacræ paginæ tractatum circa res uel signa præcipuè uersari. lib. 1. distinctione 1. Item: Propriè autem hic res appellantur, quæ non ad significandum aliquid adhibentur: signa uerò quorum usus est in significando. Eorum autem aliqua sunt, quorum omnis usus est in significando, non in iustificando: quibus nō utimur, nisi aliquid significandi gratia, ut aliqua Sacramenta legalia. Alia quæ non solùm significant, sed conferunt quod intus adiuuet: sicut euangelica Sacramenta. Ex quo apertè intelligitur, quæ hic appellentur signa, res illæ uidelicet, quæ ad significandum aliquid adhibentur. Omne igitur signum, etiam res aliqua est. Quod enim nulla res est, ut Augustinus ait, omnino nihil est. Non autem ediuersò omnis res signum est, quia nō adhibetur ad significandum aliquid. Ibidem.

Richardus ait: Duæ sunt partes Scripturæ, historia scilicet & spiritualis intelligentia, quæ rectè intellectæ pertinent ad bonos. Tertia pars est, peruersorum peruersa intelligentia, quæ pertinent ad malos. lib. 3. in Apocalypsin.

Vnde sit, Rupertus docet: Doctrina Christi non est sua, sicut doctrina pharisæorum est: quia uel doctrinam sensumq; suum in plerisque doctrinæ Dei non communicāt, docentes seruare mandata hominum. In Iohannem lib. 7. ca. 7. Item: Doctrina Christi non est ex homine, sed ex Deo. Hæreticorum professio ita non est, sicut illa omnium sanctorum communis est catholica, atque Apostolicæ fidei doctrina. Christi doctrina non facit hæreses & schismata, quomodo faciunt eorum doctrinæ, qui nouitates uocum amantes, derelinquunt traditiones Dei per traditiones suas. Ibidem. Et: Verbum fidei radicatum siue natum de corde Dei patris, qui ut fides catholica firmiter tenet, Verbi boni genitor est, uerbi æterni, quod & ipsum Deus est. lib. 1. in Ionam, cap. 1.

Bernhardus ait: Semel locutus est Deus, semel utique, quia semper. una enim & non interpolata, sed continua & perpetua locutio est. Sermone de uerbis Abacuc prophetæ.

Vnde efficacia uerbi. Bernhardus: Inscribit, inquam, legem suam non iam in lapide, sed in tabulis cordis carnalibus, propheticam implens promisſionem, qua se pollicitus est ablaturum cor lapideum, & carneum cor esse daturum: id est, non durum, non obstinatum, non Iudaicum, sed pium, sed mansuetum, sed tractabile, sed deuotum. Sermone 1. de dedicatione Ecclesiæ. Item: Viuum & efficax est, moxque ut intus uenit, expergefecit dormitantem animam meam, mouit & molliuit & uulnerauit cor meum: quoniam durum lapideumque erat, & malè sanum. Cœpit quoque euellere & destruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non & mittere praua in directa, & aspera in uias planas, ita ut benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Sermone 74 super Cantica.

Quibus scripta, Rupertus docet, inquiens: Non angelis, sed solis hominibus Euangelium scribitur. lib. 1. Commentar. in Iohan. capite primo. Et: Diuinitùs prouisum non dubitamus, ut hæc Domini causa crucifixi super caput eius scripta Grǽcè, Hebraicè & Latinè poneretur, IESVS Nazarenus Rex Iudæorum: quia maximè tribus illis linguis testimonia sua personat per totum orbem catholica fides Christianorum confessorum. Ibidem lib. 7. cap. 7. Item: Mysteriū uenturi Christi filij Dei non superbis, sed humilibus ab initio reuelatum fuit. In prologo in Micheam prophetam.

In Prophetis continetur. Rupertus: Sancta scriptura ex multiplicibus Dei uerbis,

bis, in linguam uocem prophetarum trásfusis, scribendo contexta est. lib. 1. Commentar. in Apocalyp. Iohan.

Simplex est Scriptura. Petrus Cantor: Loquitur Scriptura diuina uiua uoce simplicia & utilia. Vnde nos lepórem artis Rhetoricæ contemnentes, & puerilis & plausibilis eloquij uenustatem, ad sacrarum Scripturarum grauitatem confugimus, ubi uulnerum uera medicina est, ubi dolorum æterna remedia, in quibus recipit unicum filium mater in feretro, ubi turbæ dicitur circumstanti, Non est mortua puella, sed dormit: ubi quatriduanus mortuus & fœtens ad uocem inclamantis Domini ligatus adhuc institis egreditur & erumpit. Talis debet esse prædicatio, quia talis est sacra Scriptura, ut prædicti mortui in peccatis ad ipsam & per ipsam suscitentur, & ut ipsa uirtutes operetur, & recreet infirmos potius, quàm delectet curiosos. cap. 8.

Summam Scripturæ talem recitat Rupertus: Omnis Scriptura sacra, Scriptura canonica unus liber est: quia ad unum tendit, & ab uno Deo profecta, & ab uno eodemq; spiritu conscripta est. Econtrà Scripturæ omnes, quæcúq; nõ ueniunt ex eodẽ Spiritu ueritatis, plures sunt libri. Lib. 1. de glorificat. Trinitat. cap. 5. Item: Omnis quidem Scriptura diuinitùs inspirata, in hoc ipsum tendit, sed in isto trium librorũ ordine hoc maximè delectat intueri: quia secundum ordinem harum uirtutum triũ sunt compositi siue dispositi, scilicet fidei, spei & charitatis. ibidem libro sexto: & de processione Spiritus sancti, capite decimonono.

Cui uerbo credendum. Petrus Cluniacẽsis: Credite legi uestræ, non alienæ: credite prophetis, non alienis, sed uestris: credite Scripturis, nõ alienis, sed proprijs. cur saltem hoc non mouet? cur non mouet hoc, quòd totum robur fidei Christianæ, quòd tota spes salutis humanæ ex uestris literis originem habet? Cur non mouet, quòd patriarchas, quòd prophetas prænũciatores, quòd Apostolos prædicatores, quòd summam ac supercœlestem uirginem matrem Christi, quòd Christũ ipsum authorem salutis nostræ, qui & expectatio gentium à propheta uestro dictus est, non de Barbaris gentibus, non de quibuslibet nationibus, sed de genere uestro, de stirpe magni Abrahæ descendentes suscepimus? Remitto ergo uos ad uestri generis homines, remitto ad proprias quas à Deo accepistis scripturas: & ex his testimonia profero, quibus credere quantalibet lis Iudaica compellatur. lib. 2. contra Iudæos. Item: Hoc Græcus, hoc Latinus, hoc Barbarus, hoc Oriens, hoc Occidens confitetur. Occidens dico, cuius ex maxima parte principales Ecclesiæ huius martyris nomine, & moderno & ab ipso penè Apostolorum tempore, imò, ut fertur, ab ipsis Apostolis consecratæ, satis supraq; satis indicant, nõ contemnendam, non falsam, non apocrypham esse illam scripturam, cuius relatione sola tantam dignitatis eminentiam apud uniuersos martyr ipse obtinuit. lib. 1. Epistolarum.

In reuelato uerbo resistendum. Petrus Cantor: Si ergo de nomine diuinitatis ꝓhibemur quærere, multo magis de re nominis curiosè & superbè. Sufficiat ergo quòd ipse est admirabilis, fortis, potens, quòd scilicet hæc sunt tria nomina eius. Item Hieronymus: Nõ minori scelere dicitur Dominus nõ esse quod est, quàm negatur esse quod est. Item: Moses posuit nuncios circa montem, ne bestia quæ tangeret, lapidaretur. Sic & Christus & patres nostri terminos ponunt in montem & circa montem sacræ Scripturæ, quos non debemus trásgredi per inutilem & superfluam & temerariam inquisitionem. Tangentes enim mõtem bestialiter, lapidabũtur. Item: In tẽporalibus fili inuenisti mel doctrinæ. comede quod sufficit, ne fortè satiatus ultra uires quęrendo euomas illud, & perdas intellecta. Item: Tantùm summitatem uirgæ tuæ cum Ionatha melle intinge, & exhilarabuntur oculi tui, & bene persequeris hostes tuos ut ille: quia declaratio sermonum tuorum dat intellectum, non obtenebrat, non inuoluit ut curiosa inquisitio.

Quomodo legenda sit sacra Scriptura, docet Hugo de S. Victore. Cum diuinas scripturas legitis, solerter perpendite, quid ibi dictum sit ad exercitandum in uobis amorem Dei, quid ad contemptum seculi, quid ad cauendas insidias inimici, quid ad bonos affectus nutriendos & praua desideria fugienda ualeat, & citius cor per compunctionis ardorem accendat: quid disciplinam in opere, quid humilitatẽ in cogitatione, quid obedientiam in præceptis, quid patientiã in aduersis habere doceat: quid deniq; ad agẽda sedulũ, & ad mala cauẽda doceat esse circumspectũ. Hoc modo lecta Scriptura intelligentiã cõfert salutarẽ. lib. de Nouiter cõuersis instituẽdis, ca. 8.

Iohannes Salesberiensis ait: Hoc enim lectione semper quærẽdũ est, ut homo seipso melior iugiter faciat. lib. 7. Polycrat. cap. 10. Item: Cæterùm libri catholici tutius legũtur & cautius, & gẽtiles simplicib. periculosius patent: sed in utrisq; exerceri

fidelioribus ingenijs utilissimum est. ibidem. Et: Humilibus autem dat gratiam Dominus, & illis ueritatis intelligentiam confert, qui timore initiati ei in dilectione & executione mandatorum suorum fideliter adhærent. Ibidem, cap. 13. Item: Quisquis ergo uiam philosophandi ingreditur, ad ostium gratiæ eius humiliter pulset, in cuius manu liber omnium sciendorum est, quem solus aperit agnus, qui occisus est, ut ad uiam sapientiæ & ueræ felicitatis seruum reduceret aberrantem. Ibidem. Et: Quisquis enim ad uoluptatem suam, ingenij aut studij uiribus Scripturarum integritatem attẽtat, quasi à sacrario philosophiæ exclusus, ab intelligentia ueri alienus extat. Ibidem. Item: Seruiendum est ergo Scripturis, non dominandum, nisi quis fortè seipsum dignum credat ut angelis debeat dominari. Ibidem. Itẽ: In uia ergo peregrinationis nostræ apprehendamus angelos scripturarũ, & infatigabili certamine luctãtes cũ eis, nõ cedamus, donec nos aurora ueritatis illustret. Nec solã nosse sufficiat ueritatẽ, nisi femore amoris tẽporaliũ marcescẽte, eo uerę uirtutis aditũ de benedictiõe angelica facilius cõsequamur, quo magis ęternorũ amore excitato, in appetitu tẽporaliũ claudicemus. Eò enim lucta ista perducit, ut triũphãtis hominis testimonio Deus ipse, qui summa ueritas est, facie ad faciẽ uideatur. Quicquid enim boni in fide aut operibus apparet, imago quędã diuinæ uisionis est. Et rectè aurora sine benedictione non expedit angelũ, quia noticia ueritatis sine gratia bonæ operationis sanæ consciẽtiæ non habet fructum. Ibidem.

De ratione discẽdi uerbum Dei. Petrus Cantor: In tribus igitur consistit exercitium sacrę Scripturæ, circa lectionẽ, disputationem & prædicationem. Cuiuslibet istorũ est inimica & nouerca prolixitas, mater obliuionis. Lectio autem est quasi fundamentum & substructorium sequentiũ, quia per eam cæterę utilitates comparantur. Disputatio quasi paries est in hoc exercitio & ædificio, quia nil plenè intelligitur, fideliterúe prędicatur, nisi prius dente disputationis frangatur. Prædicatio, cui subseruiunt priora, quasi tectum est tegens fideles ab æstu & à turbine uitiorũm. Post lectionem igitur sacrę Scripturæ, & dubitabilium per disputationem inquisitionem, & non prius prędicandũ est, ut sic cortina cortinã trahat. cap. 1. de Verbo abbreuiat.

De modis intelligendi sacram Scripturã inquit Honorius: Nota, sacra Scriptura intelligitur quinq; modis. Aliquando ad solam historiam, cum præterita narrat: ut ibi, Formauit Deus hominem de limo terræ, & posuit eum in paradisum. Aliquando ad historiam & allegoriam: ut ibi, Iacob duxit uxores Lyam & Rachel. quod ita in re fuit, sed actiuam & contemplatiuam uitam in Christo iungendam prę notuit. Aliquando ad solam prophetiam, cum futura prænunciat: ut ibi, Ecce uirgo concipiet, & pariet filium. Aliquando ad solam literam, cum aliquid mandat: ut ibi, Non occides. Non mœchaberis. Aliquãdo ad solam allegoriam, ut in Canticis canticorum. Hi omnes modi in hoc libro inueniuntur. Historia: ut, Initio tu Domine terram fundasti. Historia & allegoria: ut, Percussit petram, & fluxerunt aquæ. quod & in Christo & heremo contigit. Prophetia: ut, Benedictus qui uenturus est in nomine Domini. Sola litera: ut, Declina à malo, & fac bonum. Sola allegoria: ut, De torrente in uia bibet. In prologo Psal.

De sensibus Scripturæ ait Bernhardus: Secũdum triplicem sensum Scripturarum, historicum, moralem, mysticum. Serm. 61. paru. Sermon.

Non semper literam sequendam. Petrus Cluniacẽsis: Ite in orbem uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Eia, prædicandum est igitur omni creaturæ, iuxta sonum literæ, tam rationali quàm irrationali, tam sensibili quàm insensibili. Prędicandum est cœlo & terræ, soli & lunæ, mari & aëri, auibus & pecoribus, herbis & arboribus, lignis & lapidibus. Prædicandũ est absque ulla discretione omni omnino mundanæ creaturæ, ne Christo non obediatur, qui præcepit prædicari Euangelium omni creaturæ. Quid hoc insanius? Neque enim (ut æstimo) ita sensum perdidistis, ut alijs quàm hominibus Christum Euangelium prædicasse uel prædicari uoluisse credatis. Quod si ita est, iã sonus literæ sequẽdus non est, sed sanè atque catholicè suscipiendus & exponendus est. lib. 1. Epistol.

Theologiæ studiosis quæ necessaria. Potho: Quia in schola Dominica studẽtibus, & ad profectũ sapientiæ & sciẽtiæ tẽdentibus, duo necessaria sunt, lectio scilicet & meditatio, ut in his se exerceãt, in his ingeniũ excolãt, quibus maximè in studio philosophiæ mẽs proficit. Principiũ namq; doctrinę est in lectiõe, cõsummatio in meditatione. Meditatio est frequens cogitationis cũ consilio, quæ causam & originẽ, modũ & utilitatẽ uniuscuiusq; rei diligẽter inuestigat. Meditatio principiũ sumit à lectiõe, nullis tamen stringitur regulis aut præceptis lectionis. Delectatur enim quodam aperto decurrere spacio, ut liberã contẽplãdę ueritati aciẽ affigat, nũc has nunc illas rerũ causas perstringere, nũc autẽ profunda

quæq;

quæq; penetrare,nihil anceps,nihil obscurum relinquere. Quam si quis familiarius amare didicit, eiq; sæpius uacare uoluerit, iocundam ualde reddit uitam, & maximam in tribulatione præstat consolationē.lib. 2.de statu domus Dei.Item:Hæc de studio illius scholę,quā sapientia in domo sua instituit, breuiter prelibauimus,in qua nimirū studentibus tria sunt necessaria,natura,exercitium, disciplina.In natura consideratur,ut audita quisq; facilè intelligat, & firmiter retineat:in exercitio, ut labore & sedulitate naturalem sensum excolat: in disciplina,ut laudabiliter uiuens,mores cum scientia componat.Ibidem.

Meditationis species. Potho: Tria sunt genera meditationis:unum consistit in circumspectione morum, aliud in scrutatione mandatorum, tertium in uestigatione diuinorum operum. Mores sunt in uitijs & uirtutibus. Mandatum diuinum aliud præcipiens,aliud promittens aliud terrēs. Opus Dei est,& quòd creat potentia, & quòd moderatur sapientia,& quòd cooperatur gratia.Quæ omnia quanta sint admiratione digna,tāto magis quisq; nouit,quāto attentius Dei mirabilia meditari cōsueuit. lib.2. de statu dom.Dei.

Quæ iungenda . Bernhardus : Habes (ut ego opinor)tria hæc,id est,prædicationem,orationem, contemplationem,in tribus cōmendata & designata uocabulis.Etenim meritò amica dicitur,quę spōsi lucra studiosè ac fideliter prædicādo,consulēdo, ministrando conquirit. Meritò columba, quæ nihilominus pro suis delictis in oratione gemens & supplicans, diuinam sibi non cessat conciliare misericordiam. Meritò quoq; formosa, quæ cœlesti desiderio fulgens,supernæ contēplationis decorē se induit, horis duntaxat quibus cōmodè & opportunè id potest.Serm.57. super Cant.

Vtilia excerpenda.Petrus Cantor:Vtiliora capitula sumpta tum ex corpore sacræ Scripturæ, tum ex bene dictis aliarum scripturarum. Quicquid enim ubicunque bene dictum est,meum est,inquit Theologus,ad singulorum uitiorum redargutionem,ad uirtutem & morum commendationem, operumq; nostrorū directionem. In prologo.

Paucos legendos. Petrus Cantor: Magna enim dementia est, superfluis incedere in tanta temporis egestate : non est opus uerbis ,sed rebus. Hæc est scientia rerum,quæ magis format animum, uitam disponit,actiones regit,agenda & omittēda demonstrat.Sed ad amplustre & per anticipitia fluctuātium dirigit cursum nemo securus sine ea.In prologo.

Expositiones in scholis audiendæ. Petrus Cantor:Expositoria uerò & difficilia in scholis audiantur.Ad hoc,inquit,terenda sunt magistrorum limina.cap.1. Item:Sicut in templo in candelabro erant infusoria, extinctoria & emunctoria: sic in sacra Scriptura infusores fiunt,qui eam exposuerunt:ut Hieronymus & Gregorius.Extinctores,qui hæreses extinxerunt,scilicet ualidi mallei hæreticorum: ut Augustinus & Hilarius. Emunctores ,qui superflua extirpauerūt : ut Hieronymus & Origenes. cap.2.

De ratione interpretandi inquit Petrus Cantor : Sacra scriptura nauis est nostra, qua transire debemus hoc mare magnum & spaciosum:quæ non est oneranda saburra & superfluis expositionibus, sed sufficientibus & necessarijs tantùm. cap.2. Item: Sæpe utilia & necessaria prætermittenda sunt, ne multitudine utilium prægrauemur.Ibidem.Item:Multitudine glossarum obscura reddimus.cap.21.Item: Nihil adeò obest utilitati,sicut nimia subtilitas. Puluerem ne moueas & dispergas, ne eo moto inuoluatur & obscuretur, imò excæcetur oculus mentis tuæ. Item Seneca: Aliud est propositum declamantibus & assensum coronæ captantibus. Aliud his qui ociosorum aures disputatione uaria aut uolubili detinēt.Facere docet cœlestis philosophia, non garrire, non linguosè loqui. In rebus est,nō in uerbis: non est populare artificiū, licet nunc uitio nostro gloriæ & quęstui & litigio data.cap.3.

Quomodo disputandum. Petrus Cantor:Non ergo clamandum est in disputationibus Theologiæ, non disputandum de friuolis.cap.3. Item:Sine lite & contentione fiat.cap.5. Itē : Pro disputationis utilitate,& contra eiusdem inutilitatem mouemur antiquiorum exemplo. patriarchæ enim opere & exemplo contra idololatriā pugnauerunt.Prophetę uerbo & exemplo filios Israel contra inobedientiā corripiūt. Apostoli uerbo & exēplo,etiā morte contra infidelitatem prædicauerunt.Doctores Ecclesiæ cōtra hæreses in defensione fidei Euangelij disputauerunt.Nos uerò steriles in Ecclesia, nullūq; fructum ferentes in ea, in superfluis & uanis quæstionibus languētes deficimus.cap.3.Itē:Contentio nihil aliud potest nisi subuertere, dū uerbosus par uel superior uidetur catholico humiliter loquēte,in qua nō potest fieri quin excitet aliquid quod cōtra cōsciētiā dicatur.ca.5.

Quomodo ascendendū.Bernhardus:Nemo repentè fit summus : ascendendo,non uolando apprehenditur summitas scalæ. Ascēdamus igitur uelut duobus quibusdā

pedibus,meditatione & oratione.Meditatio ſiquidē docet,quid deſit:oratio,ne deſit,obtinet.Illa uiam oſtendit,iſta deducit. Meditatione deniq; agnoſcimus imminentia nobis pericula,oratione euadimus, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto. Ser.1.de S.Andrea.

Priorem eſſe auditum,deinde uiſionem. Bernhardus:Itaq; auditus eſt meritum uidendi,uiſio præmium audiendi. Et prius eſt audire,uidere poſterius, ſicut ſcriptum eſt:Audi filia,& uide. Quiſquis ergo in futuro Deum uidere deſiderat,profectò neceſſe eſt ut in pręſenti prius Deum audiat, & in auditu auris obediat.Ser. 40.par.Ser.

Offert ſe uerbum.Bernhardus:Nec ſanè laborandum eſt, ut ad uocis huius præueniatur auditum:labor potius eſt,aures obturare ne audias. Nimirum uox iſta ſe offert,ipſa ſe ingerit, nec pulſare interim ceſſat ad oſtia ſingulorum.Deniq; quadraginta annis, inquit, proximus fui generationi illi,& dixi,Semper hi errant corde. Adhuc nobis proximus eſt,adhuc loquitur,& non eſt fortè qui audiat.Adhuc dicit,Hi errāt corde.Adhuc ſapientia clamitat in plateis,Redite præuaricatores ad cor.Hoc nēpe initium loquendi Domino: & hoc uerbū ad omnes qui conuertuntur ad cor,pręceſsiſſe uidetur , & non modò reuocans eos,ſed reducens & ſtatuens cōtra faciem ſuam.Eſt enim nō tantùm uox uirtutis,ſed & radius lucis,annuncians pariter hominibus peccata eorum, & illuminans abſcōdita tenebrarum.cap.2.de Con.ad cler.

Superna quærenda.Bernhardus:Cæterùm ô beata,ſi conſurrexiſti cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapias oportet:neq; deorſum, ſed ſurſum quæras Chriſtum neceſſe eſt,ubi ſedet ad dexteram patris.Sed circuibo(ais)ciuitatem.Ser.75. ſuper Cant.

Myſteria non ſcrutanda.Petrus Cluniacenſis : Serua ergo Deo tuo,quid tibi uis ſeruari ab aſino tuo:neq; altiora te quæſieris, uel fortiora te perſcrutatus fueris : ſed ea cogita ſemper,quæ Deus præcipit,& in multis operibus eius ne fueris curioſus. lib.1.Epiſt.

Verbum Dei audiendum . Bernhardus: Vtilius namq; & multò ſalubrius eſt,hodie audire eum conſulentem, conſolantē, admonentem,docentem, &ut multùm arguentem,increpantem,corripientē: quàm in die illa tam amara, tam lugubri,tam tenebroſa audire illum iudicantem,indignātem,ulciſcentem,ſęuientem, condemnātē. Ser.De uerbis.Abac. Super cuſtodiam,&c. Item:Sed nec ullus omnino ſermo,qui ędificet ad pietatē,ad uirtutes,ad mores optimos,negligenter eſt audiēdus,quoniā & illi citer quo oſtenditur ſalutare Dei.Quòd ſi ſermo gratus uenit & placidus , quatenus pulſo faſtidio cum deſiderio audiatur, iam non modò uenire ſponſus,ſed & accēlerare, id eſt,cū deſiderio uenire credēdus eſt.illius namq; deſiderium tuum creat, & quod tu eius properas ſermonem admittere, inde eſt quòd ipſe feſtinat intrare. Serm.57. ſuper Cantica canticor.

Seruandum Dei uerbum.Bernhardus: Sermones Dei ſeruabit.Vbi ergo ſeruandi ſunt?Haud dubium quin in corde,ſicut ait propheta:In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Sed quomodo in corde ſeruandi ? An ſufficit ſola eos ſeruare memoria? At uerò ſi ſeruāti diceret Apoſtolus: Quoniam ſcientia inflat.Deniq; & memoriā facilè delet obliuio.Sic ſerua ſermonē Dei,quomodo melius ſeruare potes cibū corporis tui. Nā & ille panis uiuus eſt, & cibus mentis. Panis terrenus, dū in arca eſt, poteſt à fure tolli, poteſt à mure corrodi , poteſt uetuſtate corrumpi. Vbi uerò comederis illum, quid horum timeas? Hoc modo cuſtodi uerbum Dei. Beati enim qui cuſtodiunt illud. Ergo traijciatur in uiſcera quædam animæ tuæ, tranſeat in affectiones tuas, & in mores tuos. Comede bonum,& delectabitur in craſsitudine anima tua. Ne obliuiſcaris comedere panem tuum, ne exareſcat cor tuum, ſed adipe & pinguedine repleatur anima tua. Si ſic ſeruabis uerbum Dei,haud dubium quin ab eo ſerueris.Serm.5.de aduent.Dom.

Ad ſe transferendum. Petrus Cātor: Ad maiora igitur natus,rebus ſtudeas,non uerbis,ut quicquid legeris, quicquid prædicaueris, quicquid diſputaueris, ad mortem in te & in alijs exemplo tui informādis referas. Puta,in te marcentia excita,tumida doma,fluida coherce,ſoluta conſtringe,cupiditates tuas uexa & extirpa, ignorantiā tuam illumina.cap.3.

Multa latent in Scriptura, ut Rupertus teſtatur,In Scriptura altior diuinorum ſenſuum maieſtas latet, quam adhuc minus intelligimus. libro 14. Comment. in Ioh. cap.20.

Cur obſcura. Rupertus : Talem Scripturam condidit, quæ non facilè poſsit intelligi quò tenderet,uel quale contineret myſterium regni Dei: ſicut ipſe fecit & dicit,Nolite ſanctum dare,&c.lib. 7. Com. in Matth.cap.7.

Encomia Scripturarū habēt doctores,ut Rupertus:Sacra Scriptura uera repromiſsionis eſt terra.In prologo in Apocal.Itē: Verbum Dei ſtola ſiue amictus animę. lib. 4.in Apoc.cap.4.Et:Sācta ſcriptura ipſa eſt columba,

columba,cuius litera argentum,sensus mysticus aurum est,de qua ipsius autor Spiritus sanctus in Psalm.67 dicit,&c.lib.11.Cõment.in Matth.cap.26. Item: Rotam illá (de qua apud Ezechielem cap.1.) habentem quatuor facies,& animal habẽs quatuor animalia,accommodat ad sacrá Scripturam.Cum aspicis uel recipis ista filij hominis sæpe quatuor sacramenta, incarnationem,passionem, resurrectioné,atq; ascẽsionem, tunc uel extunc apparet & elucet tibi quid uelit, quò tendat sancta ueteris Testamenti Scriptura, rotunda,uolubilis, perfecta quatuor faciebus, secundum istas quatuor partes distincta. lib.12.in Mat. cap.26.

Bernhardus inquit:Viæ Domini,uiæ rectæ,uiæ pulchræ,uiæ plenæ,uiæ planæ. Rectę, sine errore:quia ducunt ad uitam.Pulchræ,sine sorde: quia docent munditiam. Plenæ multitudine, quia totus iam mundus est intra Christi sagenam. Planæ, sine difficultate:quia donant suauitatem. Iugũ enim eius suaue est,& onus eius leue. Ser. de uerbis Sapientiæ,Iustum deduxit,&c.

De dignitate Scripturæ inquit Rupertus:Vocem Domini toties audimus,quoties ipsa nobis annũciatur: maximè autem quãdo baptizamur, & quãdo sacramentũ corporis & sanguinis eius celebramus aut percipimus. libro quarto, capite sexto, in Apocalyp.

Bernhardus ait:Tres sunt lucernæ,regula disciplinæ Christus,quæ accenditur, ut drachma perdita inueniatur.Forma ueritatis in Euangelio, quæ ponitur super cãdelabrum. Scientiæ puritas in corde bono, quæ illuminatur à Domino.In lib.Sent. Item:Quid enim animæ & uerbo? Multum per omnem modum.Primò quidem quòd naturarum tanta cognatio est,ut hoc imago,illa ad imaginem sit: deinde quòd cognationem similitudo testetur. Nempe nõ ad imaginem tantùm, sed ad similitudinem facta est.In quo similis sit quæris? Audi de imagine prius. Verbum est ueritas, est sapientia,est iusticia:& hæc imago.Cuius? Iusticiæ, sapientiæ & ueritatis. Est enim imago hæc iusticia de iusticia,sapientia de sapientia,ueritas de ueritate, quasi de lumine lumen, de Deo Deus. Harum rerum nihil est anima,quoniam non est imago. Est tamen earundem capax appetensq;,& inde fortassis ad imaginem.Celsa creatura quidem in capacitate maiestatis, in appetentia autem rectitudinis insigne præferens.Legimus quia Deus hominem rectum fecit,quòd & magnum,capacitas (ut dictum est) probat.Oportet namque id quod ad imaginem est,cum imagine conuenire,& non in uacuum participare nomen imaginis, quemadmodum nec ipsa imago solo, uel uacuo nomine uocitatur imago. Habes uerò de eo qui imago est, quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est,esse se æqualẽ Deo. Vbi tibi utique eius & in forma Dei innuitur rectitudo,& in æqualitate maiestas: ut dum rectitudini rectitudo,& magnitudini magnitudo comparatur, consonanter sibi altrinsecus respondere appareat,quod ad imaginem est, & imaginem: sicut imago quoq; nihilominus in utroq; respondet illi,cuius imago est.Nempe ipse est,de quo sanctum Dauid in Psalmis audiuistis canẽtem nunc quidem:Magnus Dominus noster,& magna uirtus eius.nũc uerò:Rectus Dominus Deus noster, & nõ est iniquitas in eo.Ab isto recto & magno Deo habet imago eius,ut & ipsa recta & magna sit,habet anima quę ad imaginẽ est:sed dico, Nihil'ne ergo amplius habet imago ab anima,quæ ad imaginem est,quia & huic magnum rectũq; assignamus? Et plurimum. Hæc ad mensurã accepit,illa ad æqualitatem. An'non plus hæc? Aduerte & aliud. Huic utrumq; aut creatio,aut dignatio cõsulit,illi generatio. Atq; id magnificentius esse nõ dubium est.Sed ne hoc quidẽ eminẽtius esse quis abnuat,quod cũ à Deo huic,illi & de Deo utrumq; sit,id est, de Dei substãtia.Est enim cõsubstantialis Deo imago sua,& omne quod eidẽ imagini suæ impartiri uidetur, ambobus est substantiale, nõ accidentale.Adhuc unũ attende,in quo imago nõ parũ eminet. Magnũ & rectum, ista duo natura à sese discrepare quis nesciat? In imagine unũ sunt. Neq; hoc solũ, unũ sunt & cũ imagine.Imagini enim non modò id rectum est esse,quod magnũ esse: sed etiam id magnũ rectũq; esse, quod esse:animæ non ita.Serm.80 super Cant.

De ui & potentia uerbi diuini inquit Petrus Cluniacensis: Omnipotens uerbum Dei,per quod omnia facta sunt. lib.1. Epistolarum.

Petrus Cantor Parisiensis inquit: Ad maiora igitur natus,rebus studeas,non uerbis,ut quicquid legeris, quicquid prædicaueris, quicquid disputaueris, ad mortem in te & in alijs exemplo tui informandis referas. Puta,in te marcentia excita,tumida doma, fluida coherce, soluta constringe,cupiditates tuas uexa & extirpa, ignorantiam tuam illumina.cap.3.

De fine & fructu uerbi Dei inquit Rupertus: Verbum Dei tantæ uirtutis & potestatis est, ut animæ substantiam in suum uigorem transferens,de hominibus deos, de filijs iræ filios gratiæ faciat, fiatq; ut in

loco,ubi dicebatur, Non plebs mea uos,ibi uocentur filij Dei. lib.1. Com. in Iohan. cap.1. Item:Verba quæ locutus ſum uobis,& loquor uobis,quæcũq; ſunt de me, ex quo deſcẽdit filius hominis, uſquequò deſcendat ubi erat prius:uerba incarnationis,natiuitatis,paſsionis, reſurrectionis, aſcenſionis meæ,ſpiritus & uita ſunt, ſpiritus uiuificans, uita uiuens, & uerum uitæ uerbum.lib.7.Comm.in Iohan. cap.7. Et: Hæc uerba eiuſmodi ſunt,imò hoc uerbũ, uerbum eius uirtutis eſt,quod ſemper mãducari, & nunquam poſsit conſumi: uel quia uerbum Domini manens in æternũ, ubi comeſtum fuerit, de bono terræ animæ rurſus pullulat, & in magnam ſegetẽ reſurgit:ſicut & aqua illa, quæ eſt Spiritus ſanctus,cum bibita fuerit,ſtatim fons in potoris pectore ſcaturit, & in uiuæ aquæ flumina profluit.ibidem. Et:Mandatum Dei cauſa effectiua eſt uitæ æternæ omnibus credentibus.lib.10.cap.12.Comment. in Iohan. Item : Euangelium uirtus Dei eſt, quicquid loquitur forte, pulchrum atque honeſtum,rationabile & uerum, atq; ad ſalutem hominis omnino neceſſarium eſt. lib.3.in Apocal.cap.4. Item: Propter ſermonem quem locutus ſum uobis, mundi eſtis ex hoc, ut uos in ueritate ſancti ſitis, dum ego ſanctifico.lib.11.cap.13.Comm.in Iohan. Item:Omnis iſte liber,omnis ſancta Scriptura,cuius caput hoc eſt,In principio creauit Deus cœlũ & terram:cui creaturæ,uel propter quam ſcriptus eſt creaturam? nimirum propter creaturam humanam,ad inſtructionem creaturæ humanæ ſancta Scriptura condita eſt.lib.1.de glorif. Trinit.cap.6. Et:Oues Chriſti paſcuntur & impinguantur in ſacris nunc epulando Scripturis, & poſtmodũ paradiſi delicijs, habentes primùm ſcientiam ueræ & ſpiritualis circumciſionis: & deinde ſalubrem facientes confeſsionem de peccatis priſtinis,& deinde conſequentes perfectionem fidei taliter, ut eandem fidem confirmare & defendere ualeant legis & prophetarũ teſtimonijs.lib.3.Com.in Mich. cap.7. Item : In ſacra & ex ſacra Scriptura omnis benedictionis odor ſuauis & fructus eſt. lib.3.Com.in Abac.cap.2. Et:Victoriã uerbi Dei,effectum & opus perfectũ dicimus propoſiti Dei, ad laudem ipſius omnipotentis &inuicti,quòd neq; mors neq; uita, neq; angeli neq; principatus, neq; inſtantia neq; futura,neq; fortitudo neq; altitudo,neq; profundum, neq; creatura alia potuit uel poterit auertere, quin fieret & fiat quod ipſe propoſuit & decreuit fieri. lib.1. de Vict.uerbi,cap.1. Item: Verbum Dei fortes efficit,ita ut etiã mortem contemnant. ibidem,cap.4. Et paulo pòſt:Diligenter animaduertendum eſt,nonnihil differre, cũ legimus uel audimus in ſingulari numero Verbũ Dei,& plurali numero Verba Domini.Verbũ namq; hoc ſingulare diuina ſubſtantia eſt,ſubſtantia non facta, neq; creata.Et idcirco uerbum dicitur & eſt ſolius Dei.Verba aũt quæ in Scripturis ſanctis legimus uel audimus, à Deo per hoc uerbũ effecta,& per hominem adminiſtrata ſunt, & idcirco aliter uerba Dei, aliter rectè dicuntur uerba cuiuslibet hominis. Itẽ:Gladio percuſſus eſt ſatanas cum lignis uoluptatis:id eſt,ſententia uerbi Dei damnatus eſt cum angelis ſequacibus ſuis. Damnatus autẽ per iuſtiſsimũ uerbi Dei iudiciũ, ſtatim de cœlo proiectus eſt,per miniſteriũ ſanctorũ angelorũ uictoriæ uerbi Dei militantium. Sed quæ uel qualia fuerunt uel ſunt arma,quib.illi ſpiritus in illo prælio uſi ſunt? Non utiq; arma materialia fuerũt, ſed omnis eorũ armatura fuit & eſt ipſum Dei uerbũ.Ipſum(inquã)Dei uerbũ rebellibus illis ſpiritib.uim ſuã per angelos ſanctos intentans,per ſemetipſum perficit uictoriã.Ignis quippe eſt Dei uerbum, id eſt, ſic intolerabile impijs, ſpiritib. malignis, ut eſt infirmis corporib. ignis uiſibilis. lib. 1.de Vict.uerbi,cap.15. Item: Euangelicũ illud conuiuiũ,quo Dominus de quinq; panib.& duobus piſcib.ſatiauit quinq; millia hominũ, ſignificat uitale illud ſanctarũ Scripturarum conuiuium, quo de paucis Moyſi prophetarumq; libris,creſcente copia diuinæ benedictionis, inter ora comedentiũ,id eſt,inter ſtudia tractãtium affatim reficitur mũdus,quondã à ſcientia Dei ieiunus, & affluentia dictorũ ſenſuũq; repletis armarijs,laſsi atq; uicti cõuiuæ abſiſtimus.Hoc aũt cõuiuiũ diuinæ cognitionis hic incipitur, perficietur uerò in illius ſabbati perenni gloria.lib.4.de diuinis officijs,cap.13.

Bernhardus ait:Fructus uitæ ſunt uerba Dei,nõ folia:& ſi folia,ſed aurea ſunt.Proinde nõ parui pendãtur,nõ pertranſeãt,nõ præteruolẽt.Serm.2.in die Pet. & Paul. Et: Sapiẽtia uincit malitiam,dũ ſatanã cõterit Dei uirtus,& Dei ſapientia Chriſtus.Attingit ergo à fine uſq; ad finẽ fortiter, in cœlo quidẽ deijciẽdo ſuperbũ,in mũdo ſuperãdo malignũ,in inferno ſpoliãdo auarũ. Et diſponit omnia ſuauiter,in cœlo ſtãtes angelos cõfirmãdo, in mũdo uenũdatos redimẽdo,in inferno captiuos liberãdo.Sermone de ſeptẽ donis Spiritus S. Et: Sonãs in aurib.animę uox diuina cõturbat,terret dijudicatq;:ſed cõtinuò ſi bene aduerteris, uiuificat,liquefacit,calefacit,illuminat,mũdat.Deniq; & cibus noſter eſt, & gladius,

& me-

& medicina, & confirmatio, & requies, resurrectio quoq;, & consummatio nostra. Nec mireris quòd uerbũ Dei iam nũc inueniatur omnia in omnib. esse, quãtũ spectat ad iustificationẽ, siquidẽ & futurũ est omnia in omnib. ad glorificationẽ. Audiat & illud peccator, & cõturbabitur uéter eius: à uoce illa carnalis anima cõtremiscet. Omnia namq; cordis secreta rimatur atque dijudicat sermo uiuus & efficax, cordium atq; cogitationum perscrutator. Vnde & licet mortuus in peccato, si audieris uocẽ filij Dei, uiues. Sermo enim quẽ loquitur, spiritus & uita est. Si cor tuum induratũ est, memento Scripturę dicentis: Emittet uerbum suũ, & liquefaciet ea. Et item: Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Si tepidus es, & euomi iam formidas, non discedas ab eloquio Domini, & inflammabit te: quia eloquium eius ignitum ualde. Quòd si tenebras ignorantiæ plangis, diligenter audi quid loquatur in te Dominus Deus, & erit lucerna pedibus tuis uerbum Domini, & lumen semitis tuis. At fortassis tanto amplius doles, quanto clarius etiam peccata minima illuminatus agnoscis: sed sanctificabit te pater in ueritate, quæ est utique sermo eius, ut inter Apostolos audire merearis: Iam uos mundi estis propter sermonem quem locutus sum uobis. Iam uerò cum laueris manus tuas, ecce parauit in conspectu tuo mensam, ut non de solo pane uiuas, sed ex omni uerbo quod procedit de ore Dei, & in fortitudine cibi illius curras uiam mandatorum eius. Vbi si consistunt aduersum te castra, & prælium tentationis insurgit, arripe gladium spiritus, quod est uerbum Dei, & in eo facilè triumphabis. Quòd si fortè (ut est certaminis cõsuetudo) cõtigerit aliquãdo uulnerari, mittet uerbum suũ, & sanabit te, & eripiet te de interitionib. tuis: ut in te quoque impleatur, quod ait Centurio, cuius fides tam magnificè commendatur: Domine, inquit, dic tantùm uerbo. & sanabitur puer meus. Sed etsi titubas adhuc, cõfitere & clama: Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei: & in uerbis suis cõfirmabit te, ut experimẽto discas, quoniã uerbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Serm. de multip. util. uerbi Dei. Item: Viuus profectò est sermo Dei, & efficax, & uox eius in magnificentia & uirtute. Denique ipse dixit, & facta sunt. Dixit, Fiat lux: & facta est lux. Dixit, Cõuertimini filij hominum: & conuersi sunt. cap. 1. de Conuers. ad cleric. Item: Nec à me speres audire, quid in memoria tua ratio deprehendat, quid dijudicet, quid decernat. Applica intus auditum, deflecte oculos cordis, & proprio disces experimento quid agatur. Nemo enim scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Si superbia, si inuidia, si auaricia, si ambitio, aut similis aliqua pestis abscondita est, uix effugere poterit hoc examen. Si fornicatio, si rapina, si crudelitas, si fraus ulla, aut quælibet culpa admissa est, internum hunc iudicem non latebit reus ipse, nec inficiabitur coram eo. cap. 4. de Conuers. ad cler. Et: Vnde nos dicimus, Verbum indicatum, uerbum inspiratum, uerbum eructuatũ. Primum fecit cognitionem, secundum conuersionem, tertium uiuificationem. Primum obfuit, secundũ nõ profuit, tertium uiuificauit. Primum obfuit: quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Secundum non profuit: quia non data est lex quæ posset uiuificare. Tertium uiuificauit: quia per crucẽ redemit. Primum totum de foris, secundum foris & intus, tertium totum intus. Sermon. 5. par. Serm. Item: Nunc uerò constat, in anima fieri huiusmodi uicissitudines euntis & redeuntis uerbi, sicut ait: Vado, & uenio ad uos. Item: Modicum, & non uidebitis me: & iterum modicum, & uidebitis me. O' modicum & modicum, ò modicum longum. Pie Domine, modicum dicis quòd non uidemus te? Saluum sit uerbum Domini mei, longum est, & multum ualde nimis. Serm. 74 super Cant. Item: Verbum uirtus, uerbum sapientia est. Sumat ergo anima de uirtute uirtutem, ac de sapientia sapientiam, & uni uerbo munus utrumque adscribat. Alioquin si aliunde aut utramque aut alterutram arroget sibi: neget etiam simul, uel de fonte riuum, uel de uite uinum, uel lumen oriri de lumine. Fidelis sermo: Si quis, inquit, indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus effluenter, & non improperat: & dabitur ei. Hæc ille. Ego uerò haud secus de uirtute senserim. Cognata uirtus sapientiæ est, donum Dei uirtus est, deputanda in donis optimis, descendens & ipsa desursum à patre uerbi. Et si quis existimet id per omnia eam quod sapientiã esse, non inficior: sed in uerbo, non in anima. Quæ enim in uerbo pro eius singulari diuinæ naturæ simplicitate unum sunt, unum tamen effectum in anima non habẽt: sed ad illius uarias & diuersas necessitates, ueluti diuersa sese participanda accõmodant. Serm. 85 super Cant.

Petrus Cluniacẽsis ait: Ad hoc enim omnium

nium diuinarum Scripturarum oculus tendit,& hæc eius finalis causa est, ut siue arguẽdo,siue obsecrando,siue increpando,siue parcendo,siue corripiẽdo,siue quocũq; modo agendo, salus animarum prouideatur:& homo,ad cuius doctrinã scripta sunt quęcũq; scripta sunt,Deo à quo disiunctus fuerat,iterum coniungatur.Epist.lib.2.

Richardus inquit: Quæramus in sacra pagina non solùm eruditionem,sed etiam ædificationem:quia illa utilis est atq; laudabilis scientia,quam commendat comes iusticia.lib.1.in Apocal.Item:Sicut cũ apertam domum intramus,ita per uerbũ liberè prędicatum cor humanum penetramus,& hostem & hospitem antiquũ eliminamus, & factorem cordis in ipso habitatorẽ collocamus. in Apocal. lib.1. Item:Viuum est uerbum Dei,& efficax,& quasi gladius penetrans,& cogitationes maligni discernẽs. Super Cant.cap.11. Item:Lectio Scripturæ atq; meditatio,psalmodiæ deuota decantatio,mentem roborant,hostem infirmum reddunt,& uires eius euacuant.Dum itaq; hanc memoria tenent,& opere implent, per hanc ad confligendum cum hoste doctissimi fiunt:quia per intelligentiam Scripturæ erudiuntur,& per operationem illuminantur.Super Cant.cap.11.

Petrus Blesensis:Si semel suauitatem sapientiæ degustasses,omnia præter illam tibi in fastidium uerterentur. Hæc enim incomparabiles thesauros deliciarum & omnium donorum gratiam largitur ad plenũ. Epist.58. Et:Scribitis autem,uos & continuò uersuti hostis insulsu graues molestias sustinere, ideoque uobis esse sacræ Scripturæ necessaria suffragia, cuius lectio frequens conatus hostiles euacuet,atq; turbines æstuantium tempestatum per gratię serenitatem tranquillet.Epist.60.Item:Sacra itaq; lectio nobis necessaria est. Ipsa enim est mensa tabernaculi,quæ ad Aquilonem, unde omne malum panditur, posita est.Ibidem. Item:Sacra lectio cibus est.per hunc cibũ spiramus & uiuimus.Certè solo eloquij sacri Christus testimonio cõtra omnes diaboli tẽtationes usus est in deserto.Si ergo cõsistãt aduersum uos castra,scuto bonę uolũtatis armate uos,& gladio spiritus,quod est uerbũ Dei.Ibidem.Item:Scriptura est uomer Samgar aratorius,quo terra nostri cordis excolitur,quo quingẽti scindũtur Philistęi,& in fugã alij cõuertuntur: hęc est maxilla asini,qua Samson sitiẽs reficitur,& mille Philistęi occidũtur.Sacra lectio uobis gladius, medicina & requies:cibus, quia nõ in solo pane,&c.nec tãtũ cibus,sed uita & spiritus.Hæc est mensa tabernaculi contra Aquilonẽ posita,ut quisquis omnes tẽtationes securus in ea accipiat. Epist.116. Itẽ: Sacrã scripturam tibi posuit Dominus in omni tentatione solatium. Epist. 112.

Petrus Cãtor:Verbũ sacræ paginę quod nobis tribuit,& quod nobis in arram & pignus suę dilectionis reliquit.In ꝓlogo.Itẽ: Sacrę scripturę,quę aduersatur carni & sensualitati hominis,docẽs eũ uiam mandatorũ Domini,& in eis ambulare .cap. 66. Itẽ: Cœlestis philosophia aliud promittit,scilicet ut me Domino parem faciat.cap.3.

Hildebertus inquit:Fructus ille uerbum Dei,uerbum de quo sola bona,&c.Iste fructus tibi sapiat,iste dulcescat, iste diligatur tota anima tua, recolatur tota memoria tua,ut quandoq; pascat & satiet te in perpetua gloria sua.Epist.31.

Visiones Bernhardus non expetit.Adhęrens quippe Deo, unus spiritus est.Meritò proinde uisiones & somnia non recipio, figuras & ænigmata nolo: ipsas quoque angelicas fastidio species. Quippe & illos longè superat Iesus meus specie sua & pulchritudine sua. Non ergo alium siue angelum siue hominem, sed ipsum peto osculari me osculo oris sui. Serm. 2. super Cant.

De contemptu uerbi inquit Bernhardus: Appetitus uanitatis est, contemptus ueritatis: contemptus ueritatis,causa nostræ cæcitatis.Et quia non probauerũt(inquit) Deum habere in noticiam, tradidit illos in reprobum sensum.Ex hac ergo cæcitate descendit, quòd plerumque pro eo quod est, amamus uel approbamus quod non est:quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur ab eo qui summè est.Epist.16.

De corruptorum hominum studijs inquit Bernhardus: Infœlices enim filij Adam, omissis ueris & salutaribus studijs, caduca potius & transitoria quærunt. Quibus assimilabimus homines generationis huius? aut quibus comparabimus illos, quos uidemus à terrenis & corporalibus consolationibus auelli separariq; non posse? profectò similes sunt his, qui submersi periclitãtur in aquis. Nimirum uideas eos tenentes tenere, nec ulla ratione deserere quod primũ occurrerit manibus,quicquid sit illud,licet tale sit aliquid,quod omnino prodesse non possit, ut sunt radices herbarum, cæteraque similia. Nam etsi qui ad eos fortè ueniant ut subueniant,nonnunquam solent apprehensos inuoluere secũ,adeò ut iam nec sibi nec illis auxiliũ ferre præualeant. Sic pereunt in hoc mari magno & spacioso, sic pereunt miseri, dum peritura sectantes, omittunt solida: quibus apprehensis, emergere & saluare possent

possent animas suas. Neq; enim de uanitate, sed de ueritate dicitur: Cognoscetis eá, & liberabit uos. Serm. 1. De aduentu. Dom.

De falsa doctrina inquit Rupertus: Prophetia quoque pseudoprophetarum, prophetia illorum sua est: quia profectò non Spiritui Dei spiritum suum, uel uoci Dei uocis suæ commodauerunt organum, sed prophetāt de corde suo. lib. 7. cap. 7. in Ioh.

De hostibus uerbi Rupertus sic scribit: Hostes uerbi Dei, seu aduersarij ueritati contradicentes, sunt triplices. Alia diuisio est Iudæorum, & alia hæreticorum, alia paganorum. lib. 2. Com. in Sophon. proph. cap. 2.

Regulæ.

Petrus Alphonsus inquit: Quicquid autem in tenebrosis dictis prophetarum multis accipi potest modis, ita ut quis eam exponens, nec à Scripturæ testimonio, nec à rationis exorbitet semita: nihil est inconueniens, si quis eam diuerso, sed iusto exposuerit sensu. Si cuius autem talis sit expositio, quæ uel à Scriptura, uel à ratione aut sit aut uideatur extranea, ea iusto iudicio carere uiribus est æstimanda. tit. 3. in Dialogo.

Vbi in Latino ponitur Dominus, in Hebræo Iehoua: ubi uerò Deus in Latino scribitur, in Hebræo Elohim, quod pluralitatem significat. tit. 6.

Omnia frequentissimè testantur uolumina, pro Iuda Israel poni. tit. 2.

Scriptura uerbum nullum temerè ponit. tit. 11.

Honorius: Gens cum in singulari numero ponitur, Iudaicus populus accipitur: ut ibi, Ne tota gens pereat. Cum autem plurali numero gentes scribuntur, tunc pagani intelliguntur: ut ibi, Ecce conuertimur ad gentes. In Psal. 9.

Per manus sæpe in Scripturis sacris opera designantur: ut, Labores manuum tuarū manducabis. In manibus linguæ, id est, operibus. opera enim linguę sunt colloquia uel bona uel mala, ex quibus mors nascitur, uel uita. In Prouerb. Salom.

Hugo de S. Victore inquit: Octonarius in sacra scriptura aliquando tempus resurrectionis significat, quod post præsentem uitam sequitur: aliquando tempus gratiæ, in quo quasi post sabbatum legis æterna bona Deo seruientibus promittuntur. lib. 2. Allegor. in lib. Gen.

Domus uel templum Dei in sacris scripturis, unusquisq; electorum, & tota Ecclesia solet appellari: quia in cordibus in se credentium & sperantium diligentiumq; habitare consueuit. lib. 8. Allegor. cap. 1.

Rupertus: Boni auditoris officium est, non animaduertere solùm quid dicat cœlestis orator, uerumetiam quid maximè intendat. lib. 7. Com. in Matth. cap. 7.

Bernhardus: Nec nostra est, nec noua uobis, sed nota omnino sententia, In præcipuis quibusq; partibus nostrę fidei, quid non sit, quàm quid sit, & sciri posse facilius, & periculosius ignorari. Serm. 10. de 10 uersu Psal. Qui habitat, &c.

Petrus Cluniacensis: Vidés ne quàm cautè incedendum sit per tot angustas semitas eloquiorum Dei? Similia quippe huic obscuritati sępè cōtingunt, quę nisi Lector prudenter cauerit, offenso ad lapidem pede, sępe procumbet. Epistolarū lib. 5. epist. 1.

Vbi enim deitas creditur, ratio non quęritur. Sufficit ipsa sibi, nec rationem de operib. suis seu uerbis reddere cōpellitur, quā nihil iniustè agere, nihil absq; ratione posse præcipere, certū tenetur. lib. 1. Epist.

Discernit similia nomina in rebus dissimilib. dissimiliter intelligēda esse: nec uno tantùm uel eodē modo, licet idē sonātia, semper intelligi oportere. lib. 2. Epist. cap. 1.

Petrus Lombardus: Non sermoni res, sed rei sermo subiectus est. lib. 1. Dist. 5.

Ex tropicis locutionibus non est recta argumentationis processio. lib. 3. Dist. 11.

Quid ergo propter quid, & quid secundum quid dicatur, prudens & diligens & pius lector intelligat. lib. 3. Dist. 22.

Scire quid facias, & nescire ordinē faciēdi, non est perfectæ cognitionis. Ordinis namq; ignorantia conturbat meritorum formam. ibidem Dist. 29.

Sed melius est dubitare de occultis, quàm litigare de incertis. lib. 4. Dist. 50.

Richardus: Homo in sacra pagina diuersis modis intelligitur. Aliquādo nāq; dicitur homo secundū etymologiā nominis, ab humo: aliquādo secūdū conditionē dignitatis, ut ubi ad imaginē Dei cōditus dicitur. Aliquando pro affectu uel effectu iniquitatis, ut ubi per Apostolū delinquētib. dicitur, Cū sit inter uos zelus & cōtētio, nōne homines estis? id est, mali & iniqui estis. Aliquādo secundū typū significationis, ut in Euāgelio, ubi malus homo dicitur super bonum semen seminasse zizania. Quem enim rectius secundum typum significationis hunc hominē esse dicimus, quā diabolū? Aliquādo secūdum defectū fragilitatis: ut, Maledictus homo qui confidit in homine: id est, tam fragili & leuiter citoq; deficiente. Aliquando secundū rectitudinē ęquitatis: ut Salomon, Deū time, & eius mādata obserua: hoc est, omnis homo. Quisquis enim timet Deum, et eius mandata obseruat, quia per æquitatem iusticiæ rectus est, homo est. In Apocalypsin, lib. 2.

Rerum

Rerum noticiam triplici modo apprehendimus. Nam alia experiendo probamus, alia ratiocinando colligimus, aliorũ certitudinem credendo tenemus, & temporalium quidem noticiam per ipsam experientiam apprehendimus. Ad æternorũ uerò noticiam modò ratiocinando, modò credendo assurgimus. lib. 1. de Trinitate, cap. 1.

In Scriptura sacra multa quidem, & uelut ex industria minus propriè dicuntur, ut ab exiguitate nostra facilius capiantur. Sæpe autem ea quæ dicit minus propriè, solet euidentiori expreßione corrigere. Hinc est, quòd ubi præmittitur, Æternus pater, æternus filius, æternus Spiritus sanctus: quasi ad ueritatis expreßionem statim annectitur, Et tamen non tres æterni, sed unus æternus. libro 6. de Trinitate, capite uigesimo.

Potho: Oportet namq;, ut occulta scire cupientibus authoritas ianuam aperiat. libro 5. de domo Dei.

Phrases.

Nos sanè per bestias illas, quæ rapina & carne uiuunt, impios homines intelligimus, & raptores: per reliquas uerò pecudes, mansuetos ac simplices: & de illis dixit propheta Esaias, cap. 11. Petrus Alphõsus tit. 9. in Dial.

Hugo de S. Victore inquit: Sciendum quia tribus modis in libro uitæ aliquis scribi perhibetur. Secundum præscientiam, id est, qui prædestinati sunt ad uitam, qui delentur nunquam: quia ex his qui præuisi sunt ad salutem, nemo perire sinitur, licet ad tempus quasi periturus à uia ueritatis errare permittatur. Secundum causam scripti sunt in libro uitæ, qui ad tempus in iusticia ambulant: & tales aliquando sunt qui digni saluatione existerent, si tales usque ad finem permanerent. Isti autem delentur, cum iusticiam cœptam deserunt, & à uia ueritatis, per quam incedere cœperant, ad errores declinando redeunt. Secundum operationem, aut potius secundam humanam existimationem scripti dicuntur in libro uitæ, quorum opera secundum humanum iudicium talia apparent, propter quæ digni uideantur scribi in libro uitæ. In exposit. cantici B. Mariæ.

Rupertus: Liber uitæ rectè dicitur liber agni: quia cuncti electi, quorum nomina in illo libro sunt, non aliter quàm per agnum IESVM Christum, per sanguinem eiusdem agni IESV Christi benedictionem illam, qua nasci uel multiplicari iussi sunt, quam & in Adam perdiderunt, recuperare potuerunt aut possunt. lib. 8. Com. in Apocal. cap. 13.

Implere. Decet nos implere omnem iusticiam, taliter ut unus ex nobis fiat quasi Adam: id est, ita fiat homo, ut etiã sit mortalis secundum carnem, sicut Adam: & tali morte moriatur, quasi sceleratus, sicut est Adam: & inter iniquos reputetur, qualium omnium exemplum est Adam. Rupertus lib. 4. de glorif. Trinit. & de proceß. Spiritus sanct. cap. 9.

Stare in ueritate, est non aliud intelligere, nisi ipsum Dei filium, qui hæc loquitur. Ideoq; stare in ueritate, idem est, quod ueritatem amare: stare uel esse in Christo, idem est, quod Christum diligere. Idem libro 8. cap. 8. Com. in Iohan.

Intrare per ostium autẽ, est imitari Christum, qui est pastor & ostium. Idem lib. 9. cap. 10. Com. in Iohan.

Facere propriam uoluntatem, est propria uti potestate iniustè, aliquid disponere, non rerum merita pensare, sed præiudicia facere, bonum malum, uel malum bonum dicere: tenebras pro luce, & lucem pro tenebris ponere. Idem lib. 6. Cõment. in Iohan. cap. 6.

Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo, unitatem personæ in se uno Christo Deo & homine uoluit commendare. lib. 7. Comment. in Iohan. cap. 7.

Bernhardus: Et uerè offendit in lapidẽ, qui murmurat & blasphemat, seipsum collidens, non eum quem furibundus impingit. Serm. 12. de 11 uersu Psalm. Qui habitat, &c.

In præsentia enim uultus glorificatio, in noticia nominis protectio exhibetur. Serm. 15. de 14 uersu eiusdem Psal.

Mundicordes utique uocat pater cœlestis, qui non quærunt quæ sua sunt, sed quæ IESV Christi: nec quod sibi utile, sed quod multis. Sermon. 27. de Conuers. ad clericos.

Est unitas. Est unitas naturalis, est unitas carnalis, unitas uirtualis, unitas moralis, unitas spiritualis, unitas socialis, unitas personalis, unitas principalis. Vnitas naturalis est inter corpus & animã, unitas carnalis inter uirum & mulierẽ: de qua dictum est, Erunt duo in carne una. Vnitas uirtualis est, quæ hominem sibijpsi coniungit, ut nõ per diuersa effluat, sed cum propheta unã petat à Domino. Vnitas moralis est, quæ nos coniungit cum proximo. Vnde Psalmista: Qui habitare facit unius moris in domo. Vnitas spiritualis est, quæ nos coniungit Deo. Vnde Apostolus: Qui adhæret Deo, unus spiritus est. Vnitas socialis inter angelos, quibus omnimodis idem uelle est, idem nolle. Vnitas personalis in Christo, uni-

sto, unitas principalis, quæ & substantialis, est in trinitate. Serm. 44. par. Serm.

Osculetur me osculo oris sui. Tria sunt oscula, reconciliatorium, muneratorium, contemplatorium. Primum ad pedes, secũdum ad manum, tertium ad os sumitur. In primo accipitur remissio peccatorum, in secundo munus uirtutum, in tertio cognitio secretorum. Vel ita, osculum doctrinæ, naturæ, gratiæ. Serm. 54. par. Serm.

Quid est in corde suo dicere, Non requiret: nisi non metuere quòd requirat? Super Cant. Serm. 16.

Quanquam tamen Scriptura loquatur: Omne quod natum est ex Deo, non peccat. Sed hoc dictum est de prædestinatis ad uitam, non quòd omnino non peccent, sed quòd peccatum ipsis non imputetur. In tractatu de Grat. & lib. arbit.

Malè interpretatur sententiam, Ego sum, inquit, uia, ueritas & uita. Viam dicit humilitatem, quæ ducit ad ueritatem. Altera labor, altera fructus laboris est. Vnde sciam, inquis, quòd ibi de humilitate locutus sit, cum indeterminatè dixerit, Ego sum uia? Audi apertius: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Se ergo proponit humilitatis exemplum, mansuetudinis formam. Tractatu de 12 grad. hum.

Lombardus: Frui autem, est amore alicui rei inhærere propter seipsam: uti uerò, id quod in usum uenerit, referre ad obtinendum illud, quo fruẽdum est: aliàs abuti est, non uti. nam usus illicitus, abusio uel abusus nominari debet. lib. 1. Dist. 1.

In Scriptura per singularem numerũ pluralis numerus sępe significari: ut ibi, Ora ergo ad Deum, ut auferat à nobis serpentem. non ait, Serpentes quos patiebatur populus. Et econuersò per pluralem significatur singularis numerus: ut in Euangelio, Mortui sunt enim, qui quærebant animam pueri. non ait, Mortuus est: cum loqueretur de Herode. Et in Exodo, Fecerunt Deos aureos: cum unũ fecerint uitulum, de quo dixerũt: Isti sunt dij tui Israel. Li. 2. Dist. 34.

Locus tamen Dei abusiuè dicitur templũ Dei, non quòd eo cõtineatur, sed quòd ei præsens sit, & inhabitans: id autem anima munda intelligitur. lib. 2. Dist. 36.

Secundum enim habet multiplicem rationem. Aliquando enim exprimit conditioné uel proprietatem diuinæ naturæ uel humanæ. Aliquando unitatem personę, aliquando notat habitum, aliquando causam. Cuius distinctionis rationem diligẽter Lector animaduertat, atq; in sinu memoriæ recondat, ne eius confundatur sensus, cum de Christo sermo occurrerit. Distinct. 10. lib. 3.

Richardus: Tribus modis accipitur mundus. Aliter namque, sicut tradunt doctores, intelligitur mundus, cum dicitur Creator mundi: aliter cum dicitur, Saluator mundi: aliter cum dicitur, Diabolus princeps mundi. Est itaq; mundus, cuius creator Deus est: & mũdus, cuius Deus saluator est: & etiam mundus, cuius diabolus princeps est. Mundus, cuius Deus creator, intelligitur uniuersalis fabrica mundi: de qua dicitur, In mundo erat, & mundus per ipsum, &c. Mundus, cuius Deus saluator est, intelligitur uniuersalis Ecclesia Dei: de qua scriptũ est, Sic Deus dilexit mundum, &c. Mundus, cuius diabolus princeps est, intelligitur uniuersalis concupiscentia seculi: de qua dicitur, Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Lib. 3. in Apocalyp.

Potho: Tribus modis similitudo dicitur. Alia est namq; similitudo substantialis, alia imaginaria, alia imitatoria. Similitudo substantialis agnoscitur in patre & filio & Spiritu sancto: quia hæc quidem sunt tria in tribus personis uocabula, sed una eademq; in nullo dissimilis est substantia patris & filij & Spiritus sancti. Substantiali quippe similitudine pater & filius & Spiritus sanctus unum sunt, quamuis alius sit in persona pater, alius in persona filius, alius in persona Spiritus sanctus. Imaginaria similitudine se adinuicem habent uerus homo & pictus homo. Sed aliud est, quod in imagine, quæ similis est homini, uidemus, aliud quod in uiuente homine conspicimus. Imitatoria similitudine sic bene cõueniunt, qui alterna morum similitudine mutuò se respiciũt, licet specie uisibili ualde dissimiles sint. Per hanc siquidem imitatoriam similitudiné habitare facit Deus homines unius moris in domo, quia per imitationem mutuá inest eis amica morum similitudo. Lib. 4. de statu domus Dei.

Senarius namq; numerus perfectus est, & perfectionem boni operis insinuat. Hinc est quòd sex diebus operatus est Deus omne opus suum. Sex ergo alæ uni, & sex alæ alteri: quia in utroq; Testamento, ueteri scilicet ac nouo, perfectio operum Dei prædicatur, & charitas perfecta commendatur. Ibidem.

Alia est sapientia non creata, sed genita: alia creata quidem, sed non genita. Sapientia à Deo patre genita, non creata, Dei filius est. Libro quinto.

DE VETERI
Testamento.

Richardus inquit: Omnis diuina scriptura in duobus Testamentis continetur, ueteri uidelicet & nouo. Vtrumq; Testamentum tribus ordinibus distinguitur. Vetus Testamentum continet legem & Pro-

phetas & Hagiographos: Nouum autē Euāgelia, Apostolos, patres. lib. 2. cap 9. Except.

De duobus Testamētis sic inquit Petrus Alphonsus: Per duos nodos inferiores duo insinuantur Testamēta, lex scilicet Mosi, & Euangelium. tit. 6. Item: Moyses legem ueterem, Christus uerò nouam dedit. Ibidem.

Rupertus ait: Sunt qui duo animalia, duo intelligāt Testamēta, nouum & uetus, quæ uerè animantia sint atq; uitalia quæ spirēt, & in quorum medio Dominus cognoscatur. cap. 3. lib. 3. in Abacuc. Et: Nouum Testamentum longè clarius quàm uetus prædicat tum absoluta tum relatiua nomina trinitatis. Libro 7. de glor. Trin. & process. Spiritus S. capite 15.

Petrus Cluniacensis ait: Et quoniam totus textus cœlestis oraculi, quo Deus aut per se, aut per alios hominibus locutus est, in ueteri & nouo Testamento consistit: ueniat primò ad medium nouum Testamentum, nō quia prius est, sed quia dignius est. Quod idcirco Testamētum dicitur, quia sicut uetus uituli morte & sanguine dedicatum est, ita nouum morte & aspersione sanguinis IESV Christi consecratum est. Libro primo Epistolar.

De diuisione ueteris & noui Testamēti Honorius inquit: Scriptura ueteris Testamēti Spiritu sancto autore à prophetis scribitur, & in tria, id est in historiam, in prophetiam, & in hagiographiā diuiditur. Historia est, quæ præterita narrat: prophetia, quę futura nunciat: hagiographia, quę æternæ uitæ gaudia iubilat. Hic liber in hagiographia locum possidet, qui laudibus æternæ patriæ plenus refulget. in prolog. Psal.

De fine ait Rupertus: Christus & Spiritus sanctus in ueteri Testamēto promissus. Libro 1. capite 2.

Petrus Cluniacensis inquit: Omnia illis in figura contigisse, & scripta esse ad correctionem nostram: quæ sicut multos à suis erroribus correxerunt, utinam & uos à uestris corrigere possint. Lib. 1. Epist.

De abrogatione inquit Petrus Alphonsus: Christus aduenieus ueteres ritus, quos ante susceptam per manum Moysi legem excolebant, post eandem susceptam prohibuit exercere, duas uel sorores simul ducere uxores, uel amitam uxorem accipere, omnibus animalibus uesci. titulo 4. in Dialog.

DE NOVO TE-
stamento.

DE nouo Testamento ait Petrus Cluniacensis: Dico ego Testamentum à Christo datum, & nouum esse, & æternum. Nouum, quia tuum antiquius. Lib. secundo Epist. contra Iudæos.

De noua lege sic scribit Petrus Alphōsus: Item de noua lege sic loquitur Hieremias: Ecce dies uenięt, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi cū patribus corū, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerē eos de terra Ægypti. Vbi enim in Latino habetur, Fœdus nouum, in Hebraico inuenies, Berith hadasa, quod interpretatur, lex noua, Moyse attestante, qui multis in locis præcepta legis suæ berith appellat. Ipse enim Hieremias, quòd de noua lege fœdus nouū dixerit, innuit, cum ait: Non secundum pactum quod pepigi cū patribus eorum, in die qua apprehendi manū eorum, ut educerē eos de terra Ægypti. Hic namq; apertè loquitur de pacto, id est de lege illa quam dedit Dominus Mosi in deserto post egressum Aegypti. Titulo 12.

Samuel inquit: Dauid in psalmo 97, Cātate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Et quid est canticum illud nouū, Domine mi, nisi Testamentū nouum: & antiquum, nisi lex antiqua? Et de istis etiā musicis dicit Deus per Dauid prophetā, Psal. 134: Cātate Domino omnis terra, psalmum dicite nomini eius. Et in eodem: Cantabūt tibi, & psallent nomini tuo uniuersæ familię gentium. Et notanter dicit, Vniuersæ familiæ gentium, & non Israel singulariter. capite 2. ueri Messiæ parastasis.

Vetus Testamētum nouo confirmari. Petrus Cluniacensis: Euangelium enim toti Veteri instrumento testimoniū dat: & eius insuper authoritatib. ea ipsa quę prędicat confirmat. Non'ne Christus in Euāgelio authoritatē ueteris Testamenti sua authoritate firmauit, quando post resurrectionē discipulis omnibus apparens, dixit: Oportebat omnia impleri quæ scripta sunt in lege Mosi & prophetis & psalmis de me? Nō'ne eādē indissolubili uinculo confirmauit, quando eisdem discipulis aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas? Non'ne eandē confirmauit, quando duobus discipulis in Emaus euntibus dixit: O' stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quę locuti sunt prophetæ? Et quid ultrà exigetis? An'non sufficit uobis tanta tamq; pręclara authoritas, qua Christus legi Mosi, qua prophetis, qua psalmis, non confusè, sed distinctè testimonium perhibuit, quando primò legis, deinde prophetarum, ad ultimum Psalmorū scripta de se, & in se impleri oportuisse docuit. Li. 1. Epist. Item: Fert enim Euāgelium omnib. quos suprà dixi testimoniū, eisq; authoritatē canonicā dat, cum sermones suos eorum sermonibus confirmat. Ibidem.

DE DEO.

ESse Deum, Petrus Alphōsus docet uos Dialogo, tit. 1. sic inquiens: Quoniam igitur

igitur firmamētum cum omnibus quæ poſſidet compoſitum ſecundum philoſophos non dubitatur, neceſſe eſt ut principium habere credatur. Omne enim compoſitum aliquod habet principium. Hoc igitur modo patet, mundum eſſe creatum. Omne autem compoſitum neceſſe eſt compoſitorem habere: neq; enim aliquid ſeipſum poteſt cōponere. Eodemq; modo omne creatū creatorē habere neceſſe eſt: nihil enim ſeipſum poteſt creare. Creatorem igitur mundi qui Deus dicitur, eſſe neceſſe eſt. Dial. 1. Itē: Qui Scripturis fidem accommodant, Deum nō eſſe negant: ideoq; non neceſſe fuit probare hoc Scripturæ credentibus, ſed tantummodo nulli ſcripto credentibus. Ibidem.

Iohānes Salesberienſis inquit: Omnium temporum una fides eſt, Deum eſſe, eundemq; iuſtum & bonum & remuneratorē ſperantium in ſe, omnium plenè meritis reſpondentem ante legem, ſub lege, ſub gratia. lib. 2. Polycrat. de curial. nugis, capite 27.

Dominus temporis. Lombardus: Licet nō cœperit ex tempore Dominus eſſe temporis, cœpit tamen eſſe Dominus temporis: quia non ſemper fuit tempus. & ipſius hominis ex tempore cœpit eſſe Dominus. libro primo, Diſt. 30.

Ignis Deus. Bernhardus: Ignis qui Deus eſt, conſumit quidem, ſed non affligit: ardet ſuauiter, deſolatur fœliciter. Eſt enim uerè carbo deſolatorius: ſed qui ſic in uitia exerceat uim ignis, ut in anima exhibeat uicem unctionis. Ergo in uirtute qua immutaris, & in amore quo inflammaris, Dominum præſentem intellige. Nam dextera Domini facit uirtutem. Serm. 57. ſuper Cantica.

Hildegardis inquit: Ignem quem uides, deſignat omnipotentem & uiuentem Deū, qui in clariſsima ſerenitate ſua nunquam ulla iniquitate obfuſcatur, incomprehenſibilis manens: quia nulla diuiſione diuidi poteſt, aut initio aut fine aut ulla ſcintilla ſcientiæ creaturæ ſuæ comprehendi ſicuti eſt. & inextinguibilis exiſtēs: quoniam ipſe eſt plenitudo, quam nunquam ullus finis tetigit. ac totus uiuens: quia nulla omnino res ipſi abſconſa eſt, quam neſciat. totusque uita exiſtēs: quoniam omne quod uiuit, ab ipſo uiuere ſumit, ſecundum quod Iohan. dicit: Quis ignorat quòd omnia hęc manus Domini fecerit? Viſion. 1. libro 2.

De nominibus Dei. Bernhardus: Quòd diuerſis nominibus Deum nunc quidem patrem, nunc magiſtrum uocemus, aut Dominum, non illius ſimpliciſsimæ & omnino inuariabilis naturæ diuerſitas ulla in cauſa eſt: ſed affectionum noſtrarum multiplex uariatio, ſecundū diuerſos profectus animę uel defectus. Serm. de diuer. affect. animæ.

Lombardus inquit: Illud ergo præcipuè teneamus, quædam eſſe nomina diſtinctè ad ſingulas perſonas pertinentia, ut ait Aug. lib. 8. de Trin. quæ de ſingulis tantùm dicuntur perſonis. Quędam uerò unitatem eſſentiæ ſignificantia ſunt, quæ & de ſingulis ſigillatim, & de omnibus communiter dicuntur. Alia uerò ſunt quæ tranſitiuè ac per ſimilitudinem de Deo dicuntur. libro 1. Diſt. 22. Item: His adijciēdum eſt, quædam eſſe nomina, ut Aug. li. 5. de Tri. ait, quę ex tēpore Deo conueniunt, & relatiuè ad creaturam dicuntur, quorum quædam de omnibus dicuntur perſonis, ut Dominus, creator, refugiū: quædam autē nō de omnibus, ut donatus, datus, miſſus. ibidem. Item: Sūt etiam quædam nomina quę ex tēpore Deo conueniunt, nec relatiuè dicuntur, ut humanatus, incarnatus, & huiuſmodi. Ibidē. Et: Illa quę propriè ad ſingulas perſonas pertinent, relatiuè adinuicem dicuntur: ſicut pater & filius, & utriuſq; donum Spiritus ſanctus. Ea uerò quæ unitatem eſſentiæ ſignificant, ad ſe dicuntur: & ea quæ ad ſe dicuntur, ſubſtantialiter utiq; dicuntur, & de omnibus communiter, & de ſingulis ſigillatim dicuntur perſonis: & ſingulariter, non pluraliter accipiuntur in ſumma. ut Deus potens, magnus, & huiuſmodi. Quæ autem relatiuè dicuntur, ſubſtantialiter non dicuntur. Ibidem. Item: Nomina unitatem diuinę maieſtatis ſignificantia, & ad ſe dicuntur de Deo, id eſt, ſine relatione, & de omnibus perſonis cōmuniter, & de ſingulis diuiſim dicuntur, nec pluraliter, ſed ſingulariter in ſumma accipiuntur. Illa uerò nomina quæ propriè ad ſingulas pertinent perſonas, relatiuè, non ſubſtantialiter dicūtur. Ibidem. Et: Cum omnia nomina quæ ſecundum ſubſtantiam de Deo dicuntur, ſingulariter & non pluraliter de omnibus in ſumma dicantur perſonis, ut ſuprà oſtenſum eſt: eſt tamen unum nomen, ſcilicet perſona, quod ſecundum ſubſtantiam dicitur de ſingulis perſonis, & pluraliter, non ſingulariter in ſumma accipitur. Dicimus enim, Pater eſt perſona, filius eſt perſona, Spiritus ſanctus eſt perſona: & hoc ſecundum ſubſtantiam dicitur. Nec tamen dicitur, Pater & filius & Spiritus ſanctus ſunt una perſona, ſed tres perſonæ. Hoc ergo nomen excipitur à prædicta regula nominum, quæ ſecundum ſubſtantiam de Deo dicuntur: quia cum hoc ad ſe dicatur, & ſecundum ſubſtantiam, pluraliter tamen, non ſingulariter in ſumma accipitur. Ibidem Diſt. 33.

Deus inquirendus. Bernhardus: Ergo ſolum inquirere Deū propter ipſum ſolū, hoc planè eſt utrāq; bipertitæ intentionis faciē habere pulcherrimam. Ser. 40. ſuper Cant.

De cognitione Dei Honorius inquit: Quemadmodum diximus, in hac uita sciri Deum esse, rationes quibus etiam incredulis hoc posit probari aperiamus: scilicet per mundi creationem, & quotidianam dispositionem, &c. Est ergo in diuinitate potentia, sapientia, uoluntas, quas sancti tres personas uocát, uocabula illis à uulgari propter affinitatem quandam transferentes, uocantes potentiam diuinam patrem, sapientiam filium, uoluntatem Spiritum sanctum, &c. Hæc personarum Trinitas est essentiæ unitas: una enim est substantia, potentia diuina & sapientia & bonitas. libro 3. de ph. mund. capite 11.

Bernhardus inquit: Nemo autem nouit filium, nisi pater, & nemo nouit patrem, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. At uerò cuicunq; fit ista reuelatio, siue patris siue filij, non fit nisi per Spiritum sanctum. Hinc est, quòd cum Petrus dixisset Domino, Tu es Christus filius Dei uiui: ille respondit, Beatus es Simon Bariona (quod interpretatur filius colũbæ) quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Et Apostolus cũ præmisisset, Quod oculus non uidit, neq; auris audiuit, & cætera. statim subiunxit, Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum sanctum. Videtur ergo sponsa gratiam habere Spiritus sancti, per quam cognoscat filium æqualem patri. Ser. 53. par. Serm. Item: Ex quibus liquidò constat, quia nec pater sine filio, nec filius sine patre agnoscitur. Meritò proinde non in alterius tantùm, sed in utriusque cognitione constituit summam beatitudinem, qui dicit: Hęc est uita æterna, ut cognoscant te uerum Deum, & quem misisti IESVM Christũ. Serm. 8. super Cát. Item: Si noticia Dei causa est ut homo aliquid sit, ignorantia facit ut nihil sit. In lib. Epistolarum, epist. 18.

Hic articulus est supra rationem. Richardus: Illa dicimus & supra rationem & præter rationem esse, quibus uidetur omnis ratio humana cõtraire. Qualia sunt ea, quę de trinitatis unitate credimus, & multa quæ de corpore Christi indubitata fidei autoritate tenemus. Quòd enim in una & simplici natura triplex sit persona, uel quòd unũ idemq; corpus eodem in tempore in diuersis locis esse posit, nulla humana ratio patitur, & huiusmodi assertionibus omnis absq; dubio ratiocinatio reclamare uidetur. In lib. de contempl. grad. cap. 86.

Sobriè de Deo cogitãdum. Bernhardus: Ergo accedendum ad eum, non irruendũ, ne irruens scrutator maiestatis opprimatur à gloria. Nec locis sanè accedẽdum, sed claritatibus: ipsisq; non corporeis, sed spiritualibus, tãquam à Domini spiritu. A' Domini planè, & non à nostro, quamuis in nostro. Qui itaq; clarior, ille propinquior: esse autẽ clarissimum, peruenisse est. Porrò iam præsentibus non aliud est uidere sicuti est, quã esse sicuti est, & aliqua dissimilitudine non confundi. Sed id tunc, ut dixi. Interim uerò tanta hæc formarum uarietas atq; numerositas specierum in rebus cõditis, quid nisi quidam sunt radij deitatis, monstrãtes quidẽ quia uerè sit à quo sunt, non tamen quid sit prorsus diffinientes? Itaq; uides de ipso, sed non ipsum. Cum autem de eo quem nõ uides, cętera uides: scis indubitanter existere, quem oportet inquirere, ut inquirẽtem non fraudet gratia, negligentem ignorantia non excuset. Serm. 31. super Cantic.

Lombardus ait: De hac re ergo summa & excellentissima cum modestia & timore agendũ est, & attentissimis auribus atq; deuotis audiendum, ubi quæritur unitas trinitatis, patris scilicet, & filij & Spiritus sancti: quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur. Proinde omnis qui audit & legit ea quę de ineffabili & inaccessibili luce diuinitatis dicuntur, studeat imitari atq; seruare quod uenerabilis doctor Aug. in 1. lib. de Trin. de ipso ait: Nõ pigebit me, inquit, sicubi hęsito, quærere: nec pudebit, sicubi erro, discere. Quis ergo audit hoc, uel legit, ubi pariter certus est, pergat mecum: ubi pariter hæsitat, quærat mecum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me: ubi meum, reuocet me. Ita ingrediamur simul charitatis uiam, tendentes ad eũ de quo dictum est: Quærite faciẽ eius semper. lib. 1. Dist. 2.

De scrutando Deo sic inquit Bernhardus: Non opprimitur, quia non scrutatrix maiestatis est, sed uoluntatis: nam quod maiestati attinet, interdum quidem & in ipsam intendere audet, sed quasi admirans, non quasi scrutans. Sed & si quando per excessum rapi in illam contingat, digitus Dei est iste, dignanter leuans hominem: non hominis temeritas, insolẽter Dei alta peruadens. Cum enim Apostolus raptum se commemoret, ut ausum excuset: quis nam alter præsumat mortaliũ huic se diuinæ maiestatis horrendo scrutinio proprijs intricare conatibus, & importunus cõtemplator pauenda irrumpere in arcana? Scrutatores proinde maiestatis tanquam irruptores dici reor, non qui scilicet rapiuntur in eam, sed qui irruunt. Ipsi itaq; opprimuntur à gloria. Ergo formidolosa scrutatio maiestatis, at uoluntatis tam tuta quàm pia. Quid ni tota diligẽtia scrutãdo instẽ sacramento gloriæ uolũtatis, cui mihi parendum per omnia scio? Suauis gloria quę non aliunde

aliunde quàm de ipsius suauitatis contemplatione procedit, quàm de diuitiarum bonitatis ac multæ miserationis intuitu. Deniq; uidimus gloriam hanc, gloriam quasi unigeniti à patre. Totũ nempe benignũ & uerè paternũ, quod apparuit gloriæ in hac parte. Non me opprimet gloria ista, totis licet uiribus intendentem in se, ego potius imprimar illi. Etenim reuelata facie speculantes in eandem imaginem trãsformamur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Transformamur, cum conformamur. Absit autem ut in maiestatis gloria, & non magis in uoluntatis modestia, Dei ab homine conformitas præsumatur. Serm. 62. super Cant. Item: Stupenda planè sublimitas maiestatis, pauẽda abyssus iudiciorum: fauorem exigit charitas, æternitas perseuerantiam sustinendi. Quis stupet, nisi qui cõtemplatur gloriam Dei? Quis pauet, nisi qui scrutatur profundum sapientiæ? Quis feruet, nisi qui meditatur charitatem Dei? Quis sustinet & perseuerat in amore, nisi qui æmulatur æternitatem charitatis? Nempe æternitatis quandam imaginem perseuerãtia præ se fert. Deniq; sola est, cui æternitas redditur, uel potius quæ æternitati hominem reddit, dicẽte Dño: Qui perseuerauerit usq; ad finẽ, saluus erit. De consi. li. 5.

Maiestas non scrutanda. Petrus Cantor: Horrendum est de cœlestibus & summo bono omnium autore, puluerem & quisquilias & sarmenta uilia colligere, multò magis in perscrutanda maiestate illius. capite 4. de uerbo abbreuiato.

Secreta Dei ab hominib. aspici nequeũt: Hildegardis: Sicut homo nec diuinitatem mortali obtuitu ualet aspicere, sic secreta eius mortali sensu non potest capere, nisi quantum in permissione Dei possibile illi est. lib. 3. uision. 10.

Per filium cognoscere Deum. Honorius: Per faciem homo cognoscitur, & Deus per filium in mundo cognoscitur. In Psalm. 12.

Quid gentibus de Deo notũ sit. Bernhardus: Audi deniq; quid eis de Deo reuelatũ fuerit. Sempiterna (ait) uirtus eius, & diuinitas. Vides quia quod sublimitatis, quod maiestatis est, in præsumptione spiritus non Dei, sed sui rimati sint: quòd autẽ mitis sit, & humilis corde, non intellexerint. Serm. 8. super Cant.

Ex creatura Deũ cognosci. Lombardus: Potuerunt ergo cognoscere, siue cognouerũt, ultra omnẽ creaturã esse illũ, qui ea fecit, quę nulla creaturarũ facere uel destruere ualeat. Accedat quęcunq; uis creatura, & faciat tale cœlũ & terrã, & dicã, quia Deus est. Sed qa nulla creaturã talia facere ualet, constat super omnẽ creaturã esse illũ qui ea fecit, ac per hoc illũ esse Deũ humana mens cognoscere potuit. li. 1. Dist. 3. Item. Cũ ergo Deus una sit & simplex essentia, quę ex nulla diuersitate partiũ uel accidentiũ cõsistit, pluraliter tamẽ dicit Apostolus, Inuisibilia Dei: quia pluribus modis cognoscitur ueritas DEI per ea quæ facta sunt. Ex perpetuitate namq; creaturarũ intelligitur cõditor æternus, ex magnitudine creaturarũ omnipotẽs, ex ordine & dispositione sapiens, ex gubernatione bonus. Hæc autẽ omnia ad unitatẽ deitatis pertinẽt mõstrandã. ibidẽ. Addit tamẽ correctionẽ. In creaturis aliquatenus imago trinitatis indicatur: non enim per creaturarũ contemplationem sufficiens noticia trinitatis potest haberi, uel potuit sine doctrinæ uel interioris inspirationis reuelatione. Vnde illi antiqui philosophi quasi per umbrã & de longinquo uiderũt ueritatem, deficiẽtes in cõtuitu trinitatis, ut magi Pharaonis in tertio signo. Adiuuamur tamen in fide inuisibilium per ea quæ facta sunt. libro 1. Dist. 3.

De ueri & falsi Dei differentia inquit Rupertus: Hoc pręcipuè differt falsus Deus ab eo qui solus est uerus Deus, q, ille mutabilis est, & multis uariatur accidẽtibus: uerus autem Deus incõmutabilis est, & nullis subiacet accidentibus. Libro 1. Comment. in Abac. proph. capite 1.

Perfectè quidẽ Deũ non posse cognosci, testatur Honorius, dicens: Quãuis sciamus Deũ esse, quid sit perfectè non cõprehendimus. Quantitas uerò eiusdẽ, qui omnia implet, angustias nostri pectoris excedit. Relationi illius explicandæ humana sapientia deficit. Lib. 3. de phi. mundi, capite 4.

Deo adhęrendũ. Bernhardus: Adhęrẽdo ei qui semper & beatè est, semper & nos esse & beatè esse poteramus. Adhærendo autem dixerim non solùm per cognitionem, sed per amorem. Epist. 18.

QVID SIT.

Bernhardus ait: Quid item Deus? Sine quo nihil est. Tam nihil est. Tam nihil esse sine ipso, quã nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodãmodo solus est ipse, qui suũ ipsius est & omniũ esse. Quid est Deus? Principium. Et hoc ipse de se respõsum dedit. Multa in rebus dicuntur principia, sed respectu posteriorũ. Alioquin si ad aliquid pręcedẽs respicias, ipsum potius principiũ dabis. Quamobrẽ si quæras uerũ simplexq; principium, inuenias oportet quod principiũ nõ habuerit. Ex quo uniuersum cœpit, ipsum profectò minimè cœpit. Nã si cœpit, aliunde cœperit necesse est. A' se enim cœpit nihil. De Cõsid. li. 5. Et: Quid est Deus? cui secula nec accesserunt nec decesserunt, nec coęterna tamen. Quid

est Deus? Ex quo omnia, per quē omnia, in quo omnia. Ex quo omnia, creabiliter, non seminabiliter. Per quē omnia, ne aliū authorē atq; aliū opificē arbitreris. In quo omnia, nō quasi in loco, sed quasi in uirtute. Ex quo omnia, tanquā uno principio authore omnium. Per quem omnia, ne alterū inducatur principiū, artifex. In quo omnia, ne tertium inducatur, locus. Ex quo omnia, nō de quo, quia non est materia Deus. Efficiens causa est, non materialis. Ibidem. Item: Quid est Deus? Quo nihil melius cogitari potest. Si approbas, nō oportet asséntiaris esse aliquid quo Deus sit, & qđ Deus non sit. Hoc enim sine dubio melius. Quomodo non melius Deo, si Deus nō est, quod dat Deo ut sit? At melius illā diuinitatē quā dicunt Deū esse, nō aliud quā Deū esse fatemur. Nō est ergo in Deo, nisi Deus. Quid, inquiūt, negas Deū habere diuinitatē? Nō, sed quod habet, hoc est. Negas diuinitatē Deū esse? Non, sed nō alia quā quę ipse est. Aut si tu aliā inuenisti, adiuuet me trinitas Deus, aduersus illā tota me contumacia erigo. Ibidē. Et: Quid est Deus, tū quia toties iā quęsitū est, tū qa diffidis inuentū iri? Dico tibi pater Eugeni, solus est Deus qui frustra nunquā quæri potest, nec cū inueniri nō potest. Doceat te de hoc experimentū tuū: aut si nō, experto credito, non mihi, sed sancto, qui ait: Bonus es Domine nō desperātibus in te, animę quęrenti te. Quid ergo est Deus? Quod ad uniuersum spectat, finis: quod ad electionē, salus: quod ad se, ipse nouit. Quid ergo est Deus? uoluntas omnipotens, beneuolentissima uirtus, lumē æternū, incōmutabilis ratio, summa beatitudo, creās mentes ad se participandū, uiuificans ad sentiendū, afficiens ad appetendū, dilatās ad capiendū, iustificans ad promerendū, accēdēs ad zelū, fœcundans ad fructū, dirigens ad æquitatem, formans ad beneuolentiā, moderans ad sapientiā, roborans ad uirtutē, uisitās ad cōsolationē, illuminans ad cognitionē, perpetuans ad immortalitatē, implens ad fœlicitatē, circundans ad securitatē. Quid est Deus? Non minus pœna peruersorū, quā humilium gloria. Est enim rationabilis quædam æquitatis directio incōuertibilis atq; indeclinabilis, quippe attingēs ubique, cui illisa omnis prauitas conturbetur necesse est. Quid ni in hanc omne tumidū uel distortū impingat & conquassetur? Vę uniuerso qđ obuiū fortè offenderit, cedere nescia rectitudo. Nā & fortitudo est. Quid iniquis uoluptatibus tā contrariū & aduersum, quàm semper conari, impingere semper, & frustra? Væ oppositis uolūtatibus, solā suæ profectò auersionis referētibus pœnam. Ibidē. Itē: Quid est Deus? Lōgitudo, latitudo, sublimitas & ꝓfundū. Quid inquis? tenemus te quaternitatis (quā abominatus es) professorē? Minimè. Abominatus sum, & abominor. Visus sum protulisse plura, sed unum est. Vnus Deus signatus est pro capite nostro, nō pro suo statu. Diuisus est hic, nō ille. Voces diuersæ, semitæ multæ: sed unū per eas significatur, unus quæritur. Non diuisiones substātię in quaternario isto expressæ sunt, non dimensiones, quales in corporib. intuemur: nō distinctio personalis, qualē in trinitate adoramus: nō numerus proprietatum, qualē personis ipsis inesse fatemur, etsi non aliud à personis. Alioquin hoc singulū horū uideo, qđ quatuor simul: hæc quatuor ipsa, quod singulū est. Nobis aūt quia nō possumus cū Deo simplicitate contēdere, dū cōtendimus apprehēdere unū, occurrit ueluti quadruplicatū. Facit hoc speculū & ænigma, per quod solū interim uidere datur. Cū aūt uidebimus facie ad faciē, uidebimus sicuti est. Ibidē. Itē: Quid igitur est Deus? Longitudo, inquā. Quid ipsa? Æternitas. Hęc tā lōga ut nō habeat terminū, nō magis loci quàm tēporis. Est & latitudo. Et ipsa quid? Charitas. Quibus & ista terminis angusteturin Deo, qui nihil odit horū quę fecerit? Deniq; solē suū oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Ergo & inimicos concludit sinus ille. Nec hoc quoq; cōtentus euadit in infinitū. Omnē non modò affectionē, sed & cognitionē excedit, adijciente Apostolo & dicēte, Scire etiā supereminentē sciētię charitatē Christi. Quid plus illicā? Æterna est. nisi quod hoc plus forsitan est, quia ęternitas est. Vides tantā esse latitudinē, quantā & longitudinē? utinā sic uideas nō tantā esse, sed ipsam id esse unā, quod alterā, nō minus unā quā duas, nec plus duas quā unā. Deus æternitas, Deus charitas est, longitudo sine protēsione, latitudo sine distensione. In utroq; pariter locales quidē excedit, tēporalesq; angustias: sed libertate naturę, nō enormitate substātię. Tali modo immensus est, qui omnia fecit in mēsura: & quāuis immēsus, hic tamē modus & ipsius immēsitatis. Quid itē Deus? Sublimitas & profundū: in altero supra omnia, in altero intra omnia. Liquet in Deitate nusquā claudicare æqualitatē, stare eā undiq; firmiter, constare immobiliter sibi. Sublime potētiā, profundū sapientiā eius cōsidera. Ex æquo & ista respōdent sibi, dū & sublimitas inattingibilis, & ꝓfunditas æquè inscrutabilis cognoscatur, Paulo admirante & exclamāte: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quā inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uię illius! Libet & nos exclamare cum Paulo, horū utrumq; intuētes in Deo, & cū Deo simplicissimam unitatem

tẽ: O sapientia potẽs, attingẽs utiq; fortiter. O potentia sapiens, disponens omnia suauiter. Res una, effectus multiplex, operationesq; diuersæ. Et illa una res est, longitudo propter æternitatem, latitudo propter claritatem, sublimitas propter maiestatẽ, profunditas propter sapientiam. ibidem.

Est essentia. Lombardus: Est itaq; Deus, ut ait Aug. lib. 5. de tri. sine dubitatione substãtia, uel si melius hoc appellatur, essentia, quam Græci οὐσίαν uocant. Sicut enim ab eo quod est sapere, dicta est sapientia, & ab eo quod est scire dicta, est sciẽtia: ita ab eo quod est esse, dicta est essentia. Et quis magis est, quã ille qui dixit famulo suo: Ego sum qui sũ. &: Dices filijs Israel: Qui est misit me ad uos? Ipse uerè ac propriè dicitur essentia, cuius essentia non nouit præteritum uel futurum. Lib. 1. Dist. 8. Item: Nefas est aũt dicere ut subsistat Deus, & subsit bonitati suę: atq; illa bonitas non substantia sit, uel potius essentia: neq; ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tanquam in subiecto. Vnde manifestum est, Deũ abusiuè substantiã uocari, ut nomine usitatoriè intelligatur essentia, quod uerè ac propriè dicitur, ita ut fortasse solum Deũ dici oporteat essentiam. Est enim uerè solus, quia incommutabilis est. Ibidem.

Richardus ait: Illud certissimũ est, quòd in tota rerũ uniuersitate nihil esse potest, nisi possibilitatẽ essendi uel de seipso habuerit, uel aliunde acceperit. Quod enim esse non potest, omnino nõ est: ut igitur aliquid existat, oportet ut ab essendi potentia posse esse accipiat. Ex essendi itaq; potentia esse accipit omne quod in rerum uniuersitate subsistit. Sed si ex ipsa sunt omnia, nec ipsa quidem est nisi à semetipsa, nec aliquid habet nisi à seipsa. Si ex ipsa sunt omnia, ergo omnis essentia, omnis potentia, omnis sapientia. Si omne esse ab illa est, ipsa summa essẽtia est. Si ab ipsa omne posse, summè potens: si omne sapere, summè sapiens est. Est enim impossibile maius aliquod dare quã habere. Sapientia quidem à possidente tota potest dari simul, & à dante tota retineri. Sed maiorem sapientiam quã habes, omnino impartire non uales. Summè sapientem itaq; esse oportuit, unde omnis sapiẽtia originem trahit. Lib. 1. de Trinit. cap. 12.

Spiritualis. Rupertus: Deus uerus corpus non est, quaprópter nec animatum corpus aut animal est. Lib. 2. Com. in Ioh. ca. 1. Item: Hoc (Spiritus est Deus) de tota trinitate sentiendum est: quia profectò tam pater & filius, quã & Spiritus sanctus, spiritus est: nec idcirco tertia diuinitatis uice persona Spiritus sanctus dicitur, quòd sola persona hæc sit spiritus: sed quia procedit ab utroq;, id est, à patre & filio, idcirco nomen hoc ab utroq; sortitur, ut dicatur Spiritus sanctus. Nã & pater spiritus, & filius spiritus est: pater sanctus, & filius sanctus est. Li. 4. Com. in Ioh. cap. 3. Et: Solus deniq; Deus, spiritus increatus, spiritus incircũscriptus, cũ nullius ipse sit capax, omni rationali spiritui siue angelico siue humano capabilis est. Ibid.

Bernhardus ait: Filius enim spiritus, pater spiritus, Spiritus sanctus spiritus est. Deniq; spiritus ante faciẽ nostrã Christus Dominus: sed & pater quia spiritus est, tales quærit adoratores, qui adorent eum in spiritu & ueritate. Serm. 3. in die Pent.

Non corpus. Petrus Alphonsus: De Deo sentire non conuenit ipsum habere corpus, quod contrariorum susceptibile sit. In Dialog. tit. 1. Item: Indecens est Deo adscribere corporea accidentia. Ibidẽ. Item: Creator ergo primus non est compositus, sed neq; est corporeus. Omne enim corporeum est cõpositũ. Item: Neq; mobilis est. omne enim quod mouetur, partibus constat. Ibidem.

Bernhardus inquit: Teneris ne datum superius solum summum & incircumscriptũ spiritũ ad omne quod facere uel fieri uult, corporis instrumento siue obsequio non egere? Demus ergo securi ueram soli Deo, sicut est, immortalitatem, ita & incorporietatem, quòd solus spirituum uniuersam corpoream naturam eò usque transcendat, ut quocunq; corpore in quocunq; opere non indigeat, solo spirituali nutu cũ uult ad quęcunq; uult agenda contẽtus. Sola igitur est, quæ nec propter se, nec propter alium solatio corporei instrumẽti opus habet illa maiestas, cuius omnipotenti arbitrio incunctãter præstò est omne opus, omne altum inclinat, omne aduersum cedit, omne creatũ fauet, etiam nullo interueniente uel subueniente solatio corporali siue spirituali. Docet uel monet sine lingua, præbet uel tenet sine manibus, sine pedibus currit, & succurrit præeuntibus. Actitabat ista & cum patribus prioribus seculis, experiebantur homines sedula beneficia, sed latebat eos beneficus. Ille quidem attingebat à fine usq; ad finem fortiter: sed disponẽs omnia suauiter, non sentiebatur ab hominib. & gaudebant de bonis Domini. Serm. 6. Super Cant.

Ex nulla materia cõstat Deus. Rupertus: Deus ex nulla cõstat materia, propter quod semper est idem quod est, nõ permutatur, nullisq; subiacet accidẽtibus. Quapropter diuinitas non formata, sed tantùm forma est. lib. 1. cap. 1. Com. in Iohan.

Sapientia. Petrus Cluniacẽsis: Et quæ est hæc sapiẽtia, quæ loquitur per Salomonẽ? Non ne ipse Deus? Planè ipse Deus. Non enim sicut aliud erat Salomõ, & aliud sapientia eius. Nam etsi absq; sapientia esset Salo-

mon, esset tamen Salomon. Non autem Deus absq; sapientia esse potest, quia nō est aliud ipse, aliud sapientia eius: sed quod est Deus, hoc est & sapientia eius. Vnde uel sic dicatur Deus, uel sic nominetur sapientia eius, idem est: quia & Deus sapientia, & sapientia Deus est. Deus ergo loquitur. Lib. 2. Epist. contra Iudæos, cap. 5.

Lombardus: Sciendum est ergo, quòd sapientia uel scientia Dei, cum sit una & simplex, tamen propter uarios rerum status & diuersos effectus plura ac diuersa sortitur nomina. Dicitur enim non tantū scientia, sed etiam præscientia uel prouidētia. Et est scientia siue prouidentia non de futuris tātùm, sed de omnibus: de bonis scilicet & de malis. Dispositio uerò de faciendis, prædestinatio de omnibus saluandis, & de omnibus bonis, quibus & hic liberantur, & in futuro coronabuntur. lib. 1. Dist. 35.

Æternus. Petrus Alphonsus: Oportet aūt hunc creatorem qui perfectam habet sapiētiam, æternum existere, & nec creatum nec nouū esse: quoniam si hic aut creatus credatur aut nouus, alium utiq; creatorē necesse est habeat, aut nouatorē. Nihil enim se unquā aut creare aut nouare poterit, & sic creatorum aut nouatorum numerus fine carebit: factorib. aūt fine carentib. factura quoq; nunquam ad certum terminum perueniet. Credēdum ergo est primum factorem nec creatum esse nec nouatum, sed necessariò æternum. Tit. 1. in Dial.

Immortalis. Bernhardus: In tantū superexcellit immortalitas deitatis, ut Apostolus dicat de Deo: Qui solus habet immortalitatē. Quod ego reor pro eo dictū, quòd solus sit natura incommutabilis Deus, qui ait, Ego Dominus, & nō mutor. Vera namq; & integra immortalitas tam nō recipit mutationē, quā nec finē: quòd omnis mutatio quędā mortis imitatio sit. Serm. 81. sup Cāt.

Simplex. Petrus Alphonsus: Pręterea nō cōpositum, sed simplicem credere cōuenit eum. Omnis enim cōpositio motus est & actus simplicis rei. Itē: Quod prius est, principium habere non potest. Compositio aūt omnis aliquod habet principiū. Creator ergo primus non est cōpositus, sed neq; est corporeus. Omne enim corporeū, ut suprà latius disseruimus, est compositum. tit. 1.

Petrus Lombardus: Eademq; sola propriè ac uerè simplex est, ubi nec partiū, nec accidentium, nec quarumlibet formarum ulla est diuersitas, siue uariatio uel multitudo. lib. 1. Dist. 8.

Immobilis. Petrus Alphonsus: Item neq; mobilis. Omne enim quod mouetur, partibus constat. Sed quicquid partibus constat, compositū est. Quod aūt primū est omniū, non est compositum. Igitur nec mobile est. Rursus omnis motio in corpore fit, siue sit recta motio, ueluti cum quis unū deferens locum, occupat alium: seu fit motio in gyrū, cum aliquid scilicet in eodem existens loco, ut firmamentum, uersatur in orbem: siue fit motio partium alicuius rei adinuicē facta, uel ab extremis ad medium, uel à medio ad extrema, ueluti fit in partibus aeris: seu fit motio rei in eodem quidem loco existentis, sed per se quædam quasi incrementa hac illacq; spaciātis, quemadmodum in ramis arborum paulatim ad omnes partes crescentibus fit. Hæ autem omnes motiones non nisi in corpore fieri possunt. Sed quod primū omnium est, corporeum non esse probatum est. Igitur nec uariatur, nec corrumpitur. tit. 1.

Non augetur. Petrus Alphonsus: Iterum nec crescit per se, nec augetur aliunde. Omne enim quod uel incrementum recipit, uel augmentum, procul dubio est & compositum. Sed quod primū est omnium, suprà ostendimus non esse compositum. Igitur nec crescit nec augmentatur. Itē non decrescit. Quod enim decrescit, corrūpitur. Sed quod omnium primū est, non corrumpi probatum est: igitur nec decrescit. Tit. 1.

Inuisibilis. Rupertus: Deus inuisibilis, qui nec loco circumscribitur, nec ullis sensibus corporis percipitur: quoties uisibiliter hominibus apparet, rebus ipsis congruam assumit speciem, propter quas apparere dignatur. Lib. 1. in Exod. cap. 12.

Potho inquit: Sunt tria inuisibilia Dei, hoc est, potentia, sapiētia, benignitas, à quibus omnia procedūt, in quibus omnia subsistunt, & per quæ cuncta regūtur. Pater est potentia, filius est sapiētia, Spiritus sanctus benignitas: potentia creat, sapientia gubernat, benignitas conseruat. Sapientia per benignitatem sapienter creat. Sapientia per potentiam benigniter gubernat. Benignitas per sapiētiam potenter conseruat. Lib. 1. de Stat. dom. Dei.

Omnipotens. Rupertus: Omnibus notū est, Deum esse omnipotentē: hoc aūt nouo miraculo probatur, id quod solis fidelibus creditum est, Deum omnipotentem factū esse hominem. lib. 2. Com. in Ioh. cap. 2.

Lombardus ait: Prima consideratio occurrit, quomodo uerè Deus dicatur omnipotens: an qa omnia possit, an tantū ea possit quę uult. Quòd enim Deus omnia possit, pluribus authoritatib. cōprobatur. Ait enim Augustinus in lib. quęst. Veteris ac nouę legis, Omnia quidē potest Deus, sed nō facit, nisi ꝙ cōuenit ueritati eius & iustitię. Idē in eodē: Potuit Deus cūcta facere simul, sed ratio prohibuit, id est, uoluntas. libro 1. Dist.

Dist.42.Item: Sed quæritur, quomodo omnia posse dicatur, cum nos quædam possimus, quæ ipse non potest? Non potest enim ambulare, loqui, & huiusmodi quæ à natura diuinitatis sunt penitùs aliena, cum horũ instrumẽta nullatenus habere queat incorporea & simplex substantia. Quibus id respondendum arbitror, quòd huiusmodi actiones, ambulatio scilicet & locutio, & huiusmodi, à Dei potentia aliena nõ sunt, sed ad ipsam pertinent. Licet enim huiusmodi actiones in se Deus habere non possit (non enim potest uel ambulare uel loqui & huiusmodi) eas tamen in creaturis potest operari. Facit enim ut homo ambulet & loquatur & huiusmodi. Non ergo per istas actiones diuinæ potentiæ detrahitur aliqd, quia & hoc potest facere omnipotens. Ibidem. Item: Omnipotentia eius secundum duo apparet, scilicet quòd omnia facit quæ uult, & nihil omnino patitur. secũdum utrumq; Deus omnipotens uerissimè prædicatur, quia nec aliquid est, quod ei ad patiendum corruptionẽ inferre ualeat, nec aliquid ad faciendum impedimentum afferre. Manifestum est itaq;, Deum omnino nihil posse pati, & omnia facere posse, præter ea sola quibus eius dignitas læderetur, eiusq; excellẽtiæ derogetur: in quo tamen non est minus omnipotens. Hoc enim posse, nõ esset posse, sed non posse. Nemo ergo Deum impotentem in aliquo dicere præsumat, quia omnia potest, quę posse potẽtiæ est: & inde uerè dicitur omnipotens. Ibidẽ. Item: Sed sunt alia quędã quæ Deus nullatenus facere potest, ut peccata: non enim potest mentiri, nõ potest peccare. Sed non ideo omnipotentiæ Dei in aliquo detrahitur uel derogatur, si peccare nõ posse dicitur: quia nõ esset hoc potentię, sed infirmitatis. Si enim hoc posset, omnipotens non esset. Non ergo impotentiæ, sed potentiæ imputãdum est, quòd ista non potest. ibidem.

Impassibilis. Rupertus: Cum legimus uel audimus, Extunc ira tua, uel quodlibet aliud huiusmodi, non intelligimus nec intelligere debemus de Deo impassibili, quòd in eum cadant motus animi, qui signantur uocabulo iræ uel furoris. Ipse namq; suauis semper, in trãquillitate omnia disponit: sed creatura corrupta, suoque uitio turbata, ipsam creatoris suauitatem atq; tranquillitatẽ malè & pœnaliter sentit. Lib.1. de Vict. uerbi Dei, cap.16.

Incommutabilis. Lombardus: Deus etiã solus essentia incommutabilis dicitur propriè: quia nec mutatur, nec mutari potest. li.1. Dist.8. Item: Verè ergo ac propriè incõmutabilis est sola diuinitatis essentia, quę sine sui mutatione cunctas condidit naturas.

Omniscius. Lombardus: Scit quoq; non minus præterita & futura quã pręsentia, & sua æterna sapientia & immutabili scit ipse omnia quę sciũtur. li.1. Dist.35. Et: Indubitãter ergo teneamus, Deũ semper omnia scire, quæ aliquando scit. ibidem Dist.41.

Cor intuetur. Bernhardus: Homo siquidem uidet in facie, Deus aũt intuetur cor. Serm.25. super Cantica. Item: Homo enim uidet in facie, Deus aũt intuetur cor. Epist. 42. ad Hen. Senonens. archiepisc.

In Deo non esse accidens, testatur Rupertus: Diuinitati nõ est aliud uiuere, aliud scire: nec aliud est in Deo uiuens sapientia, quã sapiens uita. Aliter aũt est in anima: nam uiuit quidẽ substantialiter, sapit aũt accidentaliter. Deus uerò tam uiuit, quã sapit substantialiter: nihil enim accidentiũ in diuinitatẽ cadere potest. lib.1. Com. in Iohan. cap.1.

De accidentibus ait Lombardus: Accidens est in creatura, non in creatore: & appellatio qua creatura dicitur relatiuè, ad creatorẽ relatiua est, & relationẽ notat, quę est in ipsa creatura. Appellatio uerò illa qua creator relatiuè dicitur ad creaturam, relatiua quidem est, sed nullam notat relationẽ, quæ sit in creatore. lib.1. Dist.30.

Omnia in Deo. Lõbardus: Omnia dicũtur esse in Deo, & fuisse ab ęterno. lib.1. Dist.35.

Mala non esse in Deo. Illa enim esse intelliguntur, quæ ex ipso, & per ipsum sunt: ea uerò per ipsum sunt, & ex ipso, quorũ autor est: sed non est autor, nisi bonorum. Non ergo ex ipso & per ipsum sunt, nisi bona: ita ergo non in ipso sunt nisi bona. nõ ergo mala in Deo sunt: quia licet ea noscat, non tamẽ ita omnino noscit ut bona. Mala ergo quasi delongè cognoscit, ut ait Propheta: Et alta à longè cognoscit, id est, superbiam. Et alibi ad Deum loquens de malis, ait: De absconditis tuis adimpletus est uenter eorũ. lib.1. Dist.36.

Odit malos. Petrus Cantor: Cum omnes malos odio habeat Dominus, de istis tamẽ dicitur, Domino odibiles, quasi in his eis eorum epitheton attribuens. cap.14.

Deum non habere similitudinem, Petrus Alphonsus testatur: Quoniam Deum imaginem aut similitudinem ullam habere dicamus, multis prophetarum authoritatibus contraimus. Moyses enim dicit filijs Israel: Custodite sollicitè animas uestras. Non uidistis similitudinem aliquam in die qua loquutus est uobis Dominus in Oreb de medio ignis ne fortè decepti faciatis uobis sculptam similitudinem aut imaginem uiri uel fœminæ, similitudinem omnium iumentorum quæ sunt super terram, uel auium sub cœlo uolantium, aut reptilium quæ mouentur in terra, siue piscium,

piscium, qui subter morantur in aquis. tit. 1. Item: Rursus nullius creaturæ in aliquo similitudinem habet. Similitudo enim qualitas est. Sed quod primum omnium est, nulli subiacet qualitati. Ergo nec similitudini. Item ponamus quòd alicuius creaturæ similitudinem habeat. Sed euidens est, quòd similitudo aliquorum duorum alium parificat alij, ueluti si dicantur in albedine similes, albedo alterius par esse debet albedini alterius: similiter de nigredine, & de omni re, quæ inter aliquos similitudinem facit. Quare si hoc esset, quod primum est omnium, primum simul esset atq; nouissimum, & quod nouissimũ, nouissimum simul atq; primum. Quod utrumq; quãtum inconueniens sit, neminem latet. Iterum cũ materia quæ creata est, nullam in se habeat formam uel imaginem: multo minus Deus ipsius naturæ creator, qui simplicioris & subtilioris est naturę, ullam putãdus est habere similitudinem. Ibidem.

QVO'D VNVS.

Hugo de sancto Victore ait: Vnus dicitur Deus non numero, sed quia non mutatur. Lib. 5. Alleg. cap. 2.

Rupertus ait: Nõ est sicut Deus, quia uel unus uel solus est Deus neminem habendo in se, unde factus sit Deus: sed est Deus me habendo in se manentem, unde sit Deus. lib. 6. Com. in Iohan. cap. 6.

Bernhardus inquit: Solus Deus est, in quem nec pondus nec mensura cadit omnino, nec numerus. Vnus Deus est, non habet sui generis cui ualeat comparari. Vnus est & solus ipse penitùs inæstimabilis, æternus quoque & immensus, & indiuisus & omnino inuariabilis. Serm. 51. par. Serm. Item: Quæris quid? Mera simplicitas. Vero iudicio, natura simplex multiplici antefertur. Scio quod ad id respondere solent. Non multa, inquiunt, sed unam tantùm diuinitatem, quæ omnia illa sunt, Deo ut sit conferre asserimus. Asseritis ergo, etsi non multiplicem, duplicem Deum, & non ad merum simplex peruenistis, neque ad id quo melius cogitari non potest. Tam non est simplex, quod uel uni fuerit obnoxium formæ, quàm nec uirgo uel uni cognita uiro. Securus loquor, ne is quidem qui uel duplex est, erit meus. Habeo enim meliorem. Esto quòd hunc numeroso & multiplici anteponam, sed planè præ simplici sperno. Meus Deus ipse catholicè est. Tam non habet hoc & illud, quàm non hęc & illa. Est qui est, non quę est. Purus, simplex, integer, perfectus, constans sibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se, nihil ex se deponens in eis, non habens quod ad numerum diuidat, non quæ colligat ad unum. De consid. tract. 5. Et: Vnum quippe est, sed non unitum. Non partibus constat ut corpus, non affectibus distat ut anima, non formis substat ut omne quod factum est. Sed neque formæ, ut istis uisum est. Magna laus uidelicet Deo, ut se ab informitate uindicet, forma una esse contentum. Hoc est dicere, cætera pluribus, Deum non nisi uni debere quod est. ibidem. Item: Non est formatus Deus, forma est. Non est affectus Deus, affectio est. Non est compositus Deus, merum simplex est. Et ut liquidò noueris quid simplex dicam, idem quod unum. Tam simplex Deus, quàm unus est. Est autem unus, & quomodo aliud nihil. Si dici possit, unissimus est. Vnus est sol, quòd non sit alter: una luna, quòd æquè altera non sit. Atque id quidem Deus, sed plus. Quid plus? Vnus est etiam sibi. Et hoc uis tibi declarari? idem est semper, & uno modo. Non sic unus sol, non sic una luna: clamat uterque, non esse se unum sibi. Ille motibus, illa & defectibus suis. Deus autem non modò unus sibi, & in se unus est. Nihil in se, nisi se habet. Non ex tempore alterationem habet, non in substantia alterationem. Hinc de eo Boethius: Hoc uerè unum, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud pręter id quod est. Neque enim subiectum fieri potest: forma enim est. Compara huic uni omne quod unũ dici potest, & unum non erit. Ibidem.

Richardus ait: Diuinitas ipsa aut erit incommunicabilis, aut aliquibus communis. Sed si est incõmunicabilis, quod consequẽs est, non est Deus nisi unus. Si autem aliquibus cõmunis fuerit, communis itaq; erit & substantia illa, quę non est aliud quàm diuinitas ipsa. Sed substantia una nõ potest esse cõmunis pluribus substantijs, alioqui una eademq; esset plures, & plures una. quod quã falsum sit, ratio latêre non sinit. Si uerò dicitur esse communis pluribus personis, iuxta id quod dictum est: erit eis itaq; communis & substantia illa, quæ non est aliud quàm diuinitas ipsa. Iuxta hoc utiq; erunt in diuinitate una plures personæ, sed non nisi una substantia. Siue ergo una tantùm, siue plures personæ dicantur esse in una diuinitate, nihilominus non erit Deus nisi substantialiter unus. Solus itaq; & unus Deus est à semetipso, & eo ipso ab æterno. Lib. 1. de Trinitat. cap. 17.

Hugo Heterianus: Humanus peregrè proficiscens animus, quanquam ægrè inuisibilia, magis autem quæ trium diuinarum existunt personarum, rimari ualeat: tamen inuestigando laborat, ac rationibus ostendere, quibus potest nititur, qđ unus Deus

us est, ex quo & per quē, & in quo sunt omnia. Non possunt certè plura esse prima, cū necesse sit unum esse, quod exhibitiuū existat uniuersorum, tam similium quàm dissimilium: quo cum si aliud quid sistatur, suprema unitas & uerè unum iam non erit. Nam si Deus non est per se unum, sed in semetipso aliquid habet, cuius uocabulo ritè queat denominari: non erit causa tantùm, si ex alia ipse causa proueniet, atq; in infinitū ratio gradietur, nullo reperto, in quo stari posibile sit, ad instar sectionum cōtinuæ quantitatis. Cuius quidem quęlibet particula factæ diuisionis potest rursus diuidi, currit in infinitum diuisio. Itaq; necesse est causam absq; causa, & principium esse sine principio, quod nullius participando simpliciter unum sit, & prima causa, primumq; omnium quę sunt principium: quod sic manifestius fit. Si omnis multitudo uno posterior est, & unius aliquo modo participat: unum simplexq; principium omni multitudine prius est. Atqui omnis multitudo uno posterior est, & eius aliquo modo participat: quippe si multitudo unum præcedat, ex uno esse non contrahet, cùm uno prius ipsa extiterit. Etenim non existentis, nō est aliquid quod participet. Quarum cum nulla supremum principiū multitudo præueniat, nec aliqua diuisio, unum est & simplex supremum principium. Amplius. Omne diuisibile aut secundum multitudinem, aut secundum magnitudinem, aut secundū actiones, quæ in tempore feruntur, uidetur posse diuidi: Deus autem omnino immobilis existens & æternus, cū quamlibet præueniat multitudinem, nullo dictorum modorum diuidi potest. Liquet igitur quòd ante supremum principium non est aliud principium absq; principio, par uel melius, nec ante Deum est Deus, nec aliud post ipsum, quod sit Deus. Qua de re neq; generalissimum in diuinis personis, neq; subalternum, neque particulare, neque speciale perquirere oportet. Quia ubi genus, & prius species & differentia, proprium & accidens. Sed ut monstratum est, Deo nihil prius est, sed neq; differentijs ex aliquibus ipse constituitur, naturam existens supra omnem, nihilq; habēs secundum participationem. Simplex enim diuinum est, & uniforme, extra omnem duplicitatem & compositionem. Equidem quod compositum est, ab aliquibus diuersis componitur, aut ex præexistentibus, ut electrum ex auro argentoq;: aut ex his quæ simul considerantur, ut caput ex ossibus atque carnibus, & alijs huiuscemodi. Hæc enim & his similia consistentiam pariter sortiuntur, quanquam differant: quia nequaquam horum præuenit singulum, quod ex his constitutū est caput. Itaq; cum diuinum sine principio & absq; causa sit, neque disciplina propriè, neq; demonstratio, neq; definitio eius est. lib.3.cap.1.de hæresib. Græc.

Proprietates Dei. Esse unum. Lombardus: Vnum & idem est, scilicet essentia diuina, Dei æternitas, potētia, magnitudo: & tamen consueuit Scriptura hæc & his similia quasi distinctè ponere. Lib.1. Dist. 19. Itē: Æternitas quoque Dei essentia diuina est. Ibidem. Item: Vnum & idem sunt, scilicet essentia diuina simplex & incommutabilis. Ibidem.

DE TRINITATE.

Articulum trinitatis esse supra rationem. Richardus: Circa personarum trinitatem, trinitatisq; speculationem quā multa firmiter creduntur, ueraciter asseruntur: quæ tamen non solùm supra rationem, sed etiam contra rationem esse uidentur. Credimus unum Deum patrem & filiū & Spiritum sanctum. Patrem à nullo, filium à patre solo, Spiritum sanctum à patre & filio: filium nascēdo, Spiritum sanctum procedendo. Credimus itaq; unum eundemq; in personis trinum, & in substantia unum. Vnde alius est pater, alius filius, alius Spiritus sanctus. Nec tamen aliud est pater, quā filius, nec aliud pater uel filius, quàm amborum spiritus. Nam alia est persona patris, alia filij, alia Spiritus sancti, cum sit omnib. una substantia, eadem essentia, & sola natura. Hæc omnia credimus, hæc omnia profitemur, & constant ueraciter esse: & tamen in his omnibus (si iuxta humanam æstimationem pensentur) uidetur humana ratio fortiter repugnare. libro 4. de contemplat. capite 18.

De uocabulo personæ inquit Richardus: Nunquam dicitur persona, nisi de rationali substantia. Et cum nominamus personam, nunquam intelligimus nisi unam solam substantiam, & singularem aliquam. Itaq; cum intelligentia substantiæ sub nomine animalis, subintelligitur proprietas cōmunis omni animali: & sub nomine hominis quædam subintelligitur proprietas cōmunis omni homini: & sub nomine personæ similiter subintelligitur quædam proprietas, quæ non conuenit nisi uni soli, nulla tamen determinatè, sicut in proprio nomine. Aliàs ergo subintelligitur proprietas generalis, aliàs proprietas specialis. Ad nomen autem personæ proprietas indiuidualis, singularis, incommunicabilis. Lib. 4. de Trinitat. cap. 6. Item: Persona diuina est diuinę naturę incommunicabilis existētia. lib. 4. de Trinitate, cap. 22.

Lombardus ait: Nomen personæ in Trinitate

nitate triplicem tenet rationem. Est enim ubi faciat intelligentiam essentiæ, & est ubi facit intelligentiam hypostasis, & est ubi facit intelligētiam proprietatis. Lib.1.Dist. 25. Item: Sed primū audiamus quid de hoc nomine hypostasis Hieron. dicit. Ait enim, sub hoc nomine uenenum latêre: sed hoc dicit secundum quod hæretici eo utebantur, ut simplices sedúcerēt, scilicet pro persona, & pro essentia: ut siue diceretur una tantùm hypostasis, siue tres, minus peritos ad id inconueniens deducerent, cum non erat hoc nomen ita apud catholicos uulgatum, nec ita eius significatio determinata ut modò. Et ideo Hieron. dicit, hoc nomine non utendum fore sine distinctione uel expositione, tum scilicet, quando cum hæreticis contendebatur. ibidem, Dist. 26.

De personarum nominibus inquit Lombardus: Dicimus quia patris nomen non tantùm relationem notat, sed etiam hypostasin, id est, substantiam significat: & ita filius & Spiritus sanctus. Relationum uerò uocabula, scilicet paternitas, filiatio, processio, uel gignere, gigni, procedere, ipsas tantùm relationes, non hypostases significant, siue habere filium & habere patrem: ut uerbi gratia, cum dicimus, Deus est pater: nomine patris & relationem notamus, & diuinam hypostasin significamus: ut sit in telligentia talis, Deus uel diuina essentia est pater, id est, ille qui genuit, id est, hypostasis quæ habet filium. Similiter, Deus est filius, id est, hypostasis genita uel habens patrem. Ita enim Deus est Spiritus sanctus, id est, hypostasis procedens ab utroq;, siue ille qui procedit. Cum uerò nomina relationum ponimus in prædicatis, notiones ipsas tantùm significamus, non hypostases: ut cum dicimus, Deus genuit, id est, habet filium: &, Deus genitus est, id est, habet patrem: & tunc oportet intelligi in subiectis hypostases tantùm, non essentiam, quæ illis proprietatibus determinantur. libro primo, Dist. 27.

Personas esse distinctas. Richardus: Illud quod dicitur, Hic est filius meus: personarū diuersitatem ostendit. unus enim atque idem sibijpsi & pater & filius esse non potest: sed quis sensus hoc capiat, quomodo unus ad alium sit alius in persona, idem in essentia? Si exemplum quæris, nusquā creaturarum inuenis quod tibi satisfacere ualeat, si rationem consulas. Omnis humana ratio reclamat. In tantum enim est ista assertio supra omnem humanam æstimationē, & præter omnem humanam rationem, ut nunquam ei ratio acquiesceret, nisi ad huius rei certitudinem fides eam subleuaret. Meritò ergo in huius mysterij reuelatione auditor cadit, sensus deficit, humana ratio succumbit. Libro primo de contemplatione, cap. 82.

De trinitate sic loquitur Petrus Alphonsus: Volo tres personas, substantiam, sapientiam & uoluntatem dicere. Ideo autem personam primam substantiam appello, quia in ipsa & de ipsa sunt sapientia & uoluntas, & ipsa de nullo, quamuis tres personæ omnes sint una substantia. Tit. 6. Item: Necesse est ergo ut sapientia & uoluntas æternaliter in Deo sint, & ab eo inseparabiles, nec anterior illis sit tempore. ibidem. Item: In substantia enim sunt sapientia & uoluntas, & ideo est prima. Sapientia uerò ideo prior est uoluntate, quia priusquam creator aliquid uelit, oportet eum sapere quid uelit. Hac itaq; nominum ordinata ratione, substantia sapientia & uoluntate anterior est, & sapientia anterior uoluntate. Simili etiam modò in his nominibus, pater scilicet, filius & Spiritus sanctus. Ibidem. Item: De sapientia enim Salomon in Prouerbijs ait: Dominus fundauit sapientia terram, stabiliuit cœlos prudentia. De uoluntate uerò Dauid in Psalmo: Omnia quæcunq; uoluit, fecit. Ibidem. Item: Quę res est apertior & ad hoc comprobandum ualentior, quàm nominum Dei explanatio, ut ELOHIM & ADONAY? ELOHIM enim pluralitatem demonstrat, cuius singulare est ELOHA. Cum autem dico ELOHAI, tale est, ac si dicerem, Dei mei, pluralitatem Deorum, & unam tamen dicentis personam: cum uerò ELOHEMI dico, quasi dicerē, Dij nostri, pluralitatem utrorumq; signando, & deorum & ipsorum dicentium. Quòd & si ELOHI dicatur, tale est, ac si diceretur, Deus meus. Sed hoc in nulla Hebraica inuenitur scriptura, quòd aliquis homo Deum unquam ELOHI appellaret, quamuis secundum ipsius Hebraicæ linguæ regulas dici posit. Ibidem. Item: Simili modo in nomine quod est ADON, id est, Dominus. Nam cum dicimus ADON, singularitatem demonstrat: cum ADONAY, quasi dicam, Domini mei, pluralitatem signando dominorum, & dicentis unitatem. Cum autem dico, ADONEMI, quasi dicā, Domini nostri, & plures dominos, & plures significando dicētes: cum uerbo Dei ADONI, quasi dicam, Dominus meus, & dominum unū, & dicentem notando unum. Hoc uerò nomine homo tantùm ab homine, sed nusquam Deus sic appellari inuenitur. Cum itaq; in Scripturis sacris reperiatur Deus appellari ELOHA & ADON, quod singulariter Deus uel Dominus interpretatur, ergo est unus. Et aliàs cum iterum reperiatur appellari ELOHIM & ADONAY, quod pluralita-

pluralitatem significat, plurales demonstrãtur dij. quod uidetur contrariũ. Aut enim unus erit Deus, aut plures. In Deo autem non est hoc contrarium. Quòd enim se singulari nomine appellauit, ad unam profectò respicit substãtiam: quòd uerò plurali, ad plures personas. Est enim unus Deus in pluribus personis. tit. 6. Item: Est enim scriptum in Genesi: Locutus est Dominus ad Iacob, Surge & ascende Bethel, & habita ibi, facq; altare Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas fratrem tuum. Hic quippe & nomen Dei & actus singulariter profertur. Deinde scriptum est in eodẽ libro, præceptum Domini Iacob implesse. Sequitur enim: Aedificauitq; ibi altare, & appellauit nomen loci Domus Dei. Ibi enim apparuit ei Deus, cum fugeret fratrem suum. hic autem & Deus & Apparuit, in Hebraico pluraliter profertur. Habetur quippe ibi, ELOHIM & NIGLA, quod pluraliter Apparuerũt significat. Si enim singulariter Apparuit dicere uoluisset, NIGLA posuisset. Item etiam in libro Samuelis Dauid laudans Deum, ait: Quę est autem ut populus tuus Israel, gens in terra, propter quam iuit Deus, ut redimeret eam sibi in populum? Hic etiam similiter & Deus & Iuit, in Hebraico plurale est. Hic enim similiter habetur ELOHIM & HALCV, quod est Iuerũt, cuius singulare est HALACH. Redimeret autem & Sibi, singulare. Item in Hieremia legitur: Dominus autẽ Deus est uerus, Deus uiuens, & rex sempiternus. Hic iterum & Deus & Viuẽs, in Hebraico pluraliter dicũtur. Cum igitur in scripturis Dei nomẽ & actus quandoq; singulariter, quandoq; etiam pluraliter proferatur, utrũq; patet, quia & Deus unus est, & plures personæ. Ibidẽ. Item: Trinitas quidẽ subtile quid est & ineffabile, & ad explanandũ difficile, de qua prophetæ non nisi occultè locuti sunt, & sub uelamine, quoadusq; uenit Christus, qui de tribus una personis fidelium illam mentibus pro eorum reuelauit capacitate. Si tamen attendas subtilius, & illud Dei nomen, quod in secretis secretorum explanatum inuenitur, inspicias יהוה, nomẽ inquam trium literarum, quamuis quatuor figuris (una namque de illis geminata bis scribitur) si inquam illud inspicias, uidebis quia idem nomen & unum sit & tria. Sed quod unum est, ad unitatem substantiæ: quod uerò tria, ad trinitatem respicit personarum. Constat autem nomen illud his quatuor figuris, י & ה & ו & ה: quarum si primam tantùm coniunxeris & secundam, י scilicet & ה, erit sanè nomen unum. Item si secundam & tertiam, ה scilicet & ו iam habebis alterum. Similiter si tertiam tãtùm copulaueris atq; quartam, scilicet ו & ה, inuenies & tertium. Rursus si omnes simul in ordinem connexeris, non erit nisi nomen unum. Ibidem. Item: Vbi enim in Latino ponitur Dominus, in Hebræo quidem prædictum nomen inuenies: ubi uerò Deus in Latino, in Hebręo scribitur ELOHIM, quod pluralitatem significat. ibid. Item: Potest etiam in multis alijs trinitas denotari, sicut in fimbrijs, quas Dominus filios Israel in uestimentis suis per Moysen habere præcepit, dicẽs: Loquere filijs Israel, & dices ad eos ut faciant sibi fimbrias in angulis palliorũ, ponentes in eis uittas hyacinthinas: quas cum uiderint, recordentur omnium mandatorũ Domini. Fimbriæ quippe illæ erant quatuor filorũ, sed duplicatorũ: in superiori quidẽ sui parte tres nodos habẽtes, in inferiori uerò duos. Sed per fila quatuor, quatuor anni tẽpora designãtur: per filorũ uerò duplicitatem dies & nox: uidelicet ut quatuor anni temporibus, item toto anno, nocte quoq; & die Dei mandatorũ memores essent. Nam per tres nodos superiores, trinitas personarum: per duos autem inferiores, duo insinuantur Testamẽta, lex scilicet Mosi, & Euangelium. Notatur quoq; trinitas in tribus benedictionibus, quibus Aaron & filij eius benedicebant filijs Israel ex præcepto Domini dicentis ad Moysen: Loquere Aaron & filijs eius: Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, & misereatur tui: conuertat Dominus uultum suum ad te, & det tibi pacem. His quippe benedictionibus sacerdos alicui benedicens, protẽsas ante uultum suum palmas utrasq; tenebat. Cum uerò dicebat Dominus, quem Hebraicè illo quod suprà diximus trino & uno nomine exprimebat: tres digitos priores, pollicem uidelicet, indicem atque medium, manus utriusq; rectos altius erigebat: & dicto ita Domino, digitos ut prius remittebat. ibidem. Et: Trinitas personarum in eo quod dicit Esaias propheta, notari potest, trina uidelicet angelorum uocę laudantium Deum, & dicentium: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Cur enim ter tantùm sanctus dicunt magis quã semel, uel bis, uel decies, uel centies, uel alio numero aliquo? Cur si breuiter laudare uellẽt, semel Sanctus non dicerent? Si uerò multùm, cur non centenam uel millenam, uel innumeram laudem exhiberent? ibidem. Item: Testatur sanè et Dauid personarum trinitatem, cum dicit: Quęrite Dominum et uirtutem eius, et quęrite faciem eius semper. Quid est enim quod dixit, Quærite Dominũ & uirtutem eius,

& quærite faciem eius: nisi, Quærite patrē & filium & spiritum sanctum? Quid namq; per uirtutem Domini nisi filius eius, quid uerò per faciem, nisi Spiritus sanctus intelligitur? Ibidem.

Honorius inquit: Triplex est oratio. Auribus percipe, clamorem intellige, uoci intende. Trinitas est, Domine, rex, Deus. In Domine, pater: in Rex, filius: in Deus intelligitur Spiritus sanctus. Pater quippe est Dominus omnis creaturę, filius est Rex Ecclesiæ, Spiritus sanctus Deus spirituum. In his uocabulis trinitas accipitur. In Domine autem quod sequitur, unitas intelligitur. in Psal. 5. Item: Quoniam exaudiuit Dominus uocem fletus mei, exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit. Ter Dominum nominans, trinum Deum in unitate insinuat. Nam Dominus pater uocem fletus exaudit, peccata donando: Dominus filius deprecationem exaudit, uirtutes dando: Dominus Spiritus sanctus orationem suscipit, tristem consolando. Et unus Deus gaudium. in Psal. 6.

Hugo de S. Victore ait: Deus est pater, Deus est filius, Deus est spiritus sanctus: nō tamen tres Dij, sed unus est Deus, & tres personæ. In lib. de conscientijs. Item: Sicut in Deo sunt tres personæ, pater & filius & spiritus sanctus: sic in anima habes tres uires, intellectum, uoluntatem & memoriam. Et sicut ex patre generatur filius, & ex utroq; procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur uoluntas, & ex his ambobus procedit memoria. Et sicut Deus est pater, Deus est filius, Deus est spiritus sanctus, non tamen tres Dij, sed unus est Deus, & tres personæ: ita est anima intellectus, anima est uoluntas, anima est memoria non tamen tres animæ, sed una est anima & tres uires, ex quibus animæ uiribus quasi excellentioribus iubemur Deum diligere. Ibidem.

Rupertus inquit: Ex quo is qui erat ex Deo genitus, factus est nostræ naturæ filius, ex eo tam huius filij quàm eius de quo cōceptus est Spiritus sancti, à nobis iure confessio exigitur: sicut & patris, cuius & hic filius & iste est Spiritus sanctus: ut non dicamus tantùm, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob: sed etiā, Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus, in quo uiuimus, mouemur & sumus. lib. 1. Cō. in Matt. cap. 1. Itē: Solus creator spiritus, solus & unus Deus, pater & filius & spiritus sanctus humano spiritui capabilis est, quia longè subtilior est. cap. 10. lib. 2. de glorif. Trinit. & de process. S. S. Et: In creatore nostro, qui creatorē se nominat, sunt tres: ipse, & amor ipsius, scilicet Spiritus sanctus, & uerbū ipsius, quod non est aliud, quàm cremētum eius, semen eius, filius eius. lib. 3. de glorificat. Trinit. & process. S. S. cap. 6.

Bernhardus inquit: Fontē assigna patri, ex quo nascitur filius, & procedit Spiritus sanctus: lucē filio, qui est utiq; candor uitæ æternę, & lux uera illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundum: pacē Spiritui sancto, qui nimirū super humilē & quietum requiescit. Nec hoc dico, tanquā propria ista sint singulorum. nā & pater lux est, ut sit filius lumen de lumine: & filius pax est, pax nostra, qui fecit utraque unum: & Spiritus sanctus fons est aquæ salientis in uitam æternam. Serm. 4. in uigil. Natal. Dom. Et: Quid coæternū patri, nisi filius & Spiritus sanctus? Et uterq; non tā misericors, quàm ipsa uera misericordia: nihilominus etiam pater misericordia est, atque hi tres non nisi una misericordia, sicut una essentia, una sapientia, una diuinitas, una maiestas. In eo tamen quòd pater misericordiarum dicitur Deus, quis nō uideat uelut proprio nomine filium designari? Et bene dicitur pater misericordiarum, cui proprium est misereri semper, & parcere. Sed fortè quis dicat: Quomodo illi proprium est misereri, cuius iudicia abyssus multa? Neque enim dicitur, omnes uiæ eius sola misericordia: sed misericordia & ueritas. Non minus iustus quàm misericors, cui misericordia & iudicium decantatur. Ibidem Serm. 5. Et: Totius trinitatis nō modò æqualis sit gloria, sed una eadēque substantia. Serm. 2. in annunciat. Mariæ. Et: A' creatione cœli & terræ usq; ad hūc locum nunquam Trinitas manifestè hominibus apparuit: sed rerum ac uocum inuolucris inuoluta fuit tantæ claritatis æternitas. Serm. de S. Iohan. Baptista. Et: Vel sin minus hoc cautum est, signa pluralitatis absq; nominum differentia prædicantur. Abraham tres uidit, & unum adorauit: sed ibi Scripturæ sacræ reuerentia nunc mixtim, nunc separatim claudit eloquium, ut modò Dominum, modò uiros placeat appellare. Iudæi tamen hic texunt magnam reprehensionis parabolam, tres angelos à Domino missos asserentes: unum ad natiuitatem Isaac prædicandam, duos ad subuertendum Sodomam delegatos. Illum uerò cum quo iustus loquitur, dicens, Domine si inueni gratiam in oculis tuis: prophetali spiritu cognouisse somniāt, natiuitatis Isaac uenisse pręconem. Illum adorat Abraham, sicut Bersabee Dauidem regem, socijsq; eius propter reuerentiam indefessus assistit. Vnde & non nisi duo in subuersionem ciuitatum infidelium numerātur, illo

illo superiori iam reuerso, qui natiuitatem Isaac fideli deuotione compleuerat. Tres enim uiri Saram uocari præcipiunt: sed unus est qui promissionis insperatæ manifestat arcanum. Hoc Iudæi, & qui magis elegerunt Iudaizare, quàm credere. Sed ut breuiter concludamus, omnis illa patriarcharum siue prophetarum societas, nullá uel in sermonibus, uel in rebus de patre & filio & Spiritu sancto apertè legitur fecisse mentionem. Veni ergo & intuere filium Zachariæ, Deum & hominem proprijs manibus contingentem, & uide quia cœli aperiuntur ibi, & descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in Christum: & uox patris audita est, Hic est filius meus dilectus. Vides quia ad sacratissimorum nominum nouitatem cœlorum palatia reserantur. Pater auditur in uoce, filius baptizatur in flumine, Spiritus sanctus demonstratur in columbæ specie. Adest Iohannes totius medius trinitatis, gloriosumque Baptistam signant induisse substantię aperta uocabula, nomenque trinitatis prioribus seculis obuelatum, absque totius uelaminis obumbratione relucet. Serm. de Ioh. Bap. Itē: Videritis uos rectène primum illud filio, Spiritui sancto sequens, patri ultimum assignetis, sic tamen ut nihil horum uel patri, uel filio, uel Spiritui sancto subtrahatis, ne cui forte personarum aut plenitudinem minuat distinctio, aut proprietatem tollat perfectio. Serm. 11. super Cantica. Et: Quaternitas orbem disterminat, non signat Deitatem. Deus trinitas est, Deus trium singula personarum. Si quartam diuinitatem adijcere placet, interim ego hanc quæ Deus non est, persuasi mihi minimè adorandam. Puto quòd & tu. Nempe Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Gloriosa uerò diuinitas, quæ sibi honorem non audeat arrogare diuinum. At melius quartum hoc omnino respuimus, quàm sine honore recipimus. De Cōsiderat. lib. 5.

Petrus Lombardus ait: Hæc ergo tria potissimùm tractemus, memoriam, intelligentiam, uoluntatem. Hæc ergo tria, ut August. ait in lib. 10 de Trinitate, non sunt tres uitæ, sed una uita: nec tres mentes, sed una mens, una essentia. Memoria uerò dicitur ad aliquid, & intelligentia & uoluntas siue dilectio similiter ad aliquid dicitur: uita uerò dicitur ad seipsam, & mens & essentia. Hæc ergo tria eo unum sunt, quo una uita, una mens, una essentia, & quicquid aliud, ad seipsa singula dicuntur, etiam simul non pluraliter, sed singulariter dicuntur. Eo uerò tria sunt, quo ad se inuicem referuntur. lib. 1. Dist. 3. Item: Ecce illius summæ unitatis atque trinitatis, ubi una est essentia & tres personæ, imago est humana mens, licet impar. Ibidem. Sed de hac comparatione addit, Veruntamen caueat, ne hác imaginem ab eadem trinitate factam ita ei comparet, ut omnino existimet similem: sed potius in qualicunque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinam cernat. Ibidem: Item: Dicamus ergo in mente nostra imaginem trinitatis, sed exiguam & qualemcunque esse, quæ summæ trinitatis ita gerit similitudinem, ut ex maxima parte sit dissimilis. Ibidem.

Richardus inquit: In diuina natura alius aliquis est persona una, & alius aliquis persona alia, cum tamen non sint nisi una eademque substantia: & quidem scimus, quòd in illa diuina personarum pluralitate sit summa dissimilitudo & summa æqualitas, in humanæ autem naturę substantiarum pluralitate sit nulla dissimilitudo aut magna inæqualitas. lib. 4. de Trinit. cap. 10.

Petrus Blesensis ait: Hæc fidei nostræ professio (loquitur de trinitate) non tātùm à Christo & eius sequacibus traxit exordium, sed à Moyse & patriarchis atque prophetis suum habuit fundamentum. Epist. 83. Item: Res equidem difficilis est intellectu, aciem humanæ mentis transcendit: sed tanto elegantius habet fides meritum, quanto est difficilior ad credendum. Porrò licet nihil inuenire possumus, quod expressam habeat unitatis, quæ in Deo est, & summæ trinitatis imaginem, nec uerba inueniantur, quibus possumus de illa summa essentia dignè loqui, quod possumus fecimus, quasi balbutientes per uerba, rebus accommodata transitorijs, rem tibi ineffabilem aperimus. Ibidem. Item: Vide ergo mentem hominis corpusque solare, considera & uerbis qualitercūq; licet tenuiter, & quasi oculo cōniuenti quandam similitudinē Trinitatis agnosce. Est in mente hominis intelligentia, memoria & uoluntas. Mentem autem uocamus memoriam, mentem dicimus intelligentiam, mentem dicimus uoluntatem. Memoria, intelligentia & uoluntas sunt una mēs: sed nec memoria est intelligentia uel uoluntas. In eodem corpore solis radium uideo, sentio calorem, & agnosco splendorem. Hæc tria unius sunt essentiæ, nullum tamen illorum est alterū: sed in illa ineffabili & incircumscriptibili Deitatis gloria est filius à patre, & Spiritus sanctus ab utroq;. Cū pater & filius & Spiritus

ritus ſanctus eiuſdem ſubſtantiæ, eiuſdem potentiæ & gloriæ ſunt: non ſunt tamen tres Dij, ſed in tribus perſonis eſt una ſubſtantia, & unius potentiæ, & in una ſubſtãtia tres perſonæ. ibidem.

Hildegardis ait: Pater qui ſumma æquitas, ſed non ſine filio nec Spiritu ſancto eſt: & Spiritus ſanctus, qui accenſor cordium fidelium, ſed non ſine patre & filio: & filius qui eſt plenitudo uirtutis, ſed non ſine patrè & Spiritu ſancto, in maieſtate diuinitatis inſeparabiles ſunt. Quoniam pater non eſt ſine filio, nec filius ſine patre, nec pater & filius ſine Spiritu ſancto, nec Spiritus ſanctus ſine ipſis. Et hæ tres perſonæ Deus unus in una integra diuinitate maieſtatis exiſtunt, & unitas in eiſdem perſonis inſeparabilis uigens: quia diuinitas ſcindi non poteſt, ſed ipſa abſque ulla mutabilitate inuiolabilis ſemper manet. ſed & pater declaratur per filium, filius per ortum, & Spiritus ſanctus per eundem filium incarnatum. Pater eſt, qui ante ſecula genuit filium: filius, per quem omnia à patre facta ſunt in initio creaturarum: & Spiritus ſanctus, qui in ſpecie columbæ apparuit in baptiſmate filij Dei in fine temporum. lib. 2. Viſion. 1.

Hugo Eterianus inquit: Beatam & immortalem Trinitatem, quæ per IESVM Chriſtum Apoſtolis perſpicue, ut poſsibile erat, innotuit, gentium philoſophi ſub ænigmatibus ualde caliginoſis abſcondendo publicabant. Nam Plato philoſophus Dionyſio talia de Trinitate ſcripſit: φραστέον δή σοι δι' αἰνιγμῶν, ἵν' αὐτὴ ἡ δέλτος ἢ πόντου ἢ γῆς ἐν πτυχαῖς πάθῃ, ὁ ἀναγνοὺς μὴ γνῷ. ὧδε γὰρ ἔχει: περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐστὶ, καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν: δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα. Quod ſic Latinè ſonat redditum orationi: Dicendum tibi per ænigmata, ut ne liber ſeu ponti ſeu terræ in tabulis patiatur, qui legit non intelligat. Hoc enim modo habet: Circa omnium regem omnia eſt: omnia propter illũ, & ipſe utique cauſa omnium bonorum: ſecundum, circa ſecunda: & tertium, circa tertia. Plotinus quoque ſimilia edidit: Tria ſunt (inquit) tempus excedentia & æterna: Bonum, mens & anima uniuerſitatis. Hoc eſt apud nos: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, quem philoſophi animam mundi nuncupauerunt. Verùm Timeus Locrenſis Trinitatem ignoraſſe uidetur, Deum ſolitarium quaſi confitendo: Vnum (inquit) principium omnium eſt ingenitum. Nam ſi genitum eſſet, abſque initio non foret principium: ſed illud ex quo prodiret. Filij uerò & ſpiritus nihil hic meminit. Hoc quidem principium non ſolùm excelſus Deus inuiſibilis & incorporeus, uerùm à Chriſtianis pater cenſetur, ſolus ſine cauſa exiſtens, & abſque initio. Ex hoc autem proximè atque immediatè filius iuxta fœcundam genitoris uirtutem generatur: quo medio exiſtẽte, ex eodem patre ſpiritus prodit, ut ex ſua cauſa inexhauſta & infinibili. Ergo ex cauſa eſt filius, & ex cauſa eſt Spiritus ſanctus. lib. primo de hæreſibus Græcor. cap. 1. Item: Et hic quidem profluentium modus eſt, qui minus alienus uidetur eſſe à filio ſanctoque Spiritu, patre ob fœcundam quam habet uirtutem, quia multiplicante ſeipſum ex ſua ſubſtantia, filij quidem perſonam per generationem, Spiritus uerò perſonam per proceſsionem inde immutabiliter & inalterabiliter producẽte. Nam neq; pater demutatur in illas, neq; minoratur: & meritò, cum neq; filius neq; Spiritus ſanctus ex ipſo per aliquam deriuetur deciſionem: qui omnium uiſibilium atq; inuiſibilium æqualiter & indiuiſe una cauſa, ſicut unus Deus, exiſtũt. Vnum ſunt tres hæ perſonæ, non participatione unitatis. Nam cum ante omnia ſecula unum ſint, non fiunt unũ: quia exiſtens non fit, quod iam exiſtit. Si diuinũ factum fuiſſet, aut cũ tempore, aut poſt temporis initiũ incœpiſſet fieri, & aliquid præ ſe habuiſſet. ſi neq; incœpit, neq; præ ſe aliquid habuit, manifeſtũ quòd ſemper fuit, eritq; ſemper. Vnde nõ eſt aliquid Deo prius: qui uere unum eſt, ut dicitur, nõ unitum, nõ finitum, nec ab uno diuerſum. Infinitus autem cum ſit & æternus & ſimplex, nihil poteſt ei accedere, nec aliquid deperire quod eius eſſentiæ ſit, neq; quod non eſt fieri. Atque pater quidem filij abſque medio genitor eſt, æqualia genitori potentis, ac æqualem habentis uirtutem. Similiter enim ſpiritum ex ſe ut pater emittit, prout Latini aſſerũt. Namq; aiũt: Quod licet pater, filius, & Spiritus S. unum ſint, una unitas, una ſubſtãtia, unum principium: pater tamẽ paterna auctoritate, id eſt, quòd eſſe præſtat & gignit, filij cauſa ſeu principiũ dicitur: ſancti uerò Spiritus, ſecũdum quòd eſſe præſtat & ipſum emittit, cauſa uel principium nominatur. ibidẽ. Item: Sic utiq; in ſancta Trinitate pater filius nõ fit, neq; filius pater ſiue Spiritus S. aut Spiritus pater ſiue filius. Hæ itaq; perſonæ quia nullam permutationem ſuſcipiũt, propriè differũt: atq; in eiuſmodi impoſsibile eſt in inuicẽ permutationẽ fieri. Sanè nõ ſolùm inſeparabiles cõmanẽt in tribus perſonis proprietates, uerùm & in permutabiles, quemadmodum, imò amplius multò ipſis priuationibus. Hinc eſt quòd

quòd uidetur diuinas ab inuicem differre personas differẽtia, quę dicitur ꝓpriè alteratũ, faciente tantùm, & non aliud. Nam communi non differunt differentia, quæ separari potest, sed neq; magis propria aliud facit. In sãcta uerò trinitate nihil separabiliũ, nec aliud & aliud, sed alius atq; alius existit. patet igitur, tres personas neque cõmuniter, neque magis propriè, sed propria tantùm differre abinuicem differentia. Amplius: Omnis priuatio, quæ propria differentia dicitur, dum suo inest susceptibili, oppositum tãtummodò ab ipso excludit: ut caluitium capillatum esse, cæcitas uisum habere: aliorum uerò nihil secundum se circumscribit, &c. Ibidem lib. 3. cap. 2. Item: Deus ex Deo, lumen de lumine nascatur: & quod Deus ex Deo procedit, & hic quidem est ex quo quis nascatur, hic uerò qui nascitur ex aliquo, hic uerò qui ex aliquo procedit. Et pater quidem Deum ex quo quis nascitur indicat: filius uerò Deum qui nascitur ex aliquo significat: porrò Spiritus sanctus quia non absolutè pronunciatur, sed patris & filij spiritus, ex aliquibus procedens ostenditur. Quare tres sunt adinuicem distantes. Enimuerò pater neque filius est, neque spiritus: neque filius pater, siue Spiritus est: neque spiritus esse potest quorum spiritus dicitur, cum impossibile sit, ex aliquo existens esse ex quo existit, & ex quo existit esse quod ex se prouenit. Ibidem, cap. 4.

DE TRINITATE *& unitate.*

HOnorius inquit: In diuinitate tres sunt personæ, sed una & indiuidua est natura sanctæ Trinitatis. In Eccles. Salomon.

Hugo de S. Victore: Quia autem ille qui genitus est, non potest esse ille à quo genitus est: neque item ille qui à gignente & genito procedit, ille esse potest qui est gignens uel genitus: inexpugnabili ratione ueritatis cogimur in diuinitate & personarum trinitatem, & substantiæ unitatem cognoscere. Tribus ergo in diuinitate una communis est & æqualis æternitas, & æterna æqualitas: quia non potest esse singulis dissimile, quod omnibus facit diuinitas una commune. Tres ergo unum sunt, quia in tribus personis est una substantia: sed tres unus non sunt, quia sicut distinctio personarum non confundit. In tractatu de trib. dieb.

Rupertus ait: Tota trinitas unus Deus, pater & filius & Spiritus sanctus, æquè tũc per fidem habitat in cordibus nostris, & in futuro per speciem inhabitatura. lib. 12. cap. 17. Comment. in Ioh. Euang. Item: Patris & filij & Spiritus sancti una substantia est, una diuinitas & operatio inseparabilis: tamen sicut patris proprium est opus hominis conditio, & filij proprium opus redemptio, sic proprium opus est spiritus sancti eiusdem hominis illuminatio, reuelationumque gratia, & omnium gratiarum diuisio. Ibidem, cap. 26. lib. 12. in Matth. Et: Pater & filius & Spiritus sanctus indiuisa trinitas, unum principium, unus Deus, unum caput est. lib. 1. de glorif. Trinitat. & de process. Spiritus sancti, cap. 7. Et: Quod processit & procedit ex Deo, Deus est. Procedit ex Deo filius, procedit Spiritus sanctus. Ergo Deus est Dei filius, ergo Deus est Spiritus sanctus. lib. 2. de glor. Trinit. & process. Spiritus sancti, cap. 3. Et: Vera magnitudo Deus est, & uera sapientia: uerbum Dei, filius Dei est, & uera pulchritudo Spiritus sanctus est, quæ beata trinitas sanctorum angelorum & magnitudo & sapientia & pulchritudo est. Ibidem cap. 8. Et: Sicut tres operationes, nec tamen tres dilectiones, sed una dilectio est. Sicut tria spiramenta in homine, anima, cor, & utrorumque fortitudo, nec tres spiritus unius hominis, sed unus est: sic tres personæ Deitatis sunt, pater & filius & Spiritus sanctus, nec tres Dij, sed unus est Deus. Pater & filius in diuinis, sicut anima & mens eius in homine. lib. 5. de glorif. trinitat. & proces. Spiritus sancti, cap. 18. Et: Si de diuina natura sermo sit, stultum est ambigere, utrum in filio Spiritus sanctus sit, cum & pater & filius & Spiritus sanctus una substantia sit, nullo loco separabilis, nullis accidentibus permutabilis. Ibidem libro 6. capite 3. Item: In beata trinitate, cuius in anima hominis similitudinem per hæc tria formari, fidem, spem & charitatem, certum nouimus: quia nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales. Ibidem lib. 7. cap. 17. Item: Sicut indiuisus & unus Deus, trinus Deus, pater, & filius, & Spiritus sanctus: sic indiuisa est una & trina uirtus, fides, spes & charitas, quæ respectu trinitatis in anima hominum efficitur. Ibidem. Et: Vnus est pater, unus est filius, unus est Spiritus sanctus. Et hi tres unum quidem sunt, sed non unus. Alius est enim pater, alius filius, alius Spiritus sanctus. libro tertio in Genesin, capite uigesimooctauo. Et: Alia quidem persona pater, alia persona filius, alia persona Spiritus sanctus: sed non alius Deus pater, alius Deus filius, alius Deus Spiritus

tus sanctus est. libro secundo in Deuteronomium, capite septimo. Et: Nos hac fide ante omnia opus habemus, quę catholica est, ut unitatem in trinitate, et trinitatem in unitate confiteamur, in qua confessione baptizati sumus in Christo IESV, sine qua fide nullus aut nihil est baptismus. libro tertio in lib. Reg. capite uigesimosecundo. Et: Sanctus, sanctus, sanctus. Hic ter Sanctus unus est Dominus, unus est Deus in tribus personis, Pater, Filius & Spiritus sanctus. libro secundo in Esaiam, capite uigesimooctauo. Et: Nomen Patris & Filij & Spiritus sancti perfecta & integra unius Dei ueri definitio est, omnium quicunque dicantur, uel aliquando dicti fuerunt Dij, siue in cœlo siue in terra, cunctam amputans tubam, quorum omnium alij falsi dicti sunt dij, sed accidentali dono à Deo uero deificati, iuxta illud: Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. libro undecimo de diuinis officijs, capite 2. Et: In his tribus personis nulla est diuersitas aut quantitatis aut qualitatis, aut temporis aut loci, aut faciendi aut patiendi, aut situs aut habēdi. Quātitatis, eo quòd substantialiter tam pater quàm filius & Spiritus sanctus æquè sit immensus: qualitatis, eo quòd item substantialiter æquè sit sanctus, iustus & bonus: temporis, eo quòd æquè initio sit: loci, quòd æquè incircumscriptus, & in omni loco sit: faciendi, eo quòd operatio trinitatis æquè impermutabilis sit: patiendi, eo quòd æquè nulli subiacet passioni: situs, eo quòd æquè nulla teneatur positione locali iacendi aut sedendi. Eius uerò generis quod dicitur habere, eo quòd nunquam de Deo nisi figuratè prædicetur, calceatus, armatus, coronatus, & his similia. Rupertus libro undecimo de diuinis Officijs, capite quinto. Item: Tres personas confitentes, tamen tres dicere deos iure prohibemur: & quæcunque substantiæ nomina sunt, numero plurali prædicare non debemus. Solummodò personas triplicamus, quoniam ad hoc manifesta relatione, id est, relatiuis nominibus Patris & Filij & Spiritus sancti ritè compellimur. Sed hæc ipsa relatio, licet in multitudine accidentium secūdum hominem rectè cōputetur: sciendum tamen, quia Deo nullatenus accidisse concedimus. Non enim ex tempore accidit Deo, ut pater esset, aut filium generaret, quemadmodum homini, qui longè antè in sua substantia perfectus est, quàm pater sit, aut filium generet. Et paulo pòst: Pater substantialiter uita est, non uiuificatum aliquid, ut homo siue animal, quod uiuificatum corpus est: non ut anima, quæ cum sit uiuens, non est ipsa uita, unde multis perturbationibus est obnoxia, & uitæ superioris indiga: sed ipsa uitæ substantia, substantia subtilis, lucida, mobilis, acuta, nullis accidentibus subiecta, nullius indigens, omni uitæ rationali capabilis, nullius ipsa capax. ibidem, cap. 7.

Bernhardus inquit: Trinitas est, tamen Deus. Quid ergo? Destruimus quod dictum est de unitate, quia inducimus trinitatem? Non, sed statuimus unitatem. Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum sanctum: nō tamen tres deos, sed unū. Quid sibi uult iste (ut sic loquar) absq; numero numerus? Sed tria, quomodo nō numerus? Si unū, ubi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerē, & quid non numerem. Substantia una est, personæ tres sunt. Quid mirum, quid uel obscurum in hoc? Nihil, si personæ seorsim à substantia cogitentur. Nunc uerò cum tres illæ personæ illa substantia sint, & illa una substantia tres illæ personæ, quis numerum neget? Nam uerè tres sunt. Quis numeret tamen? Nam uerè unum sunt. Aut si tu facilè explicatu id putas dicendo tres, dicito quid numerasti? Naturas? Vna est. Essentias? Vna est. Substantias? Vna est. Deitates? Vna est. Non hæc, sed personas numero, inquis. Quæ non sint illa una natura, illa una essentia, illa una substantia, illa una diuinitas? Catholicus es, minimè hoc dabis. Personarum proprietates non aliud quàm personas, ipsasque non aliud quàm unum Deum, unam diuinam substantiam, unam diuinam naturam, unam & diuinam summam maiestatem fides catholica confitetur. Numera ergo si potes, aut sine substantia personas, quæ ipsa sunt: aut sine personis proprietates, quæ ipsæ sunt. Aut si diuidere quis conetur, uel personas à substantia, uel proprietates à personis, nescio quomodo trinitatis se profiteri cultorem possit, qui in tantam rerum numerositatem excesserit. Dicamus itaque tres, sed non ad præiudicium unitatis. Dicamus unum, sed non ad confusionem trinitatis. Neque enim nomina uacua sunt, neque absque significantia cassæ uoces. Sabellianum hoc. Quærit quis quomodo illud quod catholicum esse dicimus, possit esse? Sufficiat ei tenere sic esse. Atq; hoc rationi nō perspicuum, nec tamē opinioni ambiguū, sed fidei persuasum. Sacramētum hoc magnū est, & quidem uenerandum, nō scrutandū. Quomodo pluralitas in unitate & hac unitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc

hoc temeritas est, credere pietas est, nosse uita, & uita æterna est. Vnde si operæ precium censes ô Eugeni, percurrat nunc consideratio multa una, quo eminentia huius singularis unius fiat euidentior. Est unitas quæ collectiua dici potest, cum (uerbi causa) multi lapides faciunt aceruum unum. Est & unitas constitutiua, cum multa membra unum corpus, uel multæ partes unum quodcunque totum constituunt. Est & coniugatiua, qua fit, ut duo iam non duo sint, sed una caro. Et est natiua, qua anima & caro unus nascitur homo. Est unitas potestatiua, qua homo uirtutis non instabilis, non dissimilis, sed unus sibimet semper nititur inueniri. Est consentanea, cum per charitatem multorum hominum est cor unum, & anima una. Est & uotiua, cum anima uotis omnibus adhærens Deo, unus spiritus est. Est & dignatiua unitas, qua limus noster à Dei uerbo in unam assumptus est personam. Verùm hæc omnia quid ad illum summum, atque (ut ita dicam) unicè unum, ubi unitatem consubstantialitas facit? Huic uni quoduis illorum adsimiles, erit quoquo modo unum: si compares, nullo. Igitur inter omnia quæ rectè unum dicuntur, arcem tenet unitas trinitatis, qua tres personæ una substantia sunt. De Considerat. lib. 5.

Lombardus ait: Hoc quoque uera & pia fide tenendum est, quòd trinitas unus sit, & solus uerus Deus. libro primo, Distinct. secunda. Item: Teneamus ergo patrem & filium & Spiritum sanctum unum esse naturaliter Deum, ut ait Augustinus de fide ad Petrum: neque tamen ipsum patrem esse, qui filius est: nec filium ipsum esse, qui pater est: nec Spiritum sanctum ipsum esse, qui pater est aut filius. Vna enim est patris & filij & Spiritus sancti essentia, quam Græci οὐσίαν uocant: in qua non est aliud pater, aliud filius, aliud Spiritus sanctus, quamuis sit personaliter alius pater, alius filius, alius Spiritus sanctus. Ibidem. Distinct. secunda. Et: Proponamus ergo in medium ueteris ac noui Testamenti autoritates, quibus diuinæ unitatis atque trinitatis ueritas demonstretur, ac primùm ipsa legis exordia occurrant, ubi Moses ait: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Item: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: non erunt tibi alij dij præter me. Ecce hic significauit unitatem diuinæ naturæ. Deus enim, ut ait Ambrosius in primo libro de fide, nomen est naturæ: Dominus uerò nomen est potestatis. Item alibi Deus loquens ad Moysen ait: Ego sum qui sum, & qui quæsierint nomen meum, uade & dic eis, Qui est, misit me ad uos. Dicens enim, Ego sum: non, Nos sumus: &, Qui est: nõ, Qui sumus: apertissimè declarauit unum solum Deum esse. In cantico etiam Exodi legitur, Dominus omnipotens nomen eius: non ait, Domini, unitatem uolens significare. Personarum quoque pluralitatem & naturæ unitatem simul ostendit Dominus in Genesi, dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Dicens enim, Faciamus & Nostrã, pluralitatem personarum ostendit: dicens uerò Imaginem, unitatem essentiæ. Ibidem. Et: Moses dicit, In principio creauit Deus cœlum & terram: per Deum significans patrem, per Principium filium. Et pro eo quod apud nos Deus dicitur, Hebraica ueritas habet Elohim: quod & plurale huius singularis, quod est El. Quòd ergo non est dictum El, quod est Deus: sed Eloym, quod interpretari potest, dij siue iudices, ad pluralitatem personarum refertur. Ad quam etiam illud attinere uidetur, quod diabolus per serpentem dixit, Eritis sicut dij. Pro quo in Hebraico habetur Eloym: ac si diceret, Eritis sicut diuinæ personæ. Ille etiam maximus prophetarum & regum Dauid, qui suam cæteris præfert intelligentiam, dicens, Super senes intellexi: unitatem diuinæ naturæ ostendens ait, Dominus nomen est illi: non dicit, Domini. Alibi etiam eiusdem unitatem & æternitatem simul ostendens, ait ex persona Dei: Israel si me audieris, non erit in te Deus recẽs, neque adorabis deum alienum. ibidem. Et: Alibi quoq; distinctionem personarum insinuans, ait: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorũ. Alibi etiam dicit, Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Trina enim confessio Dei trinitatem exprimit personarum: unitatem uerò essentiæ aperit, cum singulariter subiungit Eum. Esaias quoq; dicit, se audiuisse Seraphin clamantia, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sebaoth. Per hoc quod dicit ter Sanctus, trinitatem significat: per hoc quod subdit, Dominus Deus, unitatem essentiæ. Dauid quoque æternam filij generationem apertè insinuat, ex persona filij dicens: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te. ibidem. Et: Dominus itaq; Christus unitatem diuinę essentię ac personarũ trinitatẽ apertè insinuat, dicens Apostolis: Ite, baptizate omnes gẽtes in nomine patris & filij & Spiritus sancti. In nomine utiq; ait, ut Ambro-

sius ait in lib. de Fide, non in nominibus, ut unitas essentiæ ostendatur. Per nomina tria quæ posuit, tres esse personas declarauit. Ipse etiam ait: Ego & pater unum sumus. unum dixit, ut ait Ambrosius in eodem, ne fiat discretio potestatis naturæ: & addit, Sumus, ut patrem filiumq; cognoscas, scilicet ut perfectus pater filium perfectum genuisse credatur: & quòd pater & filius unum sint, non confusione personæ, sed unitate naturæ. Iohannes quoq; in epistola canonica ait: Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, pater, uerbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Ipse etiam in initio Euangelij ait, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbũ: ubi apertè ostendit, filium semper & æternaliter fuisse apud patrem, ut alium apud aliũ. Apostolus quoque apertè trinitatem distinguit, dicens: Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra. & alibi: Si spiritus eius qui suscitauit IESVM, habitat in nobis, &c. Item alibi trinitatem atque unitatem euidentissimè commendat, dicens: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria. ibidem. Et: Fides autem catholica tenet ac prædicat, & tres personas esse unum Deum, & unam substantiam siue essentiam, siue naturam diuinam: & unum Deum siue essentiam diuinam, esse tres personas. Vnde Augustinus in primo libro de Trinitat. ita ait: Rectè ipse Deus trinitas intelligitur, beatus & solus potens. Ecce quàm expresè dixit, Ipse Deus trinitas: ut ostenderet, & ipsum Deum esse trinitatem, & trinitatem ipsum Deum. ibidem Distinct. 4. Item: Dicendum esse & credendum, quòd unus Deus est trinitas, & una substantia tres personæ: sicut econuersò trinitas dicitur esse unus Deus, & tres personæ dicuntur esse una substantia. ibidem. Item: Tres personæ dicuntur diuina essentia, nec secundum materialem causam, ut tres statuæ unum aurum: nec secundum complexionis similitudinem, ut tres homines unius naturæ: nec ut genus prædicatur de speciebus, uel ut species de indiuiduis, id est, continens de contentis, maius de maioribus. ibidem Distinct. decimanona. Item: Nõ autem te moueat quòd dicimus, Tres res. Non enim dicentes diuersarum rerum numerum ponimus in trinitate: sed ita tres res dicimus, ut easdem esse unam quandam summam rem confiteamur. Distinct. 25. lib. 1.

Richardus inquit: Deum in una substantia personaliter trinum, & in tribus personis substantialiter unum, nec ullus sensus corporeus docet, nec aliqua humana ratio plenè persuadet. Sed hoc utique alij per reuelationem discunt, alij autem sola autoritate conuincunt & credunt. libro quarto de Contemplat. capite secundo. Item: Vbi oportet omnes æquè perfectos esse, necesse est omnes in summa æqualitate congruere. Erit itaque omnibus æqualis sapientia, æqualis potentia, indifferens gloria, uniformis bonitas, ęterna felicitas: ut ueraciter constet, quod quotidiana profesio Christianæ institutionis docet, quoniam trium pariter una est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas. Nullus ibi est altero maior, nullus ibi anterior: nullus ibi altero minor, nullus ibi posterior. Constat itaque, in illa trinitate omnes personas coæquales simul & coæternas esse. Nam si coæternæ non essent, eo ipso coæquales non essent. libro tertio de Trinitat. capite uigesimoprimo. Item: Spiritus Domini impleuit orbem, &c. Notandum in his uerbis, quàm congruè uel distinctè commendetur & personarum pluralitas & substantiæ unitas. Cum enim præmissum est, Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: statim subinfertur, Et hoc quod continet omnia: non, Is qui continet omnia. quamuis & sic quidem rectè dici potuisset. Sed miranda ratione uoluit Scriptura sacra sub tanta uerborum breuitate & personarum pluralitatem & substantiæ unitatem ostendere. Personarum pluralitas ostenditur in eo, quòd spiritus iste spiritus Domini dicitur. Alius est enim ipse, atque alius ille cuius spiritus dicitur esse. Identitas uerò substantiæ ostenditur, dum idem spiritus illud esse dicitur, per quod omnia continentur. Est itaque hic spiritus illud idem quod est ille à quo sunt omnia, illud idem quod est ille per quem omnia, illud idem quod est ille qui in principio creauit cœlum & terram, illud idem quod est ille per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Erit itaque hic spiritus idem quod pater, idem quod filius: quia pater & filius & Spiritus sanctus, unus est Deus, una substantia, una natura, una diuinitas, una maiestas. In tractatu de misione Spiritus sancti.

Petrus Blesensis ait: Igitur piè credas, & fideliter teneas, quòd unus est Deus: sic tamen ut in asignatione Deitatis sit unitas in substantia, & trinitas in personis. Est enim Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Est autem distinctio in personis, ut nec pater sit filius, nec filius sit Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus sit pater aut filius.

filius. Epist. 83. Item: Hæc fidei nostræ professio non tantùm à Christo & eius sequacibus traxit exordium, sed à Moyse & patriarchis atq; prophetis suum habuit fundamentum. In libro Mosis diuinę essentiæ unitas declaratur, ubi dicitur: Audi Israel, Deus tuus, &c. Itē: Ego sum Dominus Deus tuus, &c. Pluralitatē uerò personarū ibi patēter insinuat, ubi dicit: Faciamus hominē. Cum enim uerbū Dei sit filius, sicut Iohānes, cuius Euangeliū recipis, protestatur, dicens: In principio erat uerbū, &c. uides quòd ad filium & Spiritum sanctū patris sermo dirigitur, cum hæc duo pluraliter dicat, Faciamus: & per Verbum & Spiritum sanctum Dominus Deus operatus est uniuersa. sed sicut propheta Dauid dicit, Verbo Domini cœli, &c. Idem etiam propheta ministerium Trinitatis eleganter insinuat, ubi ter hoc nomen Deus in eodem uersiculo repetit & inculcat, dicēs: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Prænominatus Iohannes in epistola sua dicit, Tres sunt qui, &c. Esaias etiam propheta, quem recipis, se audisse testatur Seraphin clamantia, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sebaoth. Quare tertiò replicat Sanctus, nisi ut in Domino Deo exercituum trinitatem insinuet personarum? Est itaque in summa & beatissima trinitate pater qui genuit filium, filius qui genitus est à patre, Spiritus sanctus qui progreditur ab utroque. Hæc in illa genitura aut processione damnum receptionis aut immutationis non passa est in patre uel filio diuina substantia. Sicut enim lumen à lumine sumitur sine imminutione luminis à quo sumitur: sic æqualis à patre filius, & utriq; Spiritus sanctus ab utroque procedit. Modus aut geniture aut processionis istius humana ratio non attingit. Epistolarum 83.

Vna sapientia trinitatis. Lombardus: Vna est sapientia patris & filij & spiritus sancti, sicut una essentia: quia sapientia in illius naturæ simplicitate est essentia: & tamen filius tantùm est sapientia genita, & pater tantùm est sapientia ingenita: & sapientia genita est de sapientia ingenita, uel à sapientia ingenita. Et cum ibi idem sit esse quod sapientem esse, relinquitur ut sapientia genita sit sapiens de sapientia ingenita. Non ergo filius dicitur sapientia Dei, tanquam ipse solus intelligēs sit, uel sapiēs sibi & patri & Spiritui sancto. lib. 1. dist. 32. Item: Pater est sapientia, & filius sapientia, & uterq; una est sapientia: & tamen solus pater est ingenita sapientia, & filius solus genita sapientia: nec tamen alia sapientia pater, alia sapientia filius, sed una eadēque est: sicut pater est ingenitus Deus, & filius est genitus Deus, neq; Deus genitus est Deus ingenitus. Non ideò tamen alius Deus est pater, alius Deus filius: sed unus Deus uterque, non autem unus. Alius est enim genitus, alius ingenitus, sed non alius Deus: imò uterque unum, siue unus Deus. ita non est sapientia genita sapiētia ingenita: sed alia est sapientia genita, alia ingenita: non tamen est alia sepientia, sed una eademq; sapientia. Ibidem.

Vna potentia trium. Lombardus: Vna est ergo potentia, sapientia, bonitas trium, sicut una essentia. Ideoq; sicut dicitur filius homousios, id est consubstantialis patri, ita & coomnipotens.

Hugo Eterianus: Vnitas est in trinitate, ac trinitas in unitate. At uerò unitas naturæ attribuitur, trinitas uerò personarum est, non naturæ. Sanè non est naturalis unitas ex eo quod trinitas hypostatica, neque rursus hypostatica trinitas ex eo quod unitas naturalis. capite quarto lib. 3 de Spiritus sancti process.

De proprietatibus personarum inquit Lombardus: Proprietates singulæ singulis propriè conueniunt personis, & per eas personę determinantur, & à se inuicem differunt, sed à se non secedunt. lib. 1. Dist. 27. Item: Sunt & alia nomina personarum, id est, quæ ipsas personas significant, & earum proprietates denotant, & easdē quas & nomina prædicta, unde & relatiuè dicuntur, scilicet genitor, genitus, uerbum, imago. ibidem. Item: Sicut filius uel genitus relatiuè dicitur ad patrem, ita uerbum & imago: & quod eo dicitur uerbum siue imago quo filius, id est, eadem proprietate siue notione dicitur uerbum & imago qua filius: sed non eo quo uerbum, dicitur sapientia uel essentia, quia non notione qua dicitur uerbum, dicitur sapientia. Nam sapientia dicitur secundum essentiam, non secundum relationem. ibidem. Et: Licet Deus secundum substantiam dicatur & lumen, & sapientia, & huiusmodi, & nunquam relatiuè accipiantur: aliquando tamen pro relatiuis, id est pro personis, sed nō relatiuè accipiuntur: ut cū dicitur, Deus genuit Deū: alterū pro patre, alterū pro filio ponimus. Similiter cū dicitur, Deus de Deo, lumē de lumine. In alijs quoq; locutionibus sæpe reperiuntur nomina essentiæ ad significationem personarum deducta: ut cum dicitur, Deus natus, Deus mortuus, Deus passus: ubi tantùm filius significatur. Ita & de solo filio intelligitur, cum dicitur, Deus de Deo, & huiusmodi.

iusmodi. ibidem. Item: Secundum nomina substantiæ tantùm dicitur illud de illo, licet ibi illa nomina substantiam non significent. Secundum uerò eadem nomina personarum nunquam dicitur illud de illo, sicut uerbum de uerbo, uel filius de filio: quia huiusmodi nomina diuersis personis conuenire non possent. ibidem. Et: Sicut nomina substantiæ aliquando intelligentiam personarum distinctè faciunt, ita etiam interdum totius trinitatis simul. ibidem. Item: Non tantùm tres prædictæ proprietates siue notiones in personis sunt, uerumetiam aliæ, quæ alijs notantur nominibus. Nam etiam hoc nomen Ingenitus relatiuè dicitur de patre tantùm, & aliam designat notionem, quàm pater uel genitor. Nō est enim idem, esse patrem, & esse ingenitum: id est, non ea notione pater dicitur, qua ingenitus. Pater enim, ut prædictum est, dicitur secundum proprietatem generationis: ingenitus autem secundum proprietatem innascibilitatis. Differt ergo pater à filio authoritate generationis, differt etiā proprietate innascibilitatis, id est, quia ingenitus. Ibidem Distinct. 28. Item: Sicut proprietates esse in personis, ita & eas personas esse confitemur. Ibidem Distinct. 33. Item: Fateamur ergo & proprietates esse in tribus personis, & ipsas esse personas atque diuinam essentiam. ibidem.

Richardus ait: Notandum quòd sunt quædam proprietatum nomina, quæ nulla ratione possunt conuenire, nisi uni soli personæ. Hinc est quòd solus unus dictus sit pater, solus unus dictus est filius. Hinc est quòd solus Dei filius imago patris dicitur, hinc etiam quòd solus ipse uerbum denominatur. Fides catholica fatetur, & ratio multiplex attestatur, quòd qualis pater, talis filius, talis Spiritus sanctus. Absque dubio uterq; patri per omnia coæqualis, si sapientiam, si potentiam penses: si bonitatem, si beatitudinem cogites, nihil maius in uno, nihil minus in altero omni remota ambiguitate reperies. Ibidem soluit quæstionem, cur & Spiritus sanctus non dicatur imago patris, ut filius, cum tamen uterq; similis & coæqualis inueniatur. lib. 6. de Trinit. cap. 11.

Hugo Eterianus ait: De insignitiuis aut proprietatibus, certissimum est quòd intelligi faciant, tres personas paribus distare differentijs: fugit nimirum Trinitatem elemētorum aliarumue creaturarum assignatio: quæ quidem secundum maius & minus differunt. libro 3. de process. Spiritus sancti.

Personas non esse partes Dei. Lombardus: Nec est aliqua trium personarum pars Dei, uel diuinæ essentiæ, quia singula harum uerus & plenus Deus est, & tota & plena diuina essentia est: & ideo nulla istarum in trinitate pars est. libro 1. Distinct. 19. Item: Tres personæ illæ non sunt partes Dei uel diuinæ essentiæ. Nullaq; illarū trinitatis pars dicenda est, nec una aliàs ulla maior alijs. ibidem.

Personas esse æquales. Lombardus: Fides enim catholica sicut coæternas, ita & coæquales tres personas asserit. æqualis enim est in omnibus patri filius, & patri & filio Spiritus sanctus. libro primo, Distinct. 19. Item: Alia aliam non excellit, aut æternitate, aut magnitudine, aut potestate. ibidem. Item: Pater non est maior filio, nec pater uel filius maior Spiritu sancto, nec maius aliquid duæ personę simul sunt quàm una, nec tres simul maius aliquid quàm duæ: nec maior est essentia in tribus quàm in duabus, nec in duabus quàm in una, quia tota est in singulis. Ibidem. Item: Non enim plenè potest tantum ab homine referari arcanum, ex qua intelligentia dicatur singula personarum tota esse in alijs. ibidem. Item: Ex eodem etiam sensu intelligitur Spiritus sanctus esse in utroque, & singula personarum in singulis: quia scilicet in singulis est eadem plenitudo diuinitatis, & unita similitudo naturæ quia nō est maior diuina natura in aliqua harum personarum, sed unius & indifferentis naturæ sunt hæ tres personæ. ibidē. Item: Nulla trium personarum aliam superat: quia nulla maior alijs, nec maius aliquid sunt duæ quàm una, nec tres quàm duæ, nec maior Deus quàm singuli horū: quia singulus horum perfectus est, nec est quo crescat illa perfectio. ibidē. Item: Tāta est æqualitas trium personarum, atq; indifferens magnitudo, quòd cum dicamus tres personas unā essentiā uel substātiam, neq; ut genus de speciebus, neq; ut speciē de indiuiduis prędicamus. Nō enim essentia diuina genus, & tres personæ species: uel essentia diuina species, & tres personæ indiuidua. ibidem. Et: Sicut una & indifferens est magnitudo trium, ita una & indifferens monstretur potentia trium. Sciendum est ergo, quia non est potentior pater filio, nec filius uel pater Spiritu sancto: nec maiorem potentiam habent duo uel tres simul, quàm singulus eorum, quia nec plus potest pater & filius simul, quàm solus Spiritus sanctus. Nec hi tres simul plus possunt, quàm singulus eorū: quia omnipotētiam quam habet pater, & filius accepit nascendo, & Spiritus S. procedendo. ibidem Dist. 20. Item: In trinitate nulla est di-

est diuersitas: si tamen aliquando in Scriptura inuenitur dictum, Tres diuersæ personæ, & huiusmodi, diuersas dicit distinctas. ibidem, Dist. 23.

Essentiam diuinam non esse materiam personarum. Lombardus: Essentia diuina non est materia trium personarum. libro 1. Distinct. 19.

Differentiæ personarum. Rupertus: Dominus ipse est pater, uerbum Domini ipse est filius, spiritus oris eius, ipse est Spiritus sanctus, unum & unicum sanctorum angelorum & electorum hominum firmamentum, ut iam in æternum non moueatur pes alicuius eorum, & qui iam ordinati sunt, adhuc illuc ordinandi sunt. lib. 3. de glorif. Trin. & proces. Spiritus sancti, ca. 4.

Bernhardus ait: Patrem intellige spiritum principalem, non quòd maior, sed quòd solus à nullo, cum ab eo sit filius, Spiritus sanctus ab utroq;. Serm. 3. in die Pentecost. Item: Pater creauit, filius reconciliauit, Spiritus sanctus confirmauit. Serm. 61. paruorum Sermon. Item: Nam ad hoc filius legitur descendisse, ut uocaret & iuuaret ascensuros ad primum: & Spiritus sanctus missus fuisse, qui perduceret ad secundum. Pater uerò licet filio & Spiritui sancto semper cooperetur, nunquam tamen & de cœlo descẽdisse, aut ad terras legitur missus fuisse. Lego certè quod misericordia Domini plena est terra: &, Pleni sunt cœli & terra gloria tua, & multa huiusmodi. Lego & de filio: Postquã uenit plenitudo tẽporis, misit Deus filiũ suũ. Et ipse filius loquitur de se: Spiritus Domini misit me. Et per eundem prophetam: Et nunc, inquit, Dominus misit me et spiritus eius. Lego & de Spiritu sancto: Paracletus autẽ Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo. Et: Cum assumptus fuero, mittam uobis eum: haud dubium quin Spiritum sanctum. Patrem autem in sua persona licet nusquam non sit, nusquam tamen inuenio nisi in cœlis, ut in Euangelio: Et pater meus qui in cœlis est. Et in Oratione: Pater noster, qui es in cœlis. Vnde nimirũ colligo, quòd quia pater nõ descendit, Apostolus ut eum uideret, ad tertium cœlũ ascendere quidem non potuit, quò tamen se raptum memorauit. Deniq; nemo ascẽdit in cœlũ, nisi qui descẽdit de cœlo filius hominis. Et ne putes de primo dictum uel secũdo, dicit tibi Dauid: A' summo cœlo egressio eius. In tract. de grad. humilit.

Lombardus ait: Proprietas qua pater est pater, & proprietas qua filius est filius, æterna est & incommutabilis: quia & pater semper pater, & filius semper filius. lib. 1. Distinct. 26.

Richardus ait: Substantia patris, sicut & sapientia, non est ei ab alio aliquo: substãtia filij à patre solo, substantia Spiritus sancti tam à patre quàm à filio. Quę de substãtia dicta sunt, per omnia & de sapientia dici possunt: quoniam sapientia & substantia in diuinis nõ aliud & aliud ponũt. lib. 6. de Trinit. cap. 25.

Hugo Eterianus: In diuinis autem personis tres proprietates immobiles sunt, paternitas, filiatio, processio: secũdũ quas solas tres personæ, pater scilicet & filius & Spiritus S. insigniuntur: quæ non modò in his, modò in alijs, nec in pluribus, aliquando in paucioribus, sed in eisdẽ semper personis inspiciuntur. Hæ personæ neq; augmentũ suscipiunt, ut sint quatuor: neq; diminutionem, ut in dualitatem redigantur, cum unus Deus pariter existant absq; permutatione. Si enim una specie plures homines unũ, multo cõuenientius tres personæ unus Deus pura fide ac religione inculpata pronũciatur: de quibus nõ est quęrendum quomodo sint tres, cũ prorsus & omnino sint inseparabiles. languidi enim circa fidẽ homines lęduntur in huiusmodi, ut dicit Apostolus. Quoniã animę ægritudo, malignè ac ociosè quęrere de Deo. Credere enim oportet accedentẽ ad Deum, ea quæ à sanctis enunciata sunt & manifestata: & nõ rationib. inuestigare, quia nõ sunt. lib. 1. cap. 8. de process. Spiritus sancti.

De locutionibus ad unitatem & trinitatem pertinẽtibus ait Lombardus: Cum enim dicitur, Vnus Deus, multitudo deorum excluditur, nec numeri quantitas in diuinitate ponitur: tanquam diceretur, Deus est, nec multi sunt, uel plures dij. lib. 1. Distinct. 24. Item: Similiter cum dicitur, Vnus est pater, uel unus est filius, & huiusmodi: ratio dicti hæc est, quòd nõ sunt multi patres uel multi filij: ita & de similibus. Item cum dicimus, plures esse personas: singularitatem atque solitudinem excludimus, nec diuersitatem, nec multiplicitatem ibi ponimus: quasi diceretur, Sine solitudine ac singularitate personas confitemur. ibidem. Et: Nomine consortij pluralitatem significauit. Professio ergo consortij, est professio pluralitatis: quam professus est dicens, Faciamus, & Nostram. pluraliter enim utrumque dicitur. Sed hac professione pluralitatis non diuersitatem uel multitudinem posuit, sed solitudinem & singularitatem negauit. Sic ergo cum dicimus, Plures personas, uel pluralitatem personarum: singularitatis & solitudinis intelligẽtiam excludimus. ibidem. Item: Cum dicimus, Tres personas: nomine ternarij non quantitatẽ numeri

in Deo

in Deo ponimus, uel aliquam diuersitatē: sed intelligentiam non ad alium nisi ad patrem & filium & Spiritum sanctum dirigendam significamus: ut sit huius dicti intelligētia, Tres personæ sunt, uel tres sunt pater & filius & Spiritus sanctus: id est, nec tantùm pater, nec tantùm filius: nec tantùm pater & filius in Deitate sunt, sed etiam Spiritus sanctus, & non alius ab his. Similiter non tantùm est ibi hæc persona, uel illa, uel hæc & illa: sed hæc & illa, & illa, & non alia. Et hoc fortè iam intelligendum August. satis ostendit, ubi dicit, quòd illo nomine non diuersitatem intelligi uoluit, sed singularitatem uoluit. ibidem. Et: Cum dicitur, Duo sunt pater & filius: non dualitatis quantitatem ibi ponimus, sed hoc significamus, quòd non est tantùm pater, nec tantùm filius: sed pater & filius, & hic non est ille: ita & de alijs huiusmodi. Ita etiam cum dicimus, Pater & filius sunt duæ personæ: hoc significamus, quòd non tantùm pater est persona, nec tantùm filius est persona: sed pater est persona, & filius est persona, & hæc non est illa. ibidem. Et: Cum autem dicimus, Distinctæ personæ, uel distinctio est in personis: confusionem atque permixtionem excludimus, & hanc non esse illam significamus. Cumque addimus, Distinctæ sunt personæ proprietatibus, siue differentes proprietatibus: aliam esse hanc personam, & aliam illam suis proprietatibus significamus. Et cum dicimus, Aliam & aliam: nō diuersitatem uel alienationem ibi ponimus, sed confusionem Sabellianam excludimus. ibidem. Et: Cum dicuntur discretæ personæ, uel cum dicitur discretio in personis esse, eandem intelligentiam facimus. Eodem enim modo ibi accipitur Distinctio, quo discretio. Et congruè dicitur ibi esse discretio uel distinctio, non diuersitas uel diuisio, siue separatio. unde Ambros. lib. 1. de Trinitate: Non est ipse pater qui filius, sed inter patrem & filium expressa distinctio est. ibidem. Et: Cum uerò dicitur, Trinitas: id significari uidetur, quod significatur cum dicitur, Tres personæ: ut sicut non potest dici, Pater est tres personæ, uel filius est tres personæ: ita non debet dici, Pater est trinitas, uel filius est trinitas. ibidem. Item: Alia est huius nominis ratio, cum dicitur, Pater est persona, uel filius est persona: & alia, cum dicitur, Pater & filius & Spiritus sanctus sunt tres personæ: & cum dicitur, Alia est persona patris, alia filij, & huiusmodi. ibidem, Dist. 25. Et: Persona enim, ut suprà ait Augustinus, ad se dicitur: & idem est Deo, esse personam, quod esse: sicut idem est ei esse, quod Deum esse. Vnde manifestè colligitur, quòd essentiam diuinam prædicamus, dicentes: Pater est persona, filius est persona, Spiritus sanctus est persona, id est, essentia diuina: & omnino unum & idem significatur nomine Personæ, id est, essentia diuina, cum dicitur, Pater est persona, filius est persona: quod significatur nomine Dei, cum dicitur, Pater est Deus, filius est Deus. Ita etiam idem significatur, cum dicitur, Deus est Deus, & Deus est persona. Vtroq; enim nomine essentia diuina intelligitur, quia utrumque secundum substantiam dicitur. Cum uerò dicitur, Pater & filius & Spiritus sanctus sunt tres personę, quid nomine personæ significamus? an essentiam? hoc enim uidetur, si suprà posita uerba Augustini diligenter scrutemur. ibidem. Et: Videtur ergo eandem tenere significationem hoc nomē Persona, cum dicitur, Tres personæ: quam habet cum dicitur, Pater est persona, filius est persona, Spiritus sanctus est persona. Quia, ut ostendit Augustinus, hoc dicitur, id est, tres personæ, propter illud: quia id quod persona est, commune est eis. Id ergo quod commune est eis, id est, patri, filio & Spiritui sancto, uidetur significari nomine Personæ, cum dicitur, Tres personæ. ibidem. Et: Hoc nomē, scilicet Persona, propriè secūdum substantiam dicitur, & essentiam significat, sicut suprà ostendit August. cum dicitur, Deus est persona, pater est persona. Quadam tamen necessitate (ut suprà dixit Augustinus) trāslatum est hoc nomen, ut pluraliter diceretur, Tres personæ, cum quæreretur, quid tres, uel quid tria: ubi non significat essentiam, id est, naturam diuinam, quæ communis est tribus personis, sed subsistentias siue hypostases, secundum Græcos. Græci quippe (ut suprà dicit Augustinus) aliter accipiunt substantiam, id est, hypostasin, aliter nos. Nos enim substantiam, dicimus essentiam siue naturam: Personas autem dicimus, sicut illi dicunt, substantias, id est, hypostases. Si ergo ita nos accipimus personas, ut illi accipiunt substantias, uel hypostases: at illi aliter accipiunt hypostases, quàm nos substantiam: aliter ergo et nos accipimus personas quàm substantiam. Cum ergo dicimus tres personas, non ibi personæ nomine essentiam significamus. Quid ergo dicimus? Dicimus, quia tres personæ sunt, id est, tres substantiæ, scilicet tres entes: pro quo Græci dicunt Tres hypostases. ibidem. Et: Cum quæritur, quid tres, uel quid tria: non de essentia quæritur, nec ibi quid ad essentiā refertur. Sed cum fides catholica tres esse profiteretur, sicut Iohānes in Epistola Canonica

nonica ait, Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo: quærebatur quid illi tres essent, id est, an essent tres res, & quæ tres res, & quo nomine illi tres res significarentur. Et ideò loquendi necessitate inuentum est hoc nomen Persona ad respondendum, & dictum est, Tres personæ. Ibidē. Et: Alia est substantia uel hypostasis patris, alia substantia filij, alia substantia Spiritus sancti. Et alia substantia pater, alia filius, alia Spiritus sanctus. Ibidem. Item: In his locutionibus Scripturæ usus nobis æmulandus uidetur, ubi frequenter reperitur ita dictum, Vna est essentia trium personarum. & tres sunt personæ unius essentiæ: nusquam tamen occurrit legisse, Vnum Deum triū personarū, uel tres psonę unius Dei. Quod ideò puto sanctos doctores uitasse, ne ita fortè acciperetur in diuinis psonis, ut accipitur cū de creaturis simile quid dicitur. Dicitur enim Deus Abraham, Isaac & Iacob, & Deus omnis creaturæ. Quod utique dicitur propter principium creationis, uel gratiæ priuilegium, & creaturæ subiectionē uel seruitutem. Cū ergo in trinitate nihil sit creatum uel seruiens uel subiectum, non admisit fides in trinitate talem locutionis modum. Ibidem Dist. 34. Item: Quæ autem secundum substantiam de Deo dicuntur, tribus personis pariter conueniunt. Vna est ergo potentia, sapientia, bonitas patris & filij & Spiritus sancti, & hi tres eadem potentia, eadem sapiētia, eadem bonitas. Vnde aperitur, in trinitate summa esse perfectio. Si enim ibi deesset potentia, uel sapientia, uel bonitas, nō esset summum bonum. Sed quia ibi est perfecta potentia, infinita sapientia, incomprehensibilis bonitas, rectè dicitur & creditur summum bonum. Cumque unum & idem in Deo sit potentia, sapientia, bonitas: in sacra tamen Scriptura frequenter solent hæc nomina distinctè ad personas referri, ut patri potentia, filio sapientia, Spiritui sancto bonitas attribuatur: quod quare fiat, non est ociosum inquirere. Ibidem.

Deus non multiplex. Lombardus: Et sicut in trinitate nō est diuersitas, ita nec multiplicitas: & ideò non dicendus Deus multiplex, sed trinus & simplex. libro 1. Dist. 23.

Cur non dicatur, Tres Dij. Lombardus: Ostensum est qua necessitate dicamus tres personas, & quare non similiter tres deos uel essentias: qua scilicet in altero obuiat Scriptura, in altero diuersitatis intelligentia: quia ibi nulla penitùs est diuersitas, sicut nec singularitas uel solitudo, sed unitas & trinitas. libro 1. Dist. 23.

Personam de substantia dici. Lombardus: Persona secundum substantiam dicitur, ut cum dicitur, Pater est persona: hic sit sensus, Pater est diuina essentia. Similiter cum dicitur, Filius est persona, Spiritus sanctus est persona, id est essentia diuina. libro primo, Dist. 23.

Trinus, non triplex. Lombardus: Præterea cum Deus dicatur trinus, non tamē debet dici triplex. Ibi enim non est triplicitas, ubi summa est unitas & indifferens æqualitas. libro 1. Dist. 19.

Non est solitarius Deus. Rupertus: Ab his tamen qui cordis oculos emundauerūt, uidetur nunc Deus per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciē uidebitur, cum uenerit quod perfectum est. Qui ergo eiusmodi sunt, intelligunt per hęc pia naturæ uocabula, patris & filij & Spiritus sancti ueram ac unicam summæ diuinitatis gloriam, uidelicet quia & nunc & antequā quicquam faceret, unus, idem & solus erat Deus, sed non desertus neq; solitarius: solus inquam, sed in substantia: solus & unus, sed non in persona. libro 11. de diuin. offic. cap. tertio & quarto.

DE PATRE.

Rupertus ait: Vtiq; pater Christi, pater noster est: quemadmodum dicit, Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum. In Apocalyp. ca. 1. Nomen patris discretè accipiendum est, ut aliàs intelligitur pater omnium filiorum adoptionis, aliàs pater unici & consubstantialis filij. deniq; nobis qui non nati, sed adoptati sumus, pater est unus, idemq; trinus Deus, pater & filius & Spiritus sanctus: illi autem, qui solus est naturalis filius, una persona pater est, & ad illū unicum filium relatiuè pater dicitur. Libro 2. de glorificat. Trinitatis, & process. Spiritus sancti, capite 2.

Bernhardus ait: Patrem loquor, qui principium trinitatis. Serm. 2. par. Serm.

Principium. Richardus: Scimus absq; dubio quia Trinitas Deus principium est omnium creaturarū: scimus nihilominus, quia persona patris principium est omniū creaturarum. Scimus nihilominus, quia persona patris principium est aliarum in trinitate personarum. Et quamuis secundum alium & alium modum dicatur principium hic & ibi, utrobiq; tamen tam cogruenter quàm ueraciter potest principium dici. lib. 2. de erud. hom. interioris, cap. 9.

Ingenitus. Lombardus: Ingenitus relatiuè dicitur, & de solo patre accipitur. Alia notio est, qua dicitur ingenitus: alia, qua pater. Atq; tantum ualet cum dicitur ingenitus, quantum non genitus, uel non filius. lib. 1. Dist. 28.

Richardus inquit: Ingenitum uelle habere de se sibi conformem atq; condignum, idem mihi uidetur quod gignere filium. Tā

genitum, quàm ingenitum uelle habere cō dilectum, idem uidetur quod producere Spiritum sanctum. In illo nota communionē honoris, in isto communionem amoris. lib.6.de trinitat.cap.17.

Sapiens. Lombardus: Pater est sapientia, & filius sapientia, & uterq; una est sapientia: & tamen solus pater est ingenita sapientia, & filius solus genita sapientia: nec tamē alia sapientia pater, alia sapientia filius, sed una eademq; est: sicut pater est Deus ingenitus, & filius est Deus genitus: neq; Deus genitus, est Deus ingenitus: non ideo tamē alius Deus est pater, alius Deus filius, sed unus Deus uterq;, non autem unus. Alius enim est genitus, alius ingenitus, sed non alius Deus: imò uterq; unum, siue unus Deus. Ita non est sapientia genita, sapientia ingenita: sed alia est sapiētia genita, alia ingenita: non tamen est alia sapientia, sed una eademq; sapientia.

Pater non est solus Deus. Lombardus: Post hæc quæritur, utrū sicut dicitur, Solus pater est pater, uel solus filius est filius: ita posit dici, Solus pater est Deus, uel solus filiꝰ est Deus, ita & de Spiritu sancto. Aut pater est solus Deus, filius est solus Deus. Ad quod dicimus, quia pater & filius & Spiritus sanctus dicitur & est unus Deus, & hæc trinitas simul propriè dicitur esse solus Deus, sicut solus sapiens, solus potens. libro 1. Dist.21. Et: Non solus pater dicendus est uerus Deus. Ibidem.

Pater diligit filium. Bernhardus: Pater diligit filium, & singulari dilectione amplectitur: summus ęqualem, ęternus coęternum, unus unicum. Sed enim non minori ipse à filio affectione adstringitur: quippe pro cuius amore & moritur, ipso attestante, cum ait: Vt sciant omnes quia diligo patrem, surgite eamus. Haud dubium quin ad passionem. Illa ita mutua gignentis genitiq; cognitio pariter & dilectio, quid nisi osculum est suauissimum, sed secretissimū? Ego pro certo ad tantum & ad tam sanctum diuini amoris arcanum ne ipsam quidem angelicam admitti arbitror creaturam. Etenim Paulo hoc ipsum sapiente, pax illa exuperat omnem etiam angelicum sensum. Ser. 8. super Cantica canticorum.

DE FILIO DEI.

Filius Dei. Rupertus: Hoc nomen filius Dei, siue filius altissimi nouum est, ita & de ipso nomine perpendere uel reminisci non ociosum est, quia non facile quisquis hoc reperiet in ueteribus scripturis, legalibus siue propheticis. lib. primo Comment. in Matth. capite 1.

Verbum Dei & sapientiam Dei idem esse, Petrus Alphonsus indicat, inquiens: Verbū namq; Dei perfecta eius est sapientia: quod & Psalmista ostendit, cum dicit: Verbo Domini cœli firmati sunt. Patet igitur quia sapientia Dei, & uerbum eius, idem est. Titul.7.

Rupertus ait: Sapientia est sensus quidā, quo à nobis ipsa sapientiæ substantia sentitur, quę est secundum diuinam naturā ipse Christus Dei filius, Verbum Dei, Verbum Deus. lib.1. de Sapient. cap.1.

Honorius inquit: Nomen Dei est filius, quia sicut per nomen homo cognoscitur, sic pater per filium in mundo cognoscitur. Qui filius est Iacob, id est, luctator: quia sicut Iacob cum angelo, sic Christus luctatus est cum diabolo. In Psal.19.

Ioannes Euangelista dicit: Verbum caro factum est, hoc est, uerbum omnipotentis patris factum est hodie homo. Ideo uocat eum uerbum, quia sicut unusquisq; homo per uerbum suum manifestat alteri uoluntatem cordis sui: ita Deus pater manifestauit hominibus uolūtatem suam per filium suum, qui filius natus est hodie, in cuius natiuitate nati sumus omnes ad uitam æternam, de qua longè proiecti fuimus, culpa primi hominis. Honorius Aug. in spec. Eccle. serm. de natiuit. Dom.

Rupertus: Neq; uerbū sine carne, neq; caro sine spiritu potest māducari: quia nec potest uerbum sine incarnationis suæ debita laude amari uel adorari. lib. 7. capite septimo Com. in Iohannis Euangelium. Item: Verbum Domini factum fuerat super Iohānem Zachariæ filium in deserto. Illud uerbum quod factū est super eum, uocat Christum, & non uocale uerbum. Lib. secundo Com. in Matth. capite 3. Item: Verbum Deus in sua substātia uerbum unum, & unum caput est: uerba autem multa quæ ad sanctos homines siue prophetas Deus locutus est, quasi multi capilli unius capitis sunt. libro 1. in Apocal. cap. 1. Et: Filius substantialiter sapientia est, id est, non tantummodo sapiens (quod dici potest & de aliquo qui accidentali dono sapientiæ participat) sed ipsa sapientiæ substantia, omnibus mobilibus mobilior, ubiq; attingens, omnia operans, cuncta disponēs, speciosa, lucida, suauis, generosa, locuples, omniū artifex. Hanc sapientiam Dei esse filium, naturaliter ex illo genitum, didicimus, credimus & confitemur. Libro undecimo de diuinis offic. capite septimo.

Rupertus inquit: Angelum qui in figura Christi beato Iohanni apparuit, cum patre & Spiritu sancto filium unum esse Deū omnia reuelantem. cap. 1. in Apocal.

Christus non naturę, sed officij nomē est. Rupertus capite primo Com. in Iohan.

Ego sum. Bernhardus: Quale erat inquā,

quod

quod scíscitanti Moysi primò responsum est: Ego sum qui sum, & qui est, misit me ad uos? Nescio an uel ipse Moyses caperet sic, si nō uidelicet effunderetur. Sed fusum est, & captū est. Nec modò fusum, sed & effusum. Nam infusum iam erat. Iam cœli habebant illud, iam angelis innotuerat. Est autem foris missum: & quod angelis ita erat infusum, ut esset & priuatum, effusum & in homines est, ita ut iam tunc meritò clamaretur de terra: Oleum effusum nomē tuum: si non ingratę plebis exosa peruicacia obstitisset. Ait enim: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Serm. decimoquinto super Cantica.

Vultus patris. Rupertus: Filius rectè dictus uultus Dei patris, quia sicut in uultu alicuius hominis affectio lęticiæ uel mœroris potest perspici, sic & per filiū uoluntas Dei patris mundo innotuit. libro sexto de glorif. Trinitat. & process. Spiritus sancti, capite decimoquarto.

Principium. Rupertus: Eam ob causam filium siue uerbum Dei principium decuit nuncupari: quia omnia per ipsum & propter ipsum facta sunt. libro 1. de glorif. Trinit. & process. Spiritus sancti, capite 6. Item: Sine dubio hæc persona filius Dei, creaturę humanę triplici modo principium est. Duobus modis tam angelicæ quàm humanæ creaturæ principium est: uel quia propter ipsum & per ipsum omnia sunt facta. Tertio modo solius creaturæ humanæ: quia per passionē salutis nostræ author consummatus est, salutis nostræ princeps & principium est. Ibidem. Et: Hoc nomē principium altius sonat quā si Christus dixisset, Sum Iesus aut filius Dei, Iudęis: sed, Sum principiū, inquit, propter elusionem malignæ Iudæorum intentionis, & ueritatem essentiæ suæ, quā non abscondidit, imò altius deprompsit. Hoc uocabulum principium est incommunicabile ullæ creaturæ. Filius hoc nomē communicabile est, & ipse pueris suis communicauit siue participauit, quia communicauerunt carni eius & sanguini. Christus quoq; communicabile nomen est. lib. 1. de glorif. Trinit. capite 9.

Lombardus: Est præterea aliud nomen multiplicem notans relationē, scilicet principium. Dicitur enim principium semper ad aliquid: & dicitur pater principium, & filius principium, & Spiritus sanctus principium: sed differenter. Nam pater dicitur principium ad filiū & ad Spiritū sanctum. libro 1. Dist. 29. Item: Non ergo dicitur principium totius Deitatis, quòd uel sui uel diuinæ essentiæ principium sit: sed quia principium est filij & Spiritus sancti, in quibus singulis tota diuinitas est. Filius ad Spiritū sanctum dicitur principium. Spiritus uerò sanctus nō dicitur principiū, nisi ad creaturas, ad quas etiā pater dicitur principiū, & filius, & trinitas ipsa simul, & singula personarū principiū dicitur creaturarū. Pater ergo principium sine principio, filius principium de principio, Spiritus sanctus principium de utroq;, id est, de patre & filio. Ibidem. Et: Ab æterno autem pater principium est filij generatione, & pater & filius unum principium Spiritus sancti. Ibidem. Et: Pater principium filij dicitur, quia genuit eū: qua ergo notione est pater, ea principium filij dicitur, id est, generatione: secundum quam etiam dicitur author filij. Ibidem.

Imago. Rupertus: Imago Dei, splendorque (ut ait Apostolus) & figura substantiæ eius est hoc uerbum, hic filius de Deo Deus, figura uidelicet per similitudinem dictus: quia pater cum hoc uerbo sic unus est Deus, sicut aurum uel ebur & imago regis in eo sigillum unum esse dinoscitur. capite 1. Comment. in Iohan. Euang.

Lombardus: Illud etiā sciri oportet, quià cum suprà dictum sit, imaginem relatiuè dici de filio, sicut uerbum uel filius: interdum tamen reperitur secundum substantiam dici. Vnde August. lib. de fide ad Petrum dicit; quod una est sanctæ trinitatis essentialiter diuinitas & imago, ad quā factus est homo. lib. 1. Dist. 28. Item: Imago aliquando essentiæ intelligentiam facit, & tunc ad se dicitur, & non relatiuè. Ibidem.

Agnus. Rupertus: Christus uocatur agnus secundum naturam hominis. libro secundo Comment. in Iohannis Euāgelium, capite primo.

Nata sapientia filius Lombardus: Sciendum quoq; est, quòd sicut solus filius dicitur uerbum uel imago, ita etiam ipse solus dicitur sapientia nata uel genita. lib. 1. Dist. 18. Item: In altero, id est in eo quod nata est, eadem notio intelligatur, quę notatur cum dicitur uerbum & imago: in altero uerò, scilicet sapientia, demonstratur essentia, id est, demonstratur quòd filius sit essentia, quia sapientia secundum essentiam dicitur. Et ideo, cum dicitur nata sapientia, intelligatur quòd ipse qui natus est, essentia est: ibi tamen sapientia non pro essentia, sed pro hypostasi facit intelligentiam: ut sicut quando dicitur uerbum uel filius, intelligitur hypostasis cum sua proprietate. ibidem.

De modis cognoscendi uerbum. Rupertus: Duobus modis cognoscitur uerbū Dei. 1. Ex operibus, utiq; ex omnibus quæ facta sunt: quia uidelicet omnia per ipsum facta sunt, angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, &c. 2. Ex semetipso ma-

gnificentius uerbum cognoscitur, quando gratia præcellenti dilectam cuiuslibet animam uisitat fortiter, atq; suauiter afficit propriæ substantiæ contactu. Hæc talis cognitio uel experimentum ualde paucorum est. lib. 1. de Victor. uerbi Dei, cap. 3. Item: Spiritus pręponitur ueritati, quia dicit: In spiritu & ueritate adorabūt, &c. uidelicet quia sicut nemo uenit ad patrem nisi per filiū, ita filiū nemo agnoscit nisi per Spiritū sanctū. Nemo enim potest dicere, Dñs Iesus, nisi in Spiritu sancto. Li. 4. Com. in Ioan. capite 3.

Filius est à patre. Rupertus: Viuens pater misit me: quod non est aliud, quàm genuit, & incarnari uoluit me. libro sexto Comment. in Iohan. capite 7. Item: Christus speciosus forma est præ filijs hominum: quia uidelicet nō solùm homo, sed & natura Deus est. Filij hominum sunt quidem aliqui per adoptionem dij. Hic autem solus per naturam Deus, solus patri consubstantialis filius est. libro 1. Com. in Iohan. capite 1. Et: Filius non est alterius naturæ, quàm pater est, qui illum genuit. libro secundo Com. in Iohan. capite 1. Et: Ego uiuo propter patrem: id est, propter hęc Deus uiuens, Deus immortalis sum, Deus impassibilis, Deus incommutabilis sum: quia talem habeo patrem, quia talis pater me misit, quia talis pater me genuit. libro 6. Com. in Iohan. cap. 6. Et: Excepto Christo unigenito Dei filio, qui de cœlo uenit, aliàs omnes homines, siue electi siue reprobi, omnes secundum naturam de deorsum sunt. Ibidem lib. octauo, capite 8. Et: Cerinthus Christum ex Maria initium sumpsisse dixit. At ille ante matrē, & ante auos matris, imò & ante originem mundi Deus erat: nam omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Lib. 4. In Exod. capite 42.

Bernhardus ait: Commendant nobis sacræ literæ Christum Dominum, & ex patre, & in patre, & cum patre, & à patre, & pro patre, & etiam sub patre. Quòd dicitur ex patre, ineffabilis est natiuitas: quòd in patre, consubstantialis unitas: quòd cum patre, æqualitas maiestatis. Sanè enim tria hæc ab æterno. Cęterùm si ex patre nascēs, quid in patre, aut cum patre? Non incongruè forsitan in patre cubans, cum patre sedens dicatur. Et audite consessus huius, & huius accubitus rationem. Sicut enim sessio maiestatem, sic consessio æqualitatem exprimit maiestatis, præsertim cū sit ei sedes à dextris patris, non sanè sub pedibus, uel quasi à tergo. Et sedere quidem, iā quiescere est, sed iacere magis. Quid autem delectabilius & quodammodo dulcius esse uidebitur filio, quòd in patre est, an quòd cū patre omnibus præest? In quo putas horum summa illa pax Dei, quę exuperat omnem sensum, & singularis requies Domini competentius assignetur? Etsi dignè ore id exprimi nequeat, corde tamen forsitan piè concipitur: ut salua quidem in omnibus illius indiuisibili simplicitate essentiæ, inter gloriæ æqualitatem, & substantiæ unitatem, uelut similis quædam ei quæ inter cō sessum & accubitum est, cogitari posse distinctio uideatur. Ser. 5. de uerb. Esa. proph. Vidi Dominum sedentem, &c.

Lombardus ait: Ostenditur quoque ex illis uerbis, filium & Spiritum sanctum non esse de nihilo, sed de aliquo, nec tamen de aliqua materia. lib. 1. Dist. 6.

De generatione filij Dei inquit Honorius: Sapientia dicitur filius à patre ante secula genitus, & tamen illi coæternus: quia ut filius temporaliter est à patre, ita sapientia æternaliter & substantialiter est à potentia. Et quoniam diximus filium genitum à patre, & tamē illi coæternū esse, de illa genitura aliquid dicamus, illud antè orantes, ne si inueniatur illud, Generationē eius quis enarrabit? putetur nobis officere. Illud enim dictum est, nō quia impossibile est, sed quia difficile est. Pater ergo genuit filium, id est, diuina potētia genuit sapiētiā, quādo prouidit qualiter crearet res, & creatas disponeret: & qui ante secula hoc prouidit, ante secula sapientiā, id est, filium genuit, & hoc ex se, non ex alio: quia neque alicuius doctrina, neque usus experientia, sed propria natura hoc scire habuit, ex quo antè fuit (si fas est dicere) de æterno, ex quo sciuit, non fuit quin ista sciret. Si ergo æternus est, quia sapientia æterna est: sic igitur pater genuit filiū coæternū, sibi consubstantialem. libro 3. de Philos. mundi, cap. 7 & 8.

Rupertus ait: Neque hanc faciat iniuriam patri, ut dicat eum aliud genuisse, quàm idipsum quod ipse est qui genuit. libro quinto, cap. 5. Comment. in Iohānem. Item: Altissimus de corde suo ueritatem, uerum & bonum uerbum genuit, ipsumq; incarnari uoluit, atque illi homini propter perfectam humilitatis obedientiam, potestatem suam uerè magnam in cœlo & in terra dedit. Libro octauo Comment. in Apocalypsin Iohannis, capite decimotertio. Et: Filius ore Ecclesiæ catholicæ non procedens, sed genitus rectè dicitur. libro undecimo Comment. in Iohannis Euangelium, capite decimoquinto. Et: Huius uerbi generationem geminam liber iste Geneseos continet: alteram quæ diuinitatis, alteram quæ humanitatis est. Diuinitatis namque genituram in eo tetigit, quod ait de singulis: Dixit Deus, Fiat: & factum est. Porrò generationem humanitatis in eo liber

iste

iste patenter exprimit, quod ad Abraham loquens Deus: Benedicam, inquit, tibi, & multiplicabo semen tuum. & benedicentur in semine tuo. lib. 1. in Gen. cap. secundo. Item: Filius rectè dictus est uultus Dei patris: quia sicut in uultu alicuius hominis affectio læticiæ uel mœroris potest percipi, sic & per filium uoluntas Dei patris mundo innotuit. libro 6. de Glorif. trinit. & process. Spirit. sancti, cap. 14.

Bernhardus ait: Nam generationem eius quis enarrabit? Quis comprehendat æqualem genitum genitori? Serm. primo in fest. Pentecostes.

Petrus Cluniacensis ait: Si enim Deus genuit, quantum ad illum quem genuit, necessariò pater est: & filius Dei, quantum ad illum qui genuit, necessariò filius est. Sed nolo uos, non credo uos tam stultè, tam insensatè desipere, ut æternam Deitatis generationem carnali generationi, aliqua uel tenui similitudine comparare nitamini: absit à uobis, absit ab omni intellectu tam asininus animus, ut æterna, ut ineffabilis, ut incogitabilis omnipotentis patris generatio, omnipotentis filij natiuitas, alicui terrenæ uel usitatæ generationi seu natiuitati modo quolibet comparetur. Si quid tamé præter corporalium generationū similitudines, de tam ineffabili re ab aliquo simili trahi potest, sic Dei filius de cœlo dicitur genitus, sicut lumen de lumine, radius de sole, splendor ab igne. Hoc breuiter dixerim, ô Iudæi, ne uel uos intelligatis, uel nos intelligere putetis insulsè uel bestialiter natiuitatem filij Dei. Vnde hoc propheticū testimonium cogit uos, non iuxta quod homo est, sed iuxta quod Deus, intelligere & confiteri, Christum esse filium Dei. Nulli enim hoc homini, nulli enim hoc angelo, nulli hoc prorsus creaturæ congruit, ut uel genitus à Deo, uel Dei filius, quantum ad Deitatis naturam pertinet, sentiatur. Quòd si hoc nulli creaturæ, in quantum creatura est, congruit: soli hoc Christo, in quantum Deus est, & de Deo natus est, conuenit. lib. 2. Epistolar. cont. Iud. cap. primo. Item: Dicitur enim Deus generare homines diligédo, fouendo, prouehendo, saluando: dicitur generare pluuiam, stillas roris, glaciem, gelu, uolendo, creando, producendo, constituendo. Sicut igitur in hoc uno generationis nomine tam uaria & discreta signari, iam, ut existimo, uides: sic in eodé nomine absterſa ueteri ab oculis tuis caligine, aliud quiddam longè sublimius intuere. Intuere, inquam, id quod non nisi Deo demõstrante potes: & in uerbis illis quæ legis, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: nec hanc, nec illam quę præmissa est generationem, sed naturalem de essentia patris filij Dei natiuitatem intellige. Nam sicut omnipotens creator, pater dicitur pluuiæ, genuisse dicitur stillas, glacié & gelu, producendo: sicut pater dicitur Israel, sicut genuisse dicitur filios, confouendo: sic pater scribitur unigeniti filij sui, sic eū genuisse prędicatur, nõ aliunde, nõ ex nihilo, sed ex propria substantia proferendo. Ibidé.

Lombardus ait: De hac generatione ineffabili Esaias ait, Generationé eius quis enarrabit? In libro quoq; Sapiétiæ æternitas filij cū patre mõstratur, ubi sapientia ita loquitur: Dominus possedit me ab initio uiarum suarum, antequam quicquam faceret, à principio: ab ęterno ordinata sum, antequã terra fieret: necdum erãt abyssi, & ego iã cõcepta erã: necdū fontes, necdū montes aut colles, & ego parturiebar: adhuc terram nõ fecerat, & cardines orbis terrę: quando pręparabat cœlos, aderam: quando appédebat fundamenta terræ, cum eo eram, cuncta cõponens, & delectabar per singulos dies ludens corã eo. Ecce apertū de ęterna genitura testimoniū, quo ipsa sapiétia perhibet se ante mundum conceptã esse & parturiri, id est genitam, & apud patrem ęternaliter existere. Ipsa etiam alibi ait: Ego ex ore altissimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. Micheas quoq; propheta æternam uerbi generationem, & temporalé ex Maria simul insinuauit, dicens: Et tu Bethleem Ephrata, paruus es in millib. Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. lib. 1. Dist. 2. Item: Vnus unū genuit, & quod Deus Deum genuit, quia Deus pater Deum filiū genuit. In Symbolo quoq; scriptū est: Lumé de lumine, Deū uerum de Deo uero. Quod uerò additur, Ergo genuit se Deum, uel alium Deū: neutrū cõcedendum esse dicimus. Quòd aliū Deum non genuit, manifestum est: quia unus tãtum Deus est. Quòd autem seipsum non genuit, ostendit Augustinus in primo lib. de Trinit. dicens: Qui putãt eius potentiæ esse Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus errant, quòd non solū Deus ita non est, sed nec spiritualis, neq; corporalis creatura. Nulla enim res est, quæ seipsam gignat ut sit: & ideo non est credédum uel dicendum, quòd Deus genuit se. Ibidem Dist. 4. Et: Respondemus determinantes istam propositionem, qua sic proponunt: Si Deus pater genuit Deum, aut Deum qui est Deus pater, aut Deum qui non est Deus pater. Hoc enim sanè & prauè intelligi potest, & ideo respõdendum est ita: Deus pater genuit Deum, qui est ipse pater. Hoc dicimus esse falsum, & concedimus alteram, scilicet genuit Deum, qui non

 est

est pater, nec tamen genuit alterum Deum: nec ille qui genitus est, est alius Deus quàm pater, sed unus Deus cũ patre. Si uerò additur, genuit Deũ qui non est Deus pater: hic distinguimus, quia dupliciter potest intelligi. Genuit Deũ qui non est Deus pater, scilicet Deũ filiũ, qui filius non est pater, qui Deus est: hic sensus uerus est. Si uerò intelligatur sic, genuit Deũ qui nõ est Deus pater, id est, qui nõ est Deus, qui pater est: hic sensus falsus est. Vnus enim & idẽ Deus est pater & filius & Spiritus sanctus: & è diuerso, pater & filius & Spiritus sanctus unus est Deus. Ibidem. Et: De se alterũ à se genuit, nõ utiq; alterum Deũ, sed alteram personam: uel genuit se alterum, id est, genuit alterũ, qui hoc est quod ipse. Nam etsi alius sit pater quàm filius, non est tamen aliud quã filius, sed unũ. Ibidem. Item: Catholicis tractatoribus consentientes dicimus, quòd nec pater genuit diuinã essentiã, nec diuina essentia genuit diuinã essentiã. Hic autem nomine essentię intelligimus diuinam naturam, quæ cõmunis est tribus personis, & tota in singulis. Ideo non est dicendũ, quòd pater genuit diuinã essentiã: quia si pater diceretur genuisse diuinã essentiã, diuina essentia relatiuè diceretur ad patrem, uel pro relatiuo poneretur. Si aũt relatiuè diceretur, uel pro relatiuo poneretur, nõ indicaret essentiam. Vt enim ait Aug. in lib. 5. de Trinit. Quod relatiuè dicitur, non indicat substantiã. Secũda ratio. Itẽ: Cũ Deus pater sit diuina essentia, si eius esset genitor, esset utiq; genitor eius rei quæ ipse est, & ita eadem res seipsam genuisset. quod Aug. negat, ut suprà ostẽdimus. Tertia ratio, & potior. Item: Si pater est genitor essentię diuinę, cũ ipse essentia diuina sit, & Deus sit, eo quòd generat, & est, & Deus est. Ita ergo nõ illud quod generatur, est à patre Deus: sed pater eo quod generat, & est, & Deus est: et si ita est, non genito gignẽs, sed gignẽti genitꝰ causa est, ut et sit & Deus sit. Ibidẽ dist. 5. Et: Sicut ergo non genuit sapientiã, qua sapiens est: ita nec essentiã, qua est. Vt enim sapiẽtia sapiẽs est, & potẽtia potẽs: ita & essentia ipse est. Eademq; sapiẽtia est & potẽtia, q̃ essentia. Patet itaq; ex prędictis, quia pater essentiã diuinã non genuit. Ibidẽ. Et: Sapiẽtia de sapiẽtia, & substantia de substãtia est, id est, filius qui est sapientia, qui est substãtia, est de patre, qui est eadẽ substãtia & sapiẽtia: & filius qui est diuinitas, natus est de patre, qui est natura diuina. Et, ut expressius dicamus, dicimus filiũ sapientiã esse de patre sapientia: & dicimus filium substãtiam esse genitum de patre & à patre substãtia. Ibidem. Et: Innui uidetur, quòd diuina substantia filium genuerit, & quòd filius sit genitus de substãtia patris, & quòd de Deo est natura coæterna, & quòd pater id quod ipse est genuit. Id autẽ qđ ipse est, diuina essentia est: & ita putari potest, diuinam essentiã genuisse. Vehementer mouent nos hæc uerba, quæ quomodo intelligenda sint, mallem ab alijs audire, quàm ipse tradere. Vt tamen sine præiudicio atq; temeritate loquar, ex hoc sensu dicta possunt accipi: Natura coæterna de Deo est, id est, filius coęternus patri de patre est, ita quod est eadem cum eo natura, uel eiusdem naturæ. Ibidem. Et: Similiter filius natus est de substantia patris, uel pater genuit filium de sua natura siue essentia, id est, de se natura & essentia genuit filium eiusdem substantiæ, & qui est eadem essentia ac natura. Similiter expone illud, Filius substantia patris, & filius patris substantiæ: id est, qui est eius substantia, cũ quo & filius eadem substantia est: quia consubstantialis est patri filius. Et hic sensus adiuuatur ex uerbis August. qui in libro quinto de Trinitate ait: Tres personas eiusdem essentiæ, uel tres personas unam essentiam dicimus. Tres autem personas ex eadem essentia nõ dicimus, quasi aliud ibi sit quod essẽtia est, aliud quod persona. His uerbis ostenditur, non esse dicendum, personam esse ex essentia, nisi ex sensu prædicto. Ibidem. Et: Dicamus ergo, quia pater sicut sapiens, ita uolens genuit filiũ: sed nõ uoluntate pręcedẽti uel accedenti. Ibidem, dist. 6. Et: Dicamus ergo filium natum de patre ante tempora, & semper nasci de patre: sed congruentius semper natum. & eundẽ fateamur ab æterno esse, & patri coæternum, id est, autori. Pater enim generatione autor filij est, ut in sequenti ostendetur. Vt ergo pater est æternus, ita & filius æternus est: sed pater sine authore, filius uerò non: quia pater innascibilis, filius natus. lib. 1. dist. 9.

Richardus ait: Sed notandum, quoniam quòd dicitur filius ab Apostolo figura paternæ substãtiæ: idem ualet ac si diceretur, figura ingenitæ personæ. Si patrem dicis, si ingenitam substantiam, si ingenitam personam nominas, eandẽ proculdubio personã designas. Proculdubio nihil aliud est patris persona quàm substantia ingenita: nihil aliud filij persona, quàm substãtia genita. Sed multi temporibus nostris surrexẽre, qui nõ audẽt hoc dicere: quin potius, quod multo periculosius est, contra sanctorũ patrum authoritatem, & tot attestationes paternarũ traditionum audent negare, & modis omnibus conantur refellere, nullo modo cõcedunt, quòd substantia gignat substantiam, uel sapientia sapientiam. Pertinaciter negant, quod omnes sancti affirmant: ad id quod ipsi dicunt, authoritatẽ inuenire non possunt.

possunt. Afferant, si possunt, authoritatem, non dicam plures, sed unam saltem, quę neget substantiam gignere substantiam. Nam ad hoc quod dicimus, autoritates multas etiam ipsi adducunt, & in moré Goliæ gladium quo iugulentur deferentes, ad certamen procedunt. Sed hic intelligendum est (inquiunt) quod patres dicunt, quòd substantia substantiam gignit: nostra expositio ad hoc contendit, ut credamus, quòd substãtia substantiã non gignit. Fidelis expositio, & omni acceptione digna, quę hoc quod sancti patres pariter clamãt, cõtendit esse falsum: & quod nemo sanctorũ asserit, contendit esse uerũ. Sed dicunt: Si filij substantia est genita, patris uerò ingenita, quomodo utriusq; erit una eademq; substãtia? lib. 6. de Trinit. cap. 22.

Vnigenitus est filius ille Dei. Rupertus: Deus alium unigenitum non habet, nec alium mittet: quia iste unigenitus est. lib. 4. Comment. in Amos, cap. 8. Et: Nos autem dicimus & sapimus, docuimus & docemus, quòd filius non est ingenitus, nec ingeniti pars ullo modo, neq; ex alio subiecto: sed quoniam uoluntate & consilio substitit ante tempora & ante secula plenus Deus, unigenitus, inconuertibilis, & anteq̃ generaretur aut crearetur non erat, aut prędestinaretur, aut fundaretur: ingenitus enim non erat. libro 1. de Scientia, capite 7. Et: Vnus est filius primogenitus & unigenitus, non uti nos gratiæ, sed solus naturæ filius, cui conuenit dicere, Pater mi: & nusquã legitur dixisse, Pater noster: sicuti nos oportet. Lib. 5. Com. in Matth. cap. 6. Et: Vnigenitus Christus est non solùm Deo patri, uerùm etiam synagogæ, cuius de carne carnem assumpsit, mortuus est illi. ipsa namq; mater crudelis eum occidit, nec uult audire quòd resurrexerit, imò nec uult scire quòd ille Christus sit unigenitus Dei. Porrò Deus alium unigenitum non habet, nec alium mittet: quia iste unigenitus est. lib. 4. Com. in Amos, cap. 8.

Persona distincta. Rupertus: Nomen Domini est in me, excepto illo, quòd ille pater, & ego sum filius: & ego genitus, & ille genitor. Quodcunq; eius est nomẽ, in me est, & æquè ut ille nuncupor Dominus Deus omnipotens, increatus, immensus, æternus, & quodcunq; aliud nomen de Deo uere prædicatur. lib. 6. in Iohan. cap. 6.

Lombardus: Licet secundum quod uerbum, non sit hoc quod pater est: ea tamen proprietas, qua uerbum est, est id quod pater est, id est diuina essentia: sed non est hypostasis patris. lib. 1. dist. 33.

Aliud pater, aliud filius. Lombardus: Hoc sensu concedimus, quòd aliud est esse patrem, & aliud est esse filium: quia alia notio est, qua pater est pater, alia qua filius est filius. Sed si transponas, ut dicas, aliud est patrem esse, aliud filium esse: uariatur intelligentia, & ideo non conceditur. Est enim sensus talis, ac si dicatur, aliud est quo pater est, non quidem pater, sed est: aliud quo filius est, non quidem filius, sed est: quod penitùs falsum est. Eo enim pater est, quo pater Deus est, id est, per essentiam uel naturam. At filius eo Deus est, quo pater Deus est: Eo ergo filius est, quo pater est: Et ita idem est patrem esse, quod filium esse: sed non est idem esse patrem, & esse filiũ. lib. 1. dist. 28. Itẽ: Diuersum esse dicit, esse patrẽ & esse filiũ. quod iuxta rationẽ prędictã accipi oportet: q̃a scilicet alia notio est qua pater est pater, alia qua filius est filius. Nõ enim secundũ essentiam pater dicitur pater, uel filius filius, sed secundũ relationẽ. Ibid.

Filius in patre. Bernhardus: Ego in patre, ait filius, & pater in me est. Non potuit expresśius substantiæ unitas commendari. Vbi enim uterque in altero, nihil quasi exterius licet, nihil interius cogitari: simplicissimam magis credi necesse est in ambobus substantiæ unitatem. Veruntamen aliquatenus huic simile est, quod dicitur: Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: nisi quòd hic quidem spiritualis quędam unio, secundum quod suprà memorauimus. Qui adhæret Deo, non quidem unum, id est, non una substantia, sed unus spiritus est: illic uerò naturalis potius, & substantialis unitas designatur. Vnde & habes in Euangelio: Ego & pater unum sumus. Serm. 5. de uerbis Esaię proph. Vidi Dominum sedentem, &c.

Filius ubiq;. Hildegardis: Cum filius Dei apud homines in mundo esset, apud Deum etiam in cœlo fuit: & nunc in cœlo manẽs, apud homines etiam manet in terra. sed hoc spirituale & carnale est. Lib. 2. Visio. 6.

QVOD DEVS.

Honorius ait: Dominus noster Iesus Christus naturaliter solus est Dei filius, & solus descendit Deus de cœlis ad redimendũ genus humanum. Iste solus proprius & naturalis filius, cæteri uerò omnes sunt adoptiui: & ideo fratres eius non natura, sed gratia. Iste peccata nostra patienter sustinet, & misericorditer ad pœnitentiam expectat, & quotidie pro nobis Deum patrem interpellat. In Eccles. Salom.

Rupertus ait: Secundum S. Iohannis Euãgelij tutissimam fidem, Verbum Dei Deum esse credimus, & cõfitemur Deo, apud quẽ erat in principio, consubstantialem. Credentes autem & confitentes adoramus cũ patre & Spiritu sancto hunc Deum, gratias

agentes, quia meruimus nosse eum, quia uidelicet cognitio eius magnum habet præmium. Scriptum est enim de uiro iusto, qui per fidem eum cognouit: Protegā eum, quoniam cognouit nomen meum. Lib. 1. de Victor. uerbi Dei, cap. 2.

Bernhardus inquit: Dei filium necesse est Deum esse. Nam & filios hominum, homines: & ipsorum quoq; animalium fœtus ex eodem cū eis genere esse, nemo est qui dubitet. Sermone 3. in Epiphan. Dom. Et: Nimirum in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, nō umbraticè, sed corporaliter: in quo Deus est, mundū reconcilians sibi, non figuratiuè, sed substantialiter: qui denique plenus est gratiæ & ueritatis, non cooperatiuè, sed personaliter. Ser. in 3. fer. hebdom. pœnosæ, de pass. Dom. Itē: Quòd is qui nostrum se profitetur mediatorē ad Deum, Dei filius est, & Deus est. Serm. 2. super Cant. Et: Candor es uitæ æternæ, splendor & figura substātiæ Dei, postremò super omnia Deus benedictus in secula. Serm. 64. super Cant. Itē: Domine, quis similis tibi? Quis nisi splēdor & figura substantiç tuç? Quis nisi imago tua? solus in forma tua, solus non rapinā arbitratus est esse se æqualē tibi altissimus altissimi filius. Quomodo non æqualis? etiam unū estis ipse & tu. Sedes illi à dextris tuis, nō sub pedibus. Quo pacto audet quis peruadere locum unigeniti tui? Præcipitetur. Ponit sibi sedem in excelso: subuertatur cathedra pestilentiæ. Itē quis docet hominē scientiā? Non 'ne tu ô clauis Dauid, aperiens cui uis, & cui uis claudens? Et quomodo sine claue ad thesauros sapientiæ & scientiæ introitus, imò irruptio tentabatur? Qui non intrat per ostiū, fur est, & latro. Petrus ergo intrabit, qui claues accepit. Ibidē Serm. 69.

Petrus Cluniacensis ait: Non erat Dei filius, ut illi de quibus scribitur, Filios genui & exaltaui: nec ut illi de quibus Apostolus Iohannes, Charissimi filij, Dei sumus, & nōdum apparuit quid erimus. Non erat (inquam) Dei filius, ut illi, per gratiam: sed erat Dei filius per naturam, teste ipso patre, & de cœlis clamāte, Hic est filius meus dilectus. Et quia per naturam erat Dei filius, utique certa ratione cogente erat etiam Deus. Nō enim poterat ex essentia patris gigni aut ꝑcedere, nisi quod erat ipse. Et ideo ex Deo genitus, erat ueritate indubia & cogente & Deus. Huic eius deitatis opera quç faciebat, uerax testimonium ferebant. lib. 2. Epist. Itē: Sed tene Lector constanti memoria, quod sæpe iam præmisi: quia quotiens Saluator se in Euangelijs Christum uocat, aut confitentium sententias laudat, toties se Dei filium & Deum clamat. Sic & quotiens se Dei filium dicit, totiens nos quòd Christus & Deus sit, instituit. Christus enim necessaria ratione Dei filius est: quia ab illo Dei filio humana caro suscepta est. Et rursum Dei filius Deus est: quia, ut dixi, ex patre qui Deus est, natus est. Qua ueritatis copula te sentire uolo, totiens se Christum professum esse Deum, quotiens se professus est aut Christum, aut filium Dei. Hoc modo, hac de causa eum sic se nominasse, Deum intellige, quando, ut præmissum est, Iudæis dixit, Est pater meus qui glorificat me, quem uos dicitis, quia Deus noster est. Vigilo enim contra illos qui dicunt uel sentiunt, Christum quidem esse Deum, sed nusquam in Euangelijs se clarè professum Deum. Ibidem. Item: Hoc, ut nosti, quærebas, hoc exigebas, ubi se in Euangelijs Christum diceret, ubi se Dei filiū, & maximè Deum nominaret? Ecce audis eum principi sacerdotum, si ipse esset Christus Dei filius, interroganti, non per inuolucra, sed apertè & sine tegmine respondentem, Ego sum. Qui ergo se Christum & Dei filium esse respondit, utique simul & Deum se professus est. Nam (sicut sæpe suprà dixi) quod idcirco totiens itero, ne longa disputatione mentem fugiat, non potuit se confiteri Christum, aut Dei filium, quin confiteretur & Deum. Qua ratione istud suprà dictum est. Iam postquam dixit, Ego sum: quibus statim uerbis se Deum esse confirmet, attende: Videbitis, ait, filium hominis à dextris sedentem uirtutis, & uenientem in nubibus cœli. Ibidem. Item in libro secundo cōtra Iudęos copiosè probat ex testimonijs clarissimis, Christum esse filium Dei.

Richardus de S. Victore ait: Gratia & pax ab eo qui est, qui erat, & qui uenturus est. Qui essentialiter coæternus est patri, qui erat cum patre in creatione mundi, qui uenturus est cum gloria patris in die iudicij. Qui est per incommutabilitatem æternitatis, qui erat per potentiam creationis, qui uenturus est per iustitiam retributionis. Qui est, quia super omnia Deus benedictus in secula idem subsistit: qui erat, quia de nihilo cuncta creauit: qui uenturus est, quia uiuos & mortuos in fine iudicabit. Et à septem spiritibus, id est, à septiformi spiritu: qui simplex quidem est per naturam, sed septiformis per gratiam. Diuidit autem dona sua singulis prout uult. Super Apocalyp. Lib. 1.

Coessentialis est filius patri, Ruperto teste, qui inquit: Est autem patri compar filius, quia uidelicet in trinitate omnium creatrice & gubernatrice nihil omnino dispar est. Libro 5. cap. 5. Com. in Iohan. Item: Ego

Ego & pater unum sumus, intelligitur proculdubio patris & filij esse unam diuinitatem, unam eandemq; omnipotentiam, unā substantiam, unam naturam, quod Græcè ὁμοούσιον dicitur, quodq; confitentes nos rectè Homousiani dicimur. Ibidem lib. 10. ca. 10. Item: Per Vnum substātiæ unitas, per Sumus personarum pluralitas exprimitur. Ibidem. Item: Dei filium Iesum Christum ęquè ut patrem eius, Deum esse, Dominum Deum exercituum, Spiritus sanctus per os Prophetarum testificatur. libro 2. Com. in Amos, cap. quarto. Et: Æqualis patri filius est, cui pater dedit uitam habere in semetipso: id est, quem misit uiuificare mortuos de semetipso. Et quia multū laboris illi imposuit, plusq; in uiuificandis mortuis persona filij laborauit. Est enim filius hominis, id est, homo factus est solus in persona sua filius Dei. Idcirco potestatem quoque dedit ei iudicium faciēdi. libro quinto Com. in Iohannem, capite quinto. Et: Non aliud sum ego, & aliud pater: non aliud, licet alius: quia non dissimilis qualitate, sed æqualis quantitate: non diuersus habitu, non remotus loco, non tempore posterior: sed omne quod pater, hoc & filius est, nisi hoc tantum, quod ille solùm pater, & non filius est: ego autem solùm filius, & non pater. Ibidem libro undecimo, capite decimo quarto. Et: Deus Dominus omnipotens, inuisibilis, increatus, immensus, ęternus, & quicquid de Deo substantialiter prædicatur: ut hoc solum de nomine intersit, quòd ad illum relatiuè pater, ille ad patrem relatiuè dicitur filius, cum eiusdem dignitatis significatione. Libro primo Commentariorum in Apocal. Et: Nam filius, etsi genitus uel natus est, nec uno tamen puncto siue atomo iunior est patre suo, antiquo dierum. libro secundo in Exod. capite trigesimoseptimo.

Bernhardus ait: Nunc uerò cum & ipse in patre, & pater in ipso sit, non est quo claudicet unitas: sed uerè perfecteq; unum sunt ipse & pater. Sic igitur anima, cui adhærere Deo bonum est, non antè se existimet ipsi perfectè unitam, nisi cum & illum in se, & se in illo manentem persenserit. Nō quia uel tunc unum dicatur cum Deo, sicut unum sunt pater & filius: quamuis qui adhæret Deo, unus spiritus est. Legi hoc, sed illud non legi. Non dico de me, qui nihil sum: sed planè nemo nisi demens, siue de terra siue de cœlo usurpabit sibi illam unigeniti uocem, Ego & pater unum sumus. Et tamen ego, licet puluis & cinis, fretus quidē Scripturę authoritate, minimè istud dicere uerear, quia unus cum Deo spiritus sum; si unquam tamen certis fuero persuasus experimentis, Deo me adhærere instar unius illorū qui in charitate manēt, ac per hoc in Deo manēt, & Deus in eis, manducantes Deū, & manducati à Deo. Nā de tali adhæsione puto dictū: Qui adhæret Deo, unus spiritus est. Quid ergo? Dicit filius: Ego in patre, & pater in me est, & unum sumus. Dicit homo: Ego in Deo, & Deus in me est, & unus spiritus sumus. Sed nūquid pater & filius ut sint in inuicē, ac proinde unum, inuicem se manducant, sicut Deus & homo mutua se quadam in sese manducatione traijciunt, ut per hoc etsi non unum, unus certè spiritus sint? Absit. Nec enim uno modo insunt sibi hi atque illi, sed neque una unitas utrorumque. Denique innuitur tibi unitatum diuersitas per unus & unum: quoniam nec patri & filio unus, nec homini & Deo unum poterit conuenire. Tu si sapis, occasione accepta, eris sapientior, prudenter aduertens, illic quidem per unum unitatem substantiæ uel naturæ: hic uerò per unus æquè unitatem, sed ideo longè alteram, quia inter substantias & naturas, homini nempe & Deo sua cuique & natura & substantia est, cum patris filijque constet penitùs esse unam. Vides illam nec unitatem esse, siquidem huic singulari summæq; unitati comparetur? Nam quomodo unitas, ubi numerus naturarum, substantiarum diuersitas? Et tamen unus spiritus dicitur & est cum Deo, anima adhęrens Deo, nec præiudicat rerum pluralitas unitati huic, quam facit non confusio naturarum, sed uoluntatum consensio. Propter hanc quoque multa corda unum, & multæ animæ una dicuntur, sicut scriptum est: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Et hæc ergo unitas. Serm. 71. super Cant. Item: Est autem patri filioq; natura, essentia, uoluntas non modò una, sed unū. Hoc nempe est illis esse, quod naturam esse: hoc uelle, quod esse, uel naturam esse. Non est itaque quòd unitas, qua unum sunt pater & filius, dicatur fieri de naturis, uel essentijs, uel uoluntatibus, quia non sunt: non est quòd dicatur uel fieri, quia est. Nec enim facticia est, sed natiua. Sunt in sese pater & filius nō solùm ineffabili, sed etiā incomprehensibili modo sui ipsorum capabiles, pariter & capaces: sed sanè ita capabiles, ut non partibiles: ita capaces, ut non participes. Nam ut in hymno Ecclesia canit: In patre totus filius, et totus in uerbo pater. Est pater in filio, in quo sibi semper bene cōplacuit: & est filius in patre, à quo ut nunquam non natus, ita nunquam est separatus. Porrò per charitatem homo in Deo, & Deus in homine est, dicente Iohanne: Quia qui manet in charitate, in Deo manet,

manet,

manet & Deus in eo. Consensio quædam hæc, ut sint duo in uno spiritu, imò unus spiritus sint. Vides'ne diuersitatem? Non est idem profectò consubstantiale & consentibile. Quanquam si aduertisti, satis tibi per unus & unum, ipsarum quoq; innuitur differentia unitatum: quoniam quidē nec patri & filio unus, nec homini & Deo unum poterit conuenire. Non possunt dici unus, pater & filius, qa ille pater, & ille filius est: unū tamen dicuntur, & sunt, quòd una omnino illis, & nō cuiq; sua substātia est. Quo contrà homo & Deus, quia unius non sunt substantiæ uel naturæ, unum quidem dici non possunt: unus tamen spiritus certa & absoluta ueritate dicuntur, si sibi glutino amoris inhæreant. Quam quidem unitatem non tam essentiarum cohærentia facit, quā conniuentia uoluntatum. Pater (ni fallor) satis non modò diuersitas, sed & disparilitas unitatum, una in una, altera in diuersis existente essentijs. Quid tam distans à se, quàm unitas plurium & unius? Ita inter unitates (ut dixi) discriminant unus & unum: quòd per unum quidē in patre & filio essentiæ unitas, per unus uerò inter Deum & hominem non hæc, sed consentanea quædam affectionum pietas designatur. Cum adiectione tamen etiam pater & filius sanissimè dicūtur unus, uerbi causa, Vnus Deus, unus Dominus, & quicquid aliud est quod ad se quisque, & non ad alterū dicitur. Siquidem non est illis diuersa diuinitas, siue maiestas, non magis quàm substantia, uel essentia, uel natura. Nempe hæc ipsa omnia si piè consideres, non diuersa seu diuisa in illis, sed unum sunt. Minus dixi, Vnum sunt & cum illis. Quid illa unitas, qua multa corda unum, & multæ animæ una leguntur? Nec censenda (ut reor) nomine unitatis comparata huic quæ non multa unit, sed unum singulariter signat. Ergo singularis ac summa illa est unitas, quæ non unitione constat, sed extat æternitate. Ibidem. Item: Vna enim illis (ut dictum est) & essentia & uoluntas: uni uerò non est consensus, non compositio, non copulatio, aut tale aliquid. Duas esse oportet ad minus uoluntates, ut sit consensus: duas æquè essentias, ut sit coniunctio siue unitio per consensum. Horum nihil in patre & filio, quippe nec essentias duas, nec duas habentibus uoluntates. Vna est utraque res illis, uel potius (ut præfatum me memini) unum duo ista in illis, unum & cum illis sunt, ac per hoc ipsi sicut incomprehensibiliter, ita incommutabiliter inuicem in se manentes, uerè & singulariter unum sunt. Si quis tamen inter patrem & filium dicat esse consensum: non contendo, dummodo non uoluntatum unionem, sed unitatem intelligat uoluntatis. Atqui Deum & hominem, quia proprijs extant ac distant & uoluntatibus & substantijs, longè aliter in se alterutrum manere sentimus, id est, non substantijs confusos, sed uoluntatibus consentaneos. Et hæc unio ipsis communio uoluntatum, & consensus in charitate. Felix unio si experiaris, nulla si comparaueris. Ibidem.

Lombardus: Pater & filius & Spiritus sanctus rectè dicuntur esse unum, & unus Deus, sed non unus. Res enim duæ uel plures rectè possunt dici unum esse, si sint unius essentiæ, & earum una sit natura: unus autem uel una non potest dici de diuersis rebus, nisi addatur quid unus uel una: quo addito, rectè potest dici de rebus & unius & diuersæ substantiæ. libro primo, Dist. 31. Item: Sicut simile nihil sibi est (similitudo enim, ut ait Hilarius, sibi ipsi non est) ita & æquale aliquid sibi non dicitur: ac per hoc sicut simile, ita & æquale relatiuè dicitur. Dicitur ergo relatiuè filius æqualis patri, & utrique Spiritus sanctus. Est tamen æqualis patri filius, & utrique Spiritus sanctus, propter summam simplicitatem essentiæ & unitatem. Aequalis est ergo filius patri secundum essentiam, non secundum relationem. Ibidem. Et: Cum enim dicitur filius similis patri, relatiuè quidem dicitur: sed similis est patri propter unitatem essentiæ. Est ergo appellatio tantùm relatiua, similitudo uerò indifferens essentia. Vnde quibusdam non indoctè uidetur nomine æqualitatis uel similitudinis non aliquid poni, sed remoueri: ut ea ratione dicatur filius æqualis patri, quia nec maior est eo, nec minor, & hoc propter unitatem essentiæ. Ita & similis dicitur, quia nec diuersus, nec alienus, nec in aliquo dissimilis, & hoc propter essentiæ simplicitatem. Non ergo secundum quod filius est genitus à patre, æqualis uel inæqualis est patri, nec similis uel dissimilis, sed æqualis & similis secundum substantiam. Ibidem.

Æternus est. Rupertus: Christus filius Dei non tantùm homo in fine seculorū natus ex utero uirginis, sed ante omnia secula Deus ex Deo patre generatus. In pręfat. in Euang. Iohan. Et: Nos non adoramus recentem Deum, sicut Cerinthus, Marcion, atq; Ebiō, cęteriq; antichristi mentiti sunt: falsum certè est, Antichristos dixisse ante Mariam non extitisse Christum. lib. 1. Com. in Iohan. cap. 1. Item: Idem ipse & non alius Iesus Mariæ filius uidelicet est à principio Dei uerbum, uerbum Deus, lumen æternū. Ibidem. Itē: Christus solus lux uera, Dei uerbum,

bum priusquam in testam carnis nostrę deuenirer, erat apud Deum. Ibidem.

Coaltissimus. Bernhardꝰ: Altissimi filius, ac proinde coaltissimus ipse. Neque enim fas est Dei filium degenerem suspicari, sed æquali fateri necesse est altitudinis, & eiusdem penitùs dignitatis. Nam & filios principum principes, & filios regum reges esse, quis nesciat? Serm. primo de aduentu Domini.

Coæqualis patri. Bernhardus: Altissimus enim Deus pater quamuis omnipotens sit, non potuit tamen uel æqualem sibi condere creaturam, uel inæqualem gignere filiũ. Fecit itaque angelum magnum, sed non quantus ipse: & ideo nec altissimum. Solũ autem unigenitum quem non fecit, sed genuit omnipotens omnipotentem, altissimus altissimum, æternus coæternum, ipsum sibi per omnia comparari nec rapinam existimat, nec iniuriam. Homil. 3. de B. Virg.

Petrus Cluniacensis: Inspicite pulchritudinem amatoris uestri, cogitate coæqualẽ patri. Li. 6. Epist. 40. Et: Vnctus est Christus, non in quantum Deus, sed in quantum homo est. Quãtum enim ad Dei naturam pertinet, nihil filio Deo potest addi à patre Deo. Cui quãtum ad eandem diuinam essentiam trãspectat, nihil Deus pater potuit conferre dando, qui simul omnia contulit, eum æternaliter & ineffabiliter generãdo. lib. 2. contra Iudæos, cap. 2.

Lombardus: Secundum substantiam filius est æqualis patri, & utriq; Spiritus sanctus, & appellatio tantũ relatiua est. Æqualitas ergo patris & filij non esset relatio uel notio, sed naturalis unitas & identitas. lib. 1. Dist. 31.

Coæternus patri. Lombardus: Constat enim, quia semper habuit sapientiam: semper ergo habuit filium.

Richardus inquit: Nihil omnino potest esse à semetipso, quod non sit ab æterno. Quicquid enim ex tempore esse cœpit, aliquando nihil fuit. Sed quamdiu nihil fuit, omnino nihil habuit, & omnino nihil potuit: nec sibi ergo, nec alteri dedit ut esset, uel aliquid posset. Libro primo de Trinitat. cap. 6.

Omnipotens. Rupertus: Oportet enim credere, quia priusquã nasceretur iste puer ex matre, Deus omnipotens erat cum patre. Lib. 10. in Apocal.

Lombardus inquit: Si patris omnipotẽtia, filij non est, non omnia proculdubio, quæ habet pater, filij sunt. At omnia quę habet pater, filij sunt: omnipotentia ergo patris etiam est filij: non est ergo pater potentior filio. lib. 1. Dist. 20.

Filius Dei à quo mittatur, Rupertus exponit: Duæ personæ patris & Spiritus sancti unam personam filij miserunt, sicut apud Esaiam ipse loquitur: Et nunc Dominus misit me, & spiritus eius. Lib. 1. Com. in Zachariam, cap. 2. Item: Sicut non à seipso uenit filius Dei, sed pater illum misit, ut omnium Dominus formam serui assumere dignaretur: sic nec in eadẽ forma à seipso filius hominis euangelizandi officiũ & summi sacerdotij ordinem præripuit, sed à Spiritu sancto impositum sibi onus humiliter suscepit. lib. 2. Com. in Iohan. cap. 1.

Lombardus inquit: Mitti à patre sine Spiritu sancto non potuit, quia pater intelligitur misisse eum cum fecit ex fœmina: quod utiq; nõ fecit sine Spiritu sancto. lib. 1. Dist. 15. Item: Et quòd à Spiritu sancto filius sit missus, ut ait Augustinus in eodem, authoritatibus confirmatur. ipse Christus dicit per Esaiam, Nunc misit me Dominus & spiritus eius. Ibidem. Item: Filius se dedit, quia trinitas eum dedit. Si autem filius à se datus est, à se ergo missus est, & à se processit. Et hoc utique uerũ est, & concedi oportet, cũ eius missio sit diuina operatio. Ibidem. Et: Filius missus est à patre & Spiritu sancto, & à seipso; & quæ sit ipsa missio, scilicet incarnatio, id est, quòd factus est homo, ꝑ quod uisibilis apparuit, quod est opus commune patris & filij & Spiritus sancti. Ibidẽ. Item: Sed ad hoc opponitur, Si filius à seipso missus est, cur ergo ait: A' meipso non ueni? Ad hoc Aug. respondet 2. lib. de Trinit. dicens: Hoc dictum esse secundum formam serui, secundum quã non fecit ut mitteretur: id est, non operatus est incarnationem: sed secundum formam Dei. Ibidem. Item: Duobus modis dicitur mitti: scilicet, uel cum uisibiliter mũdo apparuit carne indutus: uel cum se in animas pias sic transfert, ut ab eis percipiatur & cognoscatur. Ibidem. Item: Ecce, distincti sunt duo modi missionis filij, & secundum alterum semel tantũ missus est Dei filius: secundum alterum sæpe missus est, & mittitur quotidie. Nam secundum alterum missus est, ut sit homo, quod semel tantùm factum est: secundum alterũ uerò mittitur, ut sit cum homine, quomodo quotidie mittitur ad sanctos, & missus est etiam ante incarnationem, & ad omnes sanctos qui antè fuerunt, & etiam ad angelos. Ibidem. Et: Præter ineffabilem genituram duobus modis mittitur filius, scilicet cũ uisibiliter apparuit, uel inuisibiliter percipitur mente. Ibidem.

Minor patre. Rupertus: At filius non tantũ erat minor, sed quando factus est homo, tunc paulo minus minoratus est, non solũ à patre & Spiritu sancto, uerũ etiam ab angelis

gelis

gelis: quia secundum humanam naturam pati potuit, & mori, quod nimirum rogare fuit. lib. 4. de glorif. Trinit. & process. Spirit. sancti, cap. 20.

Lombardus ait: Filius dicatur minor patre secundum missioné, qua in forma creata apparuit. lib. 1. Dist. 16. Item: Notandũ autem, quòd filius secundum quod homo factus est, non tantùm patre, sed Spiritu sancto, & etiam seipso minor dicitur. Ibid.

Differentiam inter filium Dei & adoptiuos Rupertus exponit: Cæteri filij Dei omnes adoptati sunt, hic genitus, imò unigenitus est: cæteri sunt omnes filij per gratiã, hic unus & solus per naturam. Lib. 1. Com. in Iohan. cap. 1. Et: Qui à Deo est, & solus p naturã natus uel genitus, solus coæternus & consubstãtialis filius unicus uidit patré, filius solus naturalis. nã cæteri omnes adoptiui sunt. Lib. 6. Com. in Iohan. cap. 8. Et: Excepto Christo unigenito Dei filio, qui de cœlo uenit, aliàs omnes homines siue electi, siue reprobi, omnes secundum naturã communem de deorsum sunt. Ibidem libro octauo.

Lombardus ait: Homines enim filij Dei sunt factura, non natiuitatis proprietate: Deus autem filius originis, proprietate filius est & ueritate natiuitatis, non factura uel adoptione: & illi quidem antè sunt, quã filij Dei sunt. Fiunt enim filij, non nascuntur filij Dei. lib. 1. Dist. 26.

Cur Christus non mox initio se Deũ manifestauit, exponit Petrus Cluniacensis: Et quia sol erat & uera illa lux, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mũdum: noluit luminis immensi fulgore ægros mortalium oculos subitò apparẽs obtundere, sed nube carnis opposita, sobrietate uerborum prætenta, ad speculandam & suo tempore peruidendam hactenus ignoratam mortalibus deitatis lucem, spiritualem eorum intuitum confouere. Ea de causa ut non primo tempore fecerat, se statim ut prædicare cœpit, solenni illo more Deũ uocabat. Sed ægris medicus pro tempore se conformans, ac uelut inductionibus uel insinuationibus utens, à minoribus ad maiora eos gradatim erudiens promouebat. Formabat ita uerba, ut in quantum non solùm ueracem, sed & ipsam ueritatem decebat, & scandala infidelium temperaret, & fidelibus atque intelligere ualentibus non minus quàm tẽpore legis Mosaicæ se Deum clamaret. Lib. 2. Epist.

QVO'D HOMO.

De conceptione Christi inquit Petrus Alphõsus: Credimus sanè Spiritu sancto in eam superueniente, & uirtute altisimi ipsam obũbrãte, de ipsius membris, ut Deo placuit, uires in unũ conuenisse, et ita eam sine uiri copula concepisse. titul. 7. in Dial. Testimonia uerò ista adijcit: Propter hoc dabit Dominus ipse uobis signũ. Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabit nomen eius Emmanuel. Et hæc quidé prophetia propter Christum dicta est, & ad beatam per angelum Mariam repetita. Ibidem. Itẽ: Mulier namq; siue iuuenis siue annosa, quã diu uirgo est, appellari potest bethula: quãdiu autem iuuenis est, uirgo aut corrupta, potest nũcupari nahra. Halma uerò uocatur nulla, nisi sit & iuuenis & intacta. Ibidé. Addit postea: Potest quippe per hæc duo uerba lex utraq; intelligi, Euangelium & lex Mosi. Multis siquidem in locis inuenimus in Prophetis, uerba Domini melli cõparari & lacti. Ibidem.

Rupertus ait: Pater miro modo hunc filium & in uterum eius misit, & in sinu suo continuit, quem & nunc & semper & tanta custodit cura, tanta confouet diligentia, ut tentator diabolus nulla unquam eius inueniat uestigia, ignoret unde ueniat, nesciat quò uadat. lib. 1. Com. in Iohan. cap. 1. Et: Quod si Iudęus uel detestandus calumniator Manichæus dicendo, Si uirgo peperit, phantasma fuit: consequens est ut primos homines parentes, scilicet Adam & Euam, quòd carnalibus caruêre partubus, non ueros sed phantasticos fuisse homines arbitrẽtur. Ibidem. Item. Iam: quidam omnino abhorrent, quòd sanctus sanctorum Deus potuisse pati creditur, ut fœmineis clauderetur uisceribus. Ibidem. Item: Deus uel uerbũ eius cum sit ipsa ratio, nullis naturę sensib. afficitur, nullam omnino creaturam uel naturam, quam procul dubio nemo alius quã ipse fecit, sed solum naturæ uitium auersatur & odit. Multò magis ergo, quòd incorrupta uiscera uirginis non abhorruerit, fideliter & piè credere expedit. Ibidem. Et: Post Iohannem uenisse Deum secundum carné in hunc mundum, nulli dubium, cuius conceptio Dominicam annunciationem, & nihilominus natiuitas sex mensibus Domini præcesserat natiuitatem. Ibidem. Item: Magnę humilitatis insigne est miraculum, qui absque uiro conceptus est, & salua matris integritate natus. libro secundo, capite 1. in Iohan.

De conceptione inquit Lombardus: Quia Spiritus sanctus est charitas & donũ patris & filij, & ineffabili Dei charitate Verbum caro factum est, & ineffabili Dei dono filius Dei sibi uniuit formam serui, non ergo frequẽs denominatio Spiritus sancti ab illo opere patrem & filium secludit: sed potius uno nominato tres intelliguntur, sicut fit sæpe in alijs operibus. lib. 3. Dist. 4. Et: Per hoc

hoc ergo quòd de Spiritu sancto esse natiuitas Christi dicitur, quid aliud quã ipsa gratia Dei demonstratur? quia mirabili & ineffabili modo uerbo Dei est adiunctus atque connexus, & diuina gratia corporaliter repletus. Ibidẽ. Item: Ecce quare dicat Apostolus factum, & non natum: ne eius scilicet natiuitas, quę fuit sine uirili semine, nostræ similis putaretur, quæ conficitur seminum commixtione. Ibidem.

Solum filium incarnatum esse, docet Petrus Alphõsus: Filius, inquit, absq; patre & Spiritu sancto carnem suscepit: nec propter hoc tamen ab eis recessit. tit. 8. in Dial.

Item Lombardus: Diligẽter uerò annotandum est, quare filius, non pater uel Spiritus sanctus est incarnatus. Solus namque filius hominem assumpsit. Quod utiq; congruo ordine, atq; alto Dei sapientia fecit cõsilio, ut Deus, qui in sapientia sua mundum condiderat, secundum illud, Omnia in sapientia fecisti Domine, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris: restauraret in eadem. Hæc est mulier Euãgelica, quæ accendit lucernam, & drachmam decimam, quę perdita fuerat, reperit: sapientia scilicet patris, quæ testam humanæ infirmitatis lumine suæ diuinitatis accendit, perditumq; hominem reparauit, nomine regis & imagine insignitũ. Ideo etiã filius missus est, & non pater: quia congruentius mitti debebat qui est ab alio, quã qui à nullo est: filius autem à patre est, pater uerò à nullo est: ut ait August. in lib. de Trinitate, Non enim habet de quo sit. Sicut ergo pater genuit, filius genitus est: ita cõgruè pater misit, filius missus est. Ab illo enim cõuenienter mittitur Dei uerbũ, cuius est uerbum: ab illo mittitur, de quo natum est. Mittitur quod genitũ est: pater uerò qui misit, à nullo est. Ideoq; pater missus non est: ne si mitteretur, ab alio esse putaretur. Missus est ergo primò filius, qui à solo patre est: deinde etiã Spiritus sanctus, qui est à patre & à filio. Sed filius solus in carne missus est, non Spiritus sanctus, sicut nec pater. Quod ideo factum est, ut qui erat in diuinitate Dei filius, in humanitate fieret hominis filius. Non pater uel Spiritus sanctus carnem induit, ne alius in diuinitate esset filius, alius in humanitate: & ne idem esset pater & filius, si Deus pater de homine nasceretur. Vnde August. in Ecclesiasticis dogmatibus: Non pater carnem assumpsit, neq; Spiritus sanctus, sed filius tantùm: ut qui erat in diuinitate Dei filius, ipse fieret in homine hominis filius, ne filij nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna natiuitate filius. Dei ergo filius, hominis factus est filius, natus secundum ueritatem naturæ, ex Deo Dei filius: & secundum ueritatem naturæ, ex homine hominis filius: ut ueritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in utraq; natiuitate filij nomen nascendo haberet: ut esset uerus Deus, & uerus homo, unus filius. Non ergo duos Christos, neque duos filios, sed Deum & hominem unum filium: quem propterea & unigenitum dicimus, manentem in duabus substantijs, sicut ei naturæ ueritas contulit, non confusis naturis, neque immixtis, sicut Timothiani uolũt, sed societate unitis. Ecce habes quare filius, non pater uel Spiritus sanctus, carnem assumpserit. Lib. 3. dist. 1.

Est homo. Petrus Alphonsus: Inuentus est sanè Dominus, & propè, cum de sancta uirgine carnem assumpsit, & inter nos præsentialiter habitauit. Et tunc quidem propheta quæri eum & inuocari præcepit, cum dixit: Quærite Dominum, &c. Nam & hoc Spiritu sancto reuelante futurum esse præuidit. unde & in sequẽtibus addit: Derelinquat impius uiam suam, & uir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominũ: uidelicet ne de eo iniquè cogitarent, aut Deum esse propter assumptam carnem dubitarent, imò fideliter crederent: nam & fides in sola cogitatione est. titul. nono, in Dialog.

Honorius: Christus cum in carne apparuit, magis se hominis quàm Dei filium cõfiteri uoluit, ut diabolus eum non agnosceret, & ita passione sua genus humanum redimeret: quoniam si diabolus eum agnouisset Dei filium esse, nequaquam eum crucifixisset. Gloria quippe Domini fuit celare uerbum, id est, in forma hominis diuinitatis suæ occultare potentiam, ut dum infirmitatem carnis ostenderet, diabolus eum ad passionem tradere festinaret, quatenus per ignorantiam passionis perueniret ad gloriam resurrectionis. In Prouerbia Salomonis.

Rupertus inquit: Christus Iesus crescere cœpit: sed sic diminuendo se coram hominibus, tantum creuit coram Deo, ut ultra illum crescere nullus potuerit homo. Libro primo Com. in Iohan. cap. 1. Et: Hoc ipsum mysterium incarnationis Christi oculus penetrare non sufficit. Inuestigari enim nullatenus potest, quomodo corporatur uerbũ, quomodo summus & uiuificator Spiritus intra uterum matris animatur, quomodo is qui initiũ non habet, & existit & concipitur. Ibidem cap. 18. Et: Christus homo innocens, qui nullum omnino peccatum fecit, & sanguis huius ueri agni absq; macula, quẽ nec originale, nec aliquod actuale peccatum offuscat, liberos nos ab illo mortis præposito & principe tenebrarum, transire faciet in illam, quam in primo parentẽ

rente perdidimus, patriam lucis, & ueram terram repromissionis. Ibidem cap.primo. Et:Qui hominibus non antè cognitus, ex eo cognosci atq; diligi cœpit, de cœlo ueniens in uterũ uirginis, de utero in præsepe, de præsepi ad crucem, de cruce in sepulchrum, de sepulchro rursus in cœlum: extunc ille natus esse cœpit & dilectus. Ibidem libro 2. capite 1. Et:Christus quando uel quomodo uoluit natus est, quando uel quomodo uoluit mortuus est, & resurrexit. Ibidem capite 2. Et:Rex atque imperator huius regni Dei ex carne quidẽ natus est, sed non de carne sola: nam de Spiritu sancto ex carne uirginea conceptus & natus est. libro 3. Com.in Iohan.cap.2. Et:Proinde caro quidem, & uera caro est, quia ex carne natus est: sed spiritus est, quia de Spiritu sancto cõceptus est. Ibidem. Et: Corpus Christi reuera cœleste templum, quia cœlitùs ædificatum est, quia non manu factum, sed à Deo conditum est. Ibidem. Et:Cur Deus ob restaurationem generis humani hominẽ assumens, non de terra plasmauit quem assumeret, ex qua fecerat Adã: sed ex genere eiusdem, ex massa perdita ueram assumpsit hominis naturam de semine Abrahæ, de stirpe Dauid, de carne uel sanguine Mariæ uirginis? poterat quidem de terra, quem sibi assumeret, nouum plasmare hominem: & esset quidem caro & sanguis, sed non nostra caro, neque noster sanguis: homo quidem, sed non proximus nobis. Ibidem. Et: Secundum carnem quoque maior & nobilior quouis rege uel principe, secundũ carnem quoq; ego sum: quia non quemadmodum omnes uos, & uniuersi patres aut principes uestri, communi more naturæ de corrupta muliere, sed de uirginea nobili carne, ex regia stirpe Dauid secundum carnem natus est. libro 8. Comment. in Iohan. capite 7. Et: Humanitas Christi per multas tribulationes passionis & mortis perducta est ad gloriam trinitatis, ut sit iam & ipsa immortalis, & incorruptibilis, & impassibilis. lib.1.cap.1. in Apocal. Et:Christus uerus Deus uerè est incarnatus, & ueram ex uirginis utero sine peccato naturã hominis assumpsit. Passionis uerò sacramenti facies est uituli: quia uitulus, qui pro peccato immolabatur ex præcepto legis, passionẽ significabat redemptoris, qui immolandus erat pro peccatis nostris. lib.3.cap.4 in Apocal. Et:Deus ab homine isto, qui illum assumpsit, nunquam discessit: semel tantùm caro mortua in sepulchro iacuit, sed ab anima diuinitas nunquam discessit. ibidem libro quarto, capite sexto. Et:Hoc illi donatum est, ut homini, secundum quem filius factus est obediens usq; ad mortem crucis, quod iam habebat idem ipse Dei filius, Deus Deo natus æqualis. Ibidem. Et:Totum quod Christus frater noster est, de matre est. Matris ubera suxit, sed non de patris radice fluxit. libro 7. in Cant. canticor. Et: Christus in humilitate naturæ conditionis de uirgine natus creuit, factusque est mons magnus, & impleuit orbem terrarum: creuit ascendendo super choros angelorum, Dominus omnium cœlestium, terrestrium & infernorum. Ibidem libro 12. cap. 21. Et: Christus non de superbis & purpuratis diuitibus, sed de humili uirgine, qualis in plebe uix agnosci posset, erat nasciturus. lib.2. Com.in Matth.cap.2. Et:Secundus homo de cœlo cœlestis: non quòd iste IESVS Christus, qui ex Maria natus, de cœlo cum carne uenerit, & per Mariam quasi per fistulam transierit, sicut quidam dixerunt hæretici. libro primo, capite primo Com. in Matth. Et:Magnus honor generis humani, qđ homo nostræ naturæ, nostræ conditionis, passibilis atq; mortalis, incarnatus uel conceptus est de Spiritu sancto: id est, non de semine uirili, sed de uirtute & operatione Spiritus sancti. Ibidem. Et:Deus non angelorum naturam, sed humanam de semine Abrahæ naturam apprehendit, ac tali apprehensione, ut autor salutis nostræ dignaretur per passionem mortis consummari. Angelorum Deus est, hominibus autem idem Deus est, & pontifex: simul uerò & angelorum & hominum rex unus idemque Dei filius est. Lib.3. de Glorif. trinit. & process. Spiritus sancti, capite decimonono. Et:Mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS conceptus ex utero, siue concretus in utero uirginis, secundum fidem, sermonem patriarcharum atque prophetarum, qui utique fuerunt uel sunt lapides magni, uel lapides perfecti. Ibidem libro 9. capite 8. Et:Quod de Christo Dei filio scimus uel credimus, propter quod & loquimur, libenter in istis Prophetæ uerbis intelligimus: quia à Deo exiuit, & in hunc mundum uenit, homo factus secundum operationem Spiritus sancti. lib.3. Comment.in Abac. cap.3.

Bernhardus: Quòd sola per se trinitas in sola & cum sola uirgine uoluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Serm. 4. de B. Virgine. Et: Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt ad inuicem Deus & homo, mater & uirgo, fides & cor humanum. Sermone tertio in uigil. natalis Dom. Et:

Vt ergo aliquatenus innotesceret, natus est, & in tempore natus est ex carne, natus in carne, factum est uerbum caro. Quid tamen mirum, si usq; hodie dicitur in Ecclesia, Christus filius Dei nascitur: quãdo tam longè antea dicebatur (haud dubium quin de ipso) Puer natus est nobis? Olim cœpit audiri uerbum hoc, & nemo sanctorum aliquando fastidiuit. Siquidem Iesus Christus filius Dei, heri & hodie, & in æternum. Serm.6.in uigil.natal. Domini. Et: Abyssus planè imperscrutabilis, incarnationis Dominicæ sacramentum: abyssus impenetrabilis, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quis enim inuestiget, quis attingat, quis apprehendat? Serm.2. in annunc.B. Mariæ. Et: Sicut autem cogitatio uestit sibi uocem corpoream absq; sui diminutione, uel ante uocem, uel post uocẽ: sic filius Dei assumpsit carnem, non cõmixtionem passus, neq; diminutionem, nec ante carnẽ, nec post carnem. Serm. in fer.4. hebd. pœnosæ de pass. Dom. Et: Exhiberi illis oportuit uerbum in carne, solem in nube, lumen in testa, mel in cera, cereum in laterna. Serm.6. de ascens. Dom. Et: Filius, cum sit nihilominus inuisibilis in seipso, dignatus est exhibere se in carne uisibilem. In festo Pent. serm.1. Item: Germen Domini Iesus Christus, solus de mũdissimo cõceptus semine: quia etsi in similitudine peccati, nõ tamẽ in carne peccati: etsi filius carnis Adę, non tamẽ filius præuaricationis Adæ: quia non fuit natura filius iræ, sicut reliqui omnes qui in iniquitatibus sunt concepti. Ibidem Serm.2. Et: Quis enim, etiamsi linguis hominum angelorumq; loquatur, explicare queat, quemadmodum superueniente spiritu, obumbrante uirtute altissimi, caro factum sit uerbum Dei, per quod facta sunt omnia: & Dominus maiestatis, quẽ non capit uniuersitas creaturæ, intra uirginea sese clauserit uiscera, factus homo? De assumpt. B. Mar. sermon.1. Item de Maria inquit: Incarnati uerbi mater. Serm.4. Et: Nam quòd uerum Deum, & Dei filium genuit, ut idem ipse Dei atq; hominis filius unus omnino Deus & homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis: nec facilè dixerim, quòd uel angelicus oculus ad huius fulgoris uehementiam non caliget. Serm. de B. Maria. Et: Ipsa quippe est secunda in trinitate persona. Et licet eandem incarnationem simul fecerint pater & filius & Spiritus sanctus: non tamen pater aut Spiritus sanctus est incarnatus, sed solus filius. Impleuit quidem & pater & Spiritus sanctus carnem filij, à quo neuter eorum poterat separari: sed impleuit maiestate, non susceptione. Ideoq; filius ostendit in carne potentiam patris per opera, exhibuit bonitatem Spiritus sancti remittendo peccata: & quod ipse erat, id est sapientia, occultauit per illa prædicta signacula. Serm.13. par. sermonum. Et: In carne, inquam, & per carnem potenter ac patenter operatus mira, locutus salubria, passus indigna, euidenter ostendit, quia ipse sit qui potenter, sed inuisibiliter secula condidisset, sapienter regeret, benignè protegeret. Serm.6. super Cãt. Item: En ad tactum corporeæ manus curatur lepra, fugatur cæcitas, auditus reparatur, lingua muta resoluitur, discipulus propè mersus erigitur, & is indobitanter agnoscitur, cui dixerat longe antè Dauid: Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Et item: Aperiente te manum tuam, omnia replebuntur bonitate. En secus corporales pedes iacens ac pœnitens audit peccatrix, Remittũtur tibi peccata tua: & recognoscit eũ, de quo ex multis retrò temporibus scriptum legerat: Egredietur diabolus ante pedes eius. Ibidem. Et: Alieni sunt à nobis, qui Christi à nobis carnem alienare conantur, nouam creatam in uirgine, & non de uirgine sumptam impiè asserentes. Pulchrè propheticus spiritus longe antè occurrit huic sententiæ, imò blasphemiæ impiorum: Egredietur, inquiens, uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Dixisse poterat, Et flos de uirga: sed maluit, De radice: ut unde uirgam, inde florem duxisse originem demonstraret. Inde igitur sumpta caro, unde orta uirgo: nec noua in uirgine, quæ prodijt ex radice. De Considerat. libro quintò.

Petrus Cluniacensis ait: Qui cum esset Dei filius singulari gratia, solitaria operatione factus est hominis filius. Lib.1. Epist. Et: Sicut enim semper Deus uerbum apud Deum erat: sic & immutabili & æterno, ut dictum est, consilio, quod nondum re subsistebat, uerbum caro factum erat.

Petrus Lombardus ait: Filij ergo missio, est ipsa incarnatio. Eo enim missus est, quòd in forma hominis mundo uisibilis apparuit: de quo suprà sufficienter dictum est. Lib.3. dist.1. Item: Quia in homine tota humana natura uitio corrupta erat, totã assumpsit, id est, animã & carnem, ut totã curaret & sanctificaret. Quòd aũt humanæ naturæ, siue humanitatis uocabulo anima & caro intelligi debeant, apertè docet Hieronym. in expositione catholicę fidei, dicẽs: Sic cõfitemur in Christo unã filij esse personã, ut dicamus duas perfectas & integras esse substãtias, id est, deitatis & humanitatis, quæ ex anima cõtinetur & corpore. Ecce aptè ostẽdit, humanitatis nomine animã & corpus

intelligi, quæ duo assumpsisse Dei filius intelligitur, ubi hominē, siue humanitatē, uel humanam naturam accepisse legitur. Errāt ergo qui nomine humanitatis non substantiam, sed proprietatem quandam, à qua homo nominatur, significari contendunt ubicunq; humanitas Christi memoratur. Ibidē dist. 2. Et: Totam ergo hominis naturam, id est, animam & carnem, & horū proprietates siue accidentia, assumpsit Deus: non carnem sine anima, nec animam sine ratione, ut hæretici uoluerunt: sed & carnē & animam cum sensibus suis. Vnde Iohan. Damasc. ait: Omnia quę in natura nostra plantauit Deus, Verbum assumpsit: scilicet corpus & animam intellectualem, & horum idiomata. Totus enim totū assumpsit me, ut toti mihi salutem gratificaretur. Quod enim inassumptibile est, incurabile est. Ibid. Item: Est & hic notandum, de omni statu hominis aliquid accepisse, qui omnes uenit saluare. Sūt enim quatuor status hominis: primus ante peccatum, secundus post peccatum, & ante gratiam, tertius sub gratia, quartus in gloria. De primo statu accepit immunitatem peccati. Vnde Augustinus illud Iohannis Euangelistæ exponens, Qui desursum uenit, super omnes est: dicit Christum desursum, id est, de altitudine humanæ naturæ ante peccatum: quia de illa altitudine sumpsit Verbum Dei humanam naturam, dum nō assumpsit ipsam culpam, cuius assumpsit pœnam. Sed pœnam assumpsit de statu secundo, & alios defectus. De tertio uerò gratiæ plenitudinem. De quarto, non posse peccare, & Dei perfectam cōtemplationē. Habuit enim simul bona uiæ quædam, & bona patriæ, sicut & quædam malæ uiæ. Ibidem dist. 16.

Petrus Blesensis inquit: Natus est itaque filius Dei de uirgine incorrupta, Spiritu sancto in ea cooperante, nostræq; salutis negotium ineffabiliter procurante. Abyssus autē inscrutabilis est, incarnationis Dominicæ sacramentum. Plurima tamen antiquis patribus acciderunt, in quibus huius natiuitatis figura præcessit. Quòd enim uellus Gedeonis rore cœli complutū est, area circumquaq; arida manente, ros spiritus Domini designatur in uirgine, quæ ad hoc per humilitatem suam specialiter & singulariter à Domino est prælecta. Cui Psalmista concordat, dicens: Descendet sicut pluuia in uellus. Quòd Mosi in rubo ignis apparuit, & non est rubus combustus igne, uirginitatis integritas ostenditur. Quòd uirgis aliarum tribuum manentibus siccis, uirga Aaron, de cuius stirpe uirgo beatissima traxit ortum, fronduit & floruit, florem de uirga Iessæ, quē uaticinauerat Esaias. Epist. 83.

Verbum Dei in candore intemeratæ uirginitatis inuiolabiliter incarnatū, & sine dolore natum, nec tamen à patre separatum. Quomodo? Cum filius Dei natus est in mūdo ex matre, apparuit in cœlo in patre: unde & angeli mox contremuerunt, & exultantes mellifluas laudes concinuerunt. Qui filius Dei sine macula peccati in seculo conuersatus, lucidissimam beatitudinis & saluationis doctrinā in tenebras infidelitatis emisit: sed ab incredulo populo abiectus, atq; ad passionem ductus, roseum sanguinem suum fudit, & caliginem mortis corporaliter gustauit. Ex quo diabolum superans, ex inferno electos suos, qui in eo detenti & prostrati fuerant, liberauit: atq; eos tactu redemptionis suæ ad hæreditatem ipsorum, quam in Adam perdiderant, misericorditer reduxit. Qui dum in hæreditatem suam peruenerunt, excitata sunt tympana & cytharæ, omnisq; musicorum concentus innumerabili decore: quia homo, qui in perditione iacuerat, iam in beatitudine erectus, mortem suprema uirtute liberatus euaserat, ut per seruum meum Osea locutus sum: Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius, &c. libro 2. Vision. 1. Item: Caro unigeniti filij Dei in incontaminato utero Mariæ uirginis orta est, & postea pro salute hominum tradita: ita etiam & nunc caro eius frequenter in incorrupta integritate Ecclesię augmētata, ad sanctificationem fidelium datur. Quia sicut faber aurum suum per ignem modò liquefaciens unit, & modò unitum diuidit: ita etiam & ego pater carnem & sanguinē mei filij per sanctificationem Spiritus sancti in oblatione nunc glorifico, & nunc glorificatum fidelibus hominibus ad salutem ipsorum distribuo. lib. 2. Vision. 6. Et: Christus mirabiliter natus est ex integerrima uirgine, cuius caro in delectatione libidinis nunquam efferbuit, semper intacta manēs: quia uas ipsius uirginis mundissimum fuit, in quo uoluit Deus eum incarnari. Vnde etiam Deus non permisit, ut uas uirginis ipsius suauissimæ in calore ardoris difflueret: quoniam in eo filius Dei humanum corpus mirabiliter assumpsit. Ibidem.

Duæ natiuitates Christi. Lombardus: Manifestè apparet, Christi duas esse natiuitates, eundemque bis natum fore. Libro 3. distinct. 8.

Natura diuina nata. Lombardus: Natura diuina sit nata & concepta de uirgine. Sed si notētur uerba, potius de persona agi intelligitur, quæ sine dubitatione & de patre & de matre nata esse dici debet. Libro 3. distinct. 8.

Christus non est creatura. Lombardus: Non

Non ergo Christus creatura est, sed creator, qui docendæ creaturæ discipulis mandat officium. lib.3. dist.11.

Christus factus. Lombardus: Ex his euidenter traditur, qua intelligentia accipiendũ sit, cum dicitur Christus factus, uel simpliciter, uel cum additamento: ut factura, scilicet creatura, nõ ad assumentem Deum, sed ad assumptum hominem referatur. In Deo enim creatura esse non potest. libro 3. dist.11. Item: His alijsq; pluribus testimonijs instruimur, non debere fateri simpliciter, Christum esse factũ uel creaturam: sed addita determinatione rectè dici potest, ut si dicatur factus secundum carnem, uel secundum hominem, ut factura humanitati, non Deo attribuatur. Ibidem.

De profectu Christi Lombardus ait: Dici potest, ipsum secundum hominem tantã à conceptione accepisse sapientiæ & gratię plenitudinem, ut Deus ei plenius conferri non potuerit. Et tamen uerè dicitur profecisse sapientia & gratia: non quidem in se, sed in alijs, qui de eius sapientia & gratia proficiebant, dum eis sapientiæ & gratiæ munera secundum processum ætatis magis ac magis patefaciebat. Vnde Gregorius in quadam homilia ait: Iuxta hominis naturã proficiebat sapientia: non quòd ipse sapientior esset ex tẽpore, qui à prima cõceptionis hora spiritu sapientiæ plenus permanebat: sed eandem, qua plenus erat, sapientiã cæteris ex tẽpore paulatim demonstrabat. Iuxta hominis naturam proficiebat de infantia ad iuuentutem. Iuxta hominis naturã proficiebat gratia, non ipse quod non habebat per accessum temporis accipiendo, sed pandẽdo donum gratiæ quod habebat. Apud Deum & homines proficiebat: quia quantũ proficiente ætate patefaciebat hominibus dona gratiæ, quæ sibi inerant, & sapientiæ, tantum eos ad laudem Dei excitabat: & sic Deo patri ad laudem Dei, & hominibus ad salutem proficiebat. In alijs ergo, non in se proficiebat sapientia & gratia. Vnde in eodẽ Euangelio puer ille sapientia plenus & gratia perhibetur. Sic ergo dicitur profecisse sapientia & gratia, ut aliquis rector Ecclesiasticus dicitur proficere in cura sibi tradita, cum per eius industriam alij proficiunt. lib. 3. distinct.13. Item: Proficiebat ergo humanus sensus in eo secundum ostensionem, & aliorum hominum opinionem. Ita etiã patrem & matrem dicitur ignorasse in infantia: quia ita se habebat & gerebat, ac si agnitionis expers esset. Ibidem.

Hugo Eterianus inquit: Vt apud Lucam Euangelistam dicentem: IESVS proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines. Profectò si proficere illum in sapientia quis dixerit, consequẽs erit, nequaquam ipsum scientię perfectionem habuisse. Rursus si neget in sapiẽtia proficere, neque secundum ętatem debet habere profectum. qua ex re proficiendi uerbum æquiuocè audiri potest: proficere enim significat ex paruo magnũ fieri, & ab imperfecto ueni re ad perfectionem. Secundum quod significatum ætate uerè dicebatur proficere: nã cum esset paruulus circa corpus, augmentum suscepit. Sapientiæ uerò & gratiæ dissimilis erat profectus. Quippe nõ ex indocto doctus, & gratiosus ex ingrato proficiendo fiebat: sed gratia & sapientia proficere apud Deum dicitur, quia gratior & sapientior uidebatur esse hominibus quotidie, quòd reuelaretur & manifestaretur in eo per singulos dies Spiritus sancti actio. li. 3. de Process. Spiritus sancti, cap.12.

Animam Christi omniscium. Petrus Lõbardus: Animam Christi per sapientiam sibi gratis datã in uerbo Dei, cui unita est, quod etiam perfectè intelligit, omnia scire quæ Deus scit, sed non omnia posse quæ potest Deus: nec ita clarè & perspicuè omnia capit, ut Deus: & ideo non æquatur creatori suo in scientia, etsi omnia sciat quæ & ipse: nec est eius sapientia æqualis sapiẽtiæ Dei: quia illa multo est dignior, digniusque & perfectius omnia capit, quàm illius animæ sapientia. ergo & in scientia maiorem habet sufficientiam Deus, quàm anima illa, quæ dignior est omni creatura. Illud uerò Apostoli quod inducunt, Nemo nouit quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei, qui solus scrutatur omnia: pro nobis facit. Mox enim addit Apostolus, Nos autem spiritum Dei habemus: ut per spiritũ quem habebat, Dei profunda se scire ostẽderet. Sed anima illa præ omnibus spiritum Dei habuit, cui spiritus non est datus ad mẽsuram, ut ait Iohannes Euangelista. Dona ergo Spiritus sancti sine mensura habuit: ergo & sapiẽtiam. Omnia ergo sciuit anima illa. Si enim quædam sciuit, quædã non: tunc non sine mensura scientiam habuit. Sed sine mensura scientiam habuit: scit ergo omnia. Fulgentius etiam in sermone quodam multa inducit, quibus asserit, animam illam rerum omnium scientiam habere, utens autoritate Apostoli dicentis: In quo sunt omnes thesauri sapiẽtiæ & scientiæ absconditi. Quod etiam ratione potest probari sic: Nihil scit aliquis quod anima eius ignorat. Sed Christus secundum omnium concessionẽ, omnia scit: Ergo anima eius omnia scit. Ad id uerò quod dicũt: Si omnia scit, ergo scit creare mundum, uel seipsam: respõdemus, quòd scientiã habet mundum creandi, sed non potentiam: & creandi animam, & scit quomodo Deus se-

ipſam creauerit. habet ergo ſcientiam ſui creatæ, ſed non ſui creandæ: quia non eſt creanda, ſed creata. lib. 3. diſt. 14.

Defectus Chriſti. Lombardus: Illud quoque prætermittendum non eſt, quòd Dei filius naturam hominis accepit paſsibilem, animam paſsibilem, & carnem paſsibilem & mortalem. Vt enim probaretur uerũ corpus habere, ſuſcepit defectus corporis, famem, ſitim, & huiuſmodi. Et ut ueram animam probaretur habere, ſuſcepit defectus animæ, ſcilicet triſtitiam, timorem, dolorẽ, & huiuſmodi. Omnis autem ſenſus animæ eſt. Non enim caro ſentit, ſed anima, utens corpore uelut inſtrumento. lib. 3. diſt. 15. Itẽ: Suſcepit autẽ Chriſtus ſicut ueram naturã hominis, ita & ueros defectus hominis, ſed nõ omnes. Aſſumpſit enim defectus pœnæ, ſed nõ culpę: nec tamẽ omnes defectus pœnæ, ſed eos omnes, quos homini eũ aſſumere expediebat, & ſuę dignitati non derogabat. Sicut enim propter hominem homo factus eſt, ita propter eum hominis defectus ſuſcepit. Suſcepit enim de noſtro, ut de ſuo nobis tribueret, ut noſtrũ tolleret defectũ. Suſcepit enim noſtrã uetuſtatem, ut ſuã nobis infunderet nouitatẽ. Simplam ille accepit uetuſtatem, id eſt pœnæ, ut noſtram duplam conſumeret, id eſt pœnæ & culpæ. Ibidem. Item: Omnes ergo defectus noſtros ſuſcepit Chriſtus præter peccatum, quos ei cõueniebat ſuſcipere, & nobis expediebat. Sunt enim plura ægritudinũ genera & corporis uitia, à quibus immunis extitit. Quos enim defectus habuit, uel ad oſtenſionẽ uerę humanitatis, ut timorẽ & triſtitiã: uel ad impletionẽ operis ad quod uenerat, ut paſſibilitatẽ & mortalitatem: uel ab immortalitatis deſperatione ſpẽ noſtram erigendã, ut mortẽ, ſuſcepit. Hos aũt defect9 õn cõditionis ſuę neceſsitate, ſed miſerationis uolũtate ſuſcepit. Veros quidẽ habuit defectus, ſicut & nos: ſed non eadẽ ex cauſa. Nos enim ex peccato originali hos defectus contrahimus, ſicut Apoſtolus inſinuat, dicẽs: Corpus quidẽ propter peccatũ mortuũ eſt: id eſt, neceſsitatẽ moriẽdi habet in ſe. Chriſtus autẽ nõ ex peccato huiuſmodi habuit defectus: quia ſine peccato eſt conceptus, & natus, & in terris cõuerſatus. Sed ex ſola miſeratiõis uolũtate de noſtro in ſe tranſtulit uerã infirmitatẽ, ſicut accepit uerã carnẽ, quã ſine omni infirmitate aſſumere potuit, ſicut abſque culpa eandẽ ſuſcepit. Ibidẽ. Item: Nunquid hic defectus fuit in Chriſti carne? Anima quoq; eius, cũ paſsibilis extiterit ante mortẽ, nũquid neceſsitatẽ patiẽdi habuit? Si enim neceſsitas patiẽdi uel moriendi fuit in Chriſto, nõ uidetur ſola uolũtate miſerationis defectus noſtros accepiſſe. Ad quod dici poteſt, Chriſtum uolũtate, nõ neceſsitate ſuę naturę hos defectus ſicut alios ſuſcepiſſe, ſcilicet neceſsitatem patiẽdi in anima, ſimul aũt patiẽdi & moriẽdi in carne. Verùm hãc neceſsitatem nõ habuit ex neceſsitate ſuę conditionis, qa à peccato immunis: ſed ex ſola uolũtate accepit de noſtra infirmitate, ponẽs tabernaculũ ſuũ in ſole, ſcilicet ſub tẽporali mutabilitate & labore. Vnde ſuper epiſtolã ad Hebręos authoritas dicit: Quòd ſicut hominib. alijs & iure & lege naturę ſtatutũ eſt ſemel mori: ita & Chriſtus eadẽ neceſsitate & iure naturę ſemel oblatus eſt, & nõ ſępe. Nec ideo dicit Iure naturæ, q. ex natura ſuę cõditionis hũc defectũ traxerit: quĩ etiã non prouenit nobis ex natura, ſecundũ quod prius eſt inſtituta, ſed ex ea peccato uitiata: & ideo dicitur hic defectus naturalis, quia quaſi pro natura inoleuit in omnibus diffuſus. Ibidem diſtinct. 16

De locutionibus de Chriſto. Lõbardus: Cũ de Chriſto loquimur, qd Secundũ quid & Propter quid dicatur, prudens & diligẽs ac pius lector intelligere debet. li. 3. diſt. 11.

Eſt homo abſq; peccato. Petrus Alphõſus: Sine peccato & carnis concupiſcentia, de ſanctæ & iuſtæ uirginis natus eſt Chriſtus carne munda. Tit. 9. in Dialog.

Rupertus: Deus fœminæ ſecreto naturæ nouẽ mẽſib. abſq; peccati cõtagione hoſpitatus eſt. Li. 1. Cõ. in Ioh. ca. 1. Et: Qui eſt plenus gratię & ueritatis, nõ accepit peccatorũ remiſsionẽ, quã baptizãdo in Spiritu ſancto hominib. dedit: qa quod maius eſt, de Spiritu ſancto cõceptus eſt, ut peccatũ nec originale haberet, nec actuale admitteret. Ibidẽ lib. 2. ca. 1. Itẽ: Deus & ſanctus ipſe eſt Chriſtus Dei filius, utiq; Deus uerus, homo factus, nequaquã in iniquitatib. conceptus, & qui peccatũ nõ fecit, nec inuẽtus eſt dolus in ore eius. li. 3. in Abac. ca. 3. Et: Homo innocens Chriſtus, qui nullũ omnino peccatum fecit, & ſanguis huius agni ueri abſq; macula, quem nec originale, nec aliquod actuale peccatum offuſcat. lib. 1. Com. in Ioh. cap. 1.

Bernhardus: Vnus tamen eſt inter noxios innocens, mundus inter impuros, inter mortuos liber: unus eſt, & non æſtimabitur alius abſq; eo. Ipſe eſt de quo legiſtis Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo. Erat enim innocens manibus, qui peccatum nõ fecit: ſed multa bona operatus, Iudęis liberè aiebat: Quis ex uobis arguet me de peccato? An uerò mũdiſsimũ cor fuiſſe quĩ dubitat, unitum perſonaliter ſapientiæ, in quam nihil iniquitatum incurrit, attingit autem ubique propter ſuam munditiam? Serm. de uerbis Pſal. 23. Quis aſcendet, &c.

Cur homo. Petrus Alphonſus: Verbũ Dei carnem

carnem ob aliud nequaquã induerat, nisi ut eos qui in se crediderát, & credituros, de diaboli captiuitate liberaret. Tit. 10. in Dial. Item: Illũ hominé, qui pro tanto ac tali peccato rediméndo occũberet, ab omni esse delicto totaliter immuné, necesse fuit: si enim nõ, peccata propria morte sua redimere indigeret. hoc uerò in aliquo, qui tantũ esset homo, reperiri nõ posset: qa natura corporis à peccato sibi cauere nõ sustinet. Ibidé. Et: Ratio & sapientia Dei fuit, ut uerbum suũ corpus humanum acciperet, quod totius contagionis & peccati expers seruaret, quatenus ipsum ita mundũ, & ab omni uitio purũ, illud generale delictum redimere posset: & ipsum ab eo, q rerũ est principiũ, assumptũ, primum omniũ peccatũ deleret: quin & ut sine carnali patre ꝓgenitum, cõmissum eius, qui sine patre factus est, auferret: præterea ut Deus eos, qui cùm morte filij sui à diaboli laqueo liberati essent, propria deinceps iniqtate in ipsum recidissét, in die iudicij rationabiliter dãnaret. ibid.

Berégosius: Dominus noster IESVS Christus, nostræ carnis suscepit infirmitatem, ut inimici à nobis expelleret potestatem. In serm. de natal. martyrum.

Rupertus ait: Veritas quę de terra orta est, carné de uirgine assumens, ut nos à diabolo liberaret, eadem de uirginali Ioannis anima generatur, uocé corpoream induens. li. 1. Com. in Ioan. cap. 1. Item: Vt totum saluaret Verbũ, totum nihilominus hominé, id est, carné & animá rationalé assumpsit. Alioquin si solá carnem sine anima Verbum Deus suscepisset, ubi radicem suam fixisset? Solus quippe rationalis spiritus capax eius est. ibid. Et: Verbum uniuersum quãdo carné suscepit, cõgruum sibi exceptorium, id est, animá rationalem nõ omisit. ibid. Itē: Nemo fidelium dubitet, Christum IESVM idcirco uenisse in carné, ut peccata mundi tolleret, & in se transferret. lib. 2. in Matth. cap. 1. Et: Pater misit filium, ut inter Deum & homines pacé faceret. Ibid. lib. 14. ca. 20. Et: Filius Dei factus quasi Adam, ut Adá uerè fieret unus ex nobis. lib. 4. de Glorif. trinit. & process. Spi. sanct. cap. 9. Et: Ipse naturá nostram suscepit, & à peccatis nostris saluos faciet, secundum nomé suum, quod est IESVS, id est, saluator. lib. 2. Com. in Ose. cap. 5. Et: Christus Adam secundus semetipsum ad satisfaciendũ pro nobis obtulit, & ad hoc uenit, ad hoc homo factus est, ut suscepta à Deo humanitas homini sanctá placaret, & in hominib. reformaret Dei similitudinem. lib. 1. Com. in Ionam, cap. 2. Deus homo factus, homo in Deum assumptus, secundum humanitatem & omnib. angelis, & multis hominib. siue seculi ętatibus iunior est Christus: secundũ diuinitaté omnib. & angelis & hominib. cœloq; & terra longè antiquior esse non dubitatur. lib. 2. Com. in Micheam, cap. 4.

Bernhardus inqt: Cur filius Dei factus est homo, nisi ut homines faceret filios Dei? Serm. 1. in uigil. natal. Dom. Et: Quis enim potest facere mundũ de immundo cõceptũ semine, nisi qui solus sine omni illicita & immunda conceptus est uoluptate? In ipsa radice & origine mea infectus & inquinatus sum, immunda est cõceptio mea: sed est à quo tollatur ista confusio. Ipse eá tollit, in qué solum ipsa non cadit. Diuitias salutis habeo, quibus redimá proprię conceptionis impuritatem, Christi purissimá conceptioné. Serm. 4. in uigil. natal. Dom. Et: Videtur & illud maximè cõgruũ, ut is specialiter filius fieret, qui filius erat: ne quid esset ambiguitatis in nomine. Ser. 2. in annũc. B. Mariæ. Et: Verus deniq; Deus & Dei filius incarnatus. Sed quo fructu? Nempe ut omnes eius paupertate locupletemur, eius humilitate subleuemur, eius minoratione magnificemur, eius incarnatione adhærentes Deo, incipiamus unus esse spiritus cũ eo. Ibidé serm. 3. Et: A` plãta pedis usq; ad uerticé non erat in nobis sanitas: errraueramus ab utero, in utero dánati antequá nati: quia de peccato & in peccato cõcepti. Christus ergo ibi primá medicinã apposuit, ubi primus uulneri patebat locus: & substãtialiter utero uirginis illapsus, de Spiritu sancto cõceptus est, ut conceptioné nostrã mundaret, quá spiritus malus si nõ fecerat, tamen infecerat: ut nõ esset etiá in utero uita ipsius ociosa, dum noué mensib. purgat uulnus antiquũ: scrutans (ut dicitur) usq; ad imũ putrediné uirulentá, ut sanitas sempiterna succederet. Et tunc iá operabatur salutem nostrá in medio terræ, in utero uidelicet uirginis Mariæ, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ser. 2. in die Pentecost. Itē: Ego hanc arbitror pręcipuá inuisibili Deo fuisse causam, quòd uoluit in carne uideri, & cum hominib. homo cõuersari: ut carnalium uidelicet, qui nisi carnaliter amare nõ poterát, cunctas primò ad suę carnis salutaré amorem affectiones retraheret, atq; ita gradatim ad amoré perduceret spiritualem. Serm. 20. super Cantica.

Petrus Cluniacensis ait: Pro salute hominum, hominis naturá assumpsit. lib. 2. Cont. Iudæos, cap. 2.

Hildegardis inquit: Cum diabolus hominem tam fortiter sibi alligasset, ut homo illum pro Deo coleret, & Deum creatorem suum abnegaret, & in tanta tenebrositate infidelitatis iaceret, nec se erigere ualeret, ad saluationem eius misit Deus filium

suũ,miro modo incarnatũ de uirgine,uerũ Deũ & uerũ hominem existentẽ.li. 2. Vis.6.

De unione duarum naturarum in Christo.

Petrus Alphonsus testatur,Christum esse Deum & hominẽ.Ita enim inquit: Si ergo quæras Deum,qui possit uideri,non inuenies nisi Christum Ipse enim & unus est cũ patre Deus, & tamen per humanitatẽ apparuit mundo uisibilis.tit.2.in Dial. Itẽ:Verbum Dei Christus est. Qui ergo reprobat Christum,utiq; reprobat & uerbũ ecõuersò.ibid. Itẽ:Nos sanè,qui prophetas nõ mẽtitos esse credimus,cum ipsi Christum Deũ & hominẽ futurum fore prædixerint,ueraciter eos & hoc dixisse credere debemus. titul.8. Testimonia postea addit ex Esaia: Puer natus est nobis, &c. Itẽ: Ait enim de eo idem propheta, Egredietur uirga de radice Iesse,& flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini,spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus cõsilij & fortitudinis,spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Dñi. Non secundum uisionẽ oculorum iudicabit,nec secundum auditũ aurium arguet.Sed iudicabit in iusticia pauperes,& arguet in æquitate pro mãsuetis terræ:& percutiet terram uirga oris sui, & spiritu labiorum suorũ interficiet impiũ.Quod enim ait,Non secundum uisionẽ oculorum iudicabit,& cætera quæ sequuntur: proculdubio nulli conueniunt,nisi soli Deo.Homo enim, nisi quod uiderit uel audierit, iustè aliquid iudicare non poterit. ibid. Itẽ: Ait Zacharias,In die illa proteget Dñs habitatores Ierusalẽ,& erit qui offenderit in die illa, quasi Dauid:& domus Dauid quasi Dei. & angelus Dei in conspectu eorum.Per hoc namq; quod ait, Et domus Dauid quasi Dei:uoluit utiq; intelligi,quòd de domo Dauid esset nasciturus,qui ab omnib.haberetur Deus.Quòd etiã ait,Quasi Dei, & non posuit simpliciter Deus: insinuat quòd is, q de domo Dauid erat oriturus,in aliquo minor esset q̃ Deus. quod & Dauid in Psalmo testatur,ubi dicit: Minuisti eum paulominus à Deo. Itẽ Micheas:Et tu,inquit, Bethlehẽ Ephrata,paruulus es in millib.Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel: & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Hoc q̃ppe quod est, Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel: secundũ corpus dictũ est,secundũ quod princeps ille aduenturus erat in tẽpore. Quod aũt sequitur,Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis: ppetuitatem insinuat Deitatis. Hoc enim Deitati attribuit,quod homini puto nõ conuenit.Itẽ Dauid in Psalmo,cũ dicit:Sedes tua Deus in seculũ seculi:uirga directionis uirga regni tui.Dilexisti iusticiã,& odisti iniquitatẽ: propterea unxit te Deus,Deus tuus oleo lætitię prę cõsortib.tuis.Cũ hoc,inquã, dicit,eũ ad quẽ loquitur,Deũ esse & hominẽ ostendit.Aiens enim, Sedes tua Deus in seculum seculi: uirga directiõis uirga regni tui.nunquid non eum manifestè appellat Deũ?Deinde cum dicit,Dilexisti iustitiã,& odisti iniquitatẽ: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitię præ consortib.tuis. ad hominẽ eum loqui percipimus.Neq; enim uel Deũ,uel cõsortes habet Deus.Item Dauid alibi in Psalm. Deus iudiciũ tuũ regi da, & iusticiã tuã filio regis:& quęcunq; alia sunt in Psalmo. ibid. Item:Cum igitur de Christo Psalmum esse cõcesseris, uideamus utrũ ista,quę in eodẽ leguntur:Et permanebit cũ sole, & ante lunã in generatione & generatione. Et:Sit nomen eius benedictũ in secula: ante solẽ permanet nomen eius. Et illud:Et adorabũt eũ omnes reges, omnes gẽtes seruient ei. uideamus,inquã, si de puro homine dicta sunt hæc omnia: sed nequaquã,imò de Deo. Sequitur ergo, ut Christũ & hominẽ dicamus esse, & Deũ. Quod etiã quia Dauid Spiritu sancto reuelante cognouit,& miracula quę facturus erat præuidit, ideo huiusmodi Psalmo finẽ fecit:Benedictus Dñs Deus Israel, qui facit mirabilia solus:& benedictũ nomen maiestatis eius in ęternum,&replebitur maiestate eius omnis terra. Itẽ in libro Dibrehaiamim,id est,uerba dierũ,legitur,quia cogitãte Dauid domum Dño ædificare, ait ad eũ Nathan propheta sub persona Dñi hæc uerba: Cum cõpleueris dies tuos, ut uadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis,& stabiliã regnum eius. Ipse ędificabit mihi domũ, & firmabo solium eius usq; in ęternum.Ego ero illi in patrẽ,& ipse erit mihi in filiũ:& misericordiã meã nõ auferã ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit: & statuã eũ in domo mea, & in regno meo usq; in sempiternũ:& thronus eius erit firmissimus in perpetuũ. ibid. Item:De Salomone.Petrus:Nequaquã potest hoc esse. Quòd enim ait,Cum cõpleueris dies tuos,ut uadas ad patres tuos(quod est,cũ mortuus fueris) suscitabo semen tuũ post te:patet quòd dictũ non est de Salomone. Rex nãq; iã erat Salomõ, uiuẽte adhuc patre suo.Quòd si de Salomone uellet dicere,utiq; non dixisset,Quod erit de filijs tuis:sed,Quod erit de te. Quod etiã sequitur, Et statuã eũ in domo mea,& in regno meo usq; in ęternum, & thronus eius erit firmissimus in perpetuum : patenter agnoscitur, non de Salomone esse dictũ.Salomon nãq; nec in domo Dei siue regno est statutꝰ, nec fuit in perpetuũ firmissimus thronus eius. Et cũ hoc cõueniat Deo soli,tũc ille de quo hic

hic agitur. homo futurus atq; Deus fuerat. Ibidem. Item: Tres substantias Christū habere, corpus scilicet, animam, & Deū. Et secundum Deitatē septem illa sibi sunt attributa uocabula: secundū animā uerò septē munera potuit suscipere supradicta. Hæc ǫppe anima pręter quod erat Deitati adiūcta, per se quoq; fuit omniū animarū dignissima. Ibid. Item: Christus rectè nō filius hominis absolutè, sed quasi filius hominis dicitur: quia nō de patre carnali & matre, imò de uirgine & Deo patre natus est. Per hoc uerò quòd parato iudicio, & apertis libris, antiquus dierū ei potestatē & honorē & regnum dedit, & omniū populorū, tribuū ac linguarum seruitutem ipsi promittit: patet profectò, quia iudicium omniū in mundi consummatione sibi concessum sit. Per hoc etiā quod est, Potestas eius æterna, quæ nō auferetur, & regnum eius quod nō corrūpetur: quod tātū ad regnū diuinū pertinet. & per illud quod præcedit, Quasi filius hominis ueniebat: ꝓculdubio innuitur, quòd ille, cui iudiciū ac regnū tale dabatur, Christus est, qui & Deus (ut diximus) & homo futurus erat. in Dialogo, tit. 11.

Honorius inquit: Attribuitur sapientiæ, id est filio, incarnatio: quā tamē operata est potentia & uoluntas. Et meritò sapientiæ adscribitur. Cū enim tam potēs esset, quòd de potestate diaboli humanum genus sola uoluntate eripere posset: maluit tamē diuinitatē coniungere humanitati, ut qui Deū & hominē reconciliaret, in se quod hominis est & Dei, haberet. Si enim Deus tantū esset, nunquā in eū diabolus manus inijceret: quippe quomodo seruus in filium potētis Dñi cognitū manū inijceret? unde scriptum est: Si cognouissent, nunquā filiū Dei crucifixissent. Sed iterū, si tantū homo esset, quomodo captiuus homo captiuū liberaret? Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei. Redemptor igitur noster Deus fuit & homo, & adhuc est: ut ex diuinitate saluare posset, & ex humanitate diabolū latēret: ut cū præter ius & fas diabolus innocētē inuaderet, potestatē sibi cōmissam iustè amitteret. lib. 3. de Phil. mundi, cap. 13.

Hugo de S. Victore duas naturas in Christo esse asserit, & solā humanitatē passionis amaritudines sustinuisse. In li. 2. alleg. 2. Itē: Christus in humanitate occiditur ut ouis, in diuinitate cum patre manet impassibilis. Ibidem allegoria 9. lib. 2.

Rupertus inquit: Deus & sanctus ipse est Christus Dei filius: utiq; Deus uerus, homo sanctus, nequaquā in iniquitatibus conceptus, & qui peccatū non fecit, nec inuētus est dolus in ore eius: ut ueniret iste, hoc Spiritus sanctus effecit. Nam propter charitatem suā magnam ueniet, propter charitatē suam magnam mittet eum Deus pater. Charitas patris mittentis, & filij qui missus est, quid est aliud nisi Spiritus sanctus? Ergo à Spiritu sancto ueniet, Spiritus sanctus efficiet, & Spiritus sancti erit operatio, quòd eum uirgo incorrupta cōcipiet uerū Deū, uerumq; hominē pariet. li. 3. Com. in Abac. cap. 3. Itē: Christus non erat totū quod nūc est, scilicet caro & Verbum: sed erat tantūmodo Verbū. Nunc aūt geminæ gigas substantię, duplicisq; operationis una persona est. In principio aūt unius substātiæ uniusq; operationis Verbū erat. lib. 1. cap. 1. in Ioan. Item: Christus erat in mundo per diuinitatem, cuius est esse uel manere: uenit autem in mundum per humanitatem, cuius est ire de loco, & ad locum transire. ibidē. Item: Christus non tantùm caro, sed & Verbū est: & maximè ex eo quòd Dei Verbū est, prædictam potestatem dare potest. Ibidem. Et: Non Verbū in carnem uersum est, sed assumendo carnē carnalib. condescendere dignatū est: & sic dictum est, Verbum quod erat apud Deum, caro factū est: quomodo tu quoq; dum loqueris, rectè dicere potes, Verbum quod erat in anima mea, uocale factum est. Ibid. Et: Idē Verbum totū in corde patris permanet, totū in carne, attingēs in fine usq; ad finē. idē à corde patris, ultra uel supra quē nihil est, quasi trames aquæ immensæ defluuio trans uniuersos angelorum ordines descendēs ad carnē nostram, ultra uel infra quā, propter peccatū in sepulchro putrescentē, abiectius nihil est. ibidē. Item: Sic effectū est præclarū illud electrū, humani generis precium atq; ornamentū: in quo & diuinitatis aurū nihil de suo fulgore perdidit, & humanitatis argentū augmētū sui decoris obtinuit. Ibid. Itē: Deus homo factus est. Ibid. Et: Incarnatus Dñs quasi calceatus apparuit, quia in diuinitate sua, morticina naturæ corruptionis assumpsit. ibidem. Et: Quo dicto mirabilis præco ueritatis breuiter utráq; in una persona Christi substantiā, scilicet Dei & hominis, ostendit: utrāq;, id est, passibilē humanitatis, impassibilē uerò diuinitatis naturā confitendā exprimit. ibidem. Et: Hic homo natura ipsa maior est, naturæ Dominus est. lib. 2. cap. 2. in Iohannē. Et: Non enim miramur tantum, quòd Deus potuerit ex aqua facere uinum, quantum gaudemus, quòd is qui solus hoc potuit facere, factus homo, triginta annis inter homines ambulauerat, degens intra carnis latibulum. ibidem. Item: Vnius eiusdemq; personæ naturam utramque duabus his exprimit breuibus sententijs: diuinam scilicet, Quid mihi & tibi est mulier? humanam uerò, cum protinus subiung-

subiungit, Nondum uenit hora mea. Nam qui secundum diuinitatem sine tempore & sine matre est, secūdum humanitatem tempora & horas, non fatales (secundū mathematicos) sed quas ipse sibi posuit, habere nascendo & moriēdo dignatus est. Ibidem. Item: Incorporeum Verbum patris ueraciter aure cordis credendo concepit, & de carne sua corporatum ex uirgineo partu peperit. Ibidem. Et: Hoc magnū & multis prophetarum præconijs pronunciatū, atq; patriarcharum factis fuerat præfiguratū, quòd duæ naturæ, diuina scilicet & humana, conuenturę essent in uno Christo, & ipse in sole positurus tabernaculum suum. Ibidem. Et: Vnus idēq; filius Dei & filius hominis, qui & ex eo ascendere potuit: quia non ex Maria (ut hæretici blasphemant) initium sumpsit: sed de cœlo, ubi ante Mariam fuerat, in illam descendit. libro 3. in Iohan. Euang. capite 2. Et: Hic idem Magister non homo tantùm, sed & Deus. In quem enim alium, quàm in Deum credere oportet: imò in quem nisi in solum Deum credere, perniciosum non est? Ibidem. Et: Christus, qui & antequam homo esset, Deus erat: sed postquam homo factus est, nihilominus secundum suam naturā Deus est: propter assumptam uerò hominis naturam Christus est. Ibidem libro 4. capite 3. Et: Hic ego sum, quem ille misit, non ut essem, qui nō eram: sed ut uisibilis fierem, qui æquè ut ille inuisibilis eram: ut corpus assumerem, qui incorporeus eram: ut homo fierem, qui Deus eram. Ibidē lib. 5. cap. 5. Et: Vnus est Christus filius hominis cū filio Dei, qui de cœlo descendit, quiq; cum esset in terra, nihilominus & in cœlo & ubiq; erat: quippe quē locus nullus concludit, quia incircumscripta natura diuinitatis. Ibidem lib. 6. cap. 6. Et: Verbum, quod est panis angelorum, caro factum est: non mutatum in carnem, sed assumendo carnē. sic idipsum Verbum iam, iamdudum caro factum, panis uisibilis fit: non mutatum in panem, sed assumendo, & in unitatem personæ suæ transferendo panem. Ibidem. Et: Sicut de carne nostra, quam uirgo peperit, uerè fatemur propter unitatem personę, quia Deus est: sic nihilominus de pane isto uisibili, quem eiusdem Verbi inuisibilis diuinitas assumens, in carnem suam transfert, uerè & catholicè confitemur, quia corpus Christi est. Ibidem. Et: Illa natura, secundum quam est filius hominis, de matris utero initium habuit: & Christus ante illam incarnationem nequaquam homo, uel filius hominis, sed tantum Deus Dei filius extitit: tamen filium hominis prius in cœlo fuisse asserit, quò iterum ascensurus sit. lib. septimo Comment. in Iohan. cap. septimo. Item: Hoc Verbum caro factum, & nunc in carne uisibili quinque sensibus functa. Ibidem. Item: Christus uerè solus præ cunctis filijs: hic unigenitus Dei in hunc mundum uenit, non de Maria existendi initium habuit: sed aliunde in hunc mundum, id est, de cœlo ad terram, de corde patris in uétrem uirginis uenit. libro 10. cap. 11. in Iohannem Euang. Et: Christus & angelorum & hominum Dominus, idem homo, idemq; Deus: idem humilis, idemq; altissimus. li. 11. cap. 13. Et: Christus non solùm uisibilis homo, sed & inuisibilis Deus est. Ibidem cap. 14. Et: Ille cum apud Deū esset primus & preciosissimus, secundum alteram naturam filius Dei, secundum alterā naturam filius intemeratæ uirginis: cum sic esset primus & optimus, & præ filijs hominū speciosissimus, apud homines nouissimus fuit, id est, uilissimus; quemadmodū & propheta dicit gemebundus. lib. 2. Com. in Apocal. cap. 2. Et: Christus prius erat Deus, quàm homo fieret, priusquā angelus ille, stella illa, siue lucifer ille caderet, imò priusquā angelus aut aliqua creatura fieret. lib. 5. in Apocal. ca. 9. Et: Qui Deus erat, homo factus est: quodq; erat Verbum in principio, caro factum est, non mutata in carnem diuinitate, sed assumpta carne. Ibidem lib. 6. cap. 10. Et: Non dicitur tantùm & simpliciter, Accepisti uirtutem: sed, Accepisti uirtutem tuam. Etenim homo factus Dei filius, siue cum fieret homo, in ipsa quidem conceptione sui uirtutem istam accepit: sed antequā fieret homo, uirtus eadē sua erat: quia suus & patris unus spiritus erat. Ibidem cap. 11. Et: Quis fideliū nesciat, quia pulcherrima Dominici corporis fabrica usq; ad pręcelsam sanctę trinitatis gloriā alta est: siquidem Dominicus homo una ex tribus, una, inquam, in trinitate persona est? Nec enim quia geminæ gigas substantiæ, quia Deus & homo est, idcirco etiam duarum personarum Christus est: sed idem Deus & homo, una eademq; persona est. lib. 3. Com. in lib. Reg. cap. 7. Et: Christus nō homo tantùm, aut Deus tantùm: sed & Deus & homo, ex anima rationali & humana carne, & uerbi diuinitate in una persona consistēs. li. 8. Cō. in Apocal. ca. 13. Et: Christus fidelis & uerax Deus de uirgine incarnatus, uerus hominis & Dei filius per spiritū columbę in Israel manifestatus. lib. 15. Com. in Apocal. capite 19. Et: IESVS Christus filius Dei, in quo utraq; natura, scilicet diuina pariter & humana, non duæ personæ, sed una persona. nō dicit, Omnia mihi tradita sunt à patre Verbi mihi infiti: sed, A' patre meo, inquit. cum utiq; constet, quia diuina Christi natura, Verbum Deus nihil unquam nō

habuerit:

habuerit: sed humanæ tantùm naturæ traditum sit, quod antea non habuerat, scilicet omnis potestas in cœlo & in terra. lib. 9. in Matth. cap. 11. Et: In Christo natura humana sic diuinæ unita est naturæ, ut cum illa personam duplicare non ualeat. lib. 9. de Diuin. offic. cap. 6. Et: Processit filius ante omnia tempora de corde patris natus, uenit ex tẽpore ex Maria uirgine incarnatus. Ibidem lib. 10. cap. 9. Et: Christus dominatur in medio inimicorum suorum: quia Deus est, & non homo tantùm: Verbum, & non caro tantùm. lib. 1. de Glorificat. Trinit. cap. 7. Et: Dominus Christus nõ ex Maria sumpsit existendi initium, sed Deus erat ante secula, qui homo factus est in fine seculorum. Hęc enim est intentio Ioannis, In principio erat, &c. quòd loquatur de antiquitate Christi filij Dei. ibid. cap. 10. Et: Vt quoniam unus idemq; & Deus ex Deo natus erat, & homo nasciturus erat, haberet præparatam ex utroq; latere familiam, hinc angelorum, hinc hominũ: ut ipse Deus & homo, Dominus & creator angelorũ, Dñs & creator atq; saluator emineret hominũ sanctorum, Dominus in eis sicut in domo sua, rex ex gẽte sua, Deus in maiestate sua. ibid. lib. 3. cap. 21. Et: Duæ processiones seu natiuitates Christi in his duobus uerbis, Processi & Veni: una natiuitas diuinitatis, qua ex substantia patris ante secula genitus est: altera natiuitas ipsius humanitatis, qua ex substãtia matris in seculo natus est. Ibid. lib. 1. cap. 14. Et: Mysterium in hoc est Euangelicæ siue catholicæ ueritatis, qua in uno eodemq; Domino nostro IESV Christo ut duas naturas siue substantias, ita duas uolũtates, duas prædicamus operationes: alterã diuinitatis, alteram humanitatis. Ibid. lib. 4. cap. 8. Et: Christus filius Dei uerus Dauid, & secũdum carnem filius Dauid, & secundum diuinitatẽ Dominus Dauid. Christus Deus & homo, rex & saluator. libro 3. Com. in Amos proph. cap. 7. Et: Sicut duæ sunt naturę in Christo, altera diuinitatis, altera humanitatis: ita & duæ uoluntates siue operationes. diuinitatis uoluntatẽ præcedere, humanitatis autem subsequi conuenit. lib. 1. Com. in Ionam proph. cap. 1. Et: Christus non tantùm homo sacerdos, uerũ etiam dominator & sacerdos: id est, Dominus & Deus & homo sacerdos. lib. 1. Com. in Malach. proph. cap. 3.

Bernhardus ait: Talis congruebat & uirgini partus, ut non páreret nisi Deũ. Proinde factor hominum, ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnib. debuit deligere, imò condere matrem, qualẽ & se decere sciebat, & sibi nouerat placiturã. Voluit itaq; esse uirginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omniũ maculas purgaturus. Homil. 2 de B. Virg. Et: Deũ deniq; paries, & de Deo cõcipies. ibid. serm. 3. Et: Quod nascetur ex te sanctũ, uocabitur Dei filius: id est, non solũ qui de sinu patris in uterum tuum ueniens obumbrabit tibi, sed etiam id quod de tua substantia sociabit sibi, ex hoc iam uocabitur filius Dei: quemadmodum & is, qui à patre est ante secula genitus, tuus quoq; amodò reputabitur filius. Sic autem quod natum est ex ipso patre, erit tuus: & quod nascetur ex te, erit eius: ut tamen non sint duo filij, sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit iam: non tamen cuiusq; suus, sed unus utriusq; erit filius. ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius Dei. Homilia 4. de beata Virg. Et: Voluit quoq; infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, & contraxit se maiestas, ut quod melius habebat, uidelicet seipsum, limo nostro cõiungeret, & in persona una inuicem unirẽtur Deus & limus, maiestas & infirmitas tãta, uilitas & sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius, nihil uilius limo: & tamen tanta dignatione Deus descendit in limũ, tantaq; dignitate limus ascendit ad Deũ, ut quicquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur: quicquid limus pertulit, Deus in ipso pertulisse dicatur, tam ineffabili, quàm incomprehensibili sacramento. Et attende, quia sicut in illa singulari diuinitate trinitas est in personis, unitas in substantia: sic & in ista speciali cõmixtione trinitas est in substãtijs, in persona unitas. & sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas nõ minuit trinitatem: ita & hic persona nõ confundit substantias, nec substantię ipsæ personæ dissipant unitatem. Summa illa trinitas hanc nobis exhibuit trinitatẽ, opus mirabile, opus singulare, inter omnia, & super omnia opera sua. Verbum enim & anima & caro in unam conuenẽre personam, & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confusione substãtiæ, sed unitate personæ. Hęc est prima & superexcellens mixtura, & hęc prima inter tres. Ser. 3. in uigil. natal. Dom. Et: Ex Deo & homine cataplasma confectũ est, quod sanaret omnes infirmitates tuas. Contusæ sunt autem & commixtæ hę duę species in utero uirginis, tanquam in mortariolo, sancto Spiritu tanquam pistillo illas suauiter commiscente. Ibid. Et: Verbũ quod erat in principio apud Deũ, & Deus erat: anima quæ de nihilo creata est, & antea nõ erat: caro de massa corruptionis, sine corruptione aliqua, diuino segregata artificio, qualis nulla iá caro erat, uinculo indissolubili in personæ coeũt unitatẽ. Serm. 2. in natal. Dom. Itẽ: Christus, fratres, etsi homo erat,

erat, erat tamen in principio apud Deum, & Deus erat eiusdem, cuius nunc est, sapientiæ & potestatis, utpote Dei uirtus, & Dei sapientia. ibidem Serm. 3. Et: O' stupenda Dei miseratio, Verbum carnem, Deus cinerem, figulus lutum, uita morticinū induit, ut iumenta manducarent panem angelorum. In alio Serm. de Cœna Domini. Et: Felix unio, & amplectendum ineffabilib. gaudijs sacramentū. Idem enim & germen Domini, & fructus terræ: idē & ipse Dei filius, & fructus uentris Mariæ est: idem filius Dauid & Dominus, de quo hodie gaudium eius impletum est, unde olim præcinens aiebat: Dixit Dn̄s Domino meo, sede à dextris meis. Quomodo enim nō Dominus germē Domini? Idem tamē & filius est, utpote fructus terræ sublimis, fructus uirgæ quæ de radice Iesse ꝓcesʃit. Serm. 6. de ascēs. Dom. Et: Beati siquidē oculi, qui uidebant Dn̄m maiestatis in carne præsentē, authorem uniuersitatis inter homines conuersantem, uirtutib. coruscantē, infirmos curātē, mare calcantem, mortuos suscitantē, dæmonijs imperantem, & potestatē similē hominib. cōferentē, mitem & humilē corde, benignū, affabilē, misericordiæ uiscerib. affluentem, agnū Dei, peccatū non habentē, & omnium peccata portantē. Ibid. Et: Susceptū hominē in ipsa diuinitatis claudi identitate. Ser. 2. in die Pentecost. Et: Gigas namq; est iste filius hominis: cœlū ei sedes est, terra scabellum pedū eius. Et eleuata est magnificentia eius super cœlos: manet tñ nobiscū usq; ad seculi consummationē. Serm. de natiuit. Iohan. Baptist. Et: Ille enim qui utraq; natura purissimus est, qui peccatū non fecit, nec inuētus est dolus in ore eius. In Serm. quodā in festo Pet. & Pauli. Et: Fidelis planè & potens mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: sed diuinā in eo reuerentur homines maiestatem. Absorpta uidetur in Deitatē humanitas, nō quòd mutata sit substātia, sed affectio deificata. Serm. de B. Mar. Et: Nūc uide quomodo trahat ad se omnia, quomodo ei omnia uniantur unitate substātiali, personali, spirituali, sacramētali. Habet in se patrē, cū quo est una substantia: habet assumptū hominē, cū quo est una persona: habet adhærentē sibi fidelē animā, cum qua est spiritus unus: habet sponsam Ecclesiam unā omniū electorū, cum qua est caro una. Et fortè carnalis hæc unio dicenda fuisse uidebitur, sed sacramentalē dicere malui, dignius hoc uocabulū arbitratus, præsertim occasionē dāte Apostolo, ubi ait: Sacramentum hoc magnum est, ego aūt dico in Christo & in Ecclesia. Serm. de uerbis Psal. 23. Quis ascēdet, &c. Et: Duo sunt in Christo. Generatio diuina, & generatio humana, & in Spiritu sancto processio & gratia. Operatur aliud in nobis propter nos, ut cōpunctionē dimittendo peccata, deuotionē sanando opera, amorē reuelando cœlestia. Propter proximos aliud, ut doctrinā sermonū, gratiā curationū. In lib. Sent. Et: Sit os osculans, uerbū assumēs: osculatū, caro quę assumitur: osculū uerò, quod pariter ab osculante & osculato cōficitur, persona ipsa ex utroq; cōpacta, mediator Dei & hominum homo Christus IESVS. Ser. 2. super Cant. Et: Deus filius Dei fiat homo, fiat filius hominis. ibidē. Et: Si enim in Christo caput ad diuinitatē referendum est, dicente Paulo, Caput Christi Deus: ꝓcul dubio caput ungit, qui gratias agit: quoniā Deum tāgit, nō hominē. Non quia non sit homo qui Deus est, siquidem Deus & homo unus est Christus: sed quia omne bonū à Deo, non ab homine est, etiā ipsum quod per hominē administratur. Profectò enim spiritus est qui uiuificat: caro non prodest quicquā. Propterea & maledictus, qui spē suam ponit in homine: quoniam etsi spes nostra tota meritò pendet ex homine Deo, non tamē quia homo, sed quia Deus est. Serm. 10. super Cant. Et: Mihi aūt adhærere Deo bonū est. Bonū planè, si omni ex parte adhæseris. Quis est, qui perfectè adhæret Deo, nisi qui in Deo manens, tanquā dilectus à Deo, Deū nihilominus in se traxit uicissim diligēdo? Ergo cū undiq; inhærent sibi homo & Deus, inhærent aūt undiq; intima mutuaq; dilectione, inuiscerati alterutrū sibi: ꝑ hoc Deū in homine, & hominē in Deo esse haud dubiè dixerim. Sed homo quidē ab æterno in Deo, tanquam ab ęterno dilectus, si tamen ex illis sit qui dicunt: Quoniā dilexit & gratificauit nos in dilecto filio suo ante mundi cōstitutionē. Deus uerò in homine, ex quo dilectus ab homine est. Et si ita est, homo q̄dē in Deo est, & quando in homine Deus nō est. Deus aūt in homine nō est, qui non sit in Deo. Manere enim in dilectione non potest, etsi forsitan ad tēpus diligat nō dilectus: potest aūt nōdū diligere etiā dilectus. Alioquin quomodo stabit: Quoniā ipse prior dilexit nos? Porrò cū iam etiā diligit qui antè diligebatur, & homo in Deo, & Deus in homine est. Qui aūt nūquā diligit, cōstat ꝙ nunquā dilectus est: ac per hoc nec ipse in Deo, nec Deus in eo est. Hæc dicta sint ad dandā differentiā inter illā cōnexionē, qua pater & filius unū sunt: & illā, qua adhærēs Deo anima, unus spiritus est: ne fortè, quia legitur de homine manente in charitate, quia in Deo manet, & Deus in eo: & itē de filio, ꝙ nihilominus in patre sit, & pater in ipso: par prærogatiua adoptati putaretur, & unici. Ibid. Serm. 71. Et: Æquè unus Christus,

ſtus,unaq; perſona,uerbũ,anima & caro,etiam mortuo homine perdurauit.In utero uirginis (ut ſentio ego)commixtio hæc & fermentatio facta eſt,& ipſa mulier,quę miſcuit & fermentauit. De Conſid.lib.5. Itẽ: Cum igitur uideas Chriſtum in una quidẽ perſona duas habere naturas,unã qua ſemper fuit, alteram qua eſſe cœpit:& ſecundũ ſempiternum ſuum quidẽ eſſe,ſemper omnia noſſe:ſecundũ tẽporale uerò, multa tẽporaliter expertũ fuiſſe:cur fateri dubitas, ut eſſe in tempore cœpit ex carne,ſic carnis quoq; miſerias ſcire cœpiſſe,illo duntaxat modo cognitionis,quẽ docet defectio carnis?In tract.de gradib.humilitat.

Petrus Cluniacenſis ait:Licet eſſet filius Dei,filium tamen ſe eſſe hominis,per crucẽ moriendo ſignauit. Signando ergo uerum filium hominis,dicitur crux uerè ſignũ hominis.libro primo Epiſtolarum. Et:Nam ſi Chriſtus erat,neceſſariò & Dei filius:ſi Dei filius,neceſſariò & Deus.Chriſtus enim nõ Iudaico ſenſu homo purus:ſed uero & Chriſtiano intellectu, homo ſimul erat, & Dei filius,& Deus.Nam à prophetis talis prędictus eſt,ab Apoſtolis talis prędicatus eſt.Talẽ ſe & ipſe in his propoſitis uerbis oſtẽdit, talẽ abſq; dubio declarauit. Apparet hoc, & perſpicuè approbatur,quòd ſe Chriſtum confeſſus fuerit,quando iam dictus Iudeis dicẽtibus,Si tu es Chriſtus, dic nobis palã: reſpondit, Loquor uobis,& non creditis. Nam quid eſt aliud,Loquor uobis, & non creditis:niſi,Loquor me Chriſtũ,& nõ creditis? Quòd uerò & Dei filius eſſet, uerba ſubiuncta probant: Opera,inquit,quæ ego facio in nomine patris mei. Nec enim Deũ patrẽ ſuum diceret,niſi & ipſe Dei filius eſſet. Quòd uerò & Deũ ſe probauerit,indicant & illa opera, de quibus operibus teſtatus eſt:Opera quę ego facio,teſtimoniũ perhibent de me. Non enim erant opera illa humana,ſed diuina.Imò ut clarius dicatur, non erant uel eſſe poterant tantùm hominis, ſed Dei ſimul & hominis:& quia Dei, idcirco hominis.Non erat planè ipſe Chriſtus,ut illi de quibus legitur:Nolite tãgere chriſtos meos.Sed erat Chriſtus unctus iuxta hominẽ à Deo, oleo exultationis præ cõſortibus ſuis.lib.2. Item:Homo enim ille à filio Dei aſſumptus, & congruo tẽpore ei perſonaliter unitus,ante omne ſeculum, ante omne tempus, ante omnem creaturã filius Dei prædeſtinatione æterna factus eſt:& qui ſecundũ ſpiritũ ſanctificationis in uirgine ſuperuenientem,& ei obumbrantẽ, poſtquã (iuxta Apoſtolũ) uenit plenitudo tẽporis,in eadẽ uirgine eſſentialiter conceptus, & de ea natus eſt:ipſe(iuxta Pſalmũ) ante luciferũ iã dicta prædeſtinatione hac & ſempiterno cõſilio eidẽ æternaliter unitus eſt.lib.5. epiſt.1. Item:Nõ obſiſtit ueræ Chriſti deitati uera carnis humanæ ſuſceptio:quia nõ inquinatur, nõ patitur,nõ humiliatur Deus propter aſſumptũ hominẽ: ſed mundatur,glorificatur & exaltatur homo propter ſe aſſumentẽ,purificantẽ, imò deificantẽ Deum.Ibidẽ lib.1.cõtra Iudęos, cap.2. Et:Qui cum eſſet Deus,non tantùm homo propter homines,ſed propter eoſdẽ pauper homo factus eſt.Ibidem cap.3.

Lombardus:Ipſam tamẽ carnis aſſumptiõnẽ trinitas operata eſt.lib.3.diſt.1. Item: Licet ergo ſolus filius carnẽ aſſumpſerit, ipſam tamẽ incarnationẽ cum patre & Spiritu ſancto operatus eſt.Ibidẽ. Item:Illa autem unio inexplicabilis eſt adeò, ut etiã Iohannes ab utero ſanctificatus,ſe nõ eſſe dignũ fateatur ſoluere corrigiam calceamẽti eius:quia illius unionis modum inueſtigare,alijsq; explicare non erat ſufficiens.Ibidem diſt.2. Item: Ex quo Deus hominem aſſumpſit, totum aſſumpſit,ſimulq; ſibi uniuit animã & carnẽ:nec caro prius fuit cõcepta,& poſtmodũ aſſumpta:ſed in conceptione aſſumpta,& in illa aſſumptione concepta.Ibidẽ. Itẽ:Perſona tantùm naturã, non natura naturã aſſumpſit. Si enim quod cõmune eſt trinitati,nõ accepit hominẽ:ergo non natura diuina,quæ communis eſt tribus perſonis.Ibidem diſt.5. Et:Natura diuina incarnata eſt:unde & eadem uerè dicitur ſuſcepiſſe humanam naturam. Ibidẽ. Et:Perſona Verbi ſiue natura,hominis naturam, ſcilicet carnem & animam aſſumpſit: ſed nõ perſonã hominis.Si autẽ natura diuina naturã hominis accepit,quare nõ dicitur facta homo, uel eſſe homo, ſicut Verbũ Dei? Ad quod dici poteſt, quòd Dei filius dicitur factus homo,uel eſſe homo,non ſolùm quia hominẽ aſſumpſit,ſed quia ipſum in unitatem & ſingularitatẽ ſui & perſonæ accepit. Natura autẽ diuina hominẽ quidẽ accepit,id eſt,hominis formam ſibi uniuit: ſed nõ in ſingularitatem & unitatẽ ſui.Seruata enim proprietate ac diuerſitate duarũ naturarum,perſonæ ſingularitas extitit. Ideoq; non ſic dicitur diuina natura eſſe homo,uel facta homo,ſicut Dei filius. Quidã tamẽ indifferenter utrũq; concedũt.Ibidẽ.

Richardus de S.Victore inquit:Sed quid mirũ eſt,ſi homo factus eſt uelut Deus,quãdoquidẽ homo factus eſt uerus Deus? Certè ſi homo Chriſtus eſt Deus,imò quia ueraciter eſt Deus, eandem diuinitatẽ habet, quam habet pater & Spiritus ſanctus.Ergo & eandem potentiam, ergo & eandem ſapientiam. Ergo eodem modo ſapit homo Chriſtus,quo pater & Spiritus ſanctus. lib. 1.cap.20.de Emanuele.

Petrus Cantor ait: Dominus etiam cum esset in una eadéq; maiestate cũ patre Deus, inclinauit cœlos, & descendit, & formã serui accepit, pauperẽ fabrũ patrẽ putatiuũ elegit, de utero uirginis pauperculæ & quęstuarię & in diuersorio natus, pãnis inuolutus, in modico pręsepiolo collocatus, pastoribus & humilib. primò manifestatus. ca. 16.

De carne Christi inquit Lõbardus: Quęritur etiam de carne Verbi, an priusquã cõciperetur, obligata fuerit peccato: an & talis assũpta fuerit à Verbo? Sanè dici potest, & credi oportet, iuxta sanctorũ attestationis conuenientiã, ipsam prius peccato fuisse obnoxiã, sicut reliqua Virginis caro: sed Spiritus sancti operatione ita mundatã, ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo, pœna tantũ nõ necessitate, sed uolũtate assumẽtis remanente. lib. 3. dist. 3. Et: Assumpsit enim Verbũ carnẽ peccatrici similẽ in pœna, & nõ in culpa: & ideo non peccatricẽ. Cætera uerò hominũ omnis caro peccati est. Sola illius non est caro peccati: quia non eum mater concupiscentia, sed gratia cõcepit. Habet tamẽ similitudinẽ carnis peccati per passibilitatẽ & mortalitatẽ: quia esurijt, sitijt, & huiusmodi. Licet ergo eadẽ caro sit eius quæ & nostra, nõ tamen ita facta est in utero sicut nostra. Est enim sanctificata in utero, & nata sine peccato, & nec ipse in illa unquã peccauit. In pœna ergo similis est nostrę, non in qualitate peccati: quia pollutionẽ, quæ ex cõcupiscẽtiæ motu concepta est, omnino nõ habuit, nec ex carnali delectatione nata est. Ibidẽ dist. 3. Itẽ: Dicimus hominẽ illũ, in quantũ homo est, cœpisse: in quantũ Verbũ est, semper fuisse. Hic enim absq; distinctione non est ferẽda responsio. Nã & ipse Augustinus huiusmodi utitur distinctione in pluribus locis, dicẽs, per Christũ omnia esse facta, in quantũ Verbũ est: secundũ illud uerò quòd homo est, ipsum esse factũ & glorificatum. Si ergo ad personam respicias, confidenter dic, hominẽ illum semper fuisse: si uerò ad naturã hominis, concede eum cœpisse. Ibidem dist. 12.

Priuilegia Mariæ in conceptione. Bernhardus: Virgo peperit, & post partũ inuiolata permansit, fœcunditatẽ prolis cũ carnis integritate, & gaudiũ matris habens cũ uirginitatis honore. Serm. 5. in uigil. natal. Dõ. Item: Multò magis autẽ sola sine corruptione suscepit, sine grauamine tulit, sine dolore filiũ parturiuit. Serm. de B. Maria.

Septem in carne celata enumerat Bernhardus: Septẽ quædã arbitror inueniri, quibus maximè celabatur in carne præsentia maiestatis, ut non posset aperiri liber, & sapientia quæ latebat agnosci. Sunt autẽ quę occurrunt interim, matris desponsatio, qua partus uirginis, & cõceptionis puritas uelabatur, ita ut hominis fabri filius fabricator hominis putaretur. Infirmitas etiã corporis, qua nimirũ plorãs, uagiẽs, lactẽs, & dormiẽs, & cæteris subiacens necessitatib. carnis, latebat inter hæc uirtus diuinitatis. Sic & circũcisionis signũ suscipiens, peccati remediũ, ægritudinis medicinã, q morbũ omnẽ tollere uenerat & peccatũ. Et itẽ in Aegyptum fugiẽs à facie Herodis reguli, nec Dei filius agnosci poterat, nec rex cœli. Quid trina illa tentatio inimici, in deserto, in pinnaculo, supra montẽ? Si filius Dei (inquit) es, dic ut lapides isti panes fiant. Et itẽ: Mitte te deorsum. Neutrũ Christus fecit: ut signaretur liber, ut falleretur astutus. Deniq; eousq; seductus est, ut haberet iam pro cõstanti, hominẽ esse purũ: & in tantã uesaniã superbia cæca pruperat, ut non diceret ultrà, Si filius Dei es: sed, Hęc omnia tibi dabo, si procidẽs adoraueris me. Sextũ est signaculũ crucis, ubi pepẽdit inter latrones, & cũ iniquis deputatus est Dominus maiestatis. Clausit & sepultura librũ hũc: nec ullũ signaculũ omnino sic obstruxit, sic occultauit magnũ pietatis sacramentũ. Sepulto nimirũ Domino, sola restare desperatio uidebatur, adeò ut discipuli dicerent: Quia nos sperabamus. Serm. 1. in festo Paschæ.

De duab. uolũtatibus Christi. Lombardus: Ambigendũ nõ est, diuersas in Christo fuisse uolũtates, iuxta duas naturas, diuinã scilicet uoluntatẽ, & humanã. lib. 3. dist. 17. Itẽ: Dei etiã uoluntas erat, & rationi placebat, ut illud secundũ carnẽ uellet, quatenus ueritas humanitatis in eo pbaretur. Nam q hominis naturã suscepit, quę ipsius sunt subire debuit. Ideoq; sicut in nobis duplex est affectus, mẽtis scilicet & sensualitatis: ita & in eo debuit esse geminus affectus, ut mẽtis affectu uellet mori, & sensualitatis affectu nollet: sicut & in uiris sanctis fit. Petro enim ipsa Veritas dicit: Cũ senueris, extendes manus tuas, & alius percinget te, & ducet te quò nõ uis, scilicet ad mortẽ. Quod exponẽs August. dicit: Quòd Petrus ad illã molestiã nolẽs est ductus, nolẽs ad eam uenit, sed uolẽs eã uicit, & reliquit affectũ infirmitatis, quo nemo uult mori: qui adeò est naturalis, ut eũ Petro nec senectus abstulerit. Vnde etiã Dominus ait: Trãseat à me calix iste. sed uicit eũ uis amoris. Ergo & in Christo secundũ humanitatẽ, & in mẽbris eius geminus est affectus: unus rationis, charitate informatus, quo pter Deũ quis mori uult: alter sensualitatis, carnis infirmitati ppinquus, & ei cõiunctus, quo mors refugitur. Vt enim Augustinus ait: Paulus mẽtis ratione cupit dissolui, & esse cũ Christo: sensu autem

su autem carnis refugit & recusat. Hoc habet humanus affectus, quoniam qui diligit uitam, odit mortem. Secundum istum affectum Christus mori noluit, nec obtinuit quod secundũ istũ affectum petijt. Ibidem.

Christo datá esse omné potestatem. Petrus Cluniacensis: Quòd si te fortè mouet, quòd dicit, sibi datam esse omné potestaté, quæso nõ moueat: quia certa est causa, qua te istud mouere non debet. Si enim hoc iuxta quod Deus est, sentire uolueris, potestas hæc ei data est, quãdo à patre Deo ęternaliter genitus est. Si uerò hoc iuxta quod homo est, hic accipere malueris, quod fortè hic propensius sentiendum est, intellige hanc potestatem homini datá causa ineffabilis unitionis illius, qua deitate simul & humanitate in unam Christi personá conueniente, sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus: de qua potestate homini illi data, habes patris uerba in Psalmo loquentis ad filium: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Iuxta hoc donũ à Deo homini datũ, dicere Christus potuit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Elige ergo quod mauis. Nihil enim eligere poteris, quod idé non sonet. Nam aut secũdum deitatem æternaliter, aut secundũ humanitatem temporaliter data est Christo omnis potestas in cœlo & in terra. Quolibet ergo ex his modo sibi potestaté in cœlo & in terra datam dicat, Deum se fatetur, Deum se prædicat. lib. 2. contra Iudæos.

Richardus ait: Potestatem quam habet secundum diuinitatem per naturam, illam habet secundum humanitatem per gratiá. lib. 6. in Apocal.

Hominem Christum etiam adorandum docet Lombardus: Alijs auté placet, Christi humanitatem una adoratione cum Verbo esse adorandam, non propter se, sed propter illum cuius scabellum est, cui est unita. Neque ipsa humanitas sola uel nuda, sed cum Verbo, cui est unita: nec propter se, sed propter illum cui est unita, est adorãda. Nec qui hoc facit, idololatriæ reus iudicari potest: quia nec soli creaturæ, nec propter ipsam, sed creatori cum humanitate & in humanitate sua seruit. libro tertio, distinctione nona. Item Petrus Cluniacensis: Huiusmodi deitatis honorem nec ipse homo à Deo assumptus habuisset, nisi cum eo una eademq; persona fuisset. Sed quia ipse dicit: Cœlum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum. & Psal. præcipit: Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. terram corporis nostri in Dei filio adoramus: neq; ut aliquid ab ipso remotum, sed ipsi ita unitum, ut salua naturarum proprietate, idem quod ipse sit, honore Deo debito ueneramur. Adoramus igitur hac adoratione Christum non tantùm Dei, sed & hominis filium. libro primo Epistolarum.

Vtraq; natura nobiscum esse. Petrus Cluniacẽsis: Quia non tantùm per id quòd Deus est, sed etiam per id quòd homo est, nobiscum est usq; ad consummationem seculi. lib. 1. Epistolarum.

Eadem facit quæ pater. Rupertus: Quæcunq; enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit: hæc ipsa facit quæ pater facit, & non alia: & non partem aliquam ex eis, sed omnia: & qđ nõ dissimiliter, sed similiter: id est, quod patre faciẽte per naturalé omnipotentiá, nõ faciat filius per accidẽtalem, uel indultam sibi gratiá: quod patre faciente impassibiliter, non faciat filius passibiliter: quod patre faciente inconuertibili imperio, non faciat filius conuertibili artificio. libro quinto Com. in Iohan. Euang. capite quinto.

De differentia operum Christi & Sanctorum inquit Petrus Cluniacensis: Nam non erant eius opera similia operibus hominũ, non erant eius miracula paria propheticis miraculis. Non erant certè paria: quia longè excellentius erant maiora. Miranda quidem opera, & miracula quamplurima fecerant ipsi, sed ut homines, quod datum fuerat, erogabant, nihil ex se faciendo, sed quæ faciebant à Deo precibus impetrãdo. At eius opera non ex aliena, sed ex propria procedebant uirtute, utpote qui nihil precibus uel alterius egens auxilio, operabatur: sed totum quod aut in spiritualibus, aut in corporalibus impendebat, maiestatis potentia largiebatur. Hoc modo opera sua uel miracula ab aliorum hominum operibus uel miraculis secernebat, non solùm ipse faciens ut Deus quæ uoluit: sed etiam alijs eadem faciendi potestatem largiens prout uoluit. Perhibebant ergo tali modo opera eius testimonium de ipso, quòd Christus, quòd Dei filius, quòd Deus esset: & hoc etiam ipso tacente non obscurius quàm loquente, Iudæis, gentibus, cœlo quoq; & terræ clamabant. lib. 2. contra Iudæos.

Filius ad nos uenit. Bernhardus: Nõ modò ad nos, sed propter nos uenit, qui bonorum nostrorum non eget. Serm. 6. de aduẽtu Domini. Item: Ego enim à Deo processi & ueni. In terris deniq; uisus, & cum hominibus conuersatus medius nostrûm, quem nesciebamus, stetit: uerus quidem Emanuel, nobiscum Deus, nobiscum stans, sed pro patre. Quòd enim nobiscum stetit,

adiutorium: quòd pro patre stetit, zelū designat. Paternam namq; quærebat in omnibus gloriam, cuius & uenerat facere uoluntatem. Cæterùm si pendentem consideres, si Christum & hunc crucifixum attendas, ibi maximè euidentissimeq; eum sub patre reperies: hoc enim propriè ac specialiter ad humanæ pertinuit naturæ humilitatem, secundū quā ipse ait: Pater maior me est. Dicere'ne audebimus, quòd aliquando etiam fuerit sine patre? Nemo id præsumeret, si nō prior ipse dixisset: Deus meus, Deus meus, ut qd dereliquisti me? Quasi quædam enim ibi derelictio fuit, ubi nulla fuit in tāta necessitate uirtutis exhibitio, nulla ostensio maiestatis. Habemus itaq; Christū ex patre nascentem, in patre cubantē, cum patre sedentem, à patre ambulantē, pro patre stantē, sub patre pendētē, sine patre quodammodo morientē. Serm. 5. de uerb. Esa. proph. Vidi Dominū sedentē, &c. Itē: Venit in angelis, accelerat in patriarchis, appropiat in prophetis, adest in carne, respicit in miraculis, alloquitur in Apostolis. Vel sic: Venit affectu & studio miserendi, accelerat subueniendi zelo, appropiat humiliando semetipsum, adest præsentibus, prospicit in futuros, loquitur docens & suadēs de regno Dei. Sic ergo est aduentus sponsi. Benedictiones & diuitiæ salutis cū eo, & uniuersa quæ de ipso sunt, affluunt delicijs, redūdantia certè iucundis ac salutaribus sacramentis. Serm. 57. super Cant.

DE MESSIA.

CHristus nuncupatur Hebraicè Messias, Græcè Christus, Latinè dicitur unctus: quia ipse plenariè solus sic unctus est, ut peculiariter ungere alios, & facere possit adoptionis filios: & à se, qui principaliter unctus est, unctos, id est, à Christo uocari faciat Christianos. Rupertus lib. 2. Cō. in Ioh. cap. 2. Et: Messias Hebraicè, Christus Græcè, unctus dicitur Latinè. Vnctus est autē regali pariter & sacerdotali gratiæ plenitudine, unctus præ consortibus suis, id est, præ cunctis filijs hominum. Idē lib. 4. in Iohan. cap. 5.

Lombardus ait: Erit hoc nomen, scilicet Christus, non personæ ipsius natura, sed unius, secundū ipsos, cōpositæ naturæ. Nos autē Christū nō unius cōpositæ naturę dogmatizamus, & hoc nomen, scilicet Christus, personæ dicimus nō monotropos, id est, uno modo dictum, sed duarū naturarū esse significatiuū, scilicet deitatis & humanitatis. Ex deitate autē & humanitate Deū perfectū & hominē perfectum, eundē & esse, & dici ex duab. & in duabus naturis, cōfitemur. Sic ergo dicitur aliud esse filius Dei, aliud filius hominis: quia alterius est substātiæ uel naturę, in quantū est filius Dei, & alterius in quantū est filius hominis: nō quòd ipse filius Dei & hominis sit duo illa diuersa, id est, duæ diuersæ naturæ. lib. 3. dist. 7.

Richardus: Absq; dubio una eadēq; ueritas corde cōcipitur, uerbo profertur, auditione addiscitur. Verbū esse habet ex solo corde, auditio autē ab utroq;. Quoniā ergo uerbū de solo corde procedit, & per ipsum cordis sagacitas innotescit, rectè à simili Dei filius Verbū dicitur, per quē paterna claritas manifestatur. In patre omnis ueritatis conceptio, in eius Verbo omnis ueritatis prolatio, in Spiritu sancto omnis ueritatis auditio, iuxta hoc quod in Euangelio legitur de ipso: Nō enim loquetur à semetipso: sed quæcunq; audiet, loquetur. Non igitur pater potest dici Verbum, qui nō est ab aliquo: sed nec Spiritus sanctus, qui nō est ab uno solo. Sed solus filius, qui est ab uno solo, à quo emanat omnis ueritatis manifestatio. lib. 6. de Trinit. cap. 12.

IESVS. Rupertus: IESVS Nazarenus saluator sanctus. Hoc nomē uerbū Deus extunc habuit, ex quo caro uel homo factus est: sed causa cur facto homini tale nomen impositū est, nō ex natura humana, sed ex diuina uirtute pendet. Vnde enim nos saluat, aut saluator noster est, nisi ex eo quòd nō homo tantùm, sed etiā Deus est? Quid Iudæi tribuūt Christo, uocātes eum Iesum Nazarenū? lib. 13. cap. 18. Com. in Iohā. Euāg.

Bernhardus inquit: IESVS interpretatur saluator. Quid tā necessariū perditis, quid tā optabile miseris, quid tam utile desperatis? Ser. 6. in uig. natal. Dom.

Saluator. Rupertus: Nomē saluatoris æquiuocū. dicti sunt saluatores, quia populū Dei, ne periret, saluarūt. lib. 3. Cō. in Apocal. cap. 4. Et: Ex hoc ipso nomine, quod est IESVS: ex ipsa causa nominis, quæ est saluare à peccatis, quod facere est solius Dei, Deus esse asseritur, Deus uerus esse cognoscitur. lib. 1. in Matth. cap. 1.

Rex. Rupertus: Christus rex, qui non ab hominibus fit, sed homines ad regnū suum colligit: nō reges de solijs suis eijcit, ut sedeat ipse pro illis, sed cupiditatē euertit, & charitatem construit in cordibus nostris. lib. 6. cap. 6. in Iohan. Euang.

Aurum. Bernhardus: Sed melius pallens aurū, quàm fulgens aurichalcū: & quod stultū est Dei, sapientius est hominibus. Aurū uerbū, aurū sapientia est. Hoc aurū semetipsum decolorauit, abscondēs formā Dei, & formā serui prætendēs. Ser. 62. super Cāt.

Cibus. Rupertus: Christus, ut cibo, per quē homo perijt, oppositū cibū daret, præcedente merito humanitatis & fidei, præcepto patris aduersus lignū scientiæ boni & mali,

mali,ipse fructus uitæ æternæ in ligno crucis pendêre uoluit, & per pasione mortis mortuorum simul & uiuorum cibus fieri, ut suo quiq; modo comederent eum, tam mortui quàm uiui.lib.6.cap.6.in Ioh.

Lignum uitæ.Rupertus : Christus lignũ uitæ est, cuius & in cœlesti paradiso uisione, & in præsenti Ecclesia corpore sanctæ reficiuntur animæ. lib.2. Com.in Apocal. cap.2.

Filius hominis.Rupertus:Quòd Christus filius hominis est,hoc naturę:cum Angelus dicatur,hoc officij est.lib. 6. Cõ. in Apocal. capite 10.

Pastor.Rupertus:Christus pastor bonus, nõ aliũde,quàm quia Deus est:& est pastor bonus,nõ ex accidenti dono, sed essentialiter bonus. lib.9.cap.10. Cõ.in Iohan. Et: Christus pastor, pascẽs populũ suũ,gregem hæreditatis suæ,pro quo mori dignatus,& quẽ acquisiuit sanguine suo,dũ ostenderet mirabilia, quæ per Apostolos & martyres eius facta sunt, innumerabilia. lib.3.cap.7. Com.in Micheam.

Quatuor insignia in Christo spectanda, Deus est & homo,rex atq; sacerdos. Christus interpretatur unctus, & prædicatur unctus rex, unctus sacerdos: rex & sacerdos, qui patribus suis iure successit, patri regi, patri sacerdoti:regi Dauid,Abrahę sacerdoti.Rupertus lib.1.Com.in Matth.cap.1.

Sacrificium Christus.Rupertus:Ipse non solùm sacrificiũ & sacrificij pontifex est, ue rũetiam & templũ, qui de umbraticis sacrificijs locutus plurima.lib.12.Cõ.in Ioh.cap. 16. Et:Sacerdos & hostia ipse Christus est, ipse uitulus,ipse aries,ipse est hircus,sed diuerso respectu.lib.11.Com.in Matth.cap.26.

De nomine quod datum Christo.Lombardus: Nec tantùm gloriam impassibilitatis & immortalitatis meruit:sed etiam meruit sibi donari nomẽ,quod est super omne nomen,scilicet honorificentiã,quod uocatur Deus: hoc tamẽ nomen ante mortẽ habuit. Habuit enim hoc nomen Dei filius, in quãtum Deus est, ab æterno per naturã: in quantũ uerò homo factus est,habuit ex tẽpore per gratiã.Veruntamẽ August.dicit, homini donatũ esse illud nomẽ,nõ Deo:qa illud nomen habuit,cum in forma Dei tantùm erat.Sed cũ dicitur, Propter quod illũ exaltauit, & donauit illi nomen,quod est super omne nomen : satis apparet,propter quid exaltauerit: id est, propter obediẽtiã, in qua forma exaltatus sit.In qua enim,forma crucifixus est, in ea exaltatus, & in ea donatũ est ei nomen,ut cum ipsa forma serui nominaretur unigenitus filius Dei : hoc illi donatũ est ut homini, quod iã habebat idem ipse Deus. Hoc ergo per gratiã accepit,ut ipse ens homo, uel subsistens in forma serui, id est in anima & carne,nominetur & sit Deus.Sed nunquid hoc tũc meruit?suprà enim dictũ est, quia hoc tantũ bonũ homo ille non meruit. Quomodo ergo hic dicitur: Propter obedientiã donatũ est ei hoc nomen? Secundum tropum illum in Scriptura celeberrimũ hoc capiẽdũ est,quo dicitur res fieri,quando innotescit.Post resurrectionem uerò,quod antè erat,in euidẽti positum est,ut scirent homines & dæmones.Manifestationẽ ergo illius nominis donauit ei Deus post resurrectionẽ:sed illã meruit per obedientiã passionis,qui eo quòd obediuit patiendo,exaltatus est resurgendo,& per hoc manifestatũ est nomen. Hoc eodem tropo usus est etiã Dominus post resurrectionẽ,dicens:Data est mihi omnis potestas in cœlo & terra.non quòd tũc primò acceperit:sed quã antè habebat,tũc manifestata est potestas.Cęterùm Ambr.dicit, nomen illud donatũ esse Deo, nõ homini: & uidetur secundũ uerborũ superficiẽ, oppositus Augustino:sed intelligẽtia non obuiat, licet diuersum sapiat. Nã Ambros. de naturali donatione id dictũ intelligit, qua æternaliter pater generando dedit filio nomen quod est super omne nomen,scilicet esse Deum per naturã:quia genuit ab æterno filiũ plenũ,& sibi æqualẽ Deũ. Quod tamen nomen Apostolus propter passionis obedientiã Christo donatũ dicit.Sed præmisso locutionis modo accipiendum est. lib.3.dist.18.

Et uocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius,Deus fortis,pater futuri seculi, princeps pacis.Admirabilis est in natiuitate,consiliarius in prædicatione,Deus in operatione,fortis in passione,pater futuri seculi in resurrectione,princeps pacis in perpetua beatitudine.Hæc etiam nomina possunt ei congruè assignari in opere nostræ salutis. Nam primò dicitur admirabilis in cõuersione nostræ uolũtatis, quæ mutatio est solius dexteræ excelsi. Postmodũ dicitur cõsiliarius in reuelatione suę uolũtatis, quando reuelat quid sequendũ sit iã cõuersis.Vnde Paulus conuersus dicebat:Domine,quid me uis facere ? Conuersi autẽ necesse est compungantur pro præteritis delictis,in quorũ remissione dicitur Deus,cuius tantùm est,peccata remittere. Hinc est quòd Saluatore nostro in terra remittente peccata,Iudæi dicũt eũ blasphemare,quasi qui assumeret sibi quod erat solius Dei. Quartò dicitur fortis.Iuxta sententiã enim Apostoli necesse est, ut omnes qui piè uolunt uiuere in Christo I E S V,persecutionẽ patiantur. Sed quis sustineret,nisi ille iuuaret?Vnde Dauid: Nisi quia Dominus adiu-

uit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Cum ergo nos in tribulatione protegit, cum ipsas aëreas potestates arcet à nobis ac repellit, quid aliud in hoc opere dici potest, nisi fortis? Vnde dictum est: Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Et quoniá ipsa conuersio & uita nostra in Christo agenda est non intuitu temporalium rerum, sed spe futurorum bonorum: ideo quinto loco ponitur, Pater futuri seculi. Pater scilicet in regeneratiōe corporum nostrorū. Quia uerò omnes quidē resurgemus, sed nō omnes immutabimur: ut discernat immutationē iustorū in iniquorū resurrectione, ponitur sexto loco, Princeps pacis. Qua obtēta, tota ꝑfectio impletur, nec iá ultrà aliud quicquá appetēdum relinquitur. Ipsa est enim in cuius exultatione cōcinit Psalmista, dicēs: Lauda Ierusalē Dominū. Bernhardus serm. 10. paruor. ser.

Emmanuel. Bernhardus: Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus. Noli fugere Adam, quia nobiscum Deus. Nobiscū carnis similitudine, nobiscum utilitate. Propter nos uenit tanquá unus ex nobis, similis nobis passibilis. ser. 2. de aduēt. Dō.

Filius hominis. Bernhardus. Quid est filius hominis, nisi nomen assumptæ carnis? In tract. de grad. humilit.

Angelus. Bernhardus: Aliter Christus ꝗppe fortitudo, uel uirtus Dei dicitur, aliter angelus. Angelus enim tantùm nuncupatiuè, Christus autē etiam substátiuè. Christus Dei uirtus & dicitur & est, quæ forti armato, qui suū atriū in pace custodire solebat, fortior superueniēs, ipsum suo brachio debellauit, & sic ei uasa captiuitatis potenter eripuit. Angelus uerò fortitudo Dei appellatus est, uel quòd huiuscemodi meruerit ꝑrogatiuá officij, quo eiusdē nunciaret aduētū uirtutis: uel quia Virginē natura pauidá, simplicē, uerecundá, de miraculi nouitate ne expauesceret, cōfortare deberet. Hom. 1. de laudib. B. Virg.

Dominus. Bernhardus: Hoc est, inquit, nomen quod uocabūt eū, Dominus iustus noster. Nomē potentiæ est. Itē: Et uocabitur nomē eius Emmanuel. Pietatē insinuat. Itē ipse de se: Vos uocatis me, ait, Magister & Domine. Primum gratiæ est, secundū maiestatis. Nō enim minus piū est, docere animū scientiá, quàm præbere escam corpori. Rursum Propheta: Vocabitur, inquit, nomē eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Primum, tertiū, quartū maiestatē sonat, reliqua pietatē. Quod horū ergo effunditur? Profectò maiestatis ac potentiæ nomē, in id quod est pietatis & gratię, quodámodo transfunditur, ipsumq́; effunditur abūdè per IESVM Christū saluatorē nostrū. Nomen (uerbi causa) quod Deus est, nónne in id quod est Nobiscū Deus, hoc est, in Emmanuel liquescit & deficit? Sic admirabilis, in id quod est consiliarius: sic Deus & fortis, in ea quę sunt pater futuri seculi, & princeps pacis. Et Dominus iustus noster, misericors & miserator Dominus. Nō dico nouū quid: quōdá quoque nihilominus Abrá in Abrahá, Sarai in Sará effusa sunt, & iá salutiferæ effusionis celebratum præfiguratumq́; mysterium recordamur. Vbi iá illud, qđ apud antiquos tá terribiliter quàm frequenter intonare solebat, Ego Dominus, ego Dominus? Mihi dictatur oratio, cuius principium nomine dulci paterno sequentium obtinēdarū petitionū præbet fiduciá. Serm. 15. super Cant.

Omniū Dominus. Bernhardus: Qui enim descendit, ipse est qui & ascendit hodierna die super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Iá enim, cū se Dominū uniuersorū quæ sunt in terra, & in mari, & in inferno, ꝓbasset: nō restabat, nisi ut aëris & cœlorū se esse Dominū argumentis similibus, uel certè potioribus approbaret. Terra enim cognouit Dominū, quia ad uocē uirtutis eius, cū clamasset magna uoce, Lazare ueni foras: mortuū reddidit. Cognouit mare, quia solidū se præbuit sub pedib. eius, ita ut Apostoli eū putarēt phantasma esse. Cognouit infernus, cuius ipse portas æreas & uectes ferreos cōfregit, ubi & ligauit illū insatiabilē homicidá, qui uocatur Diabolus & Satanas. Profectò qui mortuos suscitauit, leprosos mūdauit, cęcos illuminauit, claudos firmauit, & omnes exsufflauit infirmitates, Dominus omniū fuit. & eadē manu qua fecerat, quę defecerāt reficiebat. Sic & qui in ore piscis cū ipso pisce staterē inueniri præ dixit, patet proculdubio, quia maris, & omniū quæ in mari mouentur, Dominus fuit. Qui uerò traduxit aëreas potestates, & affixit eas cruci suæ, claret, quia super infernales officinas potestatē accepit. Ser. 2. in die ascens. Dom.

Dulcis Christus. Bernhardus: Ipse enim IESVS, ꝗ dulcis est in uoce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere, dulcior apparebit in Deitatis uisione. Verè dulcis in uoce, de cuius ore lac & mel ꝓcedit: diffusa est enim gratia in labijs suis. Verè dulcis in facie: speciosus enim est nō solùm pręfilijs hominū, sed etiá præ millibus angelorum. Verè dulcis est in nomine: dulce enim nomen & suaue IESVS, consecratū ab æterno, nunciatū ab angelo, prophetatū Salomonis oraculo, qui ait: Oleū effusum nomē tuū. Nō aūt aliud nomē est, in quo saluari oporteat. Ipse enim salus est, ꝗ saluū faciet populū suū à peccatis eorū. Dulcis in opere, in celebra-

celebratis miraculis,in peccatorib. cõuersis,in sacraméto pretiosę mortis,qđ humanę blanditur infirmitati. In hoc enim charitas præfulsit, pietas magis emicuit, gratia plus radiauit.Cęterùm lógè dulcior erit in Deitatis uisione, quãdo manifestabit seipsum,residens super soliũ prę omnib.excelsum.Tũc satiabitur desideriũ nostrũ, quod Propheta desiderans,aiebat:Tibi dixit cor meũ,exquisiuit te facies mea,faciẽ tuã Domine requirã. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid uolui sup terrã?Et alibi: Adimplebis me læticia cũ uultu tuo.Vnde preciosior dicitur faciei uisio, q̃ speculi frequẽs imaginatio.In alio serm.de Cœna Domini.

IESVS quis.Iohannes Salisberiensis:Iesum,qui præfigurabatur, indubitanter esse filium Dei uiui, hominem uerum,iudicem omnium,regem ęternum,remuneratorem sperantium in se,autorem uitæ,æternę beatitudinis ex gratia largitorem.lib.2.de Curial.nugis,cap.15.

Messias est prædictus.Bernhardus: Qui uerò pręsciebãt, ipsi & prædicebãt Christũ in carne uenturũ,& cũ ipso pacẽ.Vnde quidam eorũ:Et pax erit, inquit, in terra nostra,cũ uenerit.Imò per ipsum Dei gratiam homines recuperaturos,cũ omni fiducia,sicut diuinitùs acceperãt,prædicabãt. Quod & præcursor Domini Iohannes suo tẽpore impletũ agnouit & perhibuit: Gratia, inquiens, & ueritas per IESVM Christũ facta est.& ita uerũ esse, omnis nũc Christianus populus experitur.Serm.2.super Cant.

Messiã exhibitũ esse, Petrus Alphonsus dicit:Plura sunt profectò à Moyse,quę eum uenisse patenter ostẽdunt.Nam & tẽpus,in quo eũ prædixerũt uenturũ esse prophetę, quod & trãsactũ est, & in eo ipso nouimus aduenisse:& præter id alia multa,quæ in ipso & uerbis eius agnouimus, atq; operibus,ut prædictũ est a prophetis. in Dial.tit. 9. Item:Legimus sanè,quia Iacob filijs suis loquẽs,& singulis ad se uocatis benedicẽs,ait:Non auferetur sceptrum de Iuda,& dux de femore eius,donec ueniat qui mittẽdus est: & ad eũ cõgregabuntur gentes. Hãc aũt prophetiã aliter nõ exponã, quàm exposuerint uestri doctores antiqui.Dixerũt namq; & ipsi:Non auferetur sceptrum, id est,uirga regni de Iuda:& dux de femore,id est, de filijs filiorũ eius in secula: donec ueniat qui mittendus est, id est, Christus,cuius est regnũ:& ad ipsum congregabũtur gentes. Et nos quidẽ nouimus, quia postquã uenit Christus, neq; rex neq; dux de Iuda fuit ulterius. Credere itaq; debemus,ꝙ hîc tẽpus Christi aduẽtus determinatũ fuit, & ꝙ is qui tẽpore illo uenit, sine dubitationis scrupulo Christus extiterit.Itẽ in libro Danielis de tẽpore Christi aduẽtus sic est angelus cũ Daniele locutus: Septuaginta hebdomades cõstitutæ sunt sup populũ tuũ.Ibid. Item:Dicit Dominus ad Moysen, Prophetã suscitabo eis de medio fratrũ suorũ,similem tui: quasi diceret,Ille quẽ suscitabo, de ipsorũ erit progenie Iudæorũ,sed & tui similis erit:hoc est,sicut tu legẽ dedisti, ita & ipse dabit.quod etiã per hoc notatur,ꝙ Prophetã singulariter & per excellentiã posuit.Nisi enim & ipse legem daturus esset,Prophetas sanè,nõ,Prophetã suscitabo, dixisset. Prophetas quippe plures suscitauit Deus,qui annũciauerũt uerba eius:sed nullus eorũ legẽ dedit ad similitudinẽ Moysi, nisi Christus. Et ponam uerba mea in ore eius:quod est, quia uocis meæ impetũ nequeũt tolerare, ꝑ ipsum loquar eis sub carnis uelamine.Loqueturq; ad eos omnia quę pręcepero illi. Ac si apertè diceret:Pręter id qđ uolã & præcipiã,nihil omnino dicet. Qui aũt uerba eius, q̃ loquetur in nomine meo,audire noluerit, ego ultor existã:id est,qui ꝑceptis eius parêre renuerit,nõ occidetur, nec alio modo carnaliter punietur: sed ego ipse iuxta placitũ meum misericorditer uindicabo in ipsum.Cũ igiturChristus & de Iudęorũ natus ꝓgenie,& tãquã Moyses legislator extiterit,& uerbũ Dei sub eius carnis uelamine latuerit, nihilq; aliud q̃ pręcepit Deus pater, ipse docuerit,ipso attestãte in Euãgelio, & dicẽte: Sermonẽ quẽ audistis,nõ est meus,sed eius qui misit me, patris. cũ & ipse nullũ occidi uel corporaliter puniri uoluerit,sed misericordiã ꝑ omnia ꝑdicauerit:ꝑfectò nihil obstat,quin tota de ipso ꝓphetia dicta fuerit. tit.9. Itẽ:Ipse nãq; & Dei seruus,& electus fuit eius,in quo cõplacuit sibi Deus.Et hoc quidẽ de eo dictũ est secũdũ corpus.Quod aũt sequitur,Dedi spiritũ meũ sup eũ:secũdũ animã est prolatũ. Iudiciũ, id est legẽ, gentib.profert.Christus quippe legẽ,q̃ clausa erat & operta,& inter Iudęos tantũ,ꝓtulit,id est,enucleauit,patefecit,& medullam elicuit,ad hoc ut gẽtes illã possent accipere. Sequitur:Nõ clamabit,nec exaltabitur, nec audietur foris uox eius.Et nos scimus, quia Christus nõ clamosus, nõ arrogãs,nõ inanis glorię appetitor fuit,imò sup omnia humilitatẽ dilexit. Calamũ quassatũ nõ cõteret, & linũ fumigans nõ extinguet. Videmus sanè ꝙ calamus quassatus leuiter potest ꝑfringi:linũ aũt fumigãs,id est,linũ cõbustũ,sed tñ adhuc tantũ retinẽs fumi,id est ignis,ꝑfacillimè potest extingui. Sed quid ꝑ calamũ quassatũ, uel linũ penè extinctũ, melius q̃ peccatoris fragilitas,q cõquassat', & penè in peccato est extinctus,potest intelligi? Calamũ aũt quassatum Christus nõ

contriuit,& linum fumigans non extinxit: quia peccatores penè mortuos in peccatis, occidi nõ pręcepit,sed misericorditer tolerauit,& ad pœnitentiã reuocauit: quod & in cõsequentib.designauit propheta,cũ addidit:In ueritate educet iudicium. Veritas quippe & iusticia idẽ est.In lege uerò Moysi iudiciũ erat & præceptũ,peccatorẽ occidi.Christus aũt ad ueritatẽ & iusticiã iudiciũ adduxit, quãdo peccatores nõ occidi, sed quod iustius est,donec pœniterẽt sustineri præcepit,cũ dixit: Nolo mortẽ peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Non deficiet aut effugiet, donec ponat in terra iudiciũ. Mortẽ sanè Christi uoluit ꝓpheta notari per defectũ,per effugium uerò ascẽsum eius in cœlum,ac si diceret, Nõ morietur,aut de terra recedet, id est in cœlum ascendet, donec mittat legem in terra.Et Christus quidem antequam secundũ carnem obiret, aut ad patrem in cœlum ascenderet,iudicium in terra posuit, quando legem,id est,Euangelium nobis dedit. Ideo autem nequaquam Nõ morietur, sed Non deficiet dixit, quia mors Christi non reuera mors,sed quasi transitus quidam & defectus fuit.Qui enim moritur homo,amplius iam nõ uiuit. Christus aũt die tertia resurrexit,& iam in æternũ uiuit. Et legẽ eius insulę expectabũt. Per insulas gentes accipimus.Legẽ aũt Christi gentes expectarũt,quia nõ ab ipso,sed à discipulis eius, id est,ab Apostolis eã acceperũt.Neq; enim ipse,imò Apostoli gẽtib.pręd icauerũt. Ibid.

Samuel inquit:Timeo,Domine mi,quòd Christus iam uenit,& iam impleuit primũ aduentum suum: quia in scripturis nostris inuenimus duplicẽ eius aduẽtum. Primus aduentus Christi describitur in prophetis in paupertate & humilitate:secũdus in gloria & maiestate.Et de utroq; aduentu proponã illa quæ mihi occurrũt.De primo aduentu dicit Deus per os Zachariæ: Lætare filia Syon,ecce præceptor tuus uenit pauper,equitans asinum. Et in isto aduẽtu describit eũ Esaias despectum, Daniel occisum,Zacharias & Amos uenditum: & tamen iam fuerunt completa quæ in libello descripsi & describam. Non reputauimus eum,id est,nõ cognouimus eum,sicut dixit Esaias propheta: sed despeximus eum, & præualuimus contra eum. Sed gloria eius & maiestas eius erit manifesta in secundo eius aduentu,quando ignis & flamma pręcedet eum, & exardescet, & inflammabit in circuitu inimicos eius: sicut dicit Deus per os prophetarum Dauid & Esaiæ.Parastas.cap.9.

Quòd Iesus sit Mesias. Rupertus ait: Quòd filius Dei uiui uerè Christus sit, ex eo maximè claruit,quòd resurrexità mortuis.lib.4.Com.in Apocal.cap.7.

Christum habere Spiritum sanctũ. Rupertus:Itaq; non sine magno pondere dictũ est, Accepisti uirtutẽ tuã: quia quod fideliter credimus,uirtutẽ siue spiritũ,quem in natura humanitatis dono accepit,eandẽ uirtutem,eundem spiritũ,prius quàm mundus fieret,unus idemq; Dei filius in natura diuinitatis substantialem sibi habuit. lib.6. Com.in Apocal. cap.11. Et: Spiritus sanctus Christo non ad mensuram datus est, sed totus in ipso est,totus in ipso manet cũ omnibus donis suis,sicut corporalis species columbæ tota in eũ descendit cum omnibus membris suis.non quòd tunc Spiritus S. in illo esse uel manere cœperit: sed quòd in eo esset, quòd in eo maneret, tali specie demonstrauit.lib.6.de Glorif. Trin. & proces.Spiritus sancti,cap.3.

Exiliũ Christi.Rupertus:Oportuit Christũ in Aegyptũ fugere, & illic peregrinari, peccatũ nec originale habentẽ,propter qđ exul in hoc mundo esse deberet, ut sumus nos omnes: nec actuale,ꝓpter quod in illa Aegypto peregrinaretur, ut peregrinatus est propter domesticum peccatũ populus ille,de quo ipse secundũ carnem natus est, qui primus eam, quæ ad Abrahã facta est, promissionem, primus persecutionẽ pertulit.lib.2.Com.in Matth.cap.2.

De hebdomadibus Petrus Alphonsus:In primis igitur sciendum est, quia hebdomades istæ,annorum sunt hebdomades.Cum igitur ait:Septuaginta hebdomades cõstitutę sunt super populũ tuũ,& super urbem sanctuarij tui,ut cõsummetur pręuaricatio, & finẽ accipiat peccatũ, & deleatur iniquitas,& adducatur iusticia seculorũ, & impleatur uisio & prophetię,& ungatur Sanctus sanctorũ:cũ illud (inquã) ait, annotari uoluit,quia septies 70,id est,490 anni erãt cõstituti ab eiusdẽ anno ꝓphetię usq; ad destructionẽ Hierusalẽ & tẽpli,quę à Tito Romanorũ Imperatore fuit facta: cuius tempore destructionis iam Christus uenerat, qui & iusticia seculorũ, & sanctorũ sanctus erat,per quẽ etiam peccatũ omne & iniquitas est deleta,& prophetia omnis impleta. Cætera autem quæ sequuntur, omnia ad horum 490 annorũ diuisionẽ & determinationẽ sunt posita.Per hoc ergo quòd est ab exitu sermonis,ut iterũ ædificetur Hierusalẽ, usq; ad Christũ ducẽ hebdomades septẽ:innuitur,q̃ à die ꝓphetiæ usq; ad Cyrũ ducẽ Persarũ,qui ab ipso Deo per Esaiã Christus est appellatus, fuerunt septẽ annorum hebdomades,id est,49 anni: cuius Cyri pręcepto cœpit Hierusalẽ reædificari. In cuius reędificatiõe,& postquã cõsummatum

tum est opus,usq; ad aduentum Titi super Hierusalé 434 anni fuerũt.& hoc est quod dicit:Hebdomades 62,id est,434 anni erũt, & rursus reædificabitur platea , & muri in angustia temporum : & post hebdomades septem occidetur Christus , quod est post hebdomades 70. & postquam occidetur Christus,ciuitatem & sanctuariũ dissipabit populus,scilicet Romanus,cum duce uenturo,id est,cũ Tito: & finis eius uastitas, & post finé belli statuta desolatio. Quod auté sequitur, Confirmabit pactũ multis hebdomada una : illa profectò hebdomada una septé sunt anni obsidionis. Septé enim annis obsessa est ciuitas ab exercitu Romanorũ,& infra illos septé annos adeò coacti fuerũt intus & afflicti, quòd non haberent unde sacrificiũ facere possent.& hoc est q̃d ait: In dimidio hebdomadis (id est, infra hebdomadem) deficiet hostia & sacrificiũ, & in téplo erit abominatio desolationis. Quod etiã additur, Vsq; ad consummationé & finé perseuerabit desolatio : insinuat, quòd captiuitas & desolatio illa fine foret caritura. Septé ergo hebdomades usq; ad Cyrum , & sexagintaduæ hebdomades à Cyro usq; ad Titum , & hebdomada obsidionis una, profectò septuaginta sunt hebdomades. titul.9.

De officio Messiæ inquit Petrus Alphõsus: Filius meus, qué in mundũ, ut carné accipiat, sum missurus, ad me uacuus nõ redibit, quin prius quàm redeat, quæcunq; uolam efficiat:hoc est, sicut disposui , carnem assumat, flagelletur, moriatur, de inferno suos eripiat, ac resurgat, & legé, quæ clausa, minus intelligentibus aperiat. tit.9.

Docet. Rupertus : Christus testis fidelis, quod testificatus est, prius uidit & audiuit: & pòst in hoc natus est, & ad hoc uenit in mundum, ut testimonium perhiberet ueritati. In Apocal.cap.1.

Christus illuminat. Berengosius: Sciendũ est, quia licet uno modo illuminemur ab alio, & alio ab isto, utrũq; tamen sperare debemus à Christo: quoniã ipse, à quo unũ lumen habemus téporaliter, cũ patre & Spiritu aliud habet æternaliter. Sicut enim in tribus personis secundum naturam diuinitatis unum est numen, ita in illis non tria lumina, sed unum est lumen. De Myster. ligni Dominici.

Hildebertus: Christum luminis autorem esse, & corde credimus, & ore confitemur. epistol.16.

Bernhardus ait : Ideo quippe unigenitus Dei, sol iusticiæ, tanquã imméſi & præclari luminis cereus, in huius mundi carcere illuminatus est & accésus, ut omnes qui illuminari uoluerint, ad illũ accedant, illiq; iungantur, ut nihil medium inter illos sit & ipsum. Serm. in uigil. natal. Dom.

Saluat. Bernhardus: Is autem noster IESVS & à peccatis saluat populum suũ, & introducit in terrã uiuentium. Serm.4. de B. Virgine. Item : Non possunt perire, pro quibus filius rogat ne pereant, pro quibus pater tradidit filium in mortem , ut uiuant. ibidem. Respirate perditi, uenit IESVS & quærere & saluũ facere quod perierat. Morbidi cõualescite, uenit Christus, qui contritos corde sanat unctione misericordiæ suæ. Exultate quicunq; estis grandia concupiscentes, descendit ad uos filius Dei, ut regni sui faciat cohæredes. Ita obsecro, sana me Domine, & sanabor: saluũ me fac, & saluus ero: glorifica, & ero gloriosus. Sic népe benedicet anima mea Dominũ, & omnia quę intra me sunt nomini sancto eius, cum propitiatus fueris omnibus iniquitatibus meis, sanaueris omnes infirmitates meas, repleueris in bonis desiderium meum. Ser.1. in uigil. natal. Dom. Et: A' natura propria habet, ut sit Saluator: innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana uel angelica creatura. Serm. 2. in die Circum. Dom.

Petrus Cluniacẽsis ait: De ipso enim Saluatore, ad qué singulariter pertinebat, ut eius uita uel mors saluti uiuentium & mortuorum impenderetur, nullus fidelium dubitare permittitur. lib.1. Epist.

Pellit diabolum. Rupertus: Filius hominis Deus uerax , cuius præsentiam tremũt & ferre non possunt dæmonum legiones, & solius eius nutu torti atq; exire compulsi sunt maligni spiritus. lib. 7. Comment. in Matth. cap.8.

Mediator est. Bernhardus: Magnus planè mediator est, etiam in ijs omnibus quæ ad pacem sunt, non perfunctoriè, sed efficaciter quærens. Item : Quid non apud talẽ patrem filius talis obtineat? Exaudietur utiq; pro reuerentia sua: pater enim diligit filium. An uerò trepidas & ad ipsum ? Frater tuus est, & caro tua, tentatus per omnia absq; peccato, ut misericors fieret. Serm. in natiuit. Mariæ.

Lõbardus: Christus ergo dicitur mediator, eo quòd medius inter Deũ & homines, ipsos recõciliat Deo. Recõciliat aũt, dũ offendicula hominũ tollit ab oculis Dei : id est, dũ peccata delet, quib. Deus offendebatur, & nos inimici eius eramus. Sed cũ peccata deleat non solus filius , sed & pater & Spiritus S. quorũ deletio est nostra ad Deũ reconciliatio, quare solus filius dicitur mediator? Nã de patre legitur, q. recõciliauerit sibi mundũ. Ait enim Apostolus: Deᵒ enim erat in Christo, mundum sibi reconcilians.

Cum

Cum ergo reconciliet, quare non dicitur mediator? Quia nec medius est inter Deũ & homines, nec in se habuit illa sacramenta, quorum fide & imitatione iustificamur, id est, reconciliamur Deo. Reconciliauit ergo nos tota trinitas uirtutis usu, scilicet dum peccata delet: sed filius solus impletione obedientiæ, in quo patrata sunt secundum humanam naturam ea, per quæ credentes & imitantes iustificantur. libro 3. dist. 19.

Satisfactio Christus. Bernhardus: Mors ergo à morte, uita ab errore, à peccato gratia liberauit. Et quidẽ mors p iusticiã suã peregit uictoriã: quia iustus exoluẽdo quæ nõ rapuit, iure omnino q̃ amiserat accepit. Vita uerò quod ad se pertinuit, per sapientiã adimpleuit, quæ nobis uitæ & disciplinæ documentũ ac speculũ extitit. Porrò gratia ex illa (ut dictũ est) potestate peccata dimisit, qua omnia quæcũq; uoluit, fecit. Mors itaq; Christi, mors est meę mortis: quia ille mortuus est, ut ego uiuerẽ. quo pacto enim iam nõ uiuat, p quo moritur uita? Aut quis iam in uita morũ seu rerũ noticia errare timebit, duce sapiẽtia? Aut unde iam reus tenebitur, quẽ absoluit iusticia? Vitã quidẽ seipse phibet in Euãgelio: Ego sum, inquiẽs, uita. Porrò duo sequẽtia testatur Apostolus, dicẽs: Qui factus est nobis iusticia & sapientia à Deo patre. cap. 11. ad milites templi.

Sustulit peccata. Lombardus: Peccata quoq; nostra, id est, pœnã peccatorũ nostrorũ dicitur in corpore suo super lignũ portasse: quia per ipsius pœnã, quã in cruce tulit, omnis pœna tẽporalis, quę pro peccato cõuersis debetur, in baptismo penitùs relaxatur, ut nulla à baptizato exigatur: & in pœnitentia minoratur. lib. 3. dist. 19.

Homines redemit. Rupertus: Quare nõ dicatur &, Vita erat lux pariter angelorum & hominũ: quia nõ angelis, sed solis hominib. Euangeliũ scribitur: nec enim propter angelos, sed propter homines tantùm uenit Christus. lib. 1. Com. in Iohan. cap. 1.

Quis redẽptor & quomodo. Petrus Alphonsus: Sicut per agnũ illũ de manu angeli, qui occidebat corpora, seruati sunt fideles Domini: ita & per Christũ credentes in se de diabolo, qui animas damnabat, erant redimendi. tit. 12.

Honorius: Genus humanũ per Adam in miseriã lapsum, per Christũ ad gloriã reparatũ est. in Psal. 1. Itẽ: Christus patris filius, in forma serui apparuit, ut nos de seruitute liberaret, & in libertatẽ glorię filiorũ reuocaret. in Psal. 17. Itẽ: Deus pater nõ habuit nisi filiũ, noluit eũ habere hæredẽ solũ, misit eum pro transfugo seruo in exilium, ut ei reuerso cum filio daret regni palatium, in Spec. Eccles. serm. de nat. Dom.

Rupertus ait: Hoc unũ nostræ saluti erat necessariũ, ut Deus, qui dilexit mundũ, non legatũ mitteret: sed filiũ suũ daret unigenitum, qui diuina potẽtia faceret, quod neq; legatus, neq; angelus facere posset: id est, humanã subtilitate diuinitatis suę penetraret animã, totãq; sibimet in unã eãdẽq; personã cõiungeret uel uniret hominis naturã, quã & pro debito Adę dignũ preciũ, utpote quouis angelo longè & incõparabiliter preciosiorẽ, æterno patri offerret. lib. 3. Com. in Ioh. cap. 3. Et: Filius eodẽ tempore quo mũdo innotuit, salutẽ nostrã cœpit facere simul & perfecit. ibid. lib. 5. cap. 5. Itẽ: Redemptio hominis, cuius ministerium pater filio dedit, propriũ opus est eiusdẽ filij Dei: solus quippe filius in persona sua incarnatus, uel homo factus est: solus pro redẽptione hominis passus & mortuus est, & resurrexit: cooperante tamẽ utraq; persona, patris & Spiritus sancti. Nam & pater illum de secretis suis misit in uterum uirginis, & de Spiritu sancto, id est, de operatione Spiritus sancti, eadẽ illũ uirgo concepit. ibidẽ. Item: Opus incarnationis, natiuitatis, miraculorũ, passionis, resurrectionis, ascensionis, effusionis Spiritus sancti, omnia Christus perfecit, & abscondi non possunt. Ibidem. Et: Per solius agni occisionem facta est hominum redemptio, atque angelicorum ordinum instauratio: sola enim filij persona passa est. Natura uerò uel substantia creaturarum omnium, dicente patre per Verbum, id est, per eundem filium condita est. libro 4. Comment. in Apocal. capite 5. Et: Redemit te Dominus de manu inimicorum tuorum, descẽdit illius & Dominus Dei filius, liberator & redemptor tuus, propter nos homo factus, & passus, crucifixus, mortus & sepultus, & deinde suscitatus à mortuis, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo: hoc modo redemit nos de manu inimicorum nostrorum, scilicet malignorum spirituum, precium dando pro nobis sanguinem suum, ut nihil iuris in nos per originale peccatum habeãt. lib. 2. Com. in Mich. cap. 4.

Bernhardus inquit: Ecce agnus sine macula, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Quis enim peccata melius tolleret, quàm is, in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lauare me potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto detergat oculum meum, quæ sola sine puluere est. Iste mihi festucam educat de oculo, qui non habet trabem in suo: imò iste trabem educat de meo, qui nec exiguum puluerem habet in suo.

suo.Ser.4.in uigil.natal.Dom. Et:In his tribus,timore,pietate & sciētia,mediator noster recōciliauit homines. Nam in consilio & fortitudine de manu aduersarij liberauit.Cōsilio siquidē pristino iure priuauit hostē,data potestate,ut manus iniiceret innocenti. Fortitudine præualuit, ne uiolenter posset retineri redēptor, dū uictor ab inferis rediijt,& uita omniū cū eo surrexit. Exinde cibat nos pane uitæ & intellectus, & potat aqua sapientiæ salutaris. Serm.3. in annunc.B.Mariæ. Et:Propter nimiā quidem charitatem suā,qua dilexit nos Deus, ut seruum redimeret,nec pater filio,nec sibi filius ipse pepercit.Ibidē ser.4. Et:Pater, ut seruum redimat,filio nō parcit,filius seipsum libentissimè tradit, Spiritū sanctum uterq; mittit: & ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Serm. 2. in festo Pentecost. Et: Ipse enim est, per quē reconciliati pacē habemus ad Deum. Ipse qui pacificauit in sanguine suo quæ in cœlis sunt,& quę super terrā,mediator Dei & hominū,homo Christus IESVS. Serm. 1. in festo omn.Sanct.

Lombardus inquit:A' qua pœna? tēporali & æterna. Ab æterna quidē relaxando debitum.A' tēporali uerò penitùs nos liberabit in futuro,quādo nouissima mors inimica destruetur. Adhuc enim expectamus redemptionē corporis:secundū animas uerò iam redēpti sumus ex parte,nō ex toto: à culpa,nō à pœna,nec omnino à culpa.Nō enim ab ea sic redēpti sumus,ut non sit,sed ut nō dominetur.lib.3.dist.19. Item: Christus ergo est sacerdos,idēq; hostia & preciū nostrę recōciliationis, qui sic in ara crucis nō diabolo,sed Deo trinitati obtulit ꝓ omnibus,quantū ad precij sufficientiā:sed pro electis tantùm, quantū ad efficaciam:quia prædestinatis tantùm salutē effecit.Ibidem dist.20. Et:Vnde & ipse uerè dicitur mundi redemptor, & Dei hominūq; mediator. Sed mediator in Scriptura dicitur solus filius:redemptor uerò aliquando etiā pater uel Spiritus sanctus.Sed hoc propter usum potestatis, nō ꝓpter exhibitionē humilitatis & obedientiæ.Nam secundū potestatis simul & obediētiæ usum, filius propriè dicitur redemptor: quia in se expleuit, per quæ iustificati sumus, & ipsam iustificationē est operatus potentia Deitatis cū patre & Spiritu sancto.Est ergo redēptor,in quātum est Deus,potestatis usu:in quantū homo, humilitatis effectu. Et sæpius dicitur redēptor secūdū humanitatē: quia secundum eā & in ea suscepit & impleuit illa sacramenta,quę sunt causę nostræ redēptionis. Propriè ergo filius dicitur redemptor. Ibidem dist.19.

Richardus inquit: Sine satisfactione homo ad plenū reparari nō potuit.Ad plenitudinem aūt satisfactionis oportuit,ut tanta esset humiliatio in expiatiōe, quāta fuerat pręsumptio in præuaricatione. Rationalis aūt substātiæ Deus tenet summū,homo uerò imū.Quādo ergo homo pręsumpsit contra Deū, facta est elatio de imo ad summū. Oportuit ergo ut ad expiationis remediū fieret humiliatio de summo ad imum. Sed hoc omnino non potuit, nisi aliqua in trinitate persona. Item,si homo per creaturā potius quàm per creatorē recuperare posset & recuperaret iusticiā,& mediante iusticia futurę beatitudinis gloriā,nónne decæterò cōtra excellentiā primæ dignitatis magis obnoxius esset creaturę quàm creatori,facturę quàm factori? Nam plus est ꝑfectò iustificari & beari,quàm creari.Ad plenam itaq; hominis restaurationem omnino non sufficeret persona, quæ Deus non esset.Sed nihilominus constat, quia quantum ad rationem iusticiæ,ad hominem nihil attineret quid quæuis persona faceret, quæ homo non esset. Quis autem non uideat,æquum & plenum iuris esse,& omnino rationabile, ut satisfaciat filius pro patre,frater pro fratre, si ille non potest, si iste ad hæc idoneus non est? Hominis ergo redemptio hominem exigebat,qui pro conditionis debito propriæ naturæ meritò subueniret. Item,homo per inobedientiam debitum mortis incurrit,& ad eiusdē debiti expiationem obediendo indebitam mortem pro debita soluere oportuit. Sed hoc omnino nō potuit,nisi homo mortalis & iustus, & qui mortis sententiæ in nullo esset obnoxius. Vt itaq; humani redemptoris persona ad debiti satisfactionē idonea foret,oportuit ut esset uerus Deus, qui ad hoc sufficeret: ut esset uerus homo, qui pro iure necessitudinis meritò exolueret.Et quomodo quæso uerus & perfectus inter Deum & hominē mediator esset, qui cum alterutro cōmune aliquid non haberet? Econtrà uerò nulla mediatio ualidior, nulla firmior esse posset, quàm quæ fieret per illū,qui utriusq; naturæ particeps esset. lib.de Incarnatione uerbi, cap.8.

Petrus Blesensis ait:Sic reatus, quem Adam delectatione per superbiā ligni cōtraxerat, mortis amaritudine per humilitatē sublatus est:fusoq; sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa sunt deleta.Alium siquidem redemptionis modum poterat Dominus procurasse,sed hic nostrę benignitati salutiq; cōgruētior apparebat. Cū enim homo iuxta suę pręuaricatiōis exigentiā captus à diabolo teneretur,postulabat iusticia,ut nō eriperetur ꝑ uiolētiā: sed

quī

qui per superbiã lapsus est, sua, si posset: sed si sua nõ poterat, aliena saltem humilitate resurgeret. Ita Christus innocẽs, quẽ agnus Paschalis designauerat, & in lege pro nobis hostiã obtulit salutarem. Cum lex Mosi caprã uel ouẽ constituisset preciũ ac redẽptionẽ hominis à peccato: Christus, per quẽ gratia & ueritas facta est, attendẽs umbratiles legis ceremonias, nõ sufficere ad salutẽ hominis ouis & uituli sanguinẽ, & mortem suam pro nostra salute obtulit, & sic semel introiuit sancta sanctorum summus & uerus pontifex, æterna redemptione inuenta. Aperuit itaq; librum, & soluit signacula eius leo de tribu Iuda: & quod hostiæ legales minimè potuerunt, gladium amouit uersatilem: & paradisi, qui omnibus antiquis clausus fuerat, reserauit ingressum. Epist. 83.

Petrus Cantor inquit: Vnde & opera trinitatis de redemptione nostra attribuũtur & approprianntur Spiritui sancto. Christus enim cõceptus est de Spiritu sancto, & huiusmodi. cap. 77. Item: Sufficiẽs fuit hostia & redemptio humani generis. Sufficit unico sacerdoti semel passum, semel in die repræsentare immolatum. cap. 24.

Cur homines, & non angeli redempti. Lõbardus: Præterea angelica natura, quoniã non tota perierat, sed ex parte perstiterat, non est redempta: humana uerò tota perierat, & ideo ne penitùs repentè perderetur, ex parte est redempta, ut inde ruina suppleretur angelica. lib. 2. dist. 21.

Misericordia redempti sumus. Rupertus: Mandatũ patris, uera & immẽsa patris charitas, quam habet circa salutem generis humani, subire mortem filium, & non se defendere fecit. lib. 11. cap. 14.

Dilectione. Petrus Cantor: Cõsummatissima fuit dilectio patris, qua dilexit nos ante mundi constitutionem, qua nec pepercit filio suo, sed pro nobis omnib. tradidit illum. cap. 77. de Verbo abbreuiato.

De beneficijs inquit Petrus Alphonsus: Christus oculos cæcorum aperuit, cum infidelium corda patefecit: & depulsa umbra legis, lumen ostendit. De conclusione uinctum eduxit: quia in se credentes de captiuitate omni usq; hodie liberat & emittit. Eduxit etiam de domo carceris sedẽtes in tenebris: quia eos qui in tenebroso carcere tenebantur inferni, descendens ad inferos ipse extraxit. Gloriam & laudem suã alteri quàm Christo Dominus non dedit: quia deitatem suam nulli alij homini unquam counivit, aut laudem tantam attribuit. in Dialog. tit. 9.

Honorius: Christus est pax uera, qui morte sua pacificat cœlestia & terrestria, in quo est trãquillitas & requies æterna. in Psal. 4.

Rupertus ait: IESVS Christus fecit, quod facere Moyses non potuit: qua de causa solus est electus de tot millibus, qui gratiam & ueritatem inter Deum & homines restituit: id est, inimicitias soluit, pacemq; reformauit. lib. 1. Com. in Iohan. cap. 1. Et: Christus de seruis peccati fecit filios Dei, de filijs iræ filios gratiæ, de ignotis & aduenis genus regale & sacerdotale. lib. 2. Com. in Apocal. cap. 2. Et: Dominus noster nõ ab hominibus charitatem accipere, sed hominibus charitatem dare uolebat: non hominibus placere, sed homines ad placendum Deo erudire uenerat. In Iohan. Euang. lib. 7. cap. 7. Et: Talis dilectio Dei cœpta erga suos, qui propter originale peccatũ eiecti de paradiso peregrinabantur in hoc mundo, ut de cœlo ad terram descenderit propter nos: & qui erat Deus inuisibilis in sinu patris, homo uisibilis de uentre fœmineo factus fuerit. Ibidem lib. 11. cap. 13. Et: Ad hoc in mundum uenit Christus filius Dei, & ad hoc glorificato illo datus est Spiritus sanctus, ut legi, quæ infirmabatur, solida substitueretur Euangelij gratia, in quo adimpleretur lex. lib. 3. in Exod. cap. 20. Et: Christus sol iusticiæ, sol uerus & æternus, qui in ista die, in isto tempore mundum uniuersum illuminauit: & cœpit iste dies luminis, quando uisitauit nos Oriens ex alto. lib. 4. Com. in prophetam Amos, cap. 8. Et: Homo innocens Christus, qui nullum peccatum omnino fecit, agnus uerus absq; macula, quem nec originale, nec aliquod actuale peccatum offuscat, liberos nos ab illo mortis præposito & principe tenebrarum, transire fecit in illam, quam in primo parente perdidimus, patriam lucis, & ueram terram repromissionis. lib. 1. Com. in Iohan. cap. 1.

Bernhardus inquit: Nam & faciles sumus ad seducendum, & debiles ad operãdum, & fragiles ad resistendum. Si discernere uolumus inter bonum & malum, decipimur: si tentamus facere bonum, deficimus: si conamur resistere malo, deijcimur & superamur. Necessarius proinde Saluatoris aduẽtus, necessaria sic præoccupatis hominib. pręsentia Christi. Atq; utinam sic ueniat, ut copiosissima dignatione sua & in nobis per fidem habitans illuminet cæcitatem nostram, & nobiscum manens adiuuet infirmitatem nostram, & pro nobis stãs fragilitatem nostram protegat & propugnet. Si enim ille in nobis, quis iam decipiet nos? Si ille nobiscum, quid decætero non possumus in eo qui confortat nos? Si ille pro nobis, quis contra nos? Fidelis consiliarius est, qui neq; falli omnino, nec fallere

fallere queat: fortis auxiliarius, qui nõ lassescat: patronus efficax, qui & ipsum sathanam sub pedibus nostris uelociter conterat, & omnia eius machinamenta confringat. Nimirũ ipse est Dei sapiẽtia, cui semper in promptu sit instruere ignorãtes: ipse Dei uirtus, cui facilè sit & deficientes reficere, & eripere periclitantes. Ad hunc ergo tantum eruditorẽ, fratres mei, in omni deliberatione curramus, hunc tam strenuũ adiutorẽ in omni operatione inuocemus, huic tam fido propugnatori in omni colluctatione committamus animas nostras: qui ad hoc ipsum uenit in mundũ, ut habitans in hominibus, cũ hominibus, pro hominibus, & tenebras nostras illuminaret, labores leuaret, & pericula propulsaret. Ser. 7. de aduent. Dom. Et: Bona & desiderabilis umbra sub alis IESV, ubi tutũ est fugientib. refugiũ, gratũ fessis refrigeriũ. Miserere mei Domine IESV, miserere mei, quoniam in te cõfidit anima mea: & in umbra alarũ tuarũ sperabo, donec transeat iniquitas. Homil. 2. de B. Virg. Item: Venit quippe qui proijciat in profundũ maris omnia peccata nostra, qui sanet omnes infirmitates nostras, qui nos proprijs humeris ad propriæ dignitatis reportet originem. Serm. 3. in uigil. natal. Dom. Et: Duo sunt quę timet humana fragilitas, pudor & dolor. Vtrumq; Christus tollere uenit: unde & utrũq; suscepit, quando (ut cætera sileam) morte, & morte turpissima cõdemnatus est ab iniquis. Ibidẽ serm. 4. Et: Si quæris quid attulit: primò omnium attulit misericordiam, secundum quã, teste Apostolo, saluos nos fecit. Neq; enim his tantùm profuit, quos tunc præsens inuenit: sed fons est, qui nunquam poterit exhauriri. Fons nobis est Christus Dominus, unde lauemur, sicut scriptum est: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris. Veruntamen non iste solus aquarũ est usus, nec tantùm sordes abluunt, sed & sitim extinguunt. Beatus uerò, ait sapiens, qui in sapientia morabitur, & qui in iusticia meditabitur. Et post pauca: Aqua, inquit, sapientiæ salutaris potabit illum. Ser. 1. in natal. Dom. Et: Suscipiens enim humanę naturæ corpus simul & animam, nõ modò semel Consolamini, sed (ut suprà quoq; memini) Cõsolamini, consolamini, dicit Dominus Deus uester: ut uidelicet certi simus, quòd utrũq; sit saluaturus, qui neutrũ suscipere est dedignatus. Ibidẽ ser. 5. Et: Per eum scilicet in immortalitatem resurgeremus, qui per præsentis seculi patrẽ generamur ad mortẽ. Serm. 2. de circũcis. Dom. Et: Vix pro iusto quis moritur: tu pro impio passus es, moriens propter delicta nostra, qui uenisti iustificare gratis peccatores, seruos facere fratres, captiuos cohęredes, exules reges. Serm. in feria 4. hebdomadæ pœnosæ, de pass. Dom. Et: Illius siquidẽ exinanitio, facta est repletio nostra: illius miserię, mũdi deliciæ sunt. Deniq; cũ diues esset, propter nos pauper factus est, ut nos eius inopia ditaremur. Sed & crucis ignominia, credentiũ facta est gloria. Serm. 2. de ass. B. Mariæ. Item: Et prius quidẽ te cũ cæteris & inter cætera creauit, non sine magna prærogatiua dignitatis. Dixit enim de omnibus, & facta sunt. Post hæc uehemẽtissimo tui amore inflãmata maiestas illa, redemit te. Nũquid uerbi facilitate? Non. Sed triginta annis operatus est salutẽ tuã in medio terræ, affixus cruci, addictus morti, ludibrijs deputatus. Deus tuus factus est frater tuus, non angelorũ frater: quia nusquã angelos apprehẽdit, sed semen Abrahæ apprehendit. Cõmune quidem habes quòd factus es, quòd frater es speciale. Adiecit adhuc erga nos specialius quoddam, quòd de lata nos & spaciosa uia, quæ ducit ad mortẽ, digito suo traxit, & posuit in cõcilio iustorũ & cõgregatione. Quid ultrà debuit facere, & nõ fecit? Cuius uel saxeũ pectus tanta & talia, à tãto & tali collata beneficiorum multitudo nõ emolliat? Quicquid igitur es, quicquid potes, debes creãti, redimẽti, uocanti. Serm. 2. de uerb. Apost. Nõ est regnũ Dei, &c. Itẽ: Vis scire, quæ & quib. debeas? primò Christo IESV debes omnẽ uitam tuã, quia ipse uitã suam posuit pro uita tua: & cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Quid tibi dirũ uel durũ esse poterit, cũ recordatus fueris, quia ille in forma Dei, in die æternitatis suæ, in splendorib. sanctorũ ante luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Dei, uenit ad carcerẽ tuũ, ad limum tuũ, infixus (ut dicitur) usq; ad cubitos in limo profundi? Quid nõ suaue tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, & rememoraberis primùm quidẽ illarũ infantiliũ necessitatum, deinde laborũ quos pertulit in prædicãdo, fatigationũ in discurrendo, tentationũ in ieiunãdo, uigiliarũ in orãdo, lachrymarũ in cõpatiendo, insidiarũ in colloquẽdo: postremò periculorũ in falsis fratribus, conuiciorũ, sputorũ, colaphorum, flagellorũ, irrisionũ, subsannationũ, exprobrationum, clauorũ, horũq; similiũ, quæ in salutem nostri generis triginta & trib. annis operatus & passus est in medio terræ? O' q̃ indebita miseratio, quàm gratuita & sic ꝓbata dilectio, quàm inopinata dignatio, q̃ stupẽda dulcedo, quàm inuicta mansuetudo, regẽ gloriæ ꝓ despicatissimo uernaculo, imò uermiculo crucifigi? Quis audiuit unquã tale, aut quis uidit huic simile? Vix

enim pro iusto quis moritur:ipse ꝓ iniustis & inimicis mortuus est,eligēs exulare à cœlis,ut nos reportaret ad cœlos,amicus dulcis,cōsiliarius prudēs,adiutor fortis. Serm. de quadruplici debito. Itē: Filius Dei apparuit, ut nos adiuuaret & erudiret: qđ potest,quia est uirtus patris & sapiētia. Virtus adiuuat,sapiētia erudit & informat.Infirmitati auxiliū est necessariū. Cæcitas eruditione indiget & doctrina.Erudiuit sanè,faciens abnegare impietatē & secularia desideria,ut sobriè & iustè & piè uiuamus. Ser.11. paruor.ser. Itē:Certus quoq; nihilominus es(ut arbitror)uacuo nequaquā nomine appellari IESVM,eū qui in te talia ualuit & uoluit operari,nec uacuè subsecutū fuisse baculū quē præmiserat.Nō uenit uacuè, quia nō uenit uacuus. Nā quomodo uacuus, in quo habitauit plenitudo? Neq; enim ei datus est ad mēsurā Spirit⁹. Deniq; & uenit in plenitudine tēporis, plenū proinde uenire se indicans.Bene plenū,quē unxit pater oleo lætitiæ præ cōsortib.suis. Vnxit & misit plenū gratiæ & ueritatis.Vnxit,ut ungeret.Omnes ab eo uncti sunt, qui de plenitudine eius meruerunt accipere. Ideo ait: Spiritus Domini sup me,eo quòd unxerit me,ad annunciandū māsuetis misit me, ut mederer cōtritis corde,ut prædicarē captiuis indulgentiā,& clausis apertionē,ut prędicarē annum placabilē Domino.Veniebat (ut audis)ungere cōtritiones nostras,ac lenire dolores.Ideoq; uenit unctus,uenit māsuetus & mitis,& multæ misericordiæ omnib.inuocantibus se. Sciebat se ad infirmos descēdere,exhibuitq; qualem oportuit. Et quoniam multæ erant infirmitates, multa quoq; ꝓuidus medicus medicamina curauit adferre.Attulit spiritū sapientię & intellectus,spiritū consilij & fortitudinis,spiritū sciētiæ & pietatis,& spiritū timoris Domini. Vides quot phialas plenas odoramētis cœlestis medicus pręparauit ad sanāda uulnera illius miseri, qui incidit in latrones? Ser.16.sup Cātica. Et:In carnis assumptione cōdescendit mihi, in culpę uitatione cōsuluit sibi, in mortis susceptione satisfecit patri,amicus dulcis,cōsiliarius prudēs, adiutor fortis.Huic securus me credo, qui saluare me uelit,nouerit,possit.Quē quęsiuit, hūc & uocauit ꝑ gratiā suā: nūquid uenientē eijciet foras?Sed nec uim nec fraudē metuo,ꝑfectò ullā,q̄ me uidelicet de manu eius possit eruere,qui & uincentē omnia uicit mortē,& seductorē uniuersitatis serpentē arte utiq; sanctiore delusit, isto prudētior,illa potētior.Carnis quidē assumit ueritatē,sed peccati similitudinē:dulcē ꝓrsus in illa exhibēs cōsolationē infirmo, & in hac prudēter abscōdēs laqueū deceptionis diabolo.Porrò,ut patri nos reconciliet, mortē fortiter subit & subigit,fundēs preciū nostrę redēptiōis sanguinē suū. Ergo nisi amasset dulciter,nō me in carcere reqsisset illa maiestas.Sed iunxit affectioni sapientiā,qua tyrannū deciperet:iunxit & patientiā,qua placaret offensum Deū patrē.Ser.20.sup Cant. Itē: Verùm quia hæc omnia,ubi abscesserit uerbū,perinde ac si ollæ bulliēti subtraxeris ignē,quodā illico lāguore torpētia & frigida iacere incipiūt,atq; hoc mihi signū abscessionis eius: tristis sit necesse est anima mea,donec iterū reuertatur, & solito recalescat cor meū intra me,idq; sit reuersionis indiciū.Ser.74.sup.Cant. Itē:Igitur intrās ad me aliquotiēs Verbū spōsus, nullis unquā introitū suū indicijs innotescere fecit, nō uoce,nō specie,nō incessu,nullis deniq; suis motib.cōpertū est mihi,nullis meis sensib.illapsum penetralib.meis:tantū ex motu cordis(sicut præfatus sum)intellexi pręsentiā eius,& ex fuga uitiorū carnaliūq; cōpressione affectuū aduerti potentiā uirtutis eius, & ex discussione siue redargutione occultorū meorū admiratus sum ꝓfunditatē sapiētię eius,& ex quantulacunq; emēdatione morū meorū expertus sum bonitatē māsuetudinis eius, & ex renouatione ac reformatione spiritus mētis meæ, id est, interioris hominis mei,percepi utcūq; speciē decoris eius,& ex cōtuitu horū omniū simul expaui multitudinē magnitudinis eius.Ibidē. Et:Primùm quidē, q̄ peccato redacti in nihilū,ꝑ hoc quodāmodo iteratò creati sumus, ut simus initiū aliquod creaturæ eius.Deinde q̄ ex uetusta seruitute in libertatē filiorū Dei trāslati,in nouitate spiritus ambulātes. Postremò, q̄ de potestate tenebrarum uocati ad regnū claritatis æternæ, in quo iam & considēre nos fecit in Christo.De Consid.lib.5.

Petrus Cluniacēsis:Sed uerè cōtulit multa,uerè dedit multa humanæ naturæ,susceptæ à filio suo:qua mediāte proiectus à facie Dei,eiectus de paradiso Dei, factus de seruo pessimus hostis Dei,Deo rursum redditus & cōiunctus est homo. Vnctus est igitur à Deo patre Deus Christus, in quātum homo est, oleo nō illo quo apud uos olim reges ungebantur, sed oleo lætitiæ, oleo gratiæ,qua & homo ille à Deo assumptus, eadem assumptione deificatus est,& mundus totus Deo reconciliatus est, glorificatus & saluatus.lib.2.cont.Iudæos,cap.2.

DE PASSIONE IESV CHRISTI.

Petrus Alphōsus ait: Bene quidē se tueri & seruare,si uoluisset,potuit:sed hoc spōte sua ob suorū salutē pertulit,licet carni,quæ de mūdo erat,nō placuit. Verbū enim Dei carnē ob aliud nequaquā ceperat, nisi ut

quo

eos qui in se crediderant, & credituros, de diaboli captiuitate liberaret. In Dial. tit. 9.

Samuel inquit: Singillatim clarè primum Christi describit aduentũ, quantum ad passioné & deiectioné, capite quinquagesimo & 53. per totum. cap. 10. Parast.

Rupertus inquit: Deũ per Michaelé, uel Gabrielé, siue p aliqué principatuũ ac potestatuũ, thronorũ aut dominationũ, diabolũ potuisse debellare? Respõsio: Humanũ genus nõ p aliquá creaturá, quáuis fortissimá, potuisse à diabolo liberari, nisi per solũ unigenitũ filiũ Dei. lib. 3. Com. in Ioh. cap. 2.

Bernhardus ait: Omnia quę de Saluatore legimus, medicamina sunt animarũ nostrarum. Serm. 3. in octaua Paschæ.

Quòd passus. Rupertus: Quàm bonus idé unigenitus, qui cum in forma Dei esset, ꝑpter nos accepit formam serui: atq; post gloriá claritatis, quá habuit apud Deũ priusquá mundus fieret, saturatus est opprobrijs. dás percutienti maxillá: & factus est obediés usq; ad mortem, morté aũt crucis, & qui misit, & qui missus est Dominus exercituum. lib. 1. Com. in Zachar. cap. 2.

Bernhardus inquit: Non interroges homo, ea quę pateris, sed quæ passus est ille. Quáti te fecit ex his, quæ ꝑ te factus est, agnosce, ut appareat tibi benignitas eius ex humanitate. Quáto enim minoré se fecit in humanitate, táto maioré exhibuit in bonitate: & quáto ꝑ me uilior, táto mihi charior est. Ser. 1. in Epiph. Dom. Et: Quia enim uerá humanæ carnis & animæ substantiá suscepit, ueram utriusq; naturam, nec corporis illi defuerunt, nec animę passiones: sed ex hoc iam glorificatus est in utroq;. Serm. de uerb. Origen.

Causa Passionis. Rupertus: Vnus & solus Dominus noster IESVS Christus maledictus à Deo fuit: quia maledicta, id est, peccata omnium nostrûm super se tulit, & hoc à Deo. Dominus enim posuit in eo iniquitates omniũ nostrũm, ideo talium maledictionem. Peccatum nostrum est, peccatum nõ est à Deo. lib. 1. Com. in Iohan. cap. 1.

Bernhardus ait: O' suauitaté, ô gratiam, ô amoris uim. Ita'ne summus omniũ unus factus est omniũ? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potés, suasu efficax. Quid uiolétius? Triumphat de Deo amor. Quid tamé tam nõ uiolentũ? Amor est. Quę est ista uis quęso, tam uioléta ad uictoriá, tam uicta ad uiolentiá? Deniq; semetipsum exinaniuit, ut scias amoris fuisse, ꝙ plenitudo effusa est, quòd altitudo adæquata est, quòd singularitas associata est. Serm. 64. super Cant.

Volũtate passus. Bernhardus: In nostra siquidé uita, multa (quátũ in nobis est) uidemur agere casu, multa necessitate: sed Christus Dei uirtus, & Dei sapiétia, neutri potuit subiacere. Quę enim Dei uirtuté necessitas cogeret, aut quid ageret Dei sapiétia casu? Omnia ꝑinde quęcũq; locutus est, quęcũq; operatus est, quęcũq; passus est, ne dubites fuisse uoluntaria, plena sacramentorũ, plena salutis. Serm. 4. in ascens. Dom. Item: Cũ in forma Dei esset, Deo ęqualis, semetipsum exinaniuit, formá serui accipiés: quòd diues cũ esset, ꝑpter nos egenus factus est, de magno paruus, de celso humilis, infirmus de potente: quòd esurijt, quòd sitijt, quòd fatigatus est in itinere, & cętera quæ passus est uoluntate, non necessitate. Ad milites Templi, cap. 11.

De historia passionis sic scribit Petrus Alphõsus: Ná sicut agnus ille die mẽsis decima tolli præceptus est, & usq; in quartádecimá cõseruari: sic & die mẽsis decima, die scilicet lunæ, de obseruãdo Christo cõsiliũ acceperũt doctores uestri. Die siquidé Dominica præcedenti Hierusalé, ut ibi Phase celebraret, Christus uenit, qué cũ lætitia & pompa magna & honore plebs tota suscepit: unde doctorũ inuidia ac maleuolentia maior creuit, & de ipso obseruãdo atq; occidẽdo die crastina alter cũ altero consiliũ cepit. Illud aũt consiliũ usq; in quartamdecimá dié tectũ & celatũ fuit. Et sicut agnus ille masculus esse, ac iuuenis esse pręceptus est, ac sine infirmitate omni: ita Christus & masculus, & iuuenis, & omni infirmitate, id est, peccato carens fuit. Quòd aũt hostia illa de oue uel capra accipi præcepta est, & nõ de uacca (licet de animalib. illis uacca sit, de quib. fieri sacrificiũ in lege præceptũ fuit) ꝑpter hoc factũ est, quòd ouis uel capra, cũ capitur, nõ repugnat, sicut uacca facit: & signum etiá fuit, ꝙ Christus cũ captus est, non restitit, nec se ut posset defendit. Quòd uerò ab omni multitudine filiorum Israel iussus est immolari, cũ singulariter de uno pręceptũ sit (licet nõ oés unum, sed unusquisq; per domos & familias suum immolarit) designauit, ꝙ omnis Iudęorũ multitudo Christum occidit. Licet enim nõ omnis affuit, omnis tamé assensum prębuit. Quia uerò die quartadecima, & inter duo uespera, uidẽdum est, quæ sint duo diei uespera. Et unum quidé est, cum sol à medio cœli puncto descendere incipit: alterum uerò, cum ante nocté ex toto occidit. Et Christus & die quartadecima, & inter duo diei eiusdé uespera, id est, hora nona, ut uos ipsi creditis, expirauit. Possunt auté & per duo uespera duæ uestræ captiuitates intelligi, Babylonis uidelicet atq; Titi. Et Christus inter duo uespera obijt, quia & post Babylonicá, & ante captiuitaté Titi. Ná & quòd

sanguis agni super utrunq; postem & super liminaria domorũ, in signũ scilicet crucis poni præceptus est, sanguinẽ designauit Christi, qui super crucẽ effusus est. Et sicut sanguis illius agni, ut diximus, de morte corporis custodiuit fideles Domini: ita & fideles suos de interitu animę sanguis redemit IESV Christi. Sicut etiã sanguis ille domũ nullam, nisi illas in quib. comedebatur, cõseruauit, unde & in illis tantùm præceptus est poni: ita & sanguis Christi, qui super crucem effusus est, nullum saluat, nisi in quo agnus Dei comeditur: illum uidelicet, qui eiusdẽ corpus comedit Christi. Præterea quemadmodum agnus nocte iussus est mãducari: sic & Christus nocturno tempore captus fuit, ne à populo liberari posset, aut defendi. Quemadmodũ etiã nec crudus, nec aqua coctus, sed assus igni: ita & Christus nec sine iudicio, nec tamen iusto iudicio, sed iniusto cõdemnatus fuit, sicut nec omnino cruda, nec bene cocta est caro assa igni. Sed & ob eandem causam festinanter, & cum pane azymo præceptus est manducari. Sicut enim panis azymus nequaquam donec fermentetur massa, expectatur fieri, imò festinanter fit: ita & in Christo nullam rectitudinem expectarunt iudicij, imò festinanter condemnatus fuit. Per amaras uerò herbas, cum quibus præceptus est agnus ille comedi, designatur, ꝙ ex illa damnatione iniusta, calamitas & amaritudo uenit. Quòd autem & totus cum capite & pedibus & intestinis mãdatus est coqui, & post comestionem os illius non confringi: insinuat, quòd nec in occisione membrum Christi aliquod cæsum est, imò suspensus cum omnibus membris fuit: nec post occisionẽ os aliquod eius cõputruit, aut quamlibet aliã dissolutionẽ sustinuit, imò totus & integer resurrexit. In Dial. tit. 12. Item: Die quidẽ Lunę consiliũ inierunt Iudæi, quomodo Christus posset condemnari: die autem Mercurij datum fuit argentum pro traditione Christi: die autem Veneris affixus est cruci. Ibidem.

Honorius ait: Quare me dereliquisti in manus inimicorum? Hæc uerba uidẽtur sonare, quòd Christus inuitus passus sit. Sed sciendum quòd Christus secundum naturam impassibilis fuit, mortem autẽ & passionem nostri causa libera uolũtate subijt: quia aliter homo Deo reconciliari non potuit, nisi ita causa iusticiæ dolorem mortis spontè subiret: sicut causa iniusticię in mortem incidit. Christus autem Deus & homo fuit, & secundum hoc quòd homo est, humano more pro hominibus loquitur: secundum autem hoc quòd Deus est, hominibus miseretur. In Psal. 21.

Typi passionis. Petrus Alphonsus: Agnus nempe ille Aegypti atq; ritus sui, figura & similitudo fuerunt agni Dei, qui immolandus erat, id est Christi. Sicut enim per agnũ illum de manu angeli, qui corpora occidebat, seruati sunt fideles Domini: ita & per Christum credentes in se de diabolo, qui animas damnabat, erant redimendi: & fuit agnus quasi annuncians illum, qui uenturus erat post se. In Dial. tit. 12.

Sabbatũ figuram esse passionis Dominicæ, his uerbis Petrus Alphonsus indicat: Aduentus Christi, qui omnia opera sua, quę in mundo uiuens patrauit, sexto die, id est, die Veneris compleuit, quando pro nobis mortem suscepit. Die autẽ septimo, id est, die Sabbati requieuit: quin & omnes, qui ante mortem suam in se credentes obierant, secũ ab inferni doloribus requiescere fecit. Cõpleto autem illo, cuius obseruatio sabbati signum fuit, iam illud ultrà obseruari necesse nõ fuit. In Dial. tit. 12. Item: Eadẽ sanè ratione diem Dominicã debemus nos celebrare propter resurrectionem Christi, quæ, sicut diximus, & credulitatis fuit causa, & saluationis præcipuæ. Ibid.

Hugo de S. Victore inquit: Columna, quæ filios Israel præcedebat, Christũ significat: quia sicut columna præcedebat populum pergentem ad terrã promissionis: sic Christus factus obediens usq; ad mortem, præcedit populum Christianum exemplo passionis suæ, tendentem ad patriam uitæ cœlestis. lib. 3. Allegor. cap. 2.

De redẽptione ꝑ Christũ sic scribit Petrus Alphõsus: Præter hoc etiã peccatũ illud, qđ & corpus occuparat & animã, rationabiliter deleri non poterat, nisi ꝑ sacrificiũ, qđ & corpus haberet & animã. tit. 10. Itẽ: Cũ igitur illud per sacrificiũ tale redimi uoluit, quare illud sacrificium de propheta aliquo uel quolibet alio uiro sancto fieri non potuit, quin potius Verbum suum carnem suscipere, ac mortẽ subire permisit? Ibidẽ.

Passionẽ Domini esse prædictã. Rupertus: Per Scripturas planè inuenitur, oportuisse Christũ pati, mori, sepeliri, ac resurgere à mortuis. lib. 14. Cõ. in Ioh. Euãg. cap. 20.

De crucifixorib. Christi inquit Petrus Alphonsus: Cũ illũ quẽ Christũ dicitis, pro redẽptione humana uolũtate spõtanea occubuisse asseratis, cur eius interfectores condẽnatis: & cũ tantùm uoluntatẽ eius complessent, peccati reos astruitis? Pet. Si ea utiq; intentione fecissent, scilicet ut uolũtatẽ eius cõplerent, & ipsius morte de diaboli potestate exituros fore se crederẽt, nullũ ꝑculdubio peccatũ incurrerẽt. Quia uerò eũ negauerũt, & ex inuidia occiderũt: ideo & tãti huius sceleris rei sunt, & nec in præ-

senti seculo,nec in futuro miseriá ac tribulationē exibūt, quamdiu in hac sua nequitia permanebunt. Quòd aūt & rei & meritò sint cōdemnati, per simile ostendá tibi, & tu etiá ipse rectū esse iudicabis. Mo.Ego sanè cum audiero, si rectū est,rectum iudicabo. Pet.Habebat igitur homo quidá nauim uná,& erat uoluntas eius cōburere illá,ut & clauos seorsim haberet, & sibi de lignis carbonē faceret. Hoc aūt eo cogitáte, quidá inimicus eius noctu ad nauē uenit, & nescius uoluntatis huius, odio eam cōbussit.Manè autem facto,homo prędictus, ut uolebat,clauos quidē nauis suę in parte una,in alia uerò carbonē inuenit.Itē aliud: Erat domus quædá lapidea uiro cuidá,quá cum destruere uellet,ut de lapidibus aliud quoddá ædificiū faceret,forte quidá hostis eius ita die quadá deiecit, quòd nec super lapidem lapis remāsit: & hoc nō pro illius, quá nesciebat,uolūtate cōplenda, sed per odiū fecit.Vir aūt prędictus, cū ad domum suá die altera uenisset,quod facere cogitabat & uolebat, effectū reperit. Cum uerò nec ille qui nauim combussit, nec ille qui domum deiecit, pro uoluntate hostis sui complenda, sed ex odio inuidiaq; fecerit, quid de eis iudicabis? Mo.Ego sanè & eos reos esse iudico, & puniendos.Pet.Eadem ergo ratiōe rei sunt atq; iudicādi, qui Christū nō ꝑ eius uolūtate cōpléda, sed odij occiderūt inuidiæq; ueneno.In Dial.tit.10.

Quos hostes Christus superarit. Bernhardus:Duo sunt tibi hostes,peccatū & mors, id est, mors corporis & animæ. Vtrūq; debellaturus aduenit,& ab utroq; saluabit te: noli timere.Et iam quidem peccatū in propria persona uicit, quádo humaná naturá sine ulla contagione suscepit. Grandis enim peccato facta est uiolentia, & reuerà expugnatū esse cognoscitur,quando natura, quam se totam infecisse & occupasse gloriabatur,ab eo penitùs aliena in Christo inuenta est. Dehinc persequitur inimicos tuos, & comprehendit eos, nec conuertitur donec deficiant. Contra peccatū dimicans in conuersatione sua,uerbis pariter & exemplis oppugnat:sed in passione sua alligat illud, alligat planè fortem, & diripit uasa eius. Iam uerò eodem ordine mortē quoq; superat prius in seipso, cum resurgit primitiæ dormientiū & primogenitus mortuorū: postmodū debellaturus eá pariter in omnibus nobis, quando uidelicet suscitabit mortalia corpora nostra, & destruetur nouissima inimica mors.Serm.1.in die natal.Dom.

Pro quibus passus.Bernhardus:Sic ergo Christus secundū tempus quidem pro impijs mortuus est,secundum prædestinationem autē pro fratribus & amicis. Serm.10. de 9.uers. Psal.Qui habitat,&c.

De sensu passionis. Lombardus: Quia nonnulli de sensu in passione humanitatis Christi malè sensisse inueniuntur,asserentes, similitudinē atq; imaginē passionis & doloris Christū hominē pertulisse, sed nullum omnino dolorē uel passionē sensisse: authoritatū testimonijs eos conuincētes, indubitabile faciamus qđ suprà diximus. Propheta Esaias dicit: Verè languores nostros ipse tulit,& dolores nostros ipse portauit. Et Veritas ipsa in Euangelio dicit:Tristis est anima mea usq; ad mortē. ubi etiá legitur: Cœpit Iesus pauere & tædere. li.3. dist.15. Itē:Habuit enim Christus uerū timorē & tristitiá in natura hominis:sed non sicut nos, qui sumus mēbra eius.Nos enim causa peccati nostri his defectib.necessariò subiacemus, & in nobis sunt isti defectus secūdū ꝓpassionē & passionē:sed in Christo nō nisi secūdū propassionē. Sicut enim in peccatis gradus quidá notátur propassio & passio,ita & in pœnalibus affectibus. Afficitur enim quis interdum timore uel tristicia, ita ut mentis intellectus non inde moueatur à rectitudine uel Dei contemplatione: & tunc propassio est. Aliquando uerò mouetur & turbatur: & tunc passio est. Christus uerò non fuit ita turbatus in anima timore uel tristicia, ut à rectitudine uel à Dei contēplatione aliquatenus declinaret:secundū quem modū intelligitur, cū dicitur timuisse,uel tristis fuisse.Ibidem.

In passione quę spectáda.Bernhardus:In hac igitur passione,fratres, tria specialiter cōuenit intueri,opus, modū,causam. Nam in opere quidē patientia,in modo humilitas,in causa charitas cōmendatur. Serm.3 feriæ hebdomadę pœnosę,de pass. Christi.

Christus se offert.Rupertus: Ille Sanctus sanctorū,qui solus erat idoneus ferre pœnitentiá pro peccatis omniū electorū, aduentū eius ab origine mundi expectantiū, hac uoce publica uocatus, accessit palàm ad cœleste sanctuariū,in conspectu Dei patris & sanctorū angelorum: ubi eodē spiritu in columbæ specie super se sedente, designatur pontifex, quo dudū in Mariá superueniēte,idē sanctus & immaculatus homo cōceptus est,nō aliá habiturus quam offerret hostiá,nisi carnem propriá.lib.2.Cō.in Ioh.

De morte Christi inquit Bernhardus: Mors Christi opus est sine exēplo, humilitas sine modo, donū sine precio, & gratia sine merito.Hanc ꝓpter nos subire uoluit, quia peccata nostra super lignū sustinuit in cruce sua:scilicet pœna peccatorū, cuius liuore sanati sumus.Serm.de Cœna Dom.

Lombardus:In morte separata est anima

à carne, unde uerè dicitur Christus mortuus: sed neutrũ separatũ est à Verbo Dei. lib. 3. dist. 21. Itē: Recedente uerò anima, mortua est Christi caro: & quia caro mortua est, mortuus est Christus. Sicut enim mortuus dicitur Deus, quando mortuus est homo: ita mortuus homo dicitur, quãdo mortua est caro. Separatio animæ, mors carnis fuit. Propter carnē ergo unitã Verbo, quæ mortua est, dicitur Deus mortuus: & propter carnem & animam, quę utraq; dolorē sensit, dicitur Deus passus, cũ diuinitas omnis doloris exors existeret. Ibidē. Item: Dicimus ergo, in morte Christi Deum uerè suisse hominē, & tamē mortuũ. Et hominem quidē nec mortalē, nec immortalē: quia unitus erat animę & carni seiũctis. Alia enim ratione dicitur Deus homo, uel homo Deus, quàm Martinus uel Iohannes. Homo enim dicitur Deus, & econuersò, propter susceptionem hominis, id est, animæ & carnis. Ibidem dist. 22.

De corpore Christi post mortem ait Petrus Alphonsus: Cum igitur Christi corpus post resurrectionem leuissimum & subtilissimum fuerit, quippe cum in morte omnē ponderositatē & spissitudinē amiserit, cuius rei argumētũ est, q ulterius nec cibo nec potu indiguit: cũ (inquã) tale fuerit, & spiritum, id est, animam secum habuerit, & præterea deitatē, quæ omnibus carnis spiritibus, Moyse attestãte, dominatur & pręcellit, nunquid non in cœlum cum placuit ascendere potuit? In Dial. tit. 11.

Tres dies mortis. Rupertus: Mirabilis ille saluatricis gratiæ cursus, ut triduo triũ temporũ seculi peccata deleret: omnes qui ante legē fuerant, omnes qui sub lege erant, cunctos qui sub gratia uenturi erant, una Christi morte pariter solueret, pro singulis temporibus singulos dies eiusdem mortis appendens. lib. 7. de Diuin. offic. cap. 14.

Descēdit ad inferos. Rupertus: Christi anima descendit ad inferos, cũctas per potentiã insitæ sibi diuinitatis liberatura electorũ animas: eius corpus nõ phibita sibi sepultura positũ est in terra, daturũ corporib. mortuorũ, ut de sepulchris exiliãt in resurrectione futura. lib. 6. Com. in Apocal. ca. 6.

Bernhardus: Semel illò descendit, non sanguis, sed anima: & hæc portio eorũ qui in carcere erant, una illa uisitatio quę tunc facta est per præsentiam animæ, cum corpus penderet exanime super terrã. Sanguis aridam rigauit, sanguis infudit terrã, & inebriauit eam, sanguis quæ in terra & quæ in cœlis sunt pacificauit: non autem & quę apud inferos, nisi quòd semel illò, ut dixi, anima eius excurrit, & fecit ex parte redemptionem, ne uel eo momenti uacarēt opera charitatis: sed ultrà non adijciet. Serm. 75. super Cantica.

Passus carne. Rupertus: Christus unde de tribu Iuda est & ex semine Dauid, non inde Deus est, atq; inde mortem uicit, aut resurgere potuit: sed inde homo est, & inde tanquam agnus mori uel occidi potuit. Christus sic non est radix Dauid, quomodo non radicem uitis portat, sed uitem radix. Itaq; secundum diuinitatem dictũ est, Est radix Dauid: quia uidelicet, sicut radix uitem aut palmitem, ita patrem suæ carnis Dauidem portat Christus secundum suam diuinitatē. lib. 4. Com. in Apocal. ca. 5. Et: Dei filius secundũ naturam, qua Deus est, mori non potuit: sed ea immortali atque impassibili permanente, secundum naturã hominis, quam assumpsit, inter uepres, id est, inter scelera Iudæorum, clauis hærens ad cornua crucis, uerè passus, uerè mortuus, & uerè sepultus est. lib. 6. in Gen. cap. 30. Et: In Deum nulla passio cadit, nec more hominũ irascitur, aut furorem habet, nec ullo modo passibilis est: sed quicquid his uocibus significatur, agit impassibiliter. lib. 1. Com. in Nahum, cap. 1.

Petrus Cluniacēsis inquit: Misit itaq; Deũ filiũ ad filios hominũ, ut humanã naturam induens, & humanis uitijs medēs, in carne assumpta nõ peccatum, sed pœnã peccati, mortē scilicet corporalem susciperet: & ita simplici sua, illius duplã: horaria sua, illius sempiternã excluderet. In qua dispensatione misericordia misereretur, iusticię nihil detraheretur, dũ p æterno supplicio hominis, pro æterna morte hominis, temporalis mors Dei & hominis ei offerretur. Quę tãti ponderis in ipsa ipsius iusticię lance esse cognoscitur, ut ad iustè ordinãda mũdi peccata, lõgè magis præpõderet mors trãsitoria filij Dei, quàm ęterna filiorũ hominum. Plus planè redditũ est iusticię quãdo Christus mortuus est, quàm sit recompensatum quãdo homo damnatus est. lib. 1. Epistol.

Deitas nõ patitur. Petrus Cluniacensis: Deitatis essentiã nunquã & nusquã inquinari, nunquam & nusquã uulnerari, nunquã & nusquã quippiã tormenti uel doloris posse pati, Christianus & corde credit ad iusticiam, & ore confitetur ad salutem. lib. 2. Epistolar. contra Iudæos, cap. 2.

De fine passionis inquit Honorius: Sicut ea quæ facta sunt per Adã in arbore præuaricationis, cesserunt homini in aduersitatē: ita cũcta quę facta sunt p Christũ in arbore passionis, puenerũt homini in psperitatē. Sed & doctrina & signa, & omne quod uel in passione, uel in resurrectione, uel in ascēsione fecit, totũ in prosperitatem humanæ salutis cessit: & quæ in iudicio adhuc faciet, pro-

et,prosperabuntur,dum hostes eius per eũ iustè damnabuntur, iusti dignè coronabuntur. In Psal.1.Item:Passione sua nos ab æternæ mortis cruciatu & potestate diaboli Dominus liberauit, & ideo patri nos reconcilians,perẽni gloria ditauit. in Speculo Ecc.

Hugo de S.Victore inquit:Olim cum nõ esses(anima)dilexit te(spõsus tuus)ut pulchram faceret:& ut ostenderet tibi,quantũ te diligeret, non nisi moriendo à morte te liberare uoluit,ut non tantùm impẽderet pietatis beneficium, uerùm etiam pietatis monstraret affectum. in libro de Arca animæ.

Rupertus ait:Ego sanctifico meipsum pro uobis,ut uos in ueritate sancti sitis,dum ego sanctifico:id est, ego meipsum sacrificium offero pro uobis. lib.11. Com.in Iohan. cap.13. Itẽ: In passione Christi paries ille inimicitiarum solutus est:quia peccati chirographum cruore eius deletum est. Ibidẽ lib.1.cap.1. Item: A' nullo homine baptismum accepit remissionis peccatorum:sed ipse nobis per passionem suam fons remissionis factus est.lib.2.cap.1.in Iohan. Et:Per passionem Christi cœlum est apertum, factaque angelorum & hominum concordia,qui prius inter se discordes erant, clausum hominibus cœlum, & subtextus paries inimicitiarum propter peccatum originale. Ibidem. Et: Per mortem regis nostri Dei & hominis Christi,per mortem,inquam, & resurrectionem huius magni regis, princeps mundi huius iudicatus,& foràs missus est. Ibidem libro tertio,capite secundo. Item:Christus hæres dicitur,non mortui patris, sed mortuæ hæreditatis: quam,quia Deo patri perierat,filius resuscitans iterum possidet,iure illa eius hæreditas dicitur & est,cuius uitæ dispẽdio reparata est. Ibid.lib.5.cap.5.Itẽ:Christus in sua persona decorẽ indutus,indutus fortitudinẽ,& uirtute præcinctus, regnauit per passionẽ carnis & passionẽ mortis: dominum seruorũ infideliũ,id est,omniũ filiorũ Adæ, scilicet peccatũ,damnauit,regnũ peccati & mortis destruxit,confidenter traduxit,&in sempiterno palàm triũphat. lib. 8.cap.8.in Iohan. Et:Christus ideo mortuus,ut filios Dei de cunctis gentibus,qui dispersi erant, & longè disiecti nomẽ Domini non audierant,cõgreget in unũ populum,in unã Ecclesiam, in unũ corpus suũ. Ibidem lib. 10. cap.10. Et:Incarnatio nihil mundo profuisset,nisi per passionẽ suã, redemptionẽ eius acquisiuisset.Ibidẽ cap.12. Et:Christus Dominus uerus Dei agnus est,pro salute totius mundi immolatus: eiusq; agni in Aegypto immolati,iubẽte Domino per Moysen, figurã prætulerũt.lib.11.cap.13.in Iohã. Itẽ: Creator angelorũ & hominũ semetipsum exinaniuit, minoratus paulominus ab angelis,& in forma serui cinctus est labore & angustia passionis, ut nos in sanguine suo lauaret à peccatis nostris:& iterum resurgẽdo à mortuis, indutus gloria immortalitatis & honore incorruptiõis, recubuit in cœlo ad dextrã patris: & dato Spiritu sancto, fecit nos scire quid'nã fecerit nobis. Ibidẽ cap. 13. Et:Mox ut consummata est,quæ tũc agitabatur, passio eius,factũ est iudiciũ mũdi:id est,iure uictoris soluta est captiuitas totius, qui illũ apud inferos expectabat,sanctorũ populi.lib.10.Cõ. in Ioh. cap. 12. Itẽ:Pontifex summus noster Christus, per suũ sanguinẽ ad rogandũ patrẽ in sancta sanctorum introiens,æternam redemptionem inuenit.lib.11.cap.14.in Iohan. Item: Christus filius Dei,pax nostra,ultrò se obtulit:qui pro eo quòd solus erat innocens, solus & poterat rationes perorare nostræ pacis.lib.11.cap.14. Et: Per Spiritum sanctũ seipsum offert Christus hostiam immaculatã Deo patri, ut sanguis eius emundet nos ab operibus mortuis ad seruiendum Deo uiuenti.ibidem cap.15. Et Iohan.15 dicit Christus, Vt ponat animam pro amicis suis:cum uerius potuisset dicere, Pro inimicis suis. Commendat enim suam charitatem Deus in nobis (inquit Apostolus)quoniam cum adhuc peccatores essemus,Christus pro nobis mortuus est. ibidem. Et: Per passionem Christi hoc actum est,quòd gratia paracleti Spiritus in nos effusa est. Nam si Christus non passus in cœlum ascẽdisset,profectò iste Spiritus gratiæ,qui per sanguinem eius peccata remittit, datus nõ fuisset.ibidem libro duodecimo,cap.16.Et: Verus ipse agnus pro omni mundo, non per alium pontificẽ, quàm per semetipsum immolatus est.Ibidem cap.17. Et:Inimicitias,quæ hactenus inter Deum & homines fuerunt,in carne sua soluit:& idcirco pertulit mortem,ut genus humanũ recõciliaret. lib.14.cap.20.in Iohannem. Et Spiritus S. antequam filius in hunc mundum uenisset, diuersarum distributione gratiarum antiquis sanctis datus est,sed nondum ulli in remissionem peccatorum:quod nunquã fieret,nisi prius idem pontifex noster sacrificium se pro nobis obtulisset.libro 14. capite uigesimo in Iohannem. Et:Hæc persona in acquirenda nobis hac pace & gratia plus egit,& semetipsum impendit, nostram assumendo naturam, & obediendo usq; ad mortẽ,mortem autem crucis, eandemq; naturã in se resuscitando à mortuis, & consedere faciendo ad dextram patris, ubi nũc est, authoritatem nobis firmã retinens huius gratiæ & pacis. In Apocal.lib.1.

cap.1. Et: Christű testé fidelé primogenitű mortuorű,id est,primum resurrexisse à mortuis, & principé esse regum terræ,eúq; nos dilexisse, & lauisse nos à peccatis nostris in sanguine suo, & uenturű esse cű nubibus, scilicet ad iudicandum uiuos & mortuos, nő offenderet hæreticos:sed eundé esse Deum,Deo patri coæqualé,sine initio cum patre uel in patre manenté,hoc offendit illos. ibidem. Et: Christo passo regnű Dei positű siue dispositű,ut sedeat Deus in illo,principe huius műdi foràs emisso.Ibidé l.3.c.4. Et:Per passioné Christi filij Dei & originale peccatum, & omnia deleta sunt peccata műdi.lib.1.in Exod. cap.40.Et:Adá nouus, Deus & homo Christus IESVS obtulit pro peccato suo uitulű immaculatű,pro peccato(inquá) suo,id est,suorű:nostrű enim peccatű per suá gratiá suű facit debitű.lib. 1. in Leuit.cap.14. Et:Obediéter passus & mortuus est filius Dei,quod cű magna reuerentia cogitandű est.Causam quippe mortalitatis,scilicet peccatű,nec origine contraxit, nec actu admisit: & idcirco morti nihil debuit. Sed dedit illi calicé pater,nő iudex:amore,nő ira:uoluntate,nő necessitate:gratia,non uindicta. lib.1.de Offic.cap.21. Et: Reuerà hoc fuit Christo infirmitates nostras accipere,& ægrotationes portare, scilicet uulnerari propter iniquitates nostras, & atteri propter scelera nostra,flagellis cædi usq; ad liuoré sanctissimi corporis sui,& in similitudiné ouis siue agni ad occisioné duci, & in ipsa occisione cű sceleratis reputari.lib.7.Cő.in Matth.cap.8. Et: Christus iste uitulus immolatus est, sanguis eius fusus est,ut Spiritű sanctű,qui in ipso septiformi plenitudine requiescit,in remissioné peccatorű acciperemus.lib.11.in Matt. cap. 26. Et: Christus moriendo postulauit à patre gentes hæreditaté suá:proculdubio sacrosanctæ eius passionis postulatio fuit, sacrificiű fuit, præter quod aliud holocaustű & pro peccato Deus noluit.lib.6.de Glorificat.Trinit.& process.S.S.cap.11. Et:Christus naturam hominis assumés,ad mortis passioné uasit, & electos suos,nemine ualéte resistere,de inferni claustris eripuit.lib.2. Cő.in Oseam,cap.5. Et:Non idcirco Deus homo factus est, laboréq; subijt passionis, ut in tali téplo, siue in illis gloriaretur aut requiesceret carnalibus tépli ceremonijs: sed idcirco,ut saluaret omnes, ut passione sua redimeret mundum,secundum Dei patris propheticá uocé, Postula à me, &c.lib. 2.Com.in Ionam,cap. 4. Et:Per passionem Christi princeps tenebrarum diabolus uictus, & redéptio generis humani facta est: quod per legis antiquæ præcepta, ueteris sacerdotij sacrificia perfici non poterat.lib. 2.Comment.in Iohannem,cap.1. Et:Christus pax nostra,qui fecit utraq; unű & mediű parieté maceriæ, soluens inimicitias in carne sua, legé mandatorű suorű decretis euacuans, ut duos condat in semetipsum, in unum nouum hominem,faciens pacem, ut reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucé,interficiés inimicitias in semetipso, & ueniés euangelizauit pacé uobis qui longè fuistis, & pacé his qui propè:quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patré.ibidé cap.12.lib.11. Et: Per Spiritum sanctum seipsum offert Christus hostiam immaculatá Deo,ut sanguis suus eműdet nos ab operibus mortuis, ad seruiendű Deo uiuenti. ibid.cap.15. Et:Per nouű hominem Christum, per sanguiné eius redéptis datű est nomé nouű.lib.2.Cő. in Apocal.cap.2. Et:Per sanguiné Christi in saluté recuperati sumus, & in gratiá recepti:quòd saluati sumus Deo nostro,nő nobis tribuatur.Ibidem lib.4.cap.7.Et: Adam secundus semetipsum ad satisfaciendű pro nobis obtulit,quia sanctam trinitatem patrem & filiű & Spiritum sanctű offendit Adam primus.lib.1. Com.in Ionam,cap.2.

Bernhardus ait:Morte illa,mors mortua est,& regenerati sumus in spé uitæ p resurrectioné IESV Christi ex mortuis. Serm.2. in natal.Dom. Et:Deuotè suscipimus tenerum propter nos,cruentű propter nos,pallidű propter nos, sepultű propter nos reueremur.Ibidé ser.5. Et:Cuius tota dispensatio, quam exhibuit in carne,medicina salutis est.Serm.3.de resurrect.Dő. Et:Mortuus est enim non tantùm pro sua gente,sed ut filios Dei,qui dispersi erát, congregaret in unum.Ser.1.in octaua Paschæ.Et:Quid magnű fuerat Domine,si accedente hora,propter quá ueneras,intrepidus stares,tanquá qui potestaté habebas ponendi animá tuá, & nemo eam tollebat à te? An non longè gloriosius fuit, quandoquidem totű pter nos agebatur,ut nő modò passio corporis, sed etiá cordis affectio pro nobis faceret: & quos uiuificabat mors tua, tua nihilominus & trepidatio robustos, & mœsticia lœtos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, & desolatio consolatos? Sermon. 1. de S.Andrea. Et:Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit,multum fructum adfert. Moriatur igitur granű, & surgat gentium seges. Oportet pati Christum, & resurgere à mortuis,& prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum,non solùm in Iudæam, sed etiam in omnes gentes, quatenus ab uno nomine, quod est Christus,millia millium credentium Christiani

stiani dicantur, & dicant: Oleum effusum nomen tuum. Serm. 15. super Cant. Et: Ad cumulū postremò pietatis tradidit in mortem animam suā, & de proprio latere protulit preciū satisfactionis, quo placaret patrē: per quod planè illum ad uersiculū traxit: Apud Dominū misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Ibidem serm. 22. Et: Passio tua ultimum refugium, singulare remedium. Deficiente sapientia, iusticia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis, illa succurrit. Ibidem. Et: Quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ uulnera, nec non ad purgandam mētis aciem, quàm Christi uulnerum sedula meditatio? Serm. 62 super Cantica.

Petrus Cluniacensis ait: Nouerat Saluator quid fecerat, quid facturus erat propter hominem, nouerat singulare opus quod gesserat induendo hominem, nouerat stupendum quod gesturus erat moriēdo propter hominem, sciebat se hoc opere saluaturum hominem: sed absq; huius operis dilectione nullum saluari posse hominem. Sciebat quia humanitatis & mortis suæ opus, sicut super omnia sua summè celebratum, sic mortalibus, pro quibus fiebat, summè erat commēdandum: commendandū erat, utpote cuius caro pro illis torquebatur, cuius anima pro illis tristabatur, cuius nouissimè mors, illorū uitæ ministrabatur. Hoc certè solenniter commendādum erat, ut Christus diligeretur, dilectus haberetur, habitus nunquam perderetur. lib. 1. Epist. Item: Totus orbis terrarum conclamat, uociferans se bono mortis Domini à morte æterna ereptum, saluti redditum, uitæ perpetuæ restitutum. Ibidem.

Petrus Lombardus inquit: De merito etiam Christi prætermittendum non est, de quo quidam dicere solent, quòd non sibi, sed membris tantùm meruerit. Meruit quidem membris redemptionem à diabolo, à peccato, à pœna, & regni reserationem, ut amota ignea rhōphæa, liberè pateret introitus: sed & sibi meruit impassibilitatis & immortalitatis gloriam, sicut ait Apostolus: Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Apertè dicit Apostolus, Christum propterea exaltatum per impassibilitatis gloriam, quia est humiliatus per passionis obedientiam. Humilitas ergo passionis, meritum fuit exaltationis, & exaltatio præmium humilitatis. Vnde Augustinus exponens præmissum capitulum, ait: Vt Christus resurrectione clarificaretur, prius humiliatus est passione. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. Sed hoc totum factum est in forma serui. In forma enim Dei semper fuit & erit claritas. Item Ambrosius idem capitulum tractans, ait: Quid & quantum humilitas mereatur, hic ostenditur. His testimonijs euidens fit, quòd Christus per humilitatem & obedientiam passionis meruit clarificationem corporis: nec id solùm, sed etiam impassibilitatem animæ. Anima enim ipsius ante mortem erat passibilis, sicut caro mortalis: sed post mortem merito humilitatis & anima impassibilis facta est, & caro immortalis. libro tertio, dist. decimaoctaua. Et: Ad quid ergo uoluit pati & mori, si ei uirtutes ad merendum illa sufficiebant? Pro te, non pro se. Quomodo pro me? Vt ipsius passio & mors tibi esset forma & causa: forma uirtutis & humilitatis, causa gloriæ & libertatis: forma Deo usque ad mortem obediendi, & causa tuæ liberationis ac beatitudinis. Meruit enim nobis per mortis ac passionis tolerantiam, quod per præcedentia non meruerat, scilicet aditum paradisi, & redemptionem à peccato, à pœna, à diabolo: & per mortem eius hæc nos adepti sumus, scilicet redemptionē, & filiorū gloriæ adoptionē. Ipse enim moriēdo factus est hostia nostræ liberationis. Sed quomodo per mortē nos à diabolo & à peccato redemit, & aditū gloriæ aperuit? Decreuerat Deus in mysterio, ut ait Ambrosius, propter primū peccatū non intromitti hominē in paradisum, id est, ad Dei contemplationem non admitti, nisi in uno homine tanta existeret humilitas, quę omnibus suis proficere posset: sicut in primo homine tāta fuit superbia, quæ omnib. suis nocuit. Nō est autē inuētus inter homines aliquis, à quo id posset impleri, nisi leo de tribu Iuda, qui aperuit librū, & soluit signacula eius, implēdo in se omnē iusticiā, id est cōsummatissimā humilitatē, qua maior esse non potest. Nā alij omnes homines debitores erant, et uix unicuiq; sua uirtus sufficiebat & humilitas. Nullus ergo eorum hostiā poterat offerre sufficiētē recōciliationi nostrę. Sed Christus homo sufficiēs & pfecta fuit hostia, qui multò amplius est humiliatus, amaritudinem mortis gustādo: q̄ ille Adā superbijt, per esum ligni uetiti noxia delectatione pfruēdo. Si ergo illius supbia omniū extitit ruina, ipsum de paradiso mittēs foràs, alijsq; occludēs ianuā: multò magis Christi humilitas, qua mortē gustauit, ingressū regni cœlestis omnib. suis, impleto Dei decreto, aperire ualuit, atq; decreti delere chirographū. Ibidē. Itē: Magna ergo in morte unigeniti pstita sunt nobis, ut liceat nobis redire in patriam: sicut olim in mor-

in morte summi pontificis, his qui ad ciuitatem refugij cõfugerát, securè ad propria remeare. Ibidem. Item: Nunc ergo quæramus, quomodo per mortem ipsius à diabolo, & à peccato, & à pœna redempti sumus? A' diabolo ergo, & à peccato per Christi morté liberati sumus, quia (ut ait Apostolus) in sanguine ipsius iustificati sumus: & in eo quòd sumus iustificati, id est, à peccatis soluti, à diabolo sumus liberati, qui nos uinculis peccatorũ tenebat. Sed quomodo à peccatis per eius mortem soluti sumus? Quia per eius mortem (ut ait Apostolus) cõmendatur nobis charitas Dei: id est, apparet eximia & commendabilis charitas Dei erga nos in hoc, quòd filium suum tradidit in mortem pro nobis peccatoribus. Exhibita autem tantæ erga nos dilectionis arra, & nos mouemur accendimurq; ad diligendũ Deum, qui pro nobis tanta fecit: & per hoc iustificamur, id est, soluti à peccatis iusti efficimur. lib. 3. dist. 19. Item: Sic & iusticia superatur diabolus, non potentia. Ibidem dist. 20.

Richardus ait: Mors Christi myrrha prima est, myrrha optima: quia omnia mala nostra mortificat, tam potens, ut nihil ita sit ad mortem ęternam, quod non saluet & uiuificet. Super Cant. cap. 38.

Petrus Blesensis inquit: Nocuit nobis uetus Adam, sed plus profuit nouus. Amplius nobis cõtulit huius humilitas, quàm superbia illius nobis abstulerit. Nam Paulo apostolo teste, Non sicut delictum, ita & donũ. Damni enim extenuationem, beneficij magnitudo transcendit. Cum prius habuimus terribilé Deum & iudicem, nunc habemus humilem fratrem & proximum. Christus itaq; cursum nostræ mortalitatis transiens in fame & siti, in lassitudine & dolore, & in uniuersis miserijs huius uitæ, demum traditus à discipulo, & tanquam uile mancipium uenditus, flagellatus, consputus, spinis coronatus, illusus, affixus stipiti, & morte turpissima condemnatus, quæ non rapuit soluit, & spontè morti se offerens, omnia in humilitate sustinuit. Epist. 83.

Petrus Cantor: Apposuit seipsum pro nobis precium in cruce, uiaticum in altari, futurus præmium in cœlo. cap. 26.

Hildegardis inquit: Præuaricatio Adæ per sanguinem filij Dei mirabiliter in saluatione restaurata est, cũ prius illã nullus, nisi unigenitus Dei à patre missus in mũdum, dissoluere ad supernũ ingressum posset: nisi enim filius Dei sanguiné suũ pro salute hominum fudisset, illa transgressio Adæ ita cõprimeret hominem, ut ad gaudiũ supernorum ciuium pertingere non posset. Visione 5. lib. 2. Item: Adam in mane surgens, ad horam noná seductus est: & passio Christi in crepusculo diei inchoata, ad horá noná consummata dignoscitur, ita quòd in cruce moriens expirauit, & morte sua morté uiriliter superauit. Ibidé uisione 6. Et: Quoniá homo natus in peccatis, hominé peccatoré de perditione mortis liberare non ualuit. Quapropter filius Dei sine peccato uenit, qui hominem, deuicta morte, misericorditer de morte eripuit. Ibidem uisione 7.

Mechtildis inquit: Christus irá patris mitigauit, & hominem Deo reconciliauit in sanguine suo: & in eũ transierunt iræ, & nõ pepercit filio suo unico Christo: sed in manus impiorum Christus traditus est, & in tátum mitigauit Dei irá, quòd si homo uoluerit, nunquam decæterò ira Dei aduersus eum acuetur. lib. 1. cap. 10.

Passioné nõ omnib. prodesse. Rupertus: Non omnibus, præsertim Iudæ, præsens passionis sanctificatio prodest. l. 11. Com. in Iohan. cap. 13.

De resurrectione Christi ait Petrus Alphonsus: Dicit namq; Dauid in Psalmo: Dies super dies regis adijcies, annos eius usq; in dié generationis & generatiõis. De quo enim rege ista, nisi de Christo, dici potuit prophetia? Per dies quippe regis, definitum tempus, quo ante passioné Christus in mundo uixit, notari propheta uoluit: per dies autem, quos super dies regis adijciendos esse dixit, quos & sine determinatione posuit, tempus post eius resurrectionem intellexit: quod & fine cariturum esse signauit, cum addidit, Annos eius usque in diem generationis & generationis. In Esaia quoque legitur: Nunc consurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc subleuabor. Et hic tria Dominus intelligi uoluit. Quod enim ait, Nunc consurgam: de resurrectione sui corporis de morte dixit. quod autem sequitur, Nunc exaltabor: de ascensu suo in cœlum intulit. tertium uerò, quod est, Nunc subleuabor: de exaltatione & gloria in se credentium addidit. In Dial. tit. 11.

Rupertus ait: Moyses & cæteri sancti omnes mortui sunt, & nemo illorum resurrexit: hic auté crucifixus quidé est ex infirmitate nostra, sed uiuit nũc ex uirtute Dei. lib. 3. Cõ. in Ioh. cap. 2. Ité: Quamdiu idem Dominus noster, Deus immortalis, homo inter homines degit, nostrá indutus mortalitaté. At ubi resurgẽdo ipse à mortuis regnare cœpit, priorque in sui regni gloriam intrauit, tunc primùm cœperunt renasci qui uiderunt regnum Dei, uidelicet per baptismum cõmoriẽdo & conresurgẽdo. Ibidem. Et: Christus resurgendo omné nostram excessit mortalitaté. lib. 4. cap. 20. in Iohan. Et: Quòd noctu resurrexit Dominus,

minus, ipso tempore innuit, quòd semper debeamus esse parati: quia sicut tunc nocte cũctis quiescentib. surrexit, ita qua hora nõ putamus, se uenturum esse prædixit. lib. 7. de Diuin. offic. cap. 16.

Bernhardus ait: Christus enim, fratres, non redijt hodie, sed resurrexit: nõ redijt, sed transijt: transmigrauit, non remeauit. Deniq; & ipsum quod celebramus Pascha, transitus, nõ reditus interpretatur. Ser. 1. de resurrect. Dom.

Clauso lapide egressus Christus. Bernhardus: Iam si confutandis Iudæorum calumnijs sufficere uidetur hoc ipsum, quòd clauso egressus est monumento, cui insultantes dicebant: Si rex Israel es, &c. Serm. 1. de resur. Dom.

De ascensione Christi inquit Petrus Alphonsus: Fides profectò mea est, quòd in cœlum ascenderit: credo enim, quia suæ uirtus omnipotentiæ tanta sit, quòd quocunque modo factum fuerit, possibile fuit esse ut placuit. Quòd si inde cum fideli aliquo agerem, aliud sanè non responderé. in Dial. tit. 11.

Samuel Israhelita ait: Quòd ascendit in cœlum, sicut dixit idem propheta & alij. Quòd non conueniat Deo in essentia siue in natura diuina, secundũ quam nec resurgit, nec exaltatur, nec sedet, nec descendit. Ex his quæ dicta sunt, sequitur necessariò, quòd iam uenerit ille iustus, cuius naturæ corporeę hæc prædicta et similia poterunt conuenire. Si autem tibi uidetur fortè durum credere, domine mi, quòd homo corporeus ascendit in cœlum, audi authoritates & exempla quæ mihi occurrunt de scripturis nostris. Et super hoc dicit Dauid propheta de illo: Ascendit Deus in altum, & saluabit captiuitatem: dedit dona hominibus. Dicit etiam in Psalmo 67 de ascensione eius: Iubilate Deo, & glorificate nomen eius: iter facite ei qui ascendit de partibus Occidentis: Dominus nomen illi. Adhuc, domine mi, dixit Dauid de illo in Psalmo quem tu habes in corde: Iubilate Deo, qui ascẽdit super cœlum cœli ad Orientem. Et de isto dixit Amos: Dominus est qui ædificauit in excelso sedem suam. Et de ipso etiam dicit Dauid in Psalmo: Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in uoce tubæ. Parast. ueri Mesiæ, cap. 13.

Rupertus ait: Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in uoce tubæ. In iubilatione uidelicet eorundẽ Apostolorũ, quib. uidentibus eleuatus est: nã ipsi adorantes regressi sunt Hierusalẽ cum gaudio magno, &c. In uoce autẽ tubæ, id est, cũ testificatione pronunciationis angelicæ, qua uẽturus est ad iudicandũ. lib. 4. Cõ. in Apocal. cap. 6.

Itẽ: Rapto Christo ad Deũ & ad thronũ eius, ipsa passione & resurrectiõe, qua rapiebatur & trãsibat ex hoc mũdo ad patrẽ, tũc facta est salus & uirtus, id est, remissio peccatorũ nostrorũ, ex tũc factum est, imò facti sumus nos regnũ Dei nostri, & facta est potestas Christi eius in cœlo & in terra. Lib. 7. in Apocal. cap. 12.

Bernhardus inquit: Ascensio propter se, descensio uel potius condescensio propter nos. Serm. 11. de 11. uersũ Psalmi, Qui habitat, &c. Et: Ascendit quidem semel Christus corporaliter super altitudinem cœlorũ, sed & nũc ascendit quotidie spiritualiter in cordibus electorũ. Ser. 19. par. sermo. Et: Triformis est ascẽsus Domini: uictoriosus, quo ascẽdit super Occasum: speciosus, quo ascẽdit super cœlos cœlorũ: gloriosus, quo ascendit super pennas uentorũ. in lib. Sentẽt. Et: Surrexit de corde terræ, sed sup terrã nõ remãsit. Ascendit autẽ, ubi erat prius. Nã qui descendit, ipse est qui & ascẽdit, panis uiuus q de cœlo descẽdit, idẽ ipse spõsus Ecclesiæ IESVS Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Serm. 75. super Cãt. Et: Raptus est Paulus, raptus est Elias, trãslatus est Enoch. Redẽptor noster legitur eleuatus: hoc est, ex seipso leuatus, nõ aliũde adiutus. Denique nõ currus uehiculo, nõ angeli adminiculo, sed propria uirtute subnixũ, suscepit eũ nubes ab oculis eorũ. Cur hoc? An fessum iuuit? An pigrũ impulit? An cadentẽ sustinuit? Absit. Sed suscepit eũ ab oculis carnalibus discipulorũ: qui etsi Christũ nouerant secundum carnem, sed ultrà iam non noscerent. Tractatu de gradib. humilitat.

Petrus Blesensis inquit: Quadraginta itaq; dieb. cum discipulis uisibiliter cõuersatus, eisdẽ comitãtibus uenit in mõtẽ Oliueti, & uidentibus illis eleuatus est, & ascẽdit ad patrẽ, ut eũ in patris æqualitate credamus, atq; in communi resurrectione uiuorum & mortuorum iudicem expectemus. Epist. 83.

De humilitate Christi. Bernhardus: O nouissimum & altissimum, ô humilẽ & sublimem, ô opprobrium hominum & gloriã angelorũ. Nemo illo sublimior, nemo humilior. Serm. in feria 3. hebdom. pœnosæ, de pass. Dom.

Petrus Cluniacensis ait: Quòd enim celsus, quòd maximus, quòd omnipotens esset, certum erat: quòd humilis homo fieri dignaretur, nemo præter magnos illos credebat. Quis enim hoc cogitare, quis suspicari posset, quòd tantus tantillum, quòd maximus paruum, quòd æternus mortalem, quòd maiestas immensa uermem (ut sic loquar) humanum in seipso suscipe-

ſuſcíperet,& in Deum proueheret? Hoc opus eius,quia eſt ſuper omnia opera eius, non ad irritandum, nõ ad blaſphemandũ: ſed ad ipſum inde ſublimius admirãdum, laudandum,glorificandum,te debuit trahere prę cunctis operibus eius.lib.2.contra Iudæos,cap.2.

Potho inquit:Diuinis itaq; diſpoſitionibus per angelos adminiſtratis, non ſolùm homines ſubiacẽt:ſed etiã humani generis cõditor atq; redẽptor,angelorũ Dominus, paulò minus minoratus ab angelis,his ſub eſſe dignatur.Nam cũ factus in agonia prolixius oraret, apparuit ei angelus de cœlo, confortans eũ. O' mira dignatio Saluatoris noſtri. Ipſe namq; paternæ uoluntatis nũcius, magni conſilij angelus appellatus, legi, quæ per angelos ordinata eſt, ſubditus erat,qui legi nihil debebat:qa ſine peccato in mundũ natus,ſine peccato eſt in mũdo conuerſatus.Sed quia ſemetipſum exinaniuit,formã ſerui accipiẽs,ut ſeruos peccati in adoptionẽ filiorũ Dei transformaret,purgationẽ peccatorũ faciẽs,hominem aſſumptũ ſupra omnẽ principatũ & poteſtatẽ in cœleſtibus ad dexterã paternæ maieſtatis collocauit. Sic profectò miro modo actũ eſt,ut hominẽ cœleſtẽ, quẽ mundus natura mirãte ſuſcepit, iã propter paſsionem mortis gloria & honore coronatũ,cœlũ reciperet,incomparabiliter ſupra omnẽ angelicã creaturã ſublimatũ.Ipſe omniũ purgator purgandorũ,omniũ illuminandorũ illuminator, omniũ perficiẽdorũ perfector eſt, de cuius capite plenariæ benedictionis unguentũ manans, inferioribus largiſsima copia influxit,omnẽ uidelicet rationalẽ creaturam,hoc eſt angelicã & humanam,mirifica ſuauitate replens. De ſtatu domus Dei, libro 4.

Petrus Cantor ait: Cũ Dominus noſter IESVS Chriſtus in omnibus uirtutibus polleat & cõmendetur,maximè in humilitate commendatur,adeò quidẽ,quòd de ea prę cipuè prę cæteris uirtutibus ſcholas cœleſtes rexerit,inquiens: Diſcite à me,quia mitis ſum.capite 15.

De clarificatione filij Rupertus ait:Pater clarifica tuũ nomen.unius eiuſdemq; IESV Chriſti Dei & hominis,ſecundũ utramque naturã ſe habẽtis,uerba ſunt hæc.lib.10.ca.12.Cõ. in Iohan. Et: Hãc claritatẽ pater filio ſecundũ quod homo eſt,dedit:ipſe autẽ filius ſecundũ quod Deus eſt, dedit fidelibus ſuis.lib.12. cap.17.in Ioh. Et:Propter paſsionẽ mortis, gloria & honore coronatus ſum:& ſecundũ hominẽ aſſumptũ, data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra iudiciũ facere, ut qui crediderit & baptizatus fuerit, &c. libro ſecundo Comment. in Apocal.capite tertio.

De gloria Chriſti inquit Bernhardus:Hęc ſecũda glorificatio priori glorificationi propter excellentẽ gloriã manifeſtè præluceãt.Manipulus primitiarũ noſtrarũ Chriſtus oblatus eſt,ad dexterã patris aſſumptus,& aſsiſtit nunc uultui Dei pro nobis.Sedet autẽ ad dexterã, habens in dextera miſericordiã,in ſiniſtra iudiciũ,& miſericordiã multã nimis,& iudiciũ multum nimis:in dextera aquã, in ſiniſtra ignẽ immobiliter tenẽs. Ser.2.de aſcen.Dõ. Et:Iſtud ergo germen, quod de uirga Ieſſe,uirore uirgineo pullulauit,in magnificẽtia fuit cũ reſurrexiſſet à mortuis:quia tunc Domine Deus meus magnificatus es uehementer, confeſsionẽ & decorẽ induens,amictus lumine ſicut ueſtimento.Serm.2.in die Pentecoſ. Et:Tu quoque ſi deſideras uidere ſublimẽ,humilẽ prius IESVM uidere curato.Intuere prius exaltatũ in deſerto ſerpentẽ,ſi uidere deſideras regem in ſolio reſidentẽ.Iſta te humiliet uiſio,ut illa exaltet humiliatum.Reprimat & ſanet iſta tumorem tuum,ut illa repleat & ſatiet deſiderium tuum. Exinanitũ uides? Nõ ſit ocioſa uiſio,quia exaltatũ ocioſè uidere nõ poteris.Similis eris illi,cũ uideris eũ ſicuti eſt: eſto & nũc ſimilis ei,uidens eũ ſicut propter te factus eſt.Si enim ne in humilitate quidem ſimilitudinẽ eius abnuis, certa tibi ſublimitatis quoq; ſimilitudo debetur. Nunquã ille ſociũ tribulationis à cõmunione gloriæ patietur arceri.Deniq; uſqueadeò non dedignatur paſsionis ſuæ cõſortem & in regnũ mittere ſecũ,ut in cruce confitens latro eadẽ die cũ eo fuerit in paradiſo.Hinc eſt quod ait etiam ad Apoſtolos : Vos eſtis qui permanſiſtis mecũ in tribulationibus meis, & ego diſpono uobis regnum.Serm.1.in calend.Nouemb.

De maieſtate Chriſti inquit Bernhardus: Die igitur craſtina uidebimus maieſtatem Dei,ſed ſanè in nobis,non in ſeipſo:utique maieſtatem in humilitate, uirtutem in infirmitate, in homine Deum. Ipſe eſt enim Emanuel,quod interpretatur,nobiſcũ Deus.Et euidentius audi:Verbum,inquit, caro factum eſt, & habitauit in nobis.Deniq; extunc & deinceps uidimus gloriam eius, ſed gloriam quaſi unigeniti à patre,utique plenum gratiæ uidimus & ueritatis. Non enim gloriam poteſtatis aut claritatis, ſed gloriam paternæ pietatis, gloriam gratiæ, de qua Apoſtolus:In laudem,inquit,glorię gratiæ ſuæ. Ser.6. in uigil.natal.Dom. Et: Hinc rurſus pater ad filium:Sede,inquit,à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum :hoc eſt,donec omnes qui te contemnunt, tuæ uoluntati ſubijciam,ſiue inuitos & miſeros, ſiue uoluntarios

luntarios & beatos. Sermone sexto super Cantica.

Sedet ad dexteram patris. Rupertus: Deus nunc, superata morte, sedens ad dexteram patris, credentium in se potenter peccata dimittit. lib. 1 Comment. in Iohan. capite 1.

Bernhardus ait: Denique non iacere, sed sedere ad dexteram patris filium, fides indubitata habet, & ipsum cœlum sibi sedem esse, non lectum perhibet: ut scias illum in suis, id est, in superis nequaquam solita habere infirmitatis, sed potestatis insignia. Sermone septuagesimoquinto super Cant.

De glorificatione Christi ait Bernhardus: Pater clarifica filium tuum. Quod tamen eum petijsse senserim, non ut supplicem, sed ut præscium. Liberè petitur, quod in potestate petentis accipere est. Ergo dispensatoria filij petitio est, non necessaria: quippe donantis cum patre quicquid à patre acceperit. Vbi & hoc dicendum, quia non solùm pater clarificat filium, sed & filius clarificat patrem: ne quis dicat filium minorem patre, quasi à patre clarificetur, cum & ipse clarificet patrem, dicente filio: Pater, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Sed fortè adhuc submittendum putes filium, quòd quasi inglorius uideatur à patre recipere claritatem, quam demum patri refundat. Audi quia non est ita: Clarifica me, inquit, pater claritate, quam habui priusquam mundus fieret apud te. Si ergo claritas filij posterior non est, utpote quæ ab æterno est: ex æquo se glorificant pater & filius. Et si ita est, ubi patris primatus? Æqualitas profectò est, ubi coæternitas. Et usqueadeò æqualitas, ut una sit claritas amborum, sicut ipsi unum sunt. Vnde mihi uidetur dicendo rursus, Pater clarifica nomen tuum: non sanè aliud petere, quàm se clarificari, in quo & per quem nomen patris proculdubio clarificaretur. Et responsum accepit à patre: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Quæ quidem ipsa responsio non parua filij glorificatio fuit. Cæterùm abundantius ad fluenta Iordanis augustiusque clarificatus dignoscitur & Iohannis testimonio, & columbæ designatione, & uoce dicentis: Hic est filius meus dilectus. Sed & in monte coram tribus discipulis nihilominus magnificentissimè clarificatus est, tum uoce eâdem denuò ad se cœlitùs delapsa, tum mira illa eximiaque transfiguratione corporis sui, tum etiam Prophetarum attestatione duorum, qui ibidem apparuerunt cum eo loquentes. Superest ergo, ut iuxta promissum patris semel adhuc clarificetur, eaque erit plenitudo gloriæ, cui non queat amplius addi. Sed ubi illa dabitur benedictio? Non est, ut ista suspicata est, in plateis uel uicis, nisi fortè in illis de quibus dicitur: Plateæ tuæ Hierusalem sternentur auro mundo, & per omnes uicos tuos Alleluia cantabitur. In his reuera illam recepit à patre filius claritatem, cui non poterit similis inueniri, ne in cœlestibus quidem. Cui enim angelorum aliquando dictum est: Sede à dexteris meis? Non modò autem de numero angelorum, sed nec de superioribus quidem reliquis beatorum ordinibus omnino quis repertus idoneus est ad capessendam hanc superexcellentem gloriam. Ad neminem prorsus illorum facta est uox illa gloriæ singularis, nemini uocis in se efficientiam experiri datum. Siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, profectò desiderant in eum prospicere, non se illi comparare præsumunt. Igitur Domino meo singulariter à Domino & dictum & datum est sedere à dexteris gloriæ ipsius, utpote in gloria coæquali, in essentia consubstantiali, pro generatione consimili, maiestate non dispari, æternitate non posteriori. Serm. 76 super Cant.

Hugo Eterianus dicit: Ideoque dicit, Clarifica me, humanam scilicet naturam, quæ nunc contumelijs afficitur, crucifigenda post modicum, & induc in gloriam quam habui apud te filius ego tuus, priusquam mundus esset. Quare cum dicit, Clarifica me, humanam naturam demonstrat: cum dicit, Claritatem quam habui, diuinitatem. Vtrumque enim, ut unus & idem pronunciauit, propter personalem duarum naturarum proprietatem & concordiam. Igitur gloriam secundum hominem quærit. Nam secundum Deum antequam mundus esset, habuit semper eam. Si enim gloriam non habuisset, mentitus fuisset Euangelista, qui dixit: Et uidimus gloriam eius. & Apostolus: Non Deum gloriæ crucifixissent. Dauid quoq;: Introibit rex gloriæ. Qua de causa, nō secundum quod Deus est glorificari, sed secundum humanitatem quærebat. Vtraque forsitan gloria intrinseca, scilicet & extrinseca. Est enim gloria intrinsecus, ut in sole claritas: alia uerò extrinsecus adueniens, ut honoris, scientiæ, laudis, ac similium. Et: Spiritus sanctus me clarificabit, quia in nomine meo donationes & operationes faciet: hoc est, in mea uirtute, ut existentiam à me accipiens. hoc enim significat, & non aliud, De meo accipiet. libro 3 de process. Spiritus sancti, capite decimoquarto.

Mechtildis ait: Glorificatio Christi humanitatis est, qua Deus pater filium suum in resurrectione dotauit, quòd Deus pater dedit ei omnem potestatem in cœlo & in terra, ut esset in humanitate omnipotens, sicut in diuinitate, ut posset remunerare, honorare & sublimare, & omnẽ amorem exhibere amicis suis secundum omnem uoluntatis suæ libertatem. Glorificatio quoq; aurium & oculorum Christi est, quòd omnem indignitatem & tribulationem suorũ fidelium prospicere ualet usq; ad fundum, & omnes gemitus, desideria & preces eorum audire & exaudire. Toti enim corpori hæc gloria donata est, ut sicut in diuinitate ubiq; est, ita etiam in humanitate cum omnibus & singulis amicis suis ubicunq; uult esse, potest esse, quod nullus alius quantũcunq; præpotens potuit, aut etiam poterit in æternum. lib. 1. cap. 32.

Differentia passionis Christi & nostræ. Lombardus: Dicimus aliquam esse differentiam inter passionem capitis & mẽbrorum. Christi namq; passio causa est nostræ salutis, quod non est passio alicuius sancti. Nullius enim passione redẽpti sumus, nisi Christi. Profuerunt quidem non modò eis qui passi sunt, uerùm etiam alijs fidelibus ipsorum passiones: ueruntamen nostra redemptio non sunt. hoc enim passio illius sola potuit, qui Deus est & homo. libro 3. distinct. 48.

De miraculis Christi inquit Rupertus: Miracula Christi & Moysis differunt. Christus per se imperat, Moyses utendo officijs elementorum per Christum imperat. Moyses imperio usus est, sed de plenitudine Dei & uerbi eius imperauit. lib. 7 Com. in Matth. cap. 8.

De uirilitate Christi ait Bernhardus: Vir igitur erat IESVS, necdum etiam natus: sed sapientia, non ætate: animi uigore, nõ uiribus corporis: maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neq; enim minus habuit sapientiæ, uel potius non minus fuit sapientia IESVS conceptus, quàm natus: paruus quàm magnus. Siue ergo latens in utero, siue uagiẽs in præsepio, siue iam grandiusculus interrogans doctores in templo, siue iam perfectę ætatis docens in populo, æquè profectò plenus fuit Spiritu sancto. Nec fuit hora in quacunq; ætate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, uel aliquid minueretur, uel aliquid eidẽ adijceretur: sed à principio perfectus, à principio (inquam) plenus fuit spiritu sapientiæ & intellectus, spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis, & spiritu timoris Domini. Nec te moueat quòd de illo legis in alio loco: IESVS aũt proficiebat sapientiâ & ętate, & gratia apud Deũ & homines. Nã quod de sapientia & gratia hic dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat intelligendum est: non quia uidelicet aliquid ei nouum accideret, quod antè non haberet: sed quòd accidere uideretur, quando uolebat ipse ut uideretur. Tu homo cum proficis, non quando, nec quantum uis proficis: sed te nesciente tuus moderatur profectus, tua uita disponitur. At uerò puer IESVS, qui disponit tuam, ipse disponebat & suam: & quando uolebat, & quibus uolebat, sapiẽs apparebat: quãdo & quibus uolebat, sapientior: quando & quibus uolebat, sapientissimus, quanquam in se nunquam esset nisi sapientissimus. Similiter & cum semper omni gratia plenus fuisset, siue quam apud Deum, siue quam apud homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio eam nunc plus, nunc minus ostentabat, prout cernentium uel meritis congruere, uel saluti expedire sciebat. Constat ergo, quia semper IESVS uirilem animum habuit, etsi semper in corpore uir non apparuit. homilia 2 de B. Virgine.

Christus uult uideri. Bernhardus: Ita est, uideri uult, non uidere. Quid enim ille non uidet? Non est ei opus, ut quis se ei ostendat, à quo nihil non uidetur, nec si se abscondat. Vult ergo uideri, uult benignus dux deuoti militis uultum & oculos in sua sustolli uulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat ad tolerandũ fortiorem. Serm. 61 super Cant.

De montibus Christi. Bernhardus: Vides ergo quàm bene sponsa in Canticis: Ecce, inquit, uenit iste saliens in montibus. in primo transfiguratus est, ut scires quò tenderes: in secundo uerba uitæ locutus est, ut scires quà peruenires. Orauit in tertio, ut eundi & perueniendi bonam obtinere studeas uoluntatem. Sermone quarto de ascens. Dom.

De timore in Christo ait Lombardus: Quis ergo fuit timor iste quo pœnam timuit? Potest timor ille dici naturalis uel humanus, qui in omnibus hominibus est, quo horretur mors, ac formidatur pœna. lib. 3. distinct. 14.

De operibus Christi summatim inquit Bernhardus: Quid ultrà debuit facere, & non fecit? Illuminauit cæcos, reduxit erroneos, reconciliauit reos, iustificauit impios, triginta & tribus annis super terram uisus, cum hominibus conuersatus, pro hominibus mortuus: qui de Cherubim & Seraphim & omnibus angelicis uirtutibus dixit, & facta sunt: cui subest, cum uoluerit, omnia posse. Et; Quod Dominus ac Sal-

uator noster semel & in uno loco uisibiliter tunc temporis dignatus est operari, hoc etiam nunc ubiq; terrarum in cordibus electorum operatur quotidie inuisibiliter. Sermon.5 de assumpt. Mariæ.

Est ubiq;. Rupertus: Verbum ergo Deus, quia incircũscriptũ lumẽ est, quia ubiq; est, & apud Deum erat, similiter & in mundo erat. lib.1 Com. in Iohan. cap.1.

Quæ in Deo imitari possumus, uel non. Bernhardus: Appareat Domine bonitas, cui possit homo, qui ad imaginem tuam creatus est, conformari: nam maiestatem, potestatem, sapientiã nec imitari possumus, nec expedit æmulari. Serm.1 in natal. Dom.

De ubiquitate inquit Lombardus: Solet etiam quæri, si congruenter dici possit filius hominis, uel ille homo descendisse de cœlo, uel ubiq; esse: sicut dicitur filius Dei, uel Deus de cœlo uenisse, & ubique esse? Ad quod dicimus, si ad unitatem personæ referatur dicti intelligentia, sanè dici potest: si uerò ad distinctionem naturarum, nullatenus concedendum est. lib.3. dist.22.

An Christus adhuc lugeat peccata. Bernhardus: Saluator meus, inquit, luget etiam nunc peccata mea, & tamdiu est in mœrore, quamdiu nos persistimus in errore. Plurima quoq; alia abundãtius forsitan quàm circumspectius dicta, nec tam sobriè quàm discretè. Serm. de uerbis Origenis. Item: Absit ut in cœlo credatur locus esse tristiciæ, sicut nec culpæ. Nemo ibi delinquere, nemo lugere potest: sicut nec in terra quidem pœna ulla fuisset, nisi iniquitas præcessisset. In cœlo utique sola iusticia, sola nihilominus læticia est: in inferno solum peccatum, & pœna peccati: porrò in medio utraque inueniuntur, atq; ideo neutra cõsummata. In multis offendimur, quia in multis offendimus omnes. Quoniam enim nullus in cœlis passionis locus esse poterat uel doloris, propterea sanè unigenitus Dei patris passione sua hominem redempturus, sicut carnem in qua pateretur (qui pati non poterat in diuinitate) suscepit, sic etiam in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est, ut humiliaret etiam semetipsum in loco afflictionis. Hic ergo turbare se, pauere quoq; dignatus est & tædere, tẽtatus per omnia pro similitudine absq; ue peccato. In terra, inquam, uerè lachrymatus est IESVS, uerè cõtristatus, uerè passus, uerè mortuus, uerè sepultus: sed ubi resurrexit, uetera transierunt. Noli ultrà dilectum tuum in tuo quærere lectulo: surrexit, non est hic. Vox sponsæ est: In lectulo meo quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui, & non inueni. Ibidem.

Quomodo in nobis Christus. Bernhardus: Erat tamẽ Christus in ipso, haud aliter utiq; quàm per fidem. Serm. in festo Martini. Item: Patriarchis & Prophetis in uisione exhibitus est, Apostolis in humanitate, Martino in fide, angelis iam in specie. Ibidem. Item: Adest etiam nobis nunc carnis ipsius uera substantia, haud dubium sanè quin in sacramento. Adsunt reuelationes, sed in spiritu & uirtute, ut tempori gratiæ, quod nunc est, nihil in ulla gratia deesse probetur. Ibidem.

Plenitudo est. Bernhardus: In Christo nempe rerum plenitudo est sine numero & sine modo. Nam & sapientiæ eius non est numerus, & iusticia ipsius sicut mõtes Dei, sicut montes æterni, & sanctitas singularis, & redemptio inexplicabilis. Sermon.22 super Cant.

De tribus apparitionibus Christi inquit Bernhardus: Tres apparitiones Domini legimus, una quidem die, sed non uno tempore factas. Et quidem mirabilis secunda, mirabilis tertia: sed prima apparitio mirabilius admiranda. Mirabilis aquarum mutatio, mirabilis Iohannis & columbæ pariter & paternę uocis attestatio: sed illud mirabile magis, quòd agnitus est à Magis. Nã quòd Deum agnoscant, indicat adoratio, indicat thuris oblatio. Nec solùm Deũ, sed & regẽ agnoscunt, quod designatur in auro. Serm.2 in Epiph. Dom.

Quomodo Christus maneat cum hominibus. Mechtildis: Primò manet cum homine quasi pater cum filio, diuidendo cũ illo cœlestem hæreditatem, quam mercatus est illi precioso sanguine cum omni bono quod operatus est in terris triginta annis: hæc omnia propriè dat homini. 2. Quasi amicus cũ amico: & sicut homo habens fidelem amicum confugit in necessitate ad eum, ita etiam homo ad Christum habet refugium. 3. Sicut sponsus cũ sponsa, inter quos nulla potest esse diuisio, nisi infirmitate disiungantur: & Christus potest sanare infirmitatem, igitur nulla erit disiunctio. 4. Velut socius cum socio, qui iuuat onus portare socio: sic etiam Christus hominis onera fideliter portat, ut homini sint omnia leuissima. lib.1. cap.33.

Christus patri subijciendus. Rupertus: Christus subijciendus patri, non subiectione seculi, sed amore inseparabili: non specie diuersitatis, sed unitate indiuiduæ charitatis: inferior quidem secundum naturã hominis, compar secundum naturam Dei, & sic honorificandus semper, sicut & pater, gloria & honore æterni imperij. lib. 5. cap. 5 Com. in Iohan.

De ignorantia Christi inquit Bernhardus: Quo siquidem nomine intelligi da-

tur:quia dicens se aliquid nescire, non iuxta quod Deus, sed secundum hominem loquitur. Aliàs quippe loquens de se secundum suam diuinitatem, non filius, uel filium hominis: sed ego, uel me, sæpius ponere consueuit. ut ibi: Amen dico uobis, antequam Abrahã fieret, ego sum. Ego sum, ait: non, Filius hominis est. Nec dubium quin de illa essentia diceret, qua ante Abraham, & sine initio est: non qua post Abraham, & ex Abraham factus est. Alibi quoque hominum de se opinionem à discipulis inquirens: Quem dicunt, inquit, homines esse, nõ Me, sed Filium hominis? Rursus eosdem interrogans, quid de se ipsi quoque sentirent: Vos autem, non Quem filium hominis, sed Quem me, ait, esse dicitis? Carnalis uidelicet populi sententiam de carne inquirens, nomen carnis, quod propriè est filius hominis, posuit: spirituales uerò discipulos de sua dignitate interrogans, non filium hominis, sed signanter, me, dixit. Quod denique Petrus intelligens, quid per hoc quod dixerat, me, requisiti fuissent, sua responsione aperuit: Tu es, inquiens, non, IESVS filius uirginis, sed, Christus filius Dei. De gradibus humilitatis.

Quibus se Christus comparet. Honorius: Sed & hoc notandum, quòd se Christus quatuor rebus comparat, scilicet uermi, aquæ, ceræ, & testæ. In uerme tria considerantur: sine coitu nascitur, humilis repit, sine sono mouetur. Sic Christus sine coitu nascitur, humilis graditur, quiete utitur. Vnde & de manna uermis nascitur: quia Christus de uirgine generatur. In aqua etiã tria notãtur: sordes abluit, sitim extinguit, imaginẽ reddit. Sic Christus sordes abluit, sitim iusticiam sitientibus extinguit, imaginem Dei in nobis deletam reddit. In cera quoq; tria cõsiderantur: lumen ex ea efficitur, in ea scribitur, sigilli imago in ea imprimitur. Sic ex Christo lumen Spiritus sancti resplenduit, nomina nostra in libro uitæ, & suum nomen in frontibus nostris scripsit, & pater imaginem suam in eo expressit. Ipse quippe imago Dei describitur, quæ sigillum nostris animabus imprimitur, & imago regis redditur. In testa ultimò quoq; tria notantur: testa enim olla in igne solidatur, cibus in ea paratur, thesaurus in ea seruatur. Sic Christi humanitas in igne passionis ad immortalitatem firmatur, cibus nobis de eius corpore in altari paratur, omnis thesaurus sapientiæ & scientiæ in eo occultatur. In Psal. 21.

Qualem sedem Dauid esset Deus daturus Christo, exponit Bernhardus: Dabit ergo ei Dominus Deus sedem Dauid patris sui, non typicã, sed ueram: nõ temporalem, sed æternam: non terrenam, sed cœlestem. Quæ idcirco (ut iam dictum est) memoratur fuisse Dauid, quia hæc, in qua temporaliter sedit, æternę illius gerebat imaginem. Homilia 4 de B. Virg.

Vtrum credentes ante Christum omnia norint de Christo futura. Bernhardus: Ita ergo multi ante Saluatoris aduentum, Deũ omnipotenté tenentes, & diligentes suæ salutis gratuitum promissorem, credentes in promissione fidelem, sperantes certissimũ redemptorem, in hac fide & expectatione saluati sunt: licet quando & qualiter, & quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent. Epist. 76.

Pax à Christo. Bernhardus: Planè mons magnus, pax in corde, pax in carne, pax ab iniquis hominibus, pax cum omnibus proximis, pax ab ipsis dæmonibus, pax cum Deo, & pacis non erit finis. Serm. de uerbis Psal. 23: Quis ascendet, &c. Item: Est pax ficta, ut in Iuda: est ordinata, ut in Adam & Eua. Harum neutra est locus Dei. Sola pax Christiana, quam Dominus reliquit & dat discipulis suis, ipsa est in qua Dominus requiescit. Hæc offertur per sanctos prędicatores uniuerso generi humano: sed eam quidam repellunt, aliqui recipiunt. In lib. Sententiarum.

Pascha uetus abolitum. Petrus Alphonsus: Postquam uerò per mortem suam totũ completum est, iam illud Phase fieri necesse ulterius nõ est, immò Pascha illud, quod ab Apostolis nostris ordinatum nobis est. Rectum est enim, ut diem saluationis animarum, quæ coli dignior est, commutemus pro die saluationis corporum. Nam & ueniente maiore lætitia, minor recedit: & oriente sole, stellarum claritas aufugit. Sed & memoriam prioris debemus dimittere pro memoria sequentis, sicut & per Hieremiam prophetam Dominus promisit: Ecce dies uenient, inquit, dicit Dominus, & nõ dicetur amplius, Viuit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti: sed, Viuit Dominus, qui eduxit & adduxit filios Israel de terra Aquilonis. In Dial. tit. 12.

Phrases. Bernhardus: IESVS Christus filius Dei nascitur in Bethlehé. In nat. Serm. 1. Item: Per hoc quòd mater est, genuit tibi Deum. In uigil. nat. Serm. 3.

DE SPIRITV SANCTO.

Rupertus dicit, uocabulum Spiritus esse cõmunicabile tribus personis, sed in sacris Scripturis sæpius uni personæ, scilicet tertiæ assignari, &c. lib. 1. cap. 12 de glorif. Trinitatis, & process. Spir. san.

Berengosius ait: Volũtas diuina dicitur spiritus. Est autem propriè spiritus habitus.

Sed quia in ſpiritu & anhelitu ſæpe uoluntas hominis perpenditur (aliter enim ſpirat lætus, aliter iratus)diuinitatem tranſlatiuè uocarunt ſpiritū, ſed ἀντονομαστικῶς ſanctum. Spiritus iſte à patre & filio procedit: quia uolūtas diuina & bonitas inde, quòd ita potens & ſapiens Deus effectu oſtenditur. Nihil enim eſt Spiritum ſanctum à patre & filio procedere aliud, quàm diuinam uoluntatem ex potentia & ſapientia uſq; ad creationem & gubernationem rerum extendere. Hæc bonitas & uoluntas patri coęterna eſt & filio. lib.3 de Philoſoph. mūdi, cap.9.10.11.

Spiritus ueritatis. Rupertus: Spiritus ueritatis rectè paracletus uel conſolator dicitur: quia uidelicet filios ſpōſi de morte uel abſentia patris conſolatur uero ſcripturarum ſenſu, dicēdo quòd oportuit pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſsionem peccatorum. Quo nomine nuſquā antehac appellatus inuenitur: quia uidelicet, quāuis ueteribus ſanctis & ipſis ante paſsionē Chriſti Apoſtolis datus fuerit, non ſic ulli datus erat, ut deberet appellari paracletus: nec enim in remiſsionem peccatorum fuerat datus antequam glorificaretur IESVS. In eo quippe tota eſt conſolatio paracleti: quia luctum antiquū per ſacramentum paſsionis Chriſti abſtergit, dum de Deo patre per mortem filij ſui propitio facto, noua regeneratione de filijs irę filios reddit gratiæ, de ſeruis peccati filios iuſticiæ, de filijs mortis & perditionis filios uitæ & acquiſitionis. lib.11 Cōment. in Iohan. cap.14.

Paracletus. Rupertus: Spiritus ſanctus idcirco paracletus, id eſt, conſolator dicitur, quia captiuos filios Adæ, filios efficit Dei per regenerationem baptiſmi, & in hoc ſeculo peregrinantes conſolatur, teſtimonium reddendo ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei, quando non ſolùm in prophetiæ gratiam, ſed in remiſsionem originalis peccati, omniumq; actualium peccatorum datur per fidem IESV Chriſti. Hoc autem nō fieret, niſi Chriſtus unus pro omnibus nobis æterno patri, Adæ debitum ſoluiſſet, & ueteris piaculi cautionem pio cruore deterſiſſet. lib.9 de Diuin. officijs, cap. 3.

Spiritus Dei. Rupertus: Prius dicebatur Spiritus Dei, ſiue Spiritus Domini. Spiritus ſanctus altius enunciari cœpit, & nomen uenerabilius eſt quàm Spiritus Dei. libro 1 Com. in Matth. cap.1.

Lætitia patris. Rupertus: Spiritus ſanctus ſicut lumen uultus Domini, ſic rectè dicitur & eſt lætitia patris & filij. Vbi Spiritus ſanctus inhabitat, illic ſempiterna & inenarrabilis eſt lęticia, nec aliud quàm ipſa eſt lęticia, quam importat. lib. 6 de glorif. Trin. & proceſſ. Spiritus ſancti, cap.16.

Oleum. Rupertus: Spiritus ſanctus oleū dicitur: ut, Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. lib.6 Com. in Matt. cap.6.

Charitas. Lombardus: Ita Spiritus ſanctus proprio uocabulo charitas nuncupatur, cum ſit pater & filius uniuerſaliter charitas. lib.1. diſt. 10.

Donum. Lombardus: Spiritus ſanctus & donum dicitur, & datum ſiue donatum: ſed datum ſiue donatum ex eo tantùm dicitur, quia datur uel donatur, quod habet tantùm ex tempore. diſtinct.18. lib.1. Item: Ita etiam de Spiritu ſancto dicendum eſt, qui propriè dicitur donum Dei, cum tamen & alia plura ſint dona Dei. Sed Spiritus ſanctus ita proprietate immutabili & æterna donum eſt, ſicut filius proprietate eſt filius. Eo enim dicitur donum, quo Spiritus ſanctus, & utroq; utiq; nomine relatiuè dicitur, eademq; relatione dicitur Spiritus ſanctus & donum, licet ipſa relatio nō ita appareat in hoc nomine Spiritus ſanctus, ſicut in hoc nomine Donum. ibidem diſt.26.

De noticia Spiritus ſancti. Bernhardus: Sed dicit aliqs, Ergo & Spiritus ſancti agnitio non eſt neceſſaria, ut cum dixerit, eſſe uitam æternam noſſe & patrem & filium, de Spiritu ſancto tacuerit. Eſt utiq;: ſed ubi pater & filius perfectè agnoſcitur, utriuſq; bonitas, quæ Spiritus ſanctus eſt, quomodo ignoratur? Neq; enim integrè homo homini innoteſcit, quādiu latet utrum nā bonæ an malæ ſit uoluntatis: quanquam & cū dictū eſt, Hæc eſt uita æterna, ut cognoſcant te uerū Deum, & quem miſiſti IESVM Chriſtum: profectò ſi miſsio illa beneplacitum tam patris benignè mittētis, quàm filij uoluntariè obedientis demonſtrat, non omnino tacitum eſt de Spiritu ſancto, ubi tantæ utriuſq; gratiæ mentio facta eſt. Vtriuſq; ſiquidem amor & benignitas Spiritus ſanctus eſt. Serm.8 ſuper Cant.

Quid ſit. Rupertus: Spiritus ſanctus eſt tertia in Trinitate perſona. lib. 1. in Geneſ. capite 7.

Bernhardus: Spiritus tamē ſanctus, quaſi ſpecialiter ſpiritus dicitur, quòd ab utroq; procedat firmiſsimum & indiſſolubile uinculum Trinitatis, tāquam propriè ſanctus, quòd ſit donum patris & filij, omnem ſanctificans creaturam: quamuis pater quoq; & ſpiritus & ſanctus, itemq; & filius & ſpiritus & ſanctus ſit. Ex quo omnia, & per quē omnia, & in quo omnia, ait Apoſtolus. Serm.3 in Pentecoſt.

Coeſſentialis patri. Rupertus: Spiritus ſanctus, qui alterius naturæ non eſt quàm

pater & filius, quibus de personis hic enunciatur. libro undecimo, capite decimoquarto in Iohan.

Richardus: Spiritum namq; qui procedit ab homine, constat ipsi homini consubstantialem non esse. Spiritus autem Dei ei à quo procedit pro certo est consubstantialis, & omnino per omnia æqualis. Quid tamen mirum, si pro similitudinis ratione dicitur spiramen patris & filij, qui in diuersis scripturis dictus est digitus Dei? In eo autem quòd digitus Dei dicitur, nulla inæqualitas notatur, sed ad aliquã proprietatis suæ similitudinẽ refertur. Digitum sanè protendimus, cum aliquid alicui ad oculum ostendere uolumus. Quando igitur Deus alicui interna & occulta sapientiæ suæ Spiritus sui illustratione reuelat, quid aliud quàm quod uideri uult, digito suo demonstrat? Nam pater quidem & filius, unus idemq; per omnia Deus, Spiritus sui inspiratione docet nos de omnibus. lib. 6. de Trinit. cap. 9.

Est Deus. Rupertus: Spiritum sanctum credimus & confitemur uerum esse Deum & Dominum, patri & filio consubstantialem & coæternum: id est, per omnia secundum substantiam quod patrem & filium, non eũdem in persona quem patrem & filium. Nam sicut alia patris & alia filij, sic nihilominus alia est persona Spiritus sancti: diuinitas autẽ & gloria atq; maiestas, quæ patris & filij, eadem nihilominus est Spiritus sancti. Et ut persona filij & huius Spiritus sancti proprietates alijs quoque discernamus uocabulis, sicut filium uerbum patris dicimus, siue rationem, non utiq; uerbum affectiuum, neq; affectatam rationem, sed substantiale uerbum, & rationem sempiternè & substantialiter uiuentem: sic Spiritum sanctum dicimus patris & filij charitatem siue amorem, non utique accidentalem charitatem, neque aduentitium amorem, sed substantialem charitatem, & æternæ substantiæ amorem. lib. 1 de operibus Spiritus sancti, cap. 3. Itẽ: Solius Dei est esse ubiq;, Spiritus sanctus totum repleuit orbem terrarum. Ergo Deus est. libro 10 de Diuin. offic. cap. 22.

Bernhardus: Dulcissimum enim quiddam in Deo Spiritus sanctus est, benignitas Dei, & idem ipse Deus. Sermon. 1 in festo Pentecost.

Lombardus: De Spiritu sancto expressa documenta in ueteri Testamento habemus. In Genesi legitur: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et Dauid dicit: Quò ibo à Spiritu tuo? In lib. Sapientiæ dicitur: Spiritus sancti disciplinæ effugient fictum: benignus est enim Spiritus sapientiæ. Esaias quoque ait: Spiritus Domini super me. libro primo, distinctione secunda.

Est amor substantialis. Rupertus: Spiritus sanctus substantialiter amor est, non tantummodo amans, quod dici potest & de aliquo qui accidentali dono eiusdem Spiritus participationis amare incipit: sed ipsa diuini amoris substantia est, uiuida natura est, uerus Deus. libro 11 de Diuin. officijs, capite 7.

Bernhardus ait: Est enim Spiritus ipse indissolubile uinculum Trinitatis, per quem sicut pater & filius unum sunt, sic & nos unum sumus in ipsis, eo miserante qui pro discipulis hoc ipsum orare dignatus est, Iesu Christo Domino nostro. Serm. 1 in octaua Paschæ. Itẽ: Nempe si rectè pater osculans, filius osculatus accipitur: non erit alienum, osculum Spiritum sanctum intelligi, utpote qui patris filijq; inperturbabilis pax sit, gluten firmũ, indiuiduus amor, indiuisibilis unitas. Serm. 8 super Cant.

Lombardus inquit: Spiritus sanctus amor est, siue charitas, siue dilectio patris & filij. libro 1. distinct. 10. Item: Spiritus sanctus amor est patris & filij, quo se inuicem amant & nos. Ibidem distinct. 17. Item: Dictum est, quòd Spiritus sanctus amor est, quo pater diligit filium, & filius patrem. Rectè ergo Spiritus sanctus dicitur connexio uel concordia patris & filij, & per eum omnia connexa. Ibidem distin. 31. Et: Quòd pater & filius se diligant, & unitatem seruent, non solùm essentia sua, sed suo dono proprio. Ibidem dist. 32. Et: Sicut in Trinitate dilectio est, quæ est pater & filius & Spiritus sanctus, quæ est ipsa essentia deitatis, & tamen Spiritus sanctus dilectio est, quę non est pater uel filius: nec ideo duæ dilectiones sunt in Trinitate: quia dilectio quæ propriè Spiritus sanctus est, est dilectio quæ Trinitas est, non tamen ipse Trinitas est: sicut Spiritus sanctus est essentia quæ Trinitas est, non tamen ipse Trinitas est. ita in Trinitate sapientia est, quæ est pater & filius & Spiritus sanctus, quæ est essentia diuina: & tamen filius est sapientia quæ non est pater uel Spiritus S. Nec ideo duæ sapientiæ ibi sunt: quia sapientia quæ propriè est filius, est sapiẽtia quę est Trinitas, ipse tamen non est Trinitas: sicut filius est essentia, quæ est Trinitas, ipse tamen non est Trinitas. Ibidem.

Petrus Cantor ait: Circa Spiritum sanctum, qui est amor patris & filij, & signum & probatio intimi amoris patris ad filium, sicut proles parẽtum. Spirat enim ab utroque. cap. 77.

An Spiritus sanctus relatiuè dicatur. Lombardus: Quidam tamen putant, Spiritum

uel

uel donum non dici relatiuè ad patrem uel ad filium. Si enim, inquiunt, hoc relatiuè ad se dicuntur, suis inuicem sibi respondent uocabulis, ut sicut dicitur pater filij pater, & filius patris filius, ita dicatur pater Spiritus sancti uel doni pater, & Spiritus sanctus uel donum patris spiritus uel donum. Sed non ita est in omnibus relatiuis. Non enim omnia quæ relatiuè dicũtur, suis ad se inuicem respondent uocabulis. lib. 1. dist. 26.

Spiritus sanctus procedit. Rupertus: Proprietas uel differentia processionis in eo est, quia filius quidem processit & uenit, uidelicet ad condendam sanctæ Ecclesiæ domum, quam per ipsum cõdidit qui uniuersa creauit Deus: Spiritus autem sanctus tunc processit, & usque ad finem seculi procedere non desinit, ad dedicandam & illustrandam domum eandem, ut inhabitet in illa, & inambulet Deus unus, pater & filius & ipse qui illam dedicat & consecrat Spiritus sanctus. lib. 12. capite 15 Comment. in Iohan. Et: Spiritus sanctus extunc usque in æternum in subiectam rationalem creaturam procedere non desinit: quia uidelicet absq; processione eius inopia creaturæ subsistere nequit, sicuti absq; solis lumine luna non lucet. Ibidẽ. Itẽ: Spiritus sanctus non genitus, sed procedẽs rectè dicitur. Ibidẽ. Et: Ipsa missio processio est, nisi hoc tãtùm, quòd in sua substãtia semper inuisibiliter Spiritus procedit: in aliena autẽ specie ad tẽpus missus est, scilicet cũ uel super Dominũ in specie colũbæ, uel super Apostolos eius apparuit in igne, aliàs aliter. Ibidẽ. Et: Venit enim paracletus, missus est Spiritus ueritatis: processit tũc uisibiliter, qui semper inuisibiliter procedit. Visibiliter tũc processit, nõ tamẽ in sua substãtia, qua est inuisibilis: sed in linguis apparuit igneis, & in corde accẽdit, & in ore disertos reddidit, & ut instructos testes Christi ipse inuictus Spiritus sanctus ad publicum produxit. Ibidẽ. Et: Nõ solùm à patre, sed etiã à filio Spiritus sanctus procedit: sic non semel, sed bis pro diuersis affectib. dari illũ oportuit. Ibidem lib. 12. cap. 16. Et: Processio Spiritus sancti tribus modis effecta est secundũ Scripturas ueritatis. 1, ut in principio crearẽtur omnia. 2, ut spiritualibus donis humana exornaretur natura. 3, ut in pœnitentiã & remissionẽ peccatorũ daretur, quod ante Christi aduentum non fiebat. lib. 1 de glorif. Trinit. & process. Spiritus sancti, capite 11. Et: Filius de solo patre generatione processit inenarrabili: hic autem Spiritus sanctus de patre & filio processione procedit nihilominus ineffabili. libro primo de operibus Spiritus sancti, cap. 6.

Bernhardus ait: De Spiritu sancto, si non processionem, qua ex patre filioq; procedit, (illa enim mirabilis facta est scientia ex me) confortata est, & non potero ad eam: noui tamen aliquid, uidelicet inspirationẽ. Duo enim sunt, unde procedat, & quò. Processio à patre & filio, posuit tenebras latibulum suũ: sed processio ad homines, hodie cœpit innotescere, & est fidelibus iã manifesta. Serm. 1 in die Pent.

Lombardus ait: Dicendum est, Spiritum sanctum à patre esse & filio, & procedere à patre & filio, quod multi hæretici negauerunt. Quòd autem de utroque procedat, multis diuinorum eloquiorum testimonijs comprobatur. Dicit enim Apostolus: Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra. Ecce hic dicitur Spiritus filij. Et alibi: Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ipse etiam filius de Spiritu sancto dicit in Euangelio: Quem ego mittam uobis à patre. Patris autem Spiritus dictus est, ubi legitur: Si Spiritus eius qui suscitauit Christum à mortuis, habitat in uobis. Et ipse Christus dicit: Non enim uos estis qui loquimini, sed Spiritus patris uestri qui loquitur. Et in alio loco: Quem mittet pater in nomine meo. Et alibi ipse filius de Spiritu sancto ait: De patre procedit. His & alijs autoritatibus pluribus ostenditur, quòd Spiritus sanctus à patre & filio procedit. libro 1. dist. 11. Item: Græci tamen dicunt, Spiritum sanctum procedere tantùm à patre, & non à filio. Quod ideo dicunt, quia Veritas in Euangelio fidem integram continente, de processione Spiritus loquens, solum patrem commemorat, dicens: Spiritus qui à patre procedit. Et etiam ideo, quia in principalibus concilijs, quæ apud eos celebrata sunt, ita Symbola eorũ, subiunctis anathematibus, sancita sunt, ut nulli de Trinitatis fide aliud docere, uel aliter prædicare, quàm ibi continetur, liceat. In quibus quidem Symbolis cum Spiritus sanctus commemoretur procedere à patre, & non à filio: Quicunque, inquiunt, à filio eum procedere addunt, anathema incurrunt. Vnde & nos arguunt anathematis reos. Addunt etiam ad assertionem suæ opinionis, & in testimonium nostræ damnationis, de Symbolo fidei, quod secundum traditionem prædictorum conciliorũ Leo 3 Romæ transcriptum in tabula argentea, post altare beati Pauli posita, posteris reliquit pro amore, ut ipse ait, & cautela fidei orthodoxæ. In quo quidem Symbolo in processione Spiritus solus commemoratur pater, his uerbis: Et in Spiritũ sanctum, Dominum & uiuificatorem, ex patre procedentem, cum patre & filio

coadorandum & glorificandum, &c. Illud est Symbolum quod in Missa cantatur, editum in Niceno concilio, in fine, cuius subiunctum est: Qui aliud docuerit, uel aliter prædicauerit, anathema sit. Ideoque Gręci nos anathematizatos dicũt, quia dicimus, Spiritum sanctum à filio procedere, quod ibi non continetur. Quòd enim secundum nos ibi dicitur, Qui à patre filioq; procedit: alterum à Latinis est additum, scilicet filioq;. Ibidem. Et: Sciendum est tamen, quòd Græci confitentur Spiritum sanctum esse filij, sicut & patris: quia & Apostolus dicit, Spiritum filij. Et Veritas in Euangelio: Spiritum ueritatis. Sed cum non sit aliud Spiritum sanctum esse patris uel filij, quàm esse à patre & à filio, etiam in hoc in eandem nobiscum fidei sententiam conuenire uidétur, licet in uerbis dissentiant. Ibidem. Item: Vnde etiã quidam eorũ catholici doctores intelligentes, unã eandemq; fore sententiam prædictorum uerborum, quibus dicitur Spiritus sanctus procedere à filio, & esse filij, professi sunt Spiritum sanctum etiam procedere à filio. Vnde Athanasius in Symbolo fidei: Spiritus sanctus à patre & filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Ecce, Spiritum sanctum apertè dixit procedere à patre & à filio. Didymus etiam eorum maximus doctor, in libro secundo de Spiritu sancto, Spiritum sanctum à filio procedere dicit. Saluator inquit, qui est ueritas: Non enim loquetur à semet ipso. hoc est, non sine me & sine meo & patris arbitrio, quia inseparabiliter est à me & à patris uoluntate: quia ex se non est, sed ex patre & me est. Hoc enim ipsum quòd subsistit & loquitur, à patre & à me illi est. Ibidem. Et: Hoc habet pater à se, & non ab alio, ut de ipso sit & procedat Spiritus sanctus. Filius autem non à se, sed à patre hoc habet, ut de ipso sit & procedat Spiritus sanctus. Ibidem distinctione duodecima. Item: Inter generationem uerò filij, & processionem Spiritus sancti, dum hic uiuimus, distinguere non sufficimus. dist. decimatertia libri primi. Item: Diligenter adnotandum est, quòd gemina est processio Spiritus sancti, æterna uidelicet, quę ineffabilis est, qua à patre ad sanctificandam creaturam procedit. Et sicut ab æterno communiter ac simul procedit à patre & filio, ita & in tempore communiter & simul ab utroque procedit ad creaturam, non diuisim à patre in filium, & à filio ad creaturam. Ibid. dist. decimaquarta. Et: Donationem gratię Spiritus sancti dici processionem uel missionem eiusdem. Sed cũ donatio & datio non sit nisi temporalis, cõstat, quia & hæc processio siue missio temporalis est. Ibidem. Item: Filius natiuitate essentia est, & Spiritus sanctus processione est essentia. Ibidem distinctione decimaoctaua.

Hugo Eterianus: Neque materia neque species Spiritus sancti pater, neque pars, neque ut ex contrario fit permanente subiecto, eodem ad contrarij permutationem, quod per passionem fit, & alterius corruptione: sed à Spiritu sancto corruptio abest omnis, & uniuersa penitùs alteratio, quæ non uariatur per tempora, quasi antè paruulus extitit, & ut puer in uirũ, sic per momenta temporum ad incrementum ueniunt. Alius certè modus est existentiæ, secũdum quod amborum, patris scilicet & filij, Spiritus esse censeatur: ineffabilis & inuestigabilis, licet dictus Spiritus polliceatur dicere creaturæ omni. Veruntamen apud Latinos omnibus patet per fidem, patris & filij esse Spiritum substantialiter, & secundum naturam, & æqualiter, quia non minus filij, magis uerò esse apparet patris: scilicet utriusque per omnia æquè existit. Ob quam rem non est secundum abundãtiam uel defectum alterutrum: quia quot modis est patris, totidem filij existit secundum naturam, substantialiter secundum causam, & secundum emissionem, id est, processionem. libro secundo de process. Spiritus sancti, capite decimotertio. Et: Si ex solo patre procedit Spiritus, non est ipse imago filij, sed patris, ut sine medio ex ipso coruscans. Non est autem hoc, cum Spiritus imago sit filij, & ex ipso ꝓximè refulgeat. Quare si filius ideo ex patre prouenit, quia eius existit imago: & Spiritus ex filio existentiam habet, quia imago eius est. Amplius: Propinqor erit patri quàm filio, & magis patris quàm filij. Amplius: Si ex patre solo procedit, ad mensuram dat pater filio Spiritum, cum solam missionem, & non emissionem ei tribuat. In quo scilicet non uidetur remetiri paternam excellentiam, nec ex integro Spiritum habere cum omnibus quæ circa ipsum considerantur, sicut habet pater. Ibidem cap. 17. Item: Vnus est filius Dei unigenitus, uerusq; Deus, qui ut suum mittit Spiritum, sic esse tribuendo emittit. lib. 3. capite 13.

De triplici processione ait Rupertus: Processio sancti Spiritus tribus affectata est modis secundum Scripturas ueritatis. Primo, ut in principio, id est, in filio, siue per filium crearentur omnia: inter quæ ubi dictum est, Et Spiritus Dei ferebatur super aquas: maxima atq; pulcherrima narratur facta esse creatura, lux intellectualis, scilicet creatura angelica. Secũdo, ut spiritualibus

donis

donis humana exornaretur creatura: inter quæ maximum est illud, quòd locutus est per Prophetas. Tertio, ut in pœnitentiam & remissionem peccatorum daretur, quod ante Christi aduentum non fiebat. lib. 2 de glorificat. Trinit. & process. Spiritus sancti, capite 18.

Inter nasci & procedere quid intersit. Lombardus: Quid autem inter nasci & procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? Non omne quod procedit, nascitur, quamuis omne procedat quod nascitur. Sicut non omne quod bipes est, homo est, quãuis bipes sit omnis q homo est. Hoc scio. Distinguere autẽ inter illã generationẽ & hãc processionem nescio, nõ ualeo, nõ sufficio. Ac per hoc, quia & illa & ista est ineffabilis, sicut Propheta de filio loquens ait: Generationem eius quis enarrabit? Ita de Spiritu sancto uerissimè dicitur: Processionem eius quis enarrabit? Satis sit ergo nobis, quia nõ est à seipso filius, sed ab illo de quo natus est: non est à seipso Spiritus sanctus, sed ab illo de quo procedit. Et quia de utroq; procedit, sicut iam ostendimus libro primo, distinctione 13.

De patefactione Spiritus sancti inquit Bernhardus: Nobis illa manifestatio potius quàm Apostolis facta est. Ad quid enim illis necessariæ linguæ gentium, nisi ad conuersionem gentium? Fuit in eis alia quædã manifestatio, magis ad eos pertinens, & hæc usque hodie fit in nobis. Manifestum enim fuit, indutos esse uirtute ex alto, qui de tanta pusillanimitate spiritus ad tantam deuenêre constantiam. Serm. primo in fest. Pentecost.

Est inuocandus. Bernhardus: Meritò proinde sponsa quem diligit anima sua inquirens, non se suæ carnis sensibus credit, nõ curiositatis humanæ inanibus ratiocinijs acquiescit: sed petit osculum, id est, Spiritum sanctum inuocat, per quem accipiat simul & scientiæ gustum & gratiæ condimẽtum. Ser. 8 super Cant.

Quis pepererit Spiritum sanctum. Rupertus: Per passionem Christi hoc actum est, quòd gratia paracleti Spiritus in nos effusa est. Nam si Christus non passus ascendisset in cœlum, profectò iste Spiritus gratiæ, qui per sanguinẽ eius peccata remittit, datus non fuisset. libro duodecimo Com. in Iohan. cap. 16.

De effusione Spiritus sancti ait Rupertus: Apostolicæ uel omnes Ecclesiasticæ ordinationes, & omnino cunctæ Spiritus sancti ordinationes, non ante, sed post glorificationem IESV effusæ sunt: quia uel hic erat ordo necessarius, ut prius passione Christi redimeretur, & postea effusio Spiritus sancti fieret. lib. 7 Com. in Ioh. cap. 7.

De missione Spiritus sancti inquit Lombardus: Sicut filius duobus modis dicitur mitti, uno quo uisibiliter apparuit, altero quo inuisibiliter à castis mentibus percipitur: ita & Spiritus sanctus à patre & à filio ac à seipso duobus modis procedere siue mitti siue dari dicitur, uno uisibiliter, altero inuisibiliter. Datus est enim uisibilis creaturæ demõstratione, sicut in die Pentecostes, alijsq; uicibus: & datur quotidie inuisibiliter, illabendo mentibus fideliũ. lib. 1. dist. 16. Et: Per illum modum missionis Spiritus sancti corporaliter exhibitũ, & monstrata est spiritualis & interior missio sancti Spiritus siue donatio. Ibidem. Item: Spiritus sanctus, qui Deus est, ac tertia in Trinitate persona (ut suprà ostensum est) à patre & filio ac à seipso temporaliter procedit, id est, mittitur ac donatur fidelibus. Ibid. dist. 17. Item: Tunc enim mitti uel dari dicitur, cum ita in nobis est, ut faciat nos diligere Deũ & proximum, per quod manemus in Deo, & Deus in nobis. Ibidem.

Hugo Eterianus ait: Semper pater, semper filius Spiritum emittit, nequaquam in emittendo diffusum, nequaquã in aera dissolutum, nec indigentia cõpulsum aliqua. Virtus enim sanctificatiua est per se subsistens, nec uirtutis, nec uitij, nec uicissitudinis, nec alterationis susceptibilis, qui dũ à patre & filio mittitur & procedit, missus & procedens non ex loco ad locum facit trãsitum. Quomodo repleuit orbẽ terrarũ, cœlũ, terrã & mare, & quæ in eis sunt rationalia? undiq; in eis Spiritus persistit, & ea continet, Domini scilicet filij existẽs, & ab eodẽ, ut à patre, missus & emissus: quod ineuitabili, ut æstimo, necessitudine, quę supponitur, sistit argumentatio. lib. 1 de process. Sp. san. cap. 9. Item: Emittit ergo filius Spiritũ, sed non absq; patre, sicut neq; pater absq; filio. Quia quemadmodum patris est Spiritus, ita & filij. Ibidem lib. 2. cap. 11.

Spiritum sanctum esse donũ Dei. Rupertus: Donũ Dei non est aliud, quàm Spiritus sanctus, donum patris & filij, quẽ ante Redemptoris aduentum miser iste mundus non cognouit. lib. 4. cap. 3 Com. in Iohan.

Spiritũ sanctũ dari. Lõbardus: Dicimus, Spiritũ sanctũ dici datũ uel donatũ relatiuè & ad dãtem, & ad illũ cui datur. Dans autẽ siue donator est pater cum filio & Spiritu sancto. Nec tamẽ dicimus Spiritũ sanctũ referri ad se, sed appellatio dati uel donati refertur & ad dãtem & ad recipientem: quia non potest aliquid dici datum, nisi ab aliquo & alicui detur. Cũ autem Spiritus sanctus dari à se uel datus à se dicitur, relatiuè quidem

quidem

quidem dicitur ad illum cui datur, & est appellatio relatiua: & in illo cui datur, mutatio fit, non in dante. libro primo, dist. trigesima.

Homines non dare Spiritum sanctum. Lombardus: Hic quæritur, utrum & uiri sancti dent uel possint dare alijs Spiritum sanctum? Quem si alijs dant, cum eius donatio suprà dicta sit processio, uidetur ab eis procedere Spiritus sanctus, uel mitti: sed creator à creatura non mittitur uel procedit. Restat ergo, ut Spiritum sanctum ipsi non dẽt, nec possint dare. libro primo. dist. decimaquarta.

Spiritum sanctum dari credentibus. Lõbardus: Sunt autem aliqui qui dicunt, Spiritum sanctum ipsum Deum non dari, sed dona eius, quæ non sunt ipse Spiritus: & ut aiunt, Spiritus sanctus dicitur dari, cùm gratia eius, quæ tamen non est ipse, datur hominibus: & hoc dicunt Bedam sensisse in superioribus uerbis, quibus dicit, Spiritum sanctũ procedere, cùm ipsius gratia datur hominibus, tãquam non ipse detur, sed gratia eius. Sed quòd ipse Spiritus sanctus, qui Deus est, & tertia in Trinitate persona, detur, apertè dicit August. decimoquinto lib. de Trinitat. ita dicens: Eundem Spiritum sanctum datum, cum insufflasset IESVS, de quo mox ait, Ite, baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti: ambigere non debemus. libro primo, distinct. decimaquarta. Et: Spiritus sanctus æqualis patri & filio nobis datur, nec ideo tamen minor est patre & filio. Ibidem. Item: Quia Spiritus sanctus & Deus est, & donum siue datum. Cũ autem donatio siue datio Spiritus sancti sit operatio Dei, & communis sit & indiuisa operatio trium personarũ, donatur itaque Spiritus sanctus non tantùm à patre & filio, sed etiam à seipso. Ibidem dist. 15. Itẽ: Spiritus sanctus nobis tantùm, non patri uel filio donabilis processit à patre. Filius ut non donabilis tantùm, sed ut genitus, qui & donari posset. Processit ergo ut genitus & donabilis. Sed Spiritus sanctus non procedit ut genitus, sed tãtùm ut donum. Ibidem dist. 18.

In quibus habitet Spiritus sanctus. Bernhardus: Spiritus iste odit sordes, nec habitare poterit in corpore subdito peccatis. Cui enim proprium est peccata repellere, ipsi & proprium est peccata odisse: nec in uno domicilio pariter morabuntur tanta munditia, & immunditia tanta. Recepto igitur Spiritu sancto per sanctimoniam, sine qua nemo uidebit Deum, audet quis ante faciem eius apparere tanquam lotus & mũdus, utpote qui cõtineat se ab omni malo, & qui actiones, etsi non cogitationes, frænauerit. Sed quia peruersæ & immundæ cogitationes separant à Deo, orandum est, ut cor mundum creetur in nobis: quod utiq; fiet, si Spiritus rectus fuerit in nostris uisceribus innouatus. Spiritum rectum quòd ait, &c. Sermone tertio in die Pentecost.

Iohannes Salisberiensis ait: Porrò Spiritus sanctus disciplinę effugiet fictũ, & corpus peccatis subditũ sui esse habitaculum dedignatur. lib. 2 Policrat. de Curial. nugis, cap. 27.

Quibus non datur Spiritus sanctus. Rupertus: Paracletum hunc Spiritum ueritatis non possunt accipere immundi amatores mundi, quia consolationem suam habent, quia non lugent, quia de peccatis suis, quorum hic paracletus remissor est, non dolent. lib. 11. cap. 14 Com. in Iohan. Et: Amatoribus huius mundi, qui lætantur cum malefecerint, & exultant in reb. pessimis, non datur paracletus hic, sed eis lugentib. peccata. Ibidẽ. Item: Quòd mundus paracletũ nõ uidit, infidelitatis est: quòd nescit eum, superbiæ est. Infidelitatis namq; est nõ respicere, uel nõ curare, nisi præsentia quę ui détur, & in illis intentũ uel contentũ esse, ut non cogitet æterna quæ non uidentur. Itẽ superbiæ est nõ scire, id est, nõ approbare talem paracletum, imò & uitam eorum qui cõsolationes eius inquirũt, ęstimare insaniã, & finem illorum sine honore. Ibidẽ.

Spiritũ sanctũ per sacramẽta operari, docet Rupertus: Duobus modis appropinquabit paracletus, quia paraclesin suam, scilicet remissionẽ peccatorũ, uisibilibus operãdo sacramentis apud uos manebit: id est, nunquã Ecclesiastico cõuẽtui deerit, & priuatã uel propriã infundẽdo gratiã in uobis erit, &c. lib. 11 Com. in Iohan. cap. 14.

Quomodo suscipiatur Spiritus sanctus. Rupertus: Non de loco ad locum mittitur qui ubiq; est Deus Spiritus sanctus, neque parietibus comprehenditur: sed sensib. mẽtis & fide suscipitur. lib. 12. cap. 16 in Iohan.

De donis Spiritus sancti. Bernhardus: Quid certum demonstrat Spiritus sanctus nobis in nobis occasione huius capituli? Profectò (quod interim occurrit) geminæ cuiusdam suæ operationis experimentum. Vnius quidem, qua nos primò intus uirtutibus solidat ad salutẽ: alterius uerò, qua foris quoq; muneribus ornat ad lucrum. Illas nobis, hæc nostris accipimus. uerbi gratia, fides, spes, charitas nobis propter nos dantur. Absq; his quippe salui esse non possumus. Porrò sciẽtiæ seu sapientiæ sermo, gratia curationis, prophetia, similiaq;, quibus carere cũ integritate etiã salutis proprię possumus, proximorũ proculdubio in salutem expendenda

expendenda donantur. Et has Spiritus sancti operationes, quas uel in nobis, uel in alijs experimur, ut ex re nomina accipiant, infusionem, si placet, atq; effusionem nominemus. Serm.18 super Cant.

Iohannes Salisberiensis ait: Spiritus sanctus inhabitans imprimit animæ sanctitatem, eiusdemq; riuulos multifariam spargit, diuersarum charismata gratiarum. lib.3. Polic. de Curial. nugis, cap.1. Et: Sic in alijs est prudẽtia, fortitudo, in alijs temperãtia, in quibusdam iusticia, in nonnullis fides, longanimitas, spes in alijs. In his feruor est charitatis. Hic patientia laborum, illic dolorum consolatio, alibi perseuerantia bonorum operum: qui tamen singula in singulis est unus & idem Deus. Ibidem libro quinto, capite 3.

De septẽ donis Spiritus sancti ait Lombardus: Expressè traditũ est, septem dona & uirtutes esse sanctificationesq; fidelium mentium, & in futuro non desitura, cum sint & in angelis. lib.3. dist.34.

Spiritus sancti dona augeri. Lombardus: Spiritus sanctus siue charitas penitùs immutabilis est, nec in se augetur uel minuitur, nec in se recipit magis uel minus: sed in homine uel potius homini augetur & minuitur, & magis uel minus datur uel habetur: sicut Deus dicitur magnificari & exaltari in nobis, qui tamen in se nec magnificatur, nec exaltatur. Vnde Propheta: Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. super quem locum ait autoritas: Deus non in se, sed in corde hominum grandescit. Sic ergo Spiritus sanctus homini datur, & datus amplius datur: id est augetur, & magis & minus habetur, & tamen immutabilis existit. libro quarto, distinctione decimaseptima.

De duplici effectu donationis Rupertus docet: Duobus datis, siue per duo data diffunditur. Altero quod est dari in remissionem peccatorum, altero quod est in diuisiones gratiarum. libro tertio de glorif. Trinit. cap.8. Item: Bis datus est Spiritus, primò in remissionem peccatorum per passionem Domini nostri IESV Christi: secundò in diuisiones gratiarum per gloriam eiusdem IESV Christi, resurrectione & ascensione glorificati, & sedentis ad dexteram maiestatis in excelsis. libro secundo in Zacha. capite tertio.

Quomodo operetur Spiritus sanctus, Bernhardus docet: Sequestretur proinde prærogatiua hæc summo ac incircũscripto Spiritui, qui solus, cum docet angelum siue hominem sciẽtiam, instrumentum nõ quęrit nostræ corporeę auris, sicut nec sibi oris. Per se infunditur, per se innotescit, purus capitur à puris. Solus nullius indiget, solus & sibi & omnibus de sola omnipotenti uoluntate sufficiens. Operatur tamen immensa & innumera per subiectam creaturam corporalem siue spiritualem: sed quasi imperans, non quasi mendicans. En (uerbi gratia) quòd linguam meam corporalem assumpsit nunc in opus suum, docere uidelicet uos, cum per se absq; dubio facilius suauiusque id posset, profectò indulgentia est, non indigentia. In profectu siquidem uestro meritum quærit mihi, non sibi solatium. Ser.5 super Cant.

De officio Spiritus sancti inquit Rupertus: Postquam resurgens à mortuis gloriosam immortalitatis & incorruptionis uestẽ induit, extunc per interpretem suum Spiritum sanctum, quem de cœlo misit, fecit suos intelligere quid fecerit eis. lib. undecimo Com. in Iohan. cap.13. Et: Christus nouam plantationem plantauit atq; rigauit: Spiritus autem sanctus, qui paracletus, id est consolator dicitur, incrementum dabit docendo & suggerendo. Ibidem capite decimoquarto.

Bernhardus inquit: Ad declinandum à malo tria operatur in nobis, compunctionem, supplicationem, remissionem. Initiũ enim reuertẽdi ad Deũ, pœnitẽtia est, quam sine dubio Spiritus operatur, nõ noster, sed Dei: idq; & certa ratio docet, & cõfirmat autoritas. Quis enim, cũ ad ignẽ uenerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne uenisse calorẽ, quẽ habere nõ poterat sine illo? Sic ergo qui prius in iniquitate erat frigidus, si postmodũ feruore quodã pœnitẽtiæ accendatur, aliũ sibi Spiritũ, qui suũ arguit & dijudicat, non dubitet aduenisse. Habes hoc & in Euãgelio, ubi cũ loqueretur de Spiritu, quẽ accepturi erant credẽtes in eũ: Ille, inquit, arguet mundum de peccato. Sed quid prodest pœnitere de culpa, & nõ supplicare pro uenia? Necesse est, ut etiã hoc Spiritus operetur, dulcedine quadam spei replẽs animũ, per quã fiducialiter postules, nihil hæsitãs. Vis ne ostendã tibi etiã hoc opus esse Spiritus sancti? Vtiq; dũ abest ille, tale aliquid in spiritu tuo nõ inuenies. Deniq; ipse est in quo clamamus: Abba pater. Ipse qui postulat pro sanctis, gemitibus inenarrabilib. Et hæc quidem in corde nostro. Quid autem in corde patris? Sicut in nobis interpellat pro nobis, ita & in patre delicta donat cum ipso patre. Aduocatus noster ad patrem in cordibus nostris. Dominus noster in corde patris. Itaque quod postulamus, idem ipse donat, qui donat ut postulemus: & sicut nos erigit pia quadam fiducia, ita Deum inclinat ad nos magis pia misericordia sua.

Itaq;

Itaque ut omnino scias, quia remissionem peccatorum Spiritus sanctus operatur, audi quod aliquando audierunt Apostoli: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittűtur eis. Et de malo quidem declinando sic: Porrò ad faciendum bonum quid in nobis Spiritus bonus operatur? Profectò monet, & mouet, & docet. Monet memoriã, rationé docet, mouet uoluntaté. In his enim trib. tota cõsistit anima. Memoriæ suggerit bona in cogitationibus sanctis, atq; ita ignauiã nostrã torporéq; repellit. Propterea quoties huiusmodi suggestioné boni senseris in corde tuo, da honorem Deo, & age reuerentiam Spiritui sancto, cuius uox sonat in auribus tuis. Ipse namque est qui loquitur iusticiam. Et in Euangelio habes: Quia ille suggeret uobis omnia, quæcunq; dixero uobis. Et aduerte quid pręmiserit: Ille docebit uos omnia. Dixeram enim, quia docet rationem. Multi siquidem monentur, ut bene faciant: sed minimè sciunt quid agendum sit, nisi adsit denuò gratia Spiritus sancti, & quam inspirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne uacua in nobis sit gratia Dei. Sed quid? Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi gratia. Propterea non solùm moneri & doceri, uerumetiam moueri & affici ad bonum necesse est, ab eo utiq; Spiritu qui adiuuat infirmitatem nostram, & per qué in cordibus nostris diffunditur charitas, quæ est bona uoluntas. Itaque cum sic adueniens Spiritus totam possederit animã, suggerendo, instruendo, afficiendo, loqués semper in cordibus nostris, ut audiamus & nos quid loquatur in nobis Domin⁹ Deus, rationem illuminans, uoluntatem inflammans: non tibi uidetur, quia totam domű impleuerint dispertitæ linguæ tanquam ignis? Nam in his tribus superius dictum est animam consistere totam. Sint autem dispertitæ linguæ propter multiplices cogitationes: sed earum multiplicitas, & uno lumine ueritatis, & uno charitatis feruore sit tanquam ignis. Sermon .1 in Pentecoste. Et: Veniat Spiritus tuus bonus, qui sordes abluat, & infundat uirtutes, in Spiritu iudicij, & Spirjtu ardoris Dei. Ibid. serm. secundo. Et: Eò beatam te dicunt omnes generationes, genitrix Dei, domina mundi, regina cœli. Omnes, inquam, generationes. Sunt enim generatiões cœli & terræ: Pater spirituű (ait Apostolus) ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Ex hoc ergo beatã te dicét omnes generatiões, quę omnib. generatiõib. uitam & gloriã genuisti. Ibidẽ. Et: Ipse est qui uirgini obũbrauit, Apostolos roborauit, ut & uirgineo corpori temperaret deitatis accessum, & Apostolos indueret uirtute ex alto, feruentissimã scilicet charitate. Hanc nimirum Apostolicus ille chorus loricam sese induit, sicut gigas ad faciẽdam uindictam in nationibus, increpationes in populis: ad illigandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorű in manicis ferreis. Ibidem serm. tertio. Item: Siquidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad feruorem. Ibidem. Et: De Spiritu sancto testatur Scriptura, quia procedit, spirat, inhabitat, replet, glorificat. Procedere dicitur duobus modus: unde, & quò. Vnde? à patre & filio. Quò? ad creaturam. Procedendo prædestinat, spirando uocat quos prædestinauit, inhabitando iustificat quos uocauit, replendo accumulat meritis quos iustificauit, glorificãdo ditat præmijs quos accumulauit meritis. Serm. 20 paruor. Sermon.

Mechtildis ait: Spiritus sanctus tria in Apostolis operatus est: primò, in aduẽtu suo diuino amore succendens, penitùs eos permutauit, ita ut qui antea timidi & infirmi & seipsos amantes erant, tam fortes sunt facti, ut etiam mori non timerent. Secũdò, sicut ignis purificat ferrum, & sibi simile efficit, sic etiam Spiritus sanctus Apostolos ab omni sorde purgatos in seipso ad plenum sanctificauit. Tertiò, sicut aurum igne liquatum, si cui formæ infunditur, eius in se imaginem repræsentat: ita etiam Spiritus sanctus igne sui amoris liquefactos in Deum refluere fecit, & eos diuinæ imagini conformauit, ut uideretur de ipsis impletű illud Psalmistæ: Ego dixi, Dij estis, &c. lib. 1. cap. 38.

Ecclesiam plantat. Honorius: Christus de cœlis Spiritum sanctum misit, & Ecclesiam instituit. Qui Spiritus sanctus Ecclesiam per uniuersam terram ut uineam propagauit, quã Christus prius sua prædicatione plantauit. In Psal. 8.

Hugo Eterianus: Quæ autem ab ipso effluunt, operationes ipsius uel gratiæ nuncupantur: quorum calore uiuificamur, & maturescimus peracerbi. Viuificati uerò & maturati, dulcescimus. Viuificat Deus pater, ut Apostolus dicit: Denuncio tibi in cõspectu Dei uiuificantis omnia. Vitam dat & filius: Oues enim, inquit, uocem meam audiunt, & ego uitam æternam do eis. Viuificat autem & Spiritus, sicut scriptum est: Spiritus uiuificat, caro autem nihil prodest. Quem filij esse, dictus Apostolus testatur. libro primo de process. Spiritus sancti, capite quinto.

Docet. Rupertus: Homines hoc Spiritu sancto inspirati uel inflammati, fortiter atque suauiter extunc prædicant, principaliter

ter de his tribus disputant, peccato, iusticia atque iudicio. libro 12 Com. in Iohan. cap. 16. Et: Christus non dixit, Arguet ille de peccato Iudæos: sed, Ille (inquit) arguet mundum: neque Iudæos tantùm, sed omnem quoque per Apostolos Christi arguet Spiritus sanctus mundum. Ibidem. Et: Spiritus ueritatis quæcunque audiet, loquetur. id est, ea quæ sunt, quæ uera existunt, & authoritatem in Scripturis habent, loquetur, nihil confingens, nihil peruertens: sed ueros prophetas faciens, ut non loquãtur à semetipsis, sed loquantur quæcunq; audient in Lege & Prophetis & Psalmis, &c. Ibidem. Et: opus siue officium Spiritus sancti est, secũdum hoc ipsum nomẽ, quod est Spiritus ueritatis, sanctos omnes in hoc seculo peregrinantes, & persecutiones piè uiuendo patientes, consolari, ut non fatigẽtur aduersis, neq; æmulẽtur in malignãtibus, dum faciendo iniquitatem eleuantur & exaltantur in gloria huius mundi, & cupitis fruuntur diuitijs. libro 10 Com. in Apocal. cap. 17. Et: Spiritus Deus est, cum uult deforis per angelum spirat, id est, præceptum uel consilium dat: & cum uult, intus per semetipsum spirat, id est, animæ substantiam substantialiter perambulat. libro secundo de glorificat. Trinitatis, capite undecimo.

Bernhardus ait: Doctrina Spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. Serm. 8 super Cant.

Hugo Eterianus inquit: In Prophetis & Apostolis, & in Christo unus Spiritus sanctus loquebatur: sed tamen aliter ab illis, & aliter à Christo idem Spiritus habebatur. Nam Christus per se Spiritum, illi uerò per Christum habebant. libro 2 de process. Spir. san. cap. 11.

Aperit Scripturam. Rupertus: Spiritus proprium opus est Scripturarum mysteria prout uult aperire, & ea quæ sapientibus & prudentibus abscondita sunt, paruulis reuelare, plerũq; sine hominis magisterio, quomodo Prophetas omnes & sanctos Apostolos, qui homines fuerãt sine literis & idiotæ priusquam datus hic Spiritus, glorificato IESV, illustrasset eos. libro 2 Com. in Apocal. cap. 3. Et: Spiritus sanctus, qui & quoque principium uocatus est, inspirator sanctæ Scripturæ. lib. 1 de glorif. Trinit. capite 6.

Bernhardus ait: At uerò dando Spiritum per quem reuelat, etiã ipsum reuelat. Dando reuelat, & reuelãdo dat. Porrò reuelatio quæ per Spiritum sanctum fit non solùm illustrat ad agnitionem, sed etiam accendit ad amorem, dicente Paulo: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et ideo forsan de his qui cognoscẽtes Deum, non tanquam Deum glorificauerunt, non legitur quòd Spiritu sancto reuelante cognoscerent: quia cum cognoscerent, non amauerunt. Sic quippe habes: Deus enim illis reuelauit. Nec enim adiunctum est, Per Spiritum suum, ne sibi sponsę osculum mentes impiæ usurparent, quæ contentæ ea quæ inflat, eam quæ ædificat nescierũt. Serm. 8 super Cantica.

Per Prophetas locutus. Rupèrtus: Spiritus sanctus, qui in Prophetis locutus est, qui utique omnipotens Dominus, & omnipotens Deus est, misit angelum suum ostendere seruis suis, quid oporteat fieri citò. libro duodecimo Comment. in Apocal. capite 22.

Dat remissionem peccatorum. Rupertus: Vinum & oleum, dona Spiritus sancti. Primum sancti Spiritus datum rectè dicitur oleum: quia sic primùm datus est, ut esset remissio peccatorum, dicente ipso qui dedit ipsa die qua resurrexit à mortuis. Secundum datum rectè dicitur uinum: quia nimirum secundò sic datus est Spiritus sanctus, ut esset fortitudo credentium, ut credentes faceret uerbosos & constantes ad prædicandum. lib. quarto Comment. in Apocal. Et: Duo huius Spiritus data sunt, alterum quod est remissio peccatorum, alterum diuersarum diuisio gratiarum. libro primo Com. in Matth. capite primo.

Efficit filios Dei. Rupertus: Spiritus sanctus sua processione hoc operatur, & in illis beatis spiritualibus, & in nobis hominibus, ut per hoc ipsum quòd Verbum Dei, filium Dei manentem in nobis habentes, filij Dei nominemur & simus. libro tertio de processione Spiritus sancti, capite 8.

Illuminat corda. Petrus Alphonsus: Spiritus sanctus corda nostra ita illuminat, ne aliquid falsi credere præsumant. In Dial. tit. 12.

Rupertus inquit: Per propriam operationem Spiritus sancti fit, quòd illuminãtur homines, ut sancti sint ad similitudinẽ Dei. Lib. 1 Com. in Iohan. cap. 1. Et: Quòd Spiritus sanctus aduenit ad illuminandam mentem hominis, eiusdem filij gratia fit, qui eundem Spiritum sanctum dare uenit. Ibidem.

Hildebertus ait: Quid securius quã gloriari in Spiritu sancto, qui illuminauit te? epist. 31.

Consolatur. Rupertus: Spiritus sanctus, quem acceperunt Apostoli, est paracletus in maximam consolationem, id est, in pec-

catorum remissionem, & Scripturarum reuelationem. libro 12 Com. in Iohan. capite 16.

Roborat. Bernhardus: Spiritus ille benignus, spiritus dulcis, spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans: qui cum patre & filio idipsum, sed non is ipse est: ut tres unum, ut unum tres esse uerissimè prorsus & fidelissimè catholica Ecclesia fateatur, à patre adoptata, à filio desponsata, à Spiritu sancto confirmata: quibus ut una substantia, sic eadem nihilominus gloria in secula seculorum. Serm. 6. de ascens. Dom.

Spiritus sanctus quomodo sit in pijs. Lombardus: Cum ubique sit, & in omni creatura totus, sunt tamen multi qui eum non habent. Non enim omnes Spiritum sanctum habent, in quibus est: alioquin & irrationabiles creaturę haberent Spiritum sanctum, quod fidei pietas non admittit. lib. 1 dist. 17.

Quomodo Spiritus sanctus in creatura maneat. Rupertus: Manere Spiritum sanctum in creatura sua, duobus modis accipimus. Vnus quidem modus est manendi, cùm illa creatrix substantia per seipsam creaturæ replens substantiam semper inhabitat: quod de angelis sanctorumque hominum spiritibus, qui iam cum Deo sunt carne soluti, non est dubitandum. Alius uerò manendi modus est, cum per fidem inhabitare incipiens, Ecclesiam suam nunquá in infidelitate derelinquit: uel cætera charismatum dona semel tribuens, postea nunquam subtrahit. Nec quisquam mortalium extitit, in quo hic Spiritus, qui diuini amoris substantia est, æterna statione requiesceret, præter illum de quo dictum est: Super quem uideris Spiritum descendentem & manentem in eo. lib. 10 de Diuin. offic. cap. 21.

Spiritus est charitas, qua nos diligimus. Lombardus: Ipse idem Spiritus sanctus est amor siue charitas, qua nos diligimus Deum & proximum: quę charitas cum ita est in nobis, ut nos faciat diligere Deum & proximum, tunc Spiritus sanctus dicitur mitti uel dari nobis: & qui diligit ipsam dilectionem qua diligit proximum, in eo ipso Deum diligit: quia ipsa dilectio Deus est, id est Spiritus sanctus. libro primo, distinct. 17.

Spiritus sanctus quomodo datus Christo Lombardus: Christo autem, qui est Dei filius, non ad mensuram datus est Spiritus. Neque enim sine gratia Spiritus sancti est mediator Dei & hominum homo Christus. Quòd enim est unigenitus filius Dei, æqualis patri, non est gratiæ, sed naturæ. Quòd autem in unitatem personæ unigeniti assumptus est homo, gratiæ est, non naturæ. Cæteris autem ad mensuram datur, & datus additur, donec unicuique pro modo suæ perfectionis propria mensura compleatur. libro primo, distinct. decimaseptima.

De differentia, quomodo Spiritus sanctus in Christo & nobis. Rupertus: Hic idem apud nos quidem & in nobis est, iuxta promissionem eiusdem Saluatoris nostri: sed longè præstantius, multoque præsentius in ipso capite nostro manere dicitur. Apud nos ita quidem manet, & ita in nobis est, ut nunquam desint in Ecclesia, qui gratiam huius Spiritus habeant, uel aliquod donum eius. libro 2 Com. in Iohan. capite 1.

Fides & Spiritus sanctus differunt. Lombardus: Fides autem est à Spiritu sancto, & non est Spiritus sanctus: quia donum uel datum solummodo est, non Deus dans. lib. 1. dist. 17.

De phrasibus inquit Rupertus: Gaudium in Spiritu sancto, uel gaudere in Domino, uirtus est. libro primo in proph. Nahum, cap. 1.

DE OPERIBVS DEI.

De operationib. Dei distinctis inquit Rupertus: Planè inseparabilis Trinitas unus Deus, inseparabiliter operatur. Verùtamé singulorum, id est, patris & filij & Spiritus sancti, sicut personæ proprietas, ita & in perfectione mundi considerāda est actio propria: uidelicet ut patris creatio, filij redéptio, sancti Spiritus proprium sit opus creaturæ innouatio. Deniq; cum pater per uerbum omnia facit, & Spiritus sanctus superfertur aquis, cooperantur quidem duę personæ uni operanti: ueruntamen ipsa uerbi dictio, uel Spiritus emissio, propria patris actio est. Item, cum filius, hoc est uerbum patris ad saluandum mundum ingreditur, pater quidem illud de corde suo eructat in uterū uirginis, & Spiritus sanctus illi corpusculum de materna substantia compingit, & sic duę personæ cooperátur uni operanti: ueruntamen sola filij persona est quæ carne induitur, pariterq; moritur. Nihilominus cum Spiritus sanctus per eiusdem filij passionem in peccatorum remissionem datur, pater quidem, ut ille procedat, uiscera sua, super nos hactenus iustè contenta, misericorditer laxat, & rediuiuus filius hominibus insufflat, & sic duæ personæ uni cooperantur: ueruntamen propria Spiritus sancti persona patris & filij donum uel gratia est, tota exornatio creaturæ rationalis. In Prologo super libros de Trinitate. Et: Planè ibi omnis nostra

in medio causa posita est, mors uel perditio nostra, quæ futura erat, illic perspecta est, & inde totum consilium habitum, ut unaquæq; persona suam operis partem susciperet: ut scilicet tunc quidem pater conderet, postea in plenitudine temporis filius perditū redimeret, Spiritus sanctus remissionem peccatorum & carnis resurrectionem perficeret: atq; ita communi Trinitatis consilio reædificarentur in homine deserta seculorum, & fundamenta generationis suscitarentur. Laus sapientiæ creatoris, honor gratiæ liberatoris, gratiarū actio pietati illuminatoris, adoratio uni indiuisę creatrici, liberatrici & gubernatrici omnium Trinitati. Libro 2 in Genesin, capite 1. Item: Trinitatis mysterium in forma trium angelorum se homini manifestare dignatur: quia uidelicet ubi Christus nascitur ex semine Abrahæ, eiusdem Christi filij Dei incarnationem præsentia suæ maiestatis tota Trinitas in hospitio uirginei uentris operatur, & exinde nomen eiusdem Trinitatis, nomen patris & filij & Spiritus sancti toto mundo publica prædicatione declaratur. Nam pater est qui uirginem imprægnat, filius qui natura induitur humana, Spiritus sanctus cuius operatione concipit uirgo, quæ uirum non nouerat. Libro 5 in Genesin, cap. 37. Et: Proprium personę patris opus, mortalitatis illatio: propriū personæ filij, animarum redemptio, pariterque corporum resurrectio: proprium sancti Spiritus, animarum resuscitatio, pariterq; corporum immutatio. Lib. undecimo de Diuinis officijs.

In genere de speciebus operum Dei inquit Bernhardus: Specialiter tria quædam eius opera clamant, primæ nostræ creationis, præsentis redemptionis, futuræ glorificationis. Sermone 2 de natiuitate Domini. Et: Ita tota Trinitas seminauit. pater scilicet panem de cœlo, filius ueritatem, Spiritus sanctus charitatem. Sermone de S. Benedicto.

De processione Dei inquit Rupertus: Processio diuinitatis localis non est, licet interdum locus illi adscribatur. Processio diuinitatis est effectus mirandi operis, unde sic perpenditur, sic mente conspicitur maiestas tantę dominationis, sicut ex facie cognoscitur dignitas hominis reuerendi, de loco ad locum uenerabiliter procedentis. Lib. 1 de glorif. Trinit. cap. 15.

Est ubiq; Hugo de S. Victore: Deū ubiq; esse, multa sunt indicia. Primùm ipsa anima nostra, quam & ratio simplicem essentiam esse non dubitat, & sensus per omne quod uiuificat corpus diffusam esse probat. Quęcunq; animati corporis pars læditur, unus est ad quem sensus hominis doloris retorquetur: quod omnino non fieret, si unus & idem ubiq; diffusus nō esset. Si ergo rationalis spiritus hominis, cum sit simplex, per omne quod regit corpus diffunditur, dignum non est, ut ille creator spiritus, qui omnia regit & possidet, uno aliquo in loco coarctari, & non omnia potius implere credatur, &c. Præterea cum uirtutis diuinæ effectus nusquam deesse cernimus, cur eandem Dei uirtutem omnibus inesse rebus dubitemus? Si autem Dei uirtus ubiq; est, cum alia non sit Dei uirtus quàm Deus, cōstat quia nusquam Deus deest. In tractatu de tribus diebus.

Bernhardus ait: Vbiq; regnat, ubiq; imperat, ubiq; maiestas eius: sed gratia fortè non ita. Non, inquam, ubiq; sicut potestas, sic & uoluntas eius bona & beneplacens & perfecta: Alioquin quid est quod dicimus: Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, & in terra? Fit enim uoluntas eius de omnibus, fit per omnes, non in omnibus tamen. In electis spiritib. fit uoluntas Dei, quando eis efficitur cum ipso una uoluntas. Sermone 5 de uerbis Esaiæ.

Lombardus: Fatendum est ergo, ubiq; esse Deum per diuinitatis præsentiam, sed nō ubiq; per inhabitationis gratiam. Propter hanc enim inhabitationem gratiæ nō dicimus, Pater noster qui es ubiq;, cum & hoc uerum sit: sed, Qui es in cœlis, id est, in sanctis, in quibus est quodam excellentiori modo. lib. 1. distinct. 37.

Filium Dei per Spiritum sanctum adesse, testatur Rupertus: Filius Dei siue Verbum Dei nunquam nisi per Spiritum sanctū huc ad manendum introire consueuit. Ipse Spiritus sanctus dux est itineris siue introitionis, & miro atq; ineffabili modo, cum ipse sit donum patris & filij, cùm eo modo de quo nunc agimus, scilicet sensibili gratia, quæ magna prærogatiua est, introierit, & patrem dat & filiū: id est, cognitionē efficit patris & filij. Lib. 2 de glorif. Trinit. cap. 14.

Quomodo Deus insit rebus. Lōbardus: Sciendum ergo est, quòd Deus incommutabiliter semper in se existens, præsentialiter, potentialiter, essentialiter est in omni natura siue essentia sine sui definitione, & in omni loco sine circumscriptione, & in omni tēpore sine mutabilitate. Et pręterea in sanctis spiritibus & animabus est excellentius, scilicet per gratiam inhabitans, & in homine Christo excellentissimè, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat, ut ait Apostolus. In eo enim Deus habitauit, non per gratiam adoptionis, sed per gratiam unionis. lib. 1. dist 37.

De operib. Dei in nobis, Bernhardus ait:

Et nunc quidem per seipsum implet splendoribus animas nostras, nunc per angelos uisitat, nunc per homines instruit, nunc etiam cōsolatur & erudit per Scripturas. Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturaũ, spē habeamus. Bene ad doctrinā, ut per patiētiam speremus. Siquidem (ut alibi dictum est) doctrina uiri per patientiā noscitur. Sed & patientia probationem operatur, probatio uerò spē. Sermone 11 in Psal. 90. Item: Hi uerò qui cum Maria soli Deo uacant, considerantes quid sit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in angelis, quid in seipso, quid in reprobis, contēplantur quia Deus est mundi rector & gubernator, hominũ liberator & adiutor, angeloũ sapor & decor, in seipso principium & finis, roproborum terror & horror. In creaturis mirabilis, in hominib. amabilis, in angelis desiderabilis, in seipso incōprehensibilis, in reprobis intolerabilis. Sermone quarto inter Paruos. Et: Sed Deus amat ut charitas, nouit ut ueritas, sedet ut æquitas, dominatur ut maiestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut uirtus, reuelat ut lux, assistit ut pietas. Quæ omnia faciunt & angeli, facimus & nos, sed longè inferiori modo, non utique bono quod sumus, sed participamus. Lib. 5 de Consideratione.

Potho ait: Huic similitudini Dei approximat homo, cui potentia Dei dat bonũ posse, sapiētia tribuit scire, benignitas præstat uelle. Lib. 1 de Statu domus Dei.

Deus amat homines. Bernhardus: Quomodo me amas Deus meus, amor meus? quomodo me amas, ubiq; recordans mei, ubiq; zelans salutem egeni & pauperis, nō solùm aduersus homines superbos, sed etiā aduersus sublimes angelos? In cœlo & in terra iudicas Domine nocentes me, expugnas impugnātes me, ubiq; subuenis, ubique assistis, ubiq; à dextris es mihi Dñe, ne cōmouear. Sermone de Luciferi deiectiōe.

De habitatione in sanctis, inquit Honorius: Deus habitat in cœlis, cũ regnat in sanctis: sancti habitant in cœlo, cum manēt in Deo. Et paulo pòst: Deus neminē deridet, nec aliquē subsannat: sed quia sancti in quibus Deus habitat, hoc faciũt, dicitur Deus id facere. In 2 Psal.

Rupertus inquit: Magnum dilectionis est præmium, quòd pater & filius per Spiritum sanctum, Deus unus, dilectæ animæ intrinsecus mira & ineffabilis charitatis uoluptate copulatur. lib. 11 in Iohan. cap. 14.

Bernhardus ait: Quanta enim Dei benignitas, quanta dignatio, quanta dignitas, quāta gloria animarũ, quòd Dominus uniuersorum, & qui nullam habet indigentiā, templum sibi fieri iubet in illis? Sermone 2 in dedicatione Ecclesię. Item: Quòd autē in beata Maria sancta Trinitas fuerit (fuerit dico per præsentiā maiestatis) ubi solus filius erat per susceptionem humanitatis: testatur nũcius cœlestis, qui ei arcana mysteria reserans, ait: Aue gratia plena, Dominus tecum. Et post pauca: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obũbrabit tibi. Ecce habes Dominum, habes uirtutem altissimi, habes Spiritum sanctum, habes patrem & filium & Spiritum sanctum. Neq; enim potest esse aut pater sine filio, aut sine patre filius, aut sine utroq; procedens ab utroq; Spiritus sanctus, ipso filio dicente: Ego in patre, & pater in me est. Et iterum: Pater autem in me manens, ipse facit opera. Manifestũ est, fuisse in corde uirginis fidem sanctæ Trinitatis. Sermone 9 inter Paruos.

Lombardus ait: In sanctis uerò etiam habitat, in quibus est per gratiam. Non enim ubicunq; est, ibi habitat: ubi uerò habitat, ibi est. In solis bonis habitat, qui sunt templum eius, & sedes eius. Vnde per Esaiam Dominus ait: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. quia in electis, qui sunt cœlum, habitat Deus & regnat, qui eius uoluntati deuotè obtemperant: malos uerò, qui sunt terra, iudicij districtione calcat. Vnde in lib. Sap. dicitur: Thronus sapiētię anima iusti. quia in iustis specialius est, quā in alijs rebus: in quibus tamē omnibus totus est. Quemadmodum anima (ait August. in epistola ad Hieronymum, de origine animæ) per omnes particulas corporis tota adest simul, nec minor in minoribus, nec maior in maioribus: sed tamē in alijs intensius, & in alijs remissius operatur, cum in singulis particulis corporis essentialiter tota sit. Ita & Deus, cum sit in omnibus essentialiter & totus, in illis tamen plenius esse dicitur, quos inhabitat: id est, in quibus ita est, ut faciat eos templum suum: & hi tales cum eo sunt iam ex parte, sed in beatitudine perfectè. Mali uerò, etsi ibi sint ubi ipse est, qui nusquam deest, nō tamen sunt cum eo. Lib. 1. dist. 37.

Hugo Eterianus ait: Manet quidem Deus pater in obseruantibus Euangelij mandata, sed aliter manet in filio. Nam in illo sicut is in patre naturaliter est, in hominibus uerò per gratiæ habitudinē. Quos autem pater diligit, & filius sanctusq; Spiritus. Quo fit, ut sancta Trinitas per gratiam in his qui optimę sunt conuersationis, mānsionem faciat & inhabitet, secũdum quod capi potest & suscipi à creatura. Libro tertio de Hæresibus, quas in Latinos Græci deuol-

ci deuoluunt. capite decimoseptimo.

Deum esse in loco. Lombardus: Cumq; diuina natura ueraciter & essentialiter sit in omni loco, & in omni tempore, non tamé mouetur per loca, uel per tempora, nec localis nec temporalis est. Localis non est, quia penitùs nõ circumscribitur loco, quia nec ita est in uno loco, quòd non sit in alio. Neque dimensionem habet, sicut corpus, cui secũdum locum assignatur principiũ, mediũ & finis, & antè & retrò, dextrũ & sinistrũ, sursum & deorsum, quod sui interpositione facit distantiá circũstantiũ. Duobus nãq; his modis dicitur in Scriptura aliquid locale siue circumscriptibile, & conuersò: scilicet uel quia dimensionem capiens longitudinis, altitudinis & latitudinis, distantiam facit in loco, ut corpus: uel quia loco definitur ac determinatur, quoniam cum sit alicubi, non ubiq; inuenitur: quod non solùm corpori, sed etiam omni creato spiritui congruit.. Et: Spiritus autem increatus, qui Deus est, in loco quidem est, & in omni loco: sed omnino illocalis est, & incircumscriptibilis. Item: Fateamur itaque, diuinam naturam pro imḿesitate sui nusquám deesse, eamq; solam omnino illocalem, & omnino incircumscriptibilem, nullo concludi loco: sed à fine usq; ad finem attingere, non tamen spaciosa magnitudine, nec locali motu, sed immensitate atq; immobilitate suæ essentiæ. lib. 1 dist. 37.

De uelle Dei inquit Bernhardus: Qualis pater, talis filius, cui subest, cum uoluerit, posse. Sermone sexto in uigilia natalis Domini.

Deus facilè implet uerba sua. Bernhardus: Quàm facilè possunt homines loqui quod uolũt, etiam quod nullatenus facere possunt: tá facilè, imò incõparabiliter facilius ualet Deus operé implere, quicquid illi ualent uerbo exprimere. Dicam apertius. Si hominibus tam facilè esset facere quàm dicere quod uolunt, & ipsis quoq; nõ esset impossibile omne uerbum. Nunc autem quoniam uulgaris & uerus sermo est, multũ interesse inter loqui & facere, sed apud homines, non apud Deum: soli Deo quia idem est facere quod loqui, idé loqui quod uelle, meritò nõ erit impossibile apud Deũ omne uerbum. Verbi gratia. Potuerũt præuidere & prædicere Prophetæ, uirginem uel sterilem cõcepturam & parituram, sed nunquid facere ũt conciperent & páferét? Deus autem qui dedit eis posse pręuidere, quàm facilè potuit tunc quod uoluit per illos prædicere, tam facilè potuit nunc, quádo uoluit, per seipsum quod promisit implere. Siquidem apud Deum nec uerbum dissidet ab intentione, quia ueritas est: nec factum à uerbo, quia uirtus est: nec modus à facto, quia sapientia est. ac per hoc non erit impossibile apud Deũ omne uerbum. Homil. 4 super Missus est.

Vbi Deus. Bernhardus: Quæris si in ipso omnia, ipse ubi? Nihil non minus inuenio. Quis capiat locus? Quæris ubi non sit? Né hoc quidem dixerim. Quis sine Deo locus? Incomprehensibilis est Deus: sed non parũ apprehendisti, si hoc tibi de eo compertum est, quòd nusquá sit, qui nõ clauditur loco: & nusquam tamen non sit, qui non excluditur loco. Suo autem sublimi atque incõprehensibili modo, sicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est. Deniq; (sicut ait Euangelista) in mundo erat. Aliàs uerò ubi erat antequam mundus fieret, ibi est. Non est quod quæras ultrà ubi erat: præter ipsum nihil erat. Ergo in seipso erat. Libro 5 de Consideratione.

Ioannes Salisberiensis ait: Miro itaque modo sic intelligétiam sui infundit, ut subtrahat: sic subtrahit, ut infundat: & secũdũ mensurá beneplaciti sui sic operátur in singulis, ut cum intentionis & remissionis uices ignoret, etsi nõ per essentiam, qua omnem replet uniformiter creaturá, plus uel minus uideatur inesse per gratiam. Nam per unionem in solo unigenito Virginis filio esse fideliter approbatur. Est itaq; nunc quasi singula in singulis, futurus, ut scriptũ est, omnia in omnibus electis. lib. 5. capite 3 Policrat. Item: At in futuro, quando immediata facie per gratiam eius uidebimus eum sicuti est, omnia in omnibus erit, quádo nulli ad beatitudinem, alicuius uirtutis substantia deerit, cum ipse in omnibus futurus sit plenitudo uirtutis & cumulus beatitudinis; adeò quidem ut iuxta traditionem Patrum, tanta maiestatis suę plenitudine uideatur adesse electis, ut nihil eis desit in ulla gratia, & ipse ferè solus uideatur in illis, & illius nomine censeátur, salua ueritate substantiæ, & sine omni uersibilitate naturæ: Ibidem. Et: In alijs etsi adsit diuinitatis pręsentia, plenitudo eius in pręsenti nequaquam adest, sed usquequaq; latêre non potest. Ibidem.

De scientia ait Hugo Eterianus: Cuius scientia non modò omnium cognitiua, sed bonorum effectiua est uniuersorum. lib. 1. cap. 6 de Hæres.

Ioannes Salisb. inquit: Si ergo sapientiæ Dei immensitas & simplicitas attendatur, una est simplex & indiuidua: si subiacentiũ multitudo, multiplex est & multiformis. Sic etiam si substantiam uolentis aut potentis, qua uult aut potest, attendas, una est uoluntas & potestas: si quæ uult & quę po-

test, infinitus omnium numerus est. lib.2. cap.21 Policrat.

De apparitionib. Dei inquit Lõbardus: Deus in specie essentiæ suæ nunquã mortalibus apparuit, sicut famulo suo Moysi dicit: Non uidebit me homo, & uiuet. Et in Euangelio Ioãnis legitur: Deum nemo uidit unquam. lib.2. dist.8.

Vbi habitarit Deus ante creaturas. Lõbardus: Si autem quæris, Vbi habitabat Deus antequam sancti essent? Dicamus, quia in se habitabat. Lib.2. dist.37.

De uoluntate Dei. Lõbardus: Sciẽdũ est ergo, quia uolũtas siue uolẽs de Deo secundũ essentiam dicitur. Non est enim ei aliud uelle & aliud esse, sed omnino idẽ. Et sicut idẽ est ei esse bonum, quod esse Deũ: ita idẽ est ei esse uolẽtẽ, quod esse Deũ. Nã uolũtas qua semp uolens est, nõ affectus uel motus est, qui in Deũ cadere non ualet: sed diuina usia, qua uolens est Deus, & huiusmodi. Li. 1. dist.45. Item: Voluntas Dei uerè ac propriè dicitur quæ in ipso est, & ipsius essentia est, & hæc una est, nec multiplicitatem recipit, nec mutabilitatem, quæ inexpleta esse non potest, de qua Propheta ait: Omnia quæcunq; uoluit Dominus, fecit. Et Apostolus, Voluntati eius quis resistit? Et alibi: Vt probetis quæ sit uoluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Et hæc uolũtas rectè appellatur beneplacitum Dei, siue dispositio. Et: Licet idẽ penitùs sit Deo uelle quod esse, non tamen potest dici omnia quę uult: sicut idem est Deo esse quod scire, nec tamẽ sicut dicitur scire omnia, ita quoque potest dici esse omnia. Item: Vbicunq; Deus dicitur scire uel sciẽs, uel uelle uel uolens, hæc de eo secundũ essentiam dicũtur. Cũ enim dicitur, Deus scit, uel Deus uult, siue Deus est sciẽs, uel uolens: essentia diuina prædicatur, & Deus esse enunciatur. Cũ autẽ additur, omnia uel aliquid uel aliqua, & dicitur, Deus scit omnia, uel uult aliquid: uel aliqua essentia quidẽ diuina prædicatur, non simpliciter & absolutè, sed ita ut sciẽtiæ, quæ ipse est, omnia subiecta mõstrentur, & uoluntati, quæ ipse eadẽ est, aliquid uel aliqua subiecta esse dicantur: ut talis fiat sensus, Deus scit omnia, id est, Deus est, cuius sciẽtiæ, quę ipsius essentia est, omnia subiecta sunt. Similiter, Deus uult hæc uel illa, id est, Deus est cuius uoluntati, quę ipse est, hæc siue illa subiecta sunt. Volẽs ergo siue uelle dicitur Deus secũdũ essentiã, cuius uolũtas essentia est sempiterna & immutabilis (licet ea uariẽtur & transeãt quæ ei subiecta sunt) quæ non potest esse iniusta uel mala, quia Deus est. Itẽ: Aliquando uerò secundum quandam figuram dicendi uoluntas Dei uocatur, quod secundum proprietatem non est uoluntas eius: ut, præceptio, prohibitio, consilium, nec non permisio & operatio. Ideoque pluraliter aliquando Scriptura uoluntates Dei pronunciat. Vnde Propheta: Magna opera Domini, exquisita in omnes uoluntates eius. cum non sit nisi una uolũtas Dei, quæ ipse est, pluraliter tamen dicit uoluntates, quia uoluntas Dei uarijs modis ac pro diuersis accipitur, ut dictum est. Ita etiã idem Propheta propter multos effectus misericordiæ & iusticiæ pluraliter dicit: Misericordias Domini in æternũ cãtabo. Et alibi: Iusticiæ Domini rectæ, lætificantes corda. cum tamen in Deo una sit misericordia, una iusticia, & una eademque sit misericordia quæ iusticia, scilicet diuina usia. Ibidem. Et: Voluntas quippe Dei semper efficax est, ut fiat omne quod uelit, & nihil fiat quod nolit, quæ de homine semper impletur, quocunque se uertat. libro eodem, distinct. quadragesimaseptima. Item: De nobis impletur, sed tamen non implemus eam, quando peccamus. A' nobis impletur, quando bonum facimus: ideo enim facimus, quia scimus placere Deo. Ita & de homine semper Deus implet suã uoluntatem, quia nihil facit homo, de quo Deus non operetur quod uult. Non enim uult Deus, ut peccet homo quilibet. Si autem peccauerit, pœnitenti uult parcere, ut uiuat: in peccatis uerò perseuerantem punire, ut iusticiæ potentiam contumax non euadat. Sicut alios ab æterno præparauit ad pœnam, ita alios præparauit ad gloriam. Item: Voluntas Dei, quæ ipse est, semper inuicta est, nec in aliquo quassatur, sed per omnia impletur. Consilium uerò eius & præceptio siue prohibitio non ab omnibus implentur, quibus proposita & data sunt. Neque ideo præcepit omnibus bona, uel prohibuit mala, uel consuluit optima, quod uellet ab omnibus bona quæ præcepit, fieri: uel mala quæ prohibuit, uitari (Si enim uellet, utique & fierent: quia in nullo potest ab homine superari uel impediri eius uoluntas) sed ut iusticiam suam hominibus ostenderet; & mali essent inexcusabiles. Denique ut boni ex obedientia gloriam, mali ex inobedientia pœnam sortirentur, sicut utrisque ab æterno præparauit. Ea ergo quæ omnibus præcepit uel prohibuit, à quibusdam uoluit fieri uel uitari, sed non ab omnibus. Et quædam personaliter præcepit, & in ueteri & in noua lege, quæ ab eis quibus præcepit, fieri noluit: ut Abrahæ de immolatione filij, & in Euangelio quibusdam curatis, quibus præcepit ne cui dicerent. Ibidem.

Voluntas

Voluntas Dei causa omnium rerũ. Lombardus: Hæc itaq; summè bona uoluntas causa est omnium quæ naturaliter fiunt, uel facta siue futura sunt, quæ nulla præuenta est causa, quia æterna est. Ideoq; causa ipsius quærenda non est. Qui enim eius causam quærit, aliquid maius ea quærit, cum nihil ea maius sit. Libro primo, dist. 45. Item: Hic manifestè habemus, Dei uoluntatem appellari ipsius operationem uel permissionem, cum dicit, non fieri aliquid nisi omnipotens fieri uelit, ubi includit & bona & mala omnia quæ fiunt. Ideoque apertè distinguit, quomodo Deum uelle dixerit, ne eadem ratione intelligeretur uelle bona & mala, subdens uel sinendo ut fiat, hoc quantum ad mala dicit: uel ipse faciendo, hoc quantum ad bona. Mala enim sinit fieri, sed non facit: bona uerò ipse facit. Ideoque dixit eum uelle, quia & nolens mala sinit, & uolens bona operatur, & ob hoc permissio & operatio uoluntas Dei dicuntur. Ibidem. Item: Quoties uolui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti? id est, quotquot congregaui mea uoluntate semper efficaci, te nolente feci. Et: Cũ legimus quòd uelit omnes homines saluos fieri, quãuis certũ sit nobis, nõ omnes homines saluos fieri, non tamen ideo debemus omnipotentissimæ Dei uoluntati aliquid derogare: sed ita intelligere quod scriptum est, Vult omnes homines saluos fieri, tanquam diceretur, nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse uoluerit. non quòd nullus sit hominum, nisi quem saluum fieri uelit: sed quòd nullus fiat saluus, nisi quem uelit saluari. Et ideo rogandus est ut uelit, quod necesse est fieri si uoluerit. Non est enim credendus omnipotens aliquid uoluisse fieri, quod factum nõ sit. Sic etiam intelligitur illud: Illuminat omnem hominem uenientẽ in hunc mundum. non quia nullus hominum est, qui non illuminetur: sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Potest & alio modo illud intelligi: dum tamen credere non cogamur, omnipotentem aliquid fieri uoluisse, factumq; non esse, qui sine ullis ambiguitatibus siue in cœlo & in terra, sicut Veritas cantat, Omnia quæcunq; uoluit, fecit. Ibidem dist. 46.

Contra uoluntatem Dei fieri. Lombardus: Multa fiunt cõtra Dei præceptum uel prohibitionem, quæ tamen non fiunt præter eius permissionem. Ipsius namq; permissione omnia fiunt mala, quæ tamen præter eius uoluntatem sempiternam fiũt. lib. 1. dist. 47. Item: Aliquando Dei uoluntas bona per malam hominis uoluntatem impletur, ut in crucifixione Christi factum est, quẽ Deus bona uoluntate mori uoluit, Iudæi uerò impia uoluntate eum crucifixerunt. Et uolebãt Iudęi mala uolũtate quiddam, quod Deus bona uoluntate uolebat, scilicet ut Christus pateretur, moreretur: sed uolebãt & aliquid aliũd, quod Deus nolebat, scilicet occidere Christum, quod fuit mala actio & peccatum. Actum quippe Iudęorum non uoluit Deus, passionem uerò Christi uoluit, sicut & in Psalmo Christus ad patrẽ ait: Tu cognouisti sessionem meã: id est, uoluisti & approbasti passionẽ meã, tibi enim placuit. Voluit itaq; tota Trinitas ut Christus pateretur, nec tamen uoluit ut Iudæi occiderẽt: quia uoluit pœnã Christi, sed non uoluit culpam Iudęorum, nec tamen noluit: si enim noluisset, nec fuisset. libro eodem, dist. 48.

Diligere Dei. Lombardus: Sicut enim idem est Deo sapere quod esse, ita est idem diligere quod esse. lib. 1. dist. 32.

Quomodo Deus cognoscat. Lõbardus: Cognoscit ergo Deus & bona & mala per scientiam: sed bona cognoscit etiã per approbationẽ & per beneplacitũ, mala uerò non. Lib. 1. dist. 36. Et: Bona tantùm dicuntur esse in Deo, nõ mala, & illa propè, hæc lõgè: quia licet in Deo aliqua dicantur esse propter cognitionis pręsentiã, & Deus bona & mala cognoscat: mala tamen nõ cognoscit nisi per noticiã, bona uerò non solùm per scientiam, sed etiã per approbationem & beneplacitũ. Et ob talem cognitionẽ aliqua dicuntur esse in Deo: scilicet quia ita ea scit, ut etiã approbet & placeant: id est, ita scit, ut eorum sit autor. Ibidem.

De uisione Dei inquit Bernhardus: Verùm hoc genus uidẽdi cõmune. In prõptu enim est, iuxta Apostolum, omni utenti ratione, inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicere. Alius proculdubio ille modus, quo quondam patribus crebra illa atq; ambitiosa diuinæ præsentiæ familiaritas dignanter indulta est: quanquã nec ipsis sicuti est, sed sicut dignata est. Nec uno omnibus modo, sed ut ait Apostolus, multifariè multisq; modis, cũ ipse in se sit unus; dicẽte ipso ad Israel: Dominus Deus tuus, Deus unus est. Et hęc demonstratio nõ quidem cõmunis, sed tamen foris facta est, nimirum exhibita per imagines extrinsecus apparentes, seu uoces sonantes. Sed est diuina inspectio eo differentior ab his, quo interior, cũ p seipsum dignatur inuisere Deus animã quærentẽ se, quæ tamen ad quærendũ toto se desiderio & amore deuouit. Et hoc signum istiusmodi aduentus eius, sicut ab eo qui expertus est, edocemur: Ignis ante ipsum pręcedet, & inflãmabit in circuitu

inimicos eius. Oportet namq; ut sancti desiderij ardor præueniat faciem eius ad omnem animã, ad quam est ipse uenturus, qui omnẽ cõsumat rubiginem uiciorum, & sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima quoniã iuxtà est Dominus, cùm se senserit illo igne succẽsam, & dixerit cũ Propheta: De excelso misit ignẽ in ossib. meis, & erudiuit me. Sermone 31 super Cantica.

De arcanis Dei inquit Petrus Alphonsus: Arcana Dei adeò profunda sunt & inscrutabilia, quòd ea nullus potest penetrare. Tit. 10.

PHRASES DE DEO.

Rupertus: Sedere Dei non membrorum positionem, sed iudiciariam significat potestatem. Sede à dextris meis, id est, in mei æqualitate: quod idẽ est ac si dixisset, Conregna mecum. Et hoc secundum humanã naturam illi dictum est: quia secundum illã datum est ei regnum & honor, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient. Lib. 9 de Diuinis off. cap. 9.

Duplex modus loquendi de patre. Pater eius una est persona, quæ de isto filio Verbo suo in Psal. dicit: Eructauit cor meum. Nobis autem adoptionis filijs pater est unus Deus, pater & filius & Spiritus sanctus. Idem lib. 7 in Matth. cap. 7.

Non'ne Deus pater quoq;, & non filius tantùm principium? R. Ponitur planè principiũ pater, principium filius, principium Spiritus sanctus. Veruntamen nõ tria principia, sed unum principium: sicut non tres dij, sed unus est Deus. Idem lib. 1 de glorificat. Trinit. cap. 6.

Christus potuisset dicere, Pater meus uerax est: sed ut ostenderet patrem eundem non aliunde ueracẽ, quàm ex eo quod genuit, qui est ueritas, maluit dicere sic, Sed qui misit me, uerax est. Lib. 8 in Iohan.

Quomodo Deus in medio eorum, uel quid sit in medio eorum esse? Profectò hoc est, in ueritate humanæ naturæ carnem de carne illorum assumpsisse, hoc scire & uidere, quia hic est Dominus Deus ipsorum, & non est amplius. Neq; enim extra illum est Deus, cum pater & filius non duo sint dij, sed filius in patre Deus unus est. Hoc scire & uidere, Deum filium Deo patri ęqualem secundum diuinitatem, sibi consimilem secundum ueram humanitatem, ineffabilis felicitatis & gloriæ est. In Iohannem capite secundo.

Bernhardus: Abrahã pater quónam modo Dominicum hunc uidisse diem, nisi credendo, credendus est? Sermone 6 in uigilia natalis Domini.

Erat ergo uoluntas Christi, & bona erat, qua dicebat: Si fieri potest, transeat à me calix iste. Sed ea de qua dicebat, Fiat uoluntas tua, melior erat: quia communis non solùm patris, sed & Christi ipsius (oblatus est enim, quia ipse uoluit) & nostra. Nisi enim granum frumenti cadens in terrã mortuum esset, ipsum solum maneret: mortuũ uerò, multum fructum attulit. Atque hæc uoluntas patris erat, ut uidelicet haberet, quos adoptaret in filios. Christi erat, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Nostra erat, quia pro nobis faciebat, ut redimeremur. Sermone 3 de resurr. Domini.

Tu es uia, ueritas & uita: uia in exemplo, ueritas in promisso, uita in præmio. Serm. 2 in die Ascensionis.

Sedere præsidentis est, sedere dominantis & regnantis. Maximè uerò sedere super solium dominationẽ notat, nam sedere simpliciter aliquando & humiliationem. Sermone 5 de uerbis Esaiæ.

Duo sunt pedes Dei, misericordia & iudicium. His circuit & perambulat iugiter spirituales mentes, exultãs ut gigas ad currendam uiam: si tamen tales sunt, de quibus meritò dicat: Habitabo in illis, & deambulabo in eis. Sermone quinquagesimo sexto inter Paruos.

Fumus est ab ira Dei, quia in consideratione iræ Dei electi compunguntur. Ignis à facie eius, quia per cognitionem & præsentiam eius ad amorem accenduntur. Caligo sub pedibus eius, quia per districtum illius examen reprobus desperationis nebulis obscuratur. Inter Sententias morales.

Sapientia in prædicatione, iusticia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conuersatione quam habuit cum peccatorib. redemptio in passione quam sustinuit pro peccatoribus. Vbi ergo hæc à Deo factus est, tunc Ecclesia odorem sensit, tũc cucurrit. Serm. 22 super Cant.

Lombardus: Diligenter aduertendum est, quomodo intelligi debeant illa uerba Hieronymi, scilicet, Deus tantùm est, & nõ nouit fuisse uel futurum esse: tanquam nõ possit dici de Deo Fuit uel Erit, sed tantùm Est, cum de eo scriptum frequenter reperiamus, Fuit ab æterno, fuit semper, & erit in secula, & huiusmodi: unde uidetur, quia non est tantùm dicendum de Deo Fuit, uel Est, uel Erit. Si enim diceretur tantùm Fuit, putaretur quòd desierit esse: si diceretur tantùm Est, putaretur quòd nõ semper fuerit, sed esse cœperit: si tãtùm diceretur Erit, putaretur, non esse modò: Dicatur ergo quia semper fuit, est & erit, ut intelligatur, quia nec cœpit, nec desijt, nec desinet esse. Libro primo, dist. 8.

Licet enim uerba substantiua diuersorũ temporum

temporum de Deo dicantur, ut, fuit, erit; est, erat: non tamen temporales motus esse distinguunt, scilicet præteritum, uel futurum, uel præteritum imperfectum, uel præteritum perfectum, uel præteritum plusquamperfectum: sed essentiam siue existentiam suæ diuinitatis simpliciter insinuant. Deus ergo solus propriè dicitur essentia uel esse. Ibidem.

In Trinitate charitas aliquando refertur ad substantiam, quæ communis est trium personarum, & tota in singulis: aliquando specialiter ad personam Spiritus sancti. Sicut sapientia Dei aliquando pro substantia diuina, aliquando pro filio propriè accipitur, & hoc in multis fieri reperitur. Libro 1 dist. 10.

Pluribus exemplis doceri potest, multa rerum uocabula & uniuersaliter poni, & propriè quibusdã rebus adhiberi: sicut Legis nomine aliquando simul omnia ueteris Testamenti significãtur eloquia, aliquãdo autem propriè uocatur Lex, quæ data est per Mosen. Ibidem.

Cum ergo ab Apostolo dicitur charitas Dei diffundi in cordibus nostris, non est dicta charitas Dei qua diligit nos, sed qua facit nos diligere: id est, non ibi appellatur charitas Dei, eo quòd Deus nos ea diligit, sed eo quòd nos ea sui dilectores facit. Et quòd ea ratione possit dici charitas Dei, quia nos ea diligere facit, ex simili genere locutionis ostenditur: sicut dicitur iusticia Dei, qua nos iustificat: & Domini salus, qua nos saluat: & fides Christi, qua nos fideles facit. Lib. 1. dist. 17.

Et inde est quòd pater dicitur esse in filio, & filius in patre, & Spiritus sanctus in utroque, & singulus in singulis. Libro primo, dist. 19.

Non omne quod dicitur de Deo, dici secundum substantiam: quia quædam dicuntur secundum relationem, quæ non est accidens, quia non est mutabilis. libro primo, dist. 26.

Quędam dici de Deo secundum substantiam, quædam secundum relationem, nihil tamen secundum accidens Ibidem.

Hugo Eterianus: De illa die Christus ac Saluator noster dicit: Diem illam nullus scit, neque angelus in cœlo, neq; filius, sed solus pater. Verùm in eo quòd homo est filius, ignorare dicitur. Nam in eo quòd Deus, nihil eum latêre poterit. lib. de Regressu animarum ab inferis.

Nos autem quanquam dij per ipsum efficiamur, quod ipse est fieri non possumus. lib. 1 de Hæres.

REGVLAE DE DEO.

Rupertus ait: Quęcunque sunt honoris, quæcunque gratiæ & ueritatis, quæcunq; ueræ integritatis & perfectæ charitatis uocabula, cum sensus ueritate patri & filio cõmunicamus, his exceptis quæ personarum necessaria distinctio singulis propria reseruare postulat: ut uterq; Deus uerus & Dominus increatus, immensus, æternus, omnipotens, sine initio & sine fine, inconuertibilis atque incommutabilis, à cunctis fidelibus uitam desiderantibus corde ad iusticiam credatur, & ore ad salutem æternã prædicetur, pari honore, æquali gloria, indissimili laude. lib. 5. cap. 5 in Iohannem.

Quæ temporaliter Deo conueniant. Lõbardus: Sunt enim quædam quæ ex tempore de Deo dicuntur, eiq; temporaliter sine sui mutatione conueniunt, & relatiuè dicuntur secundum accidens, non quod accidit Deo, sed quod accidit creaturis: ut, creator, dominus, refugium datum uel donatũ, & huiusmodi. Lib. 1. dist. 30.

Nec est aliud Deo scire & uelle, quàm esse. lib. 1. dist. 6.

Illa prædicamenta artis Dialecticæ Dei naturæ minimè conuenire, quæ nullis est subiecta accidentibus. lib. 1. dist. 8.

Sed qui supplet quod minus erat addit, non quod inerat tollit. Qui autem prætergreditur fidei regulam, non incedit in uia, sed recedit à uia. Lib. 1. dist. 11.

Nos subticere quædam oportet propter calumniantium insidias, quæ catholicis ac pijs lectoribus securè credi possunt. Sunt enim quædam, quæ non sunt tantæ religionis & autoritatis, ut eis oporteat semper confitendo ac recipiendo inseruire, uerùm silentio aliquanto præteriri queunt: nec illius tamen sunt peruersitatis, quin cũ opportunum fuerit, eis uti liberum habeamus. lib. 1. dist. 28.

Nobis nullatenus licere maiestatem perscrutari, ius ponere potestati, modum circumscribere infinito. lib. 1. dist. 33.

Melior est ergo fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia. lib. 1. dist. 41.

Videre enim Dei, peccata est ad pœnam imputare. Auertere autem faciem à peccatis, hoc est, ea ad pœnam non reseruare. lib. 4. dist. 8.

Hugo Eterianus: Omne enim quod facit, secundum aliquem horum trium modorum perficit, aut condendo, aut præsciẽdo, aut castigando. lib. de Regressu animarum ab inferis.

Attendendum est, quòd causa & principium, genitum & procedens, & similia, nõ sint naturæ seu substantiæ, sed personarũ piæ ac diligentes explorationes, & sacerrima quædam notamina. libro 1 de Hæresibus, cap. 6.

Quæcunq;

Quæcunq; naturæ propria sunt, ea esse communia eiusdem substantiæ personis. capite 12.

Insecabilis quidem est diuina substátia, sed tamen plenissimè eam personarum unaquæq; habet sine diminutione. Quòd igitur erit inconueniens, personis prorsus inseparabiliter commanentibus proprietatum aliquam filij patris'ue communem esse? Non omnis proprietas personam describit, id est, sicut ea æqualiter ei, quæ segregare naturá putatur à reliquis, sicut quędam proprietates in his quidem quæ diuersarum substantiarum sunt, segregant naturam. Ibidem.

Vnitas quidem naturæ est, trinitas uerò personarum. lib. 2. cap. 12.

Vnitas nomen naturæ significatiuū est, & non personæ. Ibidem.

Aliter apud Grammaticos accipitur persona, & aliter apud Theologos. cap. 19.

DE CREATIONE.

De diuisione creaturarum inquit Potho: Cœlum & terra duo sunt grandia mundi corpora. Ergo cœlum & terra, & uniuersa quæ cœli ambitu continentur, domum unam constituunt. Magna est hæc domus Dei, & ingens locus possesionis eius, terra uidelicet & plenitudo eius, orbis terrarum & uniuersi qui habitant in eo. Sapientia Dei, quæ ædificauit hanc domum, excidit columnas septem. Sex igitur dies quibus in primordio mundi Deus operabatur, & septima dies in qua requieuisse Deum ab operibus suis sacra Scriptura testatur, septem sunt columnæ quibus mundi fabrica, quæ est domus sapientiæ, sustentantur.

Vnde omnia. Petrus Alphonsus: Cū Deus sit, qui in materia omnia composita formauerit, cōcludi indubitáter potest, quòd qui rationem dedit, & omnia fecit, & omnium causa existit. Dial. tit. 1. Item: Patuit ex uerbis tuis, Deum creatorem omnium rerum radicem & fundamentum principaliter esse. Ibidem. Et: Omne compositum necesse est compositorem habere, neque enim aliquid seipsum potest cōponere: eodemq; modo omne creatum creatoré habere necesse est, nihil enim seipsum potest creare. Creatorem igitur mundi, qui Deus dicitur, esse necesse est. Ibidem. Et: In hoc uerò philosophi omnes consentiunt, quòd principium rerum est perfecta sapientia, lumen præclarum, substantia substantiarum, argumentum rerum uniuersarum: post hoc est mundus anima uniuersalis, post illum uerò materia. Hæc autem duo, uniuersalis scilicet anima atq; materia, simplicia sunt, & omnium creaturarum prima, totiusque rei cōpositæ origo & causa, de quibus gradatim factum est firmamentum cum omnibus quas possidet formis & imaginibus. Item: Qui animæ rationem dedit, omnia fecit, & omnium causa existit.

Rupertus inquit: Antequá creator quicquam faceret, delectabatur in uerbo suo, in sapientia sua. Lib. 1 in Iohan. cap. 1. Item: Pater cum omni diligentia sapientiæ suæ ad honorem filij omnia fecit, & demōstrat ei omnia, & secundum beneplacitum illius uniuersa distribuit. lib. 5. cap. 5 in Iohan. Et: Per Christum factus est mundus, qui mundi origine tanto iunior dicebatur, ut ante Mariam fuisse negaretur ab hæreticis & Iudæis, nobilitati filiorum inuidentibus. lib. 1 in Iohan. cap. 1. Item: Quęstio, num filius ad creandum processerit absq; cooperatione Spiritus sancti, aut Spiritus sanctus ad sanctificandum procedat absq; cooperatione filij? Inseparabilis enim est totius operatio Trinitatis, unius Dei, unius & inseparabilis imperij. Lib. 1 de glorif. Trinit. cap. 16. Et: Quis omnia fecerit? Respōdebitur, Deus. Si, per quid? Per ipsum, scilicet uerbum. Quare? Respōdetur, Quia bonus est: & hęc tota Trinitas est. Lib. 1. in Iohan. cap. 1. Ité: Non sic accipimus patrem & filium, queadmodum duos artifices, magistrum & discipulum, illum facientem, istum in alia materia magistri opus imitantem: sed Deum patrem omnia facientem, & cum illo Deum filium eadem cuncta componentem. Lib. 5 in Iohan. ca. 5. Et: Patris quippe opus proprium extitit prima creatio hominis, quam partem operis sibi assumpsit: nullatenus tamen absq; cooperatione filij, cum hominé, sicut & omnia, in sapientia fecerit, quæ est hic filius Dei: neque absque cooperatione Spiritus sancti, cū per illum in facié cordis eius spiraculum uitæ inspirauerit, ut conderetur homo non solùm ad imaginé Dei, id est, æternus siue rationalis: sed etiam ad similitudiné Dei, ut haberet unde Deo esset similis, uel imitator bonitatis Dei. Ibidem. Et: Equidem cœli, & terra, & mare, & omnia quę in eis sunt, opera sunt Domini: sed homo quoddam opus speciale est Domini, opus manuum Domini. Lib. 3 in Abac. cap. 3.

Bernhardus ait: Et potéter quidem omnia fecerat, & sapiéter omnia gubernabat, & utrarūq; rerum, tam potentiæ quàm sapientiæ, signa manifestissima tenebātur in creatione & conseruatione machinæ mundialis. Serm. 2 in Pentecoste.

Lombardus ait: Omne bonum nostrum uel ipse est, uel ab ipso est Lib. 1. dist. 1. Ité: Omnium ergo quę naturaliter sunt, unum principium est pater cū filio & Spiritu sancto, &

cto,& hoc esse cœpit. dist.29. Et: Creationē rerum insinuans Scriptura, Deum esse creatorem initiumq; temporis, atque omnium uisibilium uel inuisibilium creaturarum, in primordio sui ostēdit, dicens: In principio creauit Deus cœlum & terram. His etenim uerbis Moyses, Spiritu Dei afflatus, in uno principio à Deo creatore mundum factum refert, elidens errorem quorundam, plura sine principio fuisse principia opinantium. Plato namque tria initia existimauit, Deū scilicet, exemplar & materiā, & ipsa increata sine principio, & Deum quasi artificem, non creatorem. Creator enim est, qui de nihilo aliquid facit. Et creare propriè est, de nihilo aliquid facere. Facere uerò non modò de nihilo aliquid operari, sed etiam de materia. Vnde & homo & angelus dicitur aliqua facere, sed non creare: uocaturq; factor siue artifex, sed non creator. Hoc enim nomen soli Deo propriè congruit, qui & de nihilo quædam, & de aliquo aliqua facit. Ipse est ergo creator, & opifex, & factor: sed creationis nomen sibi propriè retinuit, alia uerò etiam creaturis cōmunicauit. In Scriptura tamen sæpe creator accipitur tanquam factor, & creare tanquam facere, sine distinctione significationis. lib.2. dist.1. Itē: Non est itaque intelligendum, ideo Scripturam frequenter commemorare patrem operari in filio, uel per filium, tanquā filius non posset facere, si ei non porrexisset pater dextram, uel tanquā aliquod instrumentum fuerit patris operantis: sed potius illis uerbis patrem intelligi uoluit cum filio & Spiritu sancto operari, & sine eis nihil facere. dist. 13. Et: In eo quod dicit, Faciamus, una operatio trium personarum ostēditur: in hoc uerò quod dicit, Ad imaginē & similitudinem nostram, una & æqualis substantia trium personarum monstratur. Ex persona enim patris hoc dicitur ad filium & Spiritum sanctum, non, ut quidam putant, angelis: quia Dei & angelorum non est eadē imago uel similitudo. dist.16.

Hildebertus inquit: Attende, inquam, qualem te laborauerit artifex tuus, &c. Hęc opera operatus est Dominus Deus, Deus bonus opera bona: quoniam ipse summè bonus fecit omnia ualde bona. epist. 15.

Pater per filium operatur. Honorius: Sicut Deus pater per filium suum, qui est lumen suum, uultus suus, claritas sua, ratio sua, sapientia sua, discernit quæ sunt facienda à non faciendis, per quem omnia quæ operatur, facit: ita anima nostra per rationem discernit facienda à non faciendis, transitoria ab æternis. In quarto Psalmo.

Impulsiuæ. Lombardus: Credamus ergo, rerum creatarum cœlestium uel terrestrium, uisibilium uel inuisibilium causam non esse nisi bonitatem creatoris, qui est Deus unus & uerus. Cuius tanta est bonitas, ut summè bonus beatitudinis suæ, qua æternaliter beatus est, alios uelit esse participes, quam uidet & communicari posse, & minui omnino non posse. Illud ergo bonum quod ipse erat, & quo beatus erat, sola bonitate, non necessitate, alijs cōmunicari uoluit: quia summè boni erat, prodesse uelle: & omnipotentissimi, nocere non posse. Lib.2. dist.1.

De materia inquit Petrus Alphōsus: Omnia animalia de quatuor elementis sunt composita, quæ etiam se uariarunt pro ipsorum uarietate elementorum, in eorum compositione secūdum qualitates & quātitates suas impariter adiunctorum. Inde etenim diuersarum prouenit dissimilitudo specierum. Dial. tit.10.

Rupertus ait: Ex quatuor elementis homo compositus est, sanguis utique in illo ex aquæ substantia est. libro 6. capite 6 in Iohan. Itē: Omnis creatura ex nihilo creata est, & earum nulla de substantia Dei processit. lib.12. cap.15 in Iohan.

Quomodo. Quærit Moyses Iudæus: Si omnia mundana non per se sunt creata, sed alius est creator qui cuncta creauerit, cum ipse omnipotens sit, cur hæc omnia non in uno, sed in tot dierum spacio paulisper operando compleuit? Respondet Petrus: Non patitur ratio, ut quoniam una creatura tardius est creata quàm alia, ideo summus earum creator minus potens credatur: neque enim in hoc eius fuit impotentia, sed quia ipsarum creaturarum altera mollior, altera durior fuit in suscipiēda sua creatione & forma. Dial. tit.1.

Bernhardus ait: Tria in magno huius mundi opere cogitare debemus, uidelicet quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus. Et in esse quidem rerum inæstimabilis potentia commendatur, quòd tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. Sanè in modo ipso sapientia singularis elucet, quòd hæc quidē sursum, hæc uerò deorsum, hęc in medio ordinatissimè sint locata. Si uerò, ad quid factus sit, mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tā benigna utilitas, quæ etiam ingratissimos quosq; multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potētissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè utilia sunt creata. Serm. 3 de Pentecoste.

Lombardus ait: Sex diebus, sicut docet scriptura Genesis, distinxit Deus, & in formas redegit proprias, cuncta quæ simul materialiter

terialiter fecerat. Perfecitq; opus suum die sexto, & sic deinde die septimo requieuit ab omni opere suo: id est, cessauit nouam creaturam facere. Sex enim diebus sex rerũ genera distinxit, nihilq; postea fecit, quod in aliquo illorum non contineatur. Operatus est tamen postea, sicut Veritas in Euangelio ait: Pater meus operatus est usque nunc, & ego operor illud. Item: Quatuor enim modis, ut ait Alcuinus super Genesin, operatur Deus. Primò in uerbo, omnia disponendo. Secundò in materia informi quatuor elementorum, de nihilo eam creando. Vnde: Qui uiuit in æternum, creauit omnia simul. Omnia, scilicet elementa, uel omnia corpora materialiter simul creauit. Tertiò, per opera sex dierum uarias distinxit creaturas. Quartò, ex primordialib. seminibus non incognitæ oriuntur naturæ, sed notæ sæpius reformantur, ne pereant. lib. 2. dist. 12.

Hugo Parisiensis inquit: Tria sunt inuisibilia, Dei potentia, sapientia & benignitas. Potentiam manifestat creaturarum immẽsitas, sapientiam decor, benignitatem utilitas. Immensitas creaturarum cõstat in multitudine & magnitudine. Multitudo in similibus, in diuersis, in permixtis. Magnitudo est in mole & spacio. Moles est in massa & pondere. Spacium est in lato & longo, profundo & alto. Decor creaturarum est in situ & motu, in specie & qualitate. Situs est in compositione & ordine. Ordo est in proprietate & tempore & loco. Motus est quadripartitus, localis, naturalis, animalis, rationalis. Localis est antè & retrò, dextrorsum & sinistrorsum, sursum & deorsum, & circum. Naturalis est in incremẽto, & decremento. Animalis est in sensibus & appetitibus. Rationalis est in factis & consilijs. Species est forma uisibilis, quæ oculo discernitur, sicut colores & figuræ corporum. Qualitas est proprietas interior, quæ cæteris sensibus percipitur, ut melos auditu, dulcor gustu, fragrantia olfactu, lenitas tactu. Vtilitas creaturarum constat in grato & apto, commodo & necessario. Gratũ est quod placet, aptũ quod cõuenit, cõmodum quod prodest, necessariũ est sine quo quid esse non potest. Mundus iste sensibilis quasi quidã liber est scriptus digito Dei, hoc est, uirtute diuina creatus, & singulæ creaturæ quasi figuræ. Vincent. lib. 26. cap. 63. Item: Compositio duo habere debet, aptitudinem & firmitatem: hoc est, ut componenda aptè & competenter coeant, & composita firmiter cohæreant. Si uniuersitatis huius machinam intueris, inuenies quàm mirabili ratione & sapientia compositio omnium rerum perfecta sit, & quàm apta, quàm congrua, quàm decora, quàm cunctis partibus suis absoluta, in qua non solùm concordiam seruant similia, sed ea etiam quæ, creante potentia, diuersa atque repugnantia ad esse prodierunt, dictante sapientia in unam quodammodo amicitiam & fœderationem conueniunt. Quid repugnantius esse potest aqua & igne? quas tamen in natura rerum ita Dei contemperauit prudentia, ut non solùm adinuicem commune societatis uinculum non dissipent: uerùm & nascentibus cunctis, ut subsistere possint, uitale nutrimentum subministrent. Quid de humani corporis compage loquar, cui omnium membrorum iuncturæ tantam adinuicem seruant concordiam, ut nullum omnino inueniri possit membrum, cuius officium alteri non uideatur præstare adminiculum? Sic omnis natura se diligit, & miro quodã modo plurium dissimilium & in unum redactorum concordia, unam in omnibus harmoniam facit. Apta est ergo & conueniens omnium rerum compositio: sed quomodo est firma, quis non uideat? Quis non miretur? Ecce cœli, qui ambitu suo concludunt omnia, quomodo solidi sunt, & quasi ex ære fusiles desuper circumquaque expansi. Terra uerò in medio pondere suo librata semper immobilis perseuerat, ut cætera in medio fluctuantia hinc soliditas cœlorum, illinc terræ stabilitas in unum coherceant & constringant, ne citra legitimos terminos diffusa, concordiam diuersitatis disrumpant. Ecce quomodo per uiscera telluris intrinsecus dracones aquarum sparsi, & foris per alueos suos ad diuersa loca deducti, intus fatiscentem, ne dissoluatur, cõglutinant: & foris, ne fatiscant, arentem rigant. Ecce quomodo in humani corporis fabrica iuncturas ossium uincula neruorum ligant, & medullis intus per fistulas tibiarum diffusis, canalia etiam uenarum uitalem sanguinem per omne corpus deducunt, ac deinde teneritudinem carnium cutis tegmen inuoluit, ut & rigor ossium intrinsecus corpus sustineat, & pellis munimen foris defendendo custodiat. Ibidem capite sexagesimoquarto. Item: Post compositionem sequitur, ut dispositionem rerum, qualis sit, consideremus. In cœlo luminaria & stellas collocauit, ut subiecta omnia illustrarent. In aere uẽtis & nubibus fecit uiã, ut agitationib. suis dispersæ pluuiam deorsum funderent. In gremio telluris moles aquarum recipi iussit, ut per gurgites suos hinc illincq;, quò nutus ferret iubentis, discurrerent. Quasdam regiones ditauit ubertate frugum, quasdam uinearum, alias olearum, alias pecorum, alias poten-

potentibus herbis, alias gemmis preciosis, alias animalibus & bestijs monstrosis, alias coloribus uarijs, alias diuersarum artiũ studijs, alias metallorum, alias thymiamatum generibus diuersis, ut nulla prorsus regio sit, quæ non aliquid nouum & speciale ab alijs accipere queat. Quicquid etiã ea quæ humanis usibus necessaria sunt, in communi hominum frequentia prouidentia creatoris constituit. Ea uerò quæ non natura propter necessitatem, sed cupiditas expetit propter speciem, in abditis terrarum finibus abscondit, ut quem amor uirtutis ab immoderato non castigat appetitu, saltem laboris tædio uictus conquiescat. Quid de dispositione temporum? Ecce post noctem uenit dies, ut torpẽtes motio laboris exerceat: post diem sequitur nox, ut fessos ad refocillandum quies excipiat. Iterum, quẽadmodum uicissitudines dierum & noctium animantia renouant: ita quatuor anni tempora, ordine sibi succedentia, totius mundi speciem immutant. Primùm per teporem ueris quadam innouatione mundus nascitur. Deinde per feruorem æstatis quasi in iuuentute roboratur. Post hoc superueniente autumno, ad maturitatem cõscẽdit. Postremò succedente hyeme, ad defectum uergit. Idcirco autem semper deficit, ut semper post defectum renouari possit: quia nisi prius à statu suo deficerent uetera, quasi illis locum occupantibus non ualerent exurgere noua. Omnes sensus de foris intus ueniunt: solus uisus de intus foràs exit, & eminus positas mira præ cæteris agilitate percipit. Bene ergo quasi speculator quidam eminentiorem locum cunctis obtinuit, ut quæ cæteris sensibus superuentura sunt, ante periculum præuidere possit. Post hunc auditus & loco & nobilitate secundus est, deinde olfactus. Gustus autem, qui nil sentire potest, nisi id quod tangit, meritò uelut tardior cæteris sensibus in imo resedit. Tactus specialem sedem nõ habet, qui ideo uniuersalis est, quia cũctis cooperatur sensibus. Vnde & in digitis pollex, quia tactum significat, coadunatis in unum digitis solus omnibus respõdet: quia sine tactu nullus sensuum esse potest. Videte etiam quomodo in humano corpore ossa intrinsecus collocata sunt, quatenus robur eorum corpus sustineat. Deinde caro ossa uestit, ut duricia eorum mollita tactũ excipiat. Ad ultimum pellis carnem induit, ut sua quodammodo tenacitate ab incommodis foris accidentibus corpus muniat. Sic cortex munit arbores, sic rostra & pennæ uolucres, sic squamæ pisces. Vide quomodo in motu locali sapientia conditoris appareat. Cogita nunc unde defluentibus aquis semper indeficiens uena ministratur, unde motus uentorum educitur, quis infatigabilem astrorum cursum moderatur, quis solem per hyberna descendere signa præcipit, & similia. capite 65. Et: Species est forma uisibilis, quæ continet duo, figuras & colores. Figuræ autem rerum multis modis apparent mirabiles. Aliquando ex magnitudine, aliquando ex paruitate, aliquando quia raræ, aliquando quia pulchræ. Secundum magnitudinem figura attenditur, quando res quælibet suí generis modum in quantitate excedit. Sic miramur gigantem inter homines, cete inter pisces, gryphem inter uolucres, elephantem inter quadrupedes, draconem inter serpentes. Vide quid magis mireris, dentes apri uel tineæ, alas gryphis uel cinifis, caput equi uel locustæ, crura elephantis uel culicis, aquilam uel formicam, leonem uel pulicem, tigridem uel testudinem. Ibi miraris magnitudinem, hic paruitatem, corpus paruum magna sapientia conditum. Magna sapientia, cui nulla surrepit negligentia. Illis dedit oculos, quos uix comprehendere potest oculus, & in tam exiguis corporibus sic omnifariam lineamenta naturæ suæ congrua plenissimè distribuit, ut nihil uideas deesse in minimis eorum omnium quæ natura formauit in magnis. Rursus alia iccirco miramur, quia monstrosa quodammodo sunt uel ridiculosa, quorum quidẽ plasmatio quantum ab humana ratione aliena est, tanto leuius humanum animum in admirationem compellere potest. Quare crocodilus manducans inferiorem molam non mouet, & quomodo salamandra in igne illæsa permanet? Quis dedit hericio spinas, & docuit eum, ut se pomis turbine discussis inuoluat, quibus onustus incedens stridet quasi plaustrum? Formica hyemis superuenturæ præscia, granis horrea sua replet: aranea quoque de uisceribus suis laqueos nectit, ut prædam capiat. isti sunt testes sapientiæ Dei. Est autem adhuc uerum & euidens diuinæ sapientiæ argumentum, quòd omne genus simile sibi procreat, & in tã multis similitudo una propagata primæ originis formam non immutat. Hoc quoque mirabile est, quòd in uno corpore tot construuntur membra, tot membrorũ formæ, tot loca, tot officia, & cum sint ita diuersa in se singula, inuicem tamen cooperantur omnia. Post figuram sequitur color. Quid luce pulchrius? Quæ cum colorem in se non habeat, omnium tamen colores rerum ipsa quodammodo illuminando colorat. Sol sicut aurum rutilat, luna pallet quasi electrum, stellarum quædam sicut flammeo aspectu radiant, quædam luce niuea

 micant,

micant, quædam uerò alternatim nunc uiridem, nunc roseum, nunc candidum fulgorem demonstrant. Quid de gemmis narremus? Ecce tellus redimita floribus, quàm iucundum spectaculum præbet, quomodo uisum delectat, quomodo affectum prouocat. Videmus rubentes rosas, candida lilia, purpureas uiolas: in quibus omnibus non solùm pulchritudo, sed origo quoque mirabilis est, quomodo scilicet Dei sapientia de terræ puluere talem producit speciem. Post speciem de qualitate rerum disserere debemus. Tam diuersas Deus qualitates rebus indidit, ut ibi omnis hominis sensus sua oblectamenta inueniat. Quot enim oblectamenta oculorum in diuersitate colorum monstrauimus, tot oblectamenta aurium in uarietate sonorum inuenimus: inter quæ prima sunt dulcia sermonum commercia, quibus homines adinuicem suas uoluntates communicant, prę terita narrant, præsentia indicant, futura nunciant, occulta reuelant, adeò ut si his careat, uita humana bestijs comparabilis uideatur. Quid autem concentus auium, quid humanæ uocis melos iucundum, quid dulces modos sonorum omnium cõmemorem? Sic est de olfactu & cæteris sensibus. capite sexagesimosexto. Iem: Deus hominem propter se fecit, non quòd ipse homine indigeret, sed ut homini, quia melius nil dare potuit, se ipsum fruendum daret. Aliam uerò creaturam sic fecit, ut & subiecta homini esset per conditionem, & deseruiret ad utilitatem. Homo ergo quasi in quodam medio collocatus, habet supra se Deum, subter se mundum: & corpore quidem deorsum mundo coniungitur, spiritu autẽ sursum ad Deum subleuatur. Necesse ergo fuit, ut uisibilium conditio ita ordinaretur, quatenus homo in eis foris agnosceret, quale esset inuisibile bonum, quod intus quærere deberet: hoc est, ut subtus se uideret, quid supra se appeteret. Non ergo decebat, ut rerum uisibilium copia aliqua in parte defectum sentiret, quæ ob id maximè instituta est, ut inuestigabilem ęternorum bonorum affluentiam nunciaret: hoc est etiam, cur Deus illa etiã creare uoluit, quæ humanis usibus necessaria non esse præuidit. Si enim sola necessaria tribueret, bonitas quidem esset, sed diues non esset. Certè cum homo facere desiderat multa, facere non potest: quia tanto minus præualet in singulis, quanto plura sunt per quæ intentionis suæ conatus diuidit. Rursus cum ad magnitudinem nititur, à multitudine retardatur: quia multis præstare non sufficit uires, quas ad unius rei effectum specialiter effundit. Simili modo minor diligentia decori corporis impenditur, quoties ad multitudinem solam siue ad magnitudinem perficiendã animus occupatur. Sed in opere Dei nec multitudo magnitudinem, nec magnitudo multitudinem stringit, neq; simul uel multitudo uel magnitudo pulchritudini officit, neq; pulchritudo utilitatem tollit. Sed sic facta sunt omnia, quasi facta sint singula, ut cùm uniuersa aspexeris, singula mireris. Immensitas creaturarum magis ad essentiam, decor uerò magis pertinet ad formam: essentia uerò absq; forma considerata, informitas est. Quod autem informe est, in hoc quidem quòd est, Deo simile est: sed in hoc quòd forma caret, à Deo dissidet. Quod ergo formatum est, magis Deo simile est, quàm illud quod formã non habet. Vnde constat, quòd plus euidẽs simulachrum est, decor creaturarũ, qui pertinet ad formam, quàm immensitas creaturarum, quæ ad solam spectat essentiam. Itẽ decor creaturarum propter formam naturalẽ pertinet ad habitũ, utilitas uerò ad actũ: quia creaturæ in hoc utiles sunt, quòd subiectæ homini seruiũt & obsequiũ reddunt. Quod autẽ ad habitũ pertinet, magis propriũ est, & magis certũ, quã id qđ pertinet ad actũ: quia habitũ natura indidit, actũ uerò institutio adiunxit. Simulachrũ ergo decoris immensitatẽ pariter & utilitatem in cognitione præcedit, quia in manifestatione est euidentius. In hoc ergo primum uestigium contemplationis ponere debemus. cap. 67.

De benedictione Rupertus ait: Tria sunt uerba benedictionis, Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris: sed unus idemque sensus est, quippe qui uno tantùm uerbo rursus exprimitur, cum subiungitur; Auesque multiplicentur super terram: nec mirum. Etenim tria nomina, siue tres sunt personę eius qui benedixit: sed unus idẽque Deus est. lib. primo in Genesin, capite quinquagesimosecundo.

De Dixit inquit Lombardus: Dixit ergo Deus, Fiat, &c. non temporaliter, non sono uocis, sed in Verbo sibi coæterno: id est, Verbum genuit intemporaliter, in quo erat, & disposuit ab æterno, ut fieret in tempore, & in eo factum est. libro secũdo, distinctione 13.

De requiescere idem ait: Requieuisse dicitur Deus die septimo, non quasi operando lassus: sed ab uniuerso opere requieuit, quia nouam creaturam facere cessauit. Requiescere enim cessare dicitur. Vnde in Apoc. dicitur: Non habebant requiẽ, dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus. id est, dicere non cessabant. Requieuisse ergo

Deus dicitur, quia cessauit à faciendis generibus creaturæ, quia ultra noua non condidit. Vsque nunc tamen, ut Veritas in Euangelio ait, operatur pater cum filio, scilicet administrationem eorundem generũ, quæ tunc instituta sunt. Creatoris enim uirtus causa subsistendi est omni creaturæ. Quòd ergo dicitur: Pater meus usque modò operatur, & ego operor. illud uniuersæ creaturæ continuam administrationem ostendit. Die ergo septimo requieuit, ut nouam creaturam ulterius non faceret, cuius materia uel similitudo non præcesserit: sed usque nunc operatur, ut quod condidit, continere & gubernare non cesset. libro secundo, dist. 15.

Iohannes Salisberiensis ait: Nam & his statim post diluuium, & illis ante peccatum ideo fortè dictum est, Crescite & multiplicamini: ut illius duntaxat augmentum & multiplicatio acquiratur, quod Deus homini contulit per naturam, aut reformauit per gratiam. Hic autem & crescere iubetur in se, & quodam modo multiplicari in sobole. In se quidem, ad meriti profectum: in sobole numerosa, quadam propagatione uirtutum. Cum uerò natura sit uiciata per culpam, ut crescere & multiplicari iubeatur, non memini. libro septimo, capite decimo Policrat.

De cœlo ait Bernhardus: Est ergo cœlum sancta aliqua anima, habens solem intellectum, lunam fidem, astra uirtutes. Vel certè sol iusticię zelus aut feruens charitas, & luna continentia. Quomodo enim claritas, ut aiunt, lunæ non nisi à sole est: sic absque charitate seu iusticia continentiæ meritum nullum est. Item: Porrò stellas uirtutes dixisse, non me pœnitet, considerantem congruentiam similitudinis. Quomodo nempe stellæ in nocte lucent, in die latent: sic uera uirtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in aduersis. Illud sanè cautelæ est, hoc necessitatis. Ergo uirtus est sidus, & homo uirtutum cœlum. Serm. 27 super Cantica. Et Lombardus: Ostensum est his uerbis, quòd cœlum factum sit, scilicet illud in quo sunt fixa sidera, id est, quod excedit aerem: & de qua materia, scilicet de aquis: & quales sint aquæ quæ super illud cœlum sunt, scilicet ut glacies soliditate. lib. 2. dist. 13.

Lux. Lombardus: Congruè mundi ornatus à luce cœpit, unde cætera quæ creanda erant, uiderentur. libro secundo, distinctione decimatertia.

Dies. Lombardus: Dicitur enim dies lux illa, quæ illo triduo tenebras illuminabat, & dicitur dies illuminatio ipsa aëris. Dicitur etiam dies spacium uigintiquatuor horarum, qualiter accipitur cum dicitur: Factũ est uespere & mane dies unus. libro secundo, dist. 13.

Tenebræ. Lombardus: Sciendum est, tenebras diuersis modis accipi, scilicet uel pro lucis absentia, qualiter suprà accepit August. iuxta quam acceptionem non sunt aliquid: uel pro aere obscurato, siue aeris obscura qualitate, & secundum hoc aliquæ res creatę sunt. Ideo ergo dicit tenebras tũc fuisse super faciem abyssi, quia nondum erat lux, quæ si esset, & superesset & superfunderetur: sed nondum lucis gratia opus suum Deus uenustauerat, quæ postea in primo die formata est. libro secundo, distinctione duodecima.

De rationalibus creaturis inquit Bernhardus: Duas ad intelligendum se condidit uniuersitatis author creaturas, angelũ & hominem. Hominem iustificant fides & memoria, angelum beatificant intellectus & præsentia. Et quia homines quandoque perducendi sunt ad æqualitatem angelorũ, necesse est ut interim iustificentur per fidẽ, & proficiant ad intellectum. Scriptum est enim: Nisi credideritis, nõ intelligetis. Itaque fides uia est ad intelligendum: nam mũdatur cor fide, ut intellectus uideat Deum. Similiter & memoria Dei, uia est ad pręsentiam Dei. Qui enim hic habet mandatorũ eius, ut ea faciat, memoriã, merebitur quandoque ut eius quoque uideat præsentiam. Habeant igitur intellectum & præsentiam angeli Dei in cœlo, habeamus & nos eius fidem & memoriam in mũdo. Inter Sentẽtias morales.

Lombardus: Et quia non ualet eius beatitudinis particeps existere aliquis, nisi per intelligentiam, quæ quanto magis intelligitur, tanto plenius habetur, fecit Deus rationalem creaturam, quæ summum bonũ intelligeret, & intelligendo amaret, & amãdo possideret, ac possidendo frueretur. Eãque hoc modo distinxit, ut pars in sui puritate permaneret, nec corpori uniretur, scilicet angeli: pars corpori iungeretur, scilicet animæ. Distincta est utique rationalis creatura in incorpoream & corpoream, & incorporea quidem angelus, corporea uerò homo uocatur, ex anima rationali & carne subsistens. Item: Ex præmissis apparet, rationalem creaturam in angelicam & humanam fuisse distinctam: quarum altera est tota spiritualis, id est angelica: altera ex parte spiritualis, & ex parte corporalis, id est humana. lib. 2. dist. 1.

De animalibus noxijs ait Bernhardus: Quid enim, si qua animantia, quantum ad usum sui, reperiantur incommoda, nullisq; apta usibus humanarum necessitatum? Pro

sunt profectò uisu, etsi non usu, utiliora cordibus intuentium, quàm utentium corporibus esse possent. Etsi nociua, etsi etiam perniciosa temporali hominum constet esse saluti, non tamen deest eorum corporibus unde cooperentur in bonum his qui secundum propositum uocati sunt sancti: etsi non cedendo in cibum, aut exhibendo ministerium, certè ingenium exercendo, iuxta eum, qui utique omni utenti ratione præstò est, communis disciplinæ profectũ, quo inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Nam & diabolus eiusque satellites, cum sit semper eorum maligna intentio, nocere quidem semper cupiunt: sed bonis æmulatoribus, quibus dicitur: Quis uobis nocere poterit, si boni ęmulatores fueritis? absit ut possint: magis autem prosunt & nolentes, cooperanturque in bonum bonis. Sermone quinto super Cantica.

De bonis idem ait: Et quidem naturalia bona magna, spiritualia maiora, sed maxima sunt æterna. In primis reparamur, in secundis exercitamur, extendimur & beatificamur in tertijs. Sermone de triplici genere bonorũ. Itẽ: Porrò quidẽ æterna bona illa bona sunt, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, & quæ nunquam exeunt ab illa patria, quæ nescit nisi gaudium & iubilationem. Ibi nihil deest, ecce abundantia qua impleatur humana cupiditas. Quæ est ista copia, ubi nihil quod nolis sit, totum sit quod uelis? Fiat pax (ait Propheta ad Ierusalem) in uirtute tua, & abundantia in turribus tuis. In illis inquam turribus, quæ iuxta alium Prophetam, gemmis ædificabuntur, ubi adipe frumenti, non cortice sacramenti satiabit nos Deus. Quòd si nihil deerit nobis, aliquid autem nos latuerit, nunquid erit gloria consummata? Ideo nihil latebit nos, & ecce sapientia qua curiositas hominis satietur. O' sapientia, qua tunc omnia quæ in cœlo & quæ in terra sunt, perfectißimè cognoscemus, in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes. Non metuam suspiciones, non timebo consilia, quia ciuitas illa (iuxta Ioannem) purißimo uitro similis erit, ut sicut per uitrum lucidißimè cernimus, sic aliorum conscientias clarißimè uideamus. Quid si & nihil defuerit, & nihil latuerit, maneat autem timor & anxietas amittendi? Ideo nihil terret, & ecce potentia qua humana infirmitas roboretur. Qui posuit, inquit, fines tuos pacem, & confortauit seras portarum tuarum, ita ut nullus inimicus intret, nullus exire poßit amicus. Vbi ergo summa abundantia, summa sapientia, summa potentia est, puto quòd nihil desit plenitudini beatitudinis, quantum spectat ad summam felicitatis humanæ. Ibidem.

De turture ait Bernhardus: Cernere est, turturem tempore suæ uiduitatis, sanctæ uiduitatis opus strenuè atque infatigabiliter exequentem. Videas ubiq; singularem, ubique gementem audias, nec unquam in uiridi ramo residentem prospicies, ut tu ab eo discas uoluptatum uirentia uelut uirulenta uitare. Adde quòd in iugis montium & summitatibus arborum frequentior illi conuersatio est, ut, quod uel maximè propositum pudicitiæ decet, doceat nos terrena despicere, & amare cœlestia. Super Cantica serm. 59.

DE PARADISO.

Lombardus: Intelligitur autem paradisus localis & corporalis, in quo homo locatus est. Tres enim generales de paradiso sententiæ sunt. Vna eorum qui corporaliter intelligi uolunt tantùm. Alia eorum qui spiritualiter tantùm. Tertia eorum qui utroque modo paradisum accipiunt. Tertiam mihi placere fateor, ut homo in corporali paradiso sit positus, qui ab illo principio plantatus accipi potest, quo terram omnẽ, remotis aquis, herbas & ligna producere iussit. Qui etsi præsentis Ecclesiæ uel futuræ typum tenet, ad literam tamen intelligendum est, esse locũm amœnissimum fructuosis arboribus, magnum, & magno fonte fœcundum. Quod dicimus à principio, antiqua translatio dicit ad Orientem. Vnde uolunt in Orientali parte esse paradisum, longo interiacente spacio uel maris uel terræ à regionibus quas incolunt homines, secretum & in alto situm, usque ad lunarem circulum pertingentem. Vnde nec aquæ diluuij illuc peruenerunt. libro secundo, distinctione decimaseptima. Item: In hoc autem paradiso erant ligna diuersi generis, inter quæ unum erat quod uocatum est lignum uitæ, alterum uerò lignum scientiæ boni & mali. Lignum autem uitæ dictum est, sicut docet Beda & Strabus, quia diuinitùs accepit hác uim, ut qui ex eius fructu comederet, corpus eius stabili sanitate, & perpetua soliditate firmaretur, nec ulla infirmitate uel ætatis imbecillitate in deterius uel in occasum laberetur. Lignum autem scientiæ boni & mali non à natura hoc nomen accepit, sed ab occasione rei postea secutæ. Ibidem.

Hugo Eterianus: Nullo modo autem ambigendum est, quin in paradiso corporali Adam positus fuerit, quem & quatuor flumina irrigabant, & arbores precioßißimi germinis & fructus decorabant. libr. de Regressu animarum ab inferis, cap. 3.

De

De ligno uitæ ait Rupertus: Illud materiale lignum uitæ hominem morte animæ, scilicet peccato iam mortuum non uiuificasset, sed carnem uiuere faceret in ęternũ: non recuperaretur in æternum, & esset æternaliter miser, ut dæmones sunt. lib. 2 in Apoc. cap. 2.

De tribus locis. Bernhardus: Tria sunt loca, cœlum, terra, infernus: & habent singula habitatores suos, cœlum solos bonos, terra mixtos, infernus solos malos. Inter Sententias morales.

Opinio quòd simul. Rupertus: Semel & simul omnia creauit, qui uiuit in æternum. lib. 1 in Iohan. cap. 1.

De fine creationis Bernhardus ait: Nec latuit eos, quoniam omnia propter semetipsum fecit Deus, omnia propter suos. Aliter tamen propter se, aliter propter suos: in eo quippe quod dicitur, Omnia propter se, præueniens commendatur origo: in eo autem quod dicitur, Omnia propter suos, magis exprimitur fructus sequẽs. Omnia fecit propter semetipsum, gratuita uidelicet bonitate: omnia propter electos suos, pro eorum scilicet utilitate: ut illa quidẽ efficiens causa sit, hæc finis. Sermone tertio de Pentecoste. Item: Sed quando in opus bonum & ipsa concurrunt, apparet quoniam omnia seruiunt ei, cui meritò est dicere: Meus est orbis terræ. Aut certè quia nouit quæ per quæ conuenientius fiant, de seruitute corporeæ creaturæ non efficaciã quærit, sed congruentiam. Esto deinde quòd corporum ministeria opportunè plerunq; diuinis operibus applicentur, ut uerbi gratia, pluuiæ uiuificandis seminibus, & multiplicandis segetibus, & fructibus maturandis, quid proprio quæso de corpore facere habet, cui ad nutum indifferenter uniuersa corpora cœlestia atq; terrestria obsequi cõstat? Planè superfluò haberet suum, qui nullum sibi reperit alienum.

Potho: Cuncta namque uisibilia tam ad eruditionem, quàm ad obsequium hominis condita sunt, ut in his formas spiritualium ac sacramenta diuina excolat, non ut postposito conditoris amore, in his delectetur, & adulterinum mentis oculum in rerum transeuntium pulchritudine defigat. lib. 4 de Statu domus Dei.

Hildebertus: Nihil ita creatum est per se, nihil ita simplex, cui non sit aliquid unde doceamur uel cauere noxia, uel salutaria prouidere. Epist. ad reginam Angliæ.

Iohannes Salisberiensis ait: Placita namque Deo omnis creatura mitis est, & seruit homini, & eo indignante, omnis creatura armatur in ultionem eius. libro sexto, capite 29 Policrat.

Omnia bona. Petrus Alphonsus: Et quoniam totius mundi creatura bona est, teste etiam Scriptura, quæ ait, Vidit Deus cuncta quę fecerat, & erant ualde bona: non est inquirendum, cur hæc non fecerit antea. Tit. 1 Dial.

Bonum quomodo accipiatur. Lombardus: Bonũ enim multipliciter accipitur, scilicet pro utili, pro remunerabili, pro signo boni, pro specie boni, pro licito, & alijs fortè modis. lib. 2. dist. 41.

Mundum esse inspiciendum. Rupertus: Hoc opus cœli & terræ adeò collaudat, ac in tantum complacet patri, ut cuicunq; nõ complacuerit, quicunq; cum laude & gratiarũ actione non aspexerit, uelut ingratũ, & uerè superbum, & inuidum, à salute sua, & ab eiusdem Christi filij sui regno repellat. lib. 2 in Ioh. cap. 1.

De mundi ruina inquit Berengosius: Verè iuxta Dei sententiam cœlum & terra transibunt per meliorationem, sed non per abolitionem: quia in igne iudicij purgata meliorabuntur, quoniam renouabuntur: sed penitùs non destruentur. Tantum quippe ardebit cœlum desursum & terra deorsum, quantum malicia hominum & dæmonum simul coinquinari potuit. Ergo iuxta sententiam Salomonis, terra in æternũ stabit, quoniam nunquam destruetur, sed meliorabitur & renouabitur.

Petrus Cluniacensis: Nunc uerò mundo senescente, & iã morti proximo, quicquid in mundo est, elanguit. libro tertio, epistola uigesima octaua.

Phrasin de creatione Rupertus recitat: Deum dicendo creasse, non de elementari sono, uel uoce corporea (Deus enim spiritus est) intelligatur. lib. primo in Ioh. cap. 1. Itẽ: Spiritus Dei ferebatur super aquas: Rectè dictus est Spiritus Dei, quo nomine intelligitur, sicut ait pater Augustinus, quomodo sit ipse bonitas Dei. Etenim quia bonus est Deus, idcirco omnia creauit. libro 1 de glorif. Trinit. capite undecimo. Item: Spiritus ferebatur super aquas. Quid autem putamus esse hunc spiritum, nisi bonitatẽ amoremque Dei, amorem non affectuum, sed substãtialem, amorem inquam & uitã, uirtutemque uiuam in filio & patre manẽtem, uel ab utroque procedentem, patri filioque consubstantialem? Hic nempe ferebatur super aquas. libro primo in Genesin, capite octauo.

De facere Dei. Lombardus: Cum ergo aliquid dicitur facere, tale est ac si dicatur, iuxta eius uoluntatem, uel per eius uoluntatem aliquid nouiter contingere uel esse: ut in ipso nihil noui contingat, sed nouum aliquid, sicut in eius æterna uoluntate præ-

destinatū fuerat, fiat sine aliqua motione, uel sui mutatione. Nos uerò operando mutati dicimur: quia mouemur. Non enim sine motu aliquid facimus. libro secundo, distinctione prima.

Cuius mali Deus sit autor, Rupertus docet: Etenim malū quidē, quod est iniquitas, Dominus nō fecit: sed malū quod est afflictio, propter iniquitatem Dominus induxit. lib. 2 in Amos, cap. 3. Item: Mali nullius author Deus, nullam creaturam malam esse faciens creator bonus, dum de gente ista dicit: Ex semetipsa iudicium & onus eius egredietur. libro primo in Abacuc, capite primo.

DE ANGELIS
bonis.

Angelus. Potho: Angelorum autē nomen idcirco commune est omnibus cœlestium spirituum ordinibus, quia omnium est manifestare occulta Dei his quib. præsunt. Qui autem propriè dicuntur angeli, hominibus præsunt, hisq; uoluntatem Dei annunciant. lib. 4 de Statu domus Dei. Item: Et quidem sanctam Seraphin nominationem, Hebræorum sapientes, aut incēdentes aut calefacientes interpretari, dixerunt. Cherubin uerò multitudinem scientiæ, aut fusionem sapientiæ. Thronos autem oculosos aut pennosos ordines nominant lib. 5.

Lux. Rupertus: Nomine lucis bonos angelos, tenebrarum autem uocabulo malos esse angelos significatos. lib. 3 de glorif. Trinit. cap. 2.

Nomina angelorum recitat Lombardus: Et putant illi, Michael, Gabriel, Raphael de superiore ordine fuisse. Michael interpretatur, quis ut Deus? Gabriel, fortitudo Dei. Raphael, medicina Dei: nec sunt ista nomina ordinum, sed spirituum. Et dicunt quidam, singulum horum unius propriè ac singulariter spiritus esse nomen. Alij uerò nō unius singulariter & determinatè, sed nūc huius, nunc illius esse nomen, secundum qualitatem eorum ad quæ nuncianda uel gerenda mittuntur: sicut & dęmonum quędam nomina sunt, quæ quidam putant esse unius propria, alij uerò pluribus communia. lib. 2. dist. 10. Episcopos nominat angelos Hildebertus, epist. 40.

Quid? Potho: Angelicus spiritus est substantia incorporea, inuisibilis, sensibilis, rationalis, intellectualis, immortalis. Et bonorum quidem angelorum substantia est lucida & impassibilis, malorum uerò tetra & passibilis. lib. 5.

Hildegardis ait: Quod & hæc maxima multitudo uiuentiū lāpadarum, multā claritatē habentiū, ostendit, quæ est plurimus exercitus supernorum spirituum, in beata uita fulgentium, ac in multo decore & ornatu existentium: quoniam cum à Deo creati sunt, non superbā elationē arripuerūt, sed in diuino amore fortiter perstiterunt. Nam ipsi igneum fulgorem accipientes, ita serenissimum splendorē adepti sunt: quia cum lucifer cum suis superno creatori rebellare conaretur, isti zelum Dei in casu illius & illi consentientium habentes, uigilantiam diuinę dilectionis induerunt: cum illi cæcitatem ignorantiæ, qua Deum scire noluerunt, incurrerunt. libro primo, uisione prima.

De diuisionibus angelorum ait Bernhardus: Diuisiones autem sunt non cœlorum, sed beatitudinum. Nam alios quidem posuit angelos, alios autem archangelos, alios uerò uirtutes, alios dominationes, alios principatus, alios potestates, alios thronos, alios Cherubim, atque alios Seraphim. Sermone uigesimoseptimo super Cantica. Item: Angeli, archangeli, uirtutes, potestates, principatus, dominationes, throni, Cherubim, Seraphim: hæc nomina. Quæ significata eorum? Nullane inter illos spiritus qui simpliciter angeli, & eos qui archangeli nuncupantur, distantia? Quid ergo sibi uult gradualis distinctio hæc? Putemus angelos dici (nisi tu conuenientius aliquid cōsiderasti) qui singuli singulis hominibus dati creduntur, missi in ministerium (secundū Pauli doctrinam) propter eos qui hæreditatē capiūt salutis. De quibus Saluator: Angeli eorū semper uident faciē patris. Putemus his præesse archangelos, qui conscij mysteriorū diuinorū, nō nisi ob pręcipuas & maximas causas mittūtur. E quib. magnus ille archangelus Gabriel missus legitur ad Mariā ob causam utiq; qua maior esse nō potuit. Putemus super istos uirtutes esse, quorū nutu uel opere signa & prodigia in elemētis, siue ex elementis facta apparēt ad cōmonitionem mortaliū. Inde est fortassis, quòd cū in Euāgelijs legas: Erūt signa in sole & luna & stellis. Paulo pòst habes: Nā uirtutes cœlorū mouebuntur. hi nimirū spiritus, per quos signa fiunt. Putemus potestates superiores istis, quarū uirtute potestas tenebrarū comprimitur, & cohercetur malignitas aeris huius, ne quantum uult, noceat: ne malignari, nisi ut prosit, possit. Putemus principatus his quoque prælatos, quorum moderamine & sapientia omnis in terris principatus cōstituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, mutatur. Putemus dominationes adeò cūctis supereminere præfatis ordinib. ut respectu horum cęteri uideātur omnes administratorij spiritus: & ad istos tanquam ad dominos referri regi-

ri regimina principatuũ,tutamina potestatum, operationes uirtutum, reuelationes archangelorum, curam & prouidentiam angelorum. Putemus thronos alto etiam ab his euolasse recessu,qui ex eo quòd sedent,throni dicũtur:& ex eo sedent,quòd sedet in eis Deus. Neq; enim sedere in eis qui non sederent, posset. Quæris quid illam sentiam sessionem? Summam tranquillitatem, placidissimam serenitatem, pacem quæ exuperat omnem intellectum. Talis est qui sedet in thronis Dominus Sabaoth, iudicans omnia cum tranquillitate, placidissimus, serenissimus, pacatissimus. Et tales sibi cõstituit thronos simillimos sibi. Putemus Cherubin ex ipso sapiẽtiæ fonte,ore altissimi haurientes,& refundentes fluenta scientiæ uniuersis ciuibus suis.Et uide ne is sit,quem Propheta loquebatur, Fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei.Putemus Seraphin spiritus totos diuino igne succensos succendere uniuersa, ut singuli ciues singulæ sint lucernæ ardentes & lucentes, ardentes charitate,lucentes cognitione.libro quinto de Cõsideratione.

Lombardus inquit:In pluribus locis,nouem esse ordines angelorum, Scriptura promulgat, scilicet angelos, archangelos, principatus, potestates, uirtutes, dominationes,thronos, Cherubin & Seraphin. Et inueniuntur in istis ordinibus tria terna esse, & in singulis tres ordines, ut Trinitatis similitudo in eis insinuetur impressa. Vnde Dionysius tres ordines angelorum esse tradit, ternos in singulis ponens. Sunt enim tres superiores, tres inferiores, tres medij. Superiores, Seraphin, Cherubin, throni. Medij, dominationes, principatus & potestates. Inferiores, uirtutes, archangeli & angeli. Item: Ordo autem dicitur multitudo cœlestium spirituum, qui inter se in aliquo munere gratiæ simulantur, sicut & in naturalium datorum munere conueniunt.Vt uerbi gratia: Seraphin (ut B.ait Gregorius) dicuntur, qui præ alijs ardent charitate.Seraphin enim interpretatur ardens uel succendens.Cherubin, qui præ alijs in scientia eminent. Cherubin enim interpretatur plenitudo scientiæ. Thronus dicitur sedes. Throni autem uocantur, qui tanta diuinitatis gratia replentur, ut in eis sedeat Deus, & per eos iudicia decernat atque informet.Dominationes uerò uocãtur, qui principatus & potestates transcendũt.Principatus dicuntur,qui sibi subiectis quæ sunt agenda disponũt,eisq; ad explenda diuina mysteria principantur. Potestates nominantur hi,qui hoc cæteris potentius in suo ordine acceperunt, ut uirtutes aduersæ eis subiectæ, eorum refrænentur potestate,ne homines tantum tentare ualeant,quantum desiderant.Virtutes uocantur illi,per quos signa & miracula frequenter fiunt.Archangeli, qui maiora nunciant. Angeli,qui minora. Et:Nominantur singuli ordines à donis gratiarum,quæ nõ sint singulariter,sed excellenter data sunt in participatione.In illa enim cœlesti curia, ubi plenitudo boni est,licet quædam data sint excellenter,nihil tamẽ possidetur singulariter.Omnia enim in omnibus sunt nõ quidẽ ęqualiter:quia alij alijs sublimius possident,quæ tamen omnes habẽt. Itẽ: Ante casum quorundam non erant isti ordines, quia nondũ habebant dona,in quorũ participationibus cõueniunt. Sed quibusdam cadentibus,alijs apposita sunt:eisq; qui ceciderunt,collata fuissent eadẽ dona si perstitissent.Ideoq; Scriptura dicit, de singulis ordinibus aliquos cecidisse:non quia fuissent in ordinibus,& postea corruerint: sed quia si perstitissent, eorum aliqui in singulis fuissent ordinibus, qui & in naturæ tenuitate,& in formæ perspicacitate differentes gradus habebant, sicut illi qui perstiterunt.lib.2.dist.9.

Et Petrus Cantor: In regione spirituum dicuntur esse tres hierarchiæ.In prima hierarchia inferiori sunt uirtutes, angeli, archangeli.In secunda sunt potestates,principatus,dominationes. In tertia sunt throni, Cherubin & Seraphin.Et quia dicitur,Omnia fac secundum exemplar quod tibi mõstratum est in monte: in Ecclesia militante primò leguntur tres lectiones simul, & secundò similiter tres,& tertiò similiter tres, ad imitandum Ecclesiam triumphantem.

Potho inquit:Ter ternas autem esse cœlestium ordinum dispositiones, nullus est qui ambigat. In quibus nimirum ordinib. imago sanctæ Trinitatis splendidè lucet, quia uidelicet ab ipsa deificæ Trinitatis una & indiuisa substantia spiritus creati, inter ternas ordinum distinctiones dispertiti sunt, quorum simplex & indissolubilis est natura, ab ipso qui est unus pater spirituũ formata. libro 4 de Statu domus Dei. Item: Nam numero Deus impare gaudet, qui parium numerorum sectionem in sua Trinitate atque indiuisa unitate non recipit.Ipsa itaque cœlestium spirituum agmina,in suis ordinibus distincta secundũ propriam donorum Dei distributionem, sic similitudini eius à quo creati & dispositi sunt, appropinquant, ut alij ex his sunt qui illuminant, alij qui illuminantur: alij qui perficiant, alij qui perficiantur. Item: Et primas quidem ter ternas agminum cœlestium dispositiones in summis

sedibus iuxta se posuit, hoc est, Seraphin, Cherubin & thronos. Secundas autem post has principales ordinum ter ternas dispositiones continent in cœlestibus. Sedes item ter ternis distinctas ordinibus, quæ scilicet dominationibus, uirtutibus & potestatibus complentur. Tertia uerò, quæ & extrema est ordinum distributio, in tribus consistit: id est, in principibus, archangelis & angelis. Et: Nam iuxta numerum nouem ordinum angelorum, nouem sunt consonantiæ uocum. Item: Seraphin itaque in prima ternaria ordinum cœlestium dispositione altissima sede locata, tanta Deo uicinitate suprà coniuncta, ut nulla spirituum agmina inter ipsa & Deum media sint. Seraphin autem incendentes, siue calefacientes dicuntur, eo quòd incendio diuini amoris incomparabiliter ardeant, eique de proximo inseparabiliter adhæreant. His proximè adiuncta sunt agmina quæ uocantur Cherubin, quod interpretatur plenitudo scientiæ. Incendio quippe diuini amoris tanguntur ex adiunctis sibi superius agminibus. Vnde ex ipso diuini amoris calore pariter & plenæ scientiæ lumen sortiuntur. Prima ergo agmina Seraphin in media sibique adiuncta agmina Cherubin calorem ex incendio sui amoris, quo Deum amant, & splendorem plenæ scientiæ, quà Deum cognoscunt, transfundunt. Media rursus agmina in subiecta sibi agmina de plenitudine scientiæ suæ portionem non minimam transmittunt. Proinde pulchrè nominantur throni agmina ipsa, in quibus ex infusione sapientiæ, quam desuper accipiunt, agitur, ut in his Deus scientiarum Dominus sedeat, & per ea iudicia sua exerceat. Et: Agmina beatorum spirituum, Deo ministrantium & assistentium, miro ordine disposita sunt. Alij quippe ex his ministrant, alij assistunt. Illi qui ministrant, ad exteriora explenda ministeria à Deo mittuntur, & tamen contemplationem creatoris sui non deserunt. Illi assistunt qui foras non mittuntur. Sed hoc præ cæteris plenius in munere acceperunt, ut contemplationi Dei indesinenter assistant. Et de illis quidem spiritibus qui mittuntur, Apostolus dicit: Non'ne omnes sunt ministratorij spiritus, missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis? De illis uerò qui assistũt, hoc indubitanter asserimus iuxta Scripturæ sanctæ authoritatem, quià superiora illa agmina angelorum exterioris ministerij usum non recipiunt; quæ ab intimis nunquam recedunt. Item: Sunt namque media spirituum agmina item in tribus ordinibus disposita, quæ sunt dominationes, uirtutes & potestates. Sed quæ sunt eorum officiorum uocabula, exponendo exequamur. Dominari est, subiectos quosque possidere. Vnde illa angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, pro eo quòd eis cætera ad obediendum subiecta sunt, dominationes dicuntur. Virtutes sunt illa agmina, per quæ signa & miracula frequentius fiunt. Potestates sunt, quibus aduersæ uirtutes subijciuntur, & eorum potestate refrænantur, ne corda hominum tentando tantum nocere ualeant, quantum cupiunt. Et: His sanè digestis, transeundum est ad ultimas ordinum cœlestium dispositiones, quæ in tribus choris consistunt, scilicet principum, archangelorum & angelorum. Quorum officiorum uocabula consequenter exponamus. Principes itaque uocantur, qui ipsis quoque bonis angelorum spiritibus præsunt, qui subiectis alijs dum quæque sunt agenda disponunt, eis ad explenda diuina ministeria principantur. Archangeli dicuntur, quia summa quæque nunciant. Angeli uocantur, qui minima nunciant. Teste autem sacro eloquio, angeli ex officio dicti sunt, non ex natura. Semper enim natura spiritus sunt. Tunc autem solummodo angeli dicuntur, quando mittuntur. Summa ergo archangeli nunciant, sicut Gabriel, qui summum omnium in carne uenturum, beatæ uirgini Mariæ nunciabat. Quia namque ad debellandas aëreas potestates fortis præliator ueniebat, hunc per Gabrielem, qui fortitudo Dei interpretatur, nunciari decebat. Michael autem, quis ut Deus, interpretatur: quia cum dracone magno, diabolo, bellum committens, illius superbiam, qua se contra Deum erexit, potenti uirtute conculcat, nullum posse quod Deus potest, euidenter ostendit. Raphael medicina Dei dictus, ad effugandum à Sara dæmonium, & ad curandos Tobiæ oculos missus fuisse legitur. Magna sunt hæc opera Dei, archangelicæ uirtutis operatione declarata. Mittuntur etiam, ut dictum est, ad minora quæque agenda minores angeli, quod ex sacræ Scripturæ testimonio facilè probari potest. Nam Zacharias propheta in uisione sua dicit: Et ecce, angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & alius in occursum eius egrediebatur, & dixit: Curre & loquere ad puerũ istũ, Absq; muro habitabitur Ierusalem. Patet igitur, quòd angeli minoris ordinis à maioribus ad minora explenda ministeria mittantur. libro 4 de Statu domus Dei. Et: Profectò conuenire his ordinibus uidentur quidam gradus comparationis, quibus Grammaticæ

maticæ artis periti in nomine utuntur: ut uidelicet alij ex ipsis positiuo gradu sint perfecti doctrina, alij comparatiuo gradu perfectiores, alij superlatiuo perfectissimi: alij per diuinam illuminatione lucidi, alij lucidiores, alij lucidissimi: alij ab omni ignorantia purgati, alij purgatiores, alij purgatissimi. Sic ergo cœlestium spirituum ordines dispositi sunt, ut prima agmina ab ipsa diuinitate immediatè doceatur, secunda uerò à primis erudiantur, extrema per media illuminationem doctrinæ percipiant. lib. 5 de Statu domus Dei. Itẽ: In quorum uocabulis diligentius consideremus, quæ sint eorũdem ordinum proprietates. Principes sunt, qui subiectis ordinib. ad explẽdæ diuina ministeria principantur. Hoc autem inter principes, qui nouissimis spirituum ordinibus prælati sunt, & dominationes, qui medijs ordinibus prestant, distare uidetur, quòd dominari quidẽ est, subiectos quosque possidere: principari uerò est, inter alios priorem esse. Cœlestis ergo militiæ ornatus, omnes angelicas concludens dispositiones, in principibus, archangelis & angelis dispositus est. Ibidem.

Hildegardis inquit: Qui in prima acie sunt angeli, uelut pennas in pectoribus suis habẽt, & facies ut facies hominum in se prætendunt, in quibus & uultus hominũ quasi in pura aqua apparẽt. Isti angeli sunt desideria ꝓfunditatis, intellectus sui quasi pennas expandentes: non quòd pennas ut aues habeãt, sed quòd uoluntatem Dei in desiderijs suis uelociter perficiant, uelut homo in cogitationibus suis celeriter uolat, ita quòd & per facies suas pulchritudinem rationalitatis in se manifestãt, ubi etiam Deus opera hominum perspicuè perscrutatur. quia ut seruus uerba domini sui audiens, ea secundũ uoluntatem eius perficit: ita & ipsi uolũtatem Dei in hominibus attendunt, & actus eorum illi in semetipso ostẽdunt. Vnde qui & in acie alia sunt, etiã in pectoribus suis quasi pennas habent, & facies ut facies hominum in se ostendunt: in quibus etiam imago filij hominis uelut in speculo fulget. Archangeli sunt etiam in desiderijs intellectus sui uoluntatem Dei contemplantes, & decorem rationalitatis in se manifestantes, incarnatum Verbum Dei purissimè magnificant: quia ipsi arcana Dei cognoscentes, mysteria incarnationis filij Dei signis suis frequenter præinsinuabant. Sed nec in his, nec in illis aliam formam discernere potes: quoniam & in angelis & archangelis multa secreta mysteriorum sunt, quæ humanus intellectus, mortali corpore grauatus, capere non ualet. Hæ acies alias quinq; acies secundum modum coronæ cingũt, &c. lib. 1. Visione 6.

Seraphim. Bernhardus: Seraphim quidẽ dilectissimi, sicut frequenter audistis, nomen est supernorum spirituum, ordinis unius de nouem summi atq; supremi.

De principatibus ait Bernhardus: Sunt & super istos principatus, qui ipsum altius speculantes, & liquidò peruidentes uniuersitatis esse principium, & primogenitũ omnis creaturæ: tanta proinde principatus dignitate donãtur, ut ubiq; terrarum habeant potestatem quasi de summo quodam rerũ cardine regna & principatus, & quaslibet pro arbitrio mutare & ordinare dignitates, pro quorumq; meritis facere primos nouissimos, & nouissimos primos: deponere potentes de sede, & exaltare humiles. Itẽ: Intuentes ergo Dominũ Sabaoth tanta cum tranquillitate omnia iudicantẽ, intentissimæ suauissimæq; contemplationis stupore nimio, sed sensato, rapti in illud diuinæ claritatis tam ingens pelagus, recipiunt sese in secretiori quodam miræ tranquillitatis recessu, ubi tãta pace ac securitate fruuntur, ut quiescentib. ipsis pro reuerentia prærogatiuæ, tanquã uerè dominationis ministrare & militare uideatur cætera multitudo. Serm. 19 super Cant.

Vnde angeli. Petrus Cluniacensis: Sed neq; angelos ex utero Deus genuit, sed eos, sicut & alias creaturas, omnipotenti uoluntate creauit. lib. 2 contra Iudæos.

Hildegardis ait: Omnipotẽs & ineffabilis Deus, qui ante secula fuit, nec initium habuit, nec post finem seculorum esse desinet, omnem creaturam mirabili modo sua uoluntate condidit, eamq; mirabili modo sua uoluntate disposuit. Quasdam enim creaturas terrenis herere, quasdam uerò in cœlestibus esse deputauit. Ipse quoq; beatos angelicos spiritus tam ad salutem hominum, quàm ad honorem nominis sui disposuit. Nam quosdam ita constituit, ut necessitatibus hominum subueniant: quosdam uerò, ut iudicia secretorum suorũ per eos hominibus manifestentur. lib. 1. Visione sexta.

Quando creati. Lombardus: Simul ergo cum tempore facta est corporalis & spiritualis creatura, & simul cũ mũdo, nec fuit antè angelica creatura quàm mũdus: quia, ut ait Augustinus: Nulla creatura creata est ante secula, sed à seculis, cũ quibus cœpit. lib. 2. dist. 2. Item: In empyrio omnes angeli fuerunt ante quorundam ruinam, simulq; creati sunt angeli cum cœlo empyrio, & cum informi materia omnium corporalium. Ibidem.

Quales sint, Rupertus exponit: Et quidem sancti angeli firmati sunt, & quia malo

malo angelo quicquam à ſe ipſo faciente, id eſt, malum faciente, ipſi Deo principi ſuo adhærere maluerunt, hoc in remunerationem acceperunt, ut deinceps malum facere non poſsint: quia cum poſſent facere, noluerunt. Verùm hoc non eſt per naturæ ipſorum potentiam, ſed per diuinæ uoluntatis remunerantem gratiam. lib. 5 in Iohan. cap. 5.

Lombardus ait: Quatuor quidem angelis uidentur eſſe attributa in initio ſubſiſtentiæ ſuæ, ſcilicet eſſentia ſimplex, id eſt, inuiſibilis & immaterialis: & diſcretio perſonalis, & per rationem naturaliter inſitam intelligentia, memoria & uoluntas, ſiue dilectio. Liberum quoque arbitrium: id eſt, libera inclinandæ uoluntatis ſiue ad bonum, ſiue ad malum facultas. Poterant enim per liberum arbitrium ſine uiolétia & coactione ad utrumlibet propria uoluntate deflecti. libro ſecundo, diſtinct. 3. Item: Liquet angelos, bonos omnes eſſe creatos, & poſt creationem quoſdam cecidiſſe à bono, quod habuiſſent, ſi perſtitiſſent. Ibidem. Et: Nec in beatitudine, nec in miſeria creati ſunt. Miſeri enim ante peccatum eſſe non potuerunt, quia ex peccato miſeria eſt. Nam ſi non fuiſſet peccatum, nulla eſſet miſeria. Beati quoque nunquam fuerunt illi qui ceciderunt, quia ſui euentus ignari fuerunt, id eſt, peccati & ſupplicij futuri. diſtinct. 4. Item: Quales fuerint angeli in creatione, oſtenſum eſt, boni ſcilicet, & nõ mali: iuſti, id eſt, innocétes & perfecti quodammodo, alio uerò modo imperfecti. Beati uerò non fuerunt uſq; ad confirmationem, niſi beatitudo accipiatur, ut iam dictũ eſt, ille ſtatus innocentiæ & bonitatis in quo conditi ſunt. Ibidem.

Potho ait: Eſt ergo cunctis ſimul cœleſtium ſpirituum agminib. illuminatis, principium illuminandi Deus. lib. 4. Item: Imaginem quippe ſapientiæ ſuæ principaliter in hac excellentiſsima rationali creatura expreſsit, eiq; de proximo ſapientiæ ſuæ radios infudit. lib. 5.

Habent liberum arbitrium. Rupertus: Omnes angeli cum libero arbitrio conditi ſunt, & ſic bene conſtituti, ut in melius proficere haberent. Profecerunt qui uoluerunt, qui bonam uoluntatem habuerunt. Defecerunt & apoſtatauerunt, qui ſibimet quàm creatori ſuo placere maluerunt. Factum eſt deinde eorum iudicium, & qui cum peccare poſſent, peccare noluerunt, firmiterq; in amore creatoris pedem fixerunt, hoc in remunerationem acceperunt, ut amplius iam peccare, uel peccando mori nõ poſsint. Verbo enim Domini cœli firmati ſunt, &c. Ecõtrariò diabolus & omnes angeli eius, qui cum illo iniquitatem operati ſunt, ita ceciderunt, & ita moto pede ſuperbiæ expulſi ſunt, ut iam amplius ſtare non poſsint: talem omnino retributionem acceperunt, ut nunquam reſtitui poſsint, recepturi ſine dubio adhuc in illo die retributionem æterni ignis. lib. 1 de Pietate, cap. 7.

De libero arbitrio angelorum inquit Lombardus: Habebant enim omnes liberum arbitrium, quod eſt libera poteſtas, & habilitas uoluntatis rationalis. Poterant enim uoluntate eligere quodlibet, & ratione iudicare, id eſt, diſcernere, in quibus cõſtat liberum arbitrium: nec creati ſunt uolentes auerti, uel conuerti, ſed habiles ad uolendum hoc uel illud: & poſt creationem ſpontanea uoluntate alij elegerunt malum, alij bonum. Et ita diſcreuit Deus lucem à tenebris, ſicut dicit Scriptura, id eſt bonos angelos à malis, & lucem appellauit diem, noctem uerò tenebras: quia bonos angelos gratia ſua illuminauit, malos uerò excæcauit. libro ſecundo, diſtinct. quinta. Item: Boni tanta gratia confirmati ſunt, ut nequeant fieri mali: & mali in malicia adeò obdurati ſunt, ut non ualeant fieri boni: & tamen utrique habent liberum arbitrium. quia & boni non aliqua cogente neceſsitate, ſed propria ac ſpontanea uoluntate, per gratiam quidem adiuti, bonum eligunt, & malum reſpuunt: & mali ſimiliter ſpontanea uoluntate, à gratia deſtituti, bonum uitant, & malum ſequuntur: & mali habent liberum arbitrium, ſed depreſſum atque corruptum, quod ſurgere ad bonum non ualet. diſtinctione ſeptima. Et: Boni uerò arbitrium habent multo liberius poſt confirmationem, quàm antè. Item: Non poſſunt itaque boni angeli uelle malum, uel uelle eſſe miſeri: neque hoc habent ex natura, ſed ex gratiæ beneficio. Ante gratiæ namque confirmationem potuêre peccare angeli, & quidam etiam peccauerunt, & dæmones facti ſunt. Et: Angeli ante confirmationem peccare potuerunt, ſed poſt confirmationem non poſſunt. Quòd potuerunt, fuit eis ex libero arbitrio, quod eſt eis naturale: quòd uerò modò non poſſunt peccare, non eſt eis ex natura, id eſt libero arbitrio, ſed ex gratia: ex qua gratia etiam eſt, ut ipſum liberum arbitrium iam non poſsit peccato ſeruire. Item: Non ergo poſt confirmationem angeli de natura ſicut antè peccare potuerunt, non quòd liberum arbitrium eorum debilitatum ſit per gratiam, ſed ita potius confirmatum, ut iam per illud non poſsit bonus angelus

angelus peccare: quod utique non est ex libero arbitrio, sed ex gratia Dei. Et: Talis enim & homo & angelus creatus est, qui ad utrumque flecti poterat: sed postea boni angeli ita per gratiam sunt confirmati, ut peccare nō possint: & mali ita in uicio obdurati, ut bene uiuere nequeant. Ibid.

Ad imaginem Dei sunt facti. Richardus: Hæc est nobilis illa (scilicet incorporeæ & inuisibiles essentiæ, utpote spiritus angelici & spiritus humani) imò nobilissima creatura, ad imaginem Dei creata, omnibus creaturis prælata, ad summum bonum facta, ipso & de ipso bonorum omnium creatore beanda. libro 3 de Contemplatione, cap. 1.

De corporibus angelorum ait Bernhardus: Cæterùm angelica corpora utrúmnā ipsis spiritibus naturalia sint, sicut hominibus sua, & sint animalia sicut homines, immortalia tamen, quod nondum sunt homines: porrò ipsa corpora mutent & uersent in forma & specie qua uolunt, quando apparere uolunt, densantes & solidantes ea quantum uolunt, cum tamen in sui ueritate præ subtilitate naturæ atque substantiæ suę impalbabilia sint, & nostris omnino inattingibilia uisibus: an uerò simplici spirituali substantia subsistentes, corpora cum opus est sumant, rursumque expleto opere ponant in eandem de qua sumpta sunt materiam dissoluenda, nolo ut à me requiratis. Videntur patres de huiusmodi diuersa sensisse, nec mihi perspicuum est unde alterutrum doceam, & nescire me fateor. Sed & uestris profectibus non multum cōferre arbitror harum rerum noticiam. Illud autem scitoté, nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, ut uidelicet nullo mediante nostri suiue corporis instrumento, ita nobis immisceatur & infundatur, quo eius participatione docti siue doctiores, uel boni siue meliores efficiamur. Nullus angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax. Nec ipsi angeli ita se alterutrum capiunt. Serm. 5 super Cantica.

Angeli confirmati. Bernhardus: At angelis, inquis, quomodo redemptio fuerit, non uideo. Nec enim autoritas Scripturarum uspiam assentire uidetur, eos aliquando aut peccato extitisse captiuos, aut morti obnoxios, ut necessariam haberent redemptionem: exceptis duntaxat illis, qui superbiæ lapsu irremediabili corruentes, redimi deinceps non merentur. Si itaque angeli nunquam redempti sunt, alij utiq; non egentes, alij nō promerentes: illi quidem quia nec lapsi sunt, hi autem quia irreuocabiles sunt: quo pacto tu dicis Dominum IESVM Christum eis fuisse redemptionem? Audi breuiter. Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti angelo ne laberetur, sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione fuit æquè utriq; redemptio, soluens illū, & seruans istum. Serm. 22 super Cant.

Lombardus inquit: Angeli qui perstiterunt, per gratiam cōfirmati sunt: & qui ceciderunt, à gratia Dei deserti sunt. Et boni quidem in tantum confirmati sunt per gratiam, quòd peccare nequeunt. Mali uerò per maliciam adeò sunt obstinati, quòd bonam uoluntatē habere, siue bene uelle non ualent, etsi bonum sit quod aliquando uolunt. Volunt enim aliquando aliquid fieri, quod Deus uult fieri, & utiq; illud bonum est & iustum fieri, nec tamen bona uoluntate illud uolunt. lib. 2. distinct. 7.

Viuunt in æternum. Rupertus: Beati angeli æternaliter uiuunt, & uisione Dei perfruuntur. lib. 6. cap. 6 in Iohan. Item: Beata sanctorum angelorum societas semper quasi plena luna est, & nec deficit, nec minuitur, ex quo peccātib. apostatis angelis, ipsi peccare nolentes, positi sunt in aspectu solis æterni. lib. 12 in Ioh. cap. 15.

Angeli nō sunt domini hominū. Petrus Cluniacensis: Nam licet quidam patrū priorum apparentes sibi angelos dominos uocauerunt, nō sunt tamen angeli hominum domini, nec subijciuntur, quantum ad naturæ dignitatem, dominatui ipsorum, qui ad æqualitatem creati sunt angelorum. lib. 2 contra Iudæos, cap. 1.

Differunt à Deo. Potho: Quamuis uerò omni angelicæ creaturæ quasi signaculo similitudo Dei impressa sit, unitati tamē essentiæ Dei dissimili quadam similitudine adhærent, ut participatione summi boni, boni sint: & contemplatione lucis æternæ, lux sint. lib. 4.

Vbi sint. Lombardus: Cœlū splendidum, quod dicitur empyriū, id est igneū, à splendore, non à calore, quod statim factum angelis est repletum. lib. 2. dist. 2.

De differentia angelorū idem ait: Illæ ergo essentiæ rationales, quæ personę erāt & spiritus erāt, naturaq; simplices, & uita immortales, differentem essentiæ tenuitatem, & differentem sapientię perspicacitatem, atq; differentem arbitrij libertatem & habilitatem rectè habuisse intelliguntur, sicut in corporib. nonnulla differentia est secundum essentiam ac formam & pondus. lib. 2. dist. 3. Item: Sicut enim homines cū plura habeant dona, quædam alijs excellentius possident: ita fortè & angeli quibusdam muneribus magis pollent, & alijs quibusdam minus. dist. 9.

Com-

Communia angelorum. Idem: Quędam communia & æqualia habebant, quòd spiritus erant, quòd indissolubiles & immortales erant, commune omnibus & æquale erat. In subtilitate uerò essentiæ & intelligentia sapientiæ, & libertate uolũtatis differentes erant. Has distinctiones intelligibiles inuisibilium naturarum ille solus cõprehendere potuit & ponderare, qui cuncta fecit in pondere, numero & mensura. lib.2.dist.3.

Angelos proficere. Idem: Et quod angeli proficiant in cognitione, ac per hoc in beatitudine, testimonijs sanctorum confirmant. Dicit enim Esaias ex persona angelorum, Christi ascendentis magnificentiam admirantium: Quis est iste qui uenit de Edom, tinctis uestibus de Bosra? Et in Psal. Quis est iste rex gloriæ? Ex quibus apparet, quòd mysterium Verbi incarnati plenius cognouerunt angeli post impletionẽ, quàm antè. lib.2.dist.11.

Mittũtur angeli. Lombardus: Esaias ait, Volauit ad me unus de Seraphin: qui ordo superior est & excellentior. Ideoq; si de illo ordine mittuntur, nõ est ambigẽdum, quin etiam de alijs mittantur. Apostolus quoq; ait: Omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi. His testimonijs asserunt quidam, omnes angelos mitti. Nec debet indignum uideri, si etiam superiores mittantur, cum & ille qui creator est omnium, ad hęc inferiora descenderit. lib.2.dist.10.

Cuiq; suus angelus. Hildebertus: Quoniam te legisse non dubito, Angeli eorum semper uidẽt faciem patris mei, suum unicuiq; angelum assignans. in epist. ad Guilielmum quendam abbatem.

Contemplantur Deum. Bernhardus: Ineffabiliter siquidem delectãtur in contemplationis illius admiratione, nec minus gloriantur in ipsius ueneratione. Serm. 5 de uerbis Esaię, Vidi Dominũ sedentem, &c. Item: Angelica creatura irrepercussa mentis acie intuetur diuinorum iudiciorum abyssum multam, quorum summæ æquitatis ineffabili delectatione beata, gloriatur insuper effectui ea mancipari per suum ministerium, ac palàm fieri: & propterea diligit meritò Dominum Christum. Non'ne omnes, ait, administratorij spiritus sunt, missi in ministerium propter eos qui hęreditatem capiunt salutis? Porrò archangelos (ut eis aliquid differentius ab his qui simpliciter angeli sunt, tribuamus) mirabiliter credo delectat, quòd ipsis quoq; æternæ sapientiæ consilijs familiarius admittuntur, eademq; per ipsos locis quæq; suis atq; temporibus summo moderamine dispensantur. Et hæc causa quòd diligunt Dominum Christum & ipsi. Illæ quoque beatitudines, quę uirtutes ex eo forsitan appellatæ sunt, quòd uirtutum ac prodigiorum occultas perpetuasq; causas felici curiositate rimari ac mirari diuinitùs ordinatæ, signa quæ & quãdo uolunt ex omnibus elementis terris potenter exhibeãt: & ipsæ ergo exinde non immeritò exardescunt diligere Dominum uirtutum, & Dei uirtutem Christũ. Plenũ quippe est suauitatis & gratiæ, incerta & occulta sapientiæ in ipsa sapientia intueri: plenum nihilominus honoris & gloriæ, causarum in uerbo Dei absconditarum mũdo spectandas mirandasq; in manu ipsorum dirigi efficientias. Serm.19 super Cantica.

Deo adstant. Bernhardus: Adstãt nihilominus Domino præsidenti, deuotum utiq; ministerium, & plenum reuerentiæ obsequium exhibentes. Aliter enim Domini, aliter angeli, aliter hominis intelligi conuenĩt stationem. Stat Christus pro patre zelans, patris gloriam quærens, & tanquam fidelis unigenitus, imò & primogenitus patris, zelo patris adiuuans adoptiuos. Sic illum Stephanus stãtem uidit, quem habuit adiutorem. Sic Propheta in adiutorium eum surgere precabatur: Exurge, inquiens, Domine, adiuua nos. Sanè angelica statio ministratio est, dicente Propheta: Milia milium ministrabant ei, & decies centena milia assistebant ei. Nam hominis quidem stare, persistere est in uigore animi, & obseruatione propositi. Sic Moyses stetit in cõfractione & in conspectu Domini, ut auerteret iram eius: sic stetit Phinees, & placauit. Serm.5 de uerbis Esaiæ, Vidi Dominũ, &c.

Hildegardis ait: Angeli coram Deo in duplici honore sunt. In cœlestibus Deo sine intermissione seruiunt, & etiam in terris homines à diabolicis insidijs semper protegunt. lib.2. Visione 5.

De officio angelorum inquit Bernhardus: Sed & illi spiritus qui potestates nominantur, dũ Crucifixi nostri diuinam omnipotentiam, ubiq; fortiter attingentem, intueri ac magnificare delectantur, exturbare ac debellare dæmonum hominumq; cõtrarias potestates, pro his qui hæreditatem capiunt salutis, accipiũt potestatem. Serm. 19 super Cantica. Item: Angelorum autem cum ad salutẽ humani generis ministerio utitur, nónne facit ut ab hominibus angeli diligantur? Nam quia ab angelis homines diligantur, inde uel maximè aduerti potest, quòd antiqua suæ ciuitatis damna ex hominibus resarcitum iri angeli non ignorant. Serm.78 super Cant. Et: Cernere postremò & mirari est in angelis & archangelis ueritatem atq; experiẽtiam uocis illius: Quo-

Quoniam ipsi cura est de nobis: qui talium nos & tantorum non desinit iucundare uisitationibus, instruere reuelationibus, suggestionibus commonere, sedulitate solatiari. Hęc omnia cõtulit illis spiritibus ipse qui condidit illos, unus atque idem summus Spiritus, diuidens singulis prout uult: hæc operatur in illis, hæc dedit operari & illis. lib.5 de Consideratione.

Lõbardus ait: Angeli boni deputati sunt ad custodiam hominum, ita ut quisq; electorum habeat angelum ad sui profectum atq; custodiam specialiter delegatum. Vnde in Euangelio Veritas à pusillorum scandalo prohibens, ait: Angeli eorum semper uident faciem patris. Angelos dicit eorum esse, quibus ad custodiã deputati sunt. Super quem locum Hieronymus tradit, unãquamque animam ab exordio natiuitatis habere angelum ad sui custodiam deputatum, inquiens ita: Magna dignitas animarum est, ut unaquæq; habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui angelum delegatum. Gregorius quoq; dicit: Quòd quisq; bonum angelum sibi ad custodiam deputatum, & unum malum ad exercitium habet. Cum enim omnes angeli boni nostrũ bonum uelint, communiterq; saluti omnium studeant: ille tamen qui deputatus est alicui ad custodiam, eum specialiter hortatur ad bonum: sicut legitur de angelo Thobiæ, & de angelo Petri in Actibus Apostolorum. Similiter & mali angeli cum desiderent malum hominum, magis tamen hominem ad malum incitat, & ad nocẽdum fortius instat ille qui ad exercitiũ eius deputatus est. lib.2. dist.11.

Petrus Blesensis ait: Angeli psalmodiæ libenter intersunt, si ordinata sit, & ex deuotione procedat. epist.57.

Potho ait: De superioribus namq; inferiora illuminantur, qua per angelos hominibus cœlestia secreta reuelantur. lib.4. Et: Iussu Dei illuminatores angeli Prophetarum oculos reuelabant. Nam & Lex sancta per Mosen data, ordinata est per angelos in manu Mediatoris. Sunt etiam ad alia ministeria singuli angeli deputati. Nam alius Israelitico populo præerat, alius princeps alterius gentis fuisse dignoscitur. Ast alius excubias in circuitu castrorũ Domini obseruans, Iosue stupenti apparebat, seq; principem exercitus Domini, & protectorẽ fore Israel manifestauit. Alij ex his post Iosue iudicibus populi prestò erant, eisq; in liberatione gentis contra hostes auxilium ferebant. Ast alius uirum Mariæ Ioseph erudiebat, & ne timeret accipere desponsatam sibi coniugem, filium Dauid admonebat, ut quod promissum fuit Dauid, ratum foret. Alius, nato Domino, pastoribus noctu cũ lumine apparens, nouo nuncio exultãtem cœlestis exercitus euocauit multitudinem, clamantem & dicentem, Gloriam in altissimis Deo, & in terris pacem annunciãtem hominibus bonę uoluntatis. Alius in somnis Ioseph uisus, tyrannidem Herodis declinare, & in Ægyptum fugere illum cum matre & puero præmonuit. Alius item, defuncto Herode, relationem ex Ægypto fieri pueri IESV, eidem nutricio Domini mãdabat. Ibidem.

Ministrant hominibus. Rupertus: Omnium angelorum pium atq; benignum esse studium circa genus humanum, multa commendant sanctarum testimonia Scripturarum. Veruntamen præ omnibus Michael atq; Gabriel coram Domino pro nobis sunt, propter nos satagunt, & in nostrũ eunt atq; ueniunt adiutorium, sicut testatur utrũmq; Testamentum. Lib.5 in Apocal. cap.8. Item: Angeli sunt ministratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, commilitonibus suæ partis hominibus Christianis, qui sunt uel erant de semine illius magnæ mulieris. Signa miraculorum ab IESV Christo per Spiritum sanctum data ministrarunt præsentes illis & cooperantes ad curandos infirmos, ad suscitandos mortuos, assistentes pijs martyribus in tormẽtis & aculeis, colloquentes illis, & colloquio suo consolantes & refouentes illos in carceribus & uinculis, religantes etiam angelos draconis, & extrahentes de antiquis tẽplorum simulachris. Quæ omnia sic esse facta non ignorat, quisquis sanctorum martyrum siue Apostolorum gesta legit. Lib.7 in Apoc. Iohan. cap.12. Et: Bonus angelus custos appositus humano spiritui, demulcet eum uerbis bonis, uerbis consolatorijs: in ipsam autem substãtiam neuter sese infundit. neq; enim ita subtilior spiritus angelicus humano spiritu est, ut alter alterius capax, uel alter alteri capabilis sit. Li.2 de glorif. Trinit. cap.10.

Bernhardus ait: Interim ergo mandauit angelis suis Deus, non quidem ut amoueant te à uijs tuis, sed ut in eis ipsis te custodiãt, & quasi per uias suas, uias tuas dirigãt in uias ipsius. Serm.11 in Psal. Qui habitat, &c. Item: Beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium, custodiæ nostræ deputas, nostros iubes fieri pædagogos. Parũ est enim quòd facis angelos tuos spiritus; facis & angelos paruulorum. Deniq; angeli eorum semper uident faciem patris. Illos utiq; tam felices, & tuos ad nos, & nostros ad te angelos facis. Angelis suis mandauit de te. Mira dignatio, & uerè magna

dilectio charitatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandauit? Studioſè conſideremus fratres, diligenter commẽdemus memoriæ hoc tam grande mandatum. Quis enim mandauit, cuius ſunt angeli, cuius mandatis obtemperant, cuius obediunt uoluntati? Nempe angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis: nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant tę. Summa ergo maieſtas mandauit angelis, & angelis ſuis mandauit. Illis utique ſublimibus, tam beatis, tam proximis ſibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, & uerè domeſticis Dei. Mandauit de te. Tu quis es? Domine, quid eſt homo, quòd memor es eius: aut filius hominis, quoniam reputas eum? quaſi uerò non ſit homo putredo, & filius hominis uermis. Sed quid putas mandauit de te? Nunquid ſcripſit contra te amaritudines? Nunquid ut contra folium quod uento rapitur, oſtẽdant potentiam ſuam, & ſtipulam ſiccam perſequantur? Nunquid ut tollãt impium, ne uideat gloriam Dei? Mandandum iſtud eſt, non mandatum. Non recedas ab adiutorio altiſsimi, in protectione Dei cœli cõmorare, ne de te illud quandoq; mãdetur. Quem enim protexerit Deus cœli, non de eo illud mandabitur, ſed pro eo. Et quod interim non mandatur, pro eo differtur, ut ſint omnia propter electos. Deniq; parantibus ire ſeruis, & continuò ſuperſeminata colligere zizania cupientibus, prouidus paterfamiliâs: Sinite, inquit, uſque ad meſſem, ne fortè eradicetis ſimul & triticum. Quomodo igitur tamdiu conſeruabitur interea? Hoc planè, hoc opus præſens, hoc mandatum temporis huius. Itaque angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodiant te. O triticum inter zizania, ô granum inter paleas, ô lilium inter ſpinas. Gratias ei fratres, gratias ei & pro nobis pariter & pro uobis. Ibidem ſermone duodecimo. Et: Superni ſpiritus illi, qui ab initio cœlos inhabitant, nunquid quia incolunt cœlos, deſpiciunt terras, & non magis eas uiſitant & frequentant? Nunquid quòd ſemper uident faciem patris, miniſterium euacuat pietatis? Omnes nihilominus adminiſtratorij ſpiritus ſunt, miſsi in miniſterium propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Quid ergo? Diſcurrunt angeli, & ſuccurrunt hominibus: & qui ex nobis ſunt neſciunt nos, nec norunt iam compati in quibus paſsi ſunt & ipſi? Qui dolores neſciunt, ſentiunt tamen noſtros: & qui uenerunt de magna tribulatione, non recognoſcunt iam in quo fuerunt? Serm. 2 de Victore.

Docent. Rupertus: Angelorum officium eſt, non ſolùm res uentu ras, ſiue iam inſtantes pronunciare: uerum etiam ad certas mitti perſonas, per quas oporteat adminiſtrari res ipſas, & eorum corda præparare colloquij ſui præparatione, qui digni ſunt operatione diuinitatis, quam oportet fidem, per quam iuſtus uiuit, familiariter peruenire. libro nono, capite 11 in Matthæum.

Viſiones efficiunt. Rupertus: Loquuntur in ſomnis ſancti angeli ſeruis Domini ſui non dedignantes, ſed pro uoluntate eiuſdem Domini ſui Scripturam ueritatis honorantes, ut ſeipſos non tantùm ſeruis Domini ſui, uerumetiam ipſo Domino ſuo ſciant & recognoſcant eſſe maiores, cuius uidelicet maioritatis nouiſsimum illic fuit indicium ſiue teſtimonium. libro 2 in Matth. cap. 2.

Pugnant contra malos. Rupertus: Mali angeli non immittuntur, ut homines impij occidantur: ſed contra malos angelos à bonis angelis prælium committitur, ut homines ab impietatis errore liberentur. lib. 7 in Apoc. cap. 12.

Bernhardus inquit: Sic nimirum per adminiſtratorios ſpiritus illuditur eius aſtucia, quòd & fideles ſint qui detegere nolint, & prudentes qui norint tegere diuinæ erga nos prouidentię & diſpoſitionis arcana. Serm. 5 de uerbis Eſaię, Vidi Dominum ſedentem, &c. Item: Pro certo enim ſi ſe à nobis boni ſpiritus elongauerint, impetus malignorum quis ſuſtinebit? Serm. 7 ſuper. Cant.

Adſunt credentibus. Rupertus: Hæc paterna eius prouidentia teſtimonium habet ex alijs multis Scripturarum locis, quòd circa iuſtos & perfectæ fidei uiros ſemper adſit, & nunquam eos derelinquat, & ibi magis utatur uirtute ſua, uirtute inuſitata, ubi humana ſibi prouidere nullatenus poteſt induſtria. libro ſexto in Matthæum, capite ſexto.

Aſtant orantibus. Bernhardus: Solent angeli aſtare orantibus, & delectari in his quos uident leuare puras manus in oratione, holocauſtum ſanctæ deuotionis gaudent ſe offerre Deo in odorem ſuauitatis. Homilia tertia de beata Virgine.

Lombardus ait: Cum electi tot ſint, quot & boni angeli ſunt, plures conſtat eſſe omnes ſimul bonos & malos homines, quàm boni angeli ſunt. libro ſecundo, diſtinctione undecima. Et: Eſſe poteſt ut ſinguli hominum, dum in hac uita ſunt, ſingulos habeant angelos bonos uel malos, ad ſui cuſtodiam uel exercitium deſtinatos. Cæterùm ſiue ita ſit, ſiue non, non

est dubitandum, unumquemque habere angelum sibi deputatum, siue pluribus simul destinatus sit, siue uni singulariter. Nec est mirandum, unum angelum pluribus hominibus ad custodiam deputari, cum uni homini plurium custodia deputetur, ita ut eorum quisque suum dicatur habere dominum, uel episcopum, uel abbatem. Ibidem.

De suggestionibus angelorum ait Bernhardus: Existimo tamen, ipsos formari in nobis sanctorum suggestionibus angelorum: sicut econtrariò contrarias & malas ingerii immissiones per angelos malos, nō dubium est. Et fortassis hinc illud est speculum atq; ænigma, per quod uidebat Apostolus, ex istiusmodi puris pulchrisq; imaginationibus angelorum quasi manibus fabricatum: quatenus & Dei esse, quod purum & absque omni phantasia corporearum imaginum cernitur, sentiamus: & elegantem quamlibet similitudinem, quà id dignè uestitum apparuerit, ministerio deputemus angelico. Quod signasse expressius uidetur alia interpretatio, dicens: Similitudines aurifabri faciemus tibi, cum distinctionibus argenti. Vnum est cum distinctionibus argenti, & uermiculatas argento. In quo mihi significare uidetur, non modò similitudines intus per angelos suggeri, sed nitorem quoque eloquij per ipsos extrinsecus ministrari, quo congruè atque decenter ornatæ, & ab auditoribus facilius capiantur & delectabilius. Serm. 41 super Cantica.

De descensu angelorum ait Rupertus: Angeli supra filium hominis ascendunt, ad eius diuinitatis contemplationem: descēdunt autem ad humanitatis uel passionis ipsius uenerationem. libro 2 in Iohan. capite 1.

Animas morientium excipiunt. Hugo Eterianus: Nullo certè modo ambiguum esse debet Christianis, quin egredientes de carceribus corporum animas angeli suscipiant. Etenim cum molem corporum deserunt, boni protinus angeli & inuida dæmonum acies occurrunt, inuestigatione subtili qualitates operum discutiunt, & cuius partis de iure censeatur, ad inuicem contendunt. Hoc tibi Michael demonstrat, de Moysi corpore cum diabolo rixatus. Libro de Regressu animarum ab inferis.

De apparitione angelorum inquit Petrus Alphōsus: Licet angelus corporeo sensu non percipi possit, illis tamen qui secundum mādata Dei incedunt, uisibiles fiunt. Dial. tit. 5.

Rupertus: Angeli siue boni siue mali, cū sint spiritus, corporali siue materiali armatura non induuntur. libro septimo in Apocal. cap. 12.

Lombardus inquit: Angeli incorporei sunt, nec corpora habent sibi unita: assumunt autem aliquando corpora, Deo præparante, ad impletionem ministerij sui, sibi à Deo iniuncti, eademque post expletionē deponunt, in quibus corporibus hominib. apparuerunt atq; locuti sunt. Et aliquando quidem locuti sunt ex persona Dei, sine distinctione alicuius personæ: aliquando ex persona patris, uel filij, uel Spiritus sancti. Item: Nec dubitandum est, Deum in corporalibus formis apparuisse hominibus, sicut August. in 2 lib. de Trinit. ostendit, conferens diuersa Scripturæ testimonia, ex quibus Deum in corporeis figuris hominibus apparuisse probat, & aliquando aliqua ex persona Dei sine distinctione, aliquando sub distinctione personarum sermonē eis factum esse. Libro secundo, distinctione 8.

Potho ait: Non enim æstimare debemus, cœlestes substantias secundum earum uisibiles formas uel multipedes esse, uel multorum uultuum, uel boum pecualem similitudinem, aut leonum bestialem preferre imaginationem, aut ad aquilarum curuo rostro speciem formatas, aut ad uolatilium sex alatum commotionem effiguratas. Sed neq; rotas igneas in cœlo circumferri putemus, quanquam his ipsi administratorij spiritus imaginariè monstrentur. Hinc est quòd Elię currus & equi ignei apparuisse leguntur, ut uidelicet ministerio angelorum subuectus esse declaretur. Thronos quoq; materiales deitati quasi ad recubitum necessarios depingimus, & equos multicolores, & armigerum exercitū præsidenti Domino Deo Sabaoth partim per millia millium ministrātem, partim per decies millies centena millia assistentem, ut sacra tradunt eloquia, diuisim denotamus. Summus namq; & incircumscriptus spiritus pater spirituum Deus, qui est super omnem essentiam & uitam, incomparabiliter omnem excellens similitudinem, etsi nulla potest uisibili specie imaginari, tamē specialiter in ignis uisione manifestatur. Nam & Moysi in igne flāmæ rubi apparuit, & in uertice Syna montis, species glorię Dei in igne ostensa est. In patrum quoque hostias descendens ignis, pręsentiam diuinæ maiestatis declarabat, Deus enim noster ignis consumens est. Peccati siquidem rubiginē in nobis consumit, & cœlestis gratiæ lumen in cordibus nostris accendit. libro quarto.

DE DIABOLIS.

Diabolus. Rupertus: Diabolus non naturæ, sed pessimi accidentis, Græcum no-

men est, & interpretatur deorsum fluens. Quo nomine rectè appellatur angelus ille damnatus & perditus, qui cùm bene esset conditus, spirituum in altitudine cœli conuersantiũ maximus, uicio suo deorsum fluens, per superbiam ad profundum inferni deuolutus, factus opere & dictus est nomine diabolus. Lib. septimo in Iohannem, capite septimo. Item: Diabolus deorsum fluens, Sathanas aduersarius interpretatur. Vtrorumque uocabulorum causæ notæ sunt. Diabolus, id est, deorsum fluens, idcirco dicitur, quia de cœlo per superbiam cadendo deorsum fluxit, perijtque peccator à facie Dei, sicut fluit cera à facie ignis. Sathanas, id est aduersarius, idcirco dicitur, quia sic quoque de cœlo lapsus, Deo creatori aduersari non desinit. Libro septimo in Apocalypsin. Et: Diabolus interpretatur deorsum fluens, idcirco quia non seruauit suum principatum, sed relinquẽs suum domicilium, id est cœlum, defluxit in istum caliginosum aërem. lib. 11 in Apocal.

Sathanas. Rupertus: Sathanas, qui ex eo nomen accepit, quòd aduersus Deum se extulit, & principium sibi esse, atque in lateribus Aquilonis sibimet sedere uoluit: ex eo mendax est, quòd ex proprijs loquẽdo, à patre ueritatis discordans, mendaciumque generans, principium se esse iactitat. libro octauo in Iohannem. Item: Sathanas in eo aduersatur, quòd loquitur mẽdacium, ut decipiat creaturam, ad faciendum secundum adulterium, ostendens se tanquam sit deus, atque ita diabolus ipse pro eo, tãquam adulter pro uiro legitimo, suscipiatur. libro septimo in Apoc. Et: Sathanas interpretatur aduersarius, idcirco quia uoluntati creatoris in mala semper intentione aduersatur. libro 11. capite 20 in Apocalypsin.

Dæmones. Petrus Cluniacensis: Dicuntur dæmones scientes, uel scij, quoniã plurima sciunt. lib. 5. epist. 1.

De nominibus ait Bernhardus: Alius siquidem aspis, alius uerò basiliscus, alius autem leo, & alius quidem draco: quòd uidelicet suo quidem inuisibili modo uariè quoq; noceát, quasi alius morsu, alius quoque uisu, alius uerò rugitu uel ictu, alius quidem flatu. Legi etiam de quodam genere dæmoniorum, quod non eijciatur nisi in orationibus & ieiunijs. Serm. 13 in Psal. Qui habitat.

Lõbardus inquit: Diabolus quippe, qui Græcè ita uocatur, & criminator interpretatur, uel deorsum fluens. Hebraicè dicitur Sathan, id est, aduersarius. Dicitur & Belial, id est, apostata & absq; iugo. Dicitur etiam Leuiathan, id est, additamentum eorũ. lib. 2. dist. 10.

Diabolus quis sit, Petrus Alphonsus exponit, inquiens: Diabolus, ô Moyses, subtilis quidem & spiritualis res est, & fuit olim unus de bonorum ordinibus angelorum. Cuius ordinis duo de principibus Huza & Hazazel in Hebraica, Haroth uerò & Maroth in lingua appellantur Arabica. Et hic diabolus peccato & iniquitate sua aggrauatus, & quasi aliquantulum ponderosior effectus, & sic de summo cœlorum delapsus, paulò descendit inferius, & est hic infra firmamentum habitatio eius. Tit. 10.

Vnde sint mali spiritus, idem indicat, dicens: Neque enim Deus quicquam fecit nisi bonum, cum in uerissima legatur Scriptura: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Sed quia malum elegerunt, ideo maligni effecti sunt. Ibidem.

Vnde lapsus eorum. Honorius: Superbia est maxima delictorum, hæc est fons omnium uiciorum, per hanc diabolus cecidit, per hanc hominem de paradiso traxit. In Psal. 18.

Hugo de S. Victore ait: Quis melius potest dici anathema, quàm apostata angelus, qui se primum per superbiam à societate supernæ illius ciuitatis separauit, & ex merito præuaricationis suæ, dum ueri capitis membrum esse noluit, ab unitate corporis illius præcisus, caput iniquorum omnium factus est. In eulogio de sponsa.

Rupertus ait: Diabolus per uicium quidem malus est, sed substantia eius per naturam mala non est. libro 1 in Iohan. capite 1. Item: Angelus uoluit esse deus, & factus est diabolus: sic deitatem suasit appetere homini, & hominem hominis honore spoliauit. lib. 6 in Iohan. capite 6. Et: Diabolus in cœlo coram patre & filio & Spiritu sancto iudicio subactus, coram omni cœlorum curia, beatorumq; angelorum sancto senatu, pro superbiæ crimine sententiam capitalem accepit, & gladio percussus est æternæ damnationis: atq; ita Deo mortuus, peccato uixit & adhuc uiuit: quia semetipsum nimis pertinaciter defendit, neque se pro mortuo, sed pro deo uult haberi: imò supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, se extollit. lib. 8 in Apoc. cap. 13. Item: Diabolus, qui antequam ingressus habitaculũ illius perditi hominis, in cœlo semetipsum aduersus Deum erexit, & nunc usq; inuisibiliter superbit. lib. 10 in Apocal. cap. 17. Et: Cecidit ille angelus, & factus est diabolus & sathanas. Cadere namq; superbię est, descendere humilitatis. lib. 12 in Apoc. cap. 21. Item: Diabolus non dilexit, imò odio habuit creatorem suum, cum ille gratis & magnum

gnum & speciosum & sapientem fecisset, & in monte sancto Dei, id est, in cœlo posuisset eum: persuasit homini, ut neque fidem neq; dilectionem haberet erga creatorem suum, suoq; exemplo contemneret eum, habédo peruersum similitudinis & diuinitatis eius appetitum. Lib.5 in Matth.cap.5. Et: Spiritus malus & malignus, superbus & inuidus, qui gloriæ creatoris inuidebat, nõ per ignorantiam errabat, sed per inuidiam blasphemabat, cadẽdo factus est diabolus: quia superbiuit, & sibimet ipse placuit, tanquam sibi sufficiẽs: quod non fuit de uirtute in uicium cadere, sed in eo quod factus erat remanere, scilicet in uanitate: quod quiddam medium est inter ueram & incõtaminabilẽ essentiã Dei, & illud unde omnia creauit, scilicet nihil. li.13 in Matth. cap. 26. Itẽ: Ego sum panis uiuus, &c. Hic enim uictus est & uita est angelicæ substantiæ, nam in eum desiderant angeli prospicere. Quod quia facere contempsit angelus, cecidit, & factus est diabolus: qui & huius panis sempiternam patiens inediam, semper est pallidus, & mors illum sequitur. Libro 3 in Exod. cap.10. Et: Causæ lapsus diaboli sunt, superbia, speciositas, sciẽtia, & magnitudo propriæ conditionis, &c. Non suffecit ei tãta largitas creatoris, nisi idem diceretur uel existimaretur de ipso quod de Deo, nisi appellaretur deus, nisi adoraretur ab angelis ut Deus, nisi prædicaretur & ipse increatus. Negauit quippe Deum esse creatorem suum, & dixit se esse deum. Lib.1 de Victoria uerbi Dei, cap.8.

Bernhardus ait: Væ tibi superbe spiritus, solitudinis & solitariæ præsumptionis amator. Non stetisti in ueritate, expulsus est pes superbiæ, stare non potuit. Solus sedere uolens, tanquã fulgur cecidisti de cœlo, nõ habiturus aliquando subleuãtem. Serm.5 de uerbis Esaiæ. Vidi Dominum sedẽtem, &c. Item: Iniquus ille admirationem quidem, sed non uenerationem habens, quia subdi noluit per uenerationem, figi non ualuit per admirationem. Deniq; admirationem ipsam in æmulationem conuertit, nec uenerari dignatus, sed conatus est imitari. Ibidem. Et: Primum peccatum est factum in cœlo per superbiam præuaricatoris angeli, qui dixit in corde suo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altißimo. In seipso tumuit, & de sorte beatorum spirituum eiectus, cœlorum regnum amisit. Sermon. uigesimoseptimo inter Paruos. Item: Ergo in cœlo concepit dolorem, & in paradiso peperit iniquitatem, prolem maliciæ, matrem mortis & ærumnarum, omniumque prima parens superbia. Nam etsi inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum, initium tamen omnis peccati superbia. Serm.17 super Cant.

Petrus Cluniacensis ait: Hinc primus archangelus, quia similis Deo esse conatus est, sicut fulgur de cœlo cecidit. Libro primo.

Lombardus inquit: Præterea sciri oportet, quoniam sicut de maioribus & minoribus quidam perstiterunt, ita de utroque gradu quidam corruerũt: inter quos unus fuit omnibus alijs cadentibus excellentior, nec inter stantes aliquis eo fuit dignior, sicut testimonijs autoritatum monstratur. Ait enim Iob: Ipse principium uiarum Dei. Et in Ezechiele legitur: Tu signaculũ similitudinis, plenus sciẽtia & perfectione, decorus in delicijs paradisi Dei fuisti. libro secundo, distinct.6. Item: Et tantæ superbiæ merito de cœlo, id est, de empyrio, in quo cum alijs fuerat, deiectus est in istum caliginosum aërem, cum omnibus suæ prauitatis consortibus. Nam, ut Ioannes ait in Apoc. Draco de cœlo cadens secum traxit tertiam partem stellarum: quia lucifer ille alijs maior non solus cecidit, sed cum eo alij multi, qui ei in malicia consenserũt, eosque cadentes huius caliginosi aëris habitaculum excepit. Et hoc ad nostram probationem factum est, ut sit nobis exercitationis causa. Vnde Apostolus: Colluctatio est nobis aduersus principes & potestates mũdi huius, & aduersus rectores harum tenebrarum, contra spiritualia nequiciæ in cœlestibus. quia dæmones, qui sunt spirituales & nequam, in hoc turbulento aëre nobis propinquo, quod cœlũ appellatur, habitant. Vnde & diabolus princeps aëris dicitur. Ibidem.

Petrus Blesensis inquit: Primus filius superbiæ ille lucifer, qui sibi sedem destinabat in laterib. Aquilonis, atq; in similitudine altißimi usurpabat, ubi & in quo laborauerat miser, quia iã sedere & quiescere disponebat. Omnes alij mittebantur in ministerium deuoti & humiles ad imperiũ creatoris. Millia millium aßistebant ei. Iste autem erigebat sibi sedem antequam laborauerat. Ponam, inquit, sedem meã ab Aquilone, & ero similis altißimo. Appetijt æqualitatem altißimi, meruitq; quod suum erat perdere, dum rapuit alienum. epist.34.

Petrus Cantor ait: Per superbiam cecidit primò angelus, & de angelo factus est sathan. cap.13 de Inuidia. Item: Sathanas autem ex archangelico fastigio non aliam ob causam, nisi ob contrariam humilitati superbiam, ruit. capite decimoquinto de Humilitate.

Humilitate. Et: Sed grauius (sicut credo) uindicaret in illum, quàm uindicatum sit in luciferum appetentem dominationem, & exemptionem à iurisdictione Domini. Qui cum primus esset in delicijs paradisi, ob hoc deiectus manet nouissimus in supplicijs inferni.

Hildebertus ait: Superbia prius in cœlis, dehinc in terra triumphás, sic angelis innata est, ut ab eis non recederet: sic homines infecit, ut à Deo separet. epist. 31.

Hildegardis ait: Lucifer, qui ob superbiam suam de cœlesti gloria eiectus est, in initio creationis suæ talis ac tantus extitit, quòd nullum defectum nec in decore, nec in fortitudine sua sensit. Vnde cum decoré suum inspiceret, & cũ uim fortitudinis suæ in semet ipso consideraret, superbiam inuenit, quę ipsi pmisit, ut inciperet quod uellet; quia perficere posset quod incœpisset. Et uidens locum ubi se collocare posse putauit, ibi decorem & fortitudiné suá ostendere uolens, in semetipso sic dicebat: Volo fulgere illic, quemadmodũ & iste hic. Cui omnis acies eius assensum dedit, dicens: Quod tu uis, hoc & nos uolumus. Et cũ in superbiá elatus illud perficere uellet quod cogitauerat, zelus Domini se extendens in ignea nigredine illum cum omni comitatu suo deiecit, ita quòd ipsi opaci contra fulgorem, & turbidi contra serenitatem quá habuerunt, effecti sunt. Quia si Deus præsumptionem illorum non deiecisset, iniustus esset, quoniam illos foueret qui integritatem diuinitatis diuidere uolebant: sed eos deiecit, & impietatem eorum ad nihilum redegit. lib. primo, uisione secunda. Item: Diabolus primum hominem in paradiso decipiens, in seipso dicebat: Quamuis ego de cœlis proiectus sim, cum contra exercitum altissimi cum angelis meis præliatus, resistere nõ ualuerim, quoniam ab eo uictus sum: tamen nunc in terra hominem inueni, in quo iram meam exercens, me fortiter uindicabo. Lib. secundo, uisione 6.

De diaboli ascensu inquit Lombardus: Hic quæri solet, si in cœlo empyrio fuerunt angeli statim ubi facti sunt, quomodo (ut legitur in Esaia) dicit lucifer: Ascendam in cœlum, & exaltabo solium meum, & ero similis altissimo? Sed ibi cœlum uocat Dei celsitudinem, cui parificari uolebat: & est tale, Ascendam in cœlum, id est, ad æqualitatem Dei lib. 2. dist. 2.

Quando lapsi. Rupertus: Prius sciendum, diabolum non cecidisse statim ut conditus est. Sic enim in eum per Prophetam dictum est: In medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in uijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. Sensum siue opinionem illam non admittit, ut dicat uel putet quis, quòd ubi conditus est ille, statim ceciderit. Consequeretur etiam illa suspicio, ut posset suspicari, quia qualis idé nunc est, scilicet malus, talis à Deo conditus esset. Nunc autem & innocentem & rectum illum fuisse conditum, & non parua mora permansisse in medio angelorum sanctorum, præsens sermo conuincit. &c. Sed & illud datur intelligi, quòd non statim in initio peccati de cœlo proiectus fuerit, sed ipsum quoque expectauerit patientia Dei. Ipse autem secundum duriciam suam & cor impœnitens iram sibi thesaurisauit. libro primo de Victoria uerbi Dei, capite 21.

De malicia diabolorum inquit Ioannes Salisberiensis: Hæc est fraudulentia malignorum spirituum, ut quòd ultrò faciunt & dictant hominibus faciendum, operosè dissimulent, ut hoc facere uideantur inuiti. Simulant se coactos, & quasi exorcismorum uirtute extractos fingunt, & quo minus caueantur, exorcismos quasi in nomine Domini, aut in fide Trinitatis, aut incarnationis & passionis uirtute conceptos componunt, eosdemq; hominibus tradũt, exercentibus eos obtemperant, donec eos secum crimine sacrilegij & pœna damnationis inuoluant. Transfigurant etiam se interdũ in angelos lucis, honesta sola præcipiunt, illicita prohibent, mundiciam cõsectantur, utilitatibus prouident, ut quasi boni & propitij familiarius admittantur, audiantur benignius, amẽtur arctius, facilius exaudiantur. habitum quoq; induunt uenerabilium personarum, ut eis maior & promptior reuerentia impendatur. Libro 2. Policrat. cap. 27.

De pœna diabolorum ait Rupertus: Dęmones spiritus immũdi sunt, damnati angeli. Qui sunt dæmones siue spiritus maligni, duplici pro causa pœnas dabunt. Altera causa est, quia in cœlo contra creatorem superbierunt. Altera, quia genus humanum, prima per serpentem præuaricatione deceptum, cunctis uiciorum sordibus polluerunt. libro decimo in Apocalyp. capite 18.

Esse ligatos idem testatur: Itaque ligatus, ut est, tenebitur diabolus, donec consummentur mille anni, donec impleantur omnia tempora præfinita Euangelicæ libertati, quæ nescimus nos: pater autem Deus illa in sua potestate posuit. libro 11 in Apoc. capite 20.

De eiectione diabolorũ inquit idé: Post resurrectionem & ascensioné eius, sanctiq; Spiritus effusionem, princeps huius mũdi eiectus

eiectus foras de cordibus, imò & de tēplis gentium uel delubris, ita ut florescente fide conuerterentur in altaria Christi. lib. 10 in Ioh. cap. 12. Item: Dominus IESVS diabolū expulit, & misit foras in terram inuiam & desertam, ut in illis tantummodo commaneret, uel potestatem haberet, qui fidem illius qui illum expulit forasq; misit, & Euāgelicæ prædicationis non reciperent gratiā, desertores & deserti. lib. 1 in Ioel. cap. 2.

Pertinacia diaboli. Bernhardus: Quàm uerò longè fuerit à misericordia, etiam inflicta nobis ab illo miseria nostra testatur. Quando ille unquā misericors fuit, qui homicida ab initio erat? Postremò qui sibi nequā, cui bonus? Quàm nequissimus ille sibi, qui nunquam super propria iniquitate dolet, nunquā super propria damnatione compungitur? Nimirum falsa præsumptio à uia ueritatis extrusit, crudelis obstinatio uiam misericordiæ interclusit. Inde enim nec in se unquā assequi, nec à Domino misericordiam consequi potest. Ser. 11 in Psal. Qui habitat. Item: Quodque is non ualet in bonum respirare, non aliena facit uiolenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata uoluntas, ac uoluntaria obstinatio. De libero arbit.

Non recuperant salutem. Rupertus: In remissionem peccatorum nunquā detur apostatis angelis, iudicium uerum fuit & est eiusdem Spiritus sancti. Illi cum suo principe diabolo non per infirmitatem, seu per ignorantiam, sed per superbiam peccarūt. lib. 3 de Glorif. cap. 8.

Petrus Cātor inquit: Solus diabolus exclusus est ab hac pace, quia primus discordiam inter creatorem & creaturam fecit: in quo apparent esse filij & imitatores eius, qui pacem non habent cum proximo, & ita nec cum Deo, nec cum seipsis.

Hugo Eterianus: Peccatum certè diaboli uenia caret, quia nō suggestione, sed propria superbia corruit. Homo uerò quia nō per se cecidit, sed per alium, resurgere potest per IESVM Christum. lib. de Regressu animarum ab inferis, cap. 9.

Vbi sint. Petrus Alphonsus: Terra & habitatio diaboli est infernus. Tit. 12.

Rupertus inquit: Ille proiectus in terrā, ut possideat solam terram: id est, perditorū hominum uitam omnimodo terrenam. lib. 7 in Apoc. cap. 12.

Lombardus inquit: Solet autem quæri, utrum omnes in isto aëre caliginoso sint, an aliqui iam sint in inferno? Quòd in infernū quotidie descēdant aliqui dęmonum, uerisimile est, quia animas illuc cruciādas deducunt: & quòd illic aliqui semper sint, alternatis fortè uicibus, non procul est à uero, quia illic animas detinent atq; cruciāt. lib. 2. dist. 6.

De operibus diabolorum.

Diabolos absque Dei permissione nihil posse. Richardus: Maligni spiritus sine Dei permissione nil in nostra insectatione pręsumunt. Sed quid in hominib. præsumerēt sine Dei permissione, qui, attestante Euangelio, nec gregem porcorum sine diuina licentia ausi sunt inuadere? Tantum itaq; in electorum impugnatione eis licentiæ relaxatur, quantum utilitas eorum exigit, uel iusticia meretur. Quæ enim humana uirtus eorum impetum sustinere posset, si talem tantamq; arborem (accepta diuinitùs licētia) potuerunt euertere?

Nouerunt futura. Iohannes Salisberiensis: Quid ergo mirum, si ea quandoq; prænoscant, qui & subtilitate naturę uigent, & experientia temporis longiore, & reuelatione superiorum potestatum de plurimis admonentur? Si ergo spiritus, corporis mole grauati, quos luteum carnis retardat indumentum, quorum acumen turbati sensus corruptio hebetat, ex præcedentib. aut quarumcunque rerum indicijs, quæ sunt uentura conijciunt: quid prohibet spiritus ab omni nexu corporis absolutos, quos noxia moles non tardat, rerum imminentium, aut in plurima tempora succedentiū præmetiri euentum? Sed qui ferè pridie natus est, post dies pauculos decessurus, medio tempore ex similibus similia colligit, & de causis sibi interim notis ratiocinatur in posterū: non'ne hoc facilius potest nō modò antiquus, sed inueteratus dierū, qui ab initio cōditus est plenus sapientia, & perfectione decorus? Quis adeò hebes est, & tarditatis egregiæ, qui tanto temporis tractu pro parte ad ea conijciēda quæ futura sunt, non assurgat? lib. 2. cap. 28 Policrat.

De tyrannide diaboli. Lombardus: Iniustè ergo diabolus, quantum ad se, tenebat hominē, sed homo iustè tenebatur: qa diabolus nunquā meruit potestatē habere super hominē, sed homo meruit per culpā pati diaboli tyrannidem. lib. 3. dist. 20.

Dominantur in mundo. Rupertus: Diabolus monti Domini contrarius, mons importuosus, mons naufragosus diabolus est, qui in hoc mūdo principatur, sicut de ipso loquitur Dn̄s: Venit princeps mūdi huius, ut mihi aduersetur. lib. 2 in Zach. cap. 5.

Bernhardus ait: Accepit tamen satan regnum super omnes filios superbiæ, factus princeps tenebrarū harū, ut regno humilitatis etiā superbia militet, dū in uno suo principatu tēporali & tali multos humiles excelsos ęternosq; reges cōstituit. Iucundū iudicium, ut superbus ille humilium mallea-

tor, eiſdem ipſis neſciens fabricet coronas perpetuas, impugnando omnes, & omnib. ſuccumbendo. Serm. 17 ſuper Cantica.

Quibus dominetur diabolus. Rupertus exponit: Princeps mundi huius, ſcilicet dånati, qui nunc me odit, & mihi aduerſatur, uidelicet diabolus, nũc uenit: qui inde princeps mundi dicitur, quia mundi amatoribus principatur. Quomodo uenit hic princeps malignus, princeps uel præpoſitus mortis, & peccator antiquus, niſi quia contentione mortis mecum cõgreditur? lib. 11. cap. 14. in Iohan.

De operibus diaboli. Petrus Bleſenſis: Vt fidem noſtrã humani generis inimicus expugnet, militiam ſuam ad multiformes malicias circumducit. Multę enim ſunt aſtutię eius, teſte Apoſtolo. Mentibus itaq; hominũ phantaſticas illuſiones immittens, nũc uolatu, nunc occurſu hominum, nunc ferarũ ſomnij ſui aut alijs modis promittit ſciẽtiam, & futuros rerum euentus lętos infauſtosúe denunciat, aut quietem cordium uana curioſitate ſolicitat, atq; pro ſynceritate fidei aliud paulatim incruſtat. epiſt. 49.

Hildegardis inquit: In efficacia ligaturæ alligata eſt peruerſitas nequiciæ diaboli, ut à zelo furoris Dei non mereatur ſolui, quia nunquã illum recta cogitantẽ uidit: ſic neque eum aſpiciunt, qui Deum fideliter timent. Nam ſe ſemper eleuat contra Deum, ſe Deum eſſe dicens, ſemper errans contra Deum, & propter ipſum nomini Chriſtiano contradicens. Et ideo malicia ipſius adeò profundata eſt, ut nulla medicina reparationis peccatum eius, quod in cõtemptibiliſsima ſuperbia impiè cõmiſit, in ſaluatione dignum ſit: unde & ipſe erit in perduratione doloris, ſicut parturiẽs in afflictione deſperationis, quę diffidit quòd in apertione uteri ſui uiuere non poſsit. Nam hæc infelicitas ſuper eum manebit, quòd à beatitudine eiectus eſt. lib. 2. uiſione 1.

Homicida. Rupertus: Dum homicidis filijs, ſcilicet Iudæis, homicida pater oſtenditur, ut per ignorantiam patris ſtulticia filiorum arguatur, rectè unum homicidium cõputatur, quod à patre mala uoluntate inchoatũ, maligno per filios odio cõſummatur: quia filijs ſemetipſum nunc obiecerat paſsibilis factus, qui patrẽ illorum de cœlo deiecerat, unus idemq; Dei & hominis filius. lib. 8. ca. 8 in Ioh. Item: Draco ille quod natura non habuit, arte maligna ſibi aſſumpſit, ſcilicet omne genus armorum, quibus bella gerũtur inter homines, & homicidia peraguntur, ſcilicet gladios regũ & Imperatorum, ſecures conſulum, uincula carceresq; iudicũ, & omnia omnino tormentorum genera. lib. 7 in Apoc. cap. 12. Et: In Herode & Pharaone unus erat diabolus, in utroq; unus idemq; bacchabatur malignitatis ſpiritus: ille idcirco uolens necari omnes maſculos, ut nõ eſſet ſemen unde ſecũdum promiſsionem, quæ ad Abraham dicta erat, Chriſtus naſceretur. Alter idcirco pueros omnes occidere properans in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, ut dum omnes occiderentur, non euaderet ille qui ſolus timebatur. lib. 2 in Matth. cap. 2. Itẽ: Diabolus uentorum huius ſeculi agitator inquietus (qualis utiq; uentus Nero fuit, aut funeſtus Decius, uel Diocletianus, ſiue Maximinus) perſecutiones excitauit, & in oppreſsiones ſanctorum per ipſorum leges & edicta commouit. Libro 7 in Matthæũ, cap. 8.

Lombardus ait: Illa uerba ſic accipienda uidentur, Homicida erat ab initio, uel mendax: id eſt, ſtatim poſt initium, quando ſibi æqualitatem Dei promiſit, & ſeipſum occidit, qui homo dicitur in Euangelio, Nec in ueritate ſtetit, quia in ea non fuit: ſed ab initio temporis, id eſt, ſtatim poſt initium temporis, apoſtatauit. lib. 2. diſt. 3.

Mendax. Rupertus: Generationis diabolicæ proprium hoc eſt, ut ſit mendax, & cõmutet ueritatem Dei in mendacium, dicendo ſcilicet bonum malũ, & malum bonũ: ponendo dulce in amarum, & amarũ in dulce: uocando lucẽ tenebras, & tenebras lucem. lib. 9. in Ioh. Item: Spiritus mendacij omnes prophetas mendaces facit, ut prophetent de corde ſuo quod Dominus non eſt locutus, & confingant eſſe quod nõ eſt, uel malum eſſe quod bonum eſt, & bonum eſſe quod malum eſt. lib. 12 in Iohan. cap. 16. Et: Quàm amari humano generi ſunt maligni ſpiritus, & quàm ueloces ad perſequẽdum & conſequendum omnem animam, quæcunq; deprehenditur in frigore infidelitatis, & tunc primùm ſalutis ſuæ meminit, quando ſicut non eſt tempus operãdi, ita non eſt licentia fugiendi. libro 1 in Abacuc, cap. 1.

Iohannes Saliſberiẽſis ait: Et ſæpe quod ex neceſsitate faciunt & coacti, ſe ſpontè facere ſimulant, quaſi hominibus indignantes, quibus ſe fingunt infenſos. Sæpe etiam mentiuntur aut decipientes aut decepti. Sed licet uera duntaxat enuncient, nihilominus aut compeſcendi ſunt, aut fugiendi. lib. 2. cap. 28 Policrat.

Bernhardus ait: Mendax eſt & pater eius. Quod audis de uerbo mendacij, intellige & de opere malitię. Serm. 3 de uerbis Eſaię, Vidi Dominum, &c.

Eſt hæreſium autor. Rupertus: Vidit diabolus non poſſe ulterius ueterem idololatriam, ſummis principibus inclinatis ad ſu-

ſcipiendam

ſcipiendam Chriſtiani nominis profeſsionem, totamque conuertit ſuæ malignitatis abundantiam ad Scripturarum ueritatem corrumpendam, atque hoc modo cœpit perſequi mulierem quę peperit maſculum. Non enim, per os Arrij cæterorumq; eiuſmodi hęreticorum doctrinam profundens impiam, hoc apertè exigebat à quolibet, ut negaret Chriſtum ſiue nomen Chriſtianũ, ſed ut Chriſtum quiſque confitens, aliam quàm Apoſtolica ueritas tradiderat, reciperet confeſsionis aut fidei regulam: hoc intendens, imò contendens, perſequebatur mulierem illam, ut de Chriſti Eccleſia ſuá ſathanas faceret ſynagogam. Lib. 7 in Apoc. cap. 12.

Nocent. Petrus Cluniacenſis: Nam toto niſu naturæ humanæ inimicantes, cùm animabus nocere nequeunt, ipſis ſaltē corporibus, prout poſſunt, moleſti exiſtunt. lib. 1 de Miraculis, cap. 17.

Obſident homines. Rupertus: Spiritus maligni quorum cordibus præſident, eorũ pœnis amicti, imò & quales efficiant eos quibus inſident, tales in pręſenti uiſione apparent, uidelicet, cupidos, ſuperbos, libidinoſos. lib. 5 in Apoc. cap. 9.

Bernhardus inquit: Veruntamen tripliciter mihi uidentur homines eſſe ſub principe tenebrarum. Primùm quidem nec uolentes, nec nolentes: quod cõuenit his, qui necdum habent uoluntatis uſum, ſunt tamen uaſa iræ propter originale peccatum, donec alligato forti, uaſa eius diripiat fortior, per Sacramentum adueniens, uerus utique Moyſes, qui in aqua uenit, nec in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine. Secundo modo uolentes, cũ iam uoluntariè peccant. Tertio quoque modo nolentes, cùm iam reſipiſcere uellent, niſi quòd peccati conſuetudine miſerabiliter obligati, iuſto Dei iudicio, qui in ſordibus ſunt, ſordeſcunt adhuc. Sermone de diuerſis affectionibus animæ.

Lombardus ait: Quòd in homines introeant, atque ab eis expulſi exeant, Euangelium apertè declarat, commemorans dæmonia in quoſdam ingreſſa, & per Chriſtũ eiecta: ſed utrum ſecundum ſubſtantiã fuerint ingreſſa, an propter mali effectum dicantur ingreſſa, non adeò perſpicuum eſt. Lib. 2. diſt. 8. Et: Dæmones nõ ſubſtantialiter intrant corda hominũ, ſed propter maliciæ effectum: de quibus pelli dicuntur, cũ nocere non ſinuntur. Ibidem.

De diabolicis immiſsionibus ait Bernhardus: Fiunt immiſsiones per angelos malos, quale (uerbi cauſa) fuit, quod legitur miſiſſe in cor diabolus, ut traderet Dominũ Iudas Simonis Iſcariotis. Verùm quis ita uigilet diligens obſeruator motionum internarum ſuarum, ſiue in ſe, ſiue & ex ſe factarum, ut liquidò ad quæq; illicita ſenſu cordis ſui diſcernat inter morbum mentis & morſum ſerpentis? Ego nulli hoc mortalium poſsibile puto, niſi qui illuminatus à Spiritu ſancto ſpeciale accepit donũ, quod Apoſtolus inter cætera chariſmata quæ enumerat, nominat diſcretionem ſpirituũ. Quantumlibet enim quis (ſecundum Salomonem) omni cuſtodia ſeruet cor ſuum, & omnia quæ intra ſe mouentur, uigilantiſsima intentione obſeruet, etiamſi diuturnum fortè in his habuerit exercitium, & frequens experimentum: non poterit tamen ad purum in ſe dinoſcere diſcernereue ab inuicem malum innatum, & malum ſeminatũ. Nam delicta quis intelligit? Nec multum refert noſtra, ſcire unde ineſt nobis malum, dummodo ineſſe ſciamus: uigilandum potius & orandum, undecunque ſit, ne conſentiamus. Serm. trigeſimoſecundo ſuper Cantica.

Sunt uani. Rupertus: Ipſe diabolus non ſolummodo uanus, uerumetiam totius uanitatis eſt princeps: quia Deo frui contempſit, & in ſemetipſo remanere uoluit. lib. 13 in Matth. cap. 26.

Diabolos contra ſuam uoluntatem, miranda Dei diſpoſitione, interdum bona agere. Petrus Cluniacenſis: Quòd uerò aliquando neſcientes ea quę hominibus proſunt, operētur, innumera quidem ſunt exēpla ſanctarum Scripturarum: ſed tamē hoc ſpecialiter beati Iob tētatio, & Domini paſſio manifeſtant. Nam neq; Iob ſathanas tētaſſet, ſi eius ſe uincendum patientia præſciſſet: nec Iudæos ut Dominum crucifigerent inſtigaſſet, ſi morte illius ſe multò magis damnandum, mundumq; ſaluandum præuidiſſet. Nam & Apoſtolus diuinæ incarnationis & paſsionis myſterium abſcõditum dicit à ſeculis, quod nemo principũ huius ſeculi cognouit. Ita ergo, ut dictum eſt, aliquãdo ſcientes, aliquando neſcientes, ſemper tamen nolentes nequam ſpiritus, ſupernæ ſapiētiæ acti diſpoſitionibus, aut loquentes aliquid aut operantes, ſiue latentes humanos oculos ſiue coràm apparentes, utilitatibus humanis inſeruiunt. Vnde quando Dei ordinatione aliquibus apparentes uel faciunt aliqua uel loquuntur, manet quidem in eis auida nocendi uoluntas: ſed eam legibus ſuis ſubactam refrę nat quæ cuncta moderatur poteſtas. Quicquid enim furiant cuncta ſubuertere quærentes aëriæ poteſtates, ſapientia tamē uincit maliciam, attingens à fine uſq; ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter. lib. 1 de Mirac. cap. 14.

Quis eijciat diabolum. Bernhardus: Veni Domine IESV etiam nunc. IESV bone eijce iterũ fortiter, quem nos insipienter admisimus. Tũc enim uerè liberi erimus etiã nũc, si nos liberaueris. Ser. de duplici baptismo.

Esse fugiendum idem monet: Vis nõ terreri à tam terrifico mõstro, uis securus post mortem ambulare super aspidem istam? Caue ne interim post eam ambules, caue ne imiteris, & non erit quod paueas in futuro. Serm. 13 in Psal. Qui habitat.

Quomodo contra diabolum pugnandũ. Bernhardus: Nihil proficiet inimicus in eo, quem crux Christi delectat, si carnalem suggesserit delectationem: & filius iniquitatis non apponet nocere ei, si ad exasperandũ animum eius quamlibet immittere tentauerit amaritudinem. Nõ curat delicias qui ieiunio pascitur, multo minus murmurare pro eo potest, in quo etiam delectatur. Ser. de S. Andrea.

Petrus Cluniacensis ait: Cumq; ille peritissimus perdendi artifex multiformibus insidijs cœlestia castra infestet, me ignaro, me infirmo, me timido duce nesciente, nõ ualente, non audente resistere, spem sibi uictoriæ de Christi militibus glorians repromittit. Contra quem nisi citò Michael missus fuerit, accusator fratrum impius præualebit. Lib. 3. epist. 24.

DE HOMINE.

De generibus hominum inquit Rupertus: Alij sunt quorũ ita inc anuit fides exemplo senis Abrahæ parentis ipsorum, ut de actibus hominum curam esse Deo non dubitent, & audientes promissionem de Christo uenturo, minasq; de iudicio futuro, quamuis temporalibus prosperis abundent, nihilominus tamen uentura credant atque formident. Alij uerò & istis multum dissimiles sunt, qui dummodo præsentibus bonis affluant, de futuris bonis aut malis nullum habent respectum. Illos nimirum temporalibus oportet aduersis excitari, ut saltem uexatio sola intellectum det auditui. Lib. 1 Commen. in Iohelem, cap. 1.

Bernhardus: Multæ sunt generationes hominum, & (ni fallor) tertia ista generatio, quæ nunc uiget & apparet in uobis. Prima siquidem generatio nec quærens adhuc Dominum, nec quæsita fuit à Domino: cum in obliuione mentis & reatu iniquitatis unumquemque genuit mater sua. Secũda proinde statim (sicut necesse erat) ex aqua & spiritu remedium nobis exhibuit festinatum: & fuit illa generatio nondum quidem generatio quærentium, sed tamen iam quæsitorum, quòd nec scientes adhuc quærere Dominum, nec ualentes ipse quæsierit. Quæsiuit igitur nos, & acquisiuit in generatione secunda, ut essemus iam populus acquisitionis. Si adhuc fortè senior frater murmurat, & inuidia contabescit, dicitur ei: Quoniam epulari & gaudere oportebat, quia hic frater tuus perierat, & inuentus est. Cæterùm ad hoc statim quæsiuit nos Dominus, ut quæreretur tempore oppottuno, cum iam posset quæri, posset & inueniri. Væ nobis, quoniam tam diu dissimulauimus, & neglex imus quærere uitam, quærere eum qui solus bonus est quærentibus se, animæ speranti in se. Sermone secundo de inquirendo Domino. Item: Quidam sunt qui Deum non intelligunt nec requirũt, & hi mortui sunt. Alij intelligunt quidem, sed non requirunt, & hi impij sunt. Alij requirunt, non autem intelligunt, & hi fatui sunt. Alij uerò & intelligunt & requirunt, & hi sancti sunt. Idem Sermone trigesimoseptimo Paruorum sermonum. Et: Ex hoc genere cognitorum & non cognitorum, & cognoscentium & non cognoscentium, sunt quatuor differentiæ. Quidam enim sunt qui à Deo cognoscuntur, & Deum cognoscunt: alij non cognoscuntur, & non cognoscunt: alij cognoscuntur quidem, sed ipsi non cognoscunt: alij non cognoscuntur, & tamen cognoscũt. Cognoscere Dei, est felicem facere: cognoscere hominis, est gratias agere. Qui ergo cognoscuntur à Deo, & Deum cognoscunt, sancti angeli sunt, qui ab eo felices facti, eius laudibus semper uacant, & obsequijs deseruiunt. Qui nec cognoscuntur, nec cognoscunt, pauperes sunt necessarij, quos nec rerum temporalium copia ditat, nec beatificat seruitus diuina. Qui autem cognoscuntur, sed non cognoscunt, diuites sunt huius seculi, qui acceptis quidem opibus affluunt, sed carnalibus desiderijs huius seculi pressi, nunquam ad cœlestia cor suspendunt. Qui uerò non cognoscuntur, & cognoscũt, pauperes sunt uoluntarij, quos nec tribulatio, nec angustia, nec alia quæcunque pericula possunt separare à charitate Dei. Et hi nimirum multis modis probantur, aduersis durisque fatigantur tribulationibus, sicut scriptum est: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Sermone quadragesimo Paruorum sermonum.

De gradibus hominum inquit Bernhardus: Si consideramus diligẽter fratres, gradus hominum quatuor inueniemus: dico aũt summam felicitatem in cœlo, ad quam suspiramus: mediam felicitatem in paradiso, unde cecidimus: itemq; mediam infelicitatem in hoc mũdo, pro qua gemimus: & in

in inferno extremam infelicitatem, quam meritò formidamus. Sermone de uerbis Domini, Omnis qui exaltat, &c.

De triplici statu hominis inquit Rupertus: Tres sunt partes hominum, alij iusti, alij pœnitentes, alij impœnitentes. In Apocalyps. lib. 4. cap. 8.

Lombardus ait: Primus ergo homo secundum naturam corporis terreni & immortalis fuit quodámodo, quia potuit non mori: & mortalis quodámodo, quia potuit mori. In illo namq; primo statu habuit posse mori, & posse non mori. Et hæc fuit prima corporis humani immortalitas, scilicet non posse mori. In secundo uerò statu post peccatũ habuit posse mori, & nõ posse non mori: quia in hoc statu moriendi est necessitas. In tertio statu habebit posse non mori, & non posse mori: quia ad illum statũ pertinet moriendi impossibilitas, quod ex gratia erit, non ex natura. In primo statu fuit corpus hominis animale, id est, egens alimonijs ciborum. Vnde & homo factus dicitur in animam uiuenté, non spiritualem: id est, in animam corpus sensificantem, quod adhuc erat animale, nõ spirituale, quod egebat cibis, ut per animam uiueret. Factus est ergo in animam uiuenté, id est, uitã corpori dantem, tamen per sustentamenta ciborum: & tunc erat corpus mortale & immortale, quia poterat mori, & poterat non mori. Post peccatum uerò factũ est mortuũ, sicut dicit Apostolus: Corpus propter peccatũ mortuũ est: id est, necessitaté moriendi in se habet. In resurrectione uerò erit spirituale, scilicet agile, & cibis non egens, & immortale: non sicut in statu primo fuit, scilicet, quòd possit non mori, sed etiã quòd non poterit mori. Lib. 2. dist. 19.

De statibus uitæ ait Bernhardus: Homines habent triformem statum uiuendi. Nõ delinquere, quod agit utiq; timor seruilis. Nolle delinquere, quod exhibet filialis. Nõ posse delinquere, quod sola confert beatitudo perennis. In libro Sententiarum.

Vnde sit homo, Rupertus monet: Cum Deus, inquit, hominem faceret non ignorans, sed optimè sciens, quòd peccãdo moriturus esset, opus eiusdem hominis beata Trinitas ita sibimet distribuit, ut pater conderet, filius redimeret, Spiritus sanctus igniret. Non enim absq; magno consilio sancta Trinitas hominem facere dignata est, distributa propria parte operis cuique personæ: quamuis inseparabilis Trinitas inseparabiliter operetur tam plasmationem quàm redemptionem, quàm & instructionem uel illuminationem humanæ substantiæ. Libro 5. capite decimo Comment. in Iohan. Et: Homo quoddam opus speciale est Domini, opus manuum Domini: igitur homo aliter est opus Dei, quàm aliæ creaturæ. Libro 3 Comment. in proph. Abac. capite 3.

Bernhardus inquit: In primo opere conditionis nostræ de limo terrę plasmauit hominem Deus, & inspirauit in faciem eius spiritum uitæ. Qualis artifex, qualis unitor rerum, ad cuius nutum sic conglutinantur sibi limus terræ & spiritus uitæ? Limus quidem iam antè creatus erat, quando in principio creauit Deus cœlum & terram. At spiritus sanè non communem, sed propriam habet conditionem: nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur. Agnosce, ô homo, dignitatem tuam, agnosce conditionis humanæ gloriam. Est enim tibi cum mundo corpus: sic enim decet eum qui constitutus est super uniuersam huius creaturæ corporeæ molem, aliqua ei similari ex parte: sed est etiam tibi sublimius aliquid, nec omnino cõparandus es cæteris creaturis. Compacta & confœderata sunt in te caro & anima, illa plasmata, hæc inspirata. Sed cuius interest hæc commixtio? Cui hac unione præstatur? Etenim iuxta sapientiam filiorum huius seculi, ubi sociantur summis inferiora, præualent qui potestatem habent, & humilioribus utuntur pro libitu suo. Conculcat fortior minus fortem, ridet sapiens indoctum, simplicé fallit astutus, potens despicit imbecillem. Non sic in opere tuo Deus, non sic in tua commixtione, nõ ad hoc sociasti spiritum limo, sublimem humili, dignam & excellentem creaturam abiectæ & inutili massæ. Quis non uideat, fratres, quantum corpori præstet anima? Nunquid non truncus esset insensibilis caro inanimata? Ab anima enim pulchritudo, ab anima incrementum, ab anima claritatis uisus, & sonus uocis. Denique sensus omnis ab anima est. De natiuit. Dom. sermon. 2. Item: Primum quod nobis præstitit, nos ipsi sumus. Siquidem ipse fecit nos, & non ipsi nos. Parum'ne tibi uidetur istud, quia te fecit? Cogita qualem te fecit. Nempe etiam secundum corpus egregiam creaturã, sed secundum animam magis, utpote imagine creatoris insignem, rationis participé, capacé beatitudinis sempiternæ. Porrò secundum ambo simul præ cæteris creaturis maximè admirandam, cohærentem sibi incomprehensibili artificio, inuestigabili sapientia conditoris. Itaque tam magnum hoc donum, quàm magna res homo. Sed quàm gratuitum putas? Planum est quia nihil antè promeruit, qui penitùs nihil fuit. An postea sperabatur gratiam retributurus authori? Dixi Domino: Deus me-

us es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Non igitur necessariam retributurus gratiam ei qui sic per omnia sibi sufficit, sed deuotas relaturus gratias ei qui sic meruit, sperabatur. Quid ni gratias agat? Si quis oculorum lumen, si quis usum aurium, si quis narium, si quis manuum, si quis pedē tibi præpeditū aliquo modo reparasse uideretur, si quis sopitā quauis occasione excitasse in te rationem: quis non alius tibi uehementissimè succenseret, si quando fortè beneficij huius immemorem, aut benefactori deprehendisset ingratum? Enimuerò Dominus Deus tuus, ipsa etiam tibi instrumenta largitus, ex nihilo fecit hæc omnia. Nec modò fecit, sed & compegit etiam & formauit, ac suo quodq; illustrauit officio. Quomodo nō is omni iure sibi gratias exigit ampliores? Nam ne hoc quidem (licet maximo) contentus munere, qui dedit ut esses, qui antè non fueras: adiecit etiam unde subsisteres, qui iam eras. Serm. 14 de 12 uersu Psalmi, Qui habitat, &c. Item: Cogita unde ueneris, & erubesce: ubi sis, & ingemisce: quò uadas, & contremisce. Serm. de primordijs nostris.

Petrus Lombardus inquit: Homo uerò, qui filij Dei est factura, non tantùm patris, sed filij & Spiritus sancti filius est, id est, totius Trinitatis, & Trinitas ipsa pater eius dici potest. lib. 1. distinct. 26.

Petrus Cantor ait: Dominus uirū plasmauit de limo terræ in agro Damasceno. Formaturus mulierem de costa eius in paradiso, ne quis crederet eos fore androgynos, præoccupans formationē mulieris, ait: Masculum & fœminam creauit eos: quasi non erit consortium uiri ad uirum, uel mulieris ad mulierem: sed tantùm uiri ad mulierem, & econuersò. cap. 102.

Hildebertus inquit: Quid certius quàm sperare in Domino Deo, qui fecit & formauit te? Epist. 31.

Materia. Petrus Alphōsus: Formauit Deus hominem de limo terræ. Ecce homo cū quatuor elementorum sit cōmixtione perfectus, de terra tantùm, quæ est unū elemētū, dicitur factus: sed nō incōuenienter, q̃a terrę nomine significat corpus. In Dial. tit. 3.

Rupertus ait: Lōgius quippe est à natura nobis usitata formari hominem de terra, quā cōcipi de fœmina. Mirabilius plasmari uirum de inanimata & insensibili materia, quàm generari uirum sine uiro de animata & sensibili, imò rationali substantia. Lib. 1 Cōment. in Iohan. Et: Omnes homines ex carne nati sunt, ex carne peccatrice, Deum nesciente, mundū diligente, post cōcupiscētias suas eunte. Lib. 3 Com. in Iohan. cap. 2. Et: Omnes, excepto Christo, de terra uenerunt, & prius nati sunt quàm aliquid scirēt, & pòst acceperunt aliunde ab illo indice quod testificādo dicerēt, & hoc ipsum non perfectè, sed ex parte. In Apocal. cap. 1.

Bernhardus ait: In terra orimur, & in terra morimur, reuertētes in eam unde sumus assumpti. Serm. in festo S. Martini.

Petrus Lombardus ait: Fecit itaq; Deus hominem ex duplici substantia, corpus de terra componens, animam uerò de nihilo faciens. Lib. 2. dist. 1.

Petrus Blesensis inquit: Est in mente hominis intelligentia, memoria & uoluntas. Mentē uocamus memoriā, mentē dicimus intelligentiam, mentem dicimus uoluntatem. Memoria & intelligentia & uoluntas sunt una mens. Sed nec memoria est intelligentia uel uoluntas. Epist. 83.

Qualis sit homo cōditus, declarat Petrus Alfonsus, dicēs: Cū uerò Adā Deus creauit, placuit sibi creare eum talē, qui & mori & nō mori ualeret. Fecit ergo eum de elementis subtiliorib. & omnino æqualiter de omnibus, & hoc, ut & ipsorum qualitates uim aliquam ad se inuicem superandi aliquatenus nō haberēt. Taliter aūt factus est, ut nō mori ipse potuisset: & ego eum ideo simplicē appellaui & immortalē, quēadmodū & cætera simplicia immortalia sunt omnia. Cuius rei quædam manifestum animalia tribuunt argumentū, quæ quia æqualius cęteris elemētis cōdita sunt, ꝓcul dubio diutius uiuūt. Quia uerò de quatuor factus est Adam elementis, & quicquid ex eis fit, susceptibile est dissolutionis, ideo dixi eum mortalem atq; compositum. In Dial. tit. 10.

Lombardus inquit: Solet etiā quæri, utrū Deus hominē repētè in uirili ætate fecerit, an perficiendo & ętates augendo, sicut nūc format in utero matris? Augustinus super Gen. dicit, quòd Adam in uirili ætate continuò factus est. Lib. 2. dist. 17.

Quomodo. Petrus Alphonsus: Perfudit itaq; hominē & illustrauit Deus suæ celsitudinis sapiētia, per quā cognosceret & discerneret omnia. Facta est igitur species hominis inter omnes species animaliū melior & elegantior, & in omnib. præstantior: unde haud iniustè minor mundus uocatur. In Dial. tit. 1. Itē: Deus Adā ad imaginē suam conditū & similitudinē, ideoq; inter creaturas excellentē, cōpositū creauit & simplicē: cōpositū quidem ut mundū istum habitaret, ac super eum potestatē imperiumq; haberet, dissolutionisq; etiā susceptibilis esse posset: simplicē uerò, ut quādo creatori placeret, ad cœlestem angelorum patriam sine carnis morte transiret. Tit. 10. Dial. Item: Cum Deus Adam creauit, placuit sibi creare eum talem, qui & mori & non mori ualeret.

ualeret. Fecit ergo eum de elementis subtilioribus, & omnino æqualiter de omnibus, ad hoc, ut & ipsorũ qualitates uim aliquam se ad inuicem superandi aliquatenus non haberent. Taliter autem factus est, ut non mori ipse potuisset: & ideo ego eum simplicem appellaui & immortalem. Hoc modo quippe fuerat immortalis, quemadmodũ & cætera simplicia immortalia sunt omnia. Quia de quatuor factus est Adã elementis, & quicquid ex eis fit, susceptibile est dissolutionis: ideo dixi eum mortalem atque compositum. In Dialogo titulo decimo.

Rupertus ait: Dei & Verbi eius hæc erat pia intentio, sanctumque propositum, ut hominem faceret sibi consimilem, id est, suæ bonitatis imitatorem, suæq; diuinitatis capacem, ut homo inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiceret, & conspiciens siue intelligens ipse, quod natura non erat, gratia Deus fieret. Hoc intendens & proponens dixerat ipse per magnam suæ bonitatis abundantiam: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, uidelicet ad imaginem in eo, ut esset creatura rationalis: ad similitudinẽ in eo, ut esset imitator sui creatoris, & imitando illum proficeret ad gloriam uisionis Dei. lib. 2 de Vict. uerbi Dei, capite sexto.

Bernhardus inquit: Creationem hominis, creator rerum summa dignitate commendans: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Reuerendum reuera priuilegium, nec ulli traditum creaturæ. Creatur illa sublimior numerositas angelorum, & elementorum omnium ordinatur uariata cõnexio: sed omnipotentis præscientia tantum opus taciturnitate alta prospectat. Vt uerò uenitur ad hominem, & nobilis creatura creari disponitur, accingit se Trinitas ad creandum, & cõsilium accipit sapientia, ut creaturæ dignitas creatoris priuilegio clara esse monstretur. Nec ibi tamen satis apertè diuinæ maiestatis illuxêre uocabula, cum ad angelos obsequentes quidam referant Dominici sermonis oraculum. Serm. de excel. Iohan. Baptistæ.

Quando. Rupertus: Sexta feria, qua die primus homo conditus est, mense Paschali, id est, luna iam noua, octauo calendas Aprilis, IESVS Christus Dominus noster, agnus Dei pro reparatione uniuersæ salutis conceptus est, euangelizante angelo beatæ Virgini. libro septimo, capite septimo Com. in Iohan.

Vbi. Lombardus: Hominem autem ita formatum tulit Deus, ut Scriptura docet, & posuit in paradiso uoluptatis, quem plãtauerat à principio. His uerbis apertè Moses insinuat, quòd homo extra paradisum creatus, postmodum in paradiso sit positus. Quod ideo factum dicitur, quia non erat in eo permansurus, uel ut non naturæ, sed gratiæ hoc assignaretur. libro secundo, distinctione 17.

De imagine hominis sic Honoris inquit: Sicut denarius imagine regis signatur, sic homo imagine Dei in anima signatur. In Psal. 4.

Rupertus inquit: Et illud notandũ, quòd non dictum sit, Faciamus hominem ad similitudinem & imaginem nostram: sed, Ad imaginem & similitudinem nostram. Filius quippe sicut non est filius patris & Spiritus sancti, sed solius patris: sic non est imago patris & Spiritus sancti, sed tantùm patris: & idcirco non rectè præposteramus, Ad similitudinem & imaginem nostram, ad imaginem, inquam, nostram, id est, patris & Spiritus sancti. Spiritus uerò sanctus, sicut est Spiritus patris & filij, sic & similitudo est patris & filij, & idcirco rectè sic dictũ cõfirmamus, Ad imaginẽ & similitudinẽ nostrã, similitudinẽ (inquã) nostrã, patris & filij. lib. 1 de operib. Spiritus sancti, ca. 11. Item: Quòd rationales sunt conditi homines ad imaginẽ Dei, proprium est filij, qui est imago Dei inuisibilis. lib. 1 Com. in Iohan. cap. 1. Et: Deus fecit hominem ad imaginem uel in eo, quòd rationalem uel æternum. Ad similitudinem in eo, quòd suæ bonitatis imitatorẽ fecit eum. Ibidem. Et: Ad imaginem Dei homo factus est, in eo quòd rationalis est: ad similitudinem uerò in eo, quòd diuinæ bonitatis imitator conditus est. Imago namque Dei, uel figura substantiæ eius, sicut Apostolus ait, filius est. Bonitas autem uel charitas Dei & imaginis eius, Spiritus sanctus est. Et idcirco non est dictum, Faciamus hominem ad similitudinem & imaginem nostram: sed, Ad imaginem & similitudinem nostram: quia similitudo non unius tantùm, sed duarum personarum, scilicet patris & filij est: imago autem non duarum, sed unius, scilicet patris est. Potuit autem creatura rationalis amittere id, quòd ad similitudinem Dei facta est: non potuit uerò eo carere, quòd ad imaginem Dei condita est. Quia uidelicet diuinæ bonitatis imitatio, per quam Dei similitudo retinetur, creaturæ quoque uoluntatem exigit: rationalitas autem, quæ impressione imaginis Dei humanæ animæ insculpta est, à sola creatoris arte processit. lib. 7 de Diu. off. capite 4.

Bernhardus ait: Animæ rationali ad imaginem Trinitatis factæ. Serm. uigesimoter-

tio Par.serm. Et: Ergo secundum animum, non secundum terrenam & feculentam materiam, Deus hominem rectum fecit. Ad imaginem quippe & similitudinem suam creauit illum. Sermone uigesimoquarto super Cant.

Lombardus inquit: Imago relatiuè ad aliud dicitur, cuius similitudinem gerit, & ad quod repræsentandum facta est: sicut imago Cæsaris, quæ ipsius similitudinem præferebat, ipsumque quodammodo repræsentabat. Propriè autem imago dicitur id ad quod aliud fit, sicut exemplum propriè dicitur quod sumitur ex aliquo, & exemplar ex quo sumitur aliquid. Ponitur tamen aliquando abusiuè alterum pro altero: ita & minus propriè accipitur imago essentia Trinitatis, si tamen ea imaginis nomine in hoc loco intelligitur. libro secundo, distinctione decimasexta. Et: Factus est ergo homo ad imaginem Dei & similitudinem, secundum mentem, qua irrationabilibus antecellit: sed ad imaginem, scilicet secundum memoriam, intelligentiam, dilectionem. Ad similitudinem, secundum innocentiam & iusticiam, quæ in mente rationali naturaliter sunt. Vel imago consideratur in cognitione ueritatis, similitudo in amore uirtutis. Vel imago in alijs omnibus, similitudo in essentia: quia & immortalis & indiuisibilis est. Vnde Augustinus in libro de Quantitate animæ: Anima facta est similis Deo, quia immortalem & indissolubilem fecit eam Deus. Imago ergo pertinet ad formam, similitudo ad naturam. Ibidem. Item: Filius autem est imago, sed non ad imaginem, quia æqualis patri. Ibidem.

Richardus de S. Victore inquit: Ad imaginem & similitudinem formari, nihil aliud intelligitur, quàm liber rationalisque consensus. Huiusmodi namque consensus cur non rectè dicatur ad imaginem & similitudinem Dei factus, in quantum liber ad imaginem, in quantum rationalis ad similitudinem? Hic omnia sibi subiecta ante præuaricationem habuit, & omnino in sibi subiectis nihil contradictionis inuenit, quā diu se superiori spontè subiecit: sed debitam obedientiam, quam suo superiori exhibuit, ab inferioribus accepit. Nihil quod in homine erat, eius imperio contradicebat. Omnia gubernabat, omnia disponebat, omnibus imperabat. capite decimoquarto de Statu inter. hom. Item: Fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem suam fecit eum secundum rationem, ad similitudinem suam secundum dilectionem: ad imaginem suam secundum intellectum, ad similitudinem suam secundum effectum: ad imaginem suam secundum cognitionem ueritatis, ad similitudinem secundum amorem uirtutis. libro primo Exceptionum, capite primo.

Opinionem de homine Rupertus recitat: Solent pleriq; arbitrari, quòd si omnes angeli perstitissent, nullaq; ruina facta fuisset ex eis, non crearetur, neq; fuisset causa cur deberet homo creari. Quod si conceditur, cauendum est, ne ita pueri simus, ut existimemus, Deum nullū ante ruinam angelorum de homine creando habuisse propositum: sed postquam casus ille contigit, tunc demum illi uenisse in mentem consilium huiusmodi, scilicet facere genus nostrum, ob recuperandam multitudinem domus & familiæ suę quę cecidit. lib. 3 de glorif. Trinitat. & de process. Spiritus sancti, capite uigesimo.

Integer homo conditus. Rupertus: Priusquam creatoris interdictum lethali solueretur edulio, inerat homini gratia iuuans ad bonum arbitrij uoluntatem. Vnde tunc apud eum agebatur, ut quod offenderet, nihil esset in anima, nihil in carne quod puderet. Omnis affectus animæ anhelans & pronus ad uirtutem. Illicitus & indecens motus longè prorsus à corpore. Totum hominem obedientia sibi uendicabat. Anima ei subiecta, quandiu mulieri subiectus ipse nō peccauit. Epist. 61.

Rupertus: Homo conditus est, ut si uellet, non posset peccare, & posset non mori: peccando autem eò decidit post lapsum, ut nō possit carere peccato, & non possit nō mori. libro secundo Com. in Iohan. Et: Homo ante lapsum operabatur, qui custodiebat Deum: hoc est, intelligebat ut creatori suo in laude & gratiarum actione fidelem animum gereret, plusque Deum quàm ullam Dei creaturam diligeret, & credendo consilio eius paradisum seruaret sibi, nec peccando habitationem eius amitteret. libro sexto, capite sexto Comment. in Iohannem.

Bernhardus ait: Primus namq; parēs noster paradisi accola constitutus est, dominus terræ stabilitus est, ciuis supernæ Hierusalē designatus est, domesticus Domini factus est, cuius amore & agnitione ditatus est, consors angelorum, frater & cohæres cœlestiū uirtutū, nihil prorsus indigentiæ, nihil sentiens molestiæ: cui erāt in prōptu quæ postulabat, non dico necessitas, sed etiam pia uolūtas, cum nihil esset in anima quod offenderet, nihil in carne quod puderet. Hic honor & hæc erat dignitas hominis, prosperari & florere in præmissis. Et hæc ex Deo. Serm. alio de Cœna Dom.

Liber.

Liber. Bernhardus: Nimirum in libertate posuit eum Deus, ut inter summa & infima uersans, & in illa excederet sine difficultate, & ad hæc sine illecebra aut necessitate descenderet. Illa penetrans naturali uiuacitate, & puritate mentis, hæc authoritate dijudicans præsidétis. Deniq; adducta sunt animalia ad Adá, ut uideret quid uocaret ea: non ipse aliqua curiositate ductus est, ut uideret ea. Serm. 2 de eo, Immisit Dominus soporem, &c.

Erectus. Bernhardus: Ná & propterea rectú fecit hominé, etiá corpore ipso, & os homini sublime dedit, cú prona utiq; spectét animantia cętera terrá: ut attollés ad sidera uultú illico suspiret, ubi tá beatá & perenné cóspicit mansioné. Nónne enim piè & fideliter intuentib. nobis uehemétissimú quodda incétiuú amoris, & puocatio flagrátissimi desiderij est uisio ipsa tá lucidissimæ regionis? Non sunt stellæ cœli similes glebis terræ. Inter splédoré solis, & caliginem soli huius, nó parua distantia est. Serm. in festo B. Martin.

Sapientia, sciétia. Lóbardus: Sapiétia propriè est de æternis, quæ ueritati æternæ cótéplándæ intédit. Intelligétia uerò nó modò de cæteris est, sed etiá de reb. inuisibilibus & spiritualib. temporaliter exortis. lib. 3. distinct. 35. Ité: Sic ergo distingui potest inter illa tria, scilicet intellectú, scientiá, & sapiétiá. Sciétia ualet ad rerú téporaliú rectá administrationé, & ad boná inter malos cóuersationé. Intelligétia uerò ad creatoris & creaturarú inuisibiliú speculationé. Sapientia uerò ad solius æternæ ueritatis cótéplationé & dilectioné & delectationé. Ibidé. Ité: Ista ergo hominis sapiétia etiá Dei est: uerùm nó ita Dei est, ut ea sapiés sit Deus. Nó enim participatione sui sapiés est, sicut participatione Dei. Sic etiá dicitur iusticia Dei nó solùm illa qua ipse iustus est. Ibidem.

De unione corporis & animæ inquit Lóbardus: Solet etiá quæri, cú maioris dignitatis uideretur esse anima, si absq; corpore pmásisset, cur unita sit corpori? Ad quod primò dici potest: Quia Deus uoluit, & uoluntatis eius causa quæréda nó est. Secúdò auté potest dici, quòd Deus uoluit eá corpori uniri, ut in humana ostéderet códitione nouú exéplú beatæ unionis quę est inter Deú & spiritú, in qua diligitur ex toto corde, & uidetur facie ad faciè. Putaret enim creatura, se nó posse uniri creatori suo táta propinquitate, ut eú tota méte diligeret & cognosceret, nisi uideret spiritú, qui est excellétissima creatura, tá infimæ, id est carni, quę de terra est, in táta dilectione uniri, ut nó ualeat artari ad hoc, ut uelit eá relinquere, sicut ostédit Apostolus, dicés: Nolumus corpore expoliari, sed superuestiri. per quod ostéditur, spiritú creatú spiritui increato ineffabili amore uniri. Pro exéplo ergo futuræ societatis, quæ inter Deú & spiritú rationalem in glorificatione eiusdé perficiéda erat, animá corporeis indumentis & terrenis mansionibus copulauit, luteáq; materiá fecit ad uitæ sensum uegetare: ut sciret homo, quià si potuit Deus tá disparé naturá corporis & animæ in fœderationé uná & in amicitiam tantá cóiungere, nequaquá & impossibile futurú, rationalis creaturæ humilitaté, licet longè inferiorem, ad suæ gloriæ participationem sublimare. lib. 2. distinct. 1.

De præstantia hominis inquit Lombardus: A' duobus enim iuuabatur, scilicet à natura quæ rationalis erat, & ab operibus à Deo factis, ut manifestaretur homini ueritas. Ideoq; Apostolus dixit: Quia Deus reuelauit illis. scilicet dum fecerit opera, in quibus artificis aliquatenus relucet indicium. lib. 1. dist. 3.

Adæ iusticia. Bernhardus: Habuit quidé Adam iusticiam, à iusto Deo creatus iustus: sed quia nó eam ex libero arbitrio direxit, facilè ab ea per idem liberum arbitrium defluxit. Serm. 27 Par. serm.

De muliere. Lombardus: In eodem quoque paradiso mulierem formauit Deus de substátia uiri, sicut post plantatú paradisum hominemq; in eo positum. & post uniuersa animalia ad eum ducta, suisq; nominib. designata, subnectit Scriptura: Immisit Deus soporem in Adam. Cúq; obdormiuisset, tulit uná de costis eius, & formauit eá in mulierem. lib. 2. dist. 18. Item: Per hoc imago Dei in homine apparuit, quia sicut Deus omnibus rebus existit principium creationis, ita homo omnibus hominibus principium generationis. Ideo etiam ex uno homine omnes esse uoluit Deus, ut dú cognoscerent se ab uno esse omnes, se quasi unú amarét. Ibidé. Et: Cum autem his de causis facta sit mulier de uiro, non de qualibet parte corporis uiri, sed de latere eius formata est, ut ostenderetur, quia in consortiú creabatur dilectionis: ne fortè si fuisset de capite facta, uiro ad dominationem uideretur præferenda: aut si de pedibus, ad seruitutem subijcienda. Quia igitur uiro nec domina nec ancilla parabatur, sed socia, nec de capite nec de pedibus, sed de latere fuerat producéda, ut iuxta se ponendá cognosceret, quam de suo latere sumptam didicisset. Ibidem. Item: Non sine causa dormienti quoque uiro potius quàm uigilanti detracta est costa; de qua mulier in adiutoriú generatióis uiro est formata: scilicet ut nullá in eo sensisse pœnam móstraretur, & diuinæ simul potétiæ opus mirabile ostéderetur,

tur, quę hominis dormientis latus aperuit, nec eum tamen à quiete soporis excitauit. In quo etiam opere sacramentum Christi & Ecclesię figuratum est. Quia sicut mulier de latere uiri dormientis formata est, ita Ecclesia ex sacramentis, quę de latere Christi in cruce dormientis profluxerunt, scilicet sanguine & aqua, quibus redimimur à pœnis, atq; abluimur à culpis. Ibidem. Opinione addit: Illud etiã scire oportet, quod cùm angelorũ ministerio facta sit mulieris formatio, non est eis tamen tribuenda creationis potentia. Angeli enim nullã possunt creare creaturã: ergo nec formare costã in mulierẽ, nec carnis supplementũ in locũ costę: nõ quòd nihil agant ut aliquid creetur, sed non ideo creatores sunt, sicut nec agricolæ segetum uel arborũ. Solus Deus, id est Trinitas, est creator. Facta est ergo fœmina à Deo, etiamsi costa ministrata sit per angelos. Ibidẽ. Itẽ: Quemadmodũ mulieris corpus de uiri corpore traductũ fuit, ita putauerunt aliqui ipsius animam de uiri anima propagatã, & omnes animas, præter primã, de traduce esse sicut corpora. Alij autem putauerũt, simul omnes animas ab initio creatas. Catholica autẽ Ecclesia nec simul, nec ex traduce factas esse animas docet: sed in corporibus per coitũ seminatis atq; formatis infundi, & infundẽdo creari. Vnde in Ecclesiasticis dogmatibus, animas hominũ nõ esse ab initio inter creaturas intellectuales natas, nec simul creatas, sicut Origenes fingit, dicimus: neq; in corporib. per coitũ seminari, sicut Luciferiani & Cyrillus, & quidã Latinorũ præsumptores affirmant Sed dicimus, tantùm corpus per coniugij copulã seminari. Creationẽ uerò animæ solũ creatorẽ nosse, eiusq; iudicio corpus coagulari in uulua & cõpingi atq; formari, ac formato iã corpore, animã creari atque infundi, ut uiuat in utero homo ex anima cõstans & corpore, & egrediatur uiuus ex utero plenus humana substãtia. Hieronymus etiã anathematis uinculo eos condemnat, qui animas ex traduce dicũt, inducẽs authoritatẽ Prophetæ: Qui finxit sigillatim corda eorũ. Hoc satis, inqt, innuit Propheta, quòd non ipsam animam de anima faciat Dominus, sed sigillatim animas de nihilo creat. lib. 2. dist. 18.

De generatione liberorũ. Lõbardus: Quidã putant, ad gignẽdos filios primos homines in paradiso misceri nõ potuisse, nisi post peccatũ: dicẽtes, concubitũ sine corruptiõe uel macula nõ posse fieri. Sed ante peccatũ nec corruptio, nec macula in homine esse poterat: quoniã ex peccato hæc consecuta sunt. Ad quod dicendũ est, quòd si nõ peccassent primi homines, sine omni peccato & macula in paradiso carnali copula cõuenissent, & esset ibi thorus immaculatus, & commixtio sine concupiscentia, atq; genitalibus mẽbris sicut cæteris imperarent, ut ibi nullum motum illicitum sentirent. Et sicut alia mẽbra corporis alijs admouemus, ut manum ori, sine ardore libidinis: ita genitalibus uteremur membris sine aliquo pruritu carnis. Hæc enim lethalis ægritudo membris humanis ex peccato inhæsit. Genuissent itaq; filios in paradiso per coitũ immaculatũ, & sine corruptione. lib. 2. dist. 20.

De somnijs inquit Petrus Blesensis: Non inficio quòd anima frequenter ex reliquijs cogitationis, aut ex innata sibi prospicatia quasdam futurorum præfiguret imagines: sed crebrò decipitur. Nam sicut per experientiam didici, ex ea uisione quæ mihi quãdoque gaudium nunciauerat, postea contrarium reportaui. Somnia ergo ne cures, nec te errore illorum inuoluas, qui occursum leporis timent, qui mulierẽ sparsis crinibus, qui hominem orbatũ oculis, aut mutilatum pede, aut cucullatum obuiam habere detestantur. Qui de iocundo gloriantur hospitio, si eis lupus occursauerit, aut colũba, si à sinistra in dexteram auis S. Martini, si ingressu suo remotum audiunt tonitruũ, si hominem gibbosum obuiam adinuenerint, aut leprosum. Opinio autem mea est, magistrum subuersionis illius periculũ incurrisse, etiamsi nullus ei monachus occurrisset. Epist. 49.

Hominẽ habere formã crucis, inquit Bernhardus: Homo enim formam crucis habet, quã si manus extenderit, exprimit manifestius. Sermone quarto in uigilijs natalis Domini.

De homine ante lapsum Richardus inquit: Cũ dicimus, hominẽ ante peccatũ aliquid boni potuisse per seipsum, nihil aliud dicimus, quàm potuisse per naturale bonũ. Sic cum negamus eum aliquid boni posse ex seipso, subintelligimus eum iam nihil boni posse ex solo naturali bono. Sed numquid dicemus eum nihil boni potuisse ex natura (hoc est, prima gratia) antequam natura esset corrupta? Sed si aliquid boni potuisse ex ipsa conditionis suæ natura accepit, hoc est quod peccando amisit. Amisit itaque potestatem, non autem libertatem: nam bonum posse, est uerè posse: sicut cogi non posse, est uerè liberum esse. capite uigesimo de Statu inter. hominis. Item: Sanè absque dubio & sine omni contradictione sufficientem gratiam habuit ante peccatum, non ad omne bonum faciendum, sed ad omne debitum soluẽdum, & ad omne malum cauendum. Quanta quæso hæc potestas ad bonum & contra malum

malum fuit,quam ex cooperante gratia habuit? Quis glorietur ſe hanc poſsibilitatis integritatem recuperaſſe, uel præſumat ſe poſſe in hac uita recuperare?libro 1 Except. capite 1.

De lapſu hominũ ait Petrus Alphonſus: Quoniam ergo Deus Adã ad imaginẽ ſuã conditum & ſimilitudinẽ,ideoq; inter creaturas excellentẽ,cõpoſitũ creauit & ſimplicẽ:cõpoſitũ quidẽ,ut mundũ iſtum habitaret,ac ſuper eum poteſtatẽ imperiũq; haberet, diſſolutioniſq; etiam ſuſceptibilis eſſe poſſet:ſimplicem uerò,ut quando creatori placeret, ad cœleſtẽ angelorũ patriam ſine carnis morte tranſiret.Quoniã,inquã, eum talem Deus creauit,cũ hoc uidiſſet diabolus,qui in hoc aëre inferiori prope terrã habitabat, inuidit, & eius damnationẽ prout potuit perquiſiuit:quin ut & Dei præceptũ trãſiret,& de fructu uetito comederet, cordi eius inſpirauit,propter hoc ut de dignitate ſua cõcideret, quemadmodum & ipſe concidit.Tit.10.in Dial. Item: Cum ergo creatoris obedientiam tranſire cordi eius immiſit, ſuper eo cogitauit:poſtquam uerò cogitauit,elegit:poſtquam elegit, optauit: poſtquam optauit, & fecit:cum autẽ fecit, peccauit:poſtquã uerò peccauit,æqualitatẽ quã habebat,& ſic immortalitatẽ amiſit, & omnino,ut cõpoſitorũ natura eſt, mortalitatẽ ſuſcepit,ita q, ulterius ab eo ſeparari nõ potuit:unde & huiuſmodi definitionẽ recepit,quòd rationalis & mortalis dictus fuit: quin & omnis qui de eius ſemine ꝓceſsit, naturam eandem & ipſe habuit.Eſt quippe iuſtũ,ut ſi quid de alio prodeat,naturę eius ſimilitudinẽ recipiat.Anima uerò Adã,cum ſublimioris eſſet naturæ quàm corpus,atq; fortioris,quia peccato illi aſſenſum prębuit,& cũ poſſet nõ reſtitit:omnis anima quæ corpori ex corruptione illa progenito ſe miſcuit,ob culpam illam, cum de corpore exiret,cœli ſummitatem,quod ſuæ erat naturæ,tranſcendere iam nequiuit,imò in inferiori aëre hic prope terram remanſit.Quẽ in locum quia ipſa quaſi aduena deuenit, ciuis autem erat diaboli,propter hoc diabolus ſuper eam poteſtatem habuit,& deſiderium ſuum, quod ipſe deſiderauerat, completum fuit.Quia uerò etiam Adæ peccatum duplex fuit,ſpirituale ſcilicet & corporale:ſpirituale quidem, quia diabolo potius quàm Deo credere, quod ad ſpiritum pertinet, & obedire elegit: corporale autẽ,quia ſe in uetiti fructus dulcedine, quod ſcilicet eſt corporis, delectauit: ideo ſanè mortem carnis & mortem animæ, pœnam ſcilicet duplicem ipſe ſuſtinuit.Ibidem.

Rupertus dicit:Non dubitandum eſſe, totam Trinitatem hanc Ironiam edixiſſe: Ecce Adam quaſi unus ex nobis.libro quarto de glorif. Trinit.capite nono. Et: Primi homines cæcati ſunt,ſuam cęcitatem poſteris ſuis hæreditariam reliquerunt,ut per cęcitatem eum non uiderent qui in mundo erat, & per quem mundus factus eſt, cuius eſſentiæ coæquari procaciter affectauerãt, & per ingratitudinem eum nec de tantillo,quantum ex operibus illum cognoſcere poterant,ſicut Deum glorificarent,aut gratias agerent.libro primo Comment.in Ioh. capite primo.

Bernhardus ait: Et quidem magna hæc coniunctio,dilectiſsimi, ſed ſi ſtabilis permanſiſſet. Nunc autem licet diuino fuerit munita ſigillo(ad imaginem quippe & ſuã ſimilitudinem creauit Deus hominem) heu diruptum eſt ſigillum, & unitas diſsipata, accedens peſsimus ille latro, recens adhuc ſigillum fregit: & ſic mũtata ſimilitudine diuina, comparatus eſt miſer homo iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.Rectum quippe fecit Deus hominem, atque hæc ſimilitudo eius, de quo ſcriptũ eſt:Quia rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo. Veracem quoque & iuſtum fecit eum, ſicut & ipſe ueritas & iuſticia eſt. nec unitas ipſa poſſet diſiungi, dum ſigilli huius integritas permaneret.Verùm ſuperuenit falſarius,qui indoctis ſigillum promittens melius(uæ uę)fregit,quod erat manu diuinitatis impreſſum. Eritis, inquit,ſicut dij, ſcientes bonum & malum. O` maleuole,ò maligne, ad quid eis huius ſimilitudo ſcientiæ? Sint certè ſicut dij, recti, iuſti, ueraces: ſint ſicut Deus,in quem peccatum non cadit. Hoc quippe ſigillo ſtante, ſtabit unitas illa. Iam experimur miſeri,quid nobis perſuaſerit uerſutia diabolicę fraudis.Sermon.ſecundo de natiuit. Domini. Et: Ad imaginem nempe & ſimilitudinem Dei factus eſt homo, in imagine arbitrij libertatem,uirtutes habens in ſimilitudine. Et ſimilitudo quidem perijt, ueruntamen in imagine pertranſit homo.Sermon.primo de annunc.Marię. Et: Quomodo, proh dolor, omnia confudiſti, pernicioſè miſericors, ubi ſeuerus eſſe debueras:& pernicioſius crudelis,ubi miſericordiã impendere oportebat?Nam delinquere propter illam nullo modo,ſatisfacere uerò pro ea libenti animo debuiſti. Sic enim oportet fieri,fratres,ut nunquam propter alium homo peccet, quod eſt iuſticiæ: & libenter aliena peccata portet, quod eſt miſericordiæ.Sermone primo in feſto omnium Sanctorum. Et: Itaque facilè ſeducta eſt mulier & promiſsioni credere,& acquieſcere perſuaſioni. Vir autem non ſeductus eſt, ſed ſubuerſus mulieris amore. O-

ptaret enim semper seruare mādatū, quod sibi utile nouerat, si nō mulier ei aliud suaderet. Sermone primo de S. Andrea. Item: Beata illa & sempiterna Trinitas, pater & filius & Spiritus sanctus, unus Deus scilicet, summa potentia, summa sapientia, summa benignitas, creauit quandam trinitatē ad imaginem & similitudinem suam, animam uidelicet rationalem: quæ in eo præfert uestigium quoddam illius summæ Trinitatis, quòd ex memoria, ratione & uolūtate consistit. Creauit autem eam hoc modo, ut manens in illo, participatione eius esset beata: auersa ab illo, quocunq; se conferret, remaneret misera. Sed hæc trinitas creata elegit potius per motum propriæ uoluntatis cadere, quàm ex gratia conditoris per arbitrium stare. Cecidit ergo per suggestionem, delectationem, consensum, ab illa summa & pulchra Trinitate, scilicet potentia, sapientia, puritate, in quandam contrariam & fœdam trinitatem, scilicet infirmitatem, cæcitatem, immundiciam. Memoria enim facta est impotens & infirma, ratio imprudens & tenebrosa, uoluntas impura. Porrò memoria, quæ simplicis diuinitatis potentiam stans cogitabat, ab illa cadens, & ueluti super saxa corruens, in tres partes confracta dissilijt, scilicet in cogitationes affectuosas, onerosas, ociosas. Affectuosas uoco illas in quibus ipsa afficitur: ut in curis rerum necessariarum, edendi, bibendi, cæterorumq; similiū. Onerosas, in exterioribus administrationibus & occupationibus duris. Ociosas, quibus nec afficitur, nec oneratur, & tamen ab æternorum contemplatione per illa distenditur: ut si cogitet, uerbi gratia, equum currentem, aut auem uolantem. Rationis quoque triplex casus est. Siquidem eius erat discernere inter bonum & malum, uerum & falsum, cōmodū & incōmodū. In quib. discernēdis tāta modò caligine cæcatur, ut sæpe in cōtrariū ducat iudiciū, recipiēs malū pro bono, falsum pro uero, noxiū pro commodo, & ecōuerso. Nūquā uerò in his falleretur, si nūquā lumine, à quo creata est, priuaretur. Sed quia & ipsa inde cecidit, proculdubio nihil aliud quàm tenebras suę cęcitatis inuenit. Vnde factum est, ut & instrumētū perderet, scilicet illud triuiū sapiētię, Ethicā, Logicā, Physicā: quas nos possumus alijs uocare nominibus, moralē, inspectiuā, & naturalem scientiam. Siquidem per Ethicam eligitur bonum, reprobatur malum: per Logicam cognoscitur uerum & falsum: per Physicam commodum & incōmodum, id est, quid in usum assumendum sit, quid respuendum. Sequitur uoluntas, cuius ruina similiter tripartita est. Quę enim summæ benignitati & puritati inhęrere, & eam solam diligere debuit, per propriam iniquitatem à supernis in hæc infima lapsa, per concupiscentiā carnis & cōcupiscētiā oculorū & ambitionē seculi terrena dilexit. Quid hoc infelicius casu potest æstimari, ubi pereunte memoria, ratione, uolūtate, tota animæ substantia perimitur? Veruntamen hunc tam grauem, tam tenebrosum, tam sordidum lapsum nostræ naturæ reparauit illa beata Trinitas, memor misericordiæ suæ, immemor culpæ nostræ. Sermone primo Par. serm. Et: Est Trinitas creatrix, pater & filius & Spiritus sanctus, ex qua cecidit creata trinitas, memoria, ratio & uoluntas. Et est trinitas per quam cecidit, uidelicet per suggestionem, delectationem, consensum. Et est trinitas in quam cecidit, uidelicet impotentia, cæcitas, immūditia. Rursus trinitas quæ cecidit, id est memoria, ratio, uoluntas. Singulæ cuiusq; tripertitus excidit casus. Memoria cecidit in tres species cogitationū affectuosas, onerosas, ociosas. Ratio in triplicē ignorantiā, boni & mali, ueri & falsi, cōmodi & incōmodi. Voluntas in concupiscentiā carnis, cōcupiscentiā oculorū, ambitionē seculi. Est trinitas per quam resurgit, fides, spes, charitas. Quæ trimembres habent sub diuisiones. Est enim fides præceptorum, signorū, promissorum: est & spes ueniæ, gratiæ, gloriæ: & est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Ibidem. Item: Secundo gradu caruerunt primi homines in paradiso, qui licet sua maluerint uoluntate abuti, quàm creatori subijci, non tamen præsumpserunt cæteris suæ sortis dominari. Ideoque culpa eorum & pœna longè extitit dissimilis superbię atque ruinæ diaboli: unde & diuina clementia quandoque meruerunt reparari. Ibidē serm. 18. Et: Secundū peccatū cōmissum est per inobedientiam mulieris in paradiso. Ex hoc peccato facta est caro rebellis spiritui, ut quoniam spiritus eius non fuit subiectus creatori, nec caro sit subiecta spiritui. Serm. 27 Par. serm. Item: Tertium peccatum fuit, quòd ipsa mulier uirum quoq; secum traxit in culpam. Debuit quidem illa peccatum suum deflere, nec addere peccatum peccato: sed in hoc putauit se habere consolationem, si uirum faceret peccati sui participem. Quodāmodo enim naturale est, unumquemq; uelle, siue in uitijs, siue in uirtutibus, adsociare sibi consortem. Ibidem. Et: Peruersa res est, & fœda, luteum uas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, cœlos liberè suspicere, cœlorūq; luminarib. oblectare aspectus: spiritualem uero & cœlestem creaturam suos econtratiò

trariò oculos,id est, internos sensus atque affectus,trahere in terram deorsum,& quę debuit nutriri in croceis, hærere luto,tanquá unã de suibus,amplexariq; stercora.Erubesce anima mea,diuinã in pecorinã cõmutasse similitudiné.Erubesce uolutari in cœno,quæ de cœlo es.Erubesce anima (ait corpus)in mei cõsideratione. Creata similis creãti recta, me quoq; accepisti adiutoriũ simile tibi, utiq; secundũ lineaméta corporeæ rectitudinis.Quocũq; te uertas,siue ad Deũ sursum, siue ad me deorsum (nemo siquidé carnem suam unquá odio habuit)ubiq; tibi occurrit species decoris tui, ubiq; pro statu tuę dignitatis habes de magisterio sapientiæ familiaré admonitioné. Me ergo meã(quam tui gratia accepi)retinente & seruante prerogatiuá,tu quomodo nõ cõfunderis amisisse tuá? Cur suam in te cõditor intuetur abolitam similitudiné,cũ tuam in me tibi conseruet,assiduéq; repræsentet?Iam omne adiutoriũ quod tibi ex me debebatur, uertisti tibi in confusioné:abuteris obsequio meo, indignè humanũ corpus inhabitas, brutus & bestialis spiritus.Serm.24. super Cant. Item: Corruit autem de posse nõ peccare,in nõ posse nõ peccare,amissa ex toto cõsilij libertate.Itéq; de posse nõ turbari, in nõ posse nõ turbari,amissa ex toto complaciti libertate.Sola remásit ad pœnam libertas arbitrij, per quam utiq; cæteras amisit,ipsam tamé amittere non potuit.Per propriam quippe uolũtaté seruus peccati factus,meritò perdidit libertaté cõsilij.Porrò per peccatũ factus debitor mortis, quomodo iã libertaté ualebat retinere cõplaciti? De tribus ergo libertatib.quas acceperat,abutẽdo illa quę dicitur arbitrij,reliquis sese priuauit. In eo autem abusus est,quòd illam cum accepisset ad gloriã,conuertit sibi in contumeliã. In tract.de lib.arbitrio.

Potho ait:Nã uoluntas eius à Deo prima peccati causa fuit.Vnde actũ est,ut de interiore domo sua per exteriorum delectationé prius exiret,deinde exterioré quoq; domũ,hoc est paradisum,amitteret. In primo itaq; parente nostro expulsi de domo nostra sumus,ac destructa interiore domo nostra,libertate arbitrij amissa,ducti sumus in captiuitatem.lib.1 de Stat.dom.Dei.

Cur Deus siuerit hominélabi.Rupertus: Importuna plerũq; in nõnullis hæc nobis impingitur quęstio,cur Deus lapsum hominis euenire permiserit,cũ utiq; ut omnipotẽs impedire potuerit,saltẽ ipsum tentatoré ab ingressu paradisi procul arcendo,malueritq; suã incarnationé humano generi necessariã existere, quàm cõpendio serpentem ab hominis collocutione abigere?Hęc omnia Deus , priusquã hominé conderet, præsciuit & prædestinauit: ipsum auté hominis lapsum præsciuit quidé,sed nõ prædestinauit,neq; uoluit,quinimò sub interminatione mortis uetuit.Nã bona sola Deus præsciuit & prædestinauit: mala autem præsciuit tantũ,non etiã prædestinauit,sed cõdigna eis loca iustè deputauit.Addit adhuc quęrere aliquis:Cum pręuaricatio nulla sit,si pręceptũ aut lex nõ fuerit,cur Deus homini pręceptũ dedit, quod nõ seruandũ præsciuit? Videat quia creator erat ille, iste creatura , & à creatore creaturá erudiri oportuerat,quippe quę ita creari nõ potuerat,ut suapte natura perfecta esset,quod solius diuinæ naturæ est: neque scire posset quia Deus mitis & humilis corde esset,nisi eruditione proficeret. libro 3 de Diuinis officijs,cap.14.

Hominé potuisse stare.Lombardus:Sciendum ergo est,quòd homini in creatione (sicut de angelis diximus)datũ est per gratiam auxiliũ, & collata est potẽtia per quã poterat stare,id est, nõ declinare ab eo quod acceperat : sed nõ poterat ꝓficere in tantũ, ut ꝑ gratiã creationis sine alia mereri salutem ualeret. Poterat quidé per illud auxiliũ gratiæ creationis resistere malo, sed nõ perficere bonum. Poterat tamen per illud bene uiuere quodammodo , quia poterat uiuere sine peccato:sed non poterat sine alio gratiæ adiutorio spiritualiter uiuere, quo uitá mereretur æternã.lib.2.dist.23. Ité:Hic cõsiderandum est,quòd fuerit illud adiutorium homini datũ in creatione, quo poterat manere si uellet.Illud utiq; fuit libertas arbitrij ab omni labe & corruptela immunis,atq; uoluntatis rectitudo, & omnium naturalium potentiarum animæ sinceritas atq; uiuacitas. Ibidem.

Quid amissum lapsu.Bernhardus: Perdidit homo iusticiã, cùm Eua serpẽtis,Adam mulieris uoci obediuit potius, quam diuinæ. Erat tamen residuũ aliquid, quod apprehẽdere possent , idq; Dominus suo illo scrutinio innuebat:sed abiecerũt etiã illud, conuersi in uerba malitiæ , ad excusandas excusationes in peccatis.Prior enim iusticiæ portio est,nõ peccare:secũda,per pœnitentiã damnare peccatũ. Perdidit & misericordiã,cũ sic exarsit Eua in cõcupiscentia sua,ut nec sibi,nec uiro,nec filijs parceret nascituris,simul oẽs terribili maledicto & necessitati mortis addicens.Adã quoq; indignationi diuinę mulieré,ꝑ qua peccauerat, obiecit,quasi post tergũ eius uolẽs declinare sagittã. Vidit enim mulier lignũ, q̃ esset pulchrũ uisu, & ad uescendum suaue : & à serpente audierat,táquam deos se futuros. Funiculus triplex difficilè rumpitur, curiositatis,

sitatis, uoluptatis & uanitatis. Hæc sola mũdus habet, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam uitæ. His abstracta & illecta, misericordiam omnem crudelis mater abiecit. Sic & Adam, qui mulieri malè misertus est, ut cum ea peccaret, bene noluit misereri, ut pœnam sustineret pro ea. Priuata est etiam mulier ueritate, primò quidem malè detorquens quod audierat, Morte morieris: & dicens, Ne fortè moriamur: demum serpenti credens, penitùs abneganti & dicenti, Nequaquam moriemini. Priuatus est & Adam ueritate, ubi eam confiteri erubuit, folia, hoc est, excusationum operimenta prætẽdens. Siquidem ipsa dicit: Qui erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego eum coram patre meo. Pacẽ quoq; protinus amiserunt, quia non est pax impijs, dicit Dominus. Non'ne enim contrariam legem inuenerant in membris suis, quos de nouo pudere cœperat nuditatis? Timui ego, inquit, eo quòd nudus essem. Non sic miser, non sic paulo antè timebas, non quærebas folia, licet corpore nudus, sicut & modò. Sermon. 1 de annunciat. Mariæ uirg.

De deleta imagine Dei. Bernhardus: In Psalmo: Homo cum in honore esset, nõ intellexit: comparatus est iumentis insipiẽtibus & similis factus est illis. Et item illud: Mutauerunt gloriam suam in similitudinẽ uituli comedentis fœnum. sed & quod apertè dictũ est in persona Dei: Existimasti iniquè, quòd ero tui similis. & pleraq; alia, quæ similitudinem Dei in homine post peccatum deletam concorditer asseuerare uidentur. Serm. 82 super Cantica. Item: Sed quod Scriptura loquitur de dissimilitudine facta, non quia ista similitudo deleta sit loquitur, sed quia alia superducta. Non planè anima natiuam se exuit formam, sed superinduit peregrinam. illa addita, non ista perdita est: & quę superuenit, obscurare ingenitam potuit, sed non exterminare. Deniq; obscuratũ est insipiẽs cor illorũ, ait Apostolus. Et Propheta: Quomodo obscuratũ est aurũ, mutatus est color optimus? obscuratum aurum plangit, sed aurum tamẽ: mutatum colorem optimum, sed non fundamentum coloris euulsum. Manet in fundamento prorsus inconcussa simplicitas, sed minimè apparet duplicitate operta humanæ dolositatis, simulationis, hypocrisis. Ibidem.

De corruptione hominis Bernhardus inquit: Non sic in nobis libera ratio, sed undiq; ei luctandum est. Sic enim & ab infimis uisco quodã captiua tenetur, & à summis indigna repellitur, ut nec ab his sine dolore non possit auelli, nec ad illa sine magno gemitu uel rarò queat admitti. Sermõ. 2 in Septuages. Itẽ: Nam & ipsum corpus laqueus quidam est, unde & oculus legitur animã deprædari. Minimè ergo decet esse securum hominem, qui secum portat laqueum suum: imò uerò bonum est, magis habitare in adiutorio altissimi, ut per eum possit laqueus euitari. Serm. 3 de 3 uersu Psal. Qui habitat, &c.

Iumento comparatur. Bernhardus: Puto, imò non puto, sed scio, similitudinem aliquam iumentorum homini commendari: sed planè non eam quæ in non intelligendo & insipientiæ, sed patientiæ imitatione consistat. Neq; enim succensentis similiter, sed ne plangẽtis quidem uidetur uox, si dixisset, &c. Serm. 7 de septimo uersu Psal. Qui habitat.

De miserijs hominis inquit Bernhardus: Multis & multiplicibus (inquam) miserijs corporis, miserijs cordis, miserijs cum dormit, miserijs dum uigilat, miserijs quaqua uersum se uertat. Serm. in 4 feria hebdom. pœnosæ, de pass. Dom. Item: O miserum animal homo tempore suæ mortalitatis. Sermone 15 de 10 uersu Psalm. Qui habitat, &c. Item: Vis nosse quò deuenisti? in locum utique afflictionis. Siquidem uita tua inferno appropinquauit. Quid enim hic nisi labor & dolor, & afflictio spiritus? Sermone de primord. & nouissim. nostris.

Petrus Blesensis ait: Audi miser, audi successor ueteris Adæ, testa fragilis, lutum solubile, pellis morticina, uas putredinis, fames tineæ, cibus uermis, quod tibi & progenitoribus tuis. epistola 2. Item: Terra est homo, quia de terra sumitur, & in terra conuersatur, in terram reuertitur, terram sapit, terram lingit, terram sitit, conglutinatus est in terra uenter noster. Descendit in inferiora terræ, cœlique & cœlestium oblitus, pro terra litigat, pro terra pugnat, nec cessabit à talibus, donec in terram, qui de terra est, reuertetur. Tunc ei septem uel octo terræ pedes sufficiant, cui modò non sufficit camporum latitudo, & uastitas regionum: ibi, ô homo, gleba corporis tui, quæ est terra, ad id, unde sumpta est, reducetur: hic est funiculus hæreditatis tuæ, qui nunc pro terra litigas, quasi hæreditate possideas terram, qui in proximo futurus particula terræ, serpentum possessio & uermium cibus. Epist. 46. Item: Fallax enim est hic mundus, uita breuis, finis dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, pœna infinibilis. Epistola 1. Item: Gloria mundi fallax est & seductoria, decipit amatores suos. Quicquid enim uel in futurum promittit, uel in præsenti præten-

prætendit,totum ad nihilum deueniet,tanquam aqua decrescens. Non consentias carni fatuæ,quæ & te & se pariter trahit in laqueum gehennalem.Epist.9. Et: Vides quòd omnis creatura uanitati subiecta est, in imagine pertransit homo,dies eius sicut umbra prætereunt,totumq; quod appetis, citò ad nihilum deuenit, tanquã aqua decrescens.Epist.40. Item : Mundus enim in maligno positus est,plenus periculis,plenus laqueis,plenus scandalis, plenus colloquijs prauis, exemplis malis, proditorijs uerbis,& iniquis consilijs.Epist.62.

Petrus Cantor: Quia uas fictile es & corruptibile,saccus stercorum & cibus uermium,humiliare:quia thesaurum habes in uase,animam scilicet lumine uultus Domini insignitam.cap.16.

De sordibus hominum ait Bernhardus: Et ego quidem triplici sorde me inquinari sentio, concupiscentia carnis, & concupiscentia gloriæ temporalis,& præteritorũ conscientia delictorum. Sunt enim in anima motus quidam utrorumq; desideriorũ, quos nec ratione, nec uiribus extinguere possum, quamdiu sum in hoc seculo nequam, & in corpore mortis teneor alligatus. Attamen contra sordes istas orationis oppono remedium:& propterea,sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum,donec misereatur nostri,qui solus mundus est, & potest facere mundum de immundo conceptum.Sic & contra peccati conscientiam remedium confessionis est institutum, & omnia in confessione lauantur. Ecce hæc sunt quæ mundant oculum cordis, oratio & confessio. Serm.1 in festo om.Sanct. Item : Hic nobis angustus introitus,mora breuis,sola mors certa. Serm. in festo S.Mart.

Malitiam non posse extirpari. Bernhardus: Eradicari tamẽ,aut extirpari à cordib. nostris omnino non poterit malitia,donec in mundo fuerimus, qui totus positus est in maligno. Conteritur quidem serpentis caput,sed experiri est frequenter calcaneo insidiantem.Secundo loco ipsa quoq; corruptibilis huius infirmitate corporis præpedimur,ne uoluntas nostra diuinæ ualeat cohærere.Nobis quidem, quod molestum sentimus, non potest non displicere, & frequẽter in his uoluntas nostra à diuina dissidet uoluntate:cui ne penitùs aduersetur, fortitudo est nobis necessaria,quę secunda species est uirtutis. Nec sola impedit afflictio corporis:impedit & cõcupiscentia,qua multiplicib. & inexplebilibus distrahimur desiderijs.Serm.6 in Quadrages.

Hildebertus ait : Nihil est quod uacet, quod homini sit inutile, nisi homo ipse. Cum enim tam diligenter homini procuret omnia Deus,spernitur tamen ab homine tam diligens procurator Deus. Nulla ei mentio de se,nulla cura pro se, nulla reuerentia in se. Iniurijs in proximum debacchatur,in Deum contemptu, in res abusu. Omnia in suum congregat iudicium omnium reus.Vnde fit, ut tanto districtiorem mereatur iudicem, quanto maiorem bene agendi habuit facultatem.Epist.23.

De affectibus cordis inquit Bernhardus: Totum enim cor in his quatuor affectionibus est,& de his accipiendum puto,quod dicitur,ut in toto corde tuo conuertaris ad Dominũ.Conuertatur proinde amor tuus,ut nihil omnino diligas,nisi ipsum,aut certè propter ipsum.Conuertatur etiam ad ipsum timor tuus,quia peruersus est timor omnis,quo metuis aliquid pręter eum,aut non propter eum. Sic & gaudium tuũ,& tristicia æquè conuertatur ad ipsum. Serm.2 de Quadrages. Item : Est affectio quam caro gignit, & est quam ratio regit, & est quam condit sapientia. Prima est quã Apostolus dicit legi Dei non esse subiectam, nec esse posse. Secunda quam perhibet eregionè consentientem legi Dei, quoniam bona est.Nec dubium,distare inter se contentiosam & consentaneam.Longè uerò tertia ab utraq; distat, quæ & gustat & sapit,quoniam suauis est Dominus, primam eliminans, secundam remunerãs. Serm.50 super Cantica.

Petrus Cantor ait: Multa nos facere carnis cogit affectus, & dum corporum propinquitates respicimus,corporis & animæ creatorem offendimus.cap.59.

De desiderijs inquit Bernhardus : Desideria quidem nostra in tribus maximè constituta uidentur, quod decet,quod expedit,quod delectat.Sermon.5 in uigil.natal.Domin.

De concupiscentia inquit Bernhardus: Ipsa est carnis concupiscentia, qua carere omnino non potuit, donec in carne fuit. Serm.56 super Cantica.

Ex corde uanitas. Bernhardus : Vanum cor,uanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas interioris uanitatis indiciũ est.Mollia indumenta,animi molliciẽ indicãt.Nõ tantum curaretur corporis cultus,nisi prius neglecta fuisset mens inculta uirtutibus.In Apolog.ad Guliel.abbat.

De corde duro ait Bernhardus: Cor durum & induratum nec timet Deum,nec hominem reueretur. Qui sic in omnibus suis uijs adhæret diabolo, manifestè factus est unus spiritus cum eo.Sermon.11 de 11 uersu Psal.Qui habitat. Item:Quid ergo cor durum?

durum? Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagris duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina: præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens. Ipsum est cui præteritorum præter solas iniurias, nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla, nisi fortè ad ulciscēdum, prospectio seu præparatio est. Et ut breui cuncta horribilis mali mala cōplectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominé reueretur. De Consideratione lib. 1.

Petrus Blesensis inquit: Et quis confidit se habere cor mundum, qui de immundo conceptus est semine, & qui conuersatur in mundo pleno spurcitijs peccatorum? Epistol. 54.

Quomodo caro amanda. Bernhardus: Cæterùm sic amet anima carné, ut non ipsa in carnem transisse putetur. Serm. 10 de 10 uersu Psal. Qui habitat, &c.

De conscientia inquit Bernhardus: Perfecta & absoluta cuiq; excusatio, testimoniū conscientiæ suæ. De Consid. lib. 2.

Appetitus reprimendi. Bernhardus: Oportet ergo reprimere, quem extinguere non possumus, appetitum, ut quàm citò cubile nostrum ingreditur, crescere eum nullatenus patiamur, sed sub nobis sit, quemadmodum dicit Scriptura: Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Serm. de tripl. genere cogitationum.

De securitate ait Petrus Blesensis: Hoc ipsum graue peccatum est, & obstinaciæ signum, quòd nullo peccato reputes te grauatū. Membrū enim quod ita stupuit, ut sentire nō posit, longè à salute totū insensibile factum est. Sanè uix unum transibimus diem, in quo non offendamus Deum, aut proximum, irascendo, detrahēdo, murmurando, inuidendo, scandalizando, cupiendo, garriendo, sequendo gulam, obsequendo carni, cōtradicendo spiritui, appetendo quæ sunt seculi, cōtemnēdo quæ sunt Dei, obliuiscēdo quàm enormia fecimus, quàm dura meruimus, quàm misericorditer Deus nos ad pœnitentiam expectat, dissimulando quàm terribilia conniuet, quàm incerta mors, quàm intolerabilis & interminabilis pœna nobis immineat. Epist. 54.

De dolore ait Bernhardus: Dolor quippe nimius non deliberat, non reuerecūdatur, non consulit rationem, non metuit dignitatis damnū, legi nō obtēperat, iudicio nō acquiescit, modū ignorat & ordinem, id omnimodo & solùmodo satagēte animo, quo uel careat quod se dolet habere, uel habeat quo se dolet carere. Epist. 1.

De lapsibus humanis inquit Bernhardus: Non'ne cooperatur nobis ille casus in bonum, unde & humiliores efficimur, & cautiores? Nón ne Dominus cadentem illū suscipit, qui ab humilitate suscipitur? Impulsus euersus sum ut caderem (ait Propheta) sed nihil profecit qui impulit me, quoniā Dominus suscepit. Serm. 2 de 2 uersu Psal. Qui habitat, &c.

Ignauia ad bonū. Petrus Cluniacēsis: Ad uitia demergētia in interitū pronā esse humanā naturā, ad uirtutes subleuātes ad cœlū difficulter se extollere humanā segnitiē. Nam fugiens laborē, appetens requiē, postponit breuē paruumq; laborē doloribus ꝑpetuis, præponit uoluptatem horariā delectationibus sempiternis. lib. 3. epist. 14.

Quib. homines seruiant in mundo. Bernhardus: Quatuor sunt quorum in hac uita obsequijs deseruimus, caro, mundus, diabolus, Deus. Carni militamus, gulæ illecebris seruiēdo, luxuriæ stimulis obsequēdo. Mūdo militamus, auaricię æstib. anhelādo, honoris altitudiné affectādo. Diabolo militamus, bonorū ꝑfectib. inuidēdo, & contra Deum superbiæ spiritu intumescēdo. Deo militamus, pietatis operib. humiliter insistēdo, potestates aërias uirtute spiritus oppugnādo. Habēt & singuli principes isti donatiua sua ꝓpria. Caro suis tyronib. elargitur momentaneā uoluptatē, mūdus transitoriā sublimitatē, diabolus perpetuā captiuitatē, Deus interminabilē fœlicitatē. Hæc sola præponderat. In lib. suo Sentent.

De morbis hominū Bernhardus inquit: Triplici morbo laborat genus humanum. Principio, medio, & fine: id est, natiuitate, uita & morte. Natiuitas immūda, uita peruersa, mors periculosa. Venit Christus, & cōtra triplicem hunc morbum attulit triplex remediū. Natus est enim, uixit, mortuus est: atq; eius natiuitas purgauit nostram, mors illius destruxit nostram, & uita eius instruxit nostram. lib. Sent. suarum.

Vita breuis. Petrus Blesensis: Breuissimus est huius uitæ temporalis cursus, finis autem est horribilis & incertus. Epist. 129.

Vita periculosa Bernhardus: Valde enim difficile est, præsertim diebus istis, quibus malitia nimiū inualuit, inter undas huius mundi, uoraginem uitiorum & criminaliū peccatorum foueas declinare. Serm. de tribus ordinib. Eccles.

Vita præsens fragilis. Bernhardus: Nónne uita præsens fragilis est, & incerta? Simile esse necesse est quicquid fundatur in ipsa. Quis enim super fragile fundamentum,

tum, stabile credat ædificium? Sermone 1 Psal. Qui habitat, &c. Item: Vera omnino sententia, fratres, Quoniã tentatio est uita hominis super terrã. Siquidẽ fallax est, nec simpliciter fallere cõsueuit. Vt enim multipliciter illudat hominibus, mutat faciẽ, mutat uocẽ: modò ait, modò negat, nec erubescit: de ipsa quãtitate sua, diuersis diuersa loquitur, imò & eidẽ diuerso tẽpore contraria quoq; suggerit & aduersa. Modò enim se breuẽ esse causatur, modò simulat longiorẽ. Cũ peccare delectat adhuc, gemit altius pro breuitate sua. Serm. de nimia quadã fallacia præsent. uitæ.

Mortales sumus. Bernhardus: Vera nãq; scientia est, scire nos mortales esse & caducos & fragiles, & in hoc exilio & in hoc ergastulo, in hac peregrinatione, in hac ualle lachrymarũ dolendum & lugendum esse. Cap.3 de donis Spiritus sancti.

De restitutione & reparatione hominis inquit Bernhardus: Necuerò poterat reuestiri, uel ablata sibi recipere uestimenta, nisi Christus amitteret sua. Sicut enim uiuificari in anima, nisi interueniẽte corporali morte Christi, nõ potuit: ita nec reuestiri sine eius despoliatione. Serm.1 de annunc. B. Mariæ. Itẽ: Venit ergo à patre missus Dei filius, & dedit fidẽ: post filiũ missus Spiritus sanctus, & dedit charitatem. Per hæc duo, id est fidem & charitatem, facta est spes redeundi ad patrẽ. Et hæc est trinitas, scilicet fides, spes, charitas, per quam uelut per tridentẽ reduxit de limo profundi ad amissam beatitudinẽ illa incõmutabilis & beata Trinitas mutabilẽ, lapsam & miserã trinitatẽ. Et fides quidẽ illuminauit rationẽ, spes erexit memoriã, charitas uerò purgauit uoluntatẽ. Cum ergo uenit (ut dictũ est) Dei filius, factus est homo qui erat Deus: tanquam medicus bonus dedit præcepta, quibus obseruatis, reformaretur salus amissa. Vt uerò pręceptis faceret fidem, exhibuit signa. Vt eorundem præceptorũ persuaderet utilitatem, promisit beatitudinẽ. Serm.1 Par. serm.

Potho inquit: Domũ in qua primum posuit Deus hominẽ, ut operaretur & custodiret illã, quę nobis in hęreditatẽ delegata erat, nõ iure, sed fraude in primo parẽte nostro amisimus. Sed diuina miseratio, ut diuitias bonitatis suæ in nobis ostenderet, & amissam uitæ hæreditatem mortalib. redderet, ad domũ æternitatis homini redeundi aditum hoc ordine parauit: Homo, qui ad hoc conditus erat, ut lumẽ æternum uideret, ubi ad concupiscendum prohibita oculos carnis aperuit, oculos mentis, quibus cœlestia uidebat, perdidit. Vnde à domo sua, in qua uisione Dei fruebatur, exclusus est. Verùm medica Dei manus, ut curam suam cæco homini adhiberet, congruã ei domum in umbra legis cõstituit, ubi infirmi oculos, quos paulatim curari oportuit, obscuritas literæ legalis foueret, ne lux spiritualis intelligentiæ, quæ sub uelamine literæ tegebatur, subitò ostensa non solùm non reficeret, imò plurimùm sauciaret. Sed ubi uenit plenitudo temporis, proficientibus iam in homine diuinæ gratiæ incrementis, sapientia Dei in carne apparens, ędificauit sibi domum, quæ imagine cœlestis ueritatis resplendens, oculos hominis cœlesti medicina iam sanatos temperata luce respergeret. Ergo de domo illa, in qua umbræ futurorum & exemplari cœlestium sub obscuritate legis seruiuit homo, egressus, in domum sapientiæ, quæ Euangelicæ gratiæ lucem ministrat, receptus est. lib. 2 de Statu domus Dei.

Quomodo imago Dei restauretur, indícat Rupertus: Tria sunt per quæ perducitur homo ad Dei similitudinem, fides, spes & charitas: nam ad imaginem Dei homo creatus est in eo quòd rationalis est. Porrò ad eiusdem creatricis Trinitatis peruenit similitudinem habendo tria hęc, fidem, spem & charitatem. De glorificat. Trinitat. lib.6. cap.67.

Bernhardus inquit: In hoc, inquam, nobilis creatura facta ad imaginem & similitudinem eius qui se fecit, antiqui honoris dignitatem receptare iam iamque & recuperare se indicat, cum sibi indignum ducit huic labenti seculo conformari, reformari magis satagens (iuxta Pauli doctrinam) in nouitate sui sensus in eam similitudinem, in qua se conditam nouit, ac per hoc etiam cogens (ut dignum est) seculum istud quod propter se factum fuit, uersa uice mirum in modum conformari sibi, dum omnia ei cooperari in bonum incipiũt, tanquam in propria & naturali forma, abiecta degeneri specie, recognoscentia Dominum suum, cui ad seruiendum creata fuère. Sermone 21 super Cantica.

De nouo ac renato homine inquit Rupertus: Nouus homo qui renatus est, non cessat loqui de regno Dei, inuocare patrem à quo regeneratus est, annunciare Verbum à quo refectus est, confiteri in Spiritu sancto, quo renouatus est. libro tertio Com. in Iohan. Euang. cap.2. Item: Sancti conditione in terra sunt, quia spiritu eorũ in terreno corpore sunt: sed uita & conuersatione super terram sunt, & super terrena atque corruptibilia membra sua tenent principatum, & nunc quidem quamuis dum corpora mortalia sunt, cum labore & solli-

sollicitudine tegunt illa. In futuro autem in pace & securitate super illa regnabunt. lib.4 Com. in Iohannem, cap.5. Et: Renatus iam alius homo est, iam nouus homo est: iam à uetusto patre recessit, & ad nouũ accessit: alienatus homo est, alterius semen est. lib.3 Com. in Ioh. cap.2. Item: Renatus ille est, qui spiritu mentis suæ renouatus est, qui ueterem hominem cum actibus eius exuit, & induit nouum, qui secundum Deũ creatus est in iusticia & sanctitate ueritatis. Ibidem.

Bernhardus ait: Si dixerit mihi IESVS, Dimittuntur tibi peccata tua: nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam meã: si reinduero eam, quantũ profeci? Si rursus pedes meos, quos laueram, inquinauero, nunquid aliquid lauisse ualebit? Sordés omni genere uitiorũ iacui diu in luto fæcis: sed erit sine dubio recidenti quàm iacenti deterius. Deniq; qui me sanũ fecit, ipsum mihi dixisse recordor: Ecce sanus factus es, uade, iam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Qui autem dedit uoluntatem pœnitendi, opus est ut addat & continendi uirtutem: ne iterem pœnitenda, faciamq; nouissima mea peiora prioribus. Væ enim mihi etiam pœnitẽti, si statim subtraxerit manum, sine quo nihil possum facere. Serm.3 super Cant.

Quæ sanctũ efficiant. Bernhardus: Tria sunt quæ sanctum faciũt hominem, uictus sobrius, actus iustus, sensus pius. Victus sobrius erit, si cõtinenter, si socialiter, si obedienter, id est castè, charitatiuè, humiliter uixerimus. Per continentiam enim castitas, per socialitatem charitas, per obedientiam humilitas acquiritur. Et hæc est uirtus quæ animam perfectè Deo subditam, sub umbra alarum ipsius securè facit uiuere. Actus iustus erit, si fuerit rectus, discretus, fructuosus. Rectus per bonam intentionem, discretus per mensuram possibilitatis, fructuosus per utilitatem proximorũ. Sensus pius erit, si fides nostra Deum sentit summè potentem, summè sapientem, summè bonum: ut per eius potentiam, nostram credamus adiuuari infirmitatem: per eius sapientiam, nostrã credamus corrigi ignorantiam: per eius bonitatem, nostram credamus dilui iniquitatem. Serm.25 Par. serm.

De spiritualibus hominibus inquit Bernhardus: Ergo exemplo illius quæ sursum est mater nostra, hæc quoq; quæ adhuc peregrinatur, habet cœlos suos, homines spirituales, uita & opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluuiam uerbi salutarem, tonant increpationibus, coruscant miraculis, hi enarrant gloriam Dei, hi extenti sicut pelles super omnẽ terram, legem uitæ & disciplinæ, digito quidem Dei scriptam, in semetipsis ostendũt, ad dandam scientiam salutis plebi eius: ostendunt & Euangelium pacis, quoniam Salomonis sunt pelles. Serm.27 super Cát. Item: Gustato Spiritu, necesse est desipere carnem. Affectanti cœlestia, terrena non sapiunt. Aeternis inhianti, fastidio sunt transitoria. Epist.112.

Bernhardus: Est autem triplex uetustas, & econtrariò triplex nouitas. Est enim uetustas in corde, in ore, in corpore: in quibus tribus modis peccauimus, cogitatione, locutione & opere. In corde sunt desideria carnalia & secularia, id est, amor carnis, & amor seculi. Similiter in ore est gemina uetustas, arrogantia & derogatio. Itẽ gemina in corpore, flagitia & facinora. Hæc omnia sunt imago ueteris hominis, & hæc omnia renouanda sunt in nobis. Si non esset uetustas in corde, non diceret Apostolus: Renouamini spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominem, qui secũdum Deum creatus est in iusticia & sanctitate ueritatis. Item si non esset uetustas in ore, non diceret Scriptura: Recedant uetera de ore uestro. Et Apostolus dicit: Omnis sermo malus non procedat de ore uestro, sed qui bonus est, ad ædificationẽ fidei, ut det gratiam audientibus. Sed & de uetustate corporis mẽtionem facit, cum dicit: Sicut exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem. De cuius renouatione etiam subiungit: Ita nunc exhibete membra uestra seruire iusticiæ in sanctificationem. Renouetur ergo cor nostrũ à carnalibus & secularibus desiderijs, ut exclusis illis, introducatur amor Dei, & amor patriæ cœlestis. Recedant ab ore nostro arrogantia & derogatio, & succedant pro his uera peccatorum nostrorum confessio, & bona de proximis æstimatio. Pro flagitijs & facinoribus, quæ uetustas est corporis, assumatur continentia & innocentia, ut scilicet contrarijs uirtutibus contraria uitia depellantur. Hanc supradictam renouationem facit Christus habitans in nobis per fidem, sicut ipse ait: Ecce noua facio omnia. Vnde & ad sponsam loquitur in Canticis: Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuũ. Habitans igitur in corde est sapientia, habitans in ore ueritas, habitans in corpore iusticia. Serm.30 Par. serm.

De perfecto inquit Bernhardus: Perfectus omnis reputabitur, in cuius anima tria hæc congruenter & opportunè concurrere uidebuntur, ut & gemere pro se, & exultare in Deo nouerit, simul & proximorum

rum utilitatibus potens sit subuenire, placens Deo, cautus sibi, utilis suis. Serm. 57 super Cantica.

Hic non esse nos perfectos, Potho testatur: In ista namq; laus Dei inchoatur, in illa perficitur. Beati ergo qui in illa domo æternitatis habitant, quia in secula seculorum Deum laudant. In illa enim domo ueritas est, in ista imago ueritatis. In ueritate laus Dei perfecta est, in imagine imperfecta. lib. 3 de Stat. dom. Dei.

De cognitione hominis Lombardus ait: Et quidem secundum animam rationalis homo, habens discretionem boni & mali. Scientiam quoq; rerum creatarũ, & cognitionem ueritatis, quæ primæ perfectioni congruebat, mox conditus non incõgruè accepisse putatur, & ad illam nõ studio uel disciplina aliqua per interualla tẽporis profecisse, sed ab exordio suæ cõditionis diuinitùs illam percepisse. lib. 2. dist. 23. Itẽ: Fuit homo primus ante lapsum triplici cognitione prẹditus, rerũ scilicet propter se factarum, & creatoris, & sui. Rerum quippe cognitionem hominem accepisse perspicuũ est, cum non ipse creator uel angelus aliquis, sed homo omnibus animantibus nomina imposuerit: ut ostenderetur, quòd singulorum noticiã homo in se habuerit. Quẹ enim propter illũ creata erant, & ab illo regenda & disponenda erant, horum omniũ Deus illi & scientiam tribuit, & prouidentiam atq; curam reliquit: quia, ut ait Apostolus, non est cura Deo de bobus. Quorũ aliorumq; animaliũ Deus homini curã reliquit & prouidẽtiam, ut dominationi eius subijcerentur, & ratione illius gubernarẽtur: ut sciret illis necessaria prouidere, à quibus emolumentum debebat recipere. Hanc aũt scientiam homo peccando non perdidit, sicut nec illam qua carnis necessaria prouidẽtur. Et idcirco in Scriptura homo de huiusmodi non eruditur, sed de scientia animæ, quàm peccando amisit. Ibidem: Et: Cognitionẽ quoq; creatoris primus homo habuisse creditur. Cognouit enim à quo creatus fuerat: non eo modo cognoscendi, quo ex auditu solo percipitur, quo modo à credentibus absens quæritur: sed quadã interiore aspiratione, qua Dei præsentiam contemplabatur: non tamen ita excellenter, sicut post hanc uitã sancti uisuri sunt, neq; ita in ẹnigmate qualiter in hac uita uidemus. Ibidẽ. Et: Porrò sui cognitionẽ idẽ homo talẽ accepisse uidetur, ut & quid deberet superiori, & quid æquali & inferiori, non ignoraret. Conditionẽ quoq; suã & ordinẽ, scilicet qualis factus esset, & qualiter incedere deberet, quid agere, quid cauere, intellexit. Si horũ noticiam non habuisset, non esset reus præuaricationis, neq; seipsum cognouisset. Ibidem.

De fine hominis inquit Bernhardus: Tribulatio tria confert. Exercitium, ne uirtus amoris ocij tempore frigescat. Probationẽ, ut nostræ constantiæ fortitudo ad exemplum hominibus innotescat. Præmium, ut iuxta tribulationis modũ immensum gloriæ pondus accipiat. In lib. Sententiarum.

Lombardus ait: Et sicut factus est homo propter Deum, id est, ut ei seruiret: ita mundus factus est propter hominẽ, scilicet ut ei seruiret. Positus est ergo homo in medio, & ut ei seruiretur, & ipse seruiret, ut acciperet utrumq;, & reflueret totum ad bonũ hominis, & quod accepit obsequiũ, & quod impẽdit. Ita enim uoluit Deus sibi ab homine seruiri, ut ea seruitute non Deus, sed homo seruiens iuuaretur: & uoluit ut mũdus seruiret homini, & exinde similiter iuuaretur homo. Totũ ergo bonum hominis erat, & quod factum est propter ipsum, & propter quod ipse factus est. Itẽm: Et si quẹritur, ad quid creata sit rationalis creatura? Respondetur, ad laudandum Deum, ad seruiendũ ei, ad fruendum eo: in quibus proficit ipsa, non Deus. Deus enim perfectus & summa bonitate plenus, nec augeri pòtest, nec minui. Quòd ergo rationalis creatura facta est à Deo, referendum est ad creatoris bonitatem, ad creaturæ utilitatem. lib. 2. dist. 1.

Richardus inquit: Primò spiritualis creatura creatur, ut sit: secundò uiuificatur, ut bona sit. Per creationem itaq; ad bonũ initiatur, per iustificationẽ in bono dilatatur, per glorificationem in bono cõsummatur. Bona creationis sunt ad inchoationem, bona iustificationis sunt ad promotionẽ, bona glorificationis sunt ad consummationẽ. Prima bona sunt creatoris dona, secunda bona sunt creatoris dona & creaturæ merita, tertia bona sunt creatoris dona & creaturẹ prẹmia, consummatio donorũ & retributio meritorum. Li. 2 de Cõtemplat. ca. 11.

Omnia propter homines. Bernhardus: Nec minus liberaliter hoc, quàm illud mirabiliter est operatus. Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quid uerò postea? Et præsit piscibus maris, & bestijs terræ, &c. Nã & cœlestia sese elemẽta in usus creasse tuos, antè docuerat. Nempe facta memorantur, ut essent in signa, & tempora, & dies, & annos. Cui putas? Nulli utiq;, nisi tibi. Cæteræ siquidem omnes creaturæ aut in nullo egent his omnibus, aut non intelligũt ea. Quàm copiosus in secũdo hoc beneficio, quàm liberalissimus fuit? Quanta igitur largitus est ad sustentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ex hoc

iam ad correptionem, quanta etiam ad delectationem? Verùm hæc duo gratis, & dupliciter gratis fecit. Quid dico dupliciter gratis? Sine merito tuo, sine labore suo. Nempe dixit, & facta sunt. Serm.14 de 12 & 13 uersu Psal. Qui habitat, &c. Itē: Itaq; fecit te Deus tuus, fecit tam multa propter te, facit propter te & semetipsum. Verbū caro factū est, & habitauit in nobis. Quid adhuc restat? Factus est ipse tecum caro una, te quoq; faciet secum spiritum unum. Ibidē.

De sapientia carnis ait Bernhardus: Dicitur enim sapientia carnis, quæ inimica est Deo: & sapientia huius mūdi, quæ stulticia est apud Deum: utraq; ista, secundum Iacobū apostolū, terrena est, animalis, diabolica. Secundum hanc sapientiā dicuntur sapientes, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt: & in ipsa sua sapientia arguuntur & perduntur, sicut scriptum est: Comprehēdam sapientes in astutia eorū, & perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Et utiq; talibus sapientibus mihi uidetur dignè & competēter dictū Salomonis aptari, quo ait: Est malicia quam uidi sub sole, uirum qui uidetur apud se sapiens esse. Nulla talis sapientia, siue carnis, siue mundi ædificat, imò destruit quamcunq; domum inhabitat. Est ergo alia sapiētia quę desursum est: primùm quidē pudica, deinde pacifica. Hic est Christus Dei uirtus, & Dei sapientia, de quo Apostolus: Qui factus est, inquit, nobis sapientia à Deo, & iusticia, & sanctificatio, & redēptio. Hæc itaq; sapientia quæ Dei erat, & Deus erat, de sinu patris ad nos ueniens, ædificauit sibi domum. Serm.6 Paruor. serm.

Quę homo cogitare debeat. Mechtildis: Homo quotidie debet tria meditari. Primò debet cogitare in gratiarum actione, quanta bona ei Deus fecit in creatione & redēptione. Secundò quanta beneficia Deus homini exhibuit de hora natiuitatis suę usq; ad præsens tempus. Tertiò quāta Deus daturus sit homini in cœlo æternaliter. lib.3. cap.4.

Superna quærēda. Bernhardus: Vult nos Deus etiam obliuisci posteriora, despicere inferiora, terrenos mores & uitia genuina deserere, cœlestia sapere, superna quærere, anteriorib. inhiare. Serm. in festo S.Mart.

Quid in terris homini quærendū. Bernhardus: Quia enim tentatio est uita hominis super terrā, meritò in terra homini non gloria, sed pax est quęrenda, pax cum Deo, pax cum proximo, pax cum seipso. Serm.5 in festo omnium Sanctor.

De suauitate uitæ ait Eckbertus: Vitæ suauitas animos eneruat, rationem obnubilat, intellectū obtundit, sciētiam expellit, amat ocia, fastidit honesta studia. Ex hac igitur uirtutes marcescere, uitia succrescere quis dubitet? Cōtraria facit uitæ austeritas. In epist. ad Adamum magist. suum. Itē: Felicitas mundi habet iucunda principia, sed amarissimi sunt exitus eius. Præstat diuitias, præstat honores & fomēta uoluptatis. Et hęc quid sunt nisi poculum aureum in manu meretricis magnæ? Nō'ne etenim ab isto poculo bibunt omnes gentes auariciam, superbiam & luxuriam, & fontes uniuersę iniquitatis? Bibūt & cōmouentur, & mortifero sopore oppressi obliuiscūtur Domini creatoris sui. Quòd si dixerit tibi, Bibe tu quoq;, & cōsopire quęso te: ne audias illā. In epist. ad Reinoldū electū Coloniens.

Bono exemplo esse. Bernhardus: Tribus siquidem modis prouidemus bona coram hominibus, id est habitu, actione & sermone. Habitu, ne sit notabilis: actione, ne sit reprehensibilis: sermone, ne sit contemptibilis. Tribus etiam modis coram Deo, cogitatione, affectione & intentione. Nā & cogitatio debet esse sancta. Vnde scriptū est: Cogitatio sancta seruabit te, & affectio pura, & intentio recta. Sunt autem tria ista, id est cogitatio, affectio, intētio, in anima. Sed in ea quoq; proprijs singula locis distincta uidentur: nam cogitatio in memoria est, affectio in uoluntate, intentio in ratione consistit. Serm. de triplici iudicio.

De bona uita inquit Bernhardus: Bonam uitam ego puto, & mala pati, & bona facere, & sic perseuerare usq; ad mortem. Dicitur uulgò, quia qui bene se pascit, bene uiuit: sed mentita est iniquitas sibi, quia non bene uiuit, nisi qui bonum facit. Serm.1 in die sanctor. Pet. & Pauli.

Nemo repentè summus. Bernhardus: Sicut nemo repētè fit summus, sed gradatim quisq; ascendit: sic nemo repentè fit pessimus, sed paulatim descendit. De Gradibus humilitatis.

Amici mundi. Bernhardus: Quisquis uerò amicus uoluerit esse huius mūdi, inimicus Dei cōstituetur. Serm. de diligēdo Deo.

In sanctis quę proponātur. Bernhardus: Diligenter ergo considera quæ apponuntur tibi, quæ'nam uidelicet ad admirationem, quę uerò ad imitationem. Serm. in festo S.Martini.

DE ANIMA.

De anima inquit Petrus Alphonsus: Spiritus corporalis, corpus quidem leuissimū est & subtilissimum, quod in hominis corpore ex quatuor elementorum fit coniunctione, & ex eo loco in omnes spargitur uenas, ipsiq; corpori tribuit uitam & halitum, & arterijs assiduum pulsum, & naturalem hominis motum, hoc cū corpore quod uiuificat,

uiſicat,ſimul eorum rūpitur. Eſt autem rationalis anima ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, incorporea, uoluntario motu mouere faciens corpus, ipſa tamen immobilis permanens, corpore quoq; cui inhæret corrupto, incorruptibilis exiſtens, generi etiã adiuncta ſpeciem hominis ipſa perficiens. Tit. 3.

Bernhardus: Vita anima eſt uiuens quidem, ſed non aliunde quàm ſeipſa: ac per hoc non tam uiuens, quàm uita, ut propriè de ea loquamur. Inde eſt quòd infuſa corpori uiuificat illud, ut ſit corpus de uitę pręſentia non uita, ſed uiuens. Vnde liquet, ne uiuo quidem corpori id uiuere eſſe quod eſſe, cũ eſſe & minimè uiuere poſsit. Multò minus quæ uitæ expertia ſunt, ad hũc gradum aſſurgent. Sed nec omne quod uita dicitur uel eſt, continuò ualebit pertingere huc. Eſt pecorum, eſt & arborum uita: ſenſu altera uigens, altera carens. At neutri tamẽ idem eſſe quod uiuere eſt, cum (ut quidem multorum opinio eſt) antè in elemẽtis, quàm uel illa in membris, uel iſta in ramis extiterint. At ſecundum hoc, cum deſinunt uiuificare, ſimul uiuere ceſſant, ſed nõ & eſſe. Soluuntur pariter & diſſoluuntur, tanquam non alligatę tantùm, ſed & colligatæ. Neq; enim unum ſimplex eſt quęq; harum, ſed ex pluribus conſtans: & proptérea non redigitur in nihilum, ſed diſsilit in partes, ut & ad ſuum quodq; recurrat principium: uerbi cauſa, aër ad aërem, ignis ad ignem, & reliqua in hunc modum. Nequaquã igitur tali uitæ idem eſſe & uiuere eſt, quæ eſt [illegible] quando non uiuit. Porrò nihil horum quibus non hoc eſſe quod uiuere ſit, ad bene beateq; uiuendum quandoque proficiet uel emerget, quippe quod neque ad hunc inferiorẽ gradum potuit peruenire. Sola quæ in ipſo ſtare cognoſcitur anima hominis, in eo dignitatis creata eſt uita à uita, ſimplex à ſimplici, immortalis ab immortali, ut non ſit longè à ſummo gradu, ubi ſcilicet id eſſe quod beatè uiuere eſt, in quo ſolus ſtat beatus, & ſolus potens rex regum, & Dominus dominantium. Accepit itaq; in ſui conditione anima, etſi non eſſe, poſſe tamẽ eſſe beata: ſummo proinde gradui quantum licet appropians, nõ pertingens tamen. Neque enim uel ipſi (ut ſuprà diximus) hoc erit aliquãdo eſſe quod beatam eſſe, nec quando beata erit. Fatemur ſimilitudinem, æqualitatẽ renuimus. Verbi cauſa, uita Deus, uita & anima eſt: ſimilis quidẽ, ſed diſpar. Porrò ſimilis quòd uita, quòd ſeipſa uiuens, quòd non tantùm uiuens, ſed & uiuificans: ſicut & ille hæc omnia eſt. Diſpar uerò, quantum à creante creata. Diſpar, quòd ut niſi creata ab illo, non eſſet: ſic niſi ab ipſo uiuificata, non uiueret. Non uiueret dico, ſed ſpirituali uita, non naturali. Nam naturali quidem etiam quæ non ſpiritualiter uiuit, immortaliter uiuat neceſſe eſt. At qualis uita, in qua ſatius foret non naſci, quàm non ab ea mori? Mors potius eſt, & ideo grauior, quia peccati, non naturæ. Denique mors peccatorum peſsima. Ita ergo quæ ſecundum carnem uiuit anima, uiuens mortua eſt: quippe cui bonum erat omnino non uiuere, quàm ſic uiuere. A' qua nimirum uitali quadam morte minimè unquam reſurget, niſi per uerbum uitæ, imò per uerbum uitam, uiuentem utique & uiuificantem. Aliàs autem immortalis eſt anima, & in hoc nihilominus uerbo ſimilis quidem, ſed non æqualis. Serm. 81 ſuper Cantica. Item: Conſtat, immortalem animam eſſe, nec aliquando abſq; ſua memoria uiuere, ne non animam aliquando eſſe contingat. Itaque durante anima, durat & memoria. De Conſiderat. lib. 5.

Lombardus ait: Sicut hominis formatio ſecundum corpus deſcribitur, cum dicitur, Formauit Deus hominem de limo terræ: ita eiuſdem ſecundum animam factura deſcribitur, cum ſubditur, Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum uitæ. Corpus enim de limo terræ formauit Deus, cui animam inſpirauit, uel ſecundum aliam literam, flauit, uel ſufflauit: non quòd faucibus ſufflauerit, uel manibus corporeis corpus formauerit. Spiritus enim Deus eſt, nec lineamentis membrorum compoſitus. Non ergo carnaliter putemus, Deum corporeis manib. formaſſe corpus, uel faucibus inſpiraſſe animam: ſed potius hominem de limo terræ ſecundum corpus formauit iubendo, uolendo, id eſt, uoluit & uerbo ſuo iuſsit ut ita fieret: & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum uitæ, id eſt, ſubſtantiam animæ, in qua uiueret, creauit, nõ de materia aliqua corporali, uel ſpirituali, ſed de nihilo. Libro ſecundo, diſtinct. decimaſeptima. Item: Putauerunt quidam hæretici, Deum de ſua ſubſtantia animam creaſſe, uerbis Scripturæ pertinaciter inhærentes, quibus dicitur, Inſpirauit, uel ſufflauit, &c. Cum flat, inquiunt, uel ſpirat homo, de ſe flatum emittit. Sic ergo cum dicitur Deus flaſſe uel ſpiraſſe ſpiraculum in faciem hominis, ex ſe ſpiritum hominis emiſiſſe intelligitur, id eſt, de ſua ſubſtãtia. Qui hoc dicunt, non capiunt tropica locutione dictum eſſe, ſufflauit uel flauit, id eſt, flatum hominis, ſcilicet animam fecit. Flare enim eſt flatum facere, & flatum facere eſt animam facere. unde Dominus per Eſaiam: Omnem flatum ego feci. Non ſunt ergo audiendi qui dicunt, animam eſſe par-

tem Dei. Si enim hoc esset, nec à se nec ab alio decipi posset, nec ad malum faciẽdum uel patiendum compelli, nec in melius uel deterius mutari. Flatus ergo, quo hominẽ animauit, factus est à Deo, non de Deo: nec de aliqua materia, sed de nihilo. Ibidẽ. Itẽ: Sed utrum in corpore, uel extra corpus, etiam inter doctos scrupulosa quęstio est. August. enim super Genes. tradit, animam cũ angelis sine corpore fuisse creatam, postea uerò ad corpus accessisse: neque compulsa est incorporari, sed naturaliter id uoluit: id est, sic creata fuit, ut uellet. Sicut naturaliter est nobis uelle uiuere: malè autem uelle uiuere, non naturæ, sed uoluntatis est peruersæ. Alij uerò dicunt, animam primi hominis in corpore fuisse creatam: ita exponentes uerba illa, Inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ: id est, animam in corpore creauit, quæ totum corpus animaret: faciem tamen specialiter expressit, quia hæc pars sensibus ornata est ad intuenda superiora. Sed quicquid de anima primi hominis æstimetur, de alijs certissimè sentiendum est, quòd in corpore creentur. Creando enim infundit Deus eas, & infundendo creat. Ibidem.

Hugo Eterianus ait: Nam neque Dei, neque rationalis animæ substantiam quisquam hominum nouit à mundi origine, quæ cùm unica sit, constitutiua & gubernatrix est quadrifidæ naturæ corporis, & hoc ad imaginem Dei, qui gubernat hanc uniuersam quadrifidam & quadriterminã creaturam, & illam similiter quæ sursum est. Et quemadmodum Dei locum nescimus ubi habitet, sed tantùm credimus quoniam ubiq; est: sic & animæ locum ignoramus, sed tantùm scimus quia in toto corpore est & operatur. Amplius autem & in hoc ad Dei similitudinem anima rationalis existit. Nam sicut Deus non est aliquid eorum quæ sunt, sed ab hominibus diuersus: ita rationalis anima diuersa est ab omni creatura. Adhæc autem, quod mirabilius est, & in hoc alio ad similitudinem Dei existit, quia neq; substantiæ Dei rationem humana mens ualet comprehendere, neq; animæ hominis essentiam ualet inuenire, unde & quomodo ad esse prouenerit. Quapropter qui hanc comprehendere arbitrati sunt, à cæca caliginis uoragine absorpti, à ueritate recesserũt. In li. de Regressu anim. ab inferis, ca. 2. Et: Sed utrũ corporea substantia sit anima, seu incorporea, breuiter discutiendum est. Non defuerunt philosophi, qui animam esse corpus assererent. Nã Stoici spiritum calidum & feruentẽ, animã esse affirmabant. Critias uerò sanguinẽ, Democritus ignem, & alij plures similia complasmabant, dicentes, quia non per corpus tantùm similes parentib. existimus, sed & per animã, ueluti cõsuetudine, passionibus, affectionibus, quæ spectãt ad naturam corporis. Quorũ opiniones Amonius, Plotinus, Mimmius, argumẽtis & rationibus improbant: Omne, inquiunt, animatũ corpus natura cõuertibile, ac dissipabile prorsus, & in infinitum diuisibile est. Omne autem tale corpus, quantumcunq; tenue, diuisionem non effugiens, cõtinente ac gubernante opus habet, ut statum quem accepit, huiuscemodi non tabescat: ex quibus colligunt, indiuiduum esse atq; incorporeum, quod animatum corpus continet. Rursus, omne corpus compositum aut intrinsecus mouetur, aut extrinsecus. Sed quod intrinsecus mouetur, animatũ est: quod uerò extrinsecus, inanimatum. Horum autem neutrum de anima potest prædicari. Nam neque animata est anima, neque inanimata. Item, omne animatum corpus corporeo alimento indiget: sed anima nutrimenti nõ indiget corporei: quare anima nullo modo suscipit rationem corporis animati. In quo manifestè ostenditur, falsa esse illorum sententia, qui ex traduce animam esse putauerunt, cum à generatione sit aliena. Ibidem. Item: Vis scire quoniam anima hominis spiritus est rationalis & immortalis, audi quid dicat Moyses ille Dei amicus: Formauit, inquit, Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ, & factus est homo in animam uiuentem. Nullo tamen modo credendum est, huiusmodi flatum aliquod fluentum spiritus factum ex ore Dei. Nam diuinum incorporeum cum sit, simplex est, & sine omni compositione. Sed ita esse animam ex Deo, ut res quam condidit & creauit. Nihil enim aliud est Dei sufflare, quàm animam facere. Cui sententiæ accedit quod dicit Esaias: Spiritus enim à me prodit, & flatum omnem ego feci. Ibidem. Et: Vtique humanum genus ex uno iugo uoluit producere, ut nullus differentes hominum esse naturas auderet existimare. Ibidem. Item: Quomodo uerò anima corpori cohabitet, qui potest explicare, Deorum spiritum habere credendus est. Quæ aliquid constituunt ut unum fiant, non permanent quod prius fuerant: sicut uidemus in complexionibus elementorum ad inuicem. At anima iungitur corpori, in eo perseuerans sine confusione, & absque corruptione in partem migrat animantis. Quid ergo dicendum? Non est certè anima in corpore, ut turba in foro. Neque adiacet corpori, ut calculo adhæret calculus. Neque miscetur corpori, ut aqua temeto.

Quippe

Quippe in istis tum actu; tum intellectu præter corruptionem fieri potest separatio: sed illa nequeunt ab inuicem separari, sine alterius miseranda corruptione. Cum igitur nequaquàm unita, neque contigua, neque commixta sit, quæ est ratio ut animal lumen dicatur? cap.6.

Hildegardis ait: Anima hominis nunquam deficit, quia in æternum uiuet, quoniam rationalis est. Vnde etiam homo sentit in consideratione boni & mali, quòd ipse opus sit reprobum uel electum, per gratiam Dei formatus, & inspiratus rationali sensu in ortu creationis suæ. libro 3. uisione secunda.

Animam inferi. Bernhardus: Non ex deliberatione propria carni miscetur, sed creando immittitur, immittendo creatur. Ser. 1 in Natali Dom.

Hugo Eterianus ait: Alij cœlitùs missas corporibus infundi affirmauerunt, alij ex traduce, alij ex coitu masculino & fœminino gigni, ueluti ex ferro & lapide ad inuicem concussis fauilla excutitur. Et alij quidem angelis substantialem autumauerunt. capite secundo de Regres. animæ ab inferis. Item: Omne utique quod per generationem ad esse peruenit, est corruptibile. Anima uerò humana incorruptibilis est & immortalis, ergo non est ex traduce. Ibidem. Item: Igitur quamplurimi fuerunt, qui animam sicut corpus per decisionem ex traduce fieri multis allegationibus firmarent, & Pauli testimonium in medium producunt, ut suas sisterent opiniones. Audis, inquiunt, Paulum dicentem: Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: ita & in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Et iterum: Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam iusti constituuntur multi. Inquiunt igitur: Si secundum solam carnem potest intelligi peccatum uel peccator, non cogimur his uerbis ex parentibus animam credere. Si autem quamuis per illecebras carnis, tamen non peccat nisi anima, quomodo accipiendum est quod dictum est, In quo omnes peccauerunt? Quomodo per illius inobedientiam peccatores constituti sunt, si tantùm secundum carnem in illo, non etiam secundum animam fuerunt? Cauendum est enim, ne uel Deus uideatur esse autor peccati, si dat animam carni, in qua eam peccare necesse sit: uel possit esse anima præter ipsius Christi gratiam, cui liberandæ à peccato non sit Christi gratia necessaria, quia non peccauit in Adam. At uerò si secundum carnem tantùm, & non secundum animam peccauimus in Adam, carnis tantùm uinculum, non etiam animæ, in baptismo soluitur puerorum. Quòd si tantùm per hoc sacramentum corpori eorum consulitur, non etiam animæ, debent & mortui baptizari. Sed hæc Ecclesia execratur, tantùm id ministrans uiuentibus. Restat igitur, unumquemq; paruulum & secundum corpus, & secundum animam existentiam habere de primo parente Adam: obque id Christi gratiam omnibus esse necessariam. Ætas quippe illa in seipsa nihil egit uel boni uel mali: proinde ibi anima innocentissima est, si ex Adam propagata non est. Vnde quomodo possit inde ire in condemnationem, si de corpore absque baptismo exierit? Scriptum est: Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem? Sed caro sine anima nihil uidetur posse concupiscere: ac per hoc ipsius concupiscentiæ carnalis causa non est in anima sola, sed multo minus in carne sola. Ex utroque enim fit: ex anima scilicet, quia sine illa delectatio nulla sentitur: ex carne autem, quia sine carne carnalis delectatio non perficitur. Caro igitur concupiscens & spiritus, delectatio carnalis est proculdubiò, quam de carne & contra carnem spiritus habet aduersus delectationem, quam solus habet. Solus quippe habere uidetur illud desiderium non carnis uoluptate, uel carnalium rerum cupiditate commixtum, quo desiderat & deficit anima in atria Domini. Solus enim habet illud de quo dicitur: Concupisti sapientiam, serua mandata, & Dominus præbebit illam tibi. Hanc quidem obiectionem responsio quæ subiungitur, interimit. Vitium quidem, corruptio & languor ante animæ coniunctionem in carne persistunt, ex qua tabe anima maculatur. Quemadmodum, si testa odore malo imbuta sit, quemcunque liquorem susceperit, sua corruptione inficit. Nam etsi ante animæ infusionem non sit in carne culpa, eo quòd ratione caret: locum tamen mortalitatis cum possibilitate obtinet. Ideoq; peccatum in carne habere dicitur. Ibidem cap.4.

Iohannes Salisberiensis inquit: Hominem uerò constare ex anima rationali & carne corruptibili, antiqui sapientes diffinierunt. Caro siquidem uiuit ab anima, cum aliunde corpori uita esse non possit, quod semper inertiæ suæ tempore quiescit, nisi spiritualis naturæ beneficio moueatur. Hæc autem habet & ipsa uitam suam: Deus etenim uita animæ est. Quam sententiam modernorum quidam graui-

uiter quidem & uerè, licet metrica leuitate, complexus est, Vita animæ Deus est, hæc corporis. Hac fugiente, soluitur hoc: perit hæc, destituente Deo. Sicut ergo corpori uiuere est uegetari, moueri ab anima, & dispositione sui motibus animæ acquiescere, & ei quadam necessitate obediendi concordare: sic & anima ex eo uiuit quòd suo modo uegetatur, & uerè mouetur à Deo, & ei subiecta deuotione obtemperat, & in omnibus acquiescit: si quo minus, & eo minus uiuit. Nam & corpus qua parte sui non mouetur ab anima, iam in ea torporem mortis incurrit. Libro tertio, capite primo Policrat. de Curialium nugis.

De statu animæ ait Bernhardus: Tres sunt status animæ, in corpore, posito corpore, recepto corpore. Primus datus est ei ad agendam pœnitentiam, reliqui duo ad habendam requiem uel pœnam, scilicet prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum. In libro Sentent. Item: Nam etsi anima minimè, cum sit spiritus, quantitatem corpoream recipit: tamen confert illi gratia, quod negatum est à natura. Crescit quidem & extenditur, sed spiritualiter. Crescit non in substantia, sed in uirtute. Crescit & in gloria. Crescit etiam in templum sanctum in Domino. Crescit denique atque proficit in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ergo quantitas cuiusque animæ æstimetur de mensura charitatis quam habet: ut uerbi gratia, quæ multum habet charitatis, magna sit: quæ parum, parua: quæ uerò nihil, nihil: dicente Paulo, Si charitatem non habuero, nihil sum. Serm. 27 super Cantica.

DE LIBERO *arbitrio.*

Honorius sic definit liberum arbitrium: Est liberum arbitrium libertas bonum uel malum eligendi. de Prædest. & libero arbitrio. Item: Liberum arbitrium est tantummodo libertas bonum uel malum eligendi, quod ad angelos & homines pertinet. Possibilitas autem bonum faciendi, ad Dei solius donum attinet. Ibidem.

Lombardus inquit: Liberum uerò arbitrium est facultas rationis & uoluntatis, qua bonum eligitur gratia assistente, uel malum eadem desistente. Et dicitur liberum, quantum ad uoluntatem, quæ ad utrumlibet flecti potest. Arbitriũ uerò, quantum ad rationem, cuius est facultas uel potentia illa, cuius etiam est discernere inter bonum & malum: & aliquando quidem discretionem habens boni & mali, quod malum est eligit: aliquando uerò quod bonum est. Sed quod bonum est, nisi gratia adiuta, non eligit: malum uerò per se eligit. Est enim in anima rationali uoluntas naturalis, qua naturaliter uult bonum, licet tenuiter & exiliter, nisi gratia iuuet: quæ adueniens iuuat eam, & erigit ut efficaciter uelit bonum. Per se autem potest uelle malum efficaciter. Illa ergò rationalis animæ potentia, qua bonum uel malum potest uelle, utrumque discernens, liberum arbitrium nuncupatur: quod bruta animalia non habent, quia ratione carent: habent tamen sensum & appetitum sensualiter. libro secundo, distinct. uigesimaquarta.

De diuisione ait Bernhardus: Alterum est ex libertate consilij, id est, uerum sapere: alterum ex libertate complaciti, scilicet plenum posse. Sed quis talis est ac tantus in hominibus, qui in hoc glorietur? Aut ubi, aut quando istud obtinetur? Nunquid in hoc seculo? Sed si quis esset huiusmodi, maior esset Paulo, qui confitetur dicens: Perficere autem non inuenio. Nunquid Adam in paradiso? Sed si habuisset, nunquam exulasset à paradiso. In tractatu de Libero arbitrio.

Lombardus: Est namque libertas triplex, scilicet à necessitate, à peccato, à miseria. A' necessitate & ante peccatum & post æquè liberum est arbitrium. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita nec modò. Ideoque uoluntas meritò apud Deum iudicatur: quæ semper à necessitate libera est, & nunquam cogi potest. Vbi necessitas, ibi non est libertas: ubi non est libertas, nec uoluntas, & ideo nec meritum. Hæc libertas in omnibus est, tam in malis quàm in bonis. Est & alia libertas, à peccato, scilicet de qua dicit Apostolus: Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Et Veritas in Euangelio: Si filius uos liberauerit, uerè liberi eritis. Hæc libertas à seruitute peccati liberat, & seruos iustitiæ facit: sicuti econuersò seruitus peccati liberos iustitiæ facit. Vnde Apostolus: Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. Et item: Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Hanc libertatem peccando homo amisit. Ideoq; August. dicit, quòd homo malè utens libero arbitrio, & se perdidit & ipsum: quia perdita est per peccatum libertas, non à necessitate, sed à peccato. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. li. 2. distinct. 25.

De subiecto. Honorius: Hæc libertatis iura constituuntur in angelica & humana natura. de Prædest. & lib. arbit.

De

De diuersis statibus liberi arbitrij inquit Lombardus: Ex prædictis perspicuum fit, quòd maior fuit libertas arbitrij prima quã secunda, & tertia multò maior quàm secunda uel prima. Prima enim libertas arbitrij fuit, in qua poterat peccare, & non peccare. Vltima uerò erit, in qua poterit nõ peccare, & non poterit peccare. Media uerò, in qua potest peccare, & non potest nõ peccare, ante reparationem etiam mortaliter, post reparationem uerò saltem uenialiter. libro secundo, distinctione uigesimaquinta. Et: Possunt in homine notari quatuor status liberi arbitrij. Ante peccatum enim ad bonum nihil impediebat, ad malum nihil impellebat. Non habuit infirmitatem ad malum, & habuit adiutorium ad bonũ. Tunc sine errore ratio iudicare, & uoluntas sine difficultate bonum appetere poterat. Post peccatum uerò ante reparationem gratiæ premitur à concupiscentia & uincitur, & habet infirmitatem in malo, sed non habet gratiam in bono: & ideo potest peccare, & non potest non peccare, etiam damnabiliter. Post reparationem uerò ante confirmationem premitur à concupiscentia, sed non uincitur: & habet quidem infirmitatem in malo, sed gratiam in bono, ut possit peccare propter libertatem & infirmitatem, & possit non peccare ad mortem propter libertatem & gratiam adiuuãtem: nondum tamen habet posse omnino non peccare, uel non posse peccare, propter infirmitatem nondum perfectè absorptam, & propter gratiam nondum plenè consummatam. Post confirmationem uerò, infirmitate penitùs consumpta, & gratia consummata, nec uinci poterit, nec premi: & tunc habebit non posse peccare, libro secundo, distinct. 25.

De libertate arbitrij inquit Bernhardus: Arbitrij libertas hæc est, planè diuinum quiddam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum quidem & malum, nec non inter uitam & mortem, sed & nihilominus inter lucem & tenebras, & cognitio iudicij & optio eligendi: & si qua sunt alia quæ similiter circa animi habitum sese e regionè respicere uideãtur, nihilominus inter ipsa censorius quidam arbiter is animæ oculus dijudicat & discernit, sicut arbiter in discernendo, ita in eligendo liber. Vnde & liberum nominatur arbitrium, quòd liceat uersari in his pro arbitrio uoluntatis. Inde homo ad promerendum potis. Omne etenim quod feceris bonum malum'ue, quod quidem non facere liberum sit, meritò ad meritum reputatur. Et ut meritò laudatur, non is tantùm qui potuit facere mala & non fecit, sed & qui potuit non facere bona & fecit: ita malo nõ caret meritò tam is qui potuit non facere mala & fecit, quàm qui potuit facere bona & non fecit. Vbi autem nõ est libertas, nec meritum. Propterea quæ sunt carentia ratione animalia, nihil merẽtur: quia sicut deliberatione, ita & libertate carent. Sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim iudicium habent, quo se dijudicent siue regant: sed ne instrumentum quidem iudicij, id est rationem. Inde est quòd non iudicãtur, quia non iudicant. Quãnam quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non accẽperunt? Hanc uim à natura solus homo nõ patitur, & ideo solus inter animãtia liber. Sermon. 81 super Cant. Et: Is ergo talis consensus ob uolũtatis inamissibilem libertatem, & rationis, quod semper secum portat & ubiq; indeclinabile iudicium, non incõgruè dicitur, ut arbitror, liberum arbitrium: ipse liber sui propter uolũtatem, ipse iudex sui propter rationem. Et meritò libertatem comitatur iudicium: quoniam quidem quod liberũ sui est, profectò ubi peccat, ibi se iudicat. Est autem iudicium, quia iustè profectò, si peccat, patitur quod nolit, qui non peccat nisi uelit. Cæterùm quod sui liberum non esse cognoscitur, quo pacto uel bonum ei, uel malum imputatur? Excusat nẽpe utrunque necessitas. Porrò ubi necessitas, ibi libertas non est: ubi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec iudicium. Excepto sanè per omnia originali peccato, quod aliam constat habere rationem. De cætero quicquid hanc non habet uoluntarij consensus libertatem, proculdubio & merito caret & iudicio. de Libero arbitrio.

Richardus inquit: Caput toti corpori supereminet, & liberũ arbitrium omni actioni præsidet, imò & appetitui: quia etiam cũ malè egeris, cum iam foribus peccatum adfuerit, subter te tamen erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Quid est Erit subter te, nisi sub arbitrio tuo, eo quòd quiuis appetitus in actum non prodeat sine nutu spontaneo & consensu uoluntario. De Statu hom. interior. capite secundo & tertio. Item: Non autem arbitrium hominis idcirco liberum esse dicimus, quia promptũ habeat bonum uel malum facere, sed quia liberum habet bono uel malo non consentire. Posse quidem facere malum, est infirmitatis: posse facere bonum, est potestatis: neutrum autem libertatis. Libertatis uerò est, quòd consensus eius extorqueri uel cohiberi non potest. Potest enim cõsentire uel non consentire aspirationi diuinæ, similiter & suggestioni diabolicæ. Vtrũq; qui-

dem ex libertate, neutrum oportet autem ex necessitate. Ibidem cap. 13.

In Deo liberum arbitrium. Lombardus: Sed aliter accipitur liberum arbitrium in creatore quàm in creaturis. Dei enim liberum arbitrium dicitur eius sapientissima & omnipotens uoluntas, quæ non necessitate, sed libera uoluntate omnia facit prout uult. Ideoque Hieronymus attendens, non ita esse liberum arbitrium in Deo, sicut est in creaturis, ab ipso uidetur liberum arbitrium excludere, in homilia quadam de filio prodigo dicens: Solus Deus est in quē peccatum non cadit, nec cadere potest. Cætera cum sint liberi arbitrij, in utramq; partem flecti possunt. Dum ait Cætera, indicat liberum arbitrium sicut est in creaturis, non ita esse in Deo. libro secundo, distinct. uigesimaquinta.

In angelis liberum arbitrium. Honorius: Sed ipse malum elegit, & bonum respuit. Decor enim bonus est, quem habitū deseruit: deformitas mala, quam eligendo incidit. de Lib. arbit.

Lombardus: Angeli uerò & sancti, qui iam cum Domino feliciter uiuunt, atque ita gratia beatitudinis confirmati sunt, ut ad malum flecti nec uelint nec possint, libero arbitrio non carent. libro secundo, distinctione 25.

De Adam. Bernhardus: Nunc locus est peruidendi quod suprà distulimus, utrum scilicet totas tres libertates illas quas suprà diximus, id est, arbitrij, consilij, complaciti: uel alijs nominibus, à necessitate, à peccato, à miseria, primi homines habuerint in paradiso, aut tantùm duas, aut unam solummodo. Et de prima quidem quæstio nulla erit, si meminerimus, quàm apertè & iustis eam & peccatoribus inesse æqualiter, ratio superior edocuerit. De duabus reliquis quæritur non immeritò, an unquam Adam eas habuerit aut ambas, uel unam. Nam si nullam habuit, quid amisit? Arbitrij utique libertatem tam post peccatum, quàm antè semper tenuit incōcussam. de Lib. arbit.

In glorificatis liberum arbitrium. Lombardus: Post beatitudinis confirmationem erit in homine liberum arbitriū, quo peccare non poterit: & nunc in angelis est, & in sanctis qui cum Domino sunt, & tanto utique liberius, quanto à peccato immunius, & ad bonum pronius. Quo enim quisque ab illa peccati seruitute, de qua scriptum est, Qui facit peccatum, seruus est peccati: longius abstitit, tanto in eligendo bonum liberius habet iudicium. Vnde si diligenter inspiciatur, liberum uidetur dici arbitrium, quia sine coactione & necessitate ualet appetere uel eligere quod ex ratione decreuerit. libro secundo, distinctione uigesimaquinta.

In quibus consistat libertas. Bernhardus: Quid igitur agit, ais, liberum arbitrium? Breuiter respondeo: Saluatur. Tolle liberum arbitrium, non erit quod saluetur. Tolle gratiam, non erit unde saluetur. Opus hoc sine duobus effici non potest: uno à quo fit, altero cui, uel in quo fit. Deus autor est salutis, liberum arbitrium tantùm capax, nec dare illam nisi Deus, nec capere ualet nisi liberum arbitrium. Quod ergo à solo Deo & soli datur liberò arbitrio, tam absque consensu esse non potest accipientis, quàm absque gratia dantis. Et ita gratiæ operanti salutem, cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est, dum saluatur. Consentire enim saluare est. Proinde pecoris spiritus salutem huiuscemodi minimè capit, eo quòd illi uoluntarius consensus desit, quo saluanti uidelicet Deo placidè obtemperet, siue iubenti acquiescendo, siue pollicenti credendo, siue reddenti gratias agendo. Enimuerò aliud est uoluntarius consensus, aliud naturalis appetitus. Posterior quippe nobis communis est cum irrationabilibus, nec ualet consentire spiritui, carnis irretitus illecebris. Et fortassis ipse est, qui alio nomine ab Apostolo sapientia carnis appellatur, ubi ait: Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Hunc ergo (ut dixi) communem habentes cum bestijs, consensus uoluntarius nos discernit. Est enim habitus animi, liber sui. Siquidem non cogitur, non extorquetur. Est quippe uoluntatis, non necessitatis. Nec negat se, nec præbet cuiquam, nisi ex uoluntate. Alioquin si compelli ualet inuitus, uiolentus est, non uoluntarius. Vbi autem uoluntas non est, nec consensus. Non enim est consensus, nisi uoluntarius. Vbi ergo consensus, ibi uoluntas. Porrò ubi uoluntas, ibi libertas. Et hoc est quod dici puto liberum arbitrium. de Libero arbitrio. Item: Vt liberum referatur ad uoluntatem, arbitrium ad rationem. Sed sanè liberum, non illa libertate de qua dicit Apostolus: Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Est enim illa libertas à peccato, sicut alibi dicit: Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iusticiæ. Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem uerò uitam ęternam. Quis uerò in carne peccati à peccato sibi uendicat libertatem? Hac ergo libertate meritò nequaquam dictum arbitror liberum arbitrium. Est item libertas à miseria,

de

de qua idem Apostolus: Et ipsa, inquit, creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Sed nunquid & istam sibi quispiam in hac mortalitate præsumit? Et hac itaq; liberum nominari arbitrium nō immeritò abnuimus. Est uerò quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere possumus à necessitate, eo quòd necessarium uoluntario cōtrarium esse uideatur. Siquidem quod ex necessitate fit, non iam ex uoluntate: & econuersò similiter. Cum igitur, prout interim potuit occurrere nobis, triplex sit nobis proposita libertas, à peccato, à miseria, à necessitate: hanc ultimo loco positam cōtulit nobis in conditione natura, in primam restauramur à gratia, media nobis reseruatur in patria. Dicatur igitur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia uitæ uel gloriæ. Primò nempe in liberam uoluntatem, ac uoluntariam libertatem conditi sumus, nobilis Deo creatura. Secundò reformamur in innocentiam, noua in Christo creatura. Tertiò sublimamur in gloriam, perfecta in spiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris, secunda plurimum etiā uirtutis, nouissima cumulum iucunditatis. Ex prima quippe præstamus cæteris animantibus, in secunda carnem, per tertiam mortē subijcimus. Vel certè sicut in prima subiecit Deus sub pedibus nostris oues & boues & pecora cāpi: ita quoque per secundam spirituales bestias huius aeris, de quibus dicitur, Ne tradas bestijs animas confitentes tibi: prosternit æquè & conterit sub pedibus nostris. In ultima tandem nos ipsos nobis plenius submissurus per uictoriam corruptionis & mortis, quando scilicet nouissima destruetur mors, & nos transibimus in libertatem gloriæ filiorum Dei. Qua libertate Christus nos liberabit, cum nos utique tradet regnum Deo & patri. De hac enim & item de illa quam diximus à peccato, puto quòd Iudæis aiebat: Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Liberum arbitrium liberatore indigere significabat, sed planè qui illud liberaret non à necessitate, quam uolūtatis penitus nō esse nouerat: sed à peccato, in quod tam liberè quàm uoluntariè corruerat, simulque à pœna peccati, quam incautum incurrerat, inuitumque ferebat: quo utroq; malo liberari omnino non poterat, nisi per illum qui solus hominum factus est inter mortuos liber, liber uidelicet à peccato inter peccatores Ibidem.

Lombardus: Nec tamen omnia futura sub potestate liberi arbitrij ueniunt, sed ea tantùm quæ per liberum arbitrium possunt fieri uel non fieri. Si quis enim tale quid uelit ac disponat facere, quod in eius nullatenus sit potestate, uel quod sine ipsius dispositione æquè fieret, in hoc ipse liberum non habet arbitrium. libro secundo, dist. 25.

De libero arbitrio in rebus externis. Eckbertus: Veniendi ad nos uelle quidem adiacet nobis, perficere autem non inuenimus: nam lege tenemur, qua agimus quod nolumus, & quod uolumus non agimus. In epist. ad M. Adamum.

De uoluntate inquit Bernhardus: Voluntas illa propriè dicitur, cui assentimus, & cui se liberum inclinat arbitrium. Serm. 3 de resurrect. Domini. Et: Verùm consensus, nutus est uoluntatis spontaneus, uel certè (quod superius dixisse memini) habitus animi, liber sui. Porrò uoluntas est motus rationalis, & sensui præsidens & appetitui. de Libero arbitrio. Item: Non quòd ei propria posset sufficere ad salutem uolūtas, sed quòd eam nullatenus sine sua uoluntate consequeretur. Nemo quippe saluatur inuitus. Nam quod legitur in Euangelio: Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum, item in alio loco: Compelle intrare, nihil impedit, quia profectò quantoscunque compellere uel trahere uideatur ad salutem benignus pater, qui omnes uult saluos fieri: nullum tamen iudicat salute dignum, quem antè non probauerit uoluntariū. Hoc quippe intendit, cum terret, aut percutit, ut faciat uoluntarios, non saluet inuitos: quatenus dum de malo mutat uoluntatem, in bonum transferat, non auferat libertatem. Quanquam tamen non semper inuiti trahimur: nec enim cæcus aut fessus contristatur, cum trahitur. Et Paulus ad manus tractus est Damascum, utique non inuitus. Trahi denique spiritualiter uolebat, quę & hoc ipsum magnopere flagitabat in Canticis: Trahe me, inquit, post te, in odorem curremus unguentorum tuorum. Ibidem.

Lombardus inquit: Voluntatem ipsam August. in lib. de Duabus animabus ita definit: Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid non admittēdum, uel adipiscendum. Hæc autem ut non admittat malum, & adipiscatur bonum, præuenitur & præparatur Dei gratia. libro secundo, distinct. uigesimasexta. Item: Cum ergo uoluntas de naturalibus sit, quare ipsa non semper bonum est, etsi aliquando uitijs subiaceat? Ad hoc facilè respondent qui dicunt. Omnia quę sunt, in quantum sunt, bona esse: quia & ipsam uoluntatem in quantum est, uel in quantum uoluntas est, ut suprà posuimus, bonam esse asserunt: sed in quantum inordinata est, mala est & peccatum,

peccatum. Vbi poteſt ab eis rationabiliter quæri: Si uoluntas in quantum inordinata eſt, peccatum eſt: quare ergo intellectus, ratio & ingenium, & huiuſmodi, cum inordinata ſunt, peccata non ſunt? Inordinata uerò ſunt, ſicut uoluntas, cum ad rectum finẽ non tendunt, eorumque actus præuaricationes exiſtunt. Ad quod illi dicunt, uoluntatis nomine aliquando uim, ſcilicet naturalem potentiam uolendi, aliquádo actum ipſius uis ſignificari. Vis autem ipſa naturaliter animæ inſita, nunquam peccatũ eſt, ſicut nec uis memorandi uel intelligendi: ſed actus huius uis, qui & uoluntas dicitur, tunc peccatum eſt, quádo inordinatus eſt. lib. 2. diſt. 39.

Periculosè hæc de uoluntate dicuntur, licet quædam non malè. Bernhardus: Manet ergo libertas uoluntatis, ubi etiam fit captiuitas mẽtis, tam plena quidem in malis, quàm & in bonis: ſed in bonis ordinatior. Tam integra quoq; pro ſuo modo in creatura, quàm in creatore: ſed in illo potẽtior. Quod autem homines ſolent conqueri, & dicere, Volo habere bonam uoluntatẽ, & non poſſum: nequaquam huic præſcribit uoluntatis libertati, ut quaſi uim aut neceſsitatem in hac parte patiatur uoluntas: ſed planè illa libertate quæ dicitur à peccato, ſe carere teſtantur. Nam qui uult habere bonam uoluntatem, probat ſe habere uoluntatem. Non enim uult habere bonam, niſi per uoluntatem. Quòd ſi uoluntatem, & libertatem: ſed libertatem à neceſsitate, non à peccato. Nempe ut non ualeat, cũ uelit habere bonam, ſentit quidem ſibi deeſſe libertatem: ſed profectò libertatem à peccato, quo utique dolet premi, non perimi, uoluntatem. Quanquam iam proculdubio utcunq; bonam habet, ubi habere uult. Bonum quippe eſt quod uult. Nec poſſet bonum uelle, niſi bona uoluntate: ſicut nec uelle malum, niſi mala uoluntate. Cum bonum uolumus, bona eſt uoluntas: cum malum, mala uoluntas. Vtrobique uoluntas, & ubique libertas: cedit ſiquidem uoluntati neceſsitas. Cum autem non ualemus quod uolumus, ſentimus quidem ipſam quodammodo libertatem peccato eſſe captiuam, uel miſeram, non tamen amiſſam. Ex hac ergo tantùm libertate, qua liberum eſt uoluntati ſeipſam iudicare, uel boná, ſi bono: uel malam, ſi malo conſenſerit, quippe quæ in neutro niſi certè uolendo conſentire ſe ſentit: liberum arbitrium credimus nominari. Nam ex illa quæ dicitur à peccato, congruentius forſitan liberum conſilium: & item ex illa quæ dicta eſt à miſeria, liberum potius complacitum poſſet dici, quàm liberum arbitrium. de Liberó arbitrio.

Voluntatem poſſe mutari. Bernhardus: Poteſt quidem mutari uoluntas, ſed nõ niſi in aliam uoluntatem, ut nunquam amittat libertatem. Tam ergo non poteſt priuari illa, quàm nec ſeipſa. de Lib. arb.

De libertate à peccato ait Lombardus: Iſtam libertatem quæ eſt à peccato, illi ſoli nunc habent, quos filius per gratiam liberat & reparat: non ita quòd penitùs ſint ſine peccato in hac mortali carne, ſed ut in eis peccatum non dominetur, neque regnet. Et hæc eſt uera & bona libertas, quę bonam parit ſeruitutem, ſcilicet iuſticiam. lib. 2. diſt. 25.

De libertate à neceſsitate ait Bernhardus: Libertas à neceſsitate æquè & indifferẽter Deo, uniuerſæque tam malæ quàm bonæ rationali conuenit creaturæ. Nec peccato, nec miſeria amittitur uel minuitur: nec maior in iuſto eſt, quàm in peccatore: nec plenior in angelo, quàm in homine. Quomodo namque ad bonum conuerſus per gratiam humanæ uoluntatis cõſenſus, eo liberè bonum, & in bono liberum hominem facit, quo uoluntarius efficitur, nõ inuitus pertrahitur: ſic ſpontè deuolutus in malum, in malo nihilominus tam liberum, quàm ſpontaneum conſtituit, ſua utique uoluntate ductum, non aliunde coactum ut malus ſit. Et ſicut cœleſtis angelus, aut etiam Deus ipſe permanet liberè bonus, propria uidelicet uoluntate, non aliqua extrinſeca neceſsitate: ſic profectò diabolus æquè liberè in malum & corruit, & perſiſtit, ſuo utique uoluntario nutu, non alieno impulſu. de Libero arbitrio.

Lombardus ait: Libertas ergo à peccato & à miſeria, per gratiam eſt: libertas uerò à neceſsitate, per naturam. Vtramque libertatem, naturæ ſcilicet & gratiæ, notat Apoſtolus, cum ex perſona hominis non redempti ait: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. ac ſi diceret: Habeo libertatem naturæ, ſed non habeo libertatem gratiæ: ideo non eſt apud me perfectio boni. Nam uoluntas hominis quam naturaliter habet, nõ ualet erigi ad bonum efficaciter uolendum uel opere implendũ, niſi per gratiam liberetur & adiuuetur. Liberetur quidem ut uelit, & adiuuetur ut perficiat. Quia, ut ait Apoſtolus, Non eſt uolentis uelle, neque currentis currere, id eſt operari: ſed miſerentis Dei, qui operatur in nobis uelle & operari bona: cuius gratiam non aduocat hominis uoluntas uel operatio, ſed ipſa gratia uoluntatem præuenit, præparando ut uelit bonũ, & reparatam adiuuat ut perficiat. libro 2. diſtinct.

distinct. 25. Sed ista non satis explicatè dicuntur.

De necessitate ait Bernhardus: Vbi quippe necessitas, iam non uoluntas. de Libero arbitrio.

De libertate à miseria. Lombardus: Est iterum libertas à miseria, de qua Apostolus ait: Et ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Hanc libertatem habuit homo ante peccatum, qui omni carebat miseria, & nulla tangebatur molestia: & plenius habebit in futura beatitudine, ubi miser esse non poterit. Sed in hac uita, quæ est inter primum peccatum & ultimam confirmationem, nemo à miseria liber est: quia pœna peccati non caret. lib. 2. dist. 25.

De libertate ad malum ait Lombardus: Est alia libertas non uera, malæ seruituti adiuncta, quæ est ad malum faciendum, ubi ratio dissentit à uoluntate, iudicans non esse faciendum quod uoluntas appetit: ad bonum uerò faciendum concordat ratio uoluntati, & ideo ibi uera libertas est, & pia. De libertate autem ad malum, & seruitute mala, ait August. in Ench. Serui addicti peccato, scilicet quæ potest esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim seruit, qui sui domini uoluntatem libenter facit: ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati seruus est. lib. 2. dist. 25.

Quæ in nobis purganda. Bernhardus: Duo ergo sunt quæ in nobis purganda sunt, intellectus & affectus: intellectus ut nouerit, affectus ut uelit. Serm. 3 in Ascens. Domini.

De repressione motuum inquit Bernhardus: Ascende Domine super asinum istum, conculca hos bestiales motus: quia domari debent, ne dominari præualeant. Nisi enim calcati fuerint, conculcabũt nos: nisi premantur, opprimient nos. Serm. 4 in Ascens. Dom.

De corrupto arbitrio inquit Bernharhardus: Et tamen interueniente peccato patitur quandam uim & ipse, sed à uoluntate, non à natura, ut ne sic quidem ingenita libertate priuetur. Quod enim uoluntarium, & liberum. Et quidem peccato factum est, ut corpus, quod corrumpitur, aggrauet animam: sed amore, non mole. Nam quòd surgere anima iam per se non potest, quæ per se cadere potuit, uoluntas in causa est, quæ corrupti corporis uitiato ac uitioso amore languescens & iacens, amorem pariter iusticiæ non admittit. Ita nescio quo prauo & miro modo ipsa sibi uoluntas, peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit, ut nec necessitas, cùm uoluntaria sit, excusare ualeat uoluntatem: nec uoluntas, cum sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo uoluntaria. Est fauorabilis uis quædam, premendo blandiens, & blandiendo premens: unde sese rea uoluntas, ubi semel peccator consenserit, nec excutere iam per se, nec excusare tamen ullatenus de ratione queat. Inde querula illa uox ueluti gementis sub onere necessitatis huius: Domine, inquit, uim patior, responde pro me. Sed rursus sciens quòd non iustè causaretur aduersus Dominum, cum uoluntas suaipsius potius in causa foret, attende quid secutus intulerit: Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim? Premebatur iugo, non alio tamen quàm uoluntariæ cuiusdam seruitutis: & erat pro seruitute quidem miserabilis, sed pro uoluntate inexcusabilis. Voluntas enim est quæ se, cum esset libera, seruam fecit peccati, peccato assentiendo: uoluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet, uoluntariè seruiendo. Vide quid dicas, ait aliquis mihi. Tu'ne uoluntarium dicis, quod iam necessarium constat esse? Verum quidem est quòd uoluntas seipsam addixerit, sed non ipsa se retinet, magis retinetur & nolens. Bene hoc saltem das, quia retinetur. Sed uigilanter retine, uoluntatem esse quam retineri fateris. Itaque uoluntatem nolentem dicis? Non utiq; uoluntas retinetur non uolens. Voluntas enim uolentis est, non nolentis. Quòd si uolens retinetur, ipsa se retinet. Quid ergo dicet, aut quid respondebit ei, cum ipsa fecerit? Quid fecit? Seruam se fecit. unde dicitur: Qui facit peccatũ, seruus est peccati. Propterea cum peccauit (peccauit autem cùm peccato obedire decreuit) seruam se fecit. Sed sit libera, si non adhuc facit. Facit autem in eadem seruitute se retinens. Neque enim non uolens uoluntas tenetur, uoluntas enim est. Ergo quia uolens, seruam seipsam fecit: non modò fecit, sed facit. Meritò proinde (quod sæpe memorandum est) quis respondebit illi, cùm ipsa fecerit, ipsa & faciat? Sed non me, inquis, decredere facies necessitatem quam patior, quam in memetipso experior, contra quam & assiduè luctor. Vbi'nam quæso hanc necessitatem sentis? Non'ne in uoluntate? Non ergo parum firmiter uis, quod & necessariò uis. Multum uis quod nolle nequeas, nec multũ obluctans. Porrò ubi uolũtas, ibi libertas. Quod tamẽ dico de naturali, nõ de spirituali, qua libertate (ut dicit Apostolus) Christus nos liberauit. Nam de illa idem ipse dicit: Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Ita anima mi-

ro quo-

ro quodam & malo modo sub hac uoluntaria quadam ac malè libera necessitate & ancilla tenetur & libera: ancilla, propter necessitatem: libera, propter uoluntatem: & quod magis mirum magisque miserum est, eo rea, quo libera: eoq; ancilla, quo rea: ac per hoc eo ancilla, quo libera. Miser ego homo, quis me liberabit à calumnia huius pudendæ seruitutis? Miser, sed liber. Liber, quia homo: miser, quia seruus. Liber, quia similis Deo: miser, quia contrarius Deo. O custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi? Posuisti enim, cum nō prohibuisti. Alioquin ipse me posui, & factus sum mihimetipsi grauis. Iustissimè quidem, ut hostis tuus hostis sit & meus: & qui tibi repugnat, repugnet & mihi. Ego uerò qui tibi, ego qui mihimet contrarius factus sum, atque in membris meis inuenio quod contradicat & menti meæ, & legi tuæ. Quis me liberabit de manibus meis? Non enim quod uolo, hoc ago, sed me non alio prohibente. Et quod odi, illud facio, sed me non alio compellente. Atque utinam prohibitio hæc & hæc compulsio ita esset uiolenta, ut non esset uoluntaria: forsitan enim sic possem excusari. aut certè ita esset uoluntaria, ut non uiolenta: profectò enim sic possem corrigi. Nunc uerò nusquam exitus misero patet, quem & uoluntas, ut dixi, inexcusabilem, & incorrigibilem necessitas facit. Quis me eripiet de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui? Quærit quis de quo querar? De me. Ego ille peccator, ille exlex, ille iniquus. Peccator, quia peccaui: exlex, quia uoluntate persisto agere contra legem. Nam mea uoluntas ipsa est lex in membris meis, legi diuinæ recalcitrans. Et quoniam lex Domini lex mentis meæ, sicut scriptum est, Lex Dei eius in corde ipsius: per hoc & mihi ipsi mea ipsius uoluntas contraria inuenitur, quæ est iniquitas maxima. Cui enim non iniquus, qui mihi sum? Qui sibi nequam, ait, cui bonus? Fateor, non sum bonus, quia nō est in me bonum. Consolabor me tamen, quia & sanctorum uox ista est: Scio quia non est in me bonum, inquit. Discernit tamen quod dicit, In se, in carne sua interpretans propter contradictoriam legem quæ in ea est. Nam habet legem & in mente, eaque melior. An non lex Dei bona? Quòd si malus propter legem malam, quomodo non propter bonam bonus? An mala sua est quæ est in carne sua, & ideo de mala malus, & minimè bonus de bona? Non est ita. Lex Dei eius in mente ipsius, atque ita in mente, ut sit & mentis. Testis est ipse qui ait: Inuenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Nunquid suum quod carnis suæ est, & non suum quod mentis suæ est? Ego dico & plus. Quid ni dicam, quod idem ipse magister dicit? Nam mente quidem seruiens legi Dei, carne autem legi peccati, quid magis suum fateatur, euidenter ostendit, cum malum quod in carne est, ita à se alienum censet, ut dicat: Itaque iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatū. Et ideo fortassis signanter aliam dixerit legem inuentam in membris suis, quòd alienam hanc, & quasi aduenticiam reputaret. Vnde & adhuc ego aliquid audeo amplius, haud temerè quidem, Paulum uidelicet non iam malum propter malum quod in carne habet: magis autem bonum propter bonum quod in mente habet. An non bonus, qui consentit legi Dei, quoniam bona est? Nam etsi se itidem fateatur seruire legi peccati, carne hoc facit, non mente. Cū autem mente quidem seruiat legi Dei, carne autem legi peccati, quid nam potissimùm horum Paulo imputandum putes, tu uideris: nam mihi fateor facilè persuasum, quod mentis quàm quod carnis est pluris esse, non solùm mihi, sed & ipsi Paulo, ut iam dictum est, qui ait: Si autem quod nolo, illud facio: iam nō ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Sed de libertate ista sufficiant. Serm. 81 super Cantica. Item: Sed & uoluntaria illa necessitas, & cōtraria lex inflicta in mēbris (de qua proximo sermone disserui) eidem incubat libertati, & liberam natura creaturam per propriam ipsius uoluntatem dum allicit, subijcit seruituti, implens faciem eius ignominia, ita ut uel carne seruiat legi peccati, & non uolens. Quia ergo naturæ ingenuitatem, morū probitate defensare neglexit, iusto authoris iudicio factum est, non quidem ut libertate propria nudaretur, sed tamen superindueretur sicut diploide confusione sua. Et bene sicut diploide, ubi ueste ueluti duplicata, manēte libertate propter uoluntatem, seruilis nihilominus cōuersatio necessitatem probat. Ibidem serm. 82.

Lombardus inquit: Vnde manifestum est, quòd præter alias pœnalitates pro peccato illo, incurrit homo pœnā in corruptione & depressione liberi arbitrij. Per illud namq; peccatū naturalia bona in ipso homīne corrupta sunt, & gratuita detracta. Hic est enim ille qui à latronib. uulneratus est & spoliatus. Vulneratus quidē in naturalibus bonis, quibus nō est priuatus, alioquin nō posset fieri reparatio: spoliatus uerò gratuitis, quæ per gratiā naturalib. addita fuerant. Hęc sunt data optima, & dona pfecta, quorū alia sunt corrupta per peccatum, id est,

est naturalia,ut ingenium,memoria, intellectus:alia subtracta, id est gratuita: quanquam & naturalia ex gratia sint.Ad generalem quippe Dei gratiam pertinent.Sæpe tamē huiusmodi fit distinctio, cum gratiæ uocabulum ad speciem, non ad genus refertur. Corrupta est ergo libertas arbitrij per peccatum, & ex parte perdita. Vnde Aug.in Ench.Libero arbitrio malè utēs homo,& se perdidit,& seipsum. Cum enim libero arbitrio peccaretur,uictore peccato amissum est & liberum arbitrium.A' quo enim quis deuictus est,huic seruus addictus est. Ecce liberum arbitriū dicit hominem amisisse:non quia post peccatum non habuerit liberum arbitrium,sed quia libertatem arbitrij perdidit: nō quidem omnem, sed libertatem à miseria & à peccato. lib.2. dist.25. Item:Ex prædictis iam apparet,in quo per peccatum sit imminutum uel corruptum liberum arbitrium:quia ante peccatum nulla erat homini difficultas, nullūque impedimētum de lege membrorū ad bonum,nulla impulsio uel instigatio ad malum. Nunc autem per legem carnis ad bonum impeditur,& ad malum instigatur,ut non possit uelle & perficere bonū, nisi per gratiam liberetur & adiuuetur:quia, ut ait Apostolus,Peccatum habitat in carne.Liberum ergo arbitrium cum semper & in singulis sit liberum,non est tamen pariter liberum in bonis & in malis, & ad bona & ad mala. Liberius est enim in bonis, ubi liberatum est:quàm in malis,ubi liberatum nō est.Et liberius est ad malū, quod per se potest:quàm ad bonum,quod nisi gratia liberetur &adiuuetur,non potest.Ibidem.

De captiuo arbitrio Honorius inquit:Nā ante peccatum est arbitrium in homine liberum. Postquam uerò bono postposito malum,id est,peccatum per consensum elegerit,iam non liberum, sed captiuum erit. A' quo enim quis uincitur, illius & seruus efficitur. Verbi gratia:Si quis luxuriæ per liberum arbitrium se subdiderit,illius dæmonis seruus protinus asscribitur,qui huic uitio præesse creditur.Sic de cęteris uitijs sentiendum. Itaq; non iam per liberum arbitrium quod uult ei facere licebit,sed quod ille suggerit cuius dominio se spōtè subiugauit:nec arbitrium habet liberum,ut de se iugum eius dominationis excutiat,nisi gratia Dei eum præueniat, ut bonum quod spreuit, cupiat: & subsequatur,ut illud implere præualeat.de Prædest.& lib.arb. Itē: Per liberum arbitrium eos seruos uitiorū, imò dæmonum probaueris.Ibidem.

Bernhardus ait:Sed & hoc apertè monstratum esse puto, quòd hæc ipsa tamen libertas tamdiu quodammodo captiua tenetur,quamdiu illam duæ aliæ libertates minimè,aut minus plenæ comitantur:nec aliunde noster ille defectus uenit, de quo Apostolus:Vt non quæcunq; uultis,ait,illa faciatis.de Grat.& lib. arbitr.

Potho inquit: Libertate arbitrij amissa, ducti sumus in captiuitatem. lib.1 de Statu domus Dei.

Sed seruus uoluntate, ait Bernhardus,cū peccauit,seruū se fecit.Super Cant.serm.18.

Vnde liberum arbitrium, docet Honorius:Nota in primis, gratia à Deo gratis,non ex meritis,hominem præuenit, ut ad bene uolendum cooperetur ipse gratiæ per piæ actionis studiū. Per hoc enim quod dixit, Saluum me fecit,quoniam uoluit me: gratiam ostendit. Per hoc autem quod subiungit,Retribuet mihi Dominus secundum iusticiam meam:liberum arbitrium per bonā uoluntatem gratiæ consentiens innuit.Per hoc uerò quod addit, Secundum puritatem manuum mearū retribuet mihi: cooperans studium exprimit.in Psal.17.

Hugo de S.Victore ait: Velle nō possum, nisi gratia Dei fuerit mecum. Nulla enim est humana industria sine Dei gratia. Ex quo primus homo peccauit, naturæ bonū perdidimus pariter & arbitrij:sed non electionem,ne non esset nostrum,ut emendaremus peccatū. In nobis namq; manet ad acquirendam salutem arbitrij nobilitas,& rationalis uoluntas: sed admonente prius Deo,& inuitante ad salutem, ut uel eligamus uel sequamur, potestatis nostræ est diuinæ aspirationi acquiescere,& quæ ad salutem nostram pertinēt,eligere & sequi. in lib. de Conscientijs.

Bernhardus inquit:Quicquid boni in te inueneris, illi tribuas à quo omne bonum est,sine quo non parum aliquid, sed nihil omnino potes incipere, ne perficere dicā. Serm.2 in Pentecost. Item:Sola misericordia est, quæ eos & præuenit & perducit. Multum sibi de hac misericordia undiq; cōtraxerat puer Domini,cū diceret:Misericordia eius præueniet me.&: Misericordia tua ante oculos meos est. &:Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus uitæ meæ.&:Qui me coronat in misericordia & miserationib. &: Deus meus, misericordia mea.Ibidem. Item:Imò uerò qui mihi per os tuum ministrat consilium, ipse mihi necesse est ministret per Spiritum suum adiutorium, quo ualeam implere quod consulis. Ecce enim iam ex eius munere adiacet mihi uelle,perficere autē non inuenio.Sed nec aliquando me inuenturum confido,nisi qui dedit uelle, det & perficere pro bona uoluntate.de Lib.arbitr. Et:A' Deo igitur uelle, quomodo & timere, quomodo

& amare, accepimus in conditione naturę, ut essemus aliqua creatura. Velle aũt bonũ, quomodo & timere Deũ, quomodo & amare Deũ, accipimus in uisitatione gratiæ, ut simus Dei creatura. Creati quippe quodámodo nostri in liberá uoluntatem, quasi Dei efficimur per boná uoluntatem. Porrò boná facit qui liberá fecit, & ad hoc boná, ut simus initiũ aliquod creaturæ eius: quoniá expedit, pfectò nobis magis omnino nõ fuisse, quàm nostros permanere. Ná qui uoluerũt sui esse, utiq; sicut dij, sciẽtes bonũ & malum, facti sunt nõ tantùm iam sui, sed & diaboli. Itaq; libera uoluntas nos facit nostros, mala diaboli, bona Dei. Ad hoc pertinet qđ dicitur: Nouit Dominus qui sunt eius. ibidẽ. Itẽ: Sanè diabolo nostra nos mácipat uolũtas, nõ ipsius potestas: Deo subijcit eius gratia, nõ nostra uolũtas. ibidẽ. Et: Vt ergo uelle nostrũ, quod ex libero arbitrio habemus, perfectũ habeamus, duplici gratiæ munere indigemus: & uero uidelicet sapere, qđ est uolũtatis ad bonũ cõuersio: & pleno etiá posse, quod est eiusdẽ in bonũ cõfirmatio. ibidẽ. Et: Lapsus tamen ex uolũtate, nõ æquè ex uolũtate resurgere iam liberũ habet: quia etsi datũ fuit uoluntati posse stare ne caderet, non tamen resurgere si caderet. Non enim tam facilè quis ualet exire de fouea, quàm facilè in eá labi. Cecidit sola uoluntate homo in foueá peccati, sed nõ ex uolũtate sufficit & posse resurgere: cũ iam etsi uelit, nõ possit nõ peccare. Ibidẽ. Et: Habet igitur homo necessariũ Dei uirtutẽ & Dei sapiẽtiam Christũ, qui ex eo quòd sapientia est, uerũ ei sapere reinfundat, in restaurationẽ liberi consilij: & ex eo quòd uirtus est, plenum posse restituat, in reparationẽ liberi cõplaciti: quatenus ex altero pfectè bonus, peccatũ iá nesciat: ex altero plenè beatus, nil aduersum sentiat. Sed sanè ista perfectio in futura uita expectetur, quando utraq; nunc amissa libertas libero arbitrio plenè restaurabitur: nõ quomodo iusto cuiuis in hoc seculo quantũcunq; perfecto, nõ quomodo uel ipsis primis hominibus datũ fuit eas habere in paradiso, sed sicut iam nũc angeli possident in cœlo. ibidem. Et: Si à Domini spiritu, iam non à libero arbitrio. ibidem. Item: Non quidem quòd uel ipse cõsensus, in quo omne meritum consistit, ab ipso sit: cũ nec cogitare (quod minus est quàm consentire) aliquid à nobis quasi ex nobis sufficientes simus. Verba sunt nõ mea, sed Apostoli, qui omne quod boni esse potest, id est, cogitare & uelle & perficere pro bona uoluntate, attribuit Deo, nõ suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc est, bonũ cogitare, uelle, perficere, operatur in nobis, primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertiũ per nos facit. Siquidẽ immittẽdo boná cogitationẽ, nos præuenit: immutando etiam malá uoluntatẽ, sibi per consensum iungit: ministrãdo & cõsensui facultatẽ, foris per apertũ opus nostrũ internus opifex innotescit. Sanè ipsi nos præuenire nequaquá possumus. Qui aũt bonũ neminẽ inuenit, neminẽ saluat, quẽ nõ præuenit. A' Deo ergo sine dubio nostræ salutis fit exordiũ, nec per nos utiq;, nec nobiscũ. Verùm consensus & opus, etsi nõ ex nobis, nõ iam tamẽ sine nobis. ibidẽ. Item: Quid enim nostra aliud sonat, quàm illud: Ergo neq; uolentis, neq; currẽtis, sed miserentis est Dei? Quod sanè non ideo dicit, quasi quis uelle aut currere possit in uanũ: sed quòd is qui uult & currit, nõ in se, sed in eo à quo accipit & uelle & currere, debeat gloriari. Deniq; ait: Quid habes quod non accepisti? Crearis, sanaris, saluaris, quid horũ tibi ex te homo? Ibidem.

Richardus ait: Liberũ hominis arbitriũ, qđ ex seipso nihil boni potest, incipit posse quádo & quantum uoluerit ille qui omnia potest. Quæ enim impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deũ. Incipit ergo posse ex diuino adiutorio, quod non potest de seipso: & quod iam nõ potest per naturá, accipit bonũ posse per gratiam. de Statu hom. interioris, cap. 16. Itẽ: Quàm rectè languidũ dicitur (liberũ arbitriũ) quod per seipsum nunquá ad qualecũq; bonum mouetur. Quid enim boni faciat ex seipso, quádo nec dicere potest, Dominus IESVS, nisi in Spiritu sancto? Et quidẽ mouetur sæpe ad bonũ, nunquá tamẽ nisi per Spiritum sanctum. Ibidem cap. 12. Et: Sicut corpus nihil potest sine uita sua (id est, sine anima) ita interior homo noster nihil boni potest sine gratia diuina. Gratia Dei, inquit Apostolus, sum id quod sum. Et Veritas ipsa de se: Sine me nihil potestis facere. lib. de Erudit. interioris hominis, cap. 3. Et: Subtracta gratia & protectione diuina, homo ad inimici suggestionẽ & quodcũq; malũ deijcitur, & semel deiectus ad status rectitudinẽ propria nunquá uirtute roboratur. tractatu de sacrif. Abrahæ & Mariæ. Et: Nullum boni operis germen potest homo ex seipso sine operãte gratia producere, & cum ex gratia operante habere iam cœperit, per semetipsum omnino non poterit sine eius cooperatione custodire. ibidẽ. Et: Sine gratia Dei nec bene uolumus, nec bene operamur. Episcopus Turonensis epist. 90 inter epistolas Hildeberti. Item: Nos si sine eius adiutorio nitentes de nostris uiribus præsumimus, frustra laboramus. Testatur hoc qui in Euãgelio suo loquitur: Sine me

ne me nihil,&c. Item:Ipse operatur uelle. Quid enim sine ipso per memetipsum potero, qui nec saltē dicere possum Domine IESV,nisi in Spiritu sancto? Ipse utique est qui operatur omnia in omnibus, diuidens singulis prout uult. Veruntamē in iustificationis nostræ opus uoluntarium consensum requirit,qui dicit: Si uolueritis & audieritis me,bona terræ comedetis. Libero arbitrio adscribitur cum hoc opus præpeditur,ubi dicitur:Si populus meus audisset me,&c.Si enim nos in huiusmodi opere omnino nihil facimus,frustra eius adiutoriū imploramus,falsoq; eum adiutorem uocamus.Aliud est enim facere,atq; aliud adiuuare.Quid enim est auxiliari, nisi operanti cooperari? Adiutorē eum habere, & in bono cooperatorem,intellexit qui dixit: Adiutor meus & liberator meus es tu Domine,ne moreris. Quotidie eius adiutorium quærimus,cum ei in quotidianis orationibus proclamamus: Adiuua nos Deus salutaris noster.Patet ergo quia hoc opus à duobus perficitur,in quo creaturę suę creator cooperatur.Opus itaq; est in hoc opere ꝓpria industria & diuina gratia.Frustra enim quispiam libero arbitrio innititur, nisi diuino adiutorio fulciatur. Perficitur aūt iustificatio nostra ex deliberatione propria & inspiratione diuina. Sola enim iusta uelle est iam iustum uelle. Ex sola siquidem uoluntate rectè iusti uel iniusti dicimur, quātuis ex opere in utrunq; adiuuemur. Duobus autem modis nobis cooperatur Deus, interius uidelicet & exterius. Richardus li. 3 de Contemplat.cap.16.

Petrus Blesensis inquit: Humana enim ꝑsuasio sine gratia Dei nihil aliud est,quàm æs sonans, aut cymbalum tinniens.Ille solus donat os & sapientiā,qui dicit:Sine me nihil potestis facere.epist.78. Et: Aufer à me cor lapideum,da mihi carneum cor,nouum cor, humile & contritum. epistol.120. Et: Velle tibi adiacet, sicut dicis, sed perficere non inuenis.Si enim uelis onus inditæ uetustatis abijcere, hic labor est ante me. Sequere enim eum quem uoueras sequi, & ipse uotis tuis misericorditer & efficaciter aspirabit.epist.9. Item: Tu uerò pariter si in Deo uolueris gloriari, non eris insipiens:& qui gloriatur,in Domino glorietur.Illam uerò gloriam quæ est testimoniū conscientiæ tuæ, Deo, non tibi adscribe. Quid enim habes quod non accepisti? epistola 60.

Hildebertus ait: Bonum tuum nihil aliud est quàm donum Dei.Quid enim habes quod non accepisti? Et nos omnes,ait Euāgelista,de plenitudine eius accepimus, de eius scilicet plenitudine, de quo & tu habes ut sis,habes ut bona sis,habes etiam ut melior esse possis,&c. Temporalia etiam & caduca dona sunt Domini Dei tui, &c. epistola 15.

De renato inquit Bernhardus: Ita tamen quod à sola gratia cœptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim,non sigillatim:simul,non uicissim, per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium,sed totum singula opere indiuiduo peragunt.Totum quidem hoc,& totum ex illa: sed ut totum in illo,sic totum ex illa.de Lib.arbit.

Lombardus ait: Vt enim disseruimus, gratia Dei uoluntatem hominis liberat & adiuuat,quæ uoluntatem hominis præparat adiuuandam,& adiuuat præparatā. lib. 2.dist.39.

De reparato arbitrio inquit Lombardus:Verùm nobis magis placet, ut ipsa libertas arbitrij sit, & illa qua quis liber est ad malum, & illa qua quis liber est ad bonum faciendum.Ex causis enim uarijs sortitur diuersa uocabula.Dicitur enim libertas ad malum faciendum, antequā per gratiam sit reparata: sed cum per gratiam fuerit reparata, dicitur libertas ad bonum faciendum: quia ante gratiam libera est uoluntas ad malum, per gratiam uerò libera fit ad bonum. Semper ergo uoluntas hominis aliquo modo libera est, sed non semper bona est.Non enim est bona, nisi à peccato liberata: est tamen à necessitate libera.Vnde August.in lib.de Grat. & libero arbitrio: Semper in nobis uoluntas libera est, sed non semper bona est.Aut enim libera est iusticiæ,quando seruit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est,quando seruit iusticiæ, & tunc est bona.libro 2. distinct.25.

Contra liberum arbitrium inquit Bernhardus: Frustra glorietur de libertate arbitrij, quæ in mente est: captiuus ducitur in legem peccati, quæ in carne est. Sermone in festo. S. Martini. Item: Est enim anima sub seipsa, cum propriam sequitur uoluntatem, libertate perniciosa gaudens. Hic est filius ille prodigus, qui portionem paternæ substantiæ, quæ se contingebat, accepit: ingenium scilicet, memoriam,uires corporis, cæteraque similia bona naturæ, quibus non ad diuinam,sed ad suam uteretur uoluntatem, essetque tanquam sine Deo in hoc seculo. Sermon. de Diuers. affectionibus animæ. Item: Caueamus autem à propria uoluntate, tanquam à uipera pessima & nequissima, & quæ sola deinceps damnare possit animas nostras. Serm. de Duplici baptis. & reliqua propria uoluntate.

De synergia renatorum inquit Honorius: Quicquid electi boni operantur, Deus in eis operatur, sicut scriptum est: Deus operatur in nobis & uelle & posse, pro bona uoluntate. Si ergo Deus operatur, quæ merces homini imputatur? Et Deus operatur, & electi operantur. Deus operatur, electos sua gratia præueniendo, uelle: & subsequendo, posse: cooperantur ipsi per liberum arbitrium, consentiendo bona uoluntate. Hæc bona uoluntas in eis remuneratur, ut scriptum est: Accepimus gratiam pro gratia. Gratiam accepimus, cum nos Deus præuenit ut uelimus, & subsequitur ut possimus. Pro hac gratia aliam gratiam dabit nobis, cum nos in gloria remunerabit. de Prædestin. & libero arbitrio.

Deus permittit mala agere. Richardus de sancto Victore: Sed non est iniustus Deus, eo quòd malos malè agere permittit: quia iustum est, ut quibus dedit liberum arbitrium, illis eo uti liceat ad libitum. Iniustum namque esset, si illis solius boni imponeret necessitatem, quibus in conditione dono gratiæ boni uel mali eligendi confert libertatem. In hoc enim creatura rationalis excellentem habet dignitatem, quòd creatori non coactam, sed liberam exhibet seruitutem. Placet ergo, quòd sub ipso data ab ipso utimur arbitrij libertate: sed displicet, quòd in nobis orta illi repugnamus uoluntatis prauitate. Nequaquam enim mala est arbitrij diuinitùs indita libera potestas, sed sub arbitrio orta peruersa uoluntas. Libertas à Deo donatur, creatura dono libertatis abutitur. lib. 5 in Apocal.

DE PECCATO.

Vitium. Richardus: Vitium est ipsa infirmitas naturalis corruptionis, peccatum uerò est ipsa praua assentatio tentantis infirmitatis. Vicium est quasi quædam passio naturæ, peccatum uerò est spõtanea quædam actio industriæ. Vicium est ipse appetitus mali, qui solet præcedere uel prouocare consensum: peccatum autem ipse est consensus mali, qui solet sæpe subsequi uel comitari appetitum. Profectò aliud est prauum motũ in corde sentire, atque aliud prauo motui consentire. Quòd prauum motum sentimus, uiciũ est: quòd prauo motui consentimus, peccatum est. Vicium itaque est in sensu & in affectu, peccatum uerò est in solo consensu, seu etiam affectu. tract. 2 de Statu interioris hominis, cap. 2.

Quid sit. Rupertus: Peccatum est quippiam quod Domini lege prohibetur, fecisse: delictum uerò quidlibet eorum quæ iubentur, neglexisse. Libro primo in Leuit. capite trigesimosecundo.

Lombardus inquit: Peccatum est, ut ait Augustinus, omne dictum, uel factum, uel concupitum, quod fit contra legem Dei. Idem in libro de Duabus animabus: Peccatum est uoluntas retinendi uel consequendi quod iusticia uetat. In utraque assignatione de actuali peccato agitur & mortali, non ueniali. Ex prima descriptione ostenditur, peccatum esse uoluntas mala, siue locutio, siue operatio praua, id est, actus malus tam interior quàm exterior: ex altera uerò tantùm ostenditur esse actus interior. Voluntas enim, ut in superioribus dictum est, motus animi est: actus ergo interior est. Ambrosius quoque in libro de Paradiso ait: Quid est peccatum, nisi legis diuinæ præuaricatio, & cœlestium præceptorum inobedientia? Ergo in præuaricante peccatum est, sed in mandante culpa non est. Non enim consisteret peccatum, si interdictio non fuisset. Non consistente autem peccato, non solùm malitia, sed etiam uirtus fortasse non esset: quæ, nisi aliqua malitiæ fuissent semina, uel subsistere, uel eminere non posset. Ecce præuaricationem legis & inobedientiam definit Ambrosius esse peccatum. libro secundo, distinctione 35. Item: Sanè dici potest, & liberè tradi debet, peccatum esse actum malum interiorem & exteriorem, scilicet malam cogitationem, locutionẽ & operationem: præcipuè tamen in uoluntate consistit peccatum, ex qua tanquam ex arbore mala, procedunt opera mala tanquam fructus mali. ibidem distinctione 35. Item: Variam quoque appellationẽ habet. Dicitur enim peccatum etiam delictum. Et delictum fortasse est (ut ait August. in quæstionibus Leuitici) declinare à bono: peccatum est facere malum. Aliud enim est declinare à bono, aliud facere malum. Peccatum ergo est perpetratio mali, delictũ desertio boni, quod & ipsum ostendit nomen. Quid enim aliud sonat delictum, nisi derelictum? & qui delinquit, quid derelinquit, nisi bonum? Vnde delictum est, quod ignoranter fit: peccatum, quod scienter committitur. Indifferenter tamen & peccatum nomine delicti, & delictum nomine peccati appellatur.

Honorius sic diuidit: Octo sunt principalia uitia, superbia, inuidia, inanis gloria, odium, tristicia, auaricia, gastrimargia, luxuria. Hæc sunt fontes omnium uitiorum. in Psal. 8. Item: Septies iustus in die cadit, aut surreptione, aut ignorantia, aut obliuione, aut sermone, aut necessitate, aut uoluntate. In Psal. 19.

Bernhardus ait: Primum quidem originale, secundum personale dixerim, tertiū singulare. Ser. tertia feria, de pass. Domini. Item: Siquidem est considerare homines in quibus peccatū non modò habitat, sed & regnat: nec iam proximū magis, aut magis intimum posse esse uidetur, nisi fortè cū sic dominabitur eis, ut nullo modo deinceps ualeat non dominari. Est autem & alios inuenire, in quib. quidem adhuc manet peccatum, sed iam nō dominatur aut præualet in eis, euulsum quodammodo, necdum tamen expulsum: deiectum, sed non prorsus eiectum. Serm. 10 in Psal. Qui habitat, uersu decimo.

Richardus inquit: Peccata alia sunt quæ incidimus per infirmitatem, alia quæ incurrimus per errorem, alia quæ committimus per solam iniquitatem, &c. Qui peccant ex infirmitate ue ignorantia, sicut aliquā excusationem habent in culpa, sic aliquid remissionis habere debent in pœna. Rectè autem ei qui peccat in Spiritum sanctum, nō remittitur nec in hoc seculo, nec in futuro: quia qui per malitiam peccat, si in præsenti pœnitet, rectè ab eo exigitur plena satisfactio: non pœnitenti uerò debetur plena damnatio in futuro. Richard. de Statu interioris hominis, cap. 3.

De modis peccandi ait Rupertus: Tribus modis peccatur, ignorantia, infirmitate & superbia. Si per ignorātiam peccatur, & Deus hoc præuidet, quia cognita ueritate sit corrigendus quisquis ille est, subuenit ignorantiæ Deus, ut id quod uerum est cognoscat homo ignorans & erroneus. lib. 12 Com. in Apocal. cap. 22.

Lombardus ait: Modi autem peccatorū uarias in Scriptura habēt distinctiones, in qua dicitur peccatum duobus modis committi, scilicet cupiditate & timore. li. 2. dist. 42. Item: Alibi uerò dicitur peccatum fieri tribus modis, scilicet cogitatu, uerbo & opere. ibidem.

Vnde peccatum. Petrus Alphonsus: Quoniam Deus eum talem creauit, cùm hoc uidisset diabolus, qui in hoc aëre inferiori prope terram habitat, inuidit, & eius damnationem prout potuit, perquisiuit, quin & ut Dei præceptum transiret, & de fructu uetito comederet, cordi eius inspirauit, propter hoc ut de dignitate sua concideret, quemadmodum & ipse concidit. In Dial. titulo 9.

Berengosius: Hominem propriæ uoluntatis arbitrium à Deo diuisisse. lib. 1 de Inuent. crucis, cap. 1.

Honorius: Genus humanum per Adam in miseriam lapsum, per Christum ad gloriam reparatum est. in Psal. 1.

Rupertus inquit: Angelica natura malū potuit facere & fecit, & humana natura malum potuit facere & fecit. lib. 5 Com. in Ioh. cap. 5. Et: Diabolus primū hominē per serpentem decepit, quibus serpentis morsibus plagatum est genus humanum. lib. 3 Com. in Ioh. cap. 2. Et: Primi parentes nostri & prius intrinsecus inuisibiliter corrupti spiritu diaboli, cōtra creatorem suum intumuerūt: & deinde per serpentem persuasi, uisibili quoq; cibo perierūt. Ibid. lib. 6. Et: De primis hominibus ferè omnes idem scimus, quia nisi prius intus per superbiam perijssent, nisi charitatem ueritatis reliquissent, non tam facilè foris tentati cederent, non tam citò prodigioso serpentis bruti animantis collo quio sese inclinarēt, aut promissionibus crederent. Lib. 8 in Apocal. ca. 13. Et: Primus homo excidens, amisit gloriam similitudinis Dei, tali ordine ut amitteret charitatem, nō teneret spem, non haberet fidem. lib. 6 de glorif. Trinit. cap. 19. Et: Sciendum, quia priusquam per serpentem diabolus de uetito ligno comedere mulierem persuaderet, uterq;, scilicet uir & mulier, occulta eiusdem hostis inspiratione appetiuerant esse sicut dij. Nemo enim nisi id quod sentit appeti, pro fructu repromittit alicuius operis. lib. 11 de Diuinis offic. cap. 18. Et: Qui facit malum, à semetipso facit, quia solus facit, quia seorsum extra Deū & patrē facit. lib. 5. cap. 5 Cōmentar. in Iohann. Et: Siue angelus, siue homo, quamdiu aliquod accidens admittit ab essentiali bono auersus, tamdiu à semetipso operatur. Ibidem.

Bernhardus ait: Vnde & protinus inuidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem, suadens ut lignum uetitum gustans fieret sicut Deus, sciēs bonum & malum. Serm. 1 de aduent. Dom. Et: In primo homine peccauimus omnes, in ipso etiam cecidimus uniuersi. Cecidimus sanè in carcerem, luto pariter & lapidibus plenum. Exinde iacebamus captiui, inquinati, conquassati, donec uenit desideratus gentibus, qui nos redimeret, ablueret, adiuuaret. Hic est enim qui sanguinē proprium dedit in redemptionem, aquam simul produxit de latere suo in ablutionem, emisit deinde de excelso spiritū suum, qui adiuuaret nostrā infirmitatem. Serm. 2 in octaua Paschæ. Et: Constat sanè ab initio non fuisse sic, sed in parentibus primis ante primam illā mandati præuaricationem non modò non regnasse peccatum, sed nec fuisse quidem. Attamen quodammodo iam tunc propè illis fuisse uidetur, quod tam facilè persuasum est, quod tā festinanter intrauit. Quid uerò aliud admo

nebat,quàm & ipsam quoque peccati pœnā,etsi necdū inesse corporibus,iam tamen uelut pro foribus esse,qui dixit:In quacūq; die comederitis de ligno scientiæ boni & mali,morte moriemini.Serm.10 de 10 uersu Psal.Qui habitat. Item: Inobediētia est causa mortis: oēs experimur, oēs morimur ꝑpter eā.Ser.de obed.& sapiēt. Et:Deniq; primos parētes nō ursus aut leo,sed potius serpēs,callidior utiq;, nō fortior cæteris animātibus, supplantauit. Nec mulierē uir, sed mulier uirū. Serpens,ô Eua,decepit te, decepit profectò, non impulit aut coegit. Mulier tibi,ô Adā,de ligno dedit,sed offerendo utique, non uiolentiam inferendo. Neq; enim potestate illius, sed tua factum est uoluntate, ut eius uoci plus obedieris quàm diuinæ.Serm.de duplici baptis. Et: Quartū peccatū cōmisit Adam,quia cōsensit.Adam enim (sicut ait Apostolus)non est seductus,mulier aūt seducta in præuaricatione fuit.Illa per ignorantiā, iste peccauit per infirmitatē.Peccauit aūt nimis diligendo uxorē,non quia eius uoluntatem fecit, sed quia eā uoluntati prætulit diuinæ.Vnde & à Domino ei dictum est:Pro eo quòd obediuisti uoci uxoris tuæ plus quàm meę, maledicta terra in opere tuo. Iustū quippe erat,ut illius magis uoluntatem faceret,cui plus debebat.Quis uerò ambigat, plus eū debere cōditori quàm uxori? Siquidem uxori erat astrictus tantùm per amorē, Deo autem per timorem simul & amorem.Plus ergo debuerūt ualere duo uincula ad tenēdum eū erga Dei præceptū,quàm unū tantùm erga coniugis affectū.Ser.27 Par.serm. Et: Motus & titillatio carnis nostræ tribus ex causis contingit.Ex præcedenti cogitatione,cū formas & imagines illicitas intus trahētes,in earū retractatione turpiter cōmouemur.Ex uentris plenitudine: quia cū uenter ciborum cumulositate distenditur, caro lasciuiens ad motum luxuriæ concitatur. Ex maligni spiritus impugnatione: quia quo iustos superare se minimè posse considerat, eo per carnis titillationem grauius eos impugnat.In lib.Sententiar.

Petrus Lombardus ait: Videns igitur diabolus, hominem per obedientiæ humilitatem posse ascendere, unde ipse per superbiam corruerat,inuidit ei: & qui prius per superbiam diabolus fuerat, id est, deorsum lapsus: zelo inuidiæ factus est satan, id est, aduersarius. Vnde & mulierem tentauit, in qua minus quàm in uiro rationem uigere nouit. Eius enim malitia ad tentandum uirtutem timida, humanam naturam in ea parte ubi debilior uidebatur,aggressa est:ut si fortè illic aliquatenus præualeret, postmodum fiducialius ad alteram,quæ robustior fuit, pulsandam, uel potius subuertendam, accederet. Primùm ergo solitariam fœminam explorauit, ut in ea primùm omnem suæ tentationis uim experiretur. libro secundo, distinctione 21. Et: Hic apertè dicitur,primam causam & originalem mali, bonam fuisse naturam.Et nihilominus ostenditur cuius peccati fuerit causa,scilicet malæ uoluntatis.Ibidem dist.34.

Petrus Cantor: Quo scilicet dolo cecidit primus homo, cuius radix in posteritate eius manet, eo quòd adulanti diabolo consenserit, cum ait sub palliato fine consilij: Quocunque die comederitis, eritis sicut dij. Hoc dolo extollitur diabolica superbia in homine, ut præsumendo de se dicat: Ascendam in cœlum,ponamq; sedē meam ad Aquilonem,& ero similis altissimo.cap.34.

Iohannes Salisberiensis ait: Neque enim homo non peccare non poterat, quia eum Deus prænouerat peccaturum: aut quia ille non peccare poterat, eum peccaturum Dominus ignorabat. Neque non mori posse nesciebat, eo quòd erat peccati merito moriturus: neque eum mori necesse erat, quoniam hoc Dominus præsciebat. Factus est igitur quodammodo immortalis proculdubio moriturus, & mortem culpa attulit, quam naturæ conditio non inuexit. Essetq; ab ea immortalitate qua non mori poterat, in eam qua mori non posset,transferendus, nisi culpa inobedientiæ,præcisa iusticiæ semita, tantæ gloriæ aditum pro tempore præclusisset.Itaque peccare & non peccare potuit, mera præditus libertate arbitrij: quia nulla dispositionis uiolentia, nullo fatorum impulsu, nullo conditionis stimulo, nullo adhuc naturæ defectu urgebatur ad culpam, quæ indubitata parens penè hominem spontè lapsum impegit in mortem. Verùm quia in iniusticia fræna laxauit arbitrij, sic in ea oppressus & obrutus iacet, ut iusto Dei iudicio, quia tunc noluit abstinere cum potuit,nunc non possit abstinere cum uelit. In eo tamen solo adhuc ei liberum uiget arbitrium, ut sibi ad opus iniquitatis sufficiat, etsi ad bonum non, nisi gratia præuentus & adiutus, assurgat. Sic iusticiam per se deserens, traductus est in regnum peccati & mortis, ut iugo seruitutis pressus, necessitati delinquendi & moriendi subiaceat: quamuis hoc non fatorum series, sed præuaricationis meritum introducat. libro 2 Policrat. capite 20.

Fons seu causa lapsus.Lombardus: Quidam putant, quandam elationem in ani-

mo ho-

mo hominis præcessisse, ex qua diaboli suggestioni consenserit. libro 2. distinct. 22. Item: Non deijceretur homo in actum illius peccati, ut scilicet lignū uetitū ederet, & in has miserias per tentationē diaboli, nisi elatio cōprimēda præcessisset, nō utiq; tētationem, sed opus peccati. Talis enim fuit ordinis processus: Diabolus tētando dixit, Si comederitis, eritis sicut Dij, scientes bonū & malū: quo audito, statim mēti mulieris surrepsit elatio quædā, & amor propriæ potestatis, ex quo placuit ei facere quod diabolus suadebat, & utiq; fecit. Suggestione igitur peccauit, quia tētatio pcessit, ex qua in mēte eius orta est elatio, quā peccatum operis secutum est, & pœna peccati. Ibidem.

Cur Deus hominē passus est labi. Lōbardus: Præterea quæri solet, cur Deus hominē tentari permiserit, quē decipiēdum fore præsciebat? Sed nō esset laudabile homini, si ideo bene uiuere posset, quia nemo malè uiuere suaderet: cū in natura posse, & in potestate haberet uelle nō cōsentire suadenti, Deo iuuāte: & est gloriosius nō consentire, quàm tentari nō posse. Mouētur etiā quidā, dicētes: Cur creauit Deus quos futuros malos præsciebat? Quia prẹuidit quid boni de malis eorum esset facturus. Sic enim eos fecit, ut relinqueret eis unde aliquid facerēt: & si culpabiliter aliquid facerēt, illum de se laudabiliter operantē inuenirēt. A' se habēt uoluntatē malā, ab illo naturā bonā, & iustā pœnā. Frustra ergo dicitur, Non deberet Deus creare quos præsciebat malos futuros: sciebat enim bonis profuturos, & iustè pro mala uolūtate puniēdos. Addūt etiā, talē hominē debere facere, qui nollet omnino peccare. Cōcedimus quidē meliorē naturā esse, quæ omnino peccare nollet. Concedant & ipsi non esse malū, quæ talis facta est, ut posset nō peccare, si uellet: & iustè punitā, quę uolūtate, nō necessitate peccauit. Cū ergo hæc bona sit, illa melior, cur nō utranq; faceret, ut uberius laudaretur de utraq;? Illa enim de sanctis angelis, hęc de hominib. est. Item inquiunt: Si Deus uellet, & illi boni essent. Et hoc quidē concedimus: sed melius uoluit, ut quod uellent, essent: & boni quidem nō infructuosè, mali uerò nō impunè essent. Item inquiunt: Posset Deus uoluntatem eorum uertere in bonū, quia omnipotēs est. Posset reuera. Cur nō fecit? Quia noluit. Cur noluit? Ipse nouit. Nō debemus plus sapere quàm oportet. libro 2. distinct. 23.

Peccatum non est à Deo. Rupertus: Primò omnium de creatore Deo piè sentiendum est, uidelicet quòd uoluntate eius nec angelus, nec homo perierit, & non de utero eius glacies egressa sit, uel gelu de cœlo sic genuerit, ut uel malā creaturā creauerit, uel bonā naturā prior ipse relinquendo, in malam demutarit. lib. 1 in Gen. capite decimo quinto.

Bernhardus: Aliena ab utrisque prima creatio, quia sicut nec culpam, ita nec pœnam Deus fecit. Quod de ea quæ maior est omniū, morte uidelicet, apertè Scriptura testatur: Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Et in alio loco: Deus mortem nō fecit. Sermone quarto de duabus mensib.

Lombardus ait: Voluntatem in quantum uitiosa est, non esse à Deo: & in quātū uitiosa est, peccatum est. Et peccatum est, ut aiunt, in quantum non habet ordinem nec finem debitum. Ita & actio, in quantum ex malo procedit, & ordinē nō habet, & ad malū tendit. lib. 2. dist. 35. Item: Rectè opponitur qui dicūt, Deū nō esse authorē eorum quæ mala sunt, in quantum mala sunt, sed in quantum sunt: & in quantum mala sunt, dicunt ea nihil esse. libro 2. distin. 37.

Peccatum Adæ quale. Petrus Alphōsus: Peccatū Adæ duplex fuit, spirituale scilicet & corporale. Spirituale quidē, qa diabolo potius quàm Deo credere (quod ad spiritū pertinet) & obedire elegit: corporale autē, quia se in uetiti fructus dulcedine (quod scilicet est corporis) delectauit. Ideo sanè mortē carnis & mortē animæ, pœnam scilicet duplicem, ipse sustinuit In Dialog. tit. 10.

Lombardus ait: Plus enim uidetur peccasse mulier, quæ uoluit usurpare diuinitatis æqualitatem, & nimia præsumptione elata, credidit ita esse futurum. Adam uero nec illud credidit, & de pœnitentia & Dei misericordia cogitauit, dum uxori morem gerens, eius persuasioni consensit, nolens eam contristare, & à se alienatam relinquere, ne periret, arbitrans illud esse ueniale, non mortale delictum. libro secundo, dist. 22.

Nō necessitate peccasse hominē. Hugo Eterianus: Si homo peccaret ex necessitate, nequaquam dedisset per Moysen Deus leges suppliciorum. Neque qui sortiti sunt principatum, si fati aut naturæ necessitate homines compellerentur delinquere, acerbissimis eos cruciatibus destinarent. Sub appetitu hominis igitur uitā & mortē posuit medicus animarum. Hinc est quòd nolentium medelam recipere uoluntatem minimè cogit: principem enim & sui iuris rationalem naturam condidit. Instructionibus, legibus, à malis prohibet, ad potiora exhortatur: sed inuitum neminem cogit, ne legem naturæ conquasset. Vnde per Prophetam clamat: Si uolueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Et iterum: Disci-

te bene facere. Et Dauid: Venite filij, audite me, timorem Domini docebo uos. & quàm plura his similia inueniuntur. cap. 2 de Regressu animar. ab infer.

Quomodo commissum. Petrus Alphonsus: Cum ergo creatoris obedientiam transire cordi eis immisit, sub eo cogitauit: postquam uerò cogitauit, elegit: postquam elegit, optauit: postquam optauit, & fecit: cum autem fecit, peccauit: postquam uerò peccauit, æqualitatem quam habebat, & sic immortalitatem amisit, & omnino, ut compositorum natura est, mortalitatem suscepit, ita quòd ulterius ab ea separari non potuit: unde & huiusmodi definitionem recepit, quòd rationalis & mortalis dictꝰ fuit. Quia & omnis qui de eius semine processit, naturam eandem & ipse habuit. In Dialogo, titulo 10.

Lombardus inquit: Tribus modis hominem tentauit, scilicet gula in persuasione cibi, cum dixit: In quacunque die comederitis. Inani gloria in promissione Deitatis, cũ dixit, Eritis sicut dij. Auaricia in promissione scientiæ, cum dixit: Scientes bonum & malum. Gula est immoderata cibi auiditas: uana gloria, amor propriæ excellentiæ: auaricia, immoderata habendi cupiditas, quæ non est tantùm pecuniæ, sed etiam altitudinis & scientiæ, cum supra modum sublimitas ambitur. libro secũdo, distinctione uigesimaprima. Item: Porrò sciendum est, duas esse species tentationis, interiorem scilicet & exteriorem. Exterior tentatio est, quando nobis extrinsecus malum uisibiliter suggeritur uerbo uel signo aliquo, ut ille cui fit, ad consensum peccati declinet: & talis tentatio tantùm fit ab aduersario. Interior uerò tentatio est, quando inuisibiliter malum nobis intrinsecus suggeritur: & hæc tentatio aliquando fit ab hoste, aliquando à carne. Nam & diabolus inuisibiliter mala suggerit, & ex carnis corruptione exoriuntur motus illicitus & titillatio praua. Ideoque tentatio quæ ex carne est, non fit sine peccato: quæ autem est ab hoste, nisi ei consentiatur, non habet peccatum, sed est materia exercendæ uirtutis. Tentatio autem carnis interior difficilius uincitur: quia interius oppugnans, de nostro contra nos roboratur. Homo ergo qui sola exteriore tentatione pulsatus cecidit, tanto grauius plectendus erat, quanto leuiori impulsu fuerat prostratus. Et tamen quia aliquam, licet modicam, cadendi occasionem habuit, idcirco per gratiam iuuari potuit ad ueniam: ut qui per alium ceciderat, per alium erigeretur. Qui ergo incitatorem habuit ad malum, non iniustè reparatorem habuit ad bonum. Diabolus uerò, quia sine alicuius tentatione peccauit, per alium, ut surgeret, iuuari non debuit, nec per se potuit: & ideo irremediabile eius peccatum extitit. Peccatum uerò hominis, sicut per alium habuit initium, ita per alium non incongruè habuit remediũ. Ibidẽ. Et: Solet quæri, utrum illa talis elatio & amor propriæ potestatis in uiro fuerit, sicut in muliere? Ad quod dicimus, Quia Adam non fuit seductus eo modo quo mulier. Non enim putauit esse uerum quod diabolus suggerebat. In eo tamen fuisse seductum credi potest, quòd commissum ueniale putauerit, quod peremptorium erat. Sed nec prior seductus fuit, nec in eo in quo mulier, ut crederet Deum illud lignũ ideo tangere prohibuisse, quoniam si tangerent, fierent sicut dij. Veruntamen præuaricator fuit Adam, ut testatur Apostolus. Poterat enim aliqua elatio menti eius inesse ilico post tentationem, ex qua uoluit lignum uetitum experiri, cum mulierẽ nõ uideret mortuam esca illa percepta. Ibidẽ dist. 22.

Vbi. Rupertus: Primus Adam in horto, scilicet in paradiso, qui interpretatur hortus, inobediens inuentus, imò à serpente circumuentus est. Secundus Adam autem obediens inuentus. libro decimotertio, capite 18 in Iohan.

Bernhardus ait: Nusquam est securitas, fratres, neque in cœlo, neque in paradiso, multo minus in mundo. In cœlo enim cecidit angelus sub pręsentia diuinitatis, Adam in paradiso de loco uoluptatis, Iudas in mũdo de schola Saluatoris. Serm. de ligno, fœno & stipula.

De pœnis lapsus inquit Rupertus: Deus peccantem primum hominem iustè priuauit gloria paradisi, nihilque debens cunctis hominibus. libro primo Commentar. in Iohannẽ, capite primo. Item: Primus homo spiritum fortitudinis quo incessit, perdiderat, destitutus omni pręsidio. Spiritum sciẽtiæ, quo similiter abundauit, primus homo perdidit, dũ plus scire appetiuit. Spiritũ pietatis, quo omnino plenus, amisit. Spiritũ timoris Domini, requiescẽtẽ super illũ, à se repulit primus homo. lib. 2 Com. in Iohan. cap. 1. Et: Omnes homines per unũ hominẽ mortui in anima, mortales & quotidie morientes in corpore, & utroq; æterna digna nascũtur condẽnatione. Ab ista duplici morte ꝑ gratiã Dei saluãtur. Ibidẽ lib. 5. ca. 5. Et: Primi parẽtes nostri & prius ęterna morte animæ intrinsecus mortui sunt, & deinde morte quoq; corporis extrinsecus mortui sunt. Ibidẽ lib. 6. cap. 6. Et: Peccante Adã, in quo omnes peccauerũt, omnes nihilominus in eo duplici stola, scilicet corporis & ani-

& animæ fœlicitate spoliati sunt. lib.4 Cō. in Apol.cap.6. Et:Primus Adam propositā Dei contēpsit similitudinē, perdēdo fidem, amittendo spē, nō habendo charitatē. Fidē quippe perdidit, qui serpenti magis quàm Deo credidit. lib.6 de glorif. Trinit. & process. Spiritus sancti, cap.19. Et:Primus parēs in paradiso diues, extra paradisum pauper. Primus parens liber ante culpā, seruus post culpā. Magnæ huius diuitiæ, quia abūdauit omnib. quę uoluit, quādiu uoluit quę Deus iussit. Vera huius libertas, quia sub solo Dei fuit dominio, quādiu bene usus est libero arbitrio. Vbi autē uoluit quod Deus noluit, diues eguit, liber seruiuit. Eguit medico, seruiuit peccato. Extūc pro gloria sortitus est ignominiā, pro trāquillitate sollicitudinem, pro colloquio angelorum murmur & tumultum uiciorum. Extunc fecit illum princeps huius mundi regnum suū, fortis armatus atrium suum, pater tenebrarum obcæcatum suum. Hildebertus epist. 53. Item:Finis operum peccati est mors. Rupertus lib.9 Comment.in Iohan.cap.9.

Bernhardus ait: Sic peccata nostra inter nos & Deum separant, inter creatorem patremq; spirituum, & spiritualem utiq; creaturam. Ser.in festo S.Mart.

Lombardus ait: Cū igitur in hoc omnes consentiant catholici tractatores, scilicet, quòd Deus nō est autor malorū, cauendū est tamen, ne malorū nomine pœnas sicut peccata generaliter includas. Pœnarū enim Deus autor est, sicut ipse per Prophetā ait: Nō est malū in ciuitate quod Dominus nō fecerit. Itē alibi ex persona sua ait: Ego sum Deus, creās malū, & faciēs bonū. Ecce, hic dicitur creasse & fecisse malū: sed mali nomine pœna intelligitur, nō peccatū: sicut econuerso cū dicitur, Deus nō est autor malorū: nomine mali peccata intelliguntur. lib.2.distinct.37.

Mors. Bernhardus: Quòd si, ut uerū est & indubitabile, mors animæ iniquitas est, absolutam proinde liquet esse sentētiā, quòd iniquitatem qui diligit, odit animā suam. Serm.5 de dedicat. Eccles.

Peccatorū fructus seu effectus. Bernhardus: Sic enim peccati cogitatio decolorat, affectio uulnerat, sic cōsensus omnino animā necat. Serm.de cute, carne & ossib. animę. Itē: Peccatū quippe pręcessit, ut sequeretur mors: quod sanè si cauisset homo, mortē nō gustasset in æternū. Peccādo itaq; uitā amisit, & mortē inuenit: quoniā quidē & Deus ita p̄dixerat, & iustū profectò erat, ut si peccaret homo, moreretur. Quid nāq; iustius poterat, quàm recipere talionē? uita siquidē Deus animæ est, ipsa corporis. Peccādo uolūtariè uolēs perdidit uiuere, nolens perdat & uiuificare. Spontè repulit uitā cū uiuere noluit, nō ualeat eā dare cui uel quatenus uoluerit. Noluit anima regi à Deo, nō queat regere corpus. Si nō paret superiori, inferiori cur imperet? Inuenit cōditor suam sibi rebellē creaturā, inueniat anima suā sibi rebellē pedissequā. Trāsgressor inuētus est homo diuinæ legis, inueniat ipse aliā legē in mēbris suis, repugnātē legi mētis suę, & captiuantē se in legē peccati. Porrò peccatū (ut scriptū est) separat inter nos & Deum, separet proinde etiā mors inter corpus nostrū & nos. Nō potuit diuidi à Deo anima nisi peccādo, nec corpus ab ipsa nisi moriēdo. Quid itaq; austerius pertulit in ultione, id solum passa à subdito, quod pręsumpserat in authorē? Nil profectò cōgruētius, quàm ut mors operata sit mortē, spiritualis corporalē, culpabilis pœnalē, uolūtaria necessariam. cap.11 ad milit.Tēp. Itē: Si uidisti hominē scalpere manus, & usq; ad sanguinē cōfricare, euidētem habes in eo similitudinē animæ peccātis expressam. Cedit siquidē uoluptas illa dolori, & succedit pruritui cruciatus. Neq; id ignorabat, sed dissimulabat ille dū scalperet. Cap.4 de Cōuersione ad clericos. Itē: Peccatū, quod mors animę est, nec cōpunctionis mihi sensum, nec confessionis reliquerat uocē, & erā mortuus. Venit is qui peccata dimittit, & utrūq; restituit, & dicit animæ meę: Salus tua ego sum. Quid mirū, si cecidit mors, ubi uita descendit? Ser.15 super Cantica. Itē: Peccatū, quoniā nihil est, nulla potest foraminis angustia retineri. Solū hoc te sequitur quocūq; ieris: quacūq; intraueris, pellem hanc nō depones. Serm.de uerbis Euāg. Dixit Petrus ad Iesum: Ecce nos relinquimus omnia.

Petrus Cluniacensis ait: Quòd plurima & preciosa corporis nostri membra, peccātis nostris hoc promerentibus, iudicij diuini gladius amputauit. lib.5.epist.36.

Peccata nos nō posse æstimare, Petrus Alphonsus docet: Maiorū, inquit, & minorum criminum quantitatem nos non scimus discernere, nisi secundum modum ultionis à Deo indictæ. In Dial.tit.2.

Finis lapsus. Petrus Alphonsus: Dānatū genus humanū ex serpentis cōsilio & primi parētis Adæ peccato, dānatum inquam, ac duplici (ut diximus) morte mulctatū. In Dial.tit.10. Item: Propria deinceps iniquitate in laqueū diaboli reciderūt homines. Ibid.

De incremētis peccati inquit Rupertus: Tria sunt incremēta peccati, q̄ in hominib. tādē iustū cōsequitur iudiciū Dei. Primùm iniquitatē mēte cōcepisse. Deinde ipsam iniq̄tatē nō semel aut uno actu, sed multipliciter adimplesse. Deinde opera iniq̄tatis defendēdo peccare. li.1 de Vict.uerbi Dei, c.21.

Non

Non latent. Bernhardus: Parietes, inquit, sunt undique, quis me uidet? Esto, nemo te uideat, non tamen nullus. Videt te angelus malus, uidet te angelus bonus, uidet & bonis & malis maior angelis Deus: uidet accusator, uidet testium multitudo, uidet & ipse iudex cuius te oportet assistere tribunali: sub cuius sanè oculis uelle delinquere tam insanum, quàm horrendum incidere in manus Dei uiuentis. Noli esse securus, latent insidiæ quas latêre non possis. Latent, inquam, insidiæ, quas ut deprehendere ipse non potes, sic non potes ipse non deprehendi. Audit planè qui plantauit aurem: & qui finxit oculum, ipse considerat. Non illius solis arcet radios maceria lapidũ, quos ipse creauit: nõ uel ipse corporis huius paries ueritatis excludit aspectũ. Nuda sunt eius oculis omnia, penetrabilior est ancipiti gladio. Ipsas quoque non modò cernit, sed & discernit cogitationũ uias & medullas affectionum. De Cõuers. ad clericos, cap. 16.

Non est substantia. Lombardus: Abstinere à cibo, non est aliqua substantia: tamen substantia corporis, si omnino abstinetur à cibo, languescit & fatigatur. Sic non est substantia peccatum, eo tamẽ natura animæ corrumpitur. lib. secundo, distinctione trigesimaquinta. Item: Substantia intelligitur illud quod sumus, quicquid sumus, homo, pecus, terra, sol, omnia ista substantiæ sunt: & eo ipso quo sunt, naturæ ipsæ substantiæ dicuntur. Nam quod nulla est substantia, nihil omnino est. Substantia ergo est aliquid esse. Deus fecit hominem substantiam, sed per iniquitatem lapsus est homo à substantia, in qua factus est: iniquitas ipsa quippe non est substantia. Non enim iniquitas est natura quam Deus formauit, sed iniquitas est peruersio quam fecit homo. Naturæ omnes per ipsum factæ sunt, iniquitas per ipsum non facta est: quia iniquitas non est substantia. In hymno trium puerorum uniuersa creatura laudans Deum commemoratur. Laudant enim omnia Deum, sed quæ fecit Deus. Laudat ibi serpens Deum, sed non auaricia. Omnia reptilia ibi nominata sunt, sed non aliqua uitia. Vitia enim ex nobis & ex nostra uoluntate habemus, & uitia nõ sunt substantia. distinctione trigesimaseptima, libro 2.

Laudare peccata uitiosum. Bernhardus: Blanda, sed periculosa laus, cum laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur. epist. 78. Item: Iustus corripit in misericordia, peccator adulatur in iniquitate: ille ut curet, iste ut occultet, quod erat curandum. Nihil tibi apud eos qui timentes Dominum, &c. Ibidem.

Peccata non plenè tolli, nisi morte. Bernhardus: Audistis de quodam quem Dominus curauit à dæmonio, quoniam collidẽs & multùm discerpens eum dæmon, exiuit ab illo. Itaque dico uobis, genus illud peccati quod totiens conturbat nos (concupiscentias loquor & desideria mala) reprimi quidem debet, & potest per gratiam Dei, ut non regnet in nobis. Nec demus membra nostra arma iniquitatis peccato, & sic nulla dãnatio est his qui sunt in Christo IESV: sed nõ eijcitur nisi in morte, quando sic discerpimur, ut anima separetur à corpore. Sermone sexto de aduentu Domini.

DE ORIGINALI PECcato.

Originale. Lombardus: Ex quibus etiam innotescit, quare dicatur originale peccatum: ideo scilicet, quia ex uitiosa lege originis nostræ, in qua concipimur, scilicet carnis libidinosa concupiscentia, traducitur. libro secundo, distinctione trigesima prima.

Quid. Bernhardus: Originale quidem maximum illud delictum uocatur, quod à primo Adam contrahimus, in quo peccauimus omnes, pro quo morimur uniuersi. Maximum planè, quod sic totum non modò genus humanum, sed & quemlibet ipsius generis occupat, ut non sit qui euadat, non sit usque ad unum. A' primo homine usq; ad nouissimum protenditur, & in singulis quoque à planta pedis usque ad uerticem diffunditur hoc uenenum. Sed & aliter nihilominus in uniuersam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die qua sua quemque concipit, usque ad eam qua communis eum recipit mater. Alioquin unde graue iugum super omnes & totos filios Adam, idque à die exitus de uentre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrẽ omnium? In sordibus generamur, in tenebris confouemur, in doloribus parturimur. Ante exitum miseras oneramus matres, in exitu more uipereo laceramus, mirum quòd non ipsi pariter laceramur. Primam uocẽ plorationis edimus, meritò quidem, utpote uallem plorationis ingressi, ut nobis illud sancti Iob ex omni parte possit aptari: Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miserijs. Sermone feria quarta hebdom. pœnosæ, de pass. Dom.

Lombardus Inquit: Est & illud peccatum originale, ut apertè Augustinus testatur, quod per Adam transiuit in omnes per eius carnem unitam concupiscentialiter generatos.

neratos.lib.secundo,distinct.trigesima.Itē: Ex his datur intelligi,quid sit originale peccatum,scilicet uitium concupiscētiæ,quod in omnes concupiscentialiter natos per Adam intrauit,eosq; uitiauit.libro secundo, distinct.30.

Vnde. Rupertus:Peccatum generandi naturam non attulit, sed generationis instrumenta corrupit,& generi honorem eripuit.lib.2 Comment.in Genes.cap.9. Itē: Quia uterque, scilicet masculus & fœmina, præuaricator,& uterque Adam (id est, homo) est,rectè is qui nascitur & moritur, & in Adam mori dicitur, quia uidelicet hæredirate uitæ,quam parens uterque iustè perdidit,filius iustè priuatur.Ibidem capite uigesimoprimo.

Bernhardus inquit:Lætare pater Adam, sed magis tu ô mater Eua exulta, qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores:&.quod infelicius est,prius peremptores,quàm parētes.Ambo (inquam) consolamini super filia,&c. homilia secunda de B.Virgine. Et: Neque enim dubium, quin à primis parentibus in nos traducta sit lex ista peccati. Omnes siquidem in peccatrice uoluptate generamur:propterea, licet inuiti, illicitos quosdam motus concupiscentiarum, & tanquam bestiales sentimus. Dixi uobis sæpius, nec mente excidere debet,quoniam in casu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem super aceruum lapidum,& in luto:unde non solùm inquinati, sed etiam uulnerati, & grauiter quassati sumus. In sermone de Cœna Dom. Et: Quicunq; de massa præuaricante mundum ingredimur, longam restem originalis peccati nobiscum trahimus: solus ille qui peccatum non fecit,excipitur, quem uirginalis uteri thalamus ignorantis uirum terris effudit. Longè quippe aliter quàm nos,& dissimili modo conceptus est, Spiritu sancto tota maiestate uirginem inundante, superans usum carnis, naturæ ordinem, uiri commixtionem.Sic quippe decebat, ut peccatum nesciret,qui peccatum tollebat:ut similitudinem carnis peccati susciperet, non autē carnē peccati.Serm.de excellent.& sanct.beati Iohan.Baptistæ.

Lombardus ait:Quod ergo ait,Per inobedientiam unius multi cōstituti sunt peccatores: eo sensu dictum esse intelligendū est, quia ex inobedientia Adæ, scilicet ex peccato actuali Adę,processit originale peccatum, quo omnes peccatores nascuntur: ut ex illo esset,& in omnes transiret. lib. 2. dist.30.

Omnes peccatores. Petrus Alphonsus: Natura corporis à peccato sibi cauere non sustinet.Testatur hoc ex Genes.6 & 8: Mēs hominis ad nequitias,&c.Item in Ecclesiaste cap.7: Non est homo in terra qui faciat bonum,& non peccet.In Dial.tit.10. Item: Omnes alij sancti, qui sunt nati de fœmina & uiro, carnaliter concepti in peccato, & omnes fuerunt peccatores, & ipse Moyses cōfitetur se peccasse: excepto isto iusto qui nunquam peccauit,nec inuentum est mendacium in ore eius. Samuel Israelita in Parast.cap.13.

Petrus Blesensis ait: Si peccauit,& nos peccauimus omnes, & egemus gratia Dei. Epist.44.

Omnes peccatores nasci, docet Rupertus:Ex qualiumcunq; parentum sanguinibus pullulando nascuntur secundum ueterem Adam, per quem & præuaricationis principem diabolum contingunt.libro primo Comment. in Iohan. capite primo. Item:Nos singuli non sine peccato procedimus ex utero materno.Ibidem. Item:Non glorietur quis quòd ex sanctis parentibus carnaliter generatus sit, uidelicet quomodo gloriari solent Iudæi,quòd semen Abrahæ sint. Non enim quòd illis uel illis parentibus carnaliter quis natus sit, idcirco magis aut minus computatur inter filios Dei.libro primo Com.in Iohan.cap.1. Et:Ex sanguinibus Christianorum parentum, quamlibet fidelium & iustorum,qui nascuntur filij, nascendo accipere non possunt,ut sint Christiani, quamlibet nascantur ex parentibus Christianissimis: quia uidelicet parentes non ex eo quòd Christiani sint, sed ex eo carnaliter generant quòd homines sint: id est, non per Christi gratiam,sed per carnis naturam, atque ideo non in Christo generant,sed in Adam.Ibidem. Item: Omnes patres,quantùuis fideles, mortui, ea uidelicet ex causa,qua omnes homines moriuntur in Adam. Ibidem libro sexto,capite sexto. Et: Omnes filij hominum, qui nascendo ex sanguinibus & ex uoluntate carnis atq; ex uoluntate uiri,nascuntur secundum ueterem Adam,& per illum parentem diabolum contingunt. Ibidem lib. 11. capite 13.

Bernhardus ait: Sine quo generalis uelamine confusionis nemo filiorum hominum intrauit hāc uitam, uno sanè excepto, qui ingreditur sine macula. Emanuel is est, qui tamen & ipse ex nobis, pro nobis, nostri se induit maledicti nostrique peccati similitudinem, non ueritatem. Sic enim habes:Quia apparuit in similitudine carnis peccati,ut de peccato damnaret peccatum in carne. Decæterò unus omnibus per omnia introitus est, electis dico & reprobis. Non enim est distinctio. Omnes peccauerunt,

runt, & omnes capitiū suæ uerecundiæ portant. Sermone septuagesimo octauo super Cantica.

Petrus Cluniacensis ait: Qui sunt qui nō peccauerunt? Nónne de ipsis paruulis ait Sermo diuinus: Non est super terram sine peccato, nec infans unius diei? Nónne & ab ore magni illius hominis in ora omnium Christianorum deriuatum est: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea? Et quid necesse est rem patentem multis testimonijs cingere? Vtiq; nullus absq; peccato, sic nec infans unius diei absq; peccato. Nam cum dicit, In iniquitatibus conceptus sum: non solùm iniquitatem parentum cōcipiétium notat, sed & concepti peccatum à parentibus tractum pœnitendo commemorat. Nec enim inde sibi misereri Deum rogaret, ubi peccati miseriam non recognosceret. lib. 1 Epistol.

Peccatum transijt in posteros. Lombardus: Peccatum simul ac pœnam per eum transisse in posteros, sicut Apostolus ostendit, inquiens: Sicut per unū hominem peccatum in hunc mundum intrauit, ita in omnes homines mors pertransijt. libro secūdo, distinctione trigesima. Hoc autem dicunt intrasse in mundum, non traductione originis, sed similitudine præuaricationis: omnesque in illo uno peccasse dicunt, quia omnibus ille unus peccandi exemplum extitit. Hoc malè senserunt quidam hæretici, qui dicti sunt Pelagiani. Ibidem. Et: Non est igitur accipiendum, peccatum Adæ transisse in omnes imitationis tantùm exemplo, sed propagationis & originis uitio. Ibidem.

Vnum peccatum in multos transit. Petrus Cantor: Peccatum enim unius sæpe redundat in uniuersitatem, & econuersò. capite 60.

Esse culpam. Lombardus: Peccatum itaque originale culpa est, quam omnes cō cupiscentialiter concepti trahunt. libro secundo, distinctione trigesima. Item: Aliud est enim culpa, aliud pœna: alterum est Dei, id est pœna: alterum diaboli uel hominis, id est culpa. Ibidem distinctione trigesima quinta.

De reatu inquit Lombardus: Reatus in Scriptura multipliciter accipitur, scilicet pro culpa, pro pœna, pro obligatione pœnæ temporalis uel ęternæ. Si enim mortale est, obligat nos pœnæ æternæ: si ueniale, obligat nos pœnæ temporali. libro secundo, distinctione 42.

Quomodo ex parentibus transeat. Lombardus: Nunc superest inuestigare qualiter illud peccatum à parentibus traducatur in filios, scilicet an secundum solam animam, an secundum carnem, siue secundum utrumque? Putauerunt quidam secundum animam trahi peccatum originale, non solùm secundum carnem: quia non solùm carnem, sed & animam ex traduce esse arbitrati sunt. Sicut enim in generatione prolis de carne paterna substantialiter trahitur caro, ita etiam de gignentis anima animam geniti essentialiter deduci ab his existimabatur. Ideoque sicut de corrupta carne caro corrupta seminatur, ita etiam de anima peccatrice, anima peccatrix corruptione originali infecta ab illis trahi dicitur. libro secundo, distinctione trigesima prima. Item: Non est ignorandum, peccatum duobus modis dici esse in aliquo, & transire, scilicet actu & reatu. Actu est in aliquo, dum ipsum quod peccatum est, ut actio uel uoluntas, in peccante est. Reatu uerò, cum pro eo, siue transierit, siue adsit, mens hominis polluta est & corrupta, totusque homo supplicijs obligatur perpetuis. Nec unquam est in aliquo peccatum actu, præter originale, quin sit etiam reatu: sed est reatu intelligendum, postquam trāsijt actu. Ibidem dist. 41.

Quomodo renati propagent peccatum originis. Lombardus: Ne autem miremur, & intellectu turbemur, audientes peccatū originale filios traducere à parentibus, iam per baptismum ab illo peccato mundatis: diuersarum similitudinum inductione id posse fieri insinuat August. in libro de Baptismo paruulorum, inquiens: Quomodo præputium per circumcisionem aufertur, manet tamen in eo quem genuerunt circūcisi: quomodo etiam palea, quæ opere humano tanta diligentia separatur, manet tamen in fructu qui de purgato nascitur tritico: ita peccatum quod in parentibus per baptismum mundatur, manet in eis quos genuerunt. Ex hoc enim gignunt, quod adhuc uetustum trahunt: non ex hoc, quòd lex in nouitate promouit eos inter filios Dei. Non enim generant parentes filios secundum illam generationem, qua denuò nati sunt: sed potius secundum illā, qua carnaliter & ipsi primùm sunt generati. lib. 2. distinct. 31.

Quomodo peccatum originis maneat post lapsum. Lombardus: Hic apertè ostendit, ea ratione dimitti in baptismo, nō quia non maneat post baptismum, sed quia reatus in baptismo aboletur. Deinde idem ipse ostendit, eo modo etiam dimitti in baptismo, quia baptismi gratia concupiscétia ipsa mitigatur & minuitur. libro secundo, distinct. 32.

Hugo Eterianus inquit: Hinc est quòd filij

filij originale peccatum à parentibus (quibus per fidei sacramentum dimissum est) contrahunt. Nam quamuis ad culpam dimissum sit, ad pœnam tamen retentum obsidet genus humanum. Est enim originale peccatum fomes actualis peccati, concupiscentia, lãguor naturæ, qui mouet mala desideria. Quod quidem peccatum primi hominis ex uolũtate prodijt: sed posteris non ex uoluntate inest, sed sicut dictum est, ex societate. Nec mireris, si à parentibus ab illo peccato mundatis per baptismum filij traducunt originale peccatum: quia in puro seminis grano remanet palea. Item pater nõ generat filium eo quòd baptizatus, sed in eo quòd carnaliter ipse generatus fuit. de Regressu animar. ab infer. capite quarto.

Peccatum originis nostrum esse. Bernhardus: Aliena lauit aqua, quos culpa inquinauerat aliena. Nec tamen sic alienã dixerim, ut negem nostram, alioquin nec inquinaret. Sed aliena est, quia in Adam omnes nescientes peccauimus: nostra, quia etsi in alio, nos tamen peccauimus, & nobis iusto Dei iudicio imputabatur, licet occulto. Veruntamen ut iam non sit quod causeris, ô homo, contra inobedientiam Adæ datur tibi obedientia Christi, ut si gratis uenundatus es, gratis & redimaris. Si nesciens in Adam peristi, nesciens uiuificeris in Christo. Nescisti quando ad lignum uetitum uetus Adã tetendit manus noxias: nescisti nihilominus, quãdo de ligno salutifero innoxias manus Christus extẽdit. A' primo homine in te manauit macula, qua inquinatus es: à Christi latere aqua, qua mundatus es. Nũc iam inquinatus propria culpa, propria nihilominus aqua mundaberis, ab illo tamen, & per illum, qui solus est purgationem faciens peccatorum. Serm. 1 Dominic. 1 post Epiph.

De concupiscentia ait Bernhardus: Plus enim concupiscentia mundi, quàm substãtia nocet. Serm. de Bonis deserendis.

Lombardus inquit: Nomine autem concupiscentiæ, non actum concupiscẽdi, sed uitium primum significauit, cum eã dixit legem carnis. lib. 2. dist. 30.

Iohannes Salisberiensis ait: An nescis cõcupiscentiam lepram esse? Giezi consule. Si erubuerit confiteri quod sentit, conuince eum macula corporis. Sed quid dico Giezi consulendum, ac si solus sit? Orbem conueni, quia totus infectus est. Meipsum interroga, qui miserorum unus sum. Certè concupiscentia misera, & miserabilis lepra est. Nescis fortè quid dicam, concupiscentiæ pestem nescius infirmitatis ignoras, homo non concupiscens, & in eo supra hominem constitutus. Policrat. de curial. nugis, capite tertio, libro tertio. Item: Illi qui non reprimunt concupiscentiam malorum, utiq; fontem & fomitem dispẽdium salutis incurrent. Ibidem.

Effectus seu damna peccati originalis recenset Rupertus: Ob culpam paternæ præuaricationis paries inimicitiarum solui nõ potuit, ut uidissent gloriam Dei. libro primo, capite primo Comment. in Iohan. Et: Propter peccatum hominis uniuerso generi humano iratus est Deus. Ibidem libro secundo, capite primo. Et: Propter peccatum originale cœlum hominibus clausum est, & paries inimicitiarum subtextus. Iam per passionem apertum factum. Ibidem. Item: Gratiam amisimus, de cuius utero malè nati, & foras proiecti sumus, quando in primo parente, deserta paradisi requie, propter peccatum expulsi in hoc exilium decidimus. libro 3 in Iohan. cap. 2. Et: Propter peccatum originale æquè omnes siue Iudæi siue gẽtiles moriebamur, etenim de Iudæis quoq; fuimus filij iræ, sicut & cæteri: etsi (inquam) omnes infirmabantur homines, nos maximè infirmi eramus, cum spem non habentes longè essemus à Deo. lib. 6 Com. in Iohan. cap. 6. Et: Omne genus humanum à natiuitate cæcum, id est, à primis parentibus per originale peccatum diuinitatis uisione defraudatum est, maximè tamen gentium populus. Ibidem lib. 9. capite 9.

Petrus Cluniacẽsis ait: Sed nec uos præcedentem particulam negatis, omnes scilicet homines absque ulla exceptione in Adam mori, omnes condemnari. libro 1 Epist. Itẽ: Ea de causa propago humani generis in radice corrupta, sicut uitium, sic & eius damnationem ab origine traxit, & tota simul per longa secula lege iustitiæ morti æternæ subiacuit. Ibidem. Item: Vnde peccatum hominis, quod uelut aliunde in regnum eius se non iustè immiserat, iustè ordinans peccatorẽ damnauit, ac sempiternæ infelicitatis profugũ, miseriæ ac morti æternę cõtradidit. In tantũ quippe reus factus fuerat, ut omnino culpa eius in regno eius ordinatissimo inordinata remaneret, si minore quàm æterno supplicio Dei iustitia peccatorẽ puniret. Nec iam iustitia dici posset, quæ meritis condigna non redderet. Ibidem. Item: Impedit quidem à salute non baptizatos paruulos peccatum originale, propellit multo magis ab ea superadditum actuale. Ibidem.

Lombardus: Peccatum uerò, id est culpa, propriè animæ corruptio est. Si autem quęritur, In quo potest corrumpi anima? In parabola illius qui incidit in latrones, qui

eum uulnerauerunt & spoliauerunt, clarescit. Incidit enim homo in latrones, quando per peccatum in potestatem diaboli traditur: & tunc per peccatum spoliatur gratuitis bonis, id est uirtutibus, & in naturalibus bonis uulneratur, quae sunt ratio, intellectus, memoria & ingenium, & huiusmodi, quę per peccatum obtenebrantur & uitiátur. Per peccatum etiam priuatur illo bono, cuius participatione cætera bona sunt, quo tanto magis priuatur, quanto magis se ab eo elongat. lib. 2. dist. 35. Item: Nihil est autem quod hominē adeò Deo dissimilem faciat, quemadmodum peccatum. Cum autem peccatum sit priuatio uel corruptio boni quę est in anima, est etiā priuatio uel corruptio boni corporis: sicut corpus hominis priuauit beneficio illius immortalitatis & impassibilitatis, quam habuit ante peccatum. Ibidem.

Hildegardis ait: Omnis creatura præceptis Dei subiecta est, homo uerò semper ei rebellis existit, unde cæcus & surdus est, sed tamen Deo rebellare non potest. Deus enim facit quod beneplacitum illi est, non uidente homine: nec homo uidet oculis suis, nec audit auribus suis in carne, quomodo animam hominis in corpus Deus immittat, & quomodo illam auferat de corpore. Sed anima hominis intelliget Deum, cum mortale corpus suum reliquerit. Hildegard. lib. 2. uisione 6.

Phrases & regulæ.

Bernhardus: Non peccat, inquit, id est, non permanet in peccato: quia conseruat illum utiq;, ut perire non possit, ea quæ falli non potest generatio cœlestis. Siue nō peccat: id est, tantundem est, ac si non peccet, pro eo scilicet, quòd non imputatur ei peccatum: generatio enim cœlestis etiam in hac parte conseruat illum. Serm. primo in Septuages.

Nimirum peccatum faciens, seruus est peccati, seruus planè diaboli, ad praua quęq;, prout ducitur, sequens à quo nimirum captiuus tenetur ad ipsius uoluntatē. Bernhardus serm. de Sept. donis Spiritus sancti.

Lombardus: Sciendum est tamen, quædam sic esse peccata, ut etiam sint pœnæ peccatorum. libro secundo, distinctione trigesimasexta.

DE ACTVALI

Vnde. Bernhardus: Cum ergo mala in corde uersamus, nostra cogitatio est: si bona, Dei sermo est. Serm. 32.

De mortali peccato inquit Lombardus: Si autem omne peccatum mortale uoluntarium est, cum uoluntas mala peccatum sit mortale, constat ipsam esse uoluntarium peccatum. libro secundo, distinct. quadragesimaprima.

Richardus inquit: Omne mortale committitur agendo contra præcepta, uel contra conscientiam. Quicquid enim conscientia dictaret mortale, etiamsi ueniale esset, qui hoc contra talem conscientiam faceret, mortaliter peccaret, dicente Apostolo: Omne quod nō fit ex fide (id est, contra conscientiam) peccatum est: & quod cōtra cōscientiam fit, ædificat ad gehennā. Cętera quæ fiunt mortalia, contra præcepta fiunt. Sunt autem quædam peccata quę semper sunt mortalia, sicut sunt odiū, idololatria, ueneficium, maleficium, fornicatio, & huiusmodi. Ira uerò, impatientia, tristitia, auaricia, gula, superbia, inanis gloria, detractio, & multa talia non semper sunt mortalia, nisi uidelicet in his aliquis peccet per grauem contemptum, uel faciat cōtra præceptum, id est, contra dilectionem Dei & proximi. Super Cant. canticor. capite uigesimoquinto.

De dominante peccato inquit Bernhardus: Quoniam nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Serm. 7 de 7 uersu Psal. Qui habitat, &c.

De peccatis quæ scienter fiunt, Rupertus inquit: Hic modus peccati est deterrimus, cum quis non per ignorantiam, non per infirmitatem, sed scienter per superbiam peccare cognoscitur. Denique si per ignorantiam quis peccat, si per infirmitatem delinquit, adhuc uenia proxima est illi. libro primo Comment. in Mich. capite secundo.

De principalibus peccatis ait Lombardus: Præterea sciendum est, septem esse uitia principalia, uel capitalia, ut Gregorius super Exod. ait: scilicet, inanem gloriam, iram, inuidiam, acidiam uel tristitiam, auariciam, gastrimargiam, luxuriam: quæ, ut ait Iohannes Chrysostomus, significata sunt in septem populis, qui terram promissionis Israel promissam tenebant. De his quasi septem fontibus cunctæ animarum mortiferæ corruptelæ emanant. Et dicuntur hæc capitalia, quia ex eis oriuntur omnia mala. Nullum enim malum est, quod etiam non ab aliquo horum originem trahat. libro secundo, dist. quadragesimasecunda.

De peccato ueniali & mortali inquit Rupertus: Simpliciter errare, ueniale est: sed errorem eundem pertinaciter defendere, damnabile, quia hæreticum est. lib. 2 Com. in Micheam. cap. 5.

De peccato per infirmitatem, inquit Rupertus: Quamdiu per ignorantiā quis peccat, quamdiu per iuuentutem siue per infirmitatem

firmitatem quis delinquit, ingemiscens eo quòd uideat aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captiuum se ducentem in lege peccati, quæ est in membris suis, nondum Dominum exacerbauit, nondum Dominus sentẽtiam super illum iuramento firmauit. lib. 4 Com. in Amos, cap. 8.

De peccatis sanctorum ait Rupertus: Etiam minima peccata, sine quibus non omnino quamuis sancta mortalitas, uel mortalis sanctitas uitæ præsentis transigi potest, quotidianis remedijs palàm expurgari, ut non habeant imprudentes, ob quam uitę nostrę reprehensionem uideantur sibi quasi rationabiliter prædicationem nostrã contemnere. libro 11 Comment. in Iohan. capite 13.

Bernhardus ait: Peccatum, licet simul cum Christo cruci ipsius non dubitetur affixum, adhuc tamen interim non regnare quidẽ, sed habitare etiam in ipso, dũ uiueret, Apostolo permittebatur. Mentior si nõ ipse ait: Iam nõ ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Serm. de transitu S. Malach. episcopi.

De Pauli basphemia. Bernhardus: Paulus quidem blasphemus fuit, sed nõ in Spiritum sanctum: quia ignorans fecit in incredulitate. Nõ in Spiritum sanctum blasphemans, ideo consecutus est misericordiam. Serm. de conuers. Pauli.

De peccato in Spiritum sanctum inquit Rupertus: Iudæi dicentes Christum eijcere dæmonia in Beelzebub principe dæmoniorum, blasphemiam esse in Spiritum sanctum dicit. libro tertio Comment. in Ioh. capite secundo. Item: Ille contra Spiritum sanctum uerbum dicit, qui non per ignorantiam, sed per inuidentiam sanctæ Scripturæ contradicit, quæ sine dubio doces & uerba sunt Spiritus sancti, Quicunque dixerit, &c. Ibidem libro nono, capite decimosexto. Et: Dicere uerbum contra Spiritũ sanctum, non est per ignorantiam negare, sed per inuidiam blasphemare eum qui uenit, IESVM Christum. lib. 4 Comment. in Matth. cap. 5.

Lombardus ait: Quæritur quid sit illud peccatum in Spiritum sanctum uel ad mortem? Quidam dicunt, illud peccatum esse desperationis uel obstinationis. Obstinatio est induratæ mentis in malitia pertinacia, per quam homo fit impœnitens. Desperatio est, qua quis diffidit penitùs de bonitate Dei, æstimans suam malitiam diuinæ bonitatis magnitudinem excedere, sicut Cain, qui dixit: Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. Vtrumque uerò dicitur peccatum in Spiritum sanctũ, quia Spiritus sanctus est amor patris & filij, & benignitas, qua se inuicem & nos diligũt: quæ tanta est, cuius finis non est. Rectè ergo in Spiritum sanctum delinquere dicuntur, qui sua malitia Dei bonitatem superari putant, & ideo pœnitentiam non assumũt: & qui iniquitati tam pertinaci mente inhærent, ut eam nunquam relinquere proponant, & ad bonitatẽ Spiritus sancti nunquam redire, patientia Dei abutentes, & de misericordia Dei nimis præsumentes, quibus placet malitia propter se, sicut pijs bonitas. Isti nimia pertinacia & præsumptione peccant, autumãtes Deum esse nõ iustũ: illi desperatione, Deum non bonum existimant, tollentes in hoc turbulentissimo iniquitatum mari portum diuinæ indulgentiæ, quò se recipiant fluctuantes. Atque ipsa desperatione addunt peccata peccatis, dicentes misericordiam nullã esse, & quòd super peccatores necessaria damnatio debetur. libro secundo, distinct. 43. Item: Est etiam alia huius peccati assignatio. Hoc enim peccatum Augustinus definiens in libro de Sermone Domini in monte, ait: Peccatum ad mortem est, cum post agnitionẽ Dei per gratiam Christi, oppugnat aliquis fraternitatẽ, & aduersus ipsam gratiã, qua reconciliatus est Deo, inuidiæ facibus agitatur: quod fortasse est peccare in Spiritum sanctum, quod peccatum dicitur non remitti: non quia non sit ignoscendum peccanti, si pœniteat: sed quia tanta est labes peccati illius, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum suum mala conscientia agnoscere & annunciare cogatur: ut Iudas, cum dixit: Peccaui: facilius desperans cucurrit ad laqueum, quàm humilitate ueniam peteret. quod propter magnitudinem peccati iam ex damnatione peccati tales habere credẽdum est. Ecce quædam assignatio peccati in Spiritũ sanctum, uel ad mortem, hic proposita est, qua illud peccatum esse traditur oppugnatio fraternitatis post agnitionem, & inuidentia gratię post reconciliationem: quod species quędam obstinationis intelligi potest. Illam tamen definitionem Augustinus in libro Retract. rememorans, aliquid adijciendum ibi fore, nec asserendo se dixisse aperit, ita dicens: Quod quidem non confirmaui, quoniam hoc putare me dixi. Sed tamen addendum fuit, si in hac scelerata mentis peruersitate finierit hanc uitã: quoniam de quocunque pessimo in hac uita constituto non est desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. His uerbis insinuatur, peccatum præmissa definitione descriptum tunc solùm debere dici ad mortem uel in Spiritum

tum sanctum, cum non habet comitem pœnitentiam: nec de aliquo peccatore desperandum esse in hac uita, & ideo pro omni esse orandum. Vnde illud Iohannis, Non pro eo dico ut quis oret: sic accipiendum uidetur, ut pro aliquo peccante ad mortem uel in Spiritum sanctum, postquam finierit hanc uitam non oremus. Dum autem in hac uita est, nec peccatum illius iudicare, nec de illo desperare, sed pro illo orare debemus. Vnde Augustinus de uerbis Domini de impœnitentia, quę est blasphemia in Spiritum sanctum, sic ait: Ista impœnitentia, uel cor impœnitens, quamdiu quisque in hac carne uiuit, non potest iudicari. De nullo enim desperandum est, quamdiu ad pœnitentiam patientia Dei eum adducit. Paganus est hodie, Iudæus infidelis est hodie, hæreticus est hodie, schismaticus est hodie, quid si cras amplectatur catholicam fidem, & sequatur catholicam ueritatem? Quid si isti quos in quocunque genere erroris notas, & tanquam desperatissimos damnas, antequam finiant istam uitam, agant pœnitentiam, & inueniant ueram requiem & uitam in futuro? Nolite ergo ante tempus iudicare quenquam. Ex his ostenditur, pro singulis peccatoribus in hac uita esse orandum, nec de aliquo esse diffidendum: quia conuerti potest, dum in hac uita est. Quia non potest sciri de aliquo, utrum peccauerit ad mortem uel in Spiritum sanctum, nisi cum ab hac uita discesserit: nisi fortè alicui per Spiritum sanctum mirabiliter reuelatum fuerit. Ex prædictis aliquatenus capi potest, quomodo accipiatur peccatum in Spiritum sanctum, scilicet inuidentia gratię, fraternitatem impœnitenter oppugnans: quę utique obstinatio esse uidetur, & omnis impœnitentis obstinatio atque desperatio. Ibidem. Et: Qui ergo peccat per infirmitatem, uel per ignorantiam, facilè ueniam adipiscitur: sed non ille qui peccat in Spiritum sanctum. Ibidem.

Multitudinem peccantium non excusare. Petrus Cantor: Non minus peccas, quia cum multis peccas, sed magis. Nec minus ardes, quia cum pluribus ardes. capite 60.

DE LEGE.

Lex à ligando dicitur, eo quòd homo in mandatis Dei loris obedientiæ ligetur. Honorius Augustud. in Psalm. 1.

Quid sit. Honorius: Lex Domini est mala deuitare, & bona facere, quod est iustitia & dilectio. Iustitia quippe est malum deuitare, dilectio bonum facere. In Psal. primum.

De lege naturæ ait Iohannes Salisberiensis: Parricidij siquidem species est, impugnare iura naturæ: & sacrilegij instar, parentis leges euacuare, & matri omnium honorem debitum non referre. Policrat. de curial. nugis lib. 1. cap. 2.

De duplici lege ait Bernhardus: Duplex in lege ueteri præceptorum genus inuenio. Sunt enim moralia quædam, ut est: Non concupisces, Non adulterabis, Honora patrem tuum. & his similia. Sunt etiam figuratiua & umbratilia quædam, ut est taurorum immolatio, & sanguis hircorũ. Serm. 28 Paruor. sermon.

Præceptorum diuinorum diuisionem ponit Petrus Cluniacensis: Quòd diuina mandata partim mobilia, partim sunt immobilia. libro tertio, epistola uigesimaoctaua.

Duæ tabulæ. Lombardus: Habet enim Decalogus decem præcepta, quæ sunt decachordum psalterium, quæ sic sunt distributa, ut tria quæ sunt in prima tabula, pertineant ad Deum, scilicet ad cognitionem & dilectionem Trinitatis: septem quę sunt in secũda tabula, ad dilectionem proximi. lib. 3. dist. 37.

Vnde lex. Petrus Alphonsus: Spiritus sanctus legis fundamentum extitit, atque ab ipso data, ac per ipsum prædicata fuit. In Dial. tit. 12.

De præcepto Adæ dato inquit Hildegardis: Creato Adã, pater, qui lucidissima lux est, dedit per Verbum suum in Spiritu sancto ipsi Adæ dulce præceptum clarissimæ obedientię, adhærentis ipsi Verbo in multo imbre fructuosę uirtutis: quia per ipsum Verbum suauissimus humor sanctitatis à patre in Spiritu sancto stillauit, faciens maximum & plurimum fructum, sicut purus humor super gramen descendens, illud ad multum germen fœcundat: cuius quidem odorem homo naribus sensit, sed gustu oris non libauit, nec manib. attrectauit: quoniam ipse pręceptum legis cum intelligentia sapiẽtiæ quasi naribus attraxit, sed uim illius intimę perfectionis in os perfectè nõ intromisit, nec opere manuum in plenitudine beatitudinis adimpleuit, hoc modo se auertens atq; cadens in densissimas tenebras, ex quibus se erigere nõ ualuit: quia diuino præcepto, suggerente diabolo, terga dedit, in baratrum mortis corruẽs, quia Deum non in fide nec in opere exquisiuit. Vnde ad ueram cognitionem eius, peccatis grauatus surgere non potuit, donec ille uenit qui patri suo pleniter sine peccato obediuit. Visione 1. lib. 2.

Tota lex seruanda Petrus Cantor: Non sufficit partẽ legis custodire. Necesse enim habemus omnia pręcepta obseruare & iudicia,

dicia. Non solùm autem Iudæis, sed omnibus gentibus hæc obseruanda sunt, si Domino militare uolunt. cap. 41.

A' præceptis Dei non est discedendum. Petrus Cantor: Non est igitur ab eis recedendum, in casibus maximè spiritualibus earum, cũ nec sint de ceremonialibus, sed ad literam obseruanda. cap. 41.

Nemo implet legem. Bernhardus: Etsi proximo fortè uidetur quis reddere plus quàm debet, Deo tamen nunquam totum reddit quod debet. Serm. de uerb. Orig.

Lombardus ait: Illud autem pręceptum non penitùs impletur ab homine in hac mortali uita: sed ex parte, non ex toto: quia ex parte diligimus, sicut ex parte cognoscimus. In futuro autem implebitur ex toto. lib. 3. dist. 27.

Cur lex impossibilis urgeatur. Bernhardus: Nec latuit præceptorem, præcepti põdus hominum excedere uires: sed iudicauit utile, ex hoc ipso suæ illos insufficientię admoneri, & ut scirent sanè ad quem iustitiæ finem niti pro uiribus oporteret. Ergo mandando impossibilia, non præuaricatores homines fecit, sed humiles, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Accipientes quippe mandatum, & sentientes defectum, clamabimus in cœlum, & miserebitur nostri Deus, & sciemus in illa die, quia non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Serm. 50 super Cantica.

Lombardus inquit: Sed cur præcipitur homini ista perfectio, cum in hac uita eam nemo habeat? Quia non rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Ecce habes cur illud præceptum est, quod hic penitùs impleri non potest. Impletur tamen ex parte, scilicet secundũ perfectionem uiæ. Alia est enim perfectio currentis, alia peruenientis. lib. 3. dist. 27.

Nemo per legem iustificatur. Rupertus: Per legem nemo unquam ad uisionem Dei rediјt. lib. primo Comment. in Iohannem, capite 1.

Legis impletor. Bernhardus: Venit proinde plenus gratia & ueritate Christus Dominus noster, ut ex hoc iam moralia quidem impleãtur per gratiam: quæ uerò umbratilia & mystica fuerant, reuelata ueritate deinceps non ad literam obseruentur, sed secundum spiritum spiritualiter intelligantur. Propterea iam non aries uel taurus homine peccante mactatur, sed uiua corporis hostia, rationale & acceptabile sacrificium, in ieiunijs & laboribus ueniam meretur pariter & gratiam. Serm. 28 Par. sermonum.

Petrus Cantor inquit: Nolite, inquit, putare, quia ueni soluere, id est non implere, legem uel Prophetas. Non ueni soluere legem, sed adimplere, & quoad ueritatem prædictorum de mea lege & à Prophetis, & quoad significationem figurarum & ceremonialium in moralibus, & quoad impletionem mandatorum: nec dico implere tantùm, sed adimplere, perfectè scilicet adimplere in me & in membris meis. cap. 66. Item: Aut unus apex, id est, minimulũ mandatum, siue minima alicuius præcepti particula, non præteribit à lege, donec omnia fiant, non remanebit quin impleatur in meo capite, uel in corpore meo, in exhibitione ueritatis figurarum, in spirituali impletione mandatorum, & in perfectione moralium, ut imperfecta perficiantur. Ibidem.

Quomodo soluatur lex. Petrus Cantor: Qui ergo soluerit, id est, non impleuerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic hominem, scilicet soluere exemplo uel uerbo & expositione arcum Domini remittente & molliente, minimus uocabitur in regno cœlorũ, id est, despectissimus & stultus, imò nullus, id est, pro nullo in Ecclesia sanctorum reputabitur, in Ecclesia triumphante uel militante. cap. 66. Et: Quanto magis reus erit, qui maiora præcepta eneruando docet soluere, id est, non implere? Ibidem.

Finis legis est ostendere peccatum. Rupertus: Hoc ante aduentum Christi nullatenus effici poterat: quia uidelicet lex, quę data fuerat peccatum ostendere tantùm, non etiam auferre ualebat. libro 2 Com. in Iohan. cap. 1. Item: Tulit Deus hominem, & posuit eum in paradisum uoluptatis, ut operaretur & custodiret eum. Quid operaretur? operaretur utiq; opus Dei, quod nõ est aliud nisi opus fidei, nisi officium spei, nisi obsequium charitatis. Dicat aliquis: Cur non absq; ulla conditione, absq; ullo præcepto posuit illum in paradiso? Nónne melius fuisset, nullum dedisse pręceptũ, quàm positione præcepti facere pręuaricationi locum? Vbi enim præceptũ non esset, nec præuaricatio. Ad hęc inquam: Vnde ergo homo copularetur Deo, si non illi subiugaretur obedientiæ iugo, si non acciperet commissum in quo deberet fidelis existere Deo? Vbi enim nullum commissum est, ibi & nulla comparet fides. Porrò sine fide impossibile est placere Deo. Quasi uerò nunc aliter agat Deus, aut aliter quempiã acceptum habeat, nisi per fidé. li. 2 in Gen. ca. 30.

Lex terret. Bernhardus: Legem relegés, quæ misericordiam nescit, nouit iustitiam. Lex dura duris & lapideis promulgata, parata percutere, nesciés misereri. Lex excludens pœnitentiæ locum, ueniam negans, emẽdationis ignara. Lex uinum durum & acidum de botris amarißimis eliquatum, consecratum feritati, deriuatum Israeli, Saluatori propinatum. Vinum de quo dentes bibentium obstupescunt. Serm. in festo B. Mariæ Magdal.

Lex nobis grauis. Bernhardus: Lex graue utiq; & importabile iugũ super omnes filios Adam, heu inclinans & incuruans ceruices nostras, adeò ut uita nostra inferno appropinquauerit. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Quo utique sic premor, ut nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Sub hoc onere grauatus gemebat, qui dicebat: Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis? Vbi dixit, Factus sum mihimetipsi grauis: ostendit quòd lex ipse sibi esset, nec alius hoc quàm ipse sibi fecisset. Quòd autem Deo loquens præmisit, Posuisti me contrarium tibi: Dei se tamen nõ effugisse legem indicauit. Hoc quippe ad æternam iustamque legem Dei pertinuit, ut qui à Deo noluit suauiter regi, pœnaliter à seipso regeretur: quiq; spontè iugum suaue & onus leue charitatis abiecit, propriæ uoluntatis onus importabile pateretur inuitus. Miro itaque modo æterna lex fugitiuum suum & posuit sibi contrarium, & retinuit subiectum: dum uidelicet nec iustitiæ promeritis legem euasit, nec tamen cum Deo in sua luce, in sua requie, in sua gloria remansit, subiectus potestati, & submotus felicitati. Domine Deus meus, cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam, ut abiecta graui sarcina propriæ uoluntatis, sub leui onere charitatis respirem, nec iam seruili timore coercear, nec mercenaria cupiditate illiciar: sed agar spiritu tuo, spiritu libertatis, quo aguntur filij tui, qui testimonium reddat spiritui meo, quòd & ego sim unus ex filijs, dum eadem lex mihi fuerit quæ & tibi, & sicut tu es, ita & ipse sim in hoc mundo? Hi siquidem qui hoc faciunt quod ait Apostolus, Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis: proculdubio sicut Deus est, & ipsi sunt in hoc mundo, nec serui aut mercenarij sunt, sed filij. Itaque nec filij sunt sine lege, nisi fortè aliquis aliter sentiat propter hoc quod scriptũ est: Iustis non est lex posita. Epist. 11.

Esse pædagogum. Hildebertus: Potuit ratio conferre filijs Adæ ne peccarent ad mortem, sanare autem non potuit quam ex patre contraxerant mortem. Fuit enim inde illis cautela de futuro, non de præterito medicina. Subsecuta est lex, nõ quæ sanaret plagam, sed quæ factores legis præpararet ad gratiam. Lex nec ad perfectum duxit nostrum imperfectum, nec ad paradisum reduxit eiectum nostrum, nec ad uitam deduxit mortuum nostrũ. epist. quinquagesimatertia.

Lex Christianos etiam obligat. Petrus Cluniacensis: Nam quantum ad modum agendæ uitæ pertinet, quod lex uetusta Iudæis, hoc & Euangelium Christianis imperat, & unusquisq; nostrûm pro gratia & uiribus seruare contendit. Nam diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum. Et: Non habebis deos alienos corã me. &: Honora patrem tuum & matrem. &: Non occides, Nõ mœchaberis, Non facies furtum, Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. &: Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, nõ asinum, nec omnia quæ illius sunt: & similia rectæ fidei, honestis moribus ac sanctæ uitæ congruentia, sicut Iudæo præcepta sunt, sic & Christiano præcipiuntur. libro 3 cont. Iudæos, cap. 4.

Bernhardus ait: Iustis non est lex posita. Sed sciendum est, quòd alia lex est promulgata à spiritu seruitutis in timore, alia à spiritu libertatis data in suauitate. Nec sub illa coguntur esse filij, nec sine ista patiuntur. Vis audire quia iustis non est lex posita? Non accepistis (inquit) spiritum seruitutis iterum in timore. Vis audire quòd tamen sine lege charitatis non sint? Sed accepistis (ait) spiritum adoptionis filiorum. Denique audi iustum utrumq; de se fatentem, & quòd non sit sub lege, nec tamen sit sine lege: Factus sum (inquit) his qui sub lege erant, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege. His qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi. Vnde aptè non dicitur, Iusti non habent legem, aut iusti sunt sine lege: sed, Iustis non est lex posita: hoc est, non tanquam inuitis imposita, sed uoluntarijs eo liberaliter data, quo suauiter inspirata. Vnde & pulchrè Dominus: Tollite (ait) iugum meum super uos. Ac si diceret: Non impono inuitis, sed uos tollite si uultis. Alioquin non requiem, sed laborem inuenietis animabus uestris. Bona itaque lex charitas & suauis, quæ non solùm leuiter suauiterque portatur, sed etiam seruorum & mercenariorum leges portabiles ac leues reddit.

quas utique non destruit, sed facit ut impleantur, dicente Domino: Non ueni soluere legem, sed adimplere. Illam temperat, istam ordinat, utramque leuigat. Nunquam erit charitas sine timore, sed casto: nunquam sine cupiditate, sed ordinata. Implet ergo charitas legem serui, cum infundit deuotionem: implet & mercenarij, cum ordinat cupiditatem. Porrò timori permixta deuotio ipsum non annullat, sed castificat. Pœna tantùm tollitur, sine qua esse non potuit dũ fuit seruilis, & timor manet in seculum seculi castus & filialis. Nam quòd legitur, Perfecta charitas foras mittit timorem: pœna intelligenda est, quæ seruili (ut diximus) nunquam deest timori, illo scilicet genere locutionis quo sępe causa ponitur pro effectu. Deinde cupiditas tũc rectè à superueniente charitate ordinatur, cum mala quidẽ penitùs respuuntur, bonis uerò meliora præferuntur, nec bona nisi propter meliora appetuntur. Quod cum plenè per Dei gratiam assecutum fuerit, diligetur corpus & uniuersa corporis bona tantùm propter animam, anima propter Deum, Deus autem propter seipsum. Veruntamen quia carnales sumus, & de carnis concupiscentia nascimur, necesse est cupiditas uel amor noster à carne incipiat: quæ si recto ordine dirigitur, quibusdam suis gradibus duce gratia proficiens, spiritu tandem consummabitur: quia non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale. Et prius necesse est portemus imaginem terrestris, deinde cœlestis. In primis ergo diligit seipsum homo propter se. Caro quippe est, & nihil sapere ualet præter se. Cũq; se uidet per se non posse subsistere, Deum sibi quasi necessarium incipit per fidem inquirere & diligere. Diligit itaque in secundo gradu Deum: sed propter se, nõ propter ipsum. At uerò cum ipsum cœperit occasione proprię necessitatis colere & frequentare cogitando, legendo, orando, obediendo, quadam huiuscemodi familiaritate paulatim sensimque Deus innotescit, consequenter & dulcescit: & sic gustato quàm suauis est Dominus, transit ad tertium gradum, ut diligat Deum non iam propter se, sed propter ipsum. Sanè in hoc gradu statur, & nescio si à quoquam hominum quartus in hac uita perfectè apprehenditur, ut se scilicet homo diligat tantùm propter Deum. Afferant hoc si qui experti sunt: mihi, fateor, impossibile uidetur. Epist. 11.

De dispensatione inquit Bernhardus: Vbi necessitas urget, excusabilis est dispensatio. Vbi utilitas prouocat, dispensatio laudabilis est. Vtilitas dico communis, non propria. De Considerat. libro 3.

De abrogatione legis inquit Petrus Cluniacensis: Finitam dico (ut quidam magnus ex nostris ait) non quantum ad modum agendæ uitæ, sed quantum ad modum significandæ uitæ. lib. 2 contra Iudæos, cap. 4.

Circumcisionem esse abrogatam. Rupertus: Circumcisio iam in Christo finem accepit, Baptismi autem sacramentum necdum conditum erat. libro 8 Comment. in Matth. cap. 10.

Decem præcepta. Petri Cantoris libello de Decem præceptis sic erat additum: Decem præcepta Decalogi, quia decem chordæ sunt decem præcepta. Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Non accipies nomen Dei in uanum, & cætera: Tange ergo chordam primam, & cadit bestia superstitionis. Tange secundam, & cadit bestia peruersitatis. Tange tertiam, & cadit bestia mundanæ curiositatis. Tange quartam, & cadit bestia impietatis. Tange quintam, & cadit bestia crudelitatis. Tange sextam, & cadit bestia libidinis. Tange septimam, & cadit bestia rapacitatis. Tange octauam, & cadit bestia falsitatis. Tange nonam, & cadit bestia malæ cogitationis. Tange decimam, & cadit bestia cupiditatis. cap. 81.

DE PRIMA
tabula.

De prima tabula Lombardus: Hæc sunt tria mandata primæ tabulæ ad Deum pertinentia. Et primum quidem, quod est de uno Deo colendo, pertinet ad patrem, in quo est unitas uel autoritas. Secundum ad filiũ, in quo est coęqualitas. Tertium ad Spiritum sanctum, in quo est utriusq; communitas. libro tertio, distinctione trigesimaseptima.

De primo præcepto.
Opera.

De pietate inquit Potho: Omnis ædificatio nostra quæ ex Deo est, in dispositione cordis fundatur. Nam regnum Dei intra nos per fidem initiatur, ut tota structura nostra uita & moribus proficiens, crescat in templum sanctum in Domino. libro 1 de Statu domus Dei.

Bernhardus ait: Pij sunt qui in Deum credunt, & ipsum colunt. Est enim pietas cultus Dei. Hic autem cultus in tribus consistit, fide, spe & charitate, quæ sunt inuisibilia. His tribus carent impij, qui Deum non colunt, & quorum consilium est uisibilia inuisibilibus, terrena cœlestibus præponere. Sermone 35 Par. serm. Et: Habet, sed recõditum: habet in codicibus, sed non in cordibus. Foris habet in litera: con-

trectat manibus uas plenum, sed & clausum, nec aperit ut ungatur. Intus intus est unctio spiritus, aperi & ungere, & iam non eris domus exasperans. Quid facit oleum in uasis, si non sentias & in membris? Quid tibi prodest pium Saluatoris nomen electitare in libris, nec habere pietatem in moribus? Oleum est: effunde, & senties uirtutem eius. Sermone decimoquarto super Cantica.

De zelo Bernhardus ait: Zelum tuum inflammet charitas, informet sciētia, firmet constantia. Sit feruidus, sit circumspectus, sit inuictus. Nec teporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit. Serm. 20 super Cant. Item: Vbi ergo uehemens æmulatio, ibi maximè discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scientia minus efficax, minusq; utilis inuenitur, plerumque autem & perniciosus ualde sentitur. Quo igitur zelus feruidior, ac uehementior spiritus, profusiorq; charitas: eo uigilantiori opus scientia est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. Ibidem sermone 49.

De timore ait Bernhardus: Sic prorsus aliud est nosse Deum, & aliud timere: nec cognitio sapientem, sed timor facit, & qui afficit. Serm. 23 super Cant. Et: Succedant uicissim sibi in animo tres isti timores, secūdum quod gratia uel adesse dignatur, uel offensa recedere, seu iterum placata redire sentietur. Cum adest, time ne nō dignè opereris ex ea. Ibidem sermone 54. Item: Beatus es, si cor tuum triplici isto timore repleueris, ut timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, lōgè plus pro recuperata. Ibidem. Item: Exigit ergo Deus timeri ut Dominus, honorari ut pater, ut sponsus amari. Ibidem serm. 83. Et: Seruilis est timor, quamdiu ab amore non manumittitur. Ibidem.

Lombardus ait: Sciendum est, quatuor esse timores, scilicet mundanum siue humanum, seruilem, initialem, castum uel filialem siue amicabilem. libro tertio, distinctione 34.

Potho inquit: Timor namq; Dei thesaurus cordis est, scientiæ ac sapientiæ opibus impletus. Timere Deum est sapiētia, & recedere à malo intelligentia. lib. 1 de Stat. domus Dei.

Rupertus ait: Inchoatio bonorum operum timor est, qui concipitur per fidem: perfectio uerò charitas, quæ seruilem excludit timorem: & quantacunque sint opera timoris, quæ tempore uel ordine priora sunt, sine dubio charitatis opera tempore nouissima, dignitate plura, & meriti maioris sunt. libro secundo Comment. in Apocal. cap. 2.

De duplici timore ait Honorius: Duo sunt timores, unus seruilis, qui à malo declinat: alter filialis, qui bonum facit. Seruilis peccatum excludit, filialis charitatem inducit. Seruus timet dominū, ne ueniat: filius timet patrem, ne discedat. Adultera timet maritū, ne eam percutiat: casta uxor timet, ne maritum offendat. Timorem pœnæ charitas foras mittit. Timor autem Domini sanctus permanet in seculum seculi, id est, in æternum. Hic timor est reuerentia Dei, sicut scribitur: Tremunt potestates, non timore, sed reuerentia. In Psalm. decimumoctauum.

Rupertus inquit: Duo sunt timores, alter seruilis siue pœnalis, quem perfecta charitas foras mittit, de quo Apostolus 1. Ioh. 4. alter liberalis & dulcis, de quo Psalm. 18. Timor Domini, &c. Seruilis ille timor locum non habet hic. libro undecimo, capite decimonono Comment. in Iohan. Euang.

Iohannes Salisberiensis inquit: A filiali seruilem diuide, in hoc initium, in illo sapiētiæ constitue profectum, & exinde perfectionem. lib. 5 Policrat. de curial. nugis, capite 9.

De dilectione. Rupertus: Dilectio radix bonorum operum: si igitur fixa est in corde radix dilectionis, bona est eleemosyna, bona oratio, bonum & utile ieiunium. libro 5 Com. in Matth. cap. 5.

Bernhardus inquit: Sola enim est charitas, quæ accendit ad salutem: sola quam infundit & inflammat Spiritus, quem extinguere prohibemur. Serm. in natiuit. S. Iohan. Bap. Item: Aliud est enim desiderium quo Deus propter seipsum, aliud quo proximus diligitur in Deo, uel propter Deum. In illo nullus modus, sed ex toto corde, tota anima, tota uirtute diligitur Deus: in hoc autem præscribitur quidam modus, cum dicitur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Sermon. 66 Par. serm. Item: Talis amor zelat, hic decet amicum sponsi, hoc necesse est ardeat fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Hic replet, hic feruet, hic ebullit, hic iam securus effundit, exundans & erumpens, ac dicens: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Prædicet, fructificet, innouet signa, immutet mirabilia. Non est quo se immisceat uanitas, ubi totum occupat charitas. Siquidem plenitudo legis & cordis est charitas, si tamen plena. Deus deniq; charitas est, & nihil est in rebus quod possit replere creaturam factam ad imaginē Dei, nisi charitas Deus, qui solus maior est illa.

Eam nōdum adeptus periculosissimè promouetur, quantislibet alijs uideatur pollere uirtutibus. Si habuerit omnem scientiam, si dederit omnem substantiam suam pauperibus, si tradiderit corpus suum ita ut ardeat, absque charitate uacuus est. En quanta prius infundenda sunt, ut effundere audeamus, de plenitudine, non de penuria largientes. Primò quidem compunctio, deinde deuotio, tertiò pœnitentiæ labor, quartò pietatis opus, quintò orationis studium, sextò contemplationis ocium, septimò plenitudo dilectionis. Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus secundū operationem, quæ infusio appellatur: quatenus illa quæ effusio dicta est, purè & ob hoc tutè iam administretur ad laudem & gloriam Domini nostri IESV Christi. Sermone 18 super Cant. Et: Toto corde diligere, est omne quod blanditur de carne propria uel aliena, sacrosanctæ carnis eius amori postponere. In quo & mundi æquè gloriam comprehendo, quia gloria mundi, gloria est carnis: & qui in ea delectantur, carnales esse non dubium est. Sermone uigesimo super Cant. Item: Rationalis tunc est, cum in omnibus quæ oportet de Christo sentiri, fidei ratio ita firma tenetur, ut ab Ecclesiastici sensus puritate nulla uerisimilitudine, nulla hæretica seu diabolica circumuentione aliquatenus deuietur. Itemque cum in propria conuersatione illa cautela seruatur, ut discretionis meta nulla superstitione uel leuitate, uel spiritus quasi feruentioris uehementia excedatur. Ibidem sermone uigesimo. Et: Deus autem charitas est, & quanto quis coniunctior Deo, tanto plenior charitate. Ibidem serm. 26. Item: Contra charitatem est ualde nimis, de ipsa charitate fraudare. Ibidem sermone 50. Et: Est charitas in actu, est & in affectu. Et de illa quidem quæ operis est, puto datam esse legem hominibus, mandatumque formatum. Nam in affectu quis ita habeat ut mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, ista in præmium datur. Cuius initium quidem profectumque uitam quoque præsentem experiri diuina posse gratia, non negamus: sed planè consummatione defendimus futuræ felicitati. Quomodo ergo iubenda fuit, quę implenda nō modò erat? Aut si placet tibi magis de affectuali datum fuisse mandatum, non inde contendo, dummodo acquiescas & tu mihi, quòd minimè in uita ista ab aliquo hominum possit uel potuerit adimpleri. Quis enim sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fatetur non comprehendisse? Ibidem. Item: Atque hoc dixerim, siquidem consenserimus affectualem legē fuisse mandatam. Sed actuali id potius conuenire, inde uel maximè apparere uidetur, quòd cū dixisset Dominus, Diligite inimicos uestros: mox de operibus infert, Benefacite his qui oderunt uos. Item Scriptura: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potū da illi. & hic de actu habes, non de affectu. Sed audi item Dominum etiam de sui dilectione mandantem: Si diligitis me (inquit) sermones meos seruate. Atque hic quoque ad opera mittimur per iniunctam obseruantiam mandatorum. Superuacuè autem de opere monuisset, si in affectione fuisset iam dilectio. Sic te ergo necesse est & illud accipere, quòd iuberis diligere proximum tuum sicut teipsum, etsi non ita apertè expressum sit. Ibidem. Et: Charitas, cui scripturas seruire oportet, eo ædificet plures, quo plures ex eis in opus suum uerus erudierit intellectus. Ibidem sermone 51. Et: O' bona mater charitas, quæ siue foueat infirmos, siue exerceat prouectos, siue arguat inquietos, diuersis diuersa exhibens, sicut filios diligit uniuersos. Cum te arguit, mitis est: cum blanditur, simplex est: Piè solet sæuire, sine dolo mulcere: patienter nouit irasci, humiliter indignari. Ipsa est quæ hominum mater & angelorum, nō solùm quæ in terris, sed etiam quæ in cœlo sunt, pacificauit. Ipsa est quæ Deum homini placans, hominem Deo reconciliauit. Epist. 2. Et: Illa siquidem uera & syncera est charitas, & omnino de corde puro & cō scientia bona, & fide non ficta iudicanda procedere, qua proximi bonum æquè ut nostrum diligimus. Nam qui magis aut certè solum diligit suum, conuincitur non castè diligere bonum: quod utique propter se diligit, non propter ipsum. Epist. 11. Et: Lex ergo Domini immaculata, charitas est, quę nō quod sibi utile est quęrit, sed quod multis. Ibidem. Et: Illa, inquam, uera & syncera est charitas, & omnino de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta fatenda est procedere, qua proximi bonum æquè ut nostrum diligimus. In tractatu de diligendo Deo. Et: Nunquam erit charitas sine timore, sed casto: nunquam sine cupiditate, sed ordinata. Implet ergo charitas legem serui, cum infundit deuotionem: implet & mercenarij, cum ordinat cupiditatem. Porrò timori permixta deuotio ipsum non annullat, sed castificat. Pœna tantùm tollitur, sine qua esse non potuit dum fuit seruilis, & timor manet in seculum seculi castus & filialis. Nam quod legitur, Perfecta charitas foras mittit timorē: pœna intelligēda est, quę seruili (ut diximus) nūquā deest timori: illo scilicet genere locutionis, quo sępe causa ponitur pro effectu. Deniq; cupi

ditas

ditas tum rectè à superueniēte charitate ordinatur, cū mala quidem penitùs respuuntur, bonis uerò meliora præferuntur: nec bona, nisi propter meliora appetuntur. Quod cum plenè per Dei gratiam assequutum fuerit, diligetur corpus & uniuersa corporis bona tantùm propter animam, anima propter Deum, Deus autem propter seipsum. Ibidem.

Petrus Cluniacēsis inquit: Charitas præcipuè custoditur: charitati uictus, charitati sermo, charitati habitus, charitati uultus aptatur. Coitur in unam conspiraturque charitatem. Sciunt hanc commendatam esse à Christo & Apostolis, ut si hęc una desit, inania sint omnia: si hæc adsit, plena sint omnia. Hanc uiolare, tanquam Deum nefas ducitur. Hanc si quid offendit, unam diem durare non sinitur. libro tertio, epist. 28. Item: Et quod est charitatis officium? Vnum & solum charitatis officium, humanam salutem modis omnibus quærere. Ibidem. Item: Et hæc certissima charitatis regula est, ut quod fratri uideo esse necessarium, non prohibeam, non eum ad ferendum incongruum & noxium laborem uiolenter impellam: sed si ualeo, omnia quibus indiget, ei studeam impendere: si non ualeo, eius necessitati compatiendo, pietatis studio moueri condescendere. Ibidem.

Lombardus inquit: Charitas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum & in Deo. libro tertio, distinctione 27. Item: Eadem sanè dilectio est qua diligitur Deus & proximus, quæ Spiritus sanctus est, ut suprà dictum est: quia Deus charitas est. Ibidem. Item: Huius dilectionis modum Veritas insinuat, dicens: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos: id est, ad quod dilexi uos, scilicet ut filij sitis, ut uitá habeatis. Ibidem. Item: Dilectionis autem Dei modus insinuatur, cum dicitur: Ex toto corde. id est, ex toto intellectu, ex tota anima: id est, ex tota uoluntate, ex tota mente, id est memoria, ut omnes cogitationes, & omnem uitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea quæ confers illi. Hæc dicens, nullam partem uitæ nostræ reliquit quæ uacare debeat, sed quicquid uenerit in animum, illuc rapiatur quò dilectionis impetus currit. Et diligere Deum propter se, modus est diligendi Deum: & sunt isti duo modi diligendi Deum, ut quibusdam placet. Ibidem. Item: Cum autem duo sint præcepta charitatis, pro utroq; sæpe unum ponitur, nec immeritò, quia nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligi potest. Vnde Apostolus omne mandatum legis dicit instaurari, id est contineri & impleri in hoc uerbo: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Ibidem. Et: Sed quæ hac dilectione diligenda sint, iam inquiramus. Non enim omnia, ut ait Augustinus, quibus utendum est, diligenda sunt: sed ea sola, quæ uel nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicut est homo uel angelus: uel ad nos relata, beneficio Dei pro nobis indigent, ut corpus, quod ita præcipiendum est diligi, ut ei ordinatè prudenterque consulatur. Ibidē. Item: Audisti aliqua de ordine charitatis, ubi expressum est, nos amplius debere diligere Deum quàm omnes homines uel nosipsos, & amplius animam alicuius hominis quàm corpus nostrum? In enumeratione etiam quatuor diligendorum superius posita, prius ponitur quod supra nos est, secūdò quod nos sumus, tertiò quod iuxta nos est, quartò quod infra nos est: ubi ordo diligendi insinuari uidetur ex ratione enumerationis. libro tertio, distinctione 29. Et: Primò Deus diligendus est, secundò parentes, inde filij, pòst domestici, qui si boni sunt, malis filijs præponendi sunt. Secundum hoc in Euangelio ad cuiusque dilectionem proprium ponit: Diliges Dominū Deum tuum ex toto corde tuo, & ex omnibus uiribus tuis, & proximum tuum sicut teipsum, & inimicos non ex tota uirtute, nec sicut teipsum, sed simpliciter. Sufficit enim quod diligimus, & non odio habemus. Ecce in præmissis apertè insinuatur, quæ in affectu charitatis distinctio sit habenda, ut differenti affectu, non pari, homines diligamus: & ante omnia Deum, secundò nosipsos, tertiò parentes, inde filios & fratres, pòst domesticos, demum inimicos diligamus. Sed inquiunt illi, quæ de ordine dilectionis suprà dicuntur, esse referenda ad operum exhibitionem, quæ differenter proximis exhibenda sunt, primò parentibus, inde filijs, pòst domesticis, demum inimicis. Deum uerò tam affectu quàm obsequij exhibitione ante omnia diligendum. Ibidem. Item: Non indoctè alij dicunt, non modò in exhibitione operis, sed etiam in affectu charitatis ordinem differentem esse statutum, ut ante omnia diligamus Deum, secundò nos, tertiò parentes, quartò filios uel fratres, & huiusmodi, postea domesticos, demum inimicos. Ibidem. Item: Ideo quidam in prætaxatam prosilierunt audaciam, dicentes, charitatem in damnandis non haberi, nec à quoquam habitam posse amitti: quos ratio uincit & autoritas. Quidam enim ad tempus sunt boni, qui postea fiunt mali, & econuersò. Vnde quorundā nomina Chri-

stus

stus dicit scripta in libro uitæ, qui tamen postea abierunt retrò. Sed scripta dicit non secundum præscientiam, sed secundum præsentem iusticiam, cui deseruiebant: quia digni erant tunc illo bono quod habituri sunt præscripti secundum præscientiam. Ibidem distinctione trigesima-prima.

Petrus Blesensis ait: Fortis est enim dilectio, ut mors, & cum omnia transeát, charitas nunquam excidit: hæc est porta speciosa, quæ in subuersione Ierusalem integra & intacta permansit. Cumq; omnia euacuentur in morte, dilectio in morte non moritur, cuius fortitudini mors succumbit. epist. 50.

Petrus Cantor inquit: Charitas non dedignatur habitare cũ ueniali peccatò. Charitas habita meretur augeri. Charitas nunquã est solitaria, sed modò in cœlo est, modò in proximo. Charitas nũquã est ociosa, in commune bona, totius humani generis pædagoga, nihil humanum à se putat alienum, lata ut Oceanus, quæ sinè errore omnia præcepta comprehendit, & sine labore custodit. cap. 77. Item: Charitas amitti potest, minui non potest, quantum ad habitum, licet quantum ad usum. Charitas aut proficit, aut deficit: proficit scilicet uel merendi proposito, uel proficibilis est, uel perfectum facit, uel proficit scilicet continuatione. Ibid. Et: Magna est promissio charitatis, quia qui manet in charitate, in Domino manet, & ideo Dominus per gratiam mansurus in eo, & tandem per gloriam. Et Dominus in Euangelio: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Item: Notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Summopere igitur mundãdum est, & omni custodia custodiẽdum cor nostrũ, ut triclinium & hospitium sit totius Trinitatis. ibidem. Item: Magna est charitas, magna est promissio eius. Charitas magna est, quia ipsa est Dominus, & magnitudinis eius non est finis. Ipse est quem totus non capit orbis. Ineffabilis igitur & incircumscriptibilis est charitas. Et cùm nominibus paucarum uirtutum nominetur Dominus, nullius uirtutis nomine ita uerè & propriè cẽsetur, sicut nomine charitatis. Dominus enim charitas est. Quod autẽ dicitur, Tu es patientia mea: tropicè dictũ est, ut testatur August. Tu es patientia mea: id est, tu es ipse, à quo est mihi patientia. Non dicitur: Dominus sobrietas mea, uel castitas mea, & huiusmodi, sicut fortitudo mea, &c. Et licet Dominus dicatur charitas, hoc nomẽ tamen appropriatur & specificatur, quasi uocaliter & non realiter toti Trinitati conueniat, circa Spiritũ sanctum, qui est amor patris & filij, & signũ & probatio intimi amoris patris ad filium, sicut proles parentum. Spiratur enim ab utroque. Vnde & opera Trinitatis de redemptione nostra attribuuntur & appropriantur Spiritui sancto: Christus enim conceptus est de Spiritu sancto, & huiusmodi. Ibidem. Item: Probatio dilectionis est exhibitio operis: Hæc maximè cõmendabilis est cùm in capite Christo, tum in membris eius, cuius uestigia imitari habent in operibus misericordiæ. cap. 8.

Hildebertus ait: Defectus & incommoda separationis, charitatis copula supplentur, quæ neminem patitur nobis esse absentem, neminem non familiarem. Ea nihil est diffusius. Par enim latitudo est & charitatis & mundi. Charitas amplectitur quicquid Oceanus. Charitas in sacrario dilectionis & amicum colligit in Deum, & inimicũ propter Deum. Eadem diligere non desinit, cum diligi desinatur. Omnes habet præsentes, omnes affines. Quibus non potest obsequio, subuenit affectu. Charitas unam rempublicam terram fecit & cœlum. Epist. uigesimaprima.

Eckbertus ait: Cum autem seipsos non diligant, alios quomodo diligent? Certum itaque est, quia mẽtes inordinatas dilectio non inhabitat. Dilectioni sola humilis & quieta mens gratum cubiculũ est. In epist. ad magist. Adam.

De dilectione Dei inquit Bernhardus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota uirtute tua: id est, diliges dulciter siue affectuosè, diliges prudenter, diliges fortiter. Serm. de dilig. Deo. Item: Amat profectò castè, quæ ipsum quem amat, quærit, non aliud quicquam ipsius. Amat sanctè, quia non in concupiscẽtia carnis, sed in puritate spiritus. Amat ardenter, quæ ita proprio debriatur amore, ut maiestatem non cogitet. Sermone septimo super Cantica. Item: Nihil te dignum esse inuenies, quod uel à teipso ametur, nisi propter ipsum, sine quo ipse es nihil. Iam uerò proximus, quem uerè te oportet diligere tanquam teipsum, ut tibi & ipse sapiat prout est, haud aliud profectò sapiet tibi, quàm tu tibi, qui hoc est quod tu. Est enim homo. Qui itaq; te non diligis, nisi quia diligis Deum, consequenter omnes qui similiter diligunt eũ, diligis tanquã teipsum. Porrò inimicũ hominem, quoniã nihili est, pro eo quòd non diligit Deum, non potes quidem diligere tanquam teipsum, qui Deum diligis: dili-

ges tamen ut diligat. Non est autē idipsum diligere ut diligat, & diligere quia diligit. Proinde ut tibi & ipse sapiat prout est, sapiet tibi non quidem quod est, qui utique nihil est, sed quod futurus forsitā est, quod est propè nihili, quippe quod adhuc pendet sub dubio. Etenim de quo constat, quòd ad amorem Dei non sit deinceps rediturus, sapiat tibi necesse est non propè iam nihil, sed nihil ex toto, utpote quod in æternum nihil est. Illo igitur excepto qui non modò iam non diligendus, insuper & odio habēdus est, secundum illud: Non'ne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? decæterò nulli uel inimicissimo homini negari quantulumcunque affectum charitas sanè in hac parte ambitiosa permittit. Ibidem sermone 50. Item: Magna res amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti semper ex eo sumat, unde iugiter fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo pòtest creatura, etsi non ex æquo respondere authori, uel de simili mutuam rependere uicem. Verbi gratia: Si mihi irascatur Deus, num ego illi similiter reirascar? Non utique, sed pauebo, sed contremiscam, sed ueniam deprecabor. Ita si me arguat, non redarguetur à me, sed ex me potius iustificabitur. Nec si me iudicabit, iudicabo ego eum, sed adorabo: & saluans me non quærit à me ipse saluari, nec uicissim eget ab aliquo liberari, quia liberat omnes. Si dominatur, me oportet seruire: si imperat, me oportet parēre, & non uicissim à Domino uel seruitium exigere, uel obsequium. Nunc iam uideas de amore quàm aliter sit. Nam cum amat Deus, non aliud uult quàm amari: quippe non ad aliud amat, nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos qui se amauerint. Serm. 83 super Cant. Et: Causa diligendi Deum, Deus est. Modus, sine modo diligere. in tract. de diligendo Deo. Item: Ob duplicem ergo causam Deum dixerim propter seipsum diligēdum: siue quia nihil iustius, siue quia nihil fructuosius diligi potest. Ibidem. Item: Et prius de merito uideamus. Multum quippe meruit de nobis, qui & immeritis dedit seipsum nobis. Quid enim melius seipso poterat dare uel ipse? Ergo si Dei meritum quæritur, cùm ipsum diligendi causa quæritur, illud est præcipuum, quia ipse prior dilexit nos. Dignus planè qui redametur, præsertim si aduertatur quis, quos, quantumq; amauerit. Quis enim? Num is cui omnis spiritus confitetur: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorū non eges? Est uera huius charitas maiestatis, quippe non quærentis quæ sua sunt. Quibus autem tanta puritas exhibetur? Cū adhuc, inquit, inimici essemus, reconciliati sumus Deo. Dilexit ergo Deus & gratis & inimicos. Sed quantum? Quantum dicit Iohannes: Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum daret. Et Paulus: Qui proprio, ait, filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum. Ipse namque filius pro se: Maiorem, inquit, charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Sic meruit iustus ab impijs, summus ab infimis, ab infirmis omnipotens. Sed dicet aliquis, ita quidem ab hominibus, sed ab angelis non ita. Verum est, quia necesse non fuit. Cæterùm qui hominibus subuenit in tali necessitate, seruauit angelos à tali necessitate. Et qui homines diligendo tales fecit ne tales remanerent, ipse æquè diligēdo dedit & angelis ne tales fierent. Ibidem. Item: Quis alius administrat cibum omni uescenti, cernenti lucem, spiranti flatum? Sed stultū est uelle modò enumerare, quæ innumera esse non lōge antè pręfatus sum: satis est ad exemplum præcipua protulisse, panem, solem, & aërem. Præcipua dico, nō quia excellentiora, sed quia necessariora sunt, quippe corpori. Ibidem. Et: Non enim sine præmio diligitur Deus, etsi absq; præmij intuitu diligēdus sit. Vacua namq; uera charitas esse potest, nec tamen mercenaria est. Quippe non quærit quæ sua sunt. Affectus est, non contractus: nec acquiritur pacto, nec acquirit. Spontè afficit, & spontaneum facit. Verus amor seipso contentus est. Habet præmium, sed id quod amatur. Nam quicquid propter aliud amare uidearis, id planè amas quò amoris finis pertendit, non per quod tendit. Paulus non euāgelizat, ut comedat: sed comedit, ut euangelizet: & quòd amet nō cibum, sed Euangelium. Verus amor præmiū non requirit, sed meretur. Præmium sanè necdum amanti proponitur, amanti debetur, perseueranti redditur. Ibidem.

Lombardus ait: Dilectio autem Dei diuina usia est, eademq; dilectione pater & filius & Spiritus sanctus se diligunt & nos. Cumque eius dilectio sit immutabilis & æterna, alium tamen magis, alium minus diligit. libro 3. distinctione 32. Et: Potest tamen intelligi, ea ratione dici omnia diligi à Deo quæ fecit, quia omnia placent ei, & omnia approbat in quantū opera eius sunt: nec tunc uel prius uel amplius placuerunt ei cum facta sunt, quàm prius antequā fierent: imò ab æterno omnia placuerunt ei, non minus quàm postquam esse cœperunt. Quòd uerò rationales creaturas, id est homines uel angelos, alios magis, alios minus

minus diligere dicitur, non mutabilitatem charitatis eius significat: sed quòd alios ad maiora bona, alios ad minora direxit: alios ad meliores usus, alios ad minus bonos. Omnia enim bona nostra ex eius dilectione nobis proueniunt. Electorum ergo alios magis, alios minus dilexit ab æterno, & diligit etiam nunc: quia alijs maiora, alijs minora ex dilectione sua præparauit bona: alijsq; maiora, & alijs minora bona confert ex tempore. Vnde magis uel minus dicitur hos uel illos diligere. Ibidem. Item: Consideratur enim duobus modis dilectio Dei, secundum essentiam, & secundum efficientiam. Non recipit magis uel minus secundum essentiam, sed tantùm secundum efficientiam: ut magis dilecti dicantur, quibus ex dilectione ab æterno maius bonum præparauit, & in tempore tribuit: & minus dilecti, quibus non tantum. Inde etiam est, quòd aliqui quando conuertuntur & iustificantur, dicuntur tunc incipere diligi ab eo, non quòd Deus noua dilectione quenquam possit diligere: imò sempiterna dilectione dilexit ante mundi constitutionem quoscunq; diligit. Sed tunc dicuntur incipere diligi ab eo, cum æternę Dei dilectionis sortiuntur effectum, scilicet gratiam & gloriam. Ibidem.

Iohannes Salisberiensis ait: Si ergo omnia quæ scripta sunt, Prophetis famulantur & legi Dei: id est, si omnis doctrina illuc tédit, ut homo subiectus sit legi Dei: quis ambigit ad regnũ charitatis uniuersa referri? Lib. 7 Policrat. de Curial. nugis, cap. 11.

Peccata.

De uitijs inquit Bernhardus: Est autem gemina species ipsorũ uitiorum. Alia enim sunt quæ nocent nobis, alia quę proximis: illa flagitia, ista uocantur facinora: & hæc omnia dicuntur uallis lachrymarum, quia omni fletus fluuio plangenda est uita peccatorum. Serm. 19 Par. serm.

De idololatria inquit Iohannes Salisberiensis: Ad tantam deniq; quidam peruenére uesaniam, ut ex diuersis stellarum positionibus dicant imaginem ab homine posse formari, quæ si per interualla temporum & quadam proportionum ratione in constellatione seruata formetur, stellarum nutu recipiet spiritum uitæ, & consulentibus occultæ ueritatis manifestabit arcana. Et licet quandoque honesta uel recta sunt, ut se in loco mundo uelle seruari, uel solum Deum, quando aliquid quæritur, precibus & muneribus inuocandum præcipiat: maligni tamen spiritus hanc esse fallaciam certissimum est, qui ut minus caueatur, innocentiæ uel iusticiæ præcepta plerumque uidetur afferre. Hanc quidem idololatriæ speciem esse, fidelium nullus ignorat. libro 2 Policrat. de Curial. nugis, cap. 19. Item: Non est quò se non uertat impius, qui hominem Deo præfert. Nequaquam seruabit secundam, qui primam fidem irritam facit. Ibidem libro sexto, capite nono.

De Secundo.

Opera.

De magnanimitate. Petrus Cãtor: Magnanimitas, quæ est in resistendo aduersarijs Ecclesię: fortitudo, in tolerãdo patiẽter aduersa. Hæc maximè prælatorum est, qui magnanimi dicũtur. Non possumus nõ eloqui quæ audiuimus & scimus. De his dicitur: Spiritualis homo omnia dijudicat, & à nemine iudicatur: quia ubi spiritus, ibi libertas. Hos magnificat Dominus in cõspectu regum. His dicitur à Domino in Iosue: Confortare, & esto robustus ualde, ut custodias & facias omnẽ legem, quemadmodũ præcepit tibi Moyses seruus meus, nec declines ab ea ad dexteram uel ad sinistram. Notabiliter etiam notandum, quòd ter dicitur ei, Confortare, &c. ut magnanimitatẽ hanc in uerbo, in animo, in opere. cap. 93. Item: Hanc Philosophus cõmendans, ait: Cogita nihil esse laudabile præter animum, cui magno nihil est magnum. Item Hieronymus super Ezechielem 34: Magna fides, grandis Prophetarum audacia. Magnus est Daniel, quia magnanimus, qui, ad presbyterum iungentem adulterio homicidium ausus est dicere, Semẽ Chanaan & non Iuda, cum adhuc iuuenis esset. Et Esaias, qui clamat: Audite principes Sodomorum, &c. Magnus quoq; Ezechiel, qui totam urbem Ierusalem ignobilitatis arguit, dicẽs: Radix tua, &c. quam & meretrici & adulteræ comparat. Ibidem. Et: Pusillanimitas mercenariorum est, qui sunt canes non ualentes latrare, qui se non opponũt murum pro domo Dei, qui non stant ex aduerso in die prælij, sicut filij Ephraim, intendentes & mittentes arcum: sed conuersi sunt in die belli, quia nõ quærunt nisi lac & lanam, quæ nolunt amittere: quorum non sunt oues propriæ, & ideo fugiunt uidentes lupũ uenientem. Pusillanimitas ergo consistit in non resistendo, in non arguendo, cum necesse est. Ibidem. Item: Magnanimitas mater fortitudinis, quæ patientiæ nutrix est, & probatio omnium uirtutum. Ibidem.

De tertio præcepto.

Opera.

De sabbato inquit Rupertus: Sabbatum nihil aliud nisi requies: uel quam ob causam datum est, nisi ut operarius fessus cæteris septimanæ diebus, uno die requie-

sceret, & tamen uictum diurnum à suo patrefamiliâs ex debito perciperet? Vt patet ex Exod.20. libro quinto, cap.5 Com. in Iohannem.

Iohannes Salisberiensis inquit: Sed prae cæteris omnibus diuino & humano iure grauius feriuntur sacrilegi, & hi qui uarijs perturbationibus impugnant Ecclesiã Dei, quibus lex non præcisionem dexterarum, sed pœnam irrogat capitalẽ. lib.6 Policrat. de Curial.nugis, capite 13. Item: Quòd si gladium suum aduersus tales non exerit princeps, in seipsum proculdubio prouocat gladium bis acutum, quem in ore suo gerit filius hominis, gladium utiq; qui uiuus & efficax est, qui corpus findit, & animam mittit in gehennam, ad quem obtusus est omnis gladius, & omnis armatura fragilis, fluida & infirma, præter illam quã sola constituit gratia in bonorum fabrica meritorum. Ibidem.

DE SECVNDA TABVLA.

De iusticia secundæ tabulæ inquit Bernhardus: Iusticia uerò uirtus est, quod suum est cuiq; tribuens: & hęc erga proximos est necessaria. Serm.4 in natal. Dom. Et: Huius diffinitio est, reddere unicuiq; quod suum est. Ser.4 in Epiph. Dom. Et: Maxima & plena iusticia est, se inferiorem exhibere etiã ipsi inferiori. Sicut enim summa & intolerabilis sũperbia est, superiori se opponere: ita inferiori se subdere, summa & plena iusticia est. Ibidem. Item: Iusticia uirtus est, qua redditur unicuique quod suum est. Tu non solùm iusticiam, sed multas & multiplices iusticias debes creatori. Iustus enim Dominus, & iusticias dilexit. Iusticia tua sicut mõtes Dei. Serm.2 de uerb. Apost. Non est regnum Dei, &c. Et: Iusticia est in duobus, in innocentia & in beneficentia. Innocentia iusticiam inchoat, beneficentia cõsummat. Serm.11 Paruor. sermon. Et: Iusticia est rectitudo uolũtatis, quæ nec amat peccare, nec peccato consentire. Iusticia & fortitudo sedẽ habent uoluntatẽ, quia uoluntas iusta debet esse & fortis. Est autem iusticia ordinata hoc modo, scilicet mala respuens, bonis meliora præponens. Ibidem serm.35. Itẽ: Duo quippe ei præstabit iusticia: unum ut faciat quod debet, alterum ut patiatur quod debet: scilicet ut si bonũ non fecerit quod debuit, malũ quod meruit patiatur. Sic miro modo ne deserendo quidem iusticiam ab ipsa deserimur, dum per ipsam quilibet præuaricationis reatus punitur. Neq; enim est qui se abscondat à calore eius. Hanc aũt pœnam nõ solùm uir iustus nõ horret, uerumetiam libenter excipit, dum per eam præteritæ uitæ peccata purgari fideliter credit. Hinc enim scriptũ est: Non cõtristabit iustum quicquid ei acciderit. In lib. Sententiar. Item: Iam de iusticia, quæ una ex quatuor est, nónne constat consideratione mentem præueniri ut se formet in ea? Se enim necesse est prius cogitet, ut ex se normã ducat iusticiæ: nec factura utiq; alteri quod sibi fieri nolit, nec quod sibi uelit fieri, negatura. In his nempe duobus liquet integrum esse iusticiæ statũ. de Considerat. lib.1.

De dilectione proximi inquit Rupertus: Dilectionem ipsam quam præcipit, breuiter & copiosè Christus definit, dicendo: Sicut dilexi uos. Est enim quædam dilectio qua proximos diligimus iniussi, scilicet per affectionem cognationis & carnis. lib. 11 Com. in Iohan. cap.15.

Bernhardus ait: Disce, ô Christiane, à Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti: fortiter, ne oppressi ab amore Domini auertamur. Ne mundi gloria seu carnis uoluptatib. abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus. Ne seducaris spiritu mẽdacij & erroris, lucescat tibi ueritas Christus. Ne aduersitatib. defatigeris, confortet te uirtus Dei Christus. Serm.20 super Cant.

Petrus Blesensis ait: Sed nec bene diligimus Deũ, nisi diligatur proximus. Propter istum dilectio quidẽ bipartito affectu se diuidit, quæ à proximo incipiens, in Deum se porrigit, minuens in eo diuersitatẽ affectuum, quem & in quo principaliter causam dilectionis totius instituit. Cum autem uelit Dominus diligi propter proximum, nõ propter se, bonorum enim nostrorum non eget, ab ipsius tamen uoluntate non recedimus, si proximum dilexerimus propter ipsum: imò diuinæ resistimus uoluntati, si proximum non diligimus propter Deum. Dilectio non prodest nisi combinata sit, omnemque calumniam singularitatis euacuet. Epist.75.

Iohannes Salisberiensis ait: Nam & uerus Dei filius Deus homo propriam non quærit gloriam in omnibus quæ gloriosè fiunt ab eo, sed patris: eoq; illustratur gloria ampliori, quòd ad eũ ex quo sunt omnia, bonorum operum gloriam refert. Sic & uerè sapiens omnis, uerè potens, & uerè bonus, ad unicum bonorum omnium fontẽ sua omnia laudabilia refert, summam scilicet creatricem & indiuiduam Trinitatẽ. lib.8 de Curial. nugis, cap.5.

Proximus quis. Lombardus: Nullum uerò exceptum esse, cui misericordiæ negandum sit officium, quis non uideat, cum usque ad inimicos etiam porrectum sit, Do-

mino dicente: Diligite inimicos ueſtros, & benefacite his qui oderunt uos? Manifeſtum eſt ergo, omnem hominem proximũ eſſe reputandum. Proximi uerò nomen ad aliquid eſt, nec quiſquam eſſe proximus niſi proximo poteſt. Vnde conſequens eſt, & cui præbendum, & à quo præbendum eſt officium miſericordiæ, rectè proximum dici. Manifeſtum eſt ergo, præcepto dilectionis & proximi etiam ſanctos angelos contineri, à quibus tanta nobis miſericordiæ impenduntur officia. libro 3. diſtin. 28. Et: Hic notandum eſt, proximũ dici diuerſis modis, ſcilicet conditione primæ natiuitatis, ſpe conuerſionis, propinquitate cognationis, ratione beneficij exhibitionis. Ibidem.

De quarto præcepto.

Opera.

De parentũ dilectione. Lombardus: Parentes uerò ſic ſunt honorandi, ut eis debita reuerentia exhibeatur, & neceſſaria miniſtrentur. lib. 3. diſt. 37.

De obedientia inquit Bernhardus: Igitur facere malum quolibet etiam iubente conſtat nõ eſſe obedientiam, ſed potius inobedientiam. Sanè hoc aduertendum, quòd quædam ſunt pura bona, quædã pura mala, & in his nullam deberi hominibus obedientiam: quoniam nec illa omittẽda ſunt etiam cum prohibentur, nec iſta uel cũ iubentur committenda. Porrò inter hæc ſunt media quædam, quæ pro modo, loco, tempore uel perſona, & mala poſſunt eſſe, & bona: & in his lex poſita eſt obedientię, tãquam in ligno ſcientiæ boni & mali, quod erat in medio paradiſi. epiſt. 7. Et: Quod euidentius elucebit, ſi præmiſſæ diuiſionis exempla ſubiecero. Fides, ſpes, charitas, & cætera huiuſmodi, pura ſunt bona: quæ q̃a malè nõ poſſunt uel iuberi, uel teneri, bene nõ poſſunt uel prohiberi, uel nõ teneri. Pura mala ſunt, furtum, ſacrilegium, adulterium, & cætera talia: quæ utiq; nec uel bene præcipi uel perfici poſſunt, nec malè prohiberi uel non fieri. Aduerſus huiuſmodi nõ eſt lex. Nullius quippe ꝓhibitio ualet obuiare præceptis, nullius iuſsio præiudicare prohibitis. Sunt deinde media, quæ quidẽ per ſe nec bona eſſe noſcuntur, nec mala: poſſunt tamẽ indifferenter & bene pariter & malè uel prohiberi, uel iuberi, ſed malè nullatenus in his à ſubditis obediri. Ex his ſunt, ut exempli gratia ponam, ieiunare, uigilare, legere, & quæq; talia. Sciendum uerò, quia media quædam in purorũ plerunque bonorũ ſeu malorum tranſeunt rationem. Nam cõiugium cum & fieri liceat, & nõ fieri, factũ iam ſolui nõ licet. Quod ergo ante nuptias medium eſſe liquebat, in iam cõiugatis puri boni uim obtinet. Item propria poſsidere, ſeculari quidẽ homini mediũ eſt, quoniã & nõ poſsidere licet: monacho uerò quia poſsidere nõ licet, purũ malũ eſt. Ibidem. Et: Obedientiæ uirtus, quę ſemper militat ueritati, aduerſus ueritatem accingitur. Ibidem. Et: Familiaris ſiquidẽ & amica ſaluti obedientia eſt, ſed obedientia firma & ſtabilis, quæ fundata eſt ſuper petram. Melior eſt enim obedientia, quàm uictimæ: & acquieſcere nolle, ut peccatum hariolandi eſt. Vnde & uitæ quoq; ipſe Saluator prætulit hanc uirtutem, eligens magis animam ponere, quàm obedientiã nõ implere. Poſtremò & ipſum nomen IESV, quod eſt ſuper omne nomẽ, & in quo flectitur omne genu, Apoſtolo teſte, obedientiæ remuneratio eſt. Sermon. de Bonis deſerendis.

Petrus Cantor inquit: Eſt autem obedientia iuſtæ rei obtemperantia, uel obedientia eſt animi deliberantis honeſta iuſtę iuſſionis executio: iuſsionis Dei per ſacrã Scripturã, hominis per prælationem & dignitatem impoſiti ſuper capita noſtra. Huius uirtutis exemplũ & imitationem habemus in Chriſto noſtro capite, de cuius obedientia Apoſtolus ſcribẽs ad Corinthios, ait: Sicut portauimus imaginẽ terreni hominis, ſcilicet Adæ per inobedientiã, portemus & imaginẽ & ſtigmata cœleſtis hominis, Chriſti ſcilicet per obedientiã. De qua ad Philippẽſes ipſe Apoſtolus ait: Hoc ſentite in uobis q̃d & in Chriſto IESV, qui ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiẽs, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus eſt ut homo. Nota humilitatem, quæ eſt mater obedientiæ, ipſam cõcipiens & generans. Vnde ſequitur: Humiliauit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Nota patientiam, quæ nutrix eſt obedientiæ, ipſam fouens, baiulans & ſubportans. Et cum conuenientius dici uideretur, Id ſentite in uobis quod etiam in Chriſto: non tamen relatiuè, ſed demonſtratiuè hæc dixit. capite 92. Item: Eſt autem triplex obedientia, neceſſaria, abundans & pernicioſa. Neceſſaria eſt in his quæ ad ſalutem, ut in præceptione diuinorum mandatorum, in imitatione pœnitentiæ ſalutaris, &c. Ibidem.

Prudentia. Petrus Cantor: Eſt autem prudentia prudens & diſpoſitiſsima electio, qua tranſitorijs æterna, uitijs uirtutes, exilio patriam, ſeruituti libertatem præferimus. cap. 86. Item: Prudentia autem omni uirtuti & bono operi ſe admiſcet, omne circuit, moderatur, modificat, conſummat & perficit. Ibidem.

De pietate erga parentes inquit Petrus Cantor: Reddamus parentibus quæ parentum sunt, scilicet necessaria uitæ, si cum Domino uiuunt. cap. 59. Item: Sed quicunq; eos supra Christum amat, perdit animam suam. Ibidem.

De honorificentia inquit Petrus Cantor: Est autem honorificentia, reuerentia exhibita alicui ex causa debita, puta ob religionem & honestatem uitæ, quam solam accendit Dominus, scilicet meritum uitæ. Vnde Ecclesiasticus: Honora medicum. Ob ætatem exhibetur honor & reuerentia. Vnde: Coram cano capite surge. Ob scientiam, dignitatem, prælationem, principatum, præpotentiam, officium necessarium Ecclesiæ, exhibetur honor & reuerentia. Ob generis nobilitatem (ut quia filius regis) obligationem honestam. Prima causa debita est & honesta, aliæ subhonestæ, & quasi appẽdices honestati. Si quis habens unam istarum præponendus est alij habenti aliam earundem, quæstio est. Acceptatio uerò personæ est quædam fatua reuerentia exhibita alicui ex causa non debita & illicita, puta propter timorem, cupiditatem, diuitias, uel quamcunq; trepitudinem, ut quia concubina, & huiusmodi. Quando autem non exhibetur alicui reuerentia ex causa debita, cum esset exhibenda, & hoc est abiectio personæ. Abiectio inhonorificentię crimen est, sicut & abusus eius, qui dicitur acceptio personæ. capite 54. Item: Tempore enim Iacobi non erant dignitates & honores in Ecclesia distributi. Ibidem.

De humilitate inquit Bernhardus: Humilitas duplex est, altera cognitionis, altera affectionis, quæ hic dicitur cordis. Priore cognoscimus quòd nihil sumus, & hanc discimus à nobis ipsis, & ab infirmitate ꝓpria: posteriore calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo discimus qui exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens: qui etiam quæsitus in regnum, fugit: quæsitus ad tanta probra & ignominiosum supplicium crucis, spontè obtulit semetipsum. Sermon. 4. de aduent. Dom. Et: Humilitas Deo nos reconciliat, Deo facit esse subiectos, Deo placet in nobis, sicut ait Virgo beata: Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ. Sermon. 4. in natali Domin. Item: Apud Dominum fratres, ius habere non possumus, quoniam in multis offendimus omnes: sed nec fallere eum, ipse enim nouit abscondita cordis, quanto magis opera manifesta? utique nec resistere uiribus, quoniam omnipotens est. Quid ergo restat, nisi ad humilitatis remedia tota mente confugere, & quicquid in alijs minus habemus, de ea supplere? Sed ô mira uanitas, ô mira fatuitas cordis nostri, cuius elationem perfectè reprimere, cuius ceruicosos motus omnino domare, humilitatis materia tanta non sufficit, quin superbiat adhuc terra & cinis. Sermon. de Voluntat. nost. quomo. diuinæ tripliciter subijci debeat. Et: Scio quidem, creaturam omnem uelit nolit subiectam esse creatori. Sed à creatura rationali uolũtaria subiectio quęritur, ut uoluntariè sacrificet Domino, & confiteatur nomini eius: non quia terribile & sanctum, non quia omnipotens, sed quia bonum est. At uerò subiectionem istã triplicem esse necesse est, ut quod certum est Deum uelle, id nos uelimus omnino: & quod certũ est eum nolle, similiter execremur & nos. Quod autem incertum est utrũ uelit aut nolit, neq; uelimus ex toto, neq; penitùs non uelimus. Ibidem. Et: Sicut enim oculi satanæ omne sublime uident, ita oculi Domini omnem humilem intuẽtur. Serm. 3 Par. sermon. Itẽ: Tanto uerò quis debet esse humilior, quanto est sublimior. Vnde scriptum est: Quando magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Hinc ipse Dominus ad discipulos ait: Qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. Item: Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, Serui inutiles sumus. Item ipse dicit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Sine hac humilitatis uirtute reliquæ uirtutes nequeunt prodesse. Vnde beatus Gregorius ait: Qui uirtutes sine humilitate congregat, est quasi qui in uentum puluerem portat. Sicut enim puluis uenti ualidi flatu dispergitur, sic omne bonum sine humilitate inanis uento gloriæ rapitur. Multo etiam melius est peccatorem esse humilem, quàm iustum arrogantem. Quod à Domino euidenter ostenditur, ubi publicanus & pharisæus in exemplum adducuntur. sicut quidam sapiens ait: Melior est in malis factis humilis confessio, quàm in bonis factis superba gloriatio. cap. 2 de donis Sp. sanct. Et: Septem gradus descensionis habet humilitas. Abdicationem rerum: exemplo Apostolorum. Abdicationem uestium: sicut Helias & Iohannes. Corporis exercitium: ut Paulus. Deiectionem in prosperis: instar Dauid pauperis & regis. Patientiam in aduersis: sicut Iob & Tobias. Proprium abhorrere consilium, & propriæ uolũtatis affectũ. Sententiæ Bernh. Item: Humilitatis uirtus habet hæc tria: Superiori subdi, ut ad eius æqualitatem nulla ambitione uel inuidia rapiatur. Aequali non præferri, ne illicito appetitu superior uelle fieri uideatur. Minori subdi potius quã pręponi, ut ex hoc

hoc humilitatis ueritas comprobetur. Ibidem. Et: Quatuor sunt quæ ueram conferunt humilitatem. Vilitas operis, assiduitas subiectionis, comparatio melioris, iudicium conditoris. Ibidem. Et: Appetere aût de humilitate laudem, humilitatis est non uirtus, sed submersio. Verus humilis uilis uult reputari, non humilis prædicari. Serm. 16 super Cant. Item: Esto enim quòd humilitatis materia per aliû ministratur, uerbi gratia, probra, damna, supplicia: non tamen idcirco rectè ab alio quàm à semetipso humiliatus ille dicetur, qui illa omnia tacita & læta conscientia causa Dei subeunda decreuerit. Super Cant. serm. 34. Et: In ueritate didici, nil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore corâ Deo inueniaris non altum sapere, sed timere. Beatus homo qui semper est pauidus. Ibidem serm. 54. Item: Hæc duabus præmissis uirtutibus in tantû est necessaria, ut absq; ista illæ nec esse uirtutes uideantur. Nempe ut castitas siue charitas detur, humilitas meretur: quoniam humilibus Deus dat gratiâ. Seruat acceptas, quia non requiescit Spiritus Domini, nisi super quietum & humilem. Seruatas côsummat, nam uirtus in infirmitate, hoc est, in humilitate perficitur. Inimicam omnis gratiæ omnisq; initiû peccati debellat superbiam, & tam à se quàm à cæteris uirtutibus superbam illius propulsat tyrannidem. Siquidem cû ex alijs quibusque bonis, uirium suarum magis capere soleat incrementum superbia: sola hæc omnium propugnaculû quoddam turrisq; uirtutum, eius fortiter resistit malitiæ, obuiat præsumptioni. Sola deniq; est, de qua omnium plena uirtutum Maria gloriandû esse putauit. Audito quippe ab angelo, Aue gratia plena: quasi solam ex ipsa plenitudine humilitatem in se recognosceret, solam rependisse ac respôdisse memoratur in gratiam: Respexit, inquiens, Deus humilitatem ancillæ suæ. Quid deinde autor & dator uirtutum Christus, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi, in quo omnis quoq; plenitudo diuinitatis habitat corporaliter, nónne tamen & ipse de humilitate, tanquam summa suæ doctrinæ suarumq; uirtutum gloriatus est? Discite, ait, à me, non quòd sobrius, aut castus, aut prudés, aut aliquid eiusmodi: sed quia mitis sum, & humilis corde. A' me, inquit, discite. Non ad doctrinam Patriarcharum, nô ad Prophetarum libros ego uos mitto, sed me uobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inuiderunt mihi altitudinem, quam habeo apud patrem, angelus & fœmina: ille potentiæ, illa scientiæ. Vos autem æmulamini charismata meliora, discentes à me, quia mitis sum, & humilis corde. epistola 42. Item: Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ. Contemptus opponitur appetitui. Duab. quoq; superbiæ speciebus, duæ nihilominus humilitatis opponuntur. Contra cæcam, ut quis de se nouerit humiliter sentire. Contra uanâ, nec consentire aliter sentientibus. Nempe qui de seipso humiliter sentire nouit, in neutro ipsius de se iudicium falli potest: uidelicet ut aut maius aliquid putet se esse quàm sit, aut à se esse quòd sit. Et ideo patienter carens quod sibi nouit deesse, humiliter de eo quod certus est adesse, non in se, sed in Domino gloriatur. Porrò aduersus hoc, ut de se altius se aliquid sentiat, solet, ne insolescat uerus humilis, illud sibi iugi meditatione reuoluere: Nô alta sapientes, sed humilibus consentientes. Et illud: Non ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. Et item: Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Contra hoc autem, ut à se sentiat esse, quod se sentit esse, solicitè seipsum interrogat: Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Item qui humanas laudes consueuit perfectè contemnere, cum se laudari percipit de eo quod in se nouit non esse, nullatenus acquiescens, illud sibi côRmemorat: Qui te beatificant, in errorem te mittunt. Sed & illius nihilominus uersiculi recordatur: Veruntamen uani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, ut decipiant ipsi de uanitate in idipsum. Proinde solicitè studet imitari Apostolum, ita de se loquentem: Parco autem, ne quis me existimet supra id quod uidet in me, aut audit aliquid ex me. Cum uerò laudari se comperit de bono, quod se fortè habere cognoscit, nihilominus quantum in se est, scuto ueritatis curat à se iaculum fauoris repellere, dans gloriam Deo, & dicens: Gratia Dei sum id quod sum. Et propulsans à se omnem suspicionem, ait Domino: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Metuit nimirum si aliter egerit, ne fortè audiat ab ipso: Recepisti mercedem tuam. Et iterum: Gloriam ab inuicê quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est, non uultis. Refugiens ergo & de hoc ad consilium Apostoli, probat ipse opus suum, ut sic habeat in semetipso gloriam, & non in altero. Ibidem. Et: Sub tam æquo libratore meritorum, sub tam intimo secre-

torum inspectore, quis gloriabitur castum se habere cor? Sola profectò quæ non solet gloriari, non nouit præsumere, contendere non consueuit, gratiam inuentura est in oculis pietatis humilitas. Deus namque superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Non contendit iudicio, nec prætendit iusticiam, qui uerè humilis est, sed dicit: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Recusat iudicium, & postulat misericordiam, facilius sibi ueniam impetrare posse, quàm iusticiam uendicare confidens. Nouit naturam diuinam naturaliter piam, quæ nostram nequaquam humilitatem abhorreat. Non despicit illa maiestas cor contritum & humiliatum in nostro genere, quæ corpus ex eo humilitatis assumere non dedignata est. Nescio quo pacto familiarius semper humilitati propinquare solet diuinitas. Denique illa se induit, ut appareret hominibus. Substantiam, formam habitumque gestauit humilem, ipsius nobis commendans uirtutis excellentiam, quam speciali sui uoluerit honorare præsentia. Ibidem. Item: Humilitas est uirtus, qua homo uerissima sui agnitione sibijpsi uilescit. In tractatu de 12 gradibus humilitat. Et: Hanc itaque legem, qua reditur ad ueritatem, beatus Benedictus per duodecim gradus disponit. Ibidem. Item: Habet & humilitas in eodem ferculo suas epulas, panem scilicet doloris, & uinum compunctionis: quas primò Veritas incipientibus offert, quibus utique dicitur: Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Ibidem. Et: Primus ergo cibus est humilitatis, purgatorius cum amaritudine: secundus charitatis, consolatorius cum dulcedine: tertius contemplationis, solidus cum fortitudine. Ibidem. Item: Dei quippe filius, uerbum scilicet ac sapientia patris, primùm quidem illam animæ nostræ potentiam, quæ ratio dicitur, cum reperit carne depressam, peccato captiuam, ignorantia cæcam, exterioribus deditam, clementer assumens, potenter erigens, prudenter instituens, introrsum trahens, ac mirabiliter utens, tanquam pro se uicaria, ipsam sibi iudicem statuit: ita ut pro reuerentia uerbi cui coniungitur, ipsa sui accusatrix, testis & iudex, contra se ueritatis fungatur officio. Ex qua prima coniunctione uerbi & rationis, humilitas nascitur. Ibidem. Et: Quos ergo per humilitatem ad primum cœlum filius uocat, hos in secundo per charitatem Spiritus aggregat, ad tertium per contemplationem pater exaltat. Primò humiliantur in ueritate, & dicunt: In ueritate tua humiliasti me. Secundò congaudent ueritati, & psallunt: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in unum. De charitate quippe scriptũ est: Congaudet autem ueritati. Tertiò ad arcana ueritatis rapiuntur, & aiunt: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Ibidem. Item: Pedem profectò gratiæ fortiter figens, & meum, qui infirmus est, leniter trahens, securus ascendam per scalam humilitatis, donec ueritati adhærens, ad latitudinem transeam charitatis. Tunc psallam cum gratiarum actione, & dicam: Statuisti in loco specioso pedes meos. Ibidem.

Iohannes Salisberiensis ait: Humilitas est, ut nec personam docentis contemnat quis, aut quamcunque scientiam, nisi forte quam religio reprobauit. libro 7 de Curial. nugis, capite decimotertio. Item: Humilitas enim his quæ scribuntur à doctoribus, acquiescit: & simplicitas, si qua secus quàm oportuit dicta uidentur, in partem meliorem fideli interpretatione retorquet. Ibidem.

Petrus Cantor inquit: Tu ergo quicunque es, exemplo Domini, quanto maior es, humilia te in omnibus, non tantùm in uerbis, sed & in operibus, & in omni membro tuo, in gestu, in habitu, ut ubicunque potest superbia habere domicilium, opponas humilitatis responsorium, dicens & orans cum Dauid: Asperges me Domine hysopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. capite decimosexto. Item: Etsi enim cæteræ uirtutes sint uiæ uitæ, tamen generale nomen omnium humilitati attribuitur & appropriatur, quæ est sementum omnium aliarum uirtutum. capite decimoquarto. Item: Est humilitas naturæ, humilitas gratiæ, humilitas culpæ, & humilitas pœnæ. Primæ duæ coniunctæ sunt & affines, sibique similes: sed tantùm una earum est misericordia. De humilitate naturæ dicitur: Nisi quis humiliauerit se sicut paruulus iste, non introibit in regnum cœlorum. De humilitate gratiæ dicitur: Sinite paruulos uenire ad me, talium enim est regnum cœlorum, &c. Ibidem. Item: Sine humilitate per prudentiam eligere quod dignum est, erronea discretio est: aduersa per fortitudinem superare, iacens uictoria: illecebris per temperantiam resistere, temulenta sobrietas. capite octuagesimooctauo.

De quinto præcepto.

Opera.

De dilectione inimicorum ait Hugo de sancto

sancto Victore: Osculum iusticiæ est, inimicos diligere, parentes & propria propter Deum derelinquere, illatam iniuriam pati & ferre, oblatam gloriam ubiq; declinare. Osculum pacis est, odientes mutare ad pacem, discordes ad concordiam, aduersarios patienter sustinere, errantes piè renouare & docere benignè, mœrentes clementer mulcere, & cum omnibus pacem habere. In lib. de Conscientia.

Rupertus ait: Filij Dei sunt, qui etiam inimicos diligunt, optando ut amici fiant, imitantes ipsum Deum, qui cum inimici essemus, ultrò nobis obtulit reconciliationis gratiam tanta dilectionis abundantia, ut proprio filio suo non parceret, sed pro nobis traderet eum. libro quinto Cōment. in Matth. cap 5.

Petrus Lombardus: Quæri etiam solet, Cur Dominus præcepit diligere inimicos, cum alibi præcipiat odio habere parentes & filios? Ad quod dicendum est, duo esse diligenda in homine, naturam & uirtutem: uicium uerò & peccatum odiendum. Et parentes ergo in quantum mali sunt, odiendi sunt: & inimici diligendi, in quantum homines. Diligamus ergo inimicos lucrando regno Dei, & odiamus propinquos, si impediunt nos à regno Dei: & in omnibus communiter naturam diligamus, quam Deus fecit. libro tertio, distinctione uigesimanona.

De paupertate inquit Petrus Blesensis: Sit tibi paupertas ipsa solatio, quæ & uiuentē liberrimum facit, & morientem securissimum. Elegans & præclarum donum Dei est paupertas, si tamen hanc inter dona Dei computare dignetur impatiens. Epistola quadragesimaoctaua. Item: Vnde & beatior in sua miseria reputandus est pauper, quàm diues in opibus sophisticis & gloria seductrice. Cumulus enim diuitiarum in cumulum miseriarum transit, quarum cruciatus ille impatientius sustinebit, qui diutius & delicatius huius uitæ desiderabilibus consueuit. Ibidem.

De mansuetudine ait Petrus Cantor: Humilitati autem quasi uirtutem collactaneam, conterminam & uicinam adiungit Dominus in scala Iacob, mansuetudinem scilicet, dicens: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Hæc commendatur ab origine uocabuli. Dicitur enim mansuetus, quasi manui assuetus, homo socialis, tractabilis & benignus in aduersis, & contra iniurias etiam proprias. Item ab exemplo, autoritate Christi, qui mitissimus apparuit omnium hominum, quia suauis Dominus & mitis. Item commendatur in Moyse, qui mansuetissimus fuit omnium hominum, intellige præter Christum. Item in Andrea apostolo, qui mitissimus Sanctorum fuisse legitur. capite decimoseptimo.

De discretione inquit Bernhardus: Est ergo discretio non tam uirtus, quàm quædam moderatrix & auriga uirtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & uirtus uicium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur exterminiumque naturæ. Sermone quadragesimonono super Cant.

De reconciliatione inquit Petrus Cantor: Homini se obligat, ut corporaliter ei satisfaciat, si damnum ei corporaliter intulerit: quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. capite decimoquarto.

De modestia inquit Petrus Cantor: In communi ergo opere bono seruandus est modus & modestia. Culpa enim est totam persequi culpam, & gloriosum est principi citra meritum punire. capite quinquagesimoquinto.

De concordia ait Hildebertus: Hæc est inter amicos amicorum concordia, ut nihil ab altero sit alienum, nihil alteri singulare: omnia facit eis rempublicam uoluntas una. Epistola uigesimaoctaua.

De misericordia. Rupertus: Duplex misericordia, alia parua, alia magna. Parua misericordia est temporalium siue corporalium abundantia rerum, quarum omnium summa illic pinguedine terræ & rore cœli comprehensa est, &c. lib. 2 Com. in Oseam, cap. 6.

De misericordia erga proximum ait Bernhardus: Quòd si fortè magnus & multus peccator es, ac magnam quæris misericordiam, ac multitudinē miserationū, tu quoque misericordiam tuā magnificare & multiplicare labora, reconciliatus esto tibi ipsi: nam & tibi grauis factus eras, quòd positus esses contrarius Deo. Et hac sanè in domo propria reformata pace, eandem necesse est prius erga proximos dilatari, ut nouissimè osculetur te & ipse osculo oris sui, & quemadmodum scriptum est, Reconciliatus, pacem habeas ad Deum. Dimitte his qui in te peccauerunt, & dimittetur tibi quod ipse peccasti, dum secura conscientia oraueris patrem, & dixeris: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. De Conuers. ad clericos, capite uigesimoquarto. Item: Vera misericordia non iudicat, sed afficit: nō nititur discussione, occasione conten-

contenta. Non enim expectatur ratio, ubi affectio trahit. Epistola duodecima. Item: Misericordia quippe affectio est, quæ nec uoluntate coercetur, nec rationi subijcitur: quando non eam in se quisque pertrahit uoluntario nutu, sed ipsa pias mentes ad compaßionem dolentium necessario cogit affectu: ita ut etiamsi peccatum esset misereri, etsi multùm uellem, non possem tamen non misereri. Potest quidem ratio uel uoluntas affectui effectum subtrahere, sed nunquid ipsum affectum euelleret? Epist. 70.

Lombardus ait: Misericordia est erga miseros, bonitas erga quoslibet. Interdum tamen misericordia largè accipitur, ut bonitas. libro quarto, distinctione quadragesimasexta.

Petrus Cantor: Si igitur imitator es Christi, necesse est ut multus sis ad ignoscẽdum, ut misericordia in omni opere tuo semper exaltetur & enatet & pręponatur omni seueritati & rigori, ut totum te inanias & exhaurias in operibus misericordiæ, primò à te ipso incipiens, secundò eam in proximo perficiens, & omnia tua opera ad Dominum referens. Hæc in tantum commendatur à Domino, quòd opera misericordiæ præ operibus cæterarũ uirtutum se in iudicio fore remuneraturũ promittat, cũ dicat: Esuriui, & dedisti mihi manducare. Opera uerò misericordiæ omissa, ut ita dicam, minatur se præ cæteris delictis condemnaturũ & puniturum, in iudicio dicturus: Esuriui, & non dedisti mihi manducare. capite octuagesimo. Itẽ: Misericordia enim plenitudo uirtutum est. Hæc enim tanta est, ut sæpe ex improbitate quadam facta & confidentia in Domino, & uinculo dilectionis diuinæ, cuius ipsa est signum & uia, nitatur contraire obedientiæ & alijs uirtutibus. Ibidem. Et: Sed non legitur uir quiuis misericors diem extremum conclusisse, nisi bono fine. Ibidem. Item: Sunt autem duæ species misericordiæ. Vna consistit in ignoscendo, reliqua in subueniendo proximo. Prima egregia est, & maior secunda. Maior enim est quæ uincit iram, quàm quæ rapit ciuitatem. Et maius est misericordia tacendo fugere, quàm resistendo superare. Ibidem. Item: Præter hanc communem speciem misericordiæ est quę dam species clementiæ spiritualis iudicis & potentis, quæ minus elucet in priuata persona: maximè autem in iudice parcente & relaxante aliquid de pœna, qui sibi & alijs habet parcere, ut de pœna debita semper aliquid remittat. Crudele enim est, habere commercium cum beluis, pœnis delectari, nihilque de pœna relaxare. Ibidem. Item: Sequitur de misericordia intercedente etiam pro inimicis, cuius pręter Dominum & protomartyrem Stephanũ, egregium est exemplum Samuel intercedens pro Saule, qui eum uolebat occidere. Ob quod meruit Samuel, quòd omnis à Dan usque Bersabee cognouerit, quòd Samuel esset fidelis propheta Domini. Huius etiam mirabile exemplum extitit Moyses, qui orans pro populo exasperante, eumq; grauiter infestante, retinuit Dominum furentem, dicẽs: Aut dimitte eis, aut dele me de libro uitæ. Ibidem.

Hildebertus ait: Misericordia speciosum est humanæ uitæ ornamentum, cuius expers malè degenerat, & hominem diffitetur. Vnde & nescire misereri cum feris est habere commercium. Epistola uigesimatertia.

Ordo reprehensionis aliorum. Bernhardus: Prius peccata tua confitearis, quàm ad expurganda accedas aliena. Magnum prorsus & mirabile sacramentum, animæ suscitatio. Vide ne ad illud immundus accedas. Quòd si fortè non potes innocens, imò quia non potes, laua inter innocentes manus tuas, antequam circumdes monumentum Domini. Omnia siquidem in confeßione lauantur. Sermone secundo de resurrect. Dom.

De lenitate Bernhardus ait: O' quàm leni & dulcißimo spiritu imbutus est animus illius, qui nouit in spiritu lenitatis peccantem instruere, suspendere uindictam, & affectuosis uisceribus inuiscerare sibi peccatorẽ, donec uitæ reddatur. Serm. de assumpt. Mariæ.

Peccata.

De homicidio inquit Honorius: Quæritur utrum homicidium semper sit malum? Cum in uindictam populi Dei fit, non est peccatum, sed multùm laudabile, ut occisio Goliæ à Dauid, & Holofernis à Iudith: uel iudicio iudicis, ut cum latro occiditur. In Psal. 5.

Malum sapere. Bernhardus: Sapere enim malum, sapere nõ est, sed desipere. In tract. de Gradib. humilitat.

De temeritate inquit Bernhardus: Vulgò dicitur, saliens antequam uideat, casurus antequam debeat. In declamat. de Bonis deserendis.

Discordiæ. Bernhardus: Non est bona arbor faciens fructus tales, insolentias, dissolutiones, dilapidationes, simultates, scandala, odia, quodq; magis dolendum, inter Ecclesias inimicitias graues, perpetuasq; discordias. lib. 3 de Considerat.

De ira inquit Bernhardus: Peccabis autem non minus iraſcendo, quàm omnino non iraſcendo. Siquidem nõ iraſci, ubi iraſcendum ſit, nolle emendare peccatum eſt. Plus uerò iraſci quàm iraſcendum, peccatũ peccato addere eſt. Quòd ſi malum eſt peccatum non emendare, quomodo malum non erit augmentare? Epiſtola ſexageſimanona.

De malicia inquit Bernhardus: Malicia uincit ſapientiam. epiſt. 179.

De auaricia inquit Bernhardus: Non prius ſatiabuntur corda hominum auro, quàm auro corpora ſatientur. Nec indignetur auarus, & de ambitioſis & luxurioſis, etiam de facinoroſis eadem ſententia eſt. Si quis mihi fortè non credit, experientiæ credat uel propriæ, uel multorum. De Conuerſ. ad cler. capite uigeſimoſecundo. Item: Quęre item cur quod approbat, ipſe non facit: Non poſſum, inquiet. Quare? profectò quia domina auaricia non permittit, quia liber non eſt, quia non ſunt ſua quæ poſsidere uidetur: ſed nec ipſe ſui iuris. Si uerè tua ſunt, expende ad lucra, & pro terrenis cœleſtia commutato. Si non uales, fatere te pecuniæ tuæ non dominum eſſe, ſed ſeruum: cuſtodem, non poſſeſſorem. Denique & conformaris crumenę tuę, tanquam ſeruus dominæ ſuæ, dum quomodo ille illi neceſſariò & congaudet gaudenti, & dolenti condolet: tu quoque cum creſcente tuo marſupio creſcis pariter animo, & cum decreſcente decreſcis. nam & contraheris triſticia, cum illud exinanitur: & lætitia ſolueris, aut certè inflaris ſuperbia, cum impletur. Sermone uigeſimoprimo ſuper Cant. Et: Iam uerò auaricia rotis & ipſa uehitur quatuor uitiorum, quæ ſunt puſillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio. Porrò iumenta trahentia, tenacitas & rapacitas: & his unus auriga ambobus præſidet, habendi ardor. Sola ſiquidem auaricia quoniam conducere plures non patitur, uno contenta eſt ſeruitore. Ipſe uerò iniuncti operis promptus admodum atque infatigabilis executor, urgendis ſanè iumentis trahentibus, flagris utitur acerrimis, libidine acquirendi & metu amittendi. Ibidem ſermone trigeſimonono.

Petrus Bleſenſis ait: Scitis quòd omnium malorum radix eſt cupiditas. Illa tranſgreſsionis mater, magiſtra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, ſicaria uirtutum, ſeditionis origo, fouea ſcandalorum. Epiſtola ſexageſimaquarta.

Petrus Cantor ait: Inſatiabilis eſt auaricia, & quo magis rapit & deuorat, eo amplius rapere ſitit quæ perdat. capite decimonono.

Corporis uitia. Bernhardus: Quatuor ſunt quæ corpus corrumpunt, curioſitas, loquacitas, crudelitas, uoluptas. Sermone 37 Paruorum ſermon.

Inuidia. Bernhardus: At baſiliſcus, ut aiunt, uenenum in oculo gerit, peſsimum animal, & præ omnibus execrabile. Noſſe cupis oculum uenenatum, oculum nequam, oculum faſcinantem? Inuidiam cogitato. Quid uerò inuidere, niſi malum uidere eſt? Si non eſſet ille baſiliſcus, nunquam per eius inuidiam mors intraſſet in orbem terrarum. Væ homini miſero, quòd inuidum non præuidit. Superemus & uitium hoc, dum adhuc uiuimus, ſi poſt mortem uolumus miniſtrum tantæ nequitiæ non timere. Nemo alterius bonum inuido aſpiciat oculo. Nempe hoc ipſum iam quod in ſe eſt, tabe ſua illud inficere, & quodammodo interficere eſt. Qui hominem odit, homicidam illum Veritas ipſa teſtatur. Quid & ille qui bonum odit in homine, nunquid non homicida poterit appellari? Adhuc uiuit homo, & ille iam reus eſt mortis eius. Adhuc ardet ignis quem Dominus IESVS miſit in terram, & inuidus tanquam qui ſpiritum extinxerit, iam damnatur. Væ uobis à dracone. Immanis eſt beſtia, flatu igneo quicquid attigerit, necat, non modò beſtias terræ, ſed & uolucres cœli. Haud alium ego draconem hunc, quàm ſpiritum iracundiæ reor. Sermone decimotertio de duodecimo uerſu Pſalmi, Qui habitat. Et: Literatus eſt, odit ſocium. Aſtutus in negocijs ſecularibus, neminem uellet ſibi ſimilem inueniri. Pecunioſus eſt, ſi diteſcere uiderit alterum, cruciatur. Fortis eſt aut famoſus, da ei parem, & contabeſcit. Sermone de nimia quadam fallac. præſent. uitæ. Et: Nimirum metientes noſmetipſos nobis, ſentimus aliqui noſtrûm pro noſtræ imperfectionis experientia, quàm rara uirtus ſit alienæ non inuidere uirtuti, nedum gaudere ad illam, nedũ etiam tanto plus quàm ad propriam quemq; gratulari, quanto ſe perpenderit in uirtute ſuperatum. Serm. 49 ſuper Cãt. Et: Si enim ubi inuidia, ibi mors, profectò non potes ſimul & inuidere & uiuere. Epiſt. 7.

Petrus Bleſenſis ait: Solos miſeros ignorat inuidia, uirum fortem excitat ad uirtutis exercitium alieni liuoris aculeus, nec mentis oculos torpere permittit inuidia detractorum. Epiſt. quadrageſimaſecunda. Item: Inuidebat tibi fortè aliquis, ſed habebas iudicem tuum, qui aduerſus innocentiam tuam erigebat in mẽte terrorẽ.

Nam

Nam iuxta uerba Ethnici, Iustius inuidia nihil est, quæ protinus ipsum actorem torquet, excrucians animum. Nónne torméta aliorum ex bonis solent marcescere & deperire? Epist. 42.

Petrus Cantor ait: Quod scilicet fraternum odium quantum sit, & quàm graue, patet ex authoritatibus sanctorum, qui dicút, propter illud omnia peccata dimissa redire ac repeti, usque ad nouissimum quadrantem. capite decimotertio. Item: Nascitur enim ex contumelia uel ex iniuria. Ex contumelia dupliciter: ex contumelia scilicet uerbi occulti & detractorij, uel uerbi manifesti & contumeliosi. Ex iniuria dupliciter: ex iniuria damni, uel ex iniuria illata corpori. Ibid. Et: Sic ergo cum inuidia regnatura sit post mortem. Item: Tanta est malitia inuidiæ, quòd Spiritum sanctum persequitur. Quid enim in dono proximi persequor, quàm donũ Spiritus sancti? Itaque ipsum datorem in dono persequor, & extinguere conor, dicés: Hoc uel illud, ille uel ille propter hypocrisin facit, & huiusmodi. Ibidem. Item: Diminuere uel incrustare bonum proximi, quid aliud est quàm illud Beelzebub principi dæmoniorum adscribere? Ibid. Et: Sicut inuidia aggressa est primum Adam, per quem mors intrauit in mundum: ita & aggressa est secundum Adam inuidia. Per inuidiam enim crucifixus est Christus à scribis & pharisæis. Hæc est fera bestia, quæ deuorauit Ioseph, eo quòd cunctis fratribus à patre plus amaretur, & illum actualem & Ioseph spiritualem Christum deuorauit. Ibidem. Et: Inuidia est putredo ossium, id est omnium uirtutũ, quas facit putrescere. Ibidem. Et: Sicut signa sua habet superbia ut non lateat, ut oculos sublimes, & sicut alia signa in alijs mébris: ita & inuidia sua signa habet. Hæc est perpetua anxietas, nec in se tempore cessat: faucibus ut morbo siccis & pallentibus, interque molares difficili crescente cibo, deprehendas animi tormenta latentia in ægro corpore: deprehendas & gaudia, sumit utrumque. Inde habitum facies. Hæc inter finitimos est uetus atque antiqua simultas, immortale odium, & nunquam sanabile uulnus. Item: Hæc nata à superbia est, mater proditionis, homicidij & fratricidij. Ibidem. Itẽ: Inuidia filia & mater superbia in unum cõspirauêre ad ruinam totius mundi. Ibidem. Et: Per inuidiam ueritas Hebraica, secundum interpretationem Hieronymi, nobis sublata est, quæ interpretationi eius inuidit. Ibidem. Item: Hæc est inuidia, quæ bona alterius ęruginat, adurit & consumit. Hæc est etiam locusta: locusta enim ore lædens, & fructus comedés & arbores, est malicia quæ testimoniũ boni, detractione corrodit. Hæc est & cynomya, id est, musca canina, quę acutè pungit. capite decimoquarto.

De sexto præcepto.

Opera.

De temperantia inquit Bernhardus: Néppe intemperantem ipsa consideratio censet tam eum qui necessarijs pertinaciter demit, quàm qui indulget superfluis. Non ergo est temperantia in solis resecandis superfluis, est & in admittendis necessarijs. Huius sententiæ Apostolus non fautor tantùm, sed author esse uidetur, qui curam carnis nostræ docet non perfici in desiderio. Dicens siquidem, curam carnis non perfici, superflua cohibet: addens, in desiderio, necessaria non excludit. Vnde mihi uidetur non omnino absurdè diffinire temperantiam, qui hanc nec præcidere necessitatem, nec excedere dicat, iuxta illud Philosophi: Ne quid nimis. libro secundo de Considerat.

Petrus Cantor: Illecebris igitur & illicitis per temperantiam, similiter & licitis, ne in his modum excedamus, inutiliter aliquid agendo, resistimus. cap. 88. Et: Hęc à quibusdam dicitur sobrietas, ab Apostolo modestia, à quodam sapiente modus. Ibidem.

De ieiunio inquit Rupertus: Causam uel intentionem ieiunandi Moses & Helias & Daniel bonam & Deo dignam habentes, gloriosum & laudabile fecerunt ieiunium, uidelicet hoc intendentes, hoc expectantes, ut mitteret Deus illud quod Abrahæ promiserat semen, id est, Christum. Qui ubi uenit, iam non fuit ieiunádum, donec auferretur ab eis, &c. lib. 6 Cõ. in Matt. capite 6.

Bernhardus ait: Est ergo ieiunium corporis, capitis unctio: & carnis inedia, refectio cordis. Sermone primo de Quadragef.

De spirituali ieiunio ait Bernhardus: Sed & multo magis ipsa anima ieiunet à uitiis & propria uoluntate sua. Sermone tertio de Quadrag.

Petrus Cantor ait: Multiplex est esuries siue sitis, gratiæ scilicet uel iusticiæ, scilicet ad Dominum, ad te, & ad proximũ, ut desideres piè, sobriè & iustè uiuere. capite septuagesimonono. Item: Ergo sitim iusticiæ habeas, & sitim gloriæ. Ibidem. Item: Est autem ieiunium auari detestabile, & est ieiunium medici indifferens, & est ieiunium hypocritæ & superbi, de quo suprà, execrabile. Hoc ieiunio ieiunauit pharisæus, qui ait: Ieiuno bis in sabbato, &c. Est ieiunium Christiani in maceratione

ne carnis ſiccum &ſobrium.capite nonageſimonono.

De fine ieiunij.Rupertus: Affectus ieiunantium triplex: quidam ieiunant propter regnum Dei ſeu uitam æternam, quidam propter aduerſitates, quidam propter humanæ laudis appetitum.lib.6 Commēt. in Matth.cap.6.

De hypocritico ieiunio inquit Rupertus:Cauſam iſtam non habuerunt,nec habent hypocritæ triſtes,& cum ieiunarunt& ieiunant frequenter,deſiderium Chriſti nō habentes,& mira uani cordis duritia nonnunquam plus ieiunando laborant, quàm hi qui Chriſtum &uitam deſiderant. lib.6 Com.in Matth.cap.6.

Peccata.

Ebrietas.Petrus Bleſenſis:Vbi enim regnat ebrietas,ratio exulat,obtunditur intellectus,conſilia deuiant, iudicia ſubuertuntur.Epiſtola ſexta. Item: Si de ſalute animæ tuæ,aut ſaltem de incolumitate corporis cogitares, plus animæ & minus corpori,minus uentri,plus ſpiritui deſeruires. In animæ tuæ perniciem coniuraſti, atque in ipſius grauamen uentris imples auxilium: cuius ingluuies dum omnia deuorādo uorare appetit, ſua uoracitate mortificat animam,& interioris hominis lumen obtenebrat.epiſt. quinquageſimanona. Item:Nā in tanta mole corporis anima quaſi tenebris obſeſſa carceralibus,in ſpirituale lumē reſpirare non poteſt.Membra uerò ſuis deſtituta officijs, ex longa deſidia & torpore ſenſitas paſsiones expectant. Multi enim ex nimia guloſitate morbeſcunt, ſuamque crapulam remediantur uomitu, turpiter egerentes quod turpiter ingeſſerunt. Ibidē.

Petrus Cantor ait: Gulam autem & ebrietatem coniungimus, quia ſicut gula,ita & ebrietas uentrem diſtendit, carnem accendit,libidinem fouet & nutrit.cap.100.Item: Habet autem gula quatuor ſatellites,quid, quantum,quale, & quando. Quid conſiſtit & accenditur in genere eduljj,quantum in quantitate, quale in condimento cibi uel ſalſamenti & etiam uilitate, quando in tēporis maturitate & frequentia. Ibidem. Item:Eijciunt &hominem de domo,primò litigans uxor, carnis tentatio:hinc fumus, peccatum ignorantiæ;deinde ſtillicidium, aliena & quæcunque extranea ſuggeſtio. Ibidem. Et: Venter enim mero æſtuans, de facili deſpumat in libidinem. Caue tibi ne proſternaris in conuiuio inter epulas cū filijs Iob. Ibidem. Et; Ebrietas hominem ſui & Dei immemorem facit,infinita monſtra parit,conſilia detegit. Quia quid ebrietas non deſignat? inguinis & capitis quæ ſit diſtantia neſcit. Diabolus gula primos parentes tentauit: Quacunq; die comederitis ex eo,eritis ſicut dij.Deinde Dominum IESVM: Dic ut lapides iſti panes fiant. Ibidem.

De luxuria ait Bernhardus:Luxuriæ uerò currus quadriga nihilominus uoluitur uitiorum, ingluuiæ uidelicet uentris, libidine coitus,mollitie ueſtium, ocij ſoporiſque reſolutione. Trahitur equis æquè duobus,proſperitate uitæ, & rerum abundātia: & qui his præſident duo, ignauiæ torpor, & infida ſecuritas: quia & copia in ignauiā ſoluit,& ſecundum Scripturam, Proſperitas ſtultorum perdet illos: non ſanè ob aliud,niſi quoniam malè ſecuros reddat. Cū autem dixerint Pax & ſecuritas: tunc ſubitaneus ſuperueniet eis interitus. Hi calcaria minimè habent,neque flagella,uel aliquid huiuſmodi:ſed pro his utūtur paruulo papilione conopeo ad faciēdam umbrā, & flabello ad ciendum uentum. Porrò conopeum diſsimulatio eſt,umbram faciens, &protegens ab æſtu curarum. Proprium namque eſt mollis & delicatæ animæ, etiam neceſſarias diſsimulare curas:& ne æſtuantes ſolicitudines ſentiat, ſub latibulo diſsimulationis abſcondi. Flabellum uerò effuſio eſt, uentum adulationis apportans. Largi ſunt enim luxurioſi,emētes auro uētum de ore adulatorum. Sermone 39 ſuper Cant.

De fornicatione inquit Petrus Cantor: Simplex fornicatio eſt illicitus coitus ſoluti cum ſoluta, uel econuerſò, quod crimen maximè deteſtandum eſt:quia, ut ait Apoſtolus, fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Neque fornicatores neque adulteri introibunt in regnum Dei.cap.101. Item: Homo dignitatem ſuam & imaginem Dei hoc uitio amittit,adeò ut totus abſorbetur, terraque efficiatur, & de rationali mutetur in reptile & iumentum. Ibidem. Item: Ob hoc & maximè fugienda eſt fornicatio, quia uicioſa eſt, & quòd cum cæteris uitijs poſſumus luctari: de ea autem dicitur, Fuge fornicationem. Ibidem. Item: Adulterium quoddam eſt ſimplex, ſcilicet ſoluti cum coniugata,uel econuerſò:quoddam duplex uel maius, ſcilicet coniugati cum coniugata.Ac ultimum homicidio uidetur eſſe par crimen.Ibidem. Item: Vnde Dominus in lege adulteram ſine remedio præcipit lapidari. Iuxta enim quantitatem delictorum, lex ſtatuit quantitatem pœnarum.Ibidem. Item:Cum Dominus pœnam pro alijs peccatis infligendam differat,pro hoc patiētiā &bonitatem ſibi innatam uidetur exuiſſe, non diu expectans Sodomitas,ſed magis eos pūniēs tēporaliter,igne cœlitùs miſſo,cōlum maturus tādem

dem pœnam eorum igne gehennæ. capite 102. Item: Sed nunc quomodo abierunt hæc in dissuetudinem, ut quæ grauiter punit Dominus, intacta relinquit Ecclesia: & quæ leuiter punit, ipsa grauissimè puniat? Timẽdum ne hoc ex auaricia procedat, illud uerò ex refrigerio charitatis omittat. Ibidem.

De fornicatione spirituali ait Rupertus: Vera & magna fornicatio est creaturæ rationalis, id est hominis, elongare se à Deo, & adhærere mundanæ cupiditati. lib. 10 Cō. in Apocal. cap. 17. Item: Duplex fornicatio, tam corporalis quàm spiritualis, quia spiritualiter fornicati sunt, contumelijs corpora sua in semetipsis afficiendo. lib. 1 Cō. in Oseam proph. cap. 4.

De luxuria ait Petrus Cantor: Quemadmodū desiderare res delicatas luxuria est, ita usitatas & nō magno parabiles fugere, dementiæ est. Item: Maximè autem uestis syrmatica & longa non decet Christianum: quia post se puluerem trahit uel suscitat ad excæcandum oculos sequentium, similès Dauis. Vnde Milo Carnaciensis episcopus in Sermone suo ait: Non decet, inquit, matronas Christianas, uestes habere subcalares & post se trahentes, quibus uerrant sordes pauimenti & uiarum. cap. 68. Item: Sed & propter hanc superfluitatem & sumptuositatem domorum, ciborum & uestium, minor est hodie pietas & erogatio in pauperes. Minus enim sufficimus alimoniæ eorū, & huiusmodi sumptibus superfluis. cap. 69. Item: Hanc libidinem ædificandi detestantur palatia principum, constructa ex latrocinijs & rapinis pauperum. Ibidem.

De prodigalitate inquit Petrus Cantor: Fiūt aliqui prodigi pluribus ex causis. Quidam ob libidinem ædificandi, & ob alias superfluitates & ebrietates. capite septuagesimo. Item: Alij fiunt prodigi ob ambitionem dignitatis, uel famæ. ibidem. Et: Alij fiunt prodigi ob excusationem miserię & peccati sui, histrionibus & indignis dantes, ut dicatur de eis, Nihil negant quod ab eis exigitur. Sed nihil dant nisi exigatur. Ergo nihil dant uiro honesto & bono. Ibidem. Item: Alij fiunt prodigi ob negligentiam uel inscientiam, qui profusores suorū fiunt, peccatores alienorum. Generaliter enim prodigalitatem comitatur cupiditas, auaricia & rapina. Ibidem.

Iohannes Salisberiensis ait: Prodigalitas itaq; eroganda & non eroganda profundit in eas res, quæ nullam sunt omnino aut breuem habituræ memoriam. libro octauo Policrat. de Curialibus nugis, capite secundo.

De ocio. Bernhardus: In desiderijs est omnis ociosus. Sermone quinto in uigilia nat. Dom.

Petrus Blesensis ait: Qui enim curam carnis in delicijs agit, tormenta conscientiæ accusantis patitur, secum etiam hostem domesticū gerit semper. Epist. 7. Itē: Effœminare quidē ocio, torpore & pigritia, nihil aliud est, quàm suffocare uirtutem, nutrire superbiam, uiamque construere in gehennā. Ibidem.

De continentiæ hostibus ait Bernhardus: Primus siquidem continentiæ nostræ hostis caro est, aduersus spiritum concupiscens. Sermone 2 de fragmentis septem misericordiar.

De septimo præcepto.

Opera.

De spoliatione Aegyptiorum. Petrus Lōbardus: Hic opponitur, quòd etiam boni in isto opere peccauerunt: quia naturalē legē, cui concordat Euangeliū & lex moralis pręceptionis, transgressi sunt: quæ est, Quod tibi non uis fieri, alij ne feceris. Quam Veritas scripsit in corde hominis: & quia non legebat in corde, iterauit in tabulis, ut uoce forinsecus admota, rediret ad cor, & ibi inueniret quod extrà legeret. Hanc ergo illi præuaricari uidentur in illo facto, alijs facientes quod nolebant sibi fieri. Sed ibi subintelligendum est Iniustè, ut non alij, scilicet iniustè, facias quod tibi non uis fieri. Alioquin huius præuaricator est iudex, dum punit reum, nolens aliquid tale sibi fieri. Ita etiam & illud Domini uerbum: Omnia quæcunque uultis, ut faciant uobis homines, &c. de bonis accipiendum est, quæ nobis inuicem exhibere debemus. libro 3. distinct. 37.

De paupertate inquit Petrus Cantor: Nutrix est & custodia uirtutum, dicens: Beati pauperes. Paupertatem autem loquor uisibilem, qua, sicut & spirituali, respersa est tota Scriptura, quam maximè redolēt ferè omnes Psalmi. capite decimooctauo. Item: Constat autem tutius esse, diuitias nec haberi nec amari, quia haberi possunt & non amari. Ibidem. Item: Si paupertatem patienter ferre non potes, eligas mediocritatem, iuxta Poetam, qui ait: Auream mediocritatem quisquis diligit, tutus caret obsoleti sordibus tecti, caret inuidenda sobrius aula. Et Dominus auream mediocritatem commendans, ait: Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Ibidem. Item: Ob hoc amanda est paupertas, quòd non inuenit adulationem, quam fouent diuitiæ. cap. 35. Item: Quemadmodum autem desiderare delicatas res, luxuriæ est: ita usitatas non magno parabiles fugere, dementiæ est, cap. 18.

De

De uigilia inquit Petrus Cantor: Quatuor autem distinguuntur uigiliæ, propter quatuor cardinales uirtutes, ut uigiles sic, ut prudenter & discretè eligas, in necessarijs electa fortiter conserues, in aduersis téperanter, in prosperis iustè uigiliam tuam custodias, ne somnus culpæ obrepat. capite 67.

De labore. Petrus Cantor: Labor naturæ duplex, corporalis scilicet & spiritualis in cogitatione. Corporalis multiplex. Vnde,

Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Nec prohibet Dominus laborem naturæ, qui est scilicet ad necessitatem, cum ait: Nolite soliciti esse de crastino. Sed solicitudinem uitiosam prohibet, nõ necessariam prouidentiam. Labor gratiæ est ad gratiam & propter gratiã, qui duplex est, corporalis scilicet & spiritualis, & uterq; triplex est. Est enim labor pœnitentialis: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, &c. Et labor macerationis propriæ carnis: Castigo corpus meum, &c. Tertius labor gratię consistit circa prouisionem proximi, ut eum instruas in uia Domini. cap. 67. Et: Labor culpæ est, quæ est ad culpam, & multiplex est iuxta diuersitatem uiciorum. Vide quantum quis laboret propter inanem gloriam, alius propter luxuriam, alius propter gulam, & ita de cæteris. Ibidem. Item: Contra mollicíem & delicias carnis prætéritas dormias in sacco, somnos nimios uigilijs cures, gastrimargiam ieiunio releues, ebrietatem siti arefacias, sicq; contraria contrarijs cures & discas. cap. 107.

De frugalitate inquit Petrus Cãtor: Frugalitatem & sobrietaté in omnibus exigit philosophia, nõ pœnam. Potest autem esse incompta frugalitas. Hic mihi modus placet. cap. 56.

Iohannes Salisberiensis ait: Tenuis parcus impletur facilè, & facillimè exinanitur prodigus diues. libro 3. capite 12 de Curial. nugis.

De hospitalitate. Petrus Cãtor: Quia peregrini ad hospitium non solùm sunt uocandi, sed etiam trahendi. cap. 97.

Quid dandum. Petrus Cantor: Quid autem sit dandum, & quo ordine, ostenditur ubi ait Dominus: Omni petenti te tribue. Rem quam petit, si potes, da: si non potes, da calicem aquæ calidæ: quam si non habes, da calicem aquæ frigidæ: quòd si nec frigidam habes, si malus est, da increpationem: si bonus, da orationem. Nunquam deest iusto quod det, qui in Domino omnium omnia poſsidet. Quantum uerò dandum sit, Iohannes ostendit, dicens: Qui habet duas tunicas, det unam non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. capite 82.

Citò dandum. Petrus Cantor: Citò dandum est, quia non tulit hoc gratis, qui cum rogaret accepit. Itẽm: Bis dat, qui citò dat. capite 37.

De effectu. Petrus Cãtor: De effectu eius ait Spiritus sanctus in Ecclesiastico: Abscon de eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orat pro te ad Dominũ, ut libereris ab omni malo. cap. 82.

Iohannes Salisberiensis ait: Quicquid charitas erogat, remuneratur à Domino. Quod dispensat uanitas, euanescit. li. 8. ca. 4 Policrat. de curial. nugis.

Quibus dandum. Petrus Cantor: Itaquè dum sanæ mentis es, hoc consilio sapientum utere, ut magis ad rem existimes pertinere, quis quàm quid acceperit. capite trigesimonono. Item: Duo, imò tria attendes, naturam & gratiam, quæ naturam uiciatam reparat, & uicium. Da naturæ, quia homo, scilicet si indiget. Naturam autem aliquãdo carnalitaté & sanguinitatem uocamus. Et cõsanguineis dabis de proprio, de patrimonio tuo, nõ Christi, eius sanguine acquisito: cuius dispensatio credita est uiris Ecclesiasticis, ut illud pauperibus distribuant. capite trigesimoseptimo. Item: Necessitati ergò des, nõ sanguini. Ibidem. Item: Sequitur, quibus, quot, & qualibus dandum sit. Quibus ergo? omnibus, si potes: si non, maximè domesticis fidei, & inter hos magis indigentibus, & magis iustis: quia oculi Domini super iustos. Et dispersit, & dedit pauperibus, non ructantibus. Ecce quibus, & quot, & qualibus dandum. Circa uerò qualitatem & cautelam dandæ eleemosynæ, hæc attendenda sunt. Distributio, ne uni omnia dentur. Necessitas, ut necessaria dentur. Vnde Apostolus: Vnusquisq; prout destinauit in corde suo, non ex tristicia aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Coacta enim seruitia Deo non placent, sed uoluntaria. Vnde: Voluntariè sacrificabo tibi. Qui dat ob uerecundiam uel improbitatem interpellantis uitandam, & rem perdit & meritum. Solo enim intuitu Dei, non alicuius rei extrinsecæ, ut precum & huiusmodi, danda est eleemosyna. Pietas autem dantis condit eleemosynam, non quantitas dati. Item in Exodo: Omnis uoluntarius & prompto animo offerat primitias Deo. Sequitur de quo sit dandum. De tuo scilicet, non alieno. Vnde dicitur: Honorà Deum de tua substantia, non de aliena. Et in Deuteronomio: Non adhærebit quicquam de anathemate, quocunque scilicet, quod separari debet à te in manu

tua, ut misereatur tui Deus. Item exemplo Martini presbyteri cardinalis, pauperis & munera spernentis, cum dominus cancellarius misisset Romanæ curiæ eulogiam & benedictionem, scilicet 20 libras in natali Domini, respuit eas, quia de rapina & simoniacè acquisitæ erant. Qui etiam cum sibi commodatus esset equus, deficiente proprio, à quodam episcopo, cùm legatione fungeretur, noluit adiuuare dictum episcopum in causa sua, nisi reddito sibi equo, & cognita causa eius prius iusta. Item exemplo Stephani Clareuallensis abbatis, qui datos panes à sacerdote conuerso suo & caseos, distribuit eos pauperibus & pueris, indicans, monachos suos non debere eis, tanquam furtiuis & raptis, uesci: cum dextera sacerdotum plurimorum & archidiaconorum repleta sit hodie & tunc etiam muneribus, & dextera eorum dextera iniquitatis, qui in dextera & pro his quæ sunt dexteræ rapiunt & accipiunt, peiores laicis fœneratoribus, qui in sinistra, & pro his quæ sunt sinistræ rapiunt. capite octuagesimosecundo.

Iohannes Salisberiensis ait: Illis qui promeruerunt donare, iustum est: & ijs qui indigent subuenire, pium: ita tamen ut id respiciatur in singulis, quod in facie sapientis sine rubore & nota ualeat denudari. lib. 8. cap. 4.

Quibus non dandũ. Petrus Cantor: His addendum est de histrionibus, meretricibus, mimis, ioculatoribus, aleatoribus, magis tirocinatoribus. De corripiẽdis histrionibus & curiosis rogat Apostolus: Rogamus uos fratres, corripite inquietos, id est, curiosos. capite trigesimonono. Item: Pro eo quòd peccatores sunt, noli communicare, sicut hi qui nutriunt histriones & desides, cum esuriant Christi pauperes. Ibidem.

Qui malè accipiant. Petrus Cantor: Sed nota quòd triplex est genus hominum, sub obtentu paupertatis uel religionis munus accipientium. Quidam enim sunt qui tempore famis tantum habeant unde sustentari possunt, sed habita abscondunt, clamitant per plateas sub specie pauperum. Qui deprehensi tales esse, puniuntur, quia abscondita eis auferuntur. Sed quæro, quare hæc diligentia non adhibeatur in clericis, nec deprehensi supra necessitatem accipere similiter puniantur? Maior hinc uidetur esse ratio & causa punitionis. Item: Sunt & alij omni tempore clamitosi, & nimis terribiliter se inflantes, tremulosi, & uarias figuras ægrotantium inducentes, uultum ut Prothea mutantes. Horum quidam sunt absconditi, qui nolunt ab hominibus deprehendi. Alij sunt qui acceptis muneribus, statim se exhibent tales quales fuerunt, pristinum & natiuum sumentes uultum, deridentes etiam sibi dantes. Et hi excusabiliores sunt, & minus mali absconditis, in eo quòd turpitudinem suam detegunt. Tertium genus hominum est pseudoprædicatorum, & hoc duplex. Quidam enim sunt mercenarij, munera quæritantes per mendacia, per falsas reliquias, sigilla & literas, per falsa etiam miracula. Alij fingunt se esse Nicolaos, & quoscunque sanctos à Domino missos, ut deludant homines, & eis sic sua furentur. Tales omnes duo mala faciunt in Ecclesia, quòd scilicet res pauperum furtim surripiunt, & sæpe etiam à pauperibus: & quòd ueris pauperibus non creditur. De his quæritur, utrum sic accepta teneantur restituere? Primi deprehensi puniuntur. Quòd si deprehensi non fuerint, laudo quòd restituant, uel pauperibus distribuant. Illud consulo & absconditis, mimis, & quibusuis ioculatoribus: defraudauerunt enim pauperes ueros. Hoc idem dico de his quæ mendacijs acquisita sunt, cap. 38.

Quomodo. Petrus Cantor: Notandus est quidam ordo in datione eleemosynæ. Sed ut altius ordiamur, distinguendæ sunt species eleemosynæ. Est igitur prima species eleemosynæ Dei, consistens in creatione & recreatione nostra, in consolatione nobis exhibita per percepta beneficia, in instructione per præcepta, in emendatione nostra per flagella, demum in collatione præmiorum in gloria. Secunda species est Christi hominis, qui in cruce se ipsum obtulit Deo hostiam uiuam pro nobis inimicis suis, seipsum etiam quotidie cum insignijs militiæ suæ repræsentat patri, pro nobis orans & interpellans, ut aduocatus & frater noster in cœlis. Tertia est hominis ad seipsum, sicut legitur: Miserere animæ tuæ placens Deo. Quarta hominis ad proximũ, & multiplex. In correctione fratris, ut corrigat, in dimissione propriæ iniuriæ, in oratione pro ipso, in compassione alterius, in consilij sancti datione, in cuiuslibet talenti siue corporali siue spirituali erogatione. Sed exhibitio corporalis eleemosynæ, nomen generale ex usu quasi proprium sibi uendicauit. capite octuagesimosecundo. Item: In hac autem specie, scilicet corporali eleemosyna, quidam ordo attenditur. Prima enim syncera & pura eleemosyna de labore proprio. Vnde dicitur: In labore & sudore uultus tui (non alieni) uesceris pane tuo, & alijs ad uescendum dabis. Et item: Laborem

Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Exemplo etiam Apostoli, qui manibus cibum quæritabat, qui etiam ait ad Ephesios: Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret manibus suis operando quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Exemplo etiam uiduæ recusantis sepeliri in camisia alia quàm neuit & texuit. Secundus gradus eleemosynæ est corporalis de patrimonio proprio, de quo potest fieri eleemosyna, etsi non adeò pura ut prima, quòd tantùm colis sudore alieno, & homine uteris pro iumento. Tertius gradus est de patrimonio Christi, cuius dispensatores, & quasi testamentarij sumus, non domini. Vnde minus propriè dicitur eleemosyna. In omnibus tamen his par charitas, par meritum commeretur. In hoc autem ultimo, scilicet patrimonio Christi, nisi iusta dispensatio fiat, fures erimus & raptores. Et sæpe contingere res pauperum dari abundantibus & nepotibus sacerdotum, nec abundát ita, sed aporiati sunt: quia non habet euentus sordida præda bonos, & malè adquisita citius dilabuntur. Addendum etiam prædictis, quod ad cautelam dandæ eleemosynæ pertinet, scilicet ut propria uoluntate & prompta, libero arbitrio, & propria manu, si potes, eleemosynam tuam distribuas, exemplo Christi & sanctorum ministrantium in medio subditorum. capite octuagesimosecundo. Item: Hæc est enim Christiana consideratio in omni munere conferendo, quo animo det, scilicet simplici, scilicet ut tantùm propter Dominum, qui non quantum, sed ex quo animo detur, attendit. capite trigesimoseptimo. Item: Neque quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione uestra, id est bonam & rectam uoluntatem, qua interior homo fœcundatur. capite 81.

Quando. Petrus Cantor: Dum uiuis etiam pro te eroges, dum tempus est seminandi: quia mortuus rarum inuenit amicum. Nihil enim citius frigescit in corde, quàm amicitia mortui post mortem. capite 82.

Beneficentia. Hildebertus: Hac celeritate præstanda sunt beneficia, ut ea potius accipiat improuidus, quàm importunus extorqueat. lib. 27.

Contra uanitatem diuitiarum inquit Petrus Cantor: Quoties occurrit domus splendida, culta cohors seruorum, lectica formosis imposita calonibus, quid miraris? quid stupes? pompa est, ostenduntur istæ res, non possidentur. Vnde placent, transeunt. Ad ueras te potius uerte diuitias, disce paruo esse contentus: sed & illam uocem magnus atque animosus exclama, Habeamus aquam, habeamus polentam. Turpe est beatam uitam in auro & argento reponere, æquè turpe in aqua & polenta. capite decimooctauo. Item: Infirmi animi est, pati non posse diuitias. Nunquid igitur appetendæ sunt? sed nec contemnendæ, iuxta uerbum Attali magni philosophi, qui diuitias non contempsit, sed alijs habendas permisit. Ibidem. Item: Ob hoc autem constat, quòd res, id est, status diuitum & potentum in loco periculoso posita est, quia ranæ in penetralibus regum, uiri scelerati & socij furum maximè in domibus potentum inueniuntur, qui peccatores fiunt propter diuites, illos decipientes, à quibus decipiuntur cum non repelluntur, qui laqueum parauerunt pedibus potentum, & foderunt ante faciem ipsorum foueam, & inciderunt in eam. Hæc uia illorum scandalum ipsis, & tamen postea in ore ipsorum complacebunt. Et Iosephus ait: Ob hoc maximè status potentum meticulosus & periculosus est, quòd eos moles rerum mediocriter malos esse non sinit. Qui non simplici & proprio ore, sed alieno & multiplici, quia longa manu peccauerunt, habent peccata sua confiteri, nequeuntes ut pauper dicere: Domine, tibi soli & in me solo peccaui. sed, Tibi & multis proximis, in me & in multis satellitibus meis. Omnem igitur malorum societatem, omne impedimentem quo minus in uia Domini procedas, fugias. capite quinquagesimooctauo.

De usu diuitiarum inquit Petrus Cantor: Sed nec hoc fieri pati deberent ex pecunia propria uirorum bonorum, sed adhortari eos ut potius ista conuerterent in alimoniam pauperum, & redemptionem captiuorum. capite sexagesimononono.

Diuitiæ quomodo habendæ. Rupertus: Huius mundi bona mutabilia, quibus stultus seruit, sapiens imperat, habere non est peccatum. Sanctos patres diuites fuisse sacra Scriptura tradit: sed ipsas diuitias non passi sunt suis affectibus dominari, sed ipsi dominati sunt diuitijs, dispensando ut poscebat usus priuatus aut publicus: itaq; laudabiliter eiusmodi diuites excusantur. Quia non est census in crimine, sed affectus. libro septimo in Apocal. capite duodecimo.

Peccata.

Vsuræ. Petrus Blesensis: Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni omnes labores eius. Thesauros quos deuorasti euomes, & de uentre tuo extrahet illos Deus. Lues quæ fecisti omnia, nec tamen consumeris: dolores enim mortis æternæ finire non poteris. Nam sicut lana ouium tonsa permittitur crescere, ut iterum tondeatur: sic moriendo uiues, & non desines mori. Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos. Sic in conspectu Titij semperque renascens Non perit, ut possit sæpe perire, iecur. Deus dicit per Amos: Deficere finitis egenos, dicentes, Quando transibit sabbathum, & uenundabimus frumentum, ut possideamus in argento egenos, & quisquilias frumenti uendamus? Sed tenebrescere uos faciam in die lùminis, & festiuitates uestras conuertam in luctum. Epistola 35. Item: Fœnerator tristissimos habebit exitus huius uitæ, cuius finis interitus, cuius mors detestabilis, cuius damnatio sine fine. Epist. 131.

Petrus Cantor ait: Vsura enim est, cum plus exigitur in pœna, quàm commissum est in culpa. Ex usuris autem pœnæ & culpæ redimet Dominus animas eorum, qui redemerunt animas suas per abstinentiam ab usuris pecuniæ & pœnæ supra quantitatem culpæ illatæ: à quibus qui non abstinuerit, diabolo assimilatur. Sicut enim diabolus homini mutuò dat peccatum, ut aliud ab eo recipiat, quia sanguis sanguinem tetigit, & peccatum quod statim per pœnitentiam non diluitur, augetur: sic homo fœnerator talentum pecuniæ dat ad usuram, ut aliud recipiat. Et sicut diabolus talentum peccati non uult sibi reddi, quia quanto diutius detinetur, tanto amplius multiplicatur: sic & fœnerator talentum pecuniæ creditum proximo, non uult reddi, quia multiplicatur dum non redditur. capite quadragesimo. Et: Etiam dando ad usuram peior est exactore diabolo: quia diabolus autor omnis malitiæ talentum suum, non alienum, mutuum dat. Fœnerator uerò dando mutuum, talentum pecuniæ non suum dat, sed Dei. Ibidem. Item: Cum itaque summæ accrescit ex dilatione temporis, uel cum pœnæ adijcitur supra culpam, usura committitur, quæ serpenti cancro comparatur, quia serpit & paulatim crescit, ut totum corpus occupet. Ibidem. Item: Habet autem usura multa umbracula & palliola quasi mercaturæ, quibus tegatur & quasi excusetur. Ibidem. Et: Inter quæ hoc maximum est, quòd creditur alicui uile pro caro, puta pannus fucatus, uel aliud mercimonium uile pro cara specie. Sic autem uendens, reique creditæ & uenditæ precium augens ex dilatione temporis, plus peccat eo qui mutuat ad usuram certam speciem pro certa. Ille enim non uilem pro cara sub pallio & specie mercaturæ, non dico uendidit, sicut asserit, sed ad usuram dedit, ut cum augmento recipiat. Ibidem. Item: Fœnerator plus peccat quàm fur, qui tantùm de nocte uel clàm hominem bonis suis spoliat: uel latro, qui de die & manifestè. Hic enim continuat maleficium & artem rapiendi bona proximi: illi uerò non. Item: Processu temporis morbus iste cancrosus & pestifer inualuit. Antiquitùs enim in tota ciuitate uir unus fœnerator inueniebatur, & ille quidem occultus, nec fœnerabatur nisi pauperibus, nec tamen nisi clàm, data fide quòd non publicaretur. De quo si fortè praua oriretur suspicio, dicebatur domus illius domus diaboli, uinea, puteus, ager diaboli: & deinceps osculum pacis non dabatur ei in Missa, ignis à uicinis in domo eius non sumebatur, sed nec aliquis cum eo aliquod participium habebat. Pueri etiam ad eius occursum pauescebant, & alterutrum eum digito monstrabant. Adeò enim detestabile tunc temporis fuit uicium usuræ. Ibidem. Et: Isti nostri Iudæi sunt, imò peiores Iudæis sunt: quia Iudæus ex præcepto legis non fœneratur fratri, sed cum alieno ex permissione. Iste autem & proximo & alieno contra præceptum Domini fœneratur. Ibidem. Item: Sed & maximè pudeat prælatos nostri temporis, qui dato decreto ab Alexandro in Lateranensi concilio de hac peste penitùs per sententiam anathematis eradicanda, adhęc tamen pestiferos illos palpant, & in suis uicijs fouent. Ibidem. Item: Hæc est prima pœna quæ manet tales, quòd uix hæreditas eorum transit in tertium hæredem, sicut plurima exempla docuerunt: quia non habet euentus sordida pręda bonos, & quæ malè parta sunt, malè dilabuntur. Secunda pœna eorum est, quòd uix poterunt oblata restituere, adeò enim hoc peccatum super omnia alia peccata uiciosum est & tenax: uel si habent unde possent restituere, datores malunt esse quàm oblatorum restitutores. Tertia pœna erit eis in gehenna, quòd aurum bulliens super ipsos entes cum Nerone effundetur abundanter & ex omni parte. Quarta pœna, quòd pater qui fœneratus est pro filio suo, & filius qui in rapinam eius eo mortuo introijt, sibi in dialogo improperabunt, imprecabuntur, se inuicem lacerabunt. &

uterque in alterum inuolabit. Crudele est & periculosum à fœneratore panem accipere, item quamcunque rem aliam, dum eum talem esse cognouimus. Exemplo beati Tobiæ, qui ait: Filij sanctorum sumus. Et authoritate Hieronymi dicentis: Cauendum est nobis maximè, ne ab illis accipiamus munera, quos nouimus uiuere de lachrymis pauperum, ne dicatur nobis: Si uidebas furem, currebas cum eo. Exemplo etiam beati Fursei, macula lepræ percussi, eo quòd à fœneratore acciperet tunicā, quem tamē talem esse sciebat, sicut in Legenda eius legitur.

Abscondere frumenta. Petrus Blesensis: Maledictus qui abscondit frumenta in populis, semina in benedictionibus. Vt etiam de benedictionibus metas, effunde largiter quòd cupidè congregasti. Nam qui parcè seminat, parcè & metet. Hilarem enim datorem diligit Deus. Noli fœnus quæso ulterius amplecti temporale, quod grauissimè detestatur qui omnia quæ habes tibi commodauit, nunc in pauperibus suis sibi postulat commodari. Beatus homo qui miseretur & commodat. Nō enim miseretur qui lucrum sequitur temporale. Qui miseretur pauperi, Domino fœneratur. Sibi uerò pietatis ianuam claudit, qui uiscera misericordiæ proximo mendicanti non aperit. Epistola trigesimaquinta.

Subtracta amantium. Bernhardus: Subtractio nempe rei quam amas, augmentatio desiderij est: & quod ardentius desideras, cares ægrius. Serm. quinquagesimoprimo super Cant.

De abusu bonorum temporalium inquit Petrus Cantor: Peccatum enim Sodomorum fuit abundantia panis, & superbia uitæ, quæ ex abundantia bonorum temporalium processit. capite decimooctauo.

De auaritia. Petrus Cantor: Radix enim omnium malorum cupiditas est, quæ est plus habendi quidlibet, scilicet pecuniam, honorem, simultatem, scientiam, escam, uestem & huiusmodi, quàm satis est, quæ Græcè dicitur pleonexia. capite decimonono. Item: Secundum hoc genus cupiditas continere uidetur quasdam species uiciorum, scilicet superbiam, elationem, gastrimargiam, & quasdam alias. Ad quam quæstionem & argumentum idipsum facit, quod supponit Augustinus: Quidam libri habent, Radix omnium malorum est auaricia, quæ specialiter intelligitur amor pecuniæ. Vnde & in Græco dicitur philargyria. Sed hic ponitur species pro genere. Ibidem. Item: Illi enim, id est libidini, ætate uel medicamento alio occurritur: isti, id est cupiditati, nullo medicamento subuenitur. Item: Cupiditas comparatur hydropisi. Ibidem. Item: Auariciam speciem cupiditatis. Ibidem. Et: Deinde proponit de auaricia. Nihil est unquam iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim animam suam, non tantùm linguam uenalem habet: quoniam in uita sua proijcit intima sua, seipsum euiscerans sicut aranea, quæ texit inutiles telas, solicitudine adquirendi & conseruandi pecuniam. capite decimonono. Item: Epitheton est auariciæ, aurum uel sapere superbum urbanum & aliquantum lautiorem, uel eo nihil esse sordidius. Ibidem: Item: Insatiabilis est enim auaricia, quo magis rapit & deuorat, eo amplius rapere sitit quæ perdat. Ibidem. Et: Si paupertate mediocri scires uti, non oporteret te regibus mendicando adulatione mentiri. Ibidem.

Iohannes Salisberiensis ait: Nec domi illorum iusticiam esse credas, aut ueritatem, aut pietatem, apud quos omnia uides esse uenalia. Christus ipse exclusus est, et si pulsat ad ostium, non aperitur ei. Fugiunt & fugant gratiam, qui omnia ad precium, & gratis faciunt nihil. libro quinto, capite decimo. Item: Nam in his duobus articulis furor totius auariciæ constat, quòd immoderatius appetit aliena, aut sua tenacius seruat. libro septimo, capite decimosexto. Item: Auariciam uel ex eo non modò fugiendam, sed detestandam constat, quòd à cœlestibus procul sectatores suos & à consortio diuinitatis & usu cœlestis beatitudinis remouet & elongat. Ibidem. Et: Hæc est auaricia latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ auidissima uorago, neque habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima.

De pigricia. Petrus Cantor ait: Pigricia est maximum peccatum, quod accusans Salomō, ait: Vsquequò piger dormis? Quando consurges ex somno tuo? Manus in manu non est innocens. Qui operatur terram suam, saturabitur panibus multiplicibus. Qui autem sectatur ocium, stultissimus est. capite sexagesimoseptimo. Item: Glosa. Hoc hyperbolicè dictum est, quasi diceret, Tanta inopia sæpe punitur, quòd si fieri posset, comederet carnes suas. Vel, Pigricia sua causa est, quare comedantur & deuorentur igne ęterno carnes eis, qui ei materiam & fomitem præbebant. Ibidem. Et: Tres autem uigilias ponit contra triplicem torporem. Ibidem. Et: Vigilia ergo in his quæ est ad

Dominum, uigilia in his quæ est ad teipsum, uigilia in his quę est ad proximum. Fremit mundus, premit corpus, insidiatur diabolus. Ibidem: Item: His effectum est, ut rarus sit hodie qui non mendicet, nisi fœnerator, uel qui certis stipendijs & reditibus sustentatur. capite decimoseptimo. Item: Et cum in omni ferè genere pigricia redargui possit & inueniri, magis in clero reperitur: quia magna sunt ocia cleri. Non est quid agatur apud eos. capite sexagesimoseptimo.

De octauo præcepto.

De mendacio. Honorius inquit: Sicut tenebræ luci, sic mendacium contrarium est ueritati. Deus autem est ueritas. Ergo qui mendacium loquitur, negat Deum: & ideo iustè ab eo quem negat, perdetur. Si Deus solus uerax, omnis autem homo mendax. Ergo omnes peribimus, quia omnes mentimur. Sed sciendum est, quòd omne mendacium quatuor modis profertur: dum aut nescientes, aut prodesse uolentes, aut ioco, aut fallendo mentimur. Sed tria uenialia sunt, quartum uerò capitale crimen. Qui enim scienter aut fallaciter mentitur, occidit seipsum: quia os quod mentitur, occidit animam. Occidit & proximum, quem à ueritate seducit in mendacium: cuius definitio est, ficta loqui studio decipiendi. In Psal. 5.

Petrus Lombardus ait: Mendacium est (ut ait Augustinus) falsa significatio uocis cum intentione fallendi. Vt ergo mendacium sit, necesse est ut falsum proferatur, & cum intentione fallendi. Hoc enim malum est proprium mentientis, aliud habere clausum in corde, aliud habere promptum in lingua. libro tertio, distinct. trigesimanona.

De gratitudine inquit Bernhardus: Oportet proinde gratum esse hominem & deuotum, qui percepta gratię munera non modò manere sibi desideret, sed & multiplicari. Sermone secundo in Euangelium 7 panum.

De iuramentis. Lombardus: Si autem quæritur, utrum iurare sit malum? Dicimus aliquando malum esse, aliquando non. Spontè enim & sine necessitate iurare, uel falsum iurare, peccatum grande est. Ex necessitate autem iurare, scilicet uel ad asserendam innocentiam, uel ad fœdera pacis confirmanda, uel ad persuadendum auditoribus quod eis est utile, malum non est: quia necessarium est eis. libro tertio, distinctione trigesimanona. Item: Per Deum iuro? Hoc est testem adhibere Deum. Ibidem. Et: In omni ergo iuratione aut Deus testis adhibetur, aut creatura Deo obligatur & oppignoratur: ut hoc sit iurare, scilicet Deum testem adhibere, uel Deo aliquid oppignorare. Hoc est ergo iurare per quamlibet creaturam, scilicet creatorem eius testem adhibere. Ibidem. Item: Nunc superest uidere, utrum omne iuramentum implendum sit. Si quis enim alicui iurauerit contra fidem & charitatem, quod obseruatum peiorem uergat in exitum, potius est mutandum quàm implendum. Ibidem. Et: Ostenditur, quædam iuramenta non esse seruanda. Et qui sic iurat, uehementer peccat: cum autem mutat, benefacit. Qui autem non mutat, dupliciter peccat, & quia iniustè iurauit, & quia facit quod non debet. Ibidem.

Taciturnitas. Bernhardus: Ergo ubique frænanda lingua præceps, maximè autem in conuiuio. Ille conuenientior habitus, si tu actu quidem seuerus sis, uultu serenus, uerbo serius. libro quarto de Consideratione.

De testibus ait Petrus Cluniacensis: Testium uerò officium est, audita uel uisa, non ab ipsis sibi narrata, testificari. lib. primo, epist. 2.

De laude. Bernhardus: Proinde non omnis laus, adulatio: sicut nec omnis reprehensio de animi rancore descendit. Beatus qui dicere potes: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Epistola septuagesimaoctaua.

De candore ait Petrus Cantor: Dubia in meliorē partem interpretanda sunt. Iniquissimum & diabolicum est, in deteriorem partem declinare, & magis pronum esse ad suspicandum mala, quàm bona. capite sexagesimoprimo.

De iuramentis.

De licitis ait Petrus Cantor: Iuramentum autem licitum uidetur, quòd minor iuraret se executurum uices maioris pro posse suo, & quòd nec celabit iura eius pro proprio lucro captando in minoribus. capite sexagesimoquinto. Item: Christiano enim non licet omnino iurare, nisi pro his quæ ad salutem pertinent, ut cum pigri sint auditores & infirmi, minusque uolunt acquiescere his quæ dicuntur, spectantibus ad salutem. Sic & Paulus iurauit, non pro re uili & terrena. capite sexagesimosexto. Item: Sed de utilitate rei cuiusmodi-

di. Num temporalis? Fidei & spiritualis. In hoc casu iurare licet, exemplo Apostoli, non autem pro re temporali aut caduca: ita dico si aliquid additum est perfectioni Euangelicæ. capite nonagesimoquinto.

De illicitis inquit Petrus Cantor: Ex his etiam conclude, debita illicita, licet iuramento confirmata, de patrimonio crucifixi non esse soluenda: sed potius in turpi causa rescindatur iuramentum. capite quinquagesimonono.

Quot modis fiat. Petrus Cantor: Iuramétum quoddam fit ex obreptione, quoddam ex deliberatione. Primum dicunt esse uerbum iocosum, cum tamen uideatur esse crimen. Simplex enim uerbum per se prolatum iocosum est, ergo iuramentum ei additũ facit illud esse plus quàm iocosum. capite nonagesimoquinto. Item: Iuramentum tres habet comites, ueritatem, iudiciũ, & iusticiam. Ibidem.

De taciturnitate mala inquit Petrus Cantor: Tacetur malè ad confitendum peccata, & laudandum Deum. 2, ad increpandum proximum. 3, ad prædicandum. 4, proximo ad consulendum. 5, ad inuocandum.

Causas recitat. Primò, timorem mundanum, uel humanum. Secundò, cupiditatem. Tertiò, pigritiam uel negligentiam. Quartò, simplicitatem uel naturalem uerecundiam. Quintò, ignorantiam. capite quinquagesimoprimo. Item: Quia etiam Socratico decreto nõ minus peccatum est tacere ueritatem, quàm loqui falsitatem. capite 90.

De bona taciturnitate Petrus Cantor inquit: Ad disputandum, ad litigandum bene tacetur. cap. 51.

De causis inquit: Sunt autem bonæ taciturnitatis quatuor causæ penes auditores, quia scilicet canes sunt detractores, obstinati & infideles: uel quia porci sunt fastidientes uerbum Dei, & immundi. Vnde Ezechiel: Fili hominis, linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi uir obiurgans: quia domus exasperans est. Tertia causa est assiduitas: Prædicatio enim si assidua est, uilescit. Imponit finem sapiens rebus honestis. Quarta causa est incapacitas auditorum. Vnde Apostolus: Non potui uobis quasi spiritualibus loqui, lac uobis dedi, non escam. capite 52.

De simplicitate inquit Petrus Cantor: Est autem simplicitas uirtutis, simplicitas fatuitatis, simplicitas simulationis & hypocrisis. De prima ait Dominus: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, &c. capite 96.

De ueritate inquit Bernhardus: Non amat ueritas angulos, non ei diuersoria placent. In medio stat: id est, disciplina communi, communi uita, communibus studiis delectatur. Sermone sexto in Ascensione Domini. Item: Amara est ueritas sine condimento gratiæ, sicut absque ueritatis fræno leuis & nesciens modum plerumque & insolens ipsa deuotio. Quàm multis non profuit gratiam percepisse pro eo quòd temperamentum de ueritate pariter non acceperunt? Sermone septuagesimoquarto super Cant. Item: Etiam'ne pauperi & inopi ueritas odium parit, & ne ipsa quidem miseria declinare inuidiam potest? Querar an glorier, quòd factus sum & ipse inimicus uera dicens? Vera dicens, an recta agens? Sed hoc uiderint fratres uestri, qui contra legem maledicunt surdo: & maledictum propheticum non uerentes, dicunt bonum malum, & malum bonum. Epistol. quadragesimaoctaua. Et: Tunc demum ueræ erunt amicitiæ, si ueritatis fuerint fœderatæ consortio. Epistol. septuagesimaoctaua. Item: Proponebant ueritatem audientibus eam, ueritas pariebat eis odium, & odium mortem. Epistol. nonagesimaoctaua. Item: Inquirimus namque ueritatem in nobis, in proximis, in sui natura. In nobis, nosmetipsos diiudicando. In proximis, eorum malis compatiendo. In sui natura, mundo corde contemplando. Obserua sicut numerum, ita & ordinem. Primò te doceat Veritas ipsa, quod prius in proximis, quàm in sui debeat inquiri natura. Post hoc accipies, cur prius in te, quàm in proximis inquirere debeas. In numero siquidem beatitudinum, quas suo sermone distinxit, prius misericordes, quàm mundicordes posuit. Tractatu de Gradibus humilitatis. Et: Cum sint itaque tres gradus seu status ueritatis, ad primum ascendimus per laborem humilitatis, ad secundum per affectũ compassionis, ad tertium per excessum contemplationis. In primo ueritas reperitur seuera, in secundo pia, in tertio pura. Ad primum ratio ducit, qua nos discutimus: ad secundum affectus perducit, quo alijs miseremur: ad tertium puritas rapit, qua ad inuisibilia subleuamur. Interlucet hic mihi mira quædam ac diuisa indiuiduæ Trinitatis operatio, si quo modo tamen ab homine sedente in tenebris, ineffabilis illa possit capi cooperantium sibi personarum diuisio. In primo siquidem gradu filius, in secundo Spiritus sanctus, in tertio pater operari uidetur. Vis audire filij operationem? Si ego, in-

quit, laui uobis pedes Dominus & magister, quanto magis & uos debetis alter alterius lauare pedes? Tradebat discipulis humilitatis formā ueritatis Magister, qua in primo gradu primùm eis ueritas innotesceret. Attende & opus Spiritus sancti: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Charitas quippe donum est Spiritus sancti, qua fit, ut qui sub disciplina filij per humilitatem ad primum usque gradum ueritatis iam profecerunt, ad secundum per compassionem proximi sub magisterio Spiritus sancti perueniant. Audi & de patre: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis. Et illud: Pater filijs notam faciet ueritatem tuam. Et: Confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Ibidem. Item: Vna eademque ueritas, seruata proprietate personarum, tria hæc in tribus gradibus operatur. Primò scilicet instruit, ut magister. Secundò consolatur, ut amicus uel frater. Tertiò adstringit, ut filios pater. Ibidem.

Petrus Cantor ait: Qui Christum autorem ueritatis imitari uoluerit. Hæc commendatur in Christo capite, qui de se ait: Ego sum uia, ueritas & uita. Via in exemplo, ueritas in promisso, uita in præmio: uel uia conseruationis sanctæ, ueritas cœlestis & spiritualis doctrinæ, uita beatitudinis æternæ. De eo etiam dicitur: Quia ueritas de terra orta est, & misericordia & ueritas obuiauerunt sibi, propter ueritatem & mansuetudinem & iusticiam, & cætera. Principium uerborum tuorum ueritas, sermo tuus ueritas est. Verax est pater, uerax est filius, uerax est Spiritus sanctus. Omnia mandata tua ueritas, & ueritas tua in circuitu tuo. capite nonagesimo. Item: Est autem duplex ueritas, dicti scilicet, quæ est in compositione prædicati ad subiectum, ut sic sit in re sicut dicitur. Ibidem. Item: Est enim ueritas incommutabilis diuinæ essentiæ, apud quam non est commutatio, nec uicissitudinis obumbratio. Et est ueritas generis, uel naturæ, ita quòd in genere sacramenta etiam hæreticorum collata in forma Ecclesiæ uera sunt, sacramentali ueritate, non effectiua. Sed sacrilegi non panem comedunt huiusmodi. Est & ueritas gratiæ, condita charitate, & hæc duplex. Veritas, si potest, ad primam debet semper referri. Cum igitur ueritas potissimum sit signum Christianæ religionis, summopere cauendum est, ne uel in nobis, uel in alijs extinguatur. Spiritum nolite extinguere, quia etiam Socratico decreto non minus peccatum est, tacere ueritatem, quàm loqui falsitatem. Ibidem.

Iohannes Salisberiensis ait: Veritas aspera est, & plerumque molestiam parit, dum aliquem palpare dedignatur. Verùm amaritudo eius utilior est, & integris sensibus gratior, quàm meretricantis linguæ distillans fauus. libro tertio, capite septimo Policrat. de Curialibus nugis. Item: Innocentia non facilè superatur: & ueritas suis uiribus constans, de malicia quantumuis armata triumphat. Ibidem libro quarto, capite undecimo.

De ambitione Bernhardus loquitur: Vides ne quòd ambitionis uia adoratio diaboli est, qua uidelicet ad honores & gloriam mundi perueniendum suis ille adoratoribus pollicetur? Sermone sexto, de sexto uersu Psalmi, Qui habitat, &c.

Peccata.

De mendacio Honorius inquit: Sicut tenebræ luci, sic mendacium contrarium est ueritati. Deus autem est ueritas. Ergo qui mendacium loquitur, negat Deum, & ideo iustè ab eo quem negat, perdetur. Si Deus solus uerax, omnis autem homo mendax: ergo omnes peribimus, quia omnes mentimur. Sed sciendum est, quòd omne mendacium quatuor modis profertur: dum aut nescientes, aut prodesse uolentes, aut ioco, aut fallendo mentimur. Sed tria uenialia sunt, quartum uerò capitale crimen. Qui autem scienter aut fallaciter mentitur, occidit seipsum: quia os quod mentitur, occidit animam. Occidit & proximum, quem à ueritate seducit in mendacium, cuius diffinitio est ficta loqui studio decipiendi. In Psalm. 5.

Petrus Lombardus: Mendacium est (ut ait Augustinus) falsa significatio uocis cum intentione fallendi. Hoc enim malum est proprium mentientis, aliud habere clausum in corde, aliud promptum in lingua. libro tertio, distinctione uigesima octaua.

De leuitate ait Bernhardus: Qui sui negligens, alios curiosè circumspicit, dum quosdam suspicit superiores, quosdam despicit inferiores, & in alijs quidem uidet quod inuidet, in alijs quod irridet: inde fit, ut pro mobilitate oculorum leuigatus animus, nulla utique sui cura aggrauatus, modò per superbiam ad alta se erigat, modò per inuidiam in ima demergat. Nunc per inuidiam nequiter tabescit, nunc per excellētiam pueriliter hilarescit.

In alterò nequam, in alterò uanus, in utroque superbus existit: quia & quòd superari se dolet, & quòd superare se gaudet, amor propriæ excellentiæ facit. Has autem animi uicissitudines nunc pauca & mordacia, nunc multa & inania, nunc risu, nunc luctu plena, semper uerò irrationabilia indicant uerba. Compara si uis duos primos superbiæ gradus supremis duobus humilitatis, & uide si non in ultimo curiositas, in penultimo leuitas cohibetur. Tractatu de Gradibus humilitatis.

De ambitione inquit Bernhardus: At difficile fortassis & impossibile est, ut ex amara radice ambitionis, suauis fructus prodeat charitatis. capite trigesimo de Cōuersione ad clericos. Item: Inclytus erit ambitiosus, quamdiu in nocte uersabitur: & donec turpia lucri negocium perambulabit in tenebris, poterit hypocrita iustus sanctusque uideri, sed oculo qui uidet in facie. At ubi fortè foras mittit impudenti uel imprudenti quod latet in conscientia, non'ne intemperans appetitus apparet ad confusionem procacior, quàm promptior ad gloriam? Sic reuera, sic probatur, quod legitur: Gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt. Et illud: Si ego gloriam meam quæro, gloria mea nihil est. Impleturque in illo qui eiusmodi est, quod Propheta sanctus imprecatur (nisi fallor) hypocritis: Fiat, inquiens, sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur, exaruit. Non adeò perijt pudor à mortalibus, ut nuda impudensque uel ab ipsis honoretur ambitio. Epist. centesima uigesima sexta. Item: Et certè ambitio cū prorumpit in impudentiam, efficaciam perdit: & cum improbus affectus se aperit, perit effectus. Ambitio mater hypocrisis latebras amat & tenebras, lucis impatiens est. Ambitio spurcum uitium in imo iacet, uidet tamen omne sublime, sed uideri ipsa refugit. Nec mirum. Optato namque necesse est careat, nisi caueat arbitros. Quo enim gloria plus affectatur, eo minus apprehenditur, ubi deprehenditur affectari. Ibidem. Et: Est sobria quædam & quodammodo oculata ambitio, moliens saltem cautè, etsi non castè. Si ualet proficere, clàm negocia sua curat. Sin uerò manet in se, & pudoris umbram non deserit. Equidem talis etsi Deum nondum metuit ad salutem, pro ingenita tamen uerecundia honestatem interim retinet, quòd homines reueretur, & publicum erubescit. Ibidem. Item: Quò progrederis miser? An ut ab altiori gradu sit casus grauior? Neque enim sic paulatim decides, sed tanquam fulgor in impetu uehementi, quasi alter satanas subitò deijcieris. In declamatione de Bonis deserendis.

De superbia inquit Rupertus: Nullius peccati mortificatione sic indiget humana infirmitas, quàm superbiæ. Et: Diaboli character superbia est, & hunc habere rectè iudicatur, quisquis scienter & per contemptum peccat. libro nono in Apocalyp. capite decimosexto. Et: Superbi omnes sibimet pulchri uidentur, dum suas sordes cognoscere dedignantur: quin & irasci solent, dum illis à corripiente, quòd sordidi sint, aliquo modo suggeritur. libro quarto Commētariorum in Oseam, capite nono. Item: Superbiæ peccatà uel uicia consequentia sunt, ita cùm superbia spiritum erexerit, carnem quoque corrumpat spiritus fornicationis. libro quinto in Oseam, capite duodecimo. Et: Sola superbia est, cuius delicta Dominus non uult obliuisci, propter quam exacerbatus non quærit secundum multitudinem iræ suæ: id est, non requiret peccatorem, quia multum iratus est illi. libro quarto Commentarior. in Amos, capite octauo. Et: Superbia magna est ebrietas, & mentem ita subuertit, uimque omnem debilitat sensus atque rationis, ut quod audit, discernere non possit. Et: Superbiæ est, gloriam ab inuicem accipere. libro secundo Commentariorum in Abacuc, cap. secundo. Et: Peccatum hæreticorum est superbire, & non per ignorantiam, sed per superbiam seu per inuidiam contra ueritatem Dei uerba proferre: nam omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur hominibus. lib. 2 Comment. in Sophon. capite 2.

Bernhardus inquit: Fugite superbiam fratres mei (quæso) multùm fugite. Initium omnis peccati superbia, quæ tam uelociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem æterna caligine obtenebrauit Luciferum, quæ non modò angelum, sed angelorum primum in diabolum commutauit. Sermone primo de aduentu Domini. Et: Omnis superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri uoluntatem suam, & superbus uult fieri suam. Ibidem sermone quarto. Et: Septempliciter enim occupauit nos lepra superbiæ, in proprietate possessionum, in gloria uestium, in uoluptate corporum, in ore quoque dupliciter, similiter & in corde. Et: Sicut enim in solitudinibus aquæ deesse solent, & loca deserta sterilia quoque & arida esse consueuerunt: sic superbiam impœnitentia comitatur. Elatum enim

cor,

cor, durum & expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis: quia superbis Deus resistit, humilibus uerò dat gratiam. Sermone de fallac. præsent. uitæ. Et: Superbus excusat peccatum suum, humilis accusat, sciens, quia Deus non bis iudicat in idipsum, ut quòd si nosmetipsos iudicauerimus, non utique iudicabimur. Porrò superbus non attendens quàm horrendum sit incidere in manus Dei uiuentis, facilè prorumpit in uerba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. capite octauo ad milites Templi. Item: Quater dicit Reuertere, propter quadruplicem superbiam, per quam auersa à Domino nō uidebatur. Est enim superbia cordis, superbia oris, superbia operis, superbia habitus. Superbia cordis est, quando homo in oculis suis magnus est. Contra quam Sapiens orat, dicens: Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. Et alibi: Væ qui sapientes estis in oculis uestris. Superbia oris uel linguæ, quæ & iactantia dicitur, est quando homo non solùm magna de se sentit, sed etiam loquitur. Vnde Psalmista: Disperdat Dominus uniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam. Superbia operis est, quando homo exteriori quadam superbia, ut magnus appareat, agit. de qua idem Psalmista ait: Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. Superbia habitus est, quando homo ut gloriosus uideatur, preciosis se ornat uestibus. Vnde Paulus: Non in ueste preciosa. Et Dominus: Qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt, ubi superbia abundat. Sunt autem quinque quæ ad remedium tam mortiferæ pestis à Domino rationali animæ sunt posita, locus, corpus, tentatio diaboli, prædicatio Christi, & eius conuersatio. Locus, quia exilium: corpus, quia onerosum: tentatio, quia inquietat: Christi prædicatio, quia ædificat: & eius conuersatio, quia informat. His quasi quinque sensibus Deus humilitatem operatur in anima. Sicut enim anima uita est corporis, ita Deus uita est animæ: & sicut corpus mortuum est quod per quinque sensus ab anima non uegetatur, ita anima mortua est quæ per hæc à Domino non humiliatur. Sermone tertio Paruor. sermon. Et: Omnino intolerabilis superbia est, uelle dominari. Ibidem sermone decimooctauo. Et: Superbia de supernis ad ima præcipitat, humilitas de imis ad superna eleuat. Angelus enim in cœlo superbiens, ad tartara corruit: homo in terra se humilians, ad cœlos adscendit. Inter Sententias. Et: Hoc quippe est superbia, hoc initium omnis peccati, cum maior es in tuis oculis quàm apud Deum, quàm in ueritate. Et ideo qui primus peccauit hoc grande peccatum (diabolum loquor) de ipso dictum est, Quia in ueritate non stetit, sed mendax est ab initio: quoniam quod in sua fuit cogitatione, non fuit in ueritate. Sermone trigesimoseptimo super Cantica. Item: Superbia tamen semper causa erit subtractæ gratiæ. Ibidem sermone quinquagesimoquarto. Et: Superbia est appetitus propriæ excellentiæ. Hæc in species duas diuiditur, in cæcam & uanam superbiam. Quæ quidem & alijs nominibus appellari possunt, contumacia & uanitas: quarum prior intelligentiæ, posterior uoluntatis uitium est. Nam ex illa rationis fallitur oculus, & ex ista uoluntatis malæ appetitus afficitur. Quod melius ex singularum diffinitionibus demonstrabimus. Cæca superbia seu contumacia est uitium, quo se existimans aliquis uel esse bonum, quod non est: uel à se esse quod est, in se non in Domino gloriatur. Vana superbia, seu uanitas est uitium, quo quis tam de eo quod est, quàm de eo quod non est, suis magis quàm Dei laudibus delectatur. Epistol. quadragesima secunda. Item: Trabes in oculo grandis & grossa, superbia in mente est: quæ quadam corpulentia sui uana non sana, tumida non solida, oculum mentis obscurat, ueritatem obumbrat, ita ut si tuam occupauerit mentem, iam tu te uidere, iam te talem qualis es, uel qualis esse potes, non possis sentire: sed qualem te amas, talem te uel putes esse, uel speres fore. Quid enim aliud est superbia, quàm (ut quidam sanctus diffinit) amor propriæ excellentiæ? Vnde & nos possumus dicere per contrarium, humilitatem esse propriæ excellentiæ contemptum. Tractatu de gradibus humilitatis. Et: Primus itaque superbiæ gradus est curiositas. Ibidem. Item: Iurè igitur in gradibus superbiæ primum curiositas uendicat sibi, quæ etiam inuenta est initium esse omnis peccati. Ibidem. Et: Putes, si attendas, aut sui oblitum, aut ablutum à culpis. Insignis scurrilitas, in fronte hilaritas, uanitas apparet in incessu. Pronus ad iocum, facilis ac promptus in risu. Cunctis quippe quæ in se contemptibilia, & ideo tristia nouerat, à memoria rasis: bonisque, si qua sentit in se, adunatis, uel simulatis ante oculos mentis, dum nil cogitat nisi quod libet, nec attendit si licet, iam risum tenere, iam ineptam læticiam dissimulare non ualet. Ibidem. Et: Propriū est superborum, læta semper appetere, & tristia deuitare, iuxta illud:

illud: Cor stultorum, ubi lætitia. Ibidem. Et: Credit quod audit, laudat quod agit, & quò intendat, non attendit. Obliuiscitur intentionem, dum amplectitur opinionem. Quique de omni alia re plus sibi credit, quàm alijs, de se solo plus alijs credit, quàm sibi: ut non iam uerbotenus, aut sola operum ostentatione suam præferat religionem, sed intimo cordis credat affectu omnibus se sanctiorem. Et quicquid de se laudatum agnouerit, non ignorantiæ aut beneuolentiæ laudatoris, sed suis meritis arroganter adscribit. Ibidem gradu 6. Item: Multis uerò modis fiunt excusationes in peccatis. Aut enim dicit qui se excusat, non feci, aut feci quidem, sebene feci: aut si malè, non multùm malè: aut si multùm malè, non mala intentione. Si autem de illa sicut Adam uel Eua conuincitur, aliena suasione excusare se nititur. Ibidem gradu 8. Et: Licet uerò genera hæc excusationis eatenus mala iudicetur, quatenus ore prophetico uerba malitiæ appellantur: multò tamen periculosior est fallax ac superba confessio, quàm procax & obstinata defensio. Nonnulli enim cum de apertioribus arguuntur, scientes quòd si se defenderent, sibi non crederetur, subtilius inueniunt argumentum defensionis, uerba respondentes dolosæ confessionis. Est quippe (ut scriptum est) qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo. Vultus demittitur, prosternitur corpus, aliquas sibi lachrymulas extorquent, si possunt: uocem suspirijs, uerba gemitibus interrumpunt. Nec solùm qui eiusmodi est, obiecta nō excusat, sed ipse quoque culpam exaggerat: ut dum impossibile aliquid aut incredibile culpæ suæ ore ipsius additum audis, etiam illud quod ratum putabas, discredere possis: & ex eo quod falsum esse non dubitas, dum confitetur, in dubium ueniat quod quasi certum tenebatur. Dumque affirmant quod credi nolunt, confitendo culpam defendunt, & aperiendo tegunt: quando & confessio laudabiliter sonat in ore, & adhuc iniquitas occultatur in corde: quatenus magis ex humilitate, quàm ex ueritate confiteri putet qui audit, aptans eis illud Scripturæ: Iustus in principio sermonis accusator est sui. Malunt enim apud homines ueritate periclitari, quàm humilitate, cum apud Deum periclitentur utrinque. Aut si adeò culpa manifesta sit, quòd nulla penitùs uersutia tegi possit: nihilominus tamen uocem, non cor pœnitentis assumunt, qua notam, non culpam deleant, dum ignorantiam manifestæ transgressionis, decore recompensant publicæ confessionis.

Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne uilescat. Ibidem gradu 9. Et: Hic, nisi eum miseratio superna respiciat, ut (quod ualde difficile talibus est) uniuersorum iudicijs tacitus acquiescat, frontosus mox & impudens factus, tanto deterius, quanto desperatius in decimum gradum per rebellionem corruit: quique prius latenter arrogans fratres contempserat, iam patenter inobediens etiam magistrum contemnit. Ibidem gradu decimo. Item: Post decimum itaque gradum, qui rebellio dictus est, expulsus uel egressus de monasterio, statim excipitur ab undecimo. Et tunc ingreditur uias quæ uidentur hominibus bonæ, quarum finis (nisi fortè Deus eas illi sepierit) demerget eum in profundum inferni, id est, in contemptum Dei. Impius siquidem cum uenerit in profundum malorum, contemnit. Potest autem undecimus gradus appellari libertas peccandi, per quam monachus, cum iam nec magistrum uidet quem timeat, nec fratres quos uereatur, tanto securius, quanto liberius sua desideria implere delectatur, à quibus in monasterio tam pudore, quàm timore prohibebatur. Ibidem gradu undecimo. Et: At postquam terribili Dei iudicio prima flagitia impunitas sequitur, experta uoluptas libenter repetitur, repetita blanditur. Concupiscentia reuiuiscente sopitur ratio, ligat consuetudo. Trahitur miser in profundum malorum, trahitur captiuus tyrannidi uitiorum, ut carnalium ita uoragine desideriorum absorptus, suæ rationis diuinique timoris oblitus, dicat insipiens in corde suo, Non est Deus. Iam indifferenter libitis pro licitis utitur, iam ab illicitis cogitandis, patrandis, inuestigandis, animus, manus, uel pedes non prohibentur: sed quicquid in cor, in buccam, ad manum uenerit, machinatur, garrit, & operatur, maleuolus, uaniloquus, facinorosus. Quemadmodum denique ascensis his omnibus gradibus, corde iam alacri & absque labore pro bona consuetudine iustus currit ad uitam: sic descensis impius ijsdem pro malo usu non ratione se gubernans, non timoris freno retentans, intrepidus festinat ad mortem. Ibidem gradu duodecimo. Item: An non grandis & grossa trabes est superbia, qua te putas esse aliquid, cum nihil sis? Insanissime tibi tanquam sanus exultas, & alijs uanissimè trabem portans, de festucis insultas? Gratias, inquis, ago tibi Deus, quia nō sum sicut cæteri hominum, iniusti, raptores, adulteri. Sequere ergo & dic, detractores

res. Neque enim minima est hæc festuca inter cæteras. Quare, cum tam diligenter alias enumeres, istam taces? Si pro nulla, uel minima habes, audi Apostolum: Neque maledici, ait, regnum Dei possidebunt. Audi & Deum in Psalmo comminantem: Arguam te, inquit, & statuam contra faciem tuam. Quod quia detractori loquatur, certum est ex præcedentibus. Et quidem iustè ad se retorquendus, & se compellendus est intueri, qui auertens faciem suam à se, aliena potius mala quàm sua solet curiosius perscrutari. At, inquiunt, quomodo regulam tenent, qui pellicijs induuntur, sani carnibus seu carnium pinguedine uescuntur, tria uel quatuor pulmentaria una die (quod regula prohibet) admittunt: opus manuum, quod iubet, non faciunt: multa denique pro libitu suo uel mutant, uel augent, uel minuunt? Rectè. Non possunt hæc negari, &c. In Apologia ad Guilhelmum abbatem. Item: In superbia uitæ, elationem cordis intellige. Declamat. de Bonis deserendis.

Lombardus inquit: Ex superbia tamen omnia mala oriuntur, & hæc, & alia: quia, ut ait Gregorius, Radix cuncti mali est superbia. De qua dicitur: Initium omnis peccati est superbia, quæ est amor propriæ excellentiæ. Cuius quatuor sunt species, ut Gregorius ait. Prima est, cum bonum quod habet quis, sibi tribuit. Secunda, cum credit à Deo esse datum, sed tamē pro suis meritis. Tertia, cum se iactat habere quod non habet. Quarta, cùm cæteris despectis, singulariter uult uideri. Meritò ergo radix omnis mali dicitur superbia. Huic autem uidetur obuiare quod Apostolus ait: Radix omnium malorum est cupiditas, quia si radix omnium malorum est cupiditas, ergo & superbiæ. Quomodo ergo superbia radix est & initium omnis peccati? libro secundo, distinctione quadragesima secunda.

Petrus Cantor ait: Superbia, quæ attestāte Augustino, est causa primitiua & principium omnis mali, & peccati initium. capite nono. Item: Radix enim peccati superbia est, per quam ad alia peccata proceditur. Ibidem. Item: Opus superbiæ, quæ est fons & origo aliorum uiciorum. capite decimoquinto. Item: Superbia totum uirtutis corpus inficitur, uitale columen emarcescit, formosa quoque deformantur. capite octuagesimonono. Item: Superbia natione cœlestis, sublimes appetit mentes, & uelut ad proprios reuolans ortus, in gloriam & puritatem hominum irrumpit, quæ à gloria & puritate prorupit angelorum, ea prius in cœlis, dehinc in terris triumphans. Ibidem. Item: Oritur à dono fortunæ quandoque multiplici, ut à diuitijs: quia abundantia panis & superbia, causa fuit peccati Sodomorum. capite decimo. Et: Ab habitu etiam exteriori & exteriorum, ut uestitus, uictus, equorum, familiæ & huiusmodi, oritur quandoque superbia. Ibidem. Item: Quandoque à dono naturæ oritur superbia, ut scientiæ, ingenij, industriæ, uocis delectatione, & huiusmodi. Ibidem. Et: A' pulchritudine etiam nascitur superbia. Ibidem. Item: Quandoque à dono gratiæ oritur superbia. Ibidem. Item: Quia à bonis & donis fortunæ, ut à diuitijs, oritur superbia. Ibidem. Et: A' potestatibus & dignitatibus uel habitis uel cupitis, ut illis quis superbiat, oritur superbia. Ibidem. Et: Superbiam uel cupiditatem, quæ duo uicia semper adiuncta sunt. Ibidem. Item: Est enim superbia cordis, oris, totiusque corporis & operis. capite duodecimo. Item: Est etiam superbia totius corporis. Quidam enim pedibus staturam adijciunt, & suram super suram ponunt. Ibidem.

Hildebertus inquit: Superbia totum uirtutis corpus inficitur, uitale columen emarcescit, formosa quæque deformantur. Superbia natione cœlestis, sublimes appetit mentes, & uelut ad proprios ortus reuolans, in gloriam & puritatem irrumpit hominum, quia à puritate prorupit angelorum. Epistol. trigesimaprima. Item: Christo suspecta est superbia, nec fieri potest, ut cum eo in gratiam reuertatur. Diuersum est utrique, nec in eodem cohabitant animo, quibus cohabitare non licuit in cœlo. In cœlo nimirum nata est superbia: sed uelut immemor qua inde uia ceciderit, illuc ultrà redire non nouit. Ea de supernis corruens, & parentans in terris, omnibus apud inferos æternam pœnam peperit. Ipsa ex purissimis & simplicibus orta substantijs, puros adhuc animos inquietat, ausa uictoriam sperare de homine, quæ de angelo triumphauit. Epistola trigesima-sextà.

Iohannes Salisberiensis ait: Superbia uerò radix omnium malorum est, mortisque fomentum. capite tertio de Curial. nugis, libro tertio. Item: Est autem cenodoxia, ut Patribus placuit, gloria inanis, quæ mētem inflat, & aures: & nihil aliud emolumenti de soliditate uirtutis mortalibus affert. libro octauo, capite primo. Et: Ex quo constat, ei qui ad salutem tendit, primam superbiæ sobolem extinguendam: quæ si paulisper succreuerit, omnium uiciorum frutices de se, ut prædictum est, gignit. Ibidem.

De

De iactantia. Bernhardus: At postquam uanitas crescere, & uesica grossescere cœperit, necesse est ut ampliori foramine laxato sinu uentositas eructetur, alioquin rũpetur. Tract. de grad. humilitat.

De ingratitudine inquit Rupertus: Ingratitudinis initium est beneficium non agnoscere, & à referendis gratijs os mutum & linguam continere. libro primo Comment. in Apocalypsin, capite primo. Et: Super gratos requiescit pax, super ingratos cœlestis, secundum exemplum Sodomorum & Gomorrhæorum, irruit ira. libro octauo Commẽtar. in Matthæum, capite decimo.

Bernhardus ait: Peremptoria siquidem res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Dico ego uobis, quoniam pro meo sapere nihil ita displicet Deo, præsertim in filijs gratiæ, in hominibus conuersionis, quemadmodum ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ: & ubi fuerit illa, iam gratia accessum non inuenit, locum non habet. Sermone secundo in Euangelium septem panum. Item: Nónne enim iurè perditum reputatur, quod ingrato donatum est? Aut dedisse non pœnitet, quod perisse uidetur? Ibidem. Et: Nunquid non perit quod donatur ingrato? Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, uirtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo uentus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. Sermone quinquagesimoprimo super Cant.

De periurio inquit Lombardus: Periurium est mendacium iuramento firmatum. libro tertio, distinctione trigesimaoctaua. Item: Euidenter traditur, quòd tripliciter peierat homo, ut suprà diximus, dum uel sciens falsum iurat: uel putans falsum quod uerum est, iurat: uel æstimans uerum quod falsum est, iurat. Sed hoc extremũ non uidetur esse periurium, etiamsi periurium nominetur, eo quòd falsum iuratur. Non uidetur reus esse periurij qui sic iurat, quia non est mens eius rea, & ideo nec lingua. Ibidem.

De blasphemia Potho ait: Blasphemia tantùm, & non Spiritus blasphemia est, cum quis ignorans loquitur aliter quàm se habet ueritas, uel quippiam agit contra iusticiam, sicut exempli causa Saulus ignorans & errans agebat. Porrò Spiritus blasphemia est, cum quispiam scienter ueritati per inuidiam repugnat: quod peccatum Iudæorum & hæreticorum est, quos Apostolus deuitandos esse denunciat. Hæreticum, inquit, hominem post unam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. In lib. de Magna domo pietat.

De ignorantia. Bernhardus: Agnoscite. Pessimæ matris ignorantiæ, pessimæ itidem filiæ duæ sunt, falsitas & dubietas. Illa miserior, ista miserabilior. Perniciosior illa, ista molestior. Cum loquitur Spiritus, cedit utraque: & est non solùm ueritas, sed & certa ueritas. Est quippe ueritatis ille Spiritus, cui contraria falsitas est. Est & sapientiæ, quæ cum sit candor uitæ æternæ, & ubique attingat propter mundiciam suam, obscurum ambigui non admittit. Cauenda sanè cum Spiritus iste non loquitur, etsi non molesta dubietas, certè falsitas execranda. Aliud enim est sub incerto hoc uel illud opinando sentire, aliud temerè affirmare quod nescias. Aut ergo loquatur semper Spiritus, quod nostri quidem minimè arbitrij est: aut quando silere placet, hoc ipsum indicet, & loquatur saltem suum silentium, ne ipsum nobis falsò præire putantes, nostrum pro ipso malè securi sequamur errorem. Et si suspenderit ambiguo, non relinquat mendacio. Est qui dubiè profert mendacium, nec mentitur: & est qui ueritatem quam nescit affirmat, & mentitur. Nam & ille non quidem quod non est esse, sed se quod credit credere dicit, & uerum dicit, etiamsi hoc uerum non sit quod credit: & is cum se certum unde nõ est certus, dicit, uerum non dicit, etiamsi uerum sit de quo asserit. Sermone decimoseptimo super Cãtica. Item: Prius quærendũ existimo, sit 'ne ignorantia omnis dãnabilis? Et mihi quidem uidetur non esse (neque enim omnis ignorantia damnat) sed multa & innumera esse quæ nescire liceat absque diminutione salutis: uerbi gratia, si ignoras fabrilem artem, seu carpentariam, aut cæmentariam, & quæcunque istiusmodi sunt artes, quæ ad usus uitæ huius præsentis ab hominibus exercentur, nunquid impedit ad salutem? Etiam absque omnibus illis artibus quæ liberales dicuntur, quamuis honestioribus utilioribusque studijs & discantur & exerceantur, & quamplurimi hominum salui facti sunt, placentes moribus atque operibus: quantos enumerat Apostolus in Epistola ad Hebræos factos dilectos, non in scientia literarum, sed in conscientia pura & fide non ficta? Omnes placuerunt Deo in uita sua, uitæ meritis, non scientiæ. Petrus & Andreas & filij Zebedæi, cæterique condiscipuli omnes non de schola rhetorum aut philosophorum assumpti sunt, & nihilominus tamen Saluator per ipsos operatus est salutem in omni terra. Serm. 36 super Cant.

Petrus Lombardus inquit: Est enim ignorantia quæ excusat peccantem, & est ignorantia talis quæ non excusat. Est autem ignorantia uincibilis, & ignorantia inuincibilis. Excusatio omnis tollitur, ubi mandatum non ignoratur. libro secundo, distinctione uigesimatertia. Item: Est autem ignorantia triplex, & eorum scilicet qui scire nolunt, cum possint: quæ non excusat, quia & ipsa peccatum est. Et eorum qui uolunt, sed non possunt: quæ excusat, & est pœna peccati, & non peccatum. Et eorum qui simpliciter nesciunt, non renuentes uel proponentes scire: quę neminem planè excusat, sed fortasse ut minus puniatur. Ibidem.

Petrus Cantor inquit: Ignorantia enim habita circa peritiam uel scientiam excusat, non autem circa ius. Ius enim diuinũ debet esse in plano & luce scientiæ. capite sexagesimosexto.

De instabilitate inquit Bernhardus: Quales utique non paucos frequenter experimur, qui una uix hora in una uoluntate durantes, aura leuitatis impulsi, uagi & instabiles hac atque illac uelut ebrij nutant, mutantque pro experimento iudicium: imò sine iudicio fluctuantes & tumultuantes, tot de se consilia præsumunt, quot loca reuisunt, semper quod non habent cupientes, & quod habent fastidientes. Tractatu de præcep. & dispensatione.

Petrus Cantor ait: Omnis stulticia laborat fastidio sui. Inconstantes sibijpsis uertuntur in tædium, quia stultus mutatur ut luna. Horum opera non habent caudam uel caput. cap. 63.

De uotis. Quid. Lombardus: Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his quæ Dei sunt, propriè fieri debet. Sunt tamen & uota stultorum, quæ frangenda sunt. libro quarto, distinct. 38.

Diuisio. Petrus Lombardus: Sciendum uerò quòd uotorum aliud est commune, aliud singulare. Commune, ut illud quod in baptismo omnes faciunt, spondent renunciare diabolo & pompis eius. Singulare, ut cum aliquis spontè promittit seruare uirginitatem, uel continentiam, uel aliquid huiusmodi. Item: Singulare uotum, aliud est priuatum, aliud solenne. Priuatum est, in abscondito factum: solenne uerò, in conspectu Ecclesiæ factum. lib. 4. distinct. 38.

De iniquo iudice Petrus Blesensis ait. Quia ergo contra inopem & mendicum tantam membrorum dissolutionem, tantam exercuisti linguæ procacis iniuriam, dies mortis, qui cano capiti tuo imminet, debitam istorum exiget ultionem. Caro congelascet, crura rigescent, manus & brachia decident, pectus anhelabit, ceruix languescet, spumabunt labia, obtenebrescent oculi, facies ut testa pallescet. Sic immodico terræ fouetur peccatori fouea, & erit sepulchrum eius in æternum, donec ueniat dies illa terribilis iuxta exigentiam meritorum. Epist. 46.

De calumnia & lingua mendaci ait Bernhardus: Omnino sufficit aduersus os loquentium iniqua, opinio bonorum cum testimonio conscientiæ. Sermone uigesimoquarto super Cant. Item: Ferit ergo charitatem in omnibus qui se audiunt, lingua maledica, & quantum in se est, necat funditùs & extinguit: non solùm autem, sed & in absentibus uniuersis, ad quos uolans uerbum forte per eos qui præsentes sunt, peruenire contigerit. Ibidem. Et: Vnus est qui loquitur, & unum tantùm uerbum profert, & tamen illud unum uerbum uno in momento multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit. Cor siquidem felle liuoris amarum per linguæ instrumentum spargere nisi amara non potest, dicente Domino: Ex abundantia cordis os loquitur. Et sunt species pestis huius, dum alij quidem nudè atque irreuerenter, uti in buccam uenerit, uirus euomant detractionis. Alij autem quodam simulatæ uerecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum grauitate & tarditate, uultu mœsto, demissis superciliis, & uoce plangēti egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab eis qui audiunt, corde inuito & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Doleo, inquit, uehementer, pro eo quòd diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta est res, ueritatem negare non possum: dolens dico, reuera ita est. Et addidit: Grande damnum. Nam aliàs quidem in pluribus ualet: cæterùm in hac parte, ut uerum fateamur, excusari minimè potest. Ibidem.

De adulatione. Petrus Cantor: Ranæ sunt adulatores, garruli & loquaces, quorum garritum & adulationem execrans poëta, ait: Turba salutantum latas tibi perstrepit ædes. capite trigesimoquinto. Item: Quòd magis uoce ac mel & lenitas adulationis, quàm amaritudo detractio-

nis

nis constat: quia nullus adeò seuerus est & rigidus, qui hac peste quandoque non capiatur, in qua delectari uidetur, qui eam statim non repellit. Ibidem. Item: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs, hoc est remedium. Item Psalmus: Prohibe linguam tuam à malo detractionis, & labia tua ne loquantur dolum adulationis. Ibidem. Item: Hinc etiam in concilio Carthaginensi, distinctione quadragesimasexta legitur: Clericus qui adulationibus uel proditioni uacare deprehenditur, ab officio degradetur. Ibidem. Et: Inimici enim hominis domestici eius adulatores sunt. Ibidem. Item: Adulatio autem uenenum & gladius occultus est. Multum enim lædit, & non timetur. Ibidem. Et: Omnis enim adulator, proditor est in uerbo. Ibidem. Item: Quàm detestabilis sit adulatio, patet ex eo, quòd ipsa est fomes & nutrix superbiæ, quæ est maximum peccatum. Ibidem. Et: Adeò irrupit & processit pestis adulationis, quod & uerba & artem dicendi corrumpit, tropos & solœcismos, & quosdam metaplasmos contra regulam coniungendi dictiones & naturam loquendi introducens, utens plurali pro singulari. Et cum de Deo loquimur singulariter, cum homine loquimur pluraliter. Ibidem. Et: Adulatores ab ira uultus Domini in futuro diuidentur, quando in ultima uentilatione paleas à granis separabit. Ibidem. Item: Tanto sceleri, adulationis scilicet, par scelus inueniri non potest. Ibidem.

Iohannes Salisberiensis ait: Vilis adulator picto iacet ebrius ostro, delicijs ingurgitatur ad crapulam, uino æstuat, lautioribus cibis distenditur, & pro arbitrio uarijs artificijs cœlum sibi contemperat. Primos habet cubitus in cœnis, in conuentibus primos consessus, salutationes excipit primas, primas sententias in iudicijs profert, in demonstrationibus honestissimè, in deliberationibus utilissimè sentit. Quicquid loquitur, sal merum est: quicquid agit, iustitia & libertas. capite decimotertio, libro 3.

De reprehensione. Iohannes Salisberiensis: Nullus reprehensor formidandus est amatori ueritatis. Etenim aut inimicus reprehensus est, aut amicus. Si inimicus insultat, ferendus est. Amicus autem si errat, docendus. Si doceat, audiendus. Laudator uerò & errans confirmat errorem, & adulans illicit in errorem. libro 2 de Curial. nugis, cap. 1.

De garrulitate inquit Petrus Cantor: Malæ autem loquacitatis siue garrulitatis quatuor sunt causæ, scilicet adulatio, iactantia, cupiditas, incauta loquacitas. capite quinquagesimosecundo. Item: Vt autem uicium linguæ uitetur, nota quòd tripliciter utitur quis uerbo malo, scilicet uel contra se per arrogantem iactantiam. Fili, ne te lactauerint peccatores. Vel contra proximum, & hoc tripliciter, scilicet uel uerbo malitiæ & contumeliæ manifestæ, uel uerbo detractionis occultæ, uel uerbo adulationis fictæ. Contra Dominum, uerbo infidelitatis, uerbo blasphemiæ, uerbo prauitatis hæreticæ, uerbo inquisitionis stultæ, uerbo curiositatis uagæ. Ibidem. Item: Summa summarum hæc erit, tardiloquum te esse iubeo. capite sexagesimotertio.

De mendacio inquit Petrus Cantor: Qui autem mendax est, filius est diaboli autoris mendacij. capite 90.

De hypocrisi Petrus Cantor inquit: Hypocrita dicitur simulator, qui aliud loquitur uel operatur, & aliud retinet in corde. capite quadragesimooctaua. Item: Cuius enim oculus de facili uidet uanitatem, os loquitur, manus ue operatur, quod in se agitur, hoc de alio suspicatur, ut etiam propter quid bona faciat, propter hoc credat & alterum facere, bona aliorum quæ sunt pura, ex animo suo solo æstimans superficialia, suisq; similia. capite sexagesimoprimo.

De calumnia ait Petrus Cantor: In his ergo duobus temerarium est iudicium, quod ex uitio superbiæ uel inuidiæ illorum est, qui magis amant uituperare quàm emendare. capite sexagesimosecundo. Item: Huiusmodi suspiciosi & temerarij iudices, de occultis cordium iudicantes, cum solus Deus sciat cogitationes hominum, quoniam uanæ sunt, solus scrutetur renes & corda, solus iudicabit, & non secundum auditum aurium, neque secundum uisum oculorum arguet, diuinum officium sibi præsumunt & usurpant, uolentes parificari Domino cum eo qui ait: Ascendam in cœlum, & ero similis altissimo. quasi dicat: Profundum est cor hominis, & inscrutabile, quis nouit illud? Hos scrutatores cordium, &c. Ibidem. Item: Quod dicunt qui opus inuertunt, dicentes illud fieri causa sinistra, puta laudis, famæ, honoris, uel quæstus, & huiusmodi. Hoc est Spiritum Dei extinguere, & in Spiritum sanctum peccare, opus scilicet quod benignitati eius debet attribui, diabolo adscribere. Ibidem. Item: Magis periculosum est præcipitare sententiam, per quam læditur fama alicuius & incrustatur, quàm illa per

quam diminuitur uel deperit recula ipsius. capite sexagesimotertio. Item: Quia post superbiam, & inuidiam redarguens Apostolus, ait: Propterea tradidit eos Dominus in passionem ignominiæ, repletos omni contentione, iniquitate, superbos, elatos, susurrones, detractores, Domino odibiles. Item: Detrahit legi & iudicat legem omnis detractor, quia quod lex prohibet operatur, scilicet non detrahere. Vel legi detrahit & eam iudicat, qui officio suo eam priuat, ut qui peccatum occultum publicè arguit, uel cum liuore, uel libidine uindictæ, uel sine promotione, uel aliquid de contingentibus omittit. capite decimoquarto. Et: Si autem condolescens & compatiens in detestatione uicij, non ut ducas in odium, de aliquo uerum locutus fueris, publicum eius peccatum coram ipsis qui nouerint reuelans, secretum inter te & ipsum solum, uel inter alios qui eum nouerint ut tu, ut sic saltem illis condolentibus & corripientibus corripiatur & corrigatur, non eris detractor. Ibidem. Item: Nota quòd tria sunt genera detractorum. Quidam inuenit & concipit detractionem, habens materiam detrahendi & occasionem. Rarus enim est cuius pes non labatur quandoque, uel subiaceat. Alius non habens materiam detrahendi, mendaciter aliquid fingit in proximum; quod crudelius est. Ibidem. Et: Hæc autem pestis detractionis alicuius ueritatem acrius impugnat & lædit quam cætera uicia. Detractor in se charitatem extinguit, si eam prius habuit: si non prius habuit, se uacuum ab ea ostendit. In auditore & quantum in se est charitatem extinguit detractor, & proximum etiam in odium & contemptum, non tantum præsentium, sed & absentium, & ad quoscunque uolat illud uenenosum & irreuocabile uerbum, trahit. Ibidem. Et: Duo autem sunt genera detractorum, manifestum scilicet & occultum. Primum sine fronte, sine ore uerecundo, & irreuerenter quicquid uenenosi uirus in buccam uenerit, dente mordaci & lingua maledica emittit. Secundum uerò simulatè succo uerecundiæ & quodam colore detractionem obumbrat & palliat, proferens eam quibusdam flebilibus & plangentibus uerbis, uoce remissa, & uultu demisso, oculis in terram defixis. Et hoc genus crudelius est priori, quia huiusmodi detractio eo ipso persuasibilior est, quòd procedere uidetur ex affectu compassionis, & ita crudelior est manifesta detractione, quæ totum uirus suum sine palliatione effundit. Ibidem.

De curiositate inquit Bernhardus: Euidenter proinde curiositati pietas aduersatur, & quem illa à corde euocat, ista reuocat. Nimirum pietas illa est cultus Dei, & in corde colitur, qui in corde cognoscitur habitare. Parit autem curiositas experientiam mali, ut facilè qui per multa uagatur, offendat, facilè cadat in laqueum, facilè inueniat quod perniciosè delectet. Confligit sanè aduersus hanc scientiæ Spiritus, docens eligere bonum, reprobare malum, docens quid perniciosum sit, quid ue expediat experiri. Sermone de septem don. Spiritus sancti.

De nono & decimo præcepto.

De nono & decimo præcepto ait Lombardus: In his duobus præceptis non mœchandi & non furandi, ipsa opera notata sunt & prohibita. In his uerò extremis ipsa concupiscentia. Multum ergo differunt illa ab istis.

Virtus nescit finem. Bernhardus: Porrò uera uirtus finem nescit, tempore non clauditur. Vnde est illud: Charitas nunquam excidit. Et item: Patientia pauperum non peribit in finem. Et: Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. Nunquam iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit Satis est, sed semper esurit sititque iusticiam, ita ut si semper uiueret, semper quantum in se est, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis uiribus conaretur. Non enim ad annum uel ad tempus instar mercenarij, sed in æternum diuino se mancipat famulatui. Audi denique uocem iusti: In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis uiuificasti me. Et rursum: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum. Non igitur ad tempus. Proinde iusticia eius manet non aliquanto tempore, sed in seculum seculi. Sempiterna itaque iusti esuries sempiternam meretur refectionem: Et licet in breui consummetur pro tempore, iudicatur tamen explesse tempora multa pro uirtutis perpetuitate. Epistola 254.

De cardinalibus uirtutibus inquit Lombardus: De quatuor uirtutibus quæ principales uel cardinales uocantur, differendum est, quæ sunt iusticia, fortitudo, prudentia, temperantia. De quibus ait Augustinus: Iusticia est in subueniendo miseris, prudentia in præcauendis insidijs, fortitudo in perferendis molestijs, temperantia in cohercendis delectationibus prauis. De

his dicitur in libro Sapiẽtiæ: Sobrietatem & prudentiam docet, & iusticiam & uirtutem. Sobrietatem uocat temperantiam, & uirtutem uocat fortitudinem. libro tertio, distinctione trigesimatertia.

De medio tenendo inquit Bernhardus: Tene medium, si non uis perdere modum. Locus medius tutus est. Medium, sedes modi: & modus, uirtus. Omnem extra modum habitationem sapiens exilium reputat. Propterea non est illi habitare in longo, quòd ultra modum sit: sed nec in lato quidem, quòd extra sit: porrò nec in alto uel imo, quòd alterum supra, alterum infra sit. Denique & longitudo exterminium habere solet, & dilatatio scissuram, & altitudo ruinam, & profundum absorptionem. Dico hæc planius, ne me putes ea loqui quæ Apostolus comprehendere hortatur cum omnibus sanctis, longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundum: quod alterius erit & disputationis & temporis. Nunc autem longum dico, cum sibi homo longiorem promittit uitam. Latum, cum in superfluas animus distenditur curas. Altum, cum de se plus præsumit. Profundum, cum se plus deijcit. Qui ergo longa sibi metitur tempora, nonne uerè ingreditur iter exterminij, transiens uitæ terminos productiori solicitudine? Inde est quòd homines in præsentia sese exules per obliuionem, in alia per inanem solicitudinem migrant secula, non profutura, imò nec futura. Similiter animus distentus in multa, multis laceretur curis necesse est. Nempe immoderata extensio extenuationem, & extenuatio nimia, scissionem facit. Iam uerò alta præsumptio, quid nisi ruinosa præcipitatio est? Legisti namque: Ante ruinam exaltatur cor. Quid e regionè nimiæ pusillanimitatis deiectio, nisi desperata quædam absorptio est? In hanc fortis non deijcietur. Prudens, longioris uitæ non abducetur incerto. Modestus moderabitur curas, temperabit à superfluis, non deerit necessarijs. Porrò iustus altiora se non præsumet, sed loquetur cum iusto: Si iustus fuero, non leuabo caput. libro secundo de Consideratione.

Nemo repentè malus. Bernhardus: Sanè nemo repentè fit turpissimus, & uix aliquis in hunc affectum nequitię, nisi praua consuetudine pertransiuit. in declamat. de Bon. deserend.

Deum uiuere ex lege. Bernhardus: Nec absurdum uideatur, quòd dixi etiam Deum uiuere ex lege, cùm non alia dixerim quàm charitate. Quid uerò in summa & beata illa Trinitate summam & ineffabilem illam conseruat unitatem, nisi charitas? Lex est ergo, & lex Domini charitas, quæ Trinitatem in unitate quodammodo cohibet, & colligat in uinculo pacis. Nemo tamen me existimet charitatem hic accipere qualitatem, uel aliquod accidens, alioquin in Deo dicerem (quod absit) esse aliquid quod Deus non est: sed substantiam illam diuinam, quod utique nec nouum nec insolitum est, dicente Iohanne: Deus charitas est. Dicitur ergo rectè charitas & Deus, & Dei donum. Itaque charitas dat charitatem, substantia accidentalem. Vbi dantem significat, nomen est substantiæ: ubi donũ, qualitatis. Hæc est lex æterna, creatrix & gubernatrix uniuersitatis. Siquidem in pondere, & mensura, & numero per eam facta sunt uniuersa, & nihil sine lege relinquitur: cùm ipsa quoque lex omnium sine lege non sit, non tamen alia quàm seipsa: qua & seipsam etsi non creauit, regit tamen. Epistola undecima. Hæc etiam in tractatu de diligendo Deo ijsdem planè uerbis habentur & repetuntur.

DE EVANGELIO.

De subiecto Euangelij inquit Samuel Rabbi: Euangelium Christianorum supponit, quòd Christus siue Messias iam uenerit, nihil enim continet contra Prophetas & legem nostram: sed est manifestatio omnium Prophetarum, & impletio promissionis, quæ in lege continetur, sumendo spiritualiter, prout continet doctrina Christianorum. capite 27 Parast. ueri Messiæ.

Summam Euangelij recitat Petrus Cluniacensis. Hanc summam Apostolicorum esse uerborum, magis scilicet abundasse Christi gratiam ad saluãdum, quàm peccatum Adæ abundauerit ad damnandum. Illius enim culpa totã stirpis suę propaginem in ipsa radice corrupit, & uniuersam simul humani generis massam originali tantummodo uulnere sauciauit: Christi autem iusticia, donum & gratia, non solùm ab illa originali, quæ sic uocatur, peste, qua ille mundum infecerat, sed ab omnibus peccatis actualibus, quæ mũdus addiderat, saluauit. libro primo, epistola 2.

Legem ab Euangelio illustrari, Potho docet: Litera namque legis, mysteria Dei ab illo populo carnali abscondebat, quæ

nobis Spiritus intelligentiæ reuelat. lib. 2 de Statu domus Dei.

De differentia legis & Euangelij. Rupertus: Epistola uox legis suam in Iohanne imperfectionem profitentis, & ad perfectionem Euangelicam suos auditores transmittentis. Quamuis autem sæpe de Apostolicis sumatur literis, tamen in eo gradu est, ac si semper de lege sit & Prophetis. Semper enim mortalitatem uitamque actiuam magis quàm contemplatiuæ sublimitatem, quæ in Euangelio radiat, Apostolica quoque lectio instruit & dispensat. Et paulo pòst: Differunt (Epistolę Apostolorum) penè pariter ut lex aut Prophetæ, à maiestate sancti Euangelij, quia uidelicet pariter de moribus tractant. Et Euangelij sacramenta illi uentura denunciant, hi iam præterita commemorant. Igitur mortale legis officium agit epistola, tantum distans ab eo quod in officio Missæ præcedit S. Euangelio, quantum seruus à domino, præco à iudice, legatus ab eo qui misit illum. libro primo de Diui. offic. capite trigesimosecundo.

Richardus de S. Victore: Doctrina legis est simplex, Euangelica triplex. Euangelium siquidem docet quid debeat fieri, quomodo possit impleri, & quod impletum non fuerit, quomodo possit suppleri. Docet autem solummodo lex quid homo debeat facere, nec addit quo modo possit implere, & ea propter nemi nem potest iustificare. parte 2. in explanatione aliquorum passuum difficilium Apostoli.

Potho ait: Vmbra est in lege, imago in Euangelio, ueritas in cœlo. Domus Dei quæ in umbra legis ædificatur, imperfecta est: quia nihil ad perfectum lex ducit. Domus Dei quæ in imagine construitur, in luce est. Domus Dei quæ in ueritate consistit, tota lux est. lib. 2 de Statu domus Dei.

DE PRAEDESTINAtione.

Quid sit. Honorius: Prædestinatio est ea dispensatio, qua Deus ante creatum seculum quosdam in suum regnum præordinauit, de quibus nullus perire possit, & omnes saluari necesse sit: & quosdam ad pœnas, quos peccaturos & non reuersuros præsciuit, de quibus nullus saluari possit. In argumento de Prædest. & lib. arbit.

Summa doctrinæ de prædestinatione. Honorius Augustudunensis presbyter: Huius igitur ineuitabilis materia tali uentilatur area, quòd prouidentia Dei creatoris sapientissima ab initio rempublicam instituit dispensatione ordinatissima, in qua filijs quidem locum gloriæ, seruis autem, imò hostibus, præordinauit locum ignominiæ. Et ad locum gloriæ nullus, nisi ad hunc prædestinatus, peruenire poterit: & hic gratia Dei præuentus, ut bonum uelit: & adiutorio Dei adiutus, ut possit. Ad locum quoque ignominiæ nemo perueniet, nisi ad hunc ante secula præscitus, & hic à gratia Dei iustissimè derelictus. A' Deo autem desertus tota cum festinantia per liberum arbitrium irreuocabiliter ad hunc properabit. Infantes uerò libero arbitrio carentes, quidam, utputa baptizati, per clementissimam Dei bonitatem in locum gloriæ, cum sint prædestinati, assumentur: quidam uerò, ut non baptizati, incomprehensibili & inuestigabili, tamen iustissima Dei censura, in loco ignominiæ locabuntur. Et quicquid in cœlo uel in terra, uel in quacunque Dei creatura fit, totum Deus solus bonus facit, aut fieri permittit. Omnia nãq; bona per prædestinatos, cooperante illorum libero arbitrio, Deus operatur. Mala autem per cõtrarium à reprobis fieri per liberum arbitrium permittit: & in his omnibus par laus Dei inuenitur. In Dialogo de Præd est. & libero arbit. Item: Nullus igitur locum gloriæ intrabit, nisi quem diuina prouidentia ad hunc ab initio prædestinauit: & nullus prædestinationem secundum merita, quæ infantibus nulla sunt, obtinebit, sed eam secundum gratuitam Dei misericordiam possidebit. In multis uerò mansionibus eos locabit: hoc est, diuersa gaudia eis dabit: infantibus quidem & in extremis pœnitentibus, secundum solam gratiam: alijs uerò & secundum diuersa merita & uarios labores, ut martyribus, & omnibus in mandatis Domini pro hac spe in finem certantibus. Nullus quoque in loco contumeliæ suppliciorum particeps erit, nisi quem diuina præscientia ad hunc futurum præsciuit. Qui autem ibi demerguntur, magis secundum occulta & incomprehẽsibilia Dei iudicia, quàm secundum merita, quæ infantibus nulla sunt, retrudentur. Tamen quia per liberum arbitrium malum eligentes, hoc toto corde usq; in finem operando dilexerunt, pro diuersis meritis diuersas pœnas hæreditabunt. Ibidem.

Vnde Bernhardus: Initium meũ solius

gratiæ

gratiæ est, & non habeo quid mihi in prædestinatione attribuam sine uocatione. Non sic sanè ab opere iustificationis alienus sum, operatur & illud gratia, sed planè mecum. Sermone quarto de uerbis Esaiæ prophetæ.

De præscientia inquit Rupertus: Quicquid factum est, antequam fieret, in ipsius erat præscientia, quæ uidelicet pręscientia non est aliud quàm uita. lib. 1 Com. in Iohannem, capite 1. Et: Non simus incauti laudatores prouidentiæ uel præscientiæ Dei, ut præscientiam eius & ordinationem idem esse arbitremur. Non enim hæc, præscientia scilicet & ordinatio Dei, æqualia sunt, aut conuerti possunt: quia præsciuit quidem Deus omnia quæ ordinauit, sed non præordinauit uel prædestinauit, ut fierent omnia quæ præsciuit. Nā de homine, cum faceret eum, præsciuit duo, scilicet & quomodo per fraudem diaboli decipiendus esset, & quomodo per omnipotentiam suam deceptum & perditum restaurare posset. Hæc inquam duo pręsciuit. Sed eorum alterum, lapsum hominis, fieri permisit ad cumulum diabolo debitę damnationis: alterum autem, id est restaurationem eius, præordinauit, ut (sicut ait Apostolus ad Ephes. 3.) innotesceret principatib. & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Libro sexto de Diuinis officijs, capite secundo. Item: Vsq; hodie non cessant homines disputare de præscientia uel prædestinatione Dei, nec desunt peccatores, qui seipsos excusare audentes, dicant se idcirco bonos esse non posse, quia Deus malos fore præsciuit & prædestinauit. Quibus ita se excusantibus, Deumq; accusantibus, istud insipientiæ suæ patrocinium placet, quod in præsenti loco Euangelicæ autoritatis scriptū est. Nisi præsciētia uel prædestinatio Dei (inquiunt) uoluntatibus hominum uim faceret, tantus Euangelista sic & sic non dixisset. Sed talibus, tanquam præsumptuosis discussoribus iudiciorum Dei & uiarum eius, nihil aliud dignum respondere arbitratur Paulus apostolus, quàm hoc: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid potest figmentum dicere ei qui se finxit, Quare me fecisti sic? Etenim talibus hoc loco hic Euangelista eodem spiritu respondet, cum præmisisset, Non credebant in eum: ita subiungens, Vt sermo Prophetæ impleretur. itemque propterea nō poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Ipsi enim qui sunt qui respondeant Deo, uel quibus de diuinis iudicijs reddatur ulla ratio? Verùm eis qui mites sunt, & spiritu pietatis bene dispositi ad audiendum, & Apostolus prædicto loco subsecutus, profundam dare rationem incipiens: Volens, inquit, Deus notam facere iram, & ostendere potentiam suā, sustinuit in multa patientia uasa iræ, aptata in interitum, &c. & ipse Dominus in alio Euangelista: Confiteor, inquit, tibi pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, ita pater, quia sic placitum fuit ante te. Causam effectiuam cæcitatis Israeliticæ reddens Apostolus, appellauit eos uasa iræ: Dominus autem sapientes & prudentes eosdem dixit, quibus pater absconderat hęc, scilicet mysteria sua, quæ paruulis dignatus est reuelare. Vtraq; sententia superbiam cæcitatis causam esse significatū est. Vnde enim à Domino sapientes & prudētes dicti sunt, nisi ex eo quòd superbi sunt? qđ maximè liquet ab opposito paruulorum, id est, humiliū, qui reuelatione patris digni sunt. Vnde uerò ab Apostolo dicti sunt uasa iræ, nisi ex eo quòd sunt filij superbiæ? Psalmista quippe cū dixisset, Terribilis es, & quis resistet tibi? statim intulit: Extunc ira tua. Nam reuera ex quo Deo resistitur, extunc ira eius. Etenim quamdiu per infirmitatem uel ignorantiam peccatur, dissimulat peccata hominum, & parcens illis, pœnitentiam præstolatur. Ergo & Apostolus quos appellat uasa iræ, dignis auditoribus tali denotatione indicat, Deo resistere: & idcirco retributorem superbiæ iustum Deum uoluisse illos, sicut Pharaonem, indurare, uel corda illorum, ne Christum agnoscerent, excæcare. Et ipse Dominus, dum eosdem uocat sapientes & prudentes, ex opposito paruulorum, id est, humilium, & paulo pòst eisdem paruulis dicit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: causam absconsionis, pro qua confitetur patri, demonstrat superbiam esse. Itaque & hoc loco, cùm Euangelista, Excæcauit oculos eorum, & indurauit corda eorum: subauditur dicens, Ne uideant oculis, & intelligant corde: profectò cordatis auditoribus non dubium fore putauit, quam ob causam Deus hoc fecerit, qui neque diabolum, neq; hominem quempiam absque præcedente peccato superbiæ excæcauit unquam aut indurauit. Igitur innocens & sancta præscientia Dei nullam malis hominum necessitatem importat, quomodo nec uisus meus ei, quem ambulare uideo, ullā

ambulandi necessitatem irrogat, quomodo apud quosdam philosophos Christianos disputans ualidissimè argumentatur sana & uera philosophia. Libro decimo Commentar. in Iohannem, capite duodecimo.

Lombardus ait: Cum sit unum & idem scientia Dei uel uoluntas, non tamen dicitur de uoluntate quicquid dicitur de scientia, & econuersò, nec omnia illa sua uoluntate Deus uult, quæ sua scientia scit, cùm sua scientia nouerit tam bona, quàm mala, uoluntate autem non uelit nisi bona. Scientia quippe Dei & præscientia de bonis est & malis, uoluntas uerò & prædestinatio de bonis est tantùm: & tamen unum & idem in Deo est scientia & uoluntas, & præscientia & prædestinatio. Ita cum unum sit natura Dei & uoluntas, dicitur tamen pater genuisse filium natura, non uoluntate: & esse Deus natura, non uoluntate. libro primo, distinctione sexta. Et: Hic oritur quæstio non dissimulanda, utrum scilicet scientia uel præscientia sit causa rerum, an res sint causa scientiæ uel præscientiæ Dei. Videtur enim præscientia Dei causa esse eorum quæ ei subsunt, ac necessitatem eueniendi eis facere: quia nec aliqua futura fuissent, nisi Deus ea præscisset, nec possunt non euenire cum Deus ea præsciuerit. Si autem impossibile est ea non euenire, quia præscita sunt: uidetur ergo ipsa præscientia qua præscita sunt, eis esse causa eueniendi. Impossibile est autem ea non euenire, cum præscita sint: quia si non euenirent cum præscita sint, falleretur Dei præscientia. At Dei præscientia falli non potest. Impossibile est ergo ea non euenire, cum præscita sint. Sic ergo præscientia causa eorum esse uidetur quæ præscita sunt. Hoc idem & de scientia dicitur, scilicet quòd quia Deus aliqua nouerit, ideo sint. Ibidem distinctione trigesimaoctaua. Item: Quòd si ita est, est ergo causa omnium malorum, cum omnia mala sciantur & præsciantur à Deo: quod longè est à ueritate. Si enim Dei scientia uel præscientia causa esset malorum, esset utique Deus autor malorum: quod penitùs fasum est. Non ergo scientia uel præscientia Dei causa est omnium quæ ei subsunt. Ibidem. Item: His enim duobus modis, ut superius prætaxatum est, accipitur cognitio uel scientia Dei, scilicet pro noticia sola, uel pro noticia simul & beneplacito. Ibidem. Et: Hoc modo fortè accipit Augustinus, dicens: Ideo sunt, quia nouit: id est, quia scienti placuit, & quia sciens disposuit. Hic sensus ex eo adiuuatur, quia de bonis ibi tantùm ait Augustinus, scilicet de creaturis, & de his quæ Deus facit: quæ omnia nouit non solùm scientia, sed etiam beneplacito ac dispositione. Sic ergo ibi accipitur Dei cognitio, ut non modò noticiam, sed etiam beneplacitum Dei significet. Mala uerò scit Deus & præscit antequam fiant, sed sola noticia, non beneplacito: præscit enim Deus & prædicit etiam quæ non est ipse facturus, sicut præsciuit & prædixit infidelitatem Iudæorum, sed non fecit: nec ideo quia præsciuit, ad peccatum infidelitatis eos coëgit: nec præscisset uel prædixisset eorum mala, nisi essent ea habituri. Ibidem. Item: Dei scientia omnino immutabilis est, nec augeri potest, uel minui. Ibidem distinctione 39. Item: Clarè ostenditur, scientiam Dei omnino inuariabilem esse, sicut ipsa essentia Dei omnino inuariabilis est: & quòd pater & filius cum Spiritu sancto simul omnia sciunt & uident. Sicut ergo non potest augeri uel minui diuina essentia, ita nec diuina scientia: & tamen conceditur posse scire quod non scit, & posse non scire quod scit: quia potest esse aliquod subiectum eius scientiæ quod non est, & posset non esse subiectum aliquid quod est, sine permutatione scientię ipsius. ibidem. Et: Scientia eius non est nisi de his quæ sunt uel fuerunt uel erunt, præscientia non est nisi de futuris. Ibidem. Et: Sicut itaq; & immutabiliter scit Deus omnia quæ fuerunt, & sunt, & erunt, tam bona, quàm mala: ita præscit quoq; omnia futura, tam bona quàm mala. ibid.

De electis inquit Rupertus: Omnes electi, quamuis impares meritis, omnes tamen magni sunt, & certus eorum numerus apud Deum, qui ab origine mundi secundum propositũ uocati sunt, quos præsciuit, quos prædestinauit, iustificauit atque magnificauit. libro decimoquarto, capite 21 in Iohannem. Item: Hoc fieri non potest, ut eorum quisquam perdat coronam suam, quos Deus præsciuit, & ad coronam prædestinauit. Veruntamen & fieri potest, & factum est, ut ille coronam perderet, quem Deus ad coronam uocauit, uocatione inuisibili, siue quæ ab hominibus potuit audiri. Nam Deus Iudã ad coronam uocauit Apostolicam, non ad coronam prædestinauit. lib. 2 Com. in Apocal. cap. 3.

De electione Honorius inquit: Sicut

cut est impoſsibile ut cœlum ruat, ſic eſt impoſsibile ut aliquis de electis pereat. Si ille in errore obiiſſet, electus non fuiſſet. Sed quia prædeſtinatus fuit, ante conuerſionem mori non potuit. Dialogo de Prædeſtinatione & libero arbitrio.

Bernhardus: Quis poteſt dicere, Ego de electis ſum, ego de prædeſtinatis ad uitam, ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam, dicere poteſt? reclamante nimirum Scriptura: Neſcit homo ſi ſit dignus amore an odio. Certitudinem utique non habemus: ſed ſpei fiducia conſolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitùs cruciemur. Propter hoc data ſunt ſigna quædam, & indicia manifeſta ſalutis, ut indubitabile ſit eum eſſe de numero electorum, in quo ea ſigna permanſerint. Propter hoc, inquam, quos præſciuit Deus, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, ut quibus certitudinem negat cauſa ſolicitudinis, uel fiduciam præſtet gratia conſolationis. Hoc enim eſt, unde ſemper ſoliciti, & in timore & tremore humiliemur neceſſe eſt, ſub potenti manu Dei: quoniam quales ſumus, noſſe poſſumus uel ex parte: quales autem futuri ſumus, id noſſe, penitùs nobis impoſsibile eſt. Itaque qui ſtat, uideat ne cadat: & in ea forma, quæ ſalutis indicium eſt, & argumentum prædeſtinationis, perſeueret atque proficiat. Porrò inter ea quæ fiduciam præſtant & materiam ſpei, unum illud maximum eſt, de quo nunc cœpimus loqui: Qui de Deo eſt, uerba Dei audit. Nonnullos enim ſic interdum audientes inuenies, ac ſi nihil omnino ad eos pertineant quæ dicuntur, non intrare cor ſuum, non diſcutere mores ſuos, non cogitare, ne fortè quod audiunt, dictum ſit propter eos. Magis autem, ſi fortè ſermo Dei uiuus & efficax (qui ſuo, & non eius qui loquitur, arbitrio fertur, quocunque uoluerit) ſi, inquam, manifeſtè aduerſus uitia illa proceſſerit, quibus ſeſe illi ſentiunt obligatos, diſsimulans, & auertunt oculos cordis, aut qualibet adinuentione palliant uitia, & ſeducunt miſeri ſemetipſos. In his ergo ſalutis ſigna non uideo, magis autem uereor, ne fortè propterea non audiant uerbum Dei, quia non ſunt ipſi ex Deo. Sermone primo in Septuageſima. Item: Nouit Dominus qui ſunt eius, & ſolus ipſe ſcit quos elegerit à principio. Quis uerò ſcit hominum, ſi eſt dignus amore uel odio? Quòd ſi, ut certum eſt, certitudo nobis omnino negatur, nunquid non tanto delectabiliora erunt, ſi qua fortè electionis huius ſigna poſsimus inuenire? Quam enim requiem habere poteſt ſpiritus noſter, dum prædeſtinationis ſuæ nullum adhuc teſtimonium tenet? Fidelis proinde ſermo, & omni acceptione dignus, quo ſalutis teſtimonia commendantur. Hoc ſanè uerbo & electis conſolatio miniſtratur, & ſubtrahitur reprobis excuſatio. Cognitis ſiquidem ſignis uitæ, quiſquis hæc negligit, manifeſtè conuincitur in uano accipere animam ſuam, & pro nihilo habere terram deſiderabilem comprobatur. Tres ſunt, inquit, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua & ſanguis. Sermone ſecundo in octaua Paſchæ. Item: Nouit autem qui ſunt eius: ſed nobis non facilè innoteſcunt, niſi cum ipſe reuelare dignabitur. Epiſtola uigeſimatertia.

Lombardus ait: Elegit ergo eos quos uoluit gratuita miſericordia, non quia fideles futuri erant, ſed ut fideles eſſent: eiſque gratiam dedit, non quia fideles erant, ſed ut fierent. Ait enim Apoſtolus: Miſericordiam conſecutus ſum, ut fidelis eſſem. non ait, Quia fidelis eram. Datur quidem & fideli, ſed data eſt etiam prius ut eſſet fidelis. Ita etiam reprobauit quos uoluit, non propter futura merita quæ præuiderat, ueritate tamen rectiſsima, & à noſtris ſenſibus remota. Libro primo, diſtinctione quadrageſimaprima.

De prouidentia inquit Lombardus: Prouidentia autem eſt gubernandorum, quæ utique eodem modo uidetur accipi, quo diſpoſitio. Interdum tamen prouidentia accipitur pro præſcientia. Sapientia uerò uel ſcientia de omnibus eſt, ſcilicet bonis & malis, & de præſentibus, præteritis & futuris, & non tantùm de temporalibus, ſed etiam de æternis. Ibidem diſtinctione trigeſimaquinta. Item: Prouidentiam ergo & curam uniuerſaliter de cunctis quæ condidit habet, ut habeat unumquodque quod ſibi debetur & conuenit. Sed ſpecialem prouidentiam atque curam habet de rationabilibus, quibus præcepta tradidit, eiſque rectè uiuendi legem præſcripſit, ac præmia promiſit. Hanc prouidentiam & curam de irrationabilibus non habet. Ideo dicit Apoſtolus: Quia non eſt cura Deo de bobus. Prouidet tamen omnibus & curat, id eſt, gubernat omnia, qui omnibus ſolem ſuum facit oriri, & pluuiam dat. Scit itaque Deus quanta ſit multitudo pulicum,

pulicum, culicum, muscarum & piscium, & quot nascantur, quot'ue moriantur. Sed non scit hoc per momenta singula: imò simul & semel omnia. Neque ita scit ut eandem habeat prouidentiam irrationabilium & rationabilium: id est, ut eodem modo penitùs prouideat irrationabilibus & rationabilibus. Rationabilibus enim & præcepta dedit, & angelos ad custodiam delegauit. Ibidem distinctione trigesimanona.

De prædestinatione ait Honorius: Quia uerò prædestinati sunt, gratia Dei eos præuenit, ut uelint: subsequitur eos, ut etiam possint. Sed quia incommutabilis prædestinatio Dei fixa manet, reprobi per iusticiam derelicti, bonum nec uolunt, nec ualent, cunctas admonitiones surdis auribus audiunt, cuncta bonorum exempla cæco, imò indurato corde conspiciunt. Per liberum arbitrium semper in peius deficiunt, per quod se à Deo elongantes, iustè pereunt: quia nemo potest uenire ad filium, qui est uita æterna, nisi pater per gratiam, id est, per Spiritum sanctum traxerit eum, qui eligit per misericordiam quem uult, & reprobat per iusticiam quem uult. Cui nemo potest dicere, Cur sic facis: cuius uniuersæ uiæ misericordia & ueritas. Sicut enim alicuius ciuitatis si totus populus regem offenderet, & ipse quosdam iustè damnaret, quosdam clementer relaxaret: sic cum totus mundus Deum offendisset, quosdam per iusticiam puniuit, quibusdam per misericordiam dimisit. In Dialogo de Libero arbitrio. Item: Deus itaque ab initio in domo sua, id est, in loco gloriæ, multas mansiones præparauit, ad quas electos tali modo prædestinauit, ut diuersi diuersas mansiones pro diuersis meritis sortiantur. Ad has diuerso modo festinant prædestinati, gratia diuina præuenti & adiuti. Nullus tamen aliam obtinebit quàm illam, ad quam ante secula præordinatus fuit: scilicet, qui plus laborauerit, digniorem: qui minus, inferiorem. Nec quisquam plus laborare, aut altius laborando ascendere poterit, quàm ad illam mensuram, quam ei æterna ordinatio ab initio præfixit. Econtrà, in loco contumeliæ ab initio Deus diuersas pœnas instituit, ad quas peccaturos angelos & homines futuros pro diuersis meritis præsciuit: quas non intrabit ullus, nisi ad has ante secula præscitus: nec quisquam aliam possidebit, nisi illam quam eum diuina præscientia pro suo merito possessurum præuidit. Scilicet, qui plus in malitia se exercuerit, maiorem pœnam habebit: qui minus, minorem hæreditabit. Nullusque plus mali perpetrare ualebit, quàm eum diuina prouidentia facturum præsciuit, & eum suo tempore facere permisit. Hinc scriptum est: Nondum impleta sunt peccata Amorræorum. Et Apostolus: Vt impleant peccata sua semper. Quid est peccata implere, nisi ad illam mensuram malitiæ, ad quam eos perueniendos Deus præsciuit, ineuitabiliter festinare? Igitur omnes quos Deus ad regnum prædestinauit, ineuitabile est quin saluentur: & omnes quos ad supplicium præsciuit, ineuitabile est quin damnentur. Ibidem. Item: Cuncta quæ Deus prædestinauit aut præsciuit, ineuitabile est quin fiant, cum ipse solus cuncta faciat, aut fieri permittat. Vniuersa namque quæ sunt bona, siue in cœlo, siue in terra, seu in omni creatura Dei, Deus solus bonus per electos uel angelos uel homines operatur, cooperantibus eis per liberum arbitrium consentiendo. Operatur Deus per electos, per Apostolos gentes conuertit, ipse interius inspirando, & incrementum dando. Cooperantur ipsi per exterius ministerium plantando & rigando. Si quid autem electi contrariè egerint, ut in Vria Dauid, Deus hoc iustè fieri permittit: quod tamen ipse in laudem sui conuertit, dum post lapsum extiterunt humiliores, & sibi referunt grates uberiores, quibus etiam ipsa peccata cooperantur in bonum. Ergo omnia ex ipso, & per ipsum. Per reprobos quoque Deus operatur, dum iudicium suum per eos exercetur: sicut per Chaldæos Hierusalem destruxit. Ecce unum & idem opus Deus & Chaldæi diuerso modo operati sunt: & tamen hic inde laudatur, & illi damnantur: quia quod ipse propter iusticiam, hoc illi fecerunt ob sæuitiam. Similiter per Iudam Deus filium tradidit, & mundum à morte redemit. En Deus & Iudas unum opus diuersa mente operati sunt. Sed Deū totus orbis inde ueneratur, Iudam uerò detestatur: quia quod Deus ob humani generis amicitiam, hoc Iudas egit propter auariciam. Audenter dico, quia Deus etiam per diabolum operatur, dum iusticiam per eum in reprobis exerceri decernit. Sed quod Deus per iustissimam æquitatem, hoc agit diabolus per nequissimam crudelitatem: qui tamen non plus facere potest in eos, quàm permittitur. Vnde Deus laudabiliter magnificatur, ille uerò pro eodem opere damnabiliter reproba-

probatur. Quæcunque autem à reprobis per liberum arbitrium contra Dei instituta committuntur, à Deo quidem fieri sinuntur, sed in laudem eius uertuntur, dum iustè ab eo pœnis subiguntur. Igitur Deus operatur omnia, aut fauendo, aut sinendo. Et quia omnia ex ipso, ut in libro Sapientiæ legitur, A' Deo bona & mala: omnia sunt bona, & nihil est mali, nisi quod amarum est his qui aliquid asperi patiuntur, malum appellatur: & ideo omnia in laudem & gloriam Dei, qui miseretur cui uult, gloriam dando: & indurat quem uult, in pœnis locando. Ibidem.

Rupertus ait: Nec solùm nouerat ab initio, quæ uel qualiter omnia conderet, suoque statu singula disponeret: sed etiam quædam perdita, qualiter ad suam gloriam recuperaret. Inde est quòd suum certum seruat omnis natura cursum, nihilque fit sub sole nouum: quia uidelicet semel de immutabili uoluntate posuit præceptum, semel & simul creauit omnia, qui uiuit in æternum. Sic omnino insuperabilis manet altitudo diuini consilij, quod habuit super salutem generis humani. Nec enim electos alios uocauit, iustificauit & magnificauit, quàm quos ante secula præsciuit & prædestinauit: neque tanquam præuentus aut circumuentus à diabolo, nouum aliquid excogitauit, quando hoc Verbum misit incarnari: sed sic præfinitum est. Sic omnino quia pulchrum & speciosum erat, ante patrem complacitum est, ut inter inimicitias aduersantis diaboli semper in melius saluti nostræ prospiciens, usque ad summum suæ dispositionis beneficentia diuina perueniret. Libro primo Commentar. in Iohannem, capite primo. Item: Inuenit Philippum, quem quæsiuit. Ipsum cum omnibus sanctis præsciuit & prædestinauit, atque idcirco exiuit ut uocaret tunc, quem ante secula præsciuit & prædestinauit. Inuenit autem non eodem modo quo nos inuenisse dicimur, cum quodlibet uidemus, quod antea non uidentes quærebamus. Ibidem. Et: Omnis electorum multitudo, quotquot ad uitam æternam præordinati sunt, populus Dei & hæreditas eius & unus ac uerus Israel. Ibidem capite 3.

Bernhardus inquit: Est enim charitas & benignitas, in qua prædestinati sumus ab æterno: nec dubium quin prædestinationem suam uelit impleri. Sermone secundo in uigil. natalis Domini. Et: Persuadeat autem uocando & iustificando gratis per fidem: in quibus nimirum uelut medius quidam transitus est ab æterna prædestinatione ad futuram magnificationem. Sermone quinto in dedicatione Eccles. Et: Siquidem quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Num à prædestinatione ad magnificationem saltu quodam peruenies repentino? Prouide tibi medium pontem, aut magis ingredere iam paratum. Quos prædestinauit, inquit, hos & uocauit: quos autem uocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, hos & magnificauit. Hæc uia equidem bona uidetur nonnullis hominibus, sed & bona est, nihil super eius fine timendum. Sermone septimo de 7 uersu Psalm. Qui habitat, &c. Et: Generatio cœlestis, est æterna prædestinatio, qua Deus præuidit nos conformes fieri imaginis filij sui. Ex his nullus peccat, id est, in peccato perseuerat: quia nouit Dominus qui sunt eius, & propositum Dei manet immobile. Etsi horrendorum criminum nota Dauid inuritur, etsi Maria Magdalene septem dæmonijs cumulatur, etsi princeps Apostolorum in profundum negationis submergitur: non est tamen qui de manu Dei posfit eruere. Quos enim prædestinauit, hos & uocauit: & quos uocauit, hos & iustificauit. Sermone de triplici cohærentia uinculorum. Et: Regnum Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur. Conceditur in prædestinatione, promittitur in uocatione, ostenditur in iustificatione, in glorificatione percipitur. Vnde est illud: Venite benedicti patris mei. Sermone de uerbis libri Sapientiæ: Iustum deduxit Dominus, &c. Item: In prædestinatione est gratia, in uocatione potentia, in iustificatione læticia, in magnificatione est gloria. Ibidé. Et: Generatio cœlestis, æterna prædestinatio est, qua electos suos Deus dilexit & gratificauit in dilecto filio suo ante mundi constitutionem, sic in sancto apparentes sibi, ut uiderent uirtutem suam & gloriam suam, quo eius forent consortes hæreditatis, cuius & apparerent conformes imaginis. Hos ergo aduerti quasi nunquam peccasse, quoniam & si qua deliquisse uidentur in tempore, non apparent in æternitate: quia charitas patris ipsorum cooperit multitudinem peccatorum: & dixi beatos, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Sermone 33. Et: Prædestinatio, non dico ab exortu Ecclesiæ, sed ne à mundi principio quidem principium habuit, non denique à tempore illo uel illo: ante tem-

tempora est. Sermone 78 super Cantica. Item: Sanè secundum prædestinationem nunquam Ecclesia electorum penes Deum non fuit. Si miratur hoc infidelis, audiat quod magis miretur, nunquam non grata extitit, nunquam non dilecta. Quidni audacter loquar arcanum quod mihi de corde Dei promptus ille supernorum delator consiliorum aperuit? Paulum dico, qui ut multa alia, ita hoc quoque de diuitijs bonitatis eius non est ueritus diuulgare secretum: Benedixit nos, inquiens, in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Et addit: Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per IESVM Christum in ipso, secundum propositum uoluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo. Nec dubium quin uoce omnium electorum ista dicantur, & ipsi Ecclesia sunt. Sermone septuagesimooctauo. Item: Propter hoc itaque etsi in rebus conditis iam creata existens Ecclesia, nec sic tamen à creatura ulla inueniri poterat, uel agnosci, miro utroque modo interim latens & intra gremium beatæ prædestinationis, & intra massam miseræ damnationis. Cæterùm quam celauerat ab æterno prædestinans sapientia, & item creans potentia minimè prodiderat ab initio, uisitans profectò gratia suo in tempore reuelauit, secundum operationem, quam ideo inspirationem suprà nominaui, quòd de sponsi spiritu humanis infusum spiritibus quippiam fuerit in præparationem Euangelij pacis: id est, parare uiam Domino atque Euangelio gloriæ eius ad corda omnium quotquot erant prædestinati ad uitã. Frustra uigiles laborassent in prædicando, si non hæc gratia præcessisset. Nunc uerò uidentes uelociter currere uerbum, & populos nationum ad Dominum in omni facilitate conuerti, concurrere in unitatem fidei tribus & linguas, atque in unam colligi matrem catholicam terminos terræ, cognouerunt de diuitijs gratiæ, quæ à seculis absconditæ tenebantur in abdito prædestinationis æternæ: & gauisi sunt eam se inuenisse, quam ante secula Dominus elegerat in sponsam sibi. Ex quo (ut opinor) clarum fit, non ociosum esse, quòd se inuentam ab his sponsa testata est: sed propterea quòd se ab ipsis collectam agnosceret, non electam: compertam, non conuersam. Ei nempe ascribenda cuiusque conuersio est, cui dicere necesse habent uniuersi illud de Psalmo: Conuerte nos Deus salutaris noster. Sed non æquè illi fortassis inuentionis uocem competenter aptarim, sicut conuersionis, imò uerò sic est: Non est inuenire Domino, sed præuenire, & inuentionem præuentio excludit. Denique quid inueniat, qui nihil unquam non nouit? Nouit Dominus qui sunt eius, ait quidam. Ipse uerò quid? Ego scio, ait, quos elegerim à principio. Planè quam ab æterno præsciuit, quam elegit, quam dilexit, quam condidit, rationis non erat ab eodem perhiberi inuentam: præparatam tamen ab ipso ut inueniretur, fidenter dixerim. Nam qui uidit, testimonium perhibuit, & scimus quia uerum est testimonium eius. Vidi, inquit, ciuitatem sanctam, Hierusalem nouam, descendentem de cœlo, à Deo paratam tanquam sponsam ornatam uiro suo. Isque è uigilibus unus qui custodiunt ciuitatem. Sed audi ipsum eius præparatorem ueluti digito eam demonstrantem uigilibus, sed sub tropo altero: Leuate oculos uestros, ait, & uidete regiones, quia albæ sunt iam, id est, præparatæ ad messem. Ex hoc paterfamiliâs operarios inuitat ad opus, quando iam senserit sic omnia præparata, ut absque multo sui ipsorum labore gloriari & dicere queant, Quoniam coadiutores Dei sumus. Quid enim facturi sunt? Nempe sponsam quæsituri, inuentæque indicaturi de dilecto. Non enim suam quærent, sed sponsi gloriam: quoniam sponsi amici sunt. Et pro hac non multùm apud illam laborabunt: adest, iamque illum tota deuotione requirit, in tantum præparata est uoluntas eius à Domino. Denique necdum illis uigilibus quicquam loquentibus, interrogat de dilecto, & præuenit prædicatores suos, præuenta ipsa, percunctans & dicens: Num quem diligit anima mea, uidistis? Bene proinde se inuentam perhibuit ab his qui custodiunt ciuitatem, quæ à Domino ciuitatis præcognitam iam se nouerat & præuentam, quatenus illi talem eam inuenirent, non facerent. Sic à Petro Cornelius, & Paulus ab Anania inuenti sunt: nam ambo præuenti à Domino erant, & præparati. Quid Saulo paratius, qui supplici iam & mente & uoce clamauerat: Domine, quid me uis facere? Nec minus Cornelius, qui eleemosynis & orationibus suis, Domino quidem eas sibi inspirante, promeruit peruenire ad fidem. Inuenit quoque Philippus Nathanaelem: sed prius Dominus illum, cum esset sub ficu, iam uiderat. Quæ Domini uisio, nun-

quid

quid non præparatio fuit? Et Andreas Simonem fratrem ſuum nihilominus inueniſſe refertur, ſed præuiſum æquè à Domino atque præſcitum, ut uocaretur Cephas, quaſi fortis in fide. Legimus de Maria, quòd inuenta fuerit in utero habens de Spiritu ſancto. Exiſtimo ſimile quid habere in hac parte ſponſam Domini matri ipſius. Niſi enim & ipſa inuenta eſſet habens de Spiritu ſancto, nequaquam ab inuentoribus ſuis tam familiariter requiſiſſet de eo, cuius ſpiritus eſt ille. Non ſuſtinuit ut illi effarentur ad quid ueniſſent, ipſa locuta eſt, & quidem ex abundantia cordis: Num quem diligit anima mea, uidiſtis? Sciebat quia beati oculi qui uidiſſent, & admirans eos qui uiderant, aiebat: Num uos eſtis quibus uidere donatum eſt, qué tot reges & Prophetæ uoluerunt uidere, & non uiderunt? Num uos eſtis qui meruiſtis in carne aſpicere ſapientiam, in corpore ueritatem, in homine Deum? Multi dicunt, Ecce hic eſt, & ecce illic: ſed ego tutius mihi arbitror fidem accommodare uobis, qui manducaſtis & bibiſtis cum eo poſtquam reſurrexit à mortuis. Et hoc dictum ſit de eo quod ſponſa ſciſcitata eſt à uigilibus. Si quo minus, ſupplebitur ſermone alio. Nunc autem ex hoc uel maximè liquet, præuentam fuiſſe à Spiritu ſancto: ab his uerò qui cuſtodiunt ciuitatem inuentam compertamque, quòd uerè ipſa ſit quam præſciuit & prædeſtinauit ante ſecula Deus, præparauitque dilecto filio ſuo delicias ſempiternas in ſeculis æternis, ut ſit ſancta & immaculata in conſpectu eius, germinans ſicut lilium, & florens in æternum ante Dominum patrem Domini mei I E S V Chriſti, ſponſi Eccleſiæ, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Ibidem. Et: Ab æterno propter prædeſtinationem, in æternum propter beatificationem. Altera carens principio, altera neſciens finem. Siquidem quos ab æterno prædeſtinat, in æternum beatificat, intercedente ſanè media uocatione unà cum iuſtificatione, duntaxat in adultis. Sic ad ortum Solis iuſticiæ, ſacramentum abſconditum à ſeculis de prædeſtinatis & beatificandis emergere quodammodo incipit ex abyſſo æternitatis, dum quiſque uocatus per timorem, iuſtificatus per amorem, præſumit ſe quoque eſſe de numero beatorum, ſciés nimimirum quia quos iuſtificauit, illos & magnificauit. Quid enim? Audit ſe uocari, cùm timore concutitur: ſentit & iuſtificari, cùm amore perfunditur, & de magnificatione diffidet? Initiatur, prouehitur, & de ſola conſummatione deſperabit? Nempe ſi initium ſapientiæ timor Domini, in quo dicta eſt eſſe noſtra uocatio, quid niſi prouectus in ſapientia eſt amor Dei: is duntaxat qui interim ex fide eſt, ex quo & noſtra fit iuſtificatio? Quid item niſi conſummatio in ſapientia eſt, ipſa quam in fine ſperamus, de diuina illa & deifica uiſione glorificatio? Epiſt. 107.

Petrus Lombardus: Prædeſtinauit enim Deus ab æterno homines, ad bona eligendo: & prædeſtinauit eis bona, præparando. Quòd homines prædeſtinauit, Apoſtolus oſtendit, dicens: Prædeſtinauit quos præſciuit fieri conformes imaginis filij ſui. Et alibi: Elegit nos ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati. Quòd autem bona eis præparauerit, Eſaias oſtendit, dicens: Oculus non uidit Deus abs te, quæ præparaſti diligentibus uel expectantibus te. Ergo ab ęterno prædeſtinauit quoſdam futuros bonos & beatos: id eſt, elegit ut eſſent boni & beati, & bona eis prædeſtinauit, id eſt, præparauit. libro primo, diſtinctione trigeſimaquinta. Item: Prædeſtinatio ſit gratiæ præparatio, id eſt, diuina electio, qua elegit quos uoluit, ante mundi cóſtitutionem, ut ait Apoſtolus. Ibidem diſtinctione quadrageſima. Et: Prædeſtinatio, præſcientia, potentia, unum in Deo eſt. Ibidem. Item: Cuius uult miſeretur Deus, & quem uult indurat: miſericordiam appellans prędeſtinationem, & pręcipuè prędeſtinationis effectum, id eſt, gratiæ appoſitionem: obdurationem uerò, gratiæ priuationem. Ibidem.

Iohannes Saliſberienſis inquit: Scientia exiſtentium, pręſcientia futurorum, diſpoſitio faciendorum, prouidentia gubernandorum, prædeſtinatio ſaluandorum eſt. libro ſecundo Policrat. capite uigeſimoprimo. Item: Eſt & prædeſtinatio, ab æterno gratiæ præparatio, per quam unuſquiſque uocatur ad uitam, ſicut Apoſtolus ait: Quos prædeſtinauit, hos & uocauit, hos & iuſtificauit, hos & glorificauit. Et alibi: Apud te eſt fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen. Vt ergo reuerenti quadam audacia ſcientia Dei, quæ finem neſcit, uel ſermone finem inueniat: Scientia Dei eſt oſtium, quæ ſunt, fuerunt, & futura ſunt, uera comprehenſio & plena noticia. Omnia ſiquidem uera nouit & ſola, nullamque dignatur agnoſcere falſitatem: eam tamen dijudicat & condemnat. Eſt ergo neceſſariò infinita, quæ uniuerſa uera complectitur, quorum utique non eſt numerus, & adeò infinitus, ut finem non inueniat, niſi in ſapientia Dei, quæ ſola ſeipſam quanta ſit nouit. Ibidem.

Item: Eius ergo prouidentia in sui dispositione non fallitur, quia semper eam sequela operis comitatur. Ibidem capite uigesimosecundo.

De causa prædestinationis inquit Lombardus: Si autem quærimus meritum obdurationis & misericordiæ, obdurationis meritum inuenimus, misericordiæ autem meritum non inuenimus: quia nullum est misericordiæ meritum, ne gratia euacuetur, si non gratis donetur, sed meritis reddatur. Miseretur itaque secundum gratiam, quæ gratis datur: obdurat autem secundum iudicium, quod meritis redditur. libro primo, distinctione quadragesimaprima.

De uocatione Rupertus ait: Quos præsciuit & prædestinauit: continuò subiecit, Cõformes fieri imaginis filij sui: & per humilitatem mortis eius uocati, siue ex dispersione in unum congregati, & iustificati & magnificati sunt. lib. octauo in Apoc. capite 13.

Bernhardus ait: Certissima sanè & præcipua propinquatio portus huius, hæc ipsa conuersatio eius in qua positi estis, exitus præparatio est, uocationis uidelicet & iustificationis diuinæ. In his nempe duobus fidelis quædam constituta est connexio, uelut cuiusdam æternitatis ad æternitatem, id est, magnificationis ad prædestinationem: quarum equidem sicut prædestinatio nullo est pręcisa principio, sic & magnificatio nihilominus nullo unquam fine claudenda. Serm. septimo de septimo uersu Psal. Qui habitat, &c. Item: Nam quos prædestinauit, hos & uocauit. Quis enim sanè, nisi uocatus, ad Dei accedit consilium? Quos autem uocauit, hos & iustificauit. Oritur quippe Sol, non is qui quotidie oriri cernitur super bonos & malos, sed qui timentibus Deum prophetica prænunciatione promittitur, solis ad consilium uocatis: Vobis, inquit, qui timetis Deum, orietur Sol iusticiæ. Epistol. 107.

De permissione inquit Rupertus: Quam ob causam Deus hoc fecerit, qui neq; diabolum, neque hominem quempiam absque præcedente peccato superbiæ excæcauit unquam aut indurauit. Igitur innocens & sancta præscientia Dei nullam malis hominum necessitatem importat, quomodo nec uisus meus ei quem ambulare uideo, ullam ambulandi necessitatem irrogat. libro 10 in Iohan. cap. 12. Item: Multa permittit fieri Deus, quæ non uult. Ibidem.

De obcæcatione ait Rupertus: Deus excæcauit oculos illorum, & indurauit cor, in tantum ut non solùm non crederent dictis eius & factis, sed insuper inflammarentur. libro decimo in Iohannem, capite duodecimo.

Prædestinatos non damnari. Lombardus: Prædestinatorum nullus uidetur posse damnari, nec reproborum aliquis posse saluari. libro primo, distinctione quadragesima. Item: Respondemus ex ea ratione dictum esse, & uerum esse, numerum electorum non posse augeri uel minui: quia non potest utrumque simul esse, scilicet ut aliquis saluetur, & non sit prędestinatus: uel ut aliquis prædestinatus sit, & damnetur. Ibidem.

De reprobatione Honorius ait: Reprobi autem propter electos sunt creati, ut per eos in uirtutibus exerceantur, & à uitijs corrigantur, & eorum calliditate gloriosiores appareant, & cum eos in tormentis uiderint, de sua euasione amplius gaudeát. Qui etiam propter seipsos iustè pereunt, cum malum sua sponte eligunt, diligunt, & uellent sine fine uiuere, ut possint sine fine peccare. Dialog. de Prædest. & libero arbitrio.

Lombardus: Reprobatio econuersò intelligenda est præscientia inquitatis quorundam, & præparatio damnationis eorundem. Sicut enim prædestinationis effectus illa gratia est, qua in præsenti iustificamur, atque ad rectè uiuendum, & in bono perseuerandum adiuuamur, & illa qua in futuro beatificamur: ita reprobatio Dei, qua ab æterno non eligendo quosdam reprobauit, secundum duo consideratur: quorum alterum præscit & non præparat, id est iniquitatem: alterum præscit & præparat, scilicet æternam pœnam. libro primo, distinctione quadragesima. Item: Sicut ergo prædestinatio Dei propriè est præscientia & pręparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur: ita reprobatio Dei est præscientia malitiæ in quibusdam non definiendæ, & præparatio pœnæ non terminandæ. Et sicut prædestinationis effectus est gratiæ appositio, ita reprobationis æternæ quodammodo effectus esse uidetur obduratio. Ibidem. Et: Non enim reprobatio ita est causa mali, sicut prædestinatio est causa boni: neque obduratio ita facit hominem malum, quéadmodum misericordia facit bonum. Ibid. distinct. 41.

De necessitate scribit Honorius: Hæc sententia partim ueritate solidatur, partim falsitate subruitur. Falsa est enim hac in parte: quæcunque homines mala fecerint, uel infortunia ob incuriam improuidè incurrerint,

currerint, ut hæc fierent, Deus non præstituit: sed futura præsciuit, & fieri iustè permisit. In reliquis stare poterit. Quicquid namque electis prosperi aduenerit, hoc Deus ab initio fieri præsciuit, & hoc ut non fieret, ineuitabile fuit. Quicquid uerò aduersi obuenerit, Deus utique hoc super eos uenire ob tres causas disposuit: primò, ut quidam à peccatis per aduersa corrigantur, ut Dauid: secundo, ut quidam tentati magis coronentur, ut Iob: tertiò, ut quidam à delectatione peccati retrahantur, ut Paulus: & hoc iterum ineuitabile est, ut non eueniat. Econtrà quicquid reprobis prosperi occurrerit, ut hoc fieret Deus non præstituit, sed futurum præsciuit, & fieri permisit. Aduersa autem quæ eos tangunt, Deus ob duas causas eis euenire disponit. Primò, ut electi per eorum plagas corrigantur: ut in exitio Chore legitur. Secundò, ut ipsi à malicia, ne tantum quantum uolunt, noceant, reprimantur, ut de Antiocho & Herode fertur: & hoc iterum ineuitabile est, non euenire. Omnia igitur quæ à Deo prædestinata sunt, ex necessitate ita contingunt. Quæ autem non præstituit, sed fienda præsciuit, ineuitabile est ut non fiant, dum praua mens quæ concipit, per liberum arbitrium agit. Hinc est quòd multis dies mortis uel aliud infortunium prænunciatur, & illud euadere est ineuitabile. Propheta namque filijs Heli exitium mortis prædixit, & tamen hoc euadere ineuitabile fuit. Scriptum namque est: Patrem suum non audierunt, quia Dominus uoluit occidere eos. Quare patrem suum non audierunt, nisi quòd malum euadere non potuerunt, quod meruerunt? Quid est, Dominus uoluit eos occidere: nisi mortem, ad quam eos præsciuit per liberum arbitrium uenturos, permisit subire? Hinc est quod Iulius Cæsar prædictam mortis diem nimia cura euadere uoluit, sed minimè ualuit. Dialog. de Prædestinatione & libero arbitrio.

De Iuda & Petro Honorius ait: Quia Petrus prædestinatus fuerat, Dominum uelle uendere nunquam mente conceperat, nec poterat. Iudas uerò, cum hæc facere per liberum arbitrium concepit, ut non fieret ineuitabile fuit: quia prædestinatus non extitit, præsertim cum hæc de eo Deus præsciuerit: quamuis præscientia eius non ad hæc eum compulerit, sed æterna eius ordinatio, ut totum dicam quod sentio, ad hoc ipsum constituerit. In Dialogo de prædestinatione & libero arbitrio. Item: Præsciuit & Iudam nasciturum, ipsumque per liberum arbitrium malum electurum, & per eandem malitiam eum filium suum traditurum. In hoc ipsum ergo Dominus eum constituit, dum eum nasci, & hæc per eum fieri permisit, quæ manus eius facere decreuit. Ibidem.

De Pharaone Honorius scribit: Qui dum per liberum arbitrium diabolo seruire per malitiam elegit, Deus eum iustè in ea indurari permisit, dum eum à malitia non eripuit: & ideo doctrinam Moysi audire non potuit, & signis à Deo flagellatus, disciplinam recipere noluit: & cum populus Dei afflictione esset tentandus, & aduersitate probandus, Deus Pharaonem in hoc ipsum, id est, ad tentandum populum, constituit, quem unum de malleis diaboli ad tundenda sua uasa elegit. Sicque Pharao nescius iustis quasi seruus filijs seruiuit, dum eos à uasis iræ segregans, flagellis erudiuit. Diabolus & impij malum quidem per se uolunt, sed absque Dei permissu nihil poterunt: & cum à Deo electis præualere permittuntur, in hoc ipsum con stituti dicuntur. Nomen autem Dei per Pharaonem omnibus innotuit, dum ipse in omnibus iustè perijt, & Deus ab eo oppressos, quasi uasa igne examinata, de fornace signis & prodigijs eripuit. Dial. de Prædest. & lib. arbit.

Iacob cur electus. Lombardus: Non ergo ideo electus est à Deo, quia talis futurus erat: sed ex tali electione talis est factus. libro 3. distinctione quadragesima prima.

De errore prædestinatorum sic ait Honorius: Quid nam causæ esse dicimus, quòd Deus permittit diu eos errare, quos prædestinauit secum perenniter regnare? MAG. Per hoc longanimitatem patientiæ suæ prorogat, quòd eos diutius in errore (ut Paulum) tolerat. Quòd uerò eos repentè ad pœnitentiam, ut item Paulum & Mariam, reuocat, diuitias misericordiæ suæ insinuat. Pro his in mundum uenit, pro his etiam mortem subijt: & quamuis pro peccatoribus mortuus sit, Annæ & Caiphæ, Herodi & Pilato mors eius non profuit, sed multùm obfuit: non idcirco solùm, quòd in morte Domini conspirauerant: sed ideo, quia bonum gratis odio habuerunt, & de prædestinatis non fuerant. In Dialogo de prædest. & libero arbitrio.

Dura de prædestinatione: Quicquid prędestinati faciunt, perire nequeunt, quia omnia cooperantur illis in bonum, & ipsa peccata. Nā post grauia facinora humilio-

res erunt, & de sua saluatione uberiores laudes Deo referunt. Dialogo de Prædestinatione & libero arbitrio.

DE IVSTIFICAtione & remißione peccatorum.

DE iusticia Christi inquit Rupertus: Homo negociator bonas margaritas quærens, qui tunc demum unam se inuenisse preciosam margaritam non uanè arbitratur, cum fidem uel iustitiam, quæ Christus est, inuenit in lege & Prophetis, per quos sine dubio locutus est Spiritus sanctus. In Prologo in Abacuc.

De iusticia fidei ait Rupertus: Iusticia fidei & spei reposita in promisione aduentus Christi, in qua credidit Abraham, & reputatum est illi ad iusticiam. libro primo Comment. in Abacuc, capite primo.

Neminem posse pro suis peccatis satis facere. Bernhardus: Peccata tua maxima sunt, & nimium multa. Nequaquam pro tot & tantis, nec si te excories, sufficies satisfacere. Complexio tenera est, uita extitit delicata, consuetudinē difficilè uinces. Serm. trigesimooctauo super Cantica.

Vnde. Petrus Alphonsus: Sicut per agnum illum de manu angeli qui occidebat corpora, seruati sunt fideles Domini: ita & per Christum credentes in se de diabolo, qui animas damnabat, erant redimendi. Titulo duodecimo, in Dialogo.

Berengosius ait: Voluntati & bonitati diuinæ (id est, Spiritui sancto) remisio peccatorum attribuitur: quia ex uoluntate & sapientia, quàm citò factum est, punire posset. libro tertio de Philosophia mundi.

Honorius inquit: Christus est uia ad uitam, pax, summa beatitudo. Ergo per Christum itur ad beatitudinem. Hanc uiam Iudæi non cognouerunt, dum per eum solum se saluari non crediderunt. Psal. decimotertio. Item: Omnes homines ante legem, sub lege & sub gratia per Christi natiuitatem saluari. In Speculo Ecclesiæ, sermone de natiuitate Domini.

Rupertus inquit: Christus, qui est ueritas, solus remisionem peccatorum dat, aquam signatam, sanguine emptam, Spiritu sancto effusam. libro primo Commentarior. capite primo. Et: Christus satisfaciens pro antiquo delicto præuaricationis Adę, Spiritum sanctum fecit procedere seu aduenire in remisionem peccatorum: quo modo nulli unquam datus fuerat ante passionis Christi salutare sacramentum. libro undecimo in Iohannem, capite decimoquinto. Et: Christus potestatem dimittendi peccata habet, peccata namque dimittendo mortem in credentibus claudit, infernum obstruit. libro primo in Apocalypsin, capite primo. Et: Filius arbiter & & efficiens causa est eiusdem sanctificationis. libro primo de glorificatione Trinitatis & process. Spiritus sancti, capite decimosexto. Item: Si Christus non transijsset ex hoc mundo, neque nobis, neque antiquioribus, neque uenturis post nos daretur Spiritus sanctus secundum hoc datum, quod est peccatorum remisio. libro primo de glorificatione Trinitatis. Et: Christus doctor iusticiæ nobis natus est ex Maria uirgine, qui iustificet & iustificari nos doceat, non ex operibus legis, sed ex fide. libro primo Commentarior. in Iohannem, capite secundo. Et: Spiritus sanctus omnium quæ circa salutem nostram acta uel agenda sunt, Dominus & arbiter, imò & efficiens causa est. libro secundo Commentarior. in Iohannem, capite primo. Et: Deus noster, Spiritus sanctus quem acceperunt, ignis consumens est: unde & congruum signum dedit, apparendo tanquam ignis: & proinde remissio peccatorum, quæ non est ex hominibus, sed ex Spiritu sancto. libro quinto Commentarior. in Zachariam, capite duodecimo. Et: Per gratiam sancti Spiritus accipimus remisionem peccatorum. libro quarto Commentarior. in Iohannem, capite tertio. Et: Remisio peccatorum primum & maximum Spiritus sancti donum. Libro decimoquarto, capite uigesimo in Iohannem. Et: Nam ne solam nobis fidem sufficere arbitremur, opportuna regula uiuendi, sine qua fides mortua est, hoc introitu (quasi modò geniti) prælibata est. Nam nos quidē signati sumus in eo quod ait: Beati qui uiderunt & crediderunt. sed si fidem nostram operibus sequamur: ille enim uerè credit, qui seruat operando quod credit. Quocirca de his qui fidem nominetenus retinent, Paulus dicit: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc & Iacobus dicit: Fides sine operibus mortua est. libro quinto de Diuinis officijs, capite decimoseptimo.

Bernhardus inquit: De remisione peccatorum ualidisimum teneo argumētum, Dominicam pasionem. Vox siquidem sanguinis eius inualuit multò plus, quàm

uox ſanguinis Abel, clamans in cordibus electorum, remiſsionem omnium peccatorum. Traditus eſt enim propter peccata noſtra: nec dubium, quin potentior & efficacior ſit mors illius in bonum, quàm peccata noſtra in malum. Sermone primo in annunciat. Mar. Et: Per hoc enim omne peccatum, tá originale quàm perſonale, deletum eſt, & ipſum quoque ſingulare eliminatum eſt per ſeipſum. Argumentum mihi eſt à maximo, quòd duo minora ſunt exploſa. Et ecce argumentum: Peccatum multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit ut non perirent. Et: Vbi ſalutem quæremus? Peccaui peccatum grande, quod ſanguine uitulorum uel hircorum deleri non poteſt: quia non holocauſtis delectatur Altiſsimus. Memoria mea infecta eſt fece huius amurcæ. Non eſt nouacula quæ membranam hanc radere poſsit: quia tota totam imbibit fecem. Si peccati mei oblitus fuero, ſtultus ſum & ingratus. Si in memoria mea permanet, arguet me in æternum. Quid igitur faciam? Ibo ad Iohannem, & audiam uocem lætitiæ, miſericordiæ uocem, ſermonem gratiæ, uerbum remiſsionis & pacis. Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et alibi: Qui habet ſponſam (inquit) ſponſus eſt. Oſtendit igitur, quia uenit Deus, quia ſponſus, quia agnus. Quia Deus, certum eſt quòd peccata remittere poſsit: ſed utrum uelit, adhuc in quæſtione eſt. Vult profectò, quia ſponſus eſt, quia amabilis eſt. Et Iohannes amicus ſponſi eſt, quia ſponſus niſi amicos habere non nouit. Et licet uelit glorioſam ſponſam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiuſmodi, non tamen quærit talem. Vbi enim illam inueniret? Sed talem potius ipſe facit, talem ſibi exhibet ipſe. Audi denique quid dicat per Prophetam? Vulgò dicitur, Nunquid mulier, ſi dormierit cum altero uiro, reuertetur ad uirum ſuum priorem? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, reuertere tamen ad me, & ego ſuſcipiam te. Ecce quòd poſsit, ecce quòd uelit. Sed tu fortaſsis timeas eam quam facere uenit delictorum purgationem, ne uſtione & ſciſsione oſſa & medullas oſsium collidat, ne dolorem inferat morte grauiorem. Audi, agnus eſt, in manſuetudine uenit cum lana & lacte, ſolo uerbo iuſtificans impium. Quid enim (iuxta Comicum) facilius dictu? Tantùm (inquit) dic uerbo, & ſanabitur puer meus. Sermone de natiuitateo Ihannis Baptiſtæ. Et: Nemo enim cæterorum omnium mundus à ſorde: nec infans, cuius eſt uita unius diei ſuper terram. Itaque ſolus intrabit, qui ſolus agnus eſt ſine macula, ſolus argui non potuit de peccato, quod non ab eo factum eſt, nec in eo inuentum. Solus planè ſummus pōtifex meus nec in patre, nec in matre contaminatus eſt, ut Lex dicit: patrem quippe, ſed Deum: matrem quoque, ſed uirginem habens. Vnde & ſolus ingreditur ſancta ſanctorum, & nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Quid ergo nos? Ita'ne continuò deſperabimus? Imò uerò ſperabimus, & hinc maximè. Licet enim ſolus, ſed profectò totus intrabit, & os non comminuetur ex eo: non ſine membris caput inuenitur in regno, ſi tamen membra fuerint conformia ſibi, & cohærentia capiti ſuo. Conformia ſanè moribus, cohærentia fide. Habet enim conformitatem quantum poteſt: habet & cohærentiam ipſa etiam minor ætas, dum & ſimilitudini mortis eius merſione illa triplici complantatur, & fidem in inuolucro quodam recipit, quòd necdum capax ſit euolutæ. Benignus eſt nimirum Spiritus ſapientiæ, & quem traducta culpa ligauerat, indulta iuſticia ſoluit. Sermone de ſex tribulat. Et: Denique ego quod in me delinquitur, ualeo, ſi uolo, donare, & Deus non queat in ſe commiſſa remittere? Si ergo peccata remittere & poſsit omnipotens, & ſolus poſsit, cui ſoli peccatur: beatus profectò cui non imputabit ipſe peccatum. Itaque cognouimus quòd peccata Chriſtus diuinitatis ſuæ potentia ualuit relaxare. Porrò iam de uoluntate quis dubitet? Qui enim noſtram & induit carnem, & ſubijt mortem, putas ſuam nobis negabit iuſticiam? Voluntariè incarnatus, uoluntariè paſſus, uoluntariè crucifixus, ſolam à nobis retinebit iuſticiam? Quod ergo ex deitate conſtat illum potuiſſe, ex humanitate innotuit & uoluiſſe. Ad milites Templi capite undecimo. Et: Chriſtus igitur & peccata dimittere potuit, cum ſit Deus: & mori, cum ſit homo: & mortis moriendo ſoluere debitum, quia iuſtus: & omnibus unus ad iuſticiam uitamque ſufficere, quandoquidem & peccatum & mors ex uno in omnes proceſſerit. Ibidem. Et: Dimittuntur tibi peccata tua. Murmuret phariſæus, & dicat: Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Mihi enim, qui id loquitur, Deus eſt. capite uigeſimotertio de Conuerſione ad clericos. Et: Duo ergo illa ſunt, modus & fructus. Et modus quidem Dei exinanitio eſt, fructus uerò noſtri de

illo repletio. Hoc meditari, sanctæ spei seminarium est, illud summi amoris incentiuum. Sermone undecimo super Cantica. Et: Sic tactus à peccatrice iustus iusticiam impertit, non perdit, nec sorde peccati qua illam mundat, se inquinat. Ibidem sermone uigesimotertio. Item: Vnus est enim uitæ autor, unus mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS, qui dicit sponsæ suæ: Salus tua ego sum. Ibidem sermone quadragesimooctauo. Et: Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Non dicit morbos corporis, non molestias carnis: sed peccatum, quod est morbus animæ, & corruptio mentis. Ecce qui tollit peccata mundi. Vnde? utique à manu, ab oculo, à collo, demum etiam à carne ipsa, cui altius infixum est. Tollit peccatum è manibus, commissa peccata delens: tollit ab occulo, purgans cordis intentionem, uiolentam remouens dominationem, sicut scriptum est: Sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Itemque computrescet iugum à facie olei. Et Apostolus loquitur, dicens: Vt non regnet peccatum in uestro corpore mortali. Sermone sexto de aduentu Dom.

Petrus Cluniacensis ait: Quòd si & secundum uos, & secundum Apostolum omnes in Adam condemnantur, omnes moriuntur, secundum eundem Apostolum omnes in Christo iustificantur, omnes uiuificantur. Nam uerum est quod dixit: Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iusticiam in omnes homines in iustificationem uitæ. Et uerum est quod dixit: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. libro primo. Et: Sic morte ipsius totius mundi peccata tolluntur. Ibidem. Et: Misertus tandem Deus essentiali bonitate sua perditi hominis, & eum saluare uolens, sed nisi iustè nec uolens nec ualens, dum in æterno consilio suo quæreret qualiter misero, salua iusticia, misereri ualeret: hoc potissimùm occurrit, quo & iusticia seruaretur, & homo liberaretur, & gratia augeretur, & Deus glorificaretur. Misit itaque Deus filium suum ad filios hominum, ut humanam naturam induens, & humanis uicijs medens, in carne assumpta, non peccatum, sed pœnam peccati, mortem scilicet corporalem susciperet, & ita simplici sua, illius duplam: horaria sua, illius sempiternam excluderet. In qua dispensatione misericordia misereretur, iusticiæ nihil detraheretur: dum pro æterno supplicio hominis, temporale supplicium Dei & hominis: pro æterna morte hominis, temporalis mors Dei & hominis ei offerretur. Quæ tanti ponderis in ipsa ipsius iusticiæ lance esse cognoscitur, ut ad iustè ordinanda mundi peccata longè tamen præponderet mors transitoria filij Dei, quàm æterna filiorum hominum. Plus planè redditum est iusticiæ quando Christus mortuus est, quàm sit recompensatum quando homo damnatus est. Ibidem.

Richardus inquit: Diuisit inter se summa illa personarum Trinitas, unus Deus, negocium salutis humanæ, ut unam eandemque hominis culpam pater puniret, filius expiaret, Spiritus sanctus ignosceret. Ad maiorem igitur lapsi hominis gloriam, ut possit resurgere per iusticiam, pater satisfactionem exigit, filius exoluit, Spiritus sanctus se medium interponit. Hæc uia, hæc porta salutis: hic summus, hic singularis humanæ restaurationis modus. de Emanuele capite undecimo.

Petrus Blesensis inquit: Cum enim homo perdidisset propter inobedientiam paradisum, & infernales miserias perpetuas meruisset, missus est à patre filius, dignumque fuit ut mitteretur filius, & non pater. Cum enim à nullo esset pater, filius erat ab aliquo, eratque conuenientius ut haberet in tempore matrem, qui ab æterno habuerat & patrem. Cum enim scriptum esset in Psalmo Dauid, Non est qui redimat, &c. non est qui det placationem pro sua anima, nedum pro aliena: missus est à Deo patre filius, ut homo pro homine moreretur, & pro homine captiuo tributum tanquam homo exolueret, eumque tanquam Deus cœlesti portione redimeret. Huius aduentum desiderauerant Patriarchæ, prædixerant Prophetæ, atque illius dilationem impatientius ferentes, querela continuata dicebant: Quando ueniet? Epistola octuagesimatertia.

Hildebertus inquit: Pro reo Christus Deus cruci traditus est & morti. Epist. trigesima.

Materia. Petrus Alphonsus: Sicut sanguis illius agni de morte corporis custodiuit fideles Domini, ita & fideles suos de interitu animæ sanguis IESV Christi redemit. Tit. 12.

Hugo de S. Victore ait: Sancta Ecclesia ut saluaretur, passionem Christi ore confitetur,

tetur, quam corde credit. Libro quarto Allegor. cap. 3.

Rupertus ait: Filius unigenitus patris, plenus gratiæ & ueritatis, per suum sanguinem aditum aperiendo Deum hominibus manifestauit. libro primo in Iohannem, capite primo. Et: Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundet conscientiam eorum ab operibus mortis ad seruiendum Deo uiuenti. Libro duodecimo, capite decimoseptimo. Et: Incarnatione, natiuitate, passione, resurrectione & ascensione eiusdem Domini nostri IESV Christi saluamur. capite sexto, libro sexto in Iohannem. Et: Verè enim nisi Christus dilectos suos lauisset à peccatis eorum in sanguine suo, nec Petrus, nec quisquam cæterorum hominum partem habuisset cum illo. Ibidem libro undecimo, capite decimotertio. Item: Illo sanguine manante ex latere Christi redemit nos, illa aqua nos à peccatis nostris lauit. In Apocalyp. capite primo. Et: Optimè & cum hoc Apostoli testimonio (Roman. quinto: Et non sicut per unum peccatum, ita & donum) & cum Euangelicæ ueritatis doctrina, certum tenet fides catholica, quia non solùm originale, sed & cuncta simul actualia nobis per passionem Christi filij Dei remittuntur peccata. Libro primo in Leuit. capite decimoseptimo. Et: Per Christi passionem nos saluari credimus. libro quarto in libros Regum, capite quinto. Et: Passio & resurrectio Christi salutis nostræ summa est, in qua fidei fundamentum consistit. Libro quarto in librum Psalmorum, super Psalmum decimumseptimum.

Hildebertus ait: Oro uos, orate pro me, curam agere de me, compassione esse iuxta me. Nam de redemptione nihil ago. Semel Christi sanguine redemptus sum: iterum redimi non quæro. Sanguis ille redemptio mea, sanguis ille precium meum. Indignum est, ut sub precio redimar, cuius precium sine precio est. Præterea infamis est redemptio, qua libertas perit Ecclesiæ, qua seruitus comparatur. Epistola tertia.

Bernhardus inquit: Hæ diuitiæ salutis, & gloria, sanguis preciosus, quo redempti sumus, & crux Dominica, in qua cum Apostolo gloriamur. Mihi, inquit, absit gloriari, nisi in cruce Domini mei IESV Christi. Et dicebat: Nihil arbitratus sum me scire inter uos, nisi Christum IESVM, & hunc crucifixum. Ipsa est læua Christus IESVS, & hic crucifixus: nam dextera quidem Christus IESVS, & hic gloriosus. Christum, inquit, IESVM, & hunc crucifixum. Sermone quarto in uigilia natalis Domini. Item: In modo quoque, quem (si recolitis) Dei esse exinanitionem diffiniuimus, tria item præcipuè uobis intuenda commendo. Non enim simplex aut modica illa exinanitio fuit, sed semetipsum exinaniuit usque ad carnem, ad mortem, ad crucem. Quis dignè penset quantæ fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis, Dominum maiestatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Sed dicet aliquis: Non ualuit opus suum reparare creator absque ista difficultate? Valuit, sed maluit cum iniuria sui, ne pessimum atque odiosissimum uicium ingratitudinis occasionem ultrà reperiret in homine. Sanè multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus esse deuotum fecerat conditionis facilitas. Sermone undecimo super Cantica. Item: Memento iam te etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At uerò per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terræ. O quantum laborauit sustinens carnis necessitates, hostis tentationes. Non'ne sibi crucis aggrauauit ignominia, mortis cumulauit horrore? Ibidem. Et: At uerò iusticiæ tuæ tanta ubique fragrantia spargitur, ut non solùm iustus, sed etiam ipsa dicaris iusticia, & iusticia iustificans. Tam ualidus denique es ad iustificandum, quàm multus ad ignoscendum. Ibidem serm. 22.

Christi iusticia saluamur. Bernhardus: Sed unde rursum confidimus, quòd mortem abstulit? hinc planè, quòd eam ipse qui non meruit, pertulit. Qua enim ratione iterum exigeretur à nobis, quod pro nobis ille iam soluit? Qui peccati meritum tulit, suam nobis donando iusticiam: ipse mortis debitum soluit, & reddidit uitam. Sic namque mortua morte reuertitur uita, quemadmodum ablato peccato redit iusticia. Porrò mors in Christi morte fugatur, & Christi nobis iusticia imputatur. Verùm quomodo mori potuit qui Deus erat? Quoniam nimirum & homo erat. Sed quo pacto mors hominis illius pro altero ualuit? Quia & iustus erat. Profectò namque cum homo esset, potuit mori: cum iustus, non debuit gratis. Non quidem peccator mortis sufficit soluere debitũ pro altero peccatore, cum quisq; moriatur pro se. Qui autem mori pro se non habet, nunquid pro alio frustra debet?

Quanto sanè indignius moritur qui mortem non meruerit, tanto is iustius pro quo moritur, uiuit. Sed quæ, inquis, iusticia est ut innocens moriatur pro impio? Non est iusticia, sed misericordia. Si iusticia esset, iam non gratis, sed ex debito moreretur: si ex debito, ipse quidem moreretur, sed is pro quo moreretur, non uiueret. At uerò si iusticia non est, non tamen contra iusticiam est. Alioquin & iustus & misericors simul esse non posset. Sed etsi iustus non iniustè pro peccatore satisfacere ualeat, quo tamen pacto etiam unus pro pluribus? Etenim satis esse uideretur ad iusticiam, si unus uni moriens uitam restituat. Hinc iam respondeat Apostolus: Sicut enim, inquit, per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iusticiam in omnes homines in iustificationem uitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius hominis obedientiam iusti constituuntur multi. Sed fortè unus pluribus iusticiam quidem restituere potuit, uitam non potuit. Per unum, ait, hominem mors, & per unum hominem uita. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Quid enim? Vnus peccauit, & omnes tenentur rei: & unius innocentia soli reputabitur uni? Vnius peccatum omnibus operatum est mortem, & unius iusticia uni uitam restituet? capite undecimo ad milites Templi. Item: Finis legis Christus, ad iusticiam omni credenti. Denique qui factus est nobis, inquit, iusticia à Deo patre. Quæ ergo mihi iusticia facta est, mea non est. Si mea traducta culpa, cur non & mea indulta iusticia? Et sanè mihi tutior donata, quàm innata. Nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum. Illa autem cum sit salutis efficax, materiam non habet gloriandi nisi in Domino. Nam & si iustus fuero, inquit, non leuabo caput: ne uidelicet responsum accipiat, Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Epistola centesima nonagesima.

Petrus Cluniacensis ait: Habet ergo iusticia quicquid suum est, quia Dei filius pro peccatis hominum mortuus est. Ita iusticia, quæ diu saluti humanæ obstiterat, tandem misericordiæ cessit: & quæ per aliquot millia annorum diuerso itinere incesserant, misericordia & ueritas in uia, quæ Christus est, obuiauerunt sibi: & quæ uelut sibi aduersæ fuerant homine condemnato, eo iam saluato, iusticia & pax se osculatæ sunt. Sic iuxta Iohannem Baptistam, agnus Dei tulit peccata mundi: sic iuxta Petrum apostolum, peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, iusticiæ uiuamus, cuius, iuxta prophetam Esaiam, liuore sanati sumus. Hoc est nostrum sacrificium, hoc legis Euangelicæ, hoc noui Testamenti, hoc noui populi holocaustum, quod tunc semel in cruce à Dei & hominis filio, Deo oblatum est. libro primo. Item: In Adam omnes mortuos, in Christo omnes uiuificatos. Ibidem. Et: Non habent ergo iusticiam paruuli, nisi in Christo iustificentur: neque uitam, nisi in Christo uiuificentur. Sed si sacramentis à Christo institutis, eis subuentum fuerit, iniusti non remanent: quia secundum præmissas authoritates, per unum Christum omnes homines iustificantur: neque mortui perseuerant, quia in Christo omnes uiuificantur. Ibidem. Item: Nec ipsi etiam omnes punientur, quia mutatis quidem affectibus ad Christum conuersi, iusticia eius à culpa mundati, & morte eius, quam ipsi intulerant, sunt à morte erepti. Ibidem.

Causa impulsiua seu propter quam. Honorius: Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim. Nomen Domini est IESVS saluator. Non est enim aliud nomen datum hominibus sub cœlo, in quo oporteat saluari, nisi hoc nomen: id est, propter sacrificium IESV propitiaberis peccato meo originali & actuali. Multum est enim in omnibus membris meis, sed maior est propitiatio illius sacrificij. In Psalm. uigesimumquartum.

Rupertus ait: Antequam ueniret per corporalem præsentiam, de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam: & eo per carnem apparente, pro eadem gratia accepimus gratiam adiuuantem Euangelij. libro primo Commentariorum in Iohannem, capite primo. Et: Sumus abluti, sanctificati, iustificati in nomine Domini nostri IESV Christi, & Spiritu Dei. Ibidem lib. 7. cap. 7.

Bernhardus ait: Christus enim pro salute mundi semel factus est hostia salutaris, rei reconciliatio generalis, omnibus sacramentis tam præcedentibus quàm subsequentibus uirtutem dedit & efficaciam, ut tanta & tali hostia sanctificarentur omnes liberandi per illam. Vnde legitur, quia agnus occisus est ab initio seculi, ijs uidelicet qui fuerunt ab initio: ita

ita ut per hoc quod dicitur Ab initio, determines non tempus occisionis, sed salutis. Prius enim mors eius profuit, quàm fuit. Prius promissio, ac deinde exhibitio. Ab initio ergo seculi occisus est. Sermone de Cœna Domini. Et: Et bonitas quidem in Deo erat, & bonitas multa nimis: sed latebat in corde patris, cumulanda quandoque super genus filiorum Adam, tempore opportuno. Dicebat tamen Dominus, Ego cogito cogitationes pacis: ut mitteret nobis illum qui est pax nostra, qui fecit utraque unum, ut iam daret pacem supra pacem, pacem his qui longè, & pacem his qui propè. Verbum igitur Dei in sublimi constitutum, ut ad nos descenderet, propria benignitas inuitauit, misericordia traxit: ueritas, qua se promiserat uenturum, compulit: puritas uteri uirginalis suscepit, salua uirginis integritate: potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armauit, charitas uerbis & miraculis manifestauit. Sermone 2 in die Pentecost.

Petrus Cluniacensis ait: Non quòd cruci, quantum ad crucem pertinet, aliud quàm cruciatum inesse intelligam: sed quia cruciatu crucis mihi salutem, ignominia crucis gloriam, morte crucis uitam mihi à Christo datam agnosco. libro primo. Item: Soluit quidem & plenè tollit peccata mundi agnus Dei in cruce immolatus. Ibidem.

De misericordia in genere inquit Bernhardus: Si dici potest, plusquam gratuitæ miserationi, quæ beneficijs obruit non modò immeritos, sed nimium malè meritos & ingratos. Sermon. 2 de inquirendo Domino.

Misericordia homines saluari. Hugo de S. Victore: Recordemur misericordiarum Dei, qui nunquam peccatis nostris, quo minus misereatur, uinci potuit, oblitos sui de se admonuit. libro de Conscientijs.

Rupertus ait: Iusticia sempiterna peccatorem eiectum euestigiò subsecuta est inexhausta misericordia, nec antè reuocare desistit, donec in filijs hominum fidem inueniret, & humilitatis uoces sibimet respondentes audiret. Libro sexto, capite 6 in Iohan.

Bernhardus ait: Quia ergo nemo mundus à sorde, necessarius est omnibus fons misericordiæ, & pari uoto debent ad hunc fontem Noe, Daniel & Iob properare. Sermone primo in natali Domini. Et: Quid enim sic instruit fidem, spem roborat, charitatem accendit, quomodo humanitas Dei? Sermone primo in Epiphania Domini. Item: Immensus est enim Deus, & infinitus in iusticia, sicut & in misericordia. Multus ad ignoscendum, multus ad ulciscendum. Sed misericordia quidem priora sibi uendicat, ut si uoluerimus, districtio inuenire non possit in quem sæuiat. Propter hoc enim benignitatem prærogauit, ut per eam reconciliati, seueritatem uideamus securi. Propterea uoluit non solùm ad terras descendere, sed etiam innotescere: non solùm nasci, sed & agnosci. Ibidem. Et: Misericorditer etiam saluas peccatores. Sermone tertio in Annunciatione beatæ Mariæ. Et: Ibo mihi ad montem gratiæ, & colles miserationum, quarum thesauros omnes repositos audio penes Christum. Ibo ad eum qui est plenus gratiæ & ueritatis, si fortè accipiam aliquid de plenitudine illa, imò si fortè accipiar in plenitudine illa, ut cum cæteris aliquando membris occurram in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sermone in festo S. Martini. Et: Sicut sunt peccata minima, sunt mediocria, sunt & magna: sic est misericordia parua, mediocris & magna. Magnus ergo peccator magna misericordia opus habet, ut ubi abundauit delictum, superabundet & gratia. Paruam misericordiam dico expectationem, qua non statim punit peccantem, sed expectat ad pœnitentiam. Paruam autem non in se, sed ad comparationem aliarum. Alioquin magna planè, magna omnino misericordia, expectatio Domini est. Nam peccantem angelum omnino non expectauit, sed præcipitauit: hominem quoque peccantem non distulit, sed protinus expulit de paradiso. Nunc iam expectat, dissimulat, sustinet decem annis, uiginti, usque ad senectutem & senium. Et si consideremus, quanta & quàm plurima peccata quotidie fiunt, non'ne leuis reputamus illa, quæ tam continuò damnationis excepêre sententiam? Nihil proinde mirum, si ipsius quoque Prophetæ penè moti sunt pedes, penè gressus effusi, quoniam zelabat super iniquos, pacem peccatorum uidens: si peccatores ipsi dicunt, Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso? Sed hæc est gratia crucis Christi, & uirtus. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis conuertatur, & uiuat. Quantum uerò mihi uidetur, uox Christi resurgentis est ista: ac si dicat, Velit nolit Iudæus, uiuo ego. Nolo mortem peccatoris, qui mori uolui pro peccatoribus. Volo te

mors mea sit fructuosa, & copiosa per eam redemptio. Hanc ergo misericordiam Domini, qua tardat ferire, paratus ignoscere, paruam non quidem in seipsa, sed aliarum comparatione nominaui: quia hæc si quidem sola fuerit, nullatenus sufficit ad salutem, imò uerò iudicium damnationis accumulat, ut dicatur: Hæc fecisti, & tacui. Apostolum proinde audiamus more suo terribiliter intonantem: An diuitias bonitatis eius, inquit, (haud dubium quin Dei) & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ. Thesaurizas, inquit, tibi thesauros iræ, pro prærogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis, & euacuas in te misericordiam Dei. Sed secundum quid? Secundum duritiam tuam, ait, & cor impœnitens. Quis autem scindet duritiam istam, nisi qui passione sua petras scidit? Quis dabit cor pœnitens, nisi à quo est omne datum optimum? Hæc est secunda misericordia, omnino maior priore, quæ facit ne prima sit infructuosa, & conuertatur in damnationem mortis, dando scilicet pœnitentiam, sine qua expectatio non modò non prodest, sed obest plurimùm. Et hæc quidem in leuibus peccatis potest sufficere, quoniam in his à quibus abstinere non possumus, dum gestamus corpus peccati, ad salutem sufficere potest pœnitentia quotidiana. At in grauioribus quidem, & quæ peccata ad mortem sunt, opus est non modò pœnitentia, uerumetiam continentia. Difficilis prorsus res, & soli diuinæ uirtuti possibilis, susceptum semel peccati iugum à ceruicibus excutere: quoniam qui facit peccatum, seruus est peccati, nec est iam liberari, nisi in manu forti. Hæc est magna misericordia, magnis necessaria peccatoribus, de qua dicitur: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum, &c. Sermone de triplici miser. Dei. Et: Non miseria, sed misericordia facit beatum. capite decimo de Conuersione ad cleric. Et: Huius indulgentia delet peccatum, non quidem ut à memoria excidat, sed quod prius inesse pariter & inficere consueuisset, sic decætero insit memoriæ, ut eam nullatenus decoloret. Multorum enim nunc peccatorum, quæ uel à nobis, uel ab alijs commissa nouimus, recordamur: sed propria quidem inquinant, aliena non nocent. Vt quid hoc, nisi quòd in his erubescimus singulariter, hæc nobis singulariter imputanda ueremur? Tolle damnationem, tolle timorem, tolle confusionem, quæ quidem omnia planè plena remissio tollit, & non modò non oberunt, sed etiam cooperabuntur in bonum, ut deuotas ei referamus gratias qui remisit. Ibidem capite uigesimotertio. Et: At uerò cogitantem quòd patrem offenderim, est certè quod pudeat, etsi non quod terreat. Voluntariè genuit me uerbo ueritatis, non stimulo carnalis cupiditatis excussit, quemadmodum genitor carnis meæ. Deinde etiam non pepercit unigenito pro sic genito. Ita ipse quidem patrem se exhibuit mihi, sed non ego me illi uicissim filium. Sermone decimosexto super Cantica. Et: Porrò impassibilis est Deus, sed non incompassibilis, cui proprium est misereri semper & parcere. Ergo & te necesse est misericordem esse, qui inhæres misericordi. Ibidem sermone uigesimosexto. Et: Foderunt manus eius, & pedes, latusque lancea forauerunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo: id est, gustare & uidere quoniam suauis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego nesciebam. Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? At clauis reserans clauus penetrans factus est mihi, ut uideam uoluntatem Domini. Quidni uideam per foramen? Clamat clauus, clamat uulnus, quòd uerè Deus sit in Christo, mundum reconcilians sibi. Ferrum pertransijt animam eius, & appropinquauit ad cor illius, ut non iam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent uiscera misericordiæ Dei nostri, in quibus uisitauit nos Oriens ex alto. Quidni uiscera per uulnera pateant? In quo enim clarius, quàm in uulneribus tuis eluxisset, quòd tu Domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ? Maiorem enim miserationem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro addictis morti, & damnatis. Meum proinde meritum, miseratio Domini. Non planè sum meriti inops, quandiu ille miserationum non fuerit. Quòd si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominus ego in meritis sum. Quid enim, si multorum sim mihi conscius delictorum? Nempe ubi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Et si misericordiæ Domini ab æterno & usque in æternum, ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo. Nunquid iusticias meas? Domine, memorabor iusticiæ

iuſticiæ tuæ ſolius: ipſa eſt enim & mea. Nempe factus es mihi tu iuſticia à Deo. Nunquid mihi uerendum, ne non una ambobus ſufficiat? Non eſt pallium breue, quod ſecundum Prophetam non poſsit operire duos. Iuſticia tua iuſticia in æternum. Quid longius æternitate? Et te pariter & me operiet largiter larga & æterna iuſticia. Et in me quidem operit multitudinem peccatorum: in te autem, Domine, quid niſi pietatis theſauros, diuitias bonitatis? Hæ in foraminibus petræ repoſitæ mihi. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ in illis, opertæ quidem, ſed in his qui pereunt. Vt quid enim ſanctum detur canibus, uel margaritæ porcis? Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum, etiam & apertis foraminibus introduxit in ſancta, quanta in his multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioque uirtutum. Sermone ſexageſimoprimo ſuper Cantica. Et: Propter hoc nempe non pater Verbi tantùm, ſed & pater miſericordiarũ eſt appellatus, quòd innatum habeat ſemper miſereri & parcere. Ibidem ſermone ſexageſimonono. Et: Opus itaque habent & ſancti pro peccatis exorare, ut de miſericordia ſalui fiant, propriæ iuſticiæ non fidentes. Omnes enim peccauerunt, & egent miſericordia Dei. Vt ergo cum iratus fuerit, miſericordiæ recordetur, rogatur ab iſta apparere in miſericordiæ habitu illo, de quo Apoſtolus: Et habitu, inquit, inuentus eſt homo. Neceſſariè quidem. Ibidem ſermone ſeptuageſimotertio.

Petrus Bleſenſis inquit: Terribilis eſt Dominus in iudicijs ſuis, ſed in miſerationibus magnus & laudabilis nimis. Nam miſerationes eius ſuper omnes operationes eius. Epiſtola quinquageſima. Item: Ideoq; ſanctorum teſtimonio ſanctius eſt, ut pro exuberanti miſericordia quàm pro exacto rigore iuſticiæ iudicemur. Epiſtola quadrageſimaquarta.

Hildebertus ait: Sed dicis mihi, Idem (ſcilicet Deus) offenſus clementem ſe promittit, punire prætermittit: pœnitẽtem admittit, minas remittit: debita remittit, ampliora committit. Ita eſt, inquit, confiteor, miſericordia Domini plena eſt terra. Epiſtola 15.

De ſeptẽ miſericordijs Dei inquit Bernhardus: Septem ergo in me uideo miſericordias Domini, quas & uos ipſi credo facilè inuenietis in uobis. Prima eſt, quòd à multis peccatis adhuc in ſeculo poſitum cuſtodiuit: prima inquam, non inter omnes quas mihi impẽdit, ſed prima inter has ſeptem. Quis enim non uideat, quòd ſicut in multis cecidi, ſic & in alia poteram cecidiſſe peccata, niſi omnipotentis pietas conſeruaſſet? Fateor & fatebor, niſi quia Dominus adiuuit me, paulominus cecidiſſet in omne peccatum anima mea. Et hæc quanta dignatio pietatis, quòd ingratum & paruipendentem ſic gratia conſeruabat, quòd in multis contrarium & contemnẽtem, nihilominus ab alijs benigniſſimè protegebat? At ſecunda miſeratio tua ſuper me Domine, quónam poterit explicari ſermone, quàm benigna, quàm liberalis, quamque gratuita fuerit? Ego peccabam, & tu diſsimulabas. Non continebam à ſceleribus, & tu à uerberibus abſtinebas. Prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, & tu Domine pietatem tuam. Sed quid prodeſſet expectatio, niſi ſequeretur plenitudo? Cumulus eſſet damnationis, dicente Domino: Hæc feciſti, & tacui. Tertia proinde miſeratio fuit, quòd uiſitauit cor meum, & immutauit, ut amara fierent, quæ malè dulcia prius erant: qui lætabar cum malefacerem, & exultabam in rebus peſsimis, inciperem demum recogitare ei annos meos in amaritudine animæ meæ. Et nunc Domine commouiſti terram cordis mei, & conturbaſti eam: ſana contritiones eius, quia commota eſt. Multi enim pœnitentia ducti ſunt, ſed infructuoſa: quoniam pœnitentia eorum reprobata eſt, ſicut & prior culpa. Itaque & hæc miſeratio quarta fuit, quòd pœnitentem miſericorditer ſuſcepiſti, ut in eorum numero inuenirer, de quibus Pſalmiſta: Beati, inquit, quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Sequitur miſericordia quinta, per quam mihi continendi deinceps & emendatius uiuendi prſtitiſti uirtutem, ne recidiuũ paterer, & eſſet nouiſsimus error peior priore. Omnino enim manifeſtè tuæ eſt (Domine Deus) & non humanæ uirtutis, ſuſceptum ſemel peccati iugum à ceruicibus excutere: quoniam omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, nec eſt liberari niſi in manu forti. Iam uerò poſtquam in his quinque miſerationibus à malo liberaueris, ut fiat quod ſcriptum eſt, Declina à malo, & fac bonum: in duabus alijs bona largiris. Hæ duæ ſunt, gratia promerendi, quia uidelicet munus bonæ conuerſationis indulges: & ſpes obtinendi, qua donas homini indigno & peccatori de tua toties experta bonitate uſque ad cœleſtia ſperanda præſumere. Sermone ſecundo in Euang. 7 panum.

Miſericordiam Dei eſſe obuiam. Bernhardus: In medio enim templi miſericordia eſt, non in angulo, aut diuerſorio: quia non

non est acceptio personarum apud Deum. In communi posita est, offertur omnib. & nemo illius expers, nisi qui renuit. Serm. 1 de purificat. B. Mariæ.

Quomodo misericordia suscipiatur. Bernhardus: In corde suscipitur misericordia, in corde habitat Christus, in corde loquitur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Sermone primo de purificatione, beatæ Mariæ.

Gratia & gratis homines saluari. Honorius: Fideles sunt misericordia tua, id est, non eorum merito, sed tua gratia saluati. In Psalm. quintum. Item: Saluum me fac propter misericordiam tuam, non propter meritũ meum. In Psalmum sextum. Item: Regnum cœlorum non secundum merita, sed secundum gratiam datur. Quid enim meretur homo nisi malum? uel pro quo merito expectat quis à Deo præmium? In Dialogo de Prædestinatione & libero arbitrio.

Rupertus ait: Populus Christi accipit ab illo gratiam, id est, legis & Prophetarum scientiam, per quam haberet ueri Dei noticiam, gratis sibi datam, ac deinde gratiam pro eadem gratia: id est, ueritatem pro figura, rem pro umbra, spiritum pro litera. Item: Per mortem filij sui, scilicet eiusdem IESV Christi, reconciliati sumus Deo, cum essemus inimici ac natura filij iræ Dei, sicuti ipsi Iudæi & cæteri. Libro primo Commentar. in Iohann. capite primo. Et: Spiritus sancti gratia uera & sola peccatorum remissio est. Ibidem libro secundo, capite primo. Et: Accepimus gratiam pro gratia, scilicet gratiam æternę salutis pro gratia fidei præsentis, ad quam nos gratis, id est, nullis nostris præcedentibus meritis, per prædicatores suos ipse uocauit, & gratuita peccatorum remissione iustificauit. Ibidem libro primo, capite primo. Item: Per solam gratiam ad regnum cœlorum ducimur, quod nullis operum nostrorum meritis comparare possumus. Ibid. Et: Gratia gratis data est beatis angelis, gratis nihilominus data fuit primis parentibus humani generis, gratis omnino, id est, per solam Christi gratiam redditur nobis, quicunque per ipsum nunc reconciliationem accipimus. Ibidem. Et: Nullo iustior sum, nisi per gratiam Dei, nisi per gratuitã misericordiam uocantis & iustificantis quos uult. Lib. 1 in Hieremiam, capite 60.

Bernhardus ait: Iustificabit nos gratis, ut gratia commendetur. Sermone tertio de aduentu Domini. Item: Gratia non solùm peccata, sed & merita donat. Dom. prima post octauam Epiphan. Item: Porrò hoc testimonium in tribus consistere credo. Necesse est enim primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei: deinde quòd nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse: postremò quòd æternam uitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur & illa. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus est mundus? Vtique quod factum est, non potest non fieri: ipso tamen non imputante, erit quasi non fuerit. Quod Propheta quoque considerans, ait: Beatus uir, cui non imputabit Dominus peccatum. Sermone primo de annunciatione B. uirginis Mariæ. Et: Gratia gratis datur, etiam cum emitur, gratis emitur: quia quod datur pro ea, nobis melius retinetur. Sermone secundo de resurrectione Domini. Et: Gratis hoc quoque præstitum est, sed gratis quod ad te pertinet. Nam quod ad illum, planè non gratis. Saluus factus est pro nihilo, non de nihilo tamen. Quid ad hęc dormitat affectio? Imò uerò mortua est illa, non dormit, quæ huic beneficio non respondet, quæ se totam non effundit in gratiarum actionem, & uocem laudis. Sermone decimoquarto de duodecimo & decimotertio uersu Psalmi, Qui habitat, &c. Et: Accedat & gratia remissionis peccatorum, hoc est, ut gratis peccata dimittat: & opus profectò nostræ salutis consummatum est. capite undecimo ad milites Templi. Et: Quis accusabit tamen aduersus electos Dei? Sufficit mihi ad omnem iusticiam solum habere propitiũ, cui soli peccaui. Omne quod mihi ipse non imputare decreuerit, sic est quasi non fuerit. Non peccare, Dei iusticia est: hominis iusticia, indulgentia Dei. Sermone uigesimotertio super Cantica. Et: Quid timetis modicæ fidei, ut peccata nolit remittere? Sed affixit ea cruci cum suis manibus. Ibidem sermone trigesimooctauo. Item: Quod non potest natura, potest gratia. Quẽ ergo hominum unctio spiritus miserata, perfundere denuò sua benignitate dignabitur, is continuò reuertetur in hominem, insuper & aliquid melius à gratia, quàm à natura recipiet. In fide & lenitate sanctum faciet illum, & dabit illi non oleum, sed balsamum in uineis Engaddi. Sermone quadragesimoquarto super Cantica. Item: Vbi deficit tibi gratia, deficis & tu. Ibidem sermone quinquagesimoquarto. Et: Gratia reddit me mihi iustificatum gratis, & sic liberatum à seruitute peccati. Denique ubi Spiritus Domini, ibi

ibi libertas. O' fatuam sponsam synagogam, quæ contemnens Dei iusticiam, id est gratiam sponsi sui, & suam uolens constituere, iusticiæ Dei non est subiecta. Ob hoc misera repudiata est, & iam non est sponsa, sed Ecclesia, cui dicitur: Despōsaui te mihi in fide. Desponsaui te mihi in iudicio & iusticia. Desponsaui te mihi in misericordia & miserationibus. Nec tu me elegisti, sed ego elegi te: nec ut te eligerē, tua inueni merita, sed præueni. Ita ergo in fide desponsaui te mihi, & non in operibus legis: desponsauique in iusticia, sed iusticia quæ est ex fide, non ex lege. Restat ut iudices iudicium rectum inter me & te, iudicium quo te desponsaui, ubi constat interuenisse non tuum meritum, sed meum placitum. Hoc est autem iudicium, ut tua merita non extollas, non præferas opera legis, non iactes pondus diei & ęstus, quæ magis in fide & in iusticia, quæ est ex fide, nec non in misericordia & miserationibus nosceris desposata. Quæ uerè sponsa est, agnoscit ista, & utramque gratiam confitetur. Primò quidem eam quæ prima est, qua & præuenta est: postea uerò & subsequentem. Serm.67 super Cant. Et: Sufficit ad meritum scire quòd non sufficiant merita. Sed ut ad meritum satis est, de meritis non præsumere: sic carere meritis, satis ad iudicium est. Porrò infantium renatorum neminem carere meritis, sed Christi habere merita. Quibus se tamen indignos reddunt, si sua iungere non nequiuerint, sed neglexerint: quod quidem periculum iam adultæ ætatis est. Merita proinde habere cures: habita, data noueris: fructum sperauer is Dei misericordiam, & omne periculum euasisti paupertatis, ingratitudinis, præsumptionis. Perniciosa paupertas, penuria meritorum: præsumptio autem spiritus, fallaces diuitiæ. Et ideo diuitias & paupertates ne dederis mihi Domine, ait Sapiens. Fœlix Ecclesia, cui nec merita sine præsumptione, nec præsumptio absque meritis deest. Habet unde præsumat, sed non merita. Habet merita, sed ad promerendum, non ad præsumendum. Ipsum non præsumere, nónne promereri est? Ergo eo præsumit securius, quo non præsumit: & non est quòd confundatur in uerbo gloriæ, cui multa materies gloriandi: Misericordiæ Domini multæ, & ueritas eius manens in æternum. Quidni glorietur secura, in cuius testimonium gloriæ, Misericordia & ueritas obuiauerunt sibi? Sermōne sexagesimo octauo super Cant. Et: Nam sufficit mihi gratia tua, cū defecerit uirtus mea. Tractatu de Gradib. humilit.

De duplici gratia inquit Bernhardus: Quantam gratiam? Gratiam plenam, gratiam singularem. Singularem, an generalem? Vtramque sine dubio, quia plenam, & eo singularem, quo generalem: ipsa enim generalem singulariter accepisti. Eo inquam singularem, quo generalem: nam sola præ omnibus gratiam inuenisti. Singularem, quòd sola hanc inueneris plenitudinem. Generalem, quòd de ipsa plenitudine accipiant uniuersi. Serm.3 in Annūciat. B. Mariæ.

De triplici gratia dicit Bernhardus: Triplicem gratiam diuinitùs accepimus: unam qua conuertimur, aliam qua in tentationibus adiuuamur, tertiam qua probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam uocamur: secunda prouehit, qua iustificamur: tertia consummat, qua glorificamur. Et prima quidem beneplacitum est, secunda meritum, tertia præmium. De prima dictum est: Et de plenitudine eius omnes accepimus. De duabus reliquis dictum est: Et gratiam pro gratia: id est, munera gloriæ æternæ pro merito temporalis militiæ. Sermone quinto de Assumpt. B. Mariæ.

Ex dilectione. Petrus Blesensis: Porrò in hac nostræ salutis dispensatione dilectio Christi nobis medullitùs intimata est, qui cum in lege Mosi nobis dilectionem Dei & proximi dederit in mandatis, eandem in schola Euangelicæ disciplinæ frequentius, fortius uerbis, & tandem exhibitione operis inculcauit. Maiorem enim charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Dedit itaque materiam diligendi se, qui in suis dilectionibus nos præuenit, nec aliud à nobis exigit, nisi ut ipsum diligamus ex corde. Sanè inhumanus est & crudelis, qui misericordiam eius non recolit, qui Dominum tam clementem ex affectu non diligit, qui se pro eo, si opus est, mortis periculo desiderabiliter non exponit. Christus autem mortuus est & sepultus, tertia die resurrexit à mortuis, sicut discipulis uiuendo prędixerat. Epistola octuagesima tertia.

Sine lege multos saluatos. Petrus Cluniacensis: Nec deinceps per illam tantummodo ueterem & iam finitam legem iustificari quemlibet potuisse asseras, cum & ante illam, & eius tempore præter illam, & etiam post illam iustos uocari multos inuenias. Nónne (ut ad priora secula redeam) absque circumcisione, absque sabbati cultu, absque aliquo legis uestræ sibi imposito ritu, Abel cordis innocentia, & simplicis sacrificij puritate Deo placuit?

cuit? Nónne absque circumcisione, absque sabbati cultu, absque multiplici legis uestræ onere ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus? Nónne absque circumcisione, absque sabbati cultu, absque multiplici legis Iudaicæ onere, de magno uiro Noe scriptum est: Noe uir iustus & perfectus in generatione sua fuit, & cum Deo ambulauit? Nónne & ipse Deus loquitur: Te uidi iustum coram me in generatione hac? Quid dicam & de ipso, de quo præcipuè gloriari soletis, patre Abraham? Nónne & de ipso absque omnibus illis præmissis, sabbato, legalibus præceptis, ante ipsam quoque circumcisionem dictum est: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam? Quid de posteris eius Isaac, siue Iacob, & reliquis usque ad Moysen? Nónne & ipsi sola circumcisionis, sed maximè iusticiæ obseruantia, absque reliquis omnibus legis pòst datæ decretis Deo placuêre, & ipsi duo cum antecedente se Abraham singulare ac gloriosum patriarcharum nomen meruêre? Hoc quidem ante legem. Iam uerò lege data uel proximè danda, uideo Iob non Iudæum, sed à Iudæorum genere penè alienum, absque circumcisione, absque sabbati cultu, absque omni legali instituto, uoce diuina simplicem, rectum, timentem Deum, recedentem à malo, uocari. Cerno & Balaam absque circumcisione, absque multiplicibus Moysi pręceptis, Deo colloqui, Deo obedire, Dei afflatu multa saluti humanæ famulatura prædicere. Qui licet ceciderit, licet casum suum & præuiderit & prædixerit, ex eo tamen quo casum suum memorat, ante eundem casum se stetisse declarat. Vnde licet in iusticia non permanserit, auditor tamen sermonum Dei non nisi ex aliquo iusticiæ merito esse meruit. Conspicio & regum plurimos, intueor alienigenarum gentium non paucos, ipso legis tempore absque circumcisione, absque sabbati cultu, absque Mosaicis institutis Deum colere, iusticiam sectari, absque eadem iusticiæ conseruatione iustificari. Qui quamuis in Canone Iudaico non legantur, ex ueracibus tamen historijs tales fuisse probantur. Sed quorsum ista? Vt cernens ante legem, atque sub lege, sine legis operibus multos Deo placuisse, gloriari uelut de legis tuæ singularitate desinas, & uetustum quod inde assumpsisti, iactãtiæ supercilium deponas. Nec propter hoc solùm, sed ut insuper aduertas, quòd sicut & ante legem, & sub lege, sine legalibus obseruantijs titulo iusticiæ plurimos conspicis honorari: sic & post legem non solùm plurimos, sed & uniuersos sola Christiani Euangelij gratia posse intelligas iustificari. lib. 2 contra Iudæos, cap. 4.

Iustificat per uerbum. Bernhardus. Agnus solo uerbo iustificat impium. Serm. de natiuit. Baptistæ.

Remittit peccata. Bernhardus: Propter hoc, inquam, dissimulabat, ut commendaret patientiam suam, ut impleret electionem suam, ut confirmaret charitatem suam. Sermone tertio de Euangelio septem panum. Item: Sic enim ex toto indulsit, & tam liberaliter omnem donauit iniuriam, ut iam non damnet ulciscendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando. Sunt enim aliqui sic donantes iniuriam, ut non ulciscantur, sæpius tamen improperent. Sunt & alij qui sileant licet, manet tamen alta mente reposta, & rancorem tenent in animo: quarum utique neutra plena indulgentia est. Longè ab his omnibus benignissima est diuinitatis natura, liberaliter agit, ignoscit plenariè, ita ut propter fiduciam peccatorum (sed pœnitentium) ubi abundauit delictum, soleat & gratia superabundare. Testis est Paulus gentium doctor, qui plus omnibus cum diuina gratia laborauit. Testis est Matthæus, de teloneo electus in Apostolum, cui etiam noui Testamenti primum scriptorem esse donatum est. Testis est Petrus, cui post trinam negationem totius Ecclesiæ pastoralis cura commissa est. Testis denique etiam famosissima illa peccatrix, cui in ipso conuersionis initio tanta multitudo dilectionis concessa est, tanta postmodũ indulta gratia familiaritatis. Quis accusauit Mariam, & pro se eam oportuit respondere? Si pharisæus murmurat, si Martha conqueritur, si scandalizantur Apostoli, Maria tacet, Christus excusat, etiam & laudat tacentem. Denique illud quantæ prærogatiuæ, quantæ excellentiæ fuit, quòd resurgentem à mortuis prima uidere, tangere prima meruit? Ibidem. Et: Magnam prorsus miseriam magna misericordia diluit & abstergit, & hoc quidem festinanter: quia sine ullo interuallo coniunguntur & lachrymæ peccatricis, & misericordia Saluatoris. Remittuntur peccata, & in pace dimittitur, ut & de præterito non sit solicita, & secura de futuro. Pedes isti sunt misericordia & iudicium: quorum alterum sine altero osculari uel temeraria securitas est, uel desperatio fugienda. Sermone in festo Magdalenæ.

Per fidem nos saluari. Petrus Alphonsus:

sus: Deus uictor & gloriosus uiuificat illas gentes per fidem, & interficit in incredulitate nostra. cap. 17.

Honorius inquit: Sicut piscis sine aqua non potest uiuere, ita nullus poterit saluari sine fide. Sermone de natiuitate Domini.

Hugo de S. Victore ait: Sicut fides reguli obtinuit salutem filij, sic fides patrum ualuit in salutem generis humani. libro decimo Allegoriarum, capite sexagesimoseptimo.

Rupertus inquit: Scire Christum expedit, quærere oportet, quem inuenisse prodest, in quem credere salus est. libro primo in Iohan. capite primo. Et: In quem enim alium quàm in Deum credere oportet, imò in quem nisi in solum Deum credere perniciosum non est? Ibidem libro tertio, capite secundo. Et: Illi qui tanto profundius in morté descenderunt, quanto longius à Deo uiuo recedentes, deos mortuos adorauerunt, audientes uiuent, & uno eodemque auditu excitati, tam originalis peccati, quàm omnium actualium peccatorum æternam mortem effugient, & de tam longinquo mortis barathro, unum breue fidei uerbum confitendo, in arcem salutis, in medium uitæ exilient. Ibidem libro quinto, capite quinto. Et: In IESV Christo nec circumcisio, nec præputium, nec gentilis, nec Iudæus, sed sola fides requiritur. libro septimo, capite septimo in Iohan. Et: Per fidem catholicam quisque nostrûm ad Christum accedit. Ibidem libro decimo, capite nono. Item: Iustificatio prima, siue iustificationis principium, fides est. libro decimo in Apocal. capite decimonono. Et: Sparsim in omnibus scripturis tam ueteris Instrumenti quàm noui fidem quærit, fidem approbat, fidem collaudat Christus. libro octauo Comment. in Matth. capite 9. Et: Magniloqui ueraciter dicuntur & sunt, qui in semetipsis tanquam iusti confidunt, & de operibus legis præsumunt. Ita pauperes & egeni rectè dicuntur & sunt, qui se peccatores esse cognoscunt, & nõ nisi per fidem IESV Christi iustificari se sentiunt. libro 2 Comment. in Sophon. proph. cap. 3. Item: Sperare in nomine Domini, est deponere pertinaciam, qua se iustificari arbitratur ex operibus, & omnem iustificationem credere in solo nomine Domini, in fide IESV Christi: Ibidem. Item: Sine fide impossibile est placere Deo, quasi uerò nunc aliter agat Deus, aut aliter quempiam acceptum habeat, nisi per fidem. libro secundo in Genes. capite tertio. Et: Dicimus itaque, quia pactum multoties quidẽ promissum, sed unum & semel initum, pactum inquam unum, quo solo inimicitiæ soluuntur, quæ erant inter Deum & homines, incarnatio uel passio Christi filij Dei est. Illic absque ulla contradictione certa est cõstitutio pacis cum ratione dati & accepti, dum accepta Deus fide hominum, dat hominibus eundem Christum filium suum, ut saluentur per ipsum. libro quarto in Genes. capite trigesimoquarto. Item: Non per multitudinem uictimarum, non per neomenias, non per sabbata, non per calendas, aut ullas legis ceremonias iustificabantur. Non enim aliunde quàm ex fide iustificati sunt Abraham, Isaac & Iacob. libro primo in Esaiam capite octauo. Et: Iusticia (inquit) ex fide in fidem. Cuius ex fide, nisi eius qui promisit, qui iurauit? Cuius in fidem, nisi eius qui promittenti credidit, qui iuranti fidem adhibuit, scilicet Abrahæ, siue Dauid? Iusticia hæc alia est, & alia illorum Israelitarum, qui non sunt Israelitæ ueri. Quia suam quærentes statuere iusticiam, huic iusticiæ non sunt subiecti. Quæ nam est illorum iusticia? Nimirum iusticia non ex fide in fidem, sed quasi ex operibus in opera, quasi Abraham ex operibus iustificatus sit, cum Scriptura dicat: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iusticiam. Et quasi ipsi ex operibus iustificari possint, cum item Scriptura dicat: Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Bene ergo iusticia Dei, quæ in Euangelio reuelatur, definita est dicendo: Iusticia ex fide in fidem. quia uidelicet quòd Dei filius incarnatus est, & quòd in isto semine benedicũtur omnes gentes, ex fide est Dei, de quo scriptum est: Fidelis Deus in omnibus uerbis suis. Quia neque Dauid, neque cæterorum peccatis offensus est, siue transuersus, quin magna fide impleret, quod magna gratia promisit. Et iusticia hæc in fidem tendit: quia non propter opera, sed propter fidé possibile est quempiam coram illo iustificari, dicente Scriptura: Si iniquitates obseruaueris, &c. libro quarto de Victoria uerbi Dei, capite uigesimoprimo.

Bernhardus ait: Ideoque si credideris, peccata tua non posse deleri, nisi ab eo cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: sed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem. Sermone primo in Annunc. B. Mariæ. Item: Aut quia cor-

de creditur ad iusticiam, & iustus ex fide uiuit,& fide mundatur cor,& mundo corde Deus uidetur, id est,agnoscitur:& hæc est uita æterna,ut cognoscant te unum Deum,& quem misisti IESVM Christum: Aut quia Christus uita nostra, qui nunc per fidem habitat in cordibus nostris, erit cum apparebit, & nos cum ipso apparebimus in gloria : & qui nunc latet in corde, tunc quasi de corde ad corpus procedet, quando reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.Vnde & alius Apostolus ait: Nunc filij Dei sumus , & nondum apparuit quid erimus. Sermone quadragesimasexta Par. sermonum. Item : Duo sunt in quibus consistit nostra salus,iustificatio & glorificatio. Altera initium, altera perfectio est. In illa labor, in hac autem fructus laboris est. Et nunc quidem iustificatio fit per fidem,tunc glorificatio erit per speciem. Quanta autem sit in futura uita glorificatio sanctorum, humanus interim non potest attingere intellectus. De illa enim scriptum est:Quod oculus non uidit, nec auris audiuit. In libro Sent. Item : Per iusticiam deinde,quæ ex fide est,soluit funes peccatorum, gratis iustificans peccatorem. Sermone uigesimosecundo super Cant. Et: Quamobrem quisquis pro peccatis compunctus esurit & sitit iusticiam, credat in te qui iustificas impium: & solus iustificatus per fidem,pacem habebit ad Deum. Ibidem.

Lombardus dicit: Dicimur quoque & aliter per mortem Christi iustificari, quia per fidem mortis eius à peccatis mundamur. Vnde Apostolus: Iusticia Dei est per fidem IESV Christi. Et item: Quem Deus proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius:id est,per fidem passionis, ut olim aspicientes in serpentem æneum in ligno erectum , à morsibus serpentum sanabantur. Si ergo rectæ fidei intuitu in illum respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, à uinculis diaboli soluimur,id est,à peccatis, & ita à diabolo liberamur , ut nec post hanc uitam in nobis inueniat quod puniat(Morte quippe sua, uno uerissimo sacrificio quicquid culparũ erat, unde nos diabolus ad luẽda supplicia detinebat, Christus extinxit) nec in hac uita tentando nobis præualeat. Licet enim nos tentet post Christi mortem quibus modis antè tentabat, non tamen uincere potest, sicut antè uincebat. Nam Petrus, qui ante Christi mortem uoce ancillæ territus negauit, post mortem ante reges & præsides ductus non cessit. Quare?quia fortior, id est Christus, ueniens in domum fortis, id est in corda nostra, ubi diabolus habitabat, alligauit fortem, id est, à seductione compescuit fidelium, ut tentationem quæ ei adhuc permittitur, non sequatur seductio. Itaque in Christi sanguine, qui soluit quæ non rapuit, redempti sumus à peccato, & per hoc à diabolo. libro tertio, distinctione decimanona. Item: Sine fide mediatoris nullum hominem uel antè uel pòst fuisse saluum, sanctorum autoritates contestantur. Vnde Augustinus ad Optatum: Illa fides sana est, qua credimus nullum hominem, siue maioris siue minoris ætatis, liberari à contagione mortis, & obligatione peccati, quod prima natiuitate contraxit, nisi per unum mediatorem Dei & hominum IESVM Christum, cuius hominis eiusdemque Dei saluberrima fide etiam illi iusti salui facti sunt,qui priusquam ueniret in carnem , crediderunt in carnem uenturum. Eadem enim fides est & illorum, & nostra. Proinde cum omnes iusti, siue ante incarnationem siue pòst, nec uixerint, nec uiuant, nisi ex fide incarnationis Christi: profectò quod scriptum est, Non esse aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat saluari nos: ex illo tempore ualet ad saluandum genus humanum , ex quo in Adam uiciatum est. Idem: Nemo liberatur à damnatione quæ per Adam facta est, nisi per fidem IESV Christi. Idem: Eadem fides Mediatoris quæ nos saluat , saluos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis: quia sicut credimus Christum in carne uenisse, ita illi uenturum: & sicut nos mortuum, ita illi moriturum:& sicut nos resurrexisse, ita illi resurrecturum: & nos & illi, ad iudicium uiuorum & mortuorum uenturum. Gregorius super Ezechielem: Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant dicentes : Osanna filio Dauid. quia omnes electi qui in Iudæa esse potuerunt, siue qui nunc in Ecclesia sunt, in Mediatorem Dei & hominum crediderunt & credunt. His alijsque pluribus testimonijs perspicuè docetur, nulli unquam salutem esse factam,nisi per fidem Mediatoris. Oportet ergo accedentem credere quæ suprà dixit Apostolus: sed non sufficit. libro 3. distinct.25.

Sola fide. Rupertus: Sola iustificare potest fides IESV Christi. libro secundo in lib. Reg. cap.39.

Bernhardus: Librum certè Ambrosij de morte Valentini legat si non legit, recolat si iam legit, non dissimulet si recolit, & aduertet sine dubio sanctum, homini non baptizato & mortuo fidentes

de so-

de sola fide salutem præsumere, & tribuere indubitanter bonæ uoluntati quod defuit facultati. Epistola septuagesimaseptima. Item: Cum his inquam, me aut errare, aut sapere fateor: credens & ipse sola fide hominem posse saluari, cum desiderio percipiendi Sacramentum: si tamen pio adimplendo desiderio mors anticipans, seu alia quæcunque uis inuincibilis obuiarit. Vide etiam, ne fortè ob hoc Saluator, cum diceret, Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit: cautè & uigilanter non repetierit, Qui uerò baptisatus non fuerit: sed tantùm, Qui uerò, inquit, non crediderit, condemnabitur. Nimirum innuens, solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil. Ibidem. Item: Quomodo is qui alieno debito se teneri fortè in extremis positus recolit, si desit unde persoluat, sola nihilominus pœnitentia & cordis contritione obtinere ueniam creditur, ne iam pro eo damnetur: sic sola fides & mentis ad Deum conuersio sine effusione sanguinis, & sine perfusione aquæ, salutem sine dubio operatur uolenti, sed non ualenti prohibente articulo baptizari. Et sicut nulla illi pœnitentia remittitur peccatum, si cum possit non restituit ablatum: sic & huic nulla proderit fides, si cum possit non percipit Sacramentum. Quanquam & fidem conuincitur non habere perfectam, si negligit. Vera enim & plena fides uniuersa præcepta complectitur. Est autem hoc unum, ipsumque præcipuum ex præceptis. Meritò ergo non fidelis, sed planè rebellis atque contemptor reputabitur, quisquis obedire renuerit. Quomodo denique fidelis, qui Dei contemnit Sacramentum? Ibidem.

Qui iustificentur. Honorius: Pauperes sunt qui mandata Domini facere contempserunt, & omnibus criminibus tota uita sua inexplicabiliter inhæserunt. Hi quia se miseros & à iusticia nudos ingemiscunt, & à miseria peccatorum & pœnarum ab eo liberari toto corde concupiscunt, pauperes Domini sunt, quia se non posse saluari, nisi sola Dei gratia norunt. In Spec. Eccl. sermone de nat. Dom. Item: Apostolorum suffragio mundus in maligno positus est saluandus. Ibidem.

Rupertus ait: Christus per suum sanguinem benedictionem, id est, peccatorum remissionem acquisiuit illi (Abrahamo) imò & omnibus electis, qui expectauerunt eum ab origine mundi. lib. 5 in Genes. cap. 12.

Bernhardus inquit: Mutatio dexteræ excelsi, qua mirabiliter, sed inuisibiliter iustificat impium. Sermone 6 super Cantica.

Hildebertus: Christus sponsus non aspernatur deformem, pauperi libens copulatur, distortas amplectitur & gibbosas, generosa non attendit nomina, in decrepitas ardet aniculas, nullam sterilitatis arguit, sola mentis corruptela spōsam ei ablaterat. Epist. 36.

Omnes æqualiter iustificari testatur Rupertus: In remissione quidem peccatorum nulla est diuisio, sed æqualiter atque uniformiter una eademque omnibus gratia remissionis adest. In donis autem gratiarum non eadem omnibus quantitas impenditur. libro secundo, capite primo in Iohannem. Item: Omne quod dat mihi pater, omne siue bonum siue malum, siue mundum siue immundum, siue circumcisio siue præputium, omnis sexus, omnis conditio ad me ueniet, & eum qui uenit ad me, undecunque ueniat, qualiscunque ueniat, dummodo ueniat, id est, credat, non eijciam foras. libro sexto, cap. 6 in Iohan.

Paucos saluari. Bernhardus: Non omnium ista est scientia, fratres mei, sed nec multorum: paucorum est, quia reuera pauci sunt qui saluantur. Serm. 3 in uigil. natal. Domini.

Non respicit Deus personas. Rupertus: Sine ulla exceptione gentilis aut Iudæi, quos uult uiuificat, nulli quicquam debens, sed sola uoluntate gratuita, uel uoluntaria gratia, iustè morti addictos misericorditer ad uitam reuocans. libro quinto Commentar. in Iohannem, capite quinto. Item: Ad fidem Christianam omnes admitti iubentur indifferenter, siue reges siue tribuni, siue fortes siue infirmi, siue serui siue liberi, siue magni siue pusilli, ad summum siue Iudæi siue Græci. lib. 11 Com. in Apocal.

Peccatoribus se iungit Deus. Petrus Alphonsus: Propius sanè uult esse Dominus, & magis offert se peccatoribus, & eis qui longè esse uidentur, quàm iustis & fidelibus, ac propè, ut dicis, existentibus. Quod & alibi Propheta testatur, ubi dicit: Pacem, pacem ei qui longè est & qui propè est, dixit Dominus. Quid'nam per longè Deo existentem nisi peccatorem, & per eum qui propè est, nisi iustum intelligimus? Et Propheta prius Qui longè est, & postea Qui propè est dixit, & sic peccatori quàm iusto Deum propius esse monstrauit. Tit. 9.

Peccatores recipi. Bernhardus: Omnino propter mansuetudinem quæ in te prædicatur, currimus post te Domine IESV, audientes quòd non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lachrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, nō persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odore horum currimus. Sermone uigesimosecundo super Cantica. Item: Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum super firmam petram. Peccaui peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam uulnerum Domini recordabor. Nempe uulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte saluetur? Si ergo in mentem uenerit tam potens, tamq; efficax medicamentum, nulla iam possum morbi malignitate terreri. Et ideo liquet errasse illum qui ait: Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. Nisi quòd non erat de membris Christi, nec pertinebat ad eum de Christi merito ut suum præsumeret, suum diceret quod illius esset tanquam rem capitis membrum. Ego uerò fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex uisceribus Domini: quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Ibidem serm. 61.

Quis accipiat gratiam. Bernhardus. Quid dicimus fratres? Cui'nam potissimùm uasi gratia infundetur? Si (ut suprà meminimus) capax quidem est misericordiæ fiducia, patientia uerò iusticiæ, quale iam poterimus idoneum gratiæ receptaculum exhibere? Balsamum est purissimum, & solidissimum uas requirit. Et quid tam purum, quid'ue tam solidum, quàm humilitas cordis? Meritò proinde humilibus dat gratiam. Serm. 3 in Annunciat. B. Mariæ.

Petrus Blesensis ait: Christus enim primitiæ resurgentium, post illam clericorum ruinam publicam resurgendi primitias circa nos ordinauit, erigens lapsos, fractos consolidans, liberans seruos, pauperes ditans, magnificans humiles, uagos congregans, reuocans oberrantes. Epistola 57.

De ordine iustificandi ait Rupertus: Est hæc regula diuinæ æquitatis, ut homo si iustificari uelit, id est, si seipsum accuset (iustus enim in principio est accusator sui) tunc mitius ac mansuetius agat cum illo misericordia Dei. Si autem homine tardante, priorem Deum oporteat loqui, & narrare quid homo fecerit, tunc districtius arguat atque corripiat, non in mansuetudine atque misericordia, sed in furore & ira sua. libro tertio in Genes. capite 15.

Bernhardus ait: Vbi enim compungitur quis, iam tunc eum misericordia præuenit: sed nequaquam ingredietur, donec ei ueritas confessionis occurrat. Peccaui Domino, ait ipse Dauid ad Nathan prophetam, cum de adulterio & homicidio argueretur. Et transtulit Dominus peccatum à te, ait Propheta. Nimirum misericordia & ueritas obuiauerunt sibi. Et hoc quidem, ut declines à malo. Sermone primo in Annunciatione beatæ Mariæ. Item: Ipsa est enim uia per quam fit transitus ad glorificationem, dicente Apostolo: Quos prædestinauit, hos & uocauit: & quos uocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & magnificauit. Neque enim poterit obtineri magnificatio, nisi iustificatio præcesserit, cum ista meritum, illa præmium sit. Hoc in Euangelio docuit Dominus, qui cùm discipulis euangelizaret regnum Dei, primò eis proposuit iusticiam, dicens: Nam nisi abundauerit iusticia uestra plus quàm scribarum & pharisæorum, non potestis intrare in regnum cœlorum. In libro Sententiarum.

Quí non accipiant misericordiam. Bernhardus: Et misericordia in medio templi est, nec tamen accedunt quos manet æterna damnatio. Sermone primo de Purificat. Mariæ.

Læticia iustorum. Bernhardus: Deniq; expectatio iustorum læticia. Nam peccator nihil expectat. Et inde peccator, quòd bonis præsentibus non modò detentus, sed & contentus, nihil in futurum expectat, surdus ad uocem illam: Expecta me (dicit Dominus) in die resurrectionis meę in futurum. Et ideo iustus erat Simeō, quia expectabat & odorabat iam Christum in spiritu, quem necdum in carne adorabat: & beatus in expectatione sua, quia per odorem expectationis peruenit ad gustum contemplationis. Sermon. 67 super Cant.

Gloriatio nostra in Deo. Bernhardus: Re uera gloriari in solo Deo, non nisi à solo Deo est. Nec mediocris ista gloria, quippe tā uera quàm de ueritate: & in ueritate tā rara, ut uix uel paucitas perfectorum perso

ctè glorietur in ea. Sermone 13 super Cantica canticorum.

Iusticiam pharisæorum sic describit Rupertus: Iustitia illorum est, quam & statuere uolunt, in gregibus & armentis suis Dominum quærere: id est, greges & armenta certatim sacrificare, dissimulando se audire quod econtrà ille reclamat, dicens in Dauid: Non accipiam de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos. lib. 2 in Oseam, cap. 5.

Deum conseruare gratiam. Bernhardus: Primus itaque panis, si bene memini, conseruatio gratiæ fuit, qua me, licet indignum, à multis peccatis adhuc in seculo positum custodiuit. Huius ergo tria teneo fragmenta, habentia prorsus magnum delectamentum saporis, & alimoniam uitæ. Tribus siquidem modis à peccato me memini conseruatum, occasionis subtractione, resistendi data uirtute, affectionis sanitate. Multa enim in peccata facilè cecidissem, si data esset occasio: sed Dei miseratione non me talis opportunitas apprehendit. In multa quoque paulominus cecidissem, grauiter impulsus uiolentia tentationis: sed uirtutem dedit Dominus rex uirtutum, ut sub me esset appetitus meus, & ei quam sentiebam concupiscentiæ minimè consentirem. Sed & à quibusdam tam longè me fecit miseratio tua Domine, ut penitùs abominarer ea, & ne ulla quidem eorum me tentatio molestaret. Sermone tertio in Euangeliũ 7 panum.

Beneficia Dei in homine. Bernhardus: Iam uerò, si quis ex uobis diligenter considerare non negligat, non modò unde erutus, sed ubi sit constitutus: non solùm quid euaserit, sed & quid acceperit: non tantùm unde reuocatus sit, sed etiam quò uocatus: inueniet sine dubio cumulum huius misericordiæ omnino mensuræ prioris excedere quantitatem. Neque enim fecit taliter omni nationi, ut non solùm iudicia, sed & consilia sua manifestaret eis: sed omnino magnificauit facere nobiscum, non solùm in seruos assumens, sed eligens in amicos. Neque enim nos elegimus eum, sed ipse elegit nos, & posuit nos ut eamus & fructum afferamus: fructum, inquam, non solùm non peremptorium, quod ad iudicium pertinens, notum sit etiam seruis: sed nec periturum quidem, quod de consilio est, & reuelatur amicis. Sermone contra uitium ingratitud.

DE FIDE.

QVid. Rupertus: Credere est semen Dei uerbum cum amore susceptum impregnata mente portare. libro primo, capite primo in Iohannem. Et: Quid est in Deum credere, nisi Deum non propter sua, sed propter seipsum diligere? nam qui Deum propter aliud quàm propter seipsum quærunt, nec Deum diligere, nec in Deum credere dicendi sunt. Aliud est enim credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. Possunt quidem credere Deo, uel credere esse Deum, sed credere in Deum nullatenus dicendi. At illi qui Deum non propter temporale emolumentum, sed propter seipsum diligunt, uerè in Deum credere dicendi sunt. Credere in Dei filium, est opus sine labore, iugum sine asperitate, onus sine grauitate. libro 6. capite 6 in Iohann.

Bernhardus inquit: Fides, est uoluntaria quædam & certa prælibatio necdum propalatæ ueritatis. Intellectus, est rei cuiuscunque inuisibilis certa & manifesta noticia. Opinio, est quasi pro uero habere aliquid quod falsum esse nescias. Ergo, ut dixi, fides ambiguum non habet: aut si habet, fides non est, sed opinio. libro 5 de Consideratione.

Lombardus: Fides est uirtus, qua creditur quæ non uidentur. Quod tamen nõ de omnibus quæ non uidentur, accipiendum est: sed de his tantùm, quæ credere, ut ait Augustinus, ad religionem pertinent. Multa enim sunt, quæ si Christianus ignoret, nihil metuendum est: quia non ideo à religione deuiat. libro tertio, distinctione uigesimatertia. Item: Aliud est enim credere in Deum, aliud credere Deo, aliud credere Deum. Credere Deo, est credere uera esse quæ loquitur, quod & mali faciunt: & nos credimus homini, sed non in hominem. Credere Deum, est credere quòd ipse sit Deus: quod etiam mali faciunt. Credere in Deum, est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & eius membris incorporari. Per hanc fidem iustificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionẽ operari. Ea enim sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Ipsa enim dilectio, opus fidei dicitur. Ibidem. Et: Ait enim Apostolus: Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum uel cõuictio nõ apparentiũ. quia per fidem subsistunt in nobis etiá modò sperãda, & subsistent in futuro per experientiã: Et ipsa est probatio & conuictio nõ apparentiũ: quia si quis de his dubitet, per fidẽ probatur: ut adhuc probatur futura resurrectio, quia ita crediderunt patriarchæ &

alij ſancti. Vel probatio eſt & certitudo, quòd ſint aliqua non apparentia, ut ſuprà dictum eſt. Propriè tamen fides dicitur ſubſtantia rerum ſperandarum: quia ſperandis ſubſtat, & quia fundamentum eſt bonorum, quod nemo mutare poteſt. Ibidem.

Petrus Cantor inquit: Fides enim peperit Saluatorem cooperando. capite ſeptuageſimoquarto. Item: Ipſa eſt hypoſtaſis & baſis omnium uirtutum, omniumque bonorum. Vel fides eſt uoluntaria certitudo, citra ſcientiam & ſupra opinionem conſtituta. Ibidem. Item: Fides eſt quia ſit quod dicitur. Ergo ubi non ſit quod dicitur, fides nō eſt. Sed quare? Quia non propoſuerunt Dominum ante conſpectum ſuum, non eſt timor Domini ante oculos eorum.

Potho inquit: Fides eſt uoluntaria certitudo abſentium, ſupra opinionem & infra ſcientiam conſtituta. Voluntaria, quia non cogitur: abſentium, ſenſibus corporeis non ſubiacentium: ſupra opinionem, quia plus eſt credere quàm opinari: infra ſcientiam, quia minus eſt credere quàm ſcire. Ideo enim credimus, ut aliquando ſciamus. libro 1 de Statu domus Dei.

De duplici fide, iuſtificante & operante, inquit Honorius: Hoc ſcitote, quòd ille uerè beatus eſt, qui rectè credit, & rectè credendo bene uiuit. Fides debet eſſe fundamentum, & poſtquam eam poſueritis, debetis poſtea ponere dilectionem Dei & proximi. In Speculo Eccleſ. de nat. Dom.

Rupertus ait: Nos quidem ferè omnes fidem habemus, etenim ſine fide impoſsibile eſt, &c. Sed magnam fidem non omnes habemus, unde & eiuſmodi gratiam non omnes accepimus. Denique eſt & magna fides, eſt & modica fides, eſt & minima fides. De his tribus fidei differentijs illorumque definitionibus ipſum authorem conſule, libro ſecundo de glorificat. Trinitat. & proceſſ. Spiritus ſancti, capite 15.

Bernhardus iſtam diſtinctionem recitat: Eſt igitur fides alia præceptorum, alia ſignorum, alia promiſſorum: id eſt, qua credimus in Deum, qua credimus Deum, qua credimus Deo. Per fidem præceptorum credimus in Deum. Credere autem in Deum, eſt in eum ſperare, & eum diligere. Per fidem ſignorum credimus Deum, qui talia poteſt, & omnia poteſt. Per fidem promiſſorum credimus Deo, qui quicquid promittit, ueraciter complet. Similiter quoque ſpes triplex eſt, & procedit de prædicta triplici fide. Nam de fide præceptorum oritur ſpes ueniæ: de fide ſignorum, ſpes gratiæ: de fide promiſſorum, ſpes gloriæ. Charitas itidem ternario numero colligitur, de corde puro, & de conſcientia bona, & fide non ficta. Puritatem debemus proximo, conſcientiam nobis, fidem Deo. Puritas autem eſt, ut quicquid agitur, aut ad utilitatem proximi, aut ad honorem fiat Dei. Maximè autem exhibenda eſt proximo, quia Deo manifeſti ſumus: proximo autem nō poſſumus, niſi in quantum illi cor noſtrum aperimus. Conſcientiam bonam faciunt in nobis duo, pœnitentia & continentia, quando ſcilicet per pœnitentiam peccata commiſſa punimus, & per continentiam deinceps punienda non committimus: & hanc debemus nobis. Poſt hæc ſupereſt fides non ficta, quæ Deo uigilanter exhibēda eſt, ut nec propter proximum, cui nos impendimus, offendamus Deum: nec propter conſcientiam, quam per pœnitentiam & continentiam in humilitate cuſtodire uolumus, minus exequamur mandatorum Dei obedientiam: & hæc eſt fides non ficta. Non ficta autem ponitur ad differentiam mortuæ fidei & fictæ. Mortua fides eſt, quæ ſine operibus eſt: fides ficta, quæ ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit. Vnde etiam ficta, id eſt, fragilis dicitur. Sermone primo Paruorum ſermonum. Item: Iam uerò quod reſtat de fide non ficta, & item quod ex alio loco in mentem uenit, Fides ſine operibus mortua eſt: duo iſta mittunt nos ad quandam fidei trifariam diuiſionem, ut dicatur fides mortua, ficta, probata. Et mortuam quidem Apoſtolus definit eam eſſe, quæ ſine operibus eſt: id eſt, quæ non operatur ex dilectione, quaſi non habens animam ipſam dilectionem, qua uegetetur & moueatur ad opera. Fictam autem ego arbitror illam uocari fidem, quæ ſuſcepta quidem ex charitate, uita moueri inchoat ad bene operandum: ſed non perſeuerans deficit & moritur tanquam abortiua. Eo utique ſenſu fictam dixerim nominatam, quo uaſa figuli uocamus fictilia: non quia uidelicet utilia non ſint quamdiu durant, ſed quia fragilia cum ſint, diu minimè durant. De hac fidei fictione puto illos notari in Euangelio, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Interrogo eos qui dicunt charitatem, à quo ſemel accipitur, nequaquam ultrà recedere. Ait Veritas

ritas de quibusdam: Et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Vnde & quò recedunt? Vtique à fide in infidelitatem. Item quæro: Poterant'ne in illa fide saluari, an'non poterant? Si non poterant, quæ iniuria Saluatori, quæ ue tentatori læticia, quòd hinc recedant, ubi salus non sit? Siquidem nec Saluator zelatur, nisi salutem: nec malignus inuidet, nisi saluti. Si autem poterant, quomodo aut sine charitate sunt, quamdiu in illa fide sunt, cum sine charitate salus esse non posit: aut deserentes fidem, non etiam deserunt charitatem, cum charitas & infidelitas simul esse non possint? Recedunt ergo quidam à fide, quia Veritas asserit: consequenter & à salute, quia Saluator redarguit. Inde nos colligimus, quòd & à charitate, sine qua salus esse non potuit. Et hi, inquit, radicem non habent. Nec negat eos habere bonum, sed in bono potius radicatos non esse causatur. Denique sequitur & ait: Quia ad tempus credunt. Bonum est, sed utinam duraturum. Non enim qui cœperit, sed qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Non autem durant, quoniam in tempore tentationis recedunt. Beati si interim rapti fuissent, antequam malitia mutaret corda eorum. Nunc uerò uæ prægnantibus & lactantibus in illis diebus: teneros utique fœtus gestantibus, & de uita recenti facilè in periculis exturbandos. Tales sunt animæ paruam adhuc & teneram habentes charitatem, & ob hoc earum fidem uiuam, sed fictam, necesse est in tentatione deficere. Vasa figuli, ait, probat fornax, & homines iustos tentatio, illos uidelicet qui ex fide uiuunt. Epistola 42.

Item de uera & falsa fide inquit Rupertus: Habent etenim infideles fidem, sed utinam in Deum: quam utique si haberent, infideles non essent. Cum itaque sit & fides, quam infideles quoque habebre possunt, & fides quam qui habent, infideles non sunt, rectè Iudæi & sperare in Moyse, & Moysi redarguuntur non credere. Libro quinto, capite 5 Commentar. in Iohann.

Vnde. Bernhardus: Sanè fides ex auditu, non ex uisu. Denique substantia est sperandarum rerum, argumentum non apparentium. Et in fide ergo, sicut & in spe, deficit oculus, auris proficit sola. Sermone 8 de 8 uersu Psalmi, Qui habitat, &c. Item: Fides ex auditu, qua corda mundantur, ut posit uideri Deus. Sic enim habes: Fide mundans cor. Sermone 52 super Cant.

Lombardus: Nam de gratia fidei Ephesijs scribens Apostolus, similiter fidem non ex homine, sed ex Deo tantùm esse asserit, inquiens: Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex uobis, Dei donum est. Quod à sanctis ita exponitur: Hæc, scilicet fides, non ex ui naturæ nostræ, quia donum Dei purè est. Ecce & hic apertè traditur, quòd fides non ex libertate arbitrij, siue ex arbitrio uoluntatis. libro secundo, distinctione uigesimaseptima.

Subiecta fidei. Rupertus: Qui fideliter credit, ipse intelligit incarnationis Christi mysterium, non hominem tantùm, sed Deum simul habitantem in homine, coniunctum in unitate personæ. libro quarto in Apocalyps. cap. sexto. Et: Vnum eundemque Christum, cuius in morte baptizati sumus, Deum & hominem credentes, & naturam utramque certa discretione dinoscentes, impaßibilem quidem ex diuinitate, paßum autem semel ex humanitate confiteamur firmiterque credamus. Libro 1 Commentar. in Micheam, cap. 2.

Proprietates fidei. Rupertus: Finis fidei uel confeßionis non in eo consistit, quod in Christo carnalibus oculis uident: sed magis in eo quod pater miserit, quod est Verbum patris, quodque est principium. libro decimo, capite duodecimo in Iohannem.

Fide apprehenditur Christus. Bernhardus: Non ergo in huiusmodi corde nascitur Christus, cui deest fidei fortitudo, utique panis uitæ, Scriptura teste, Quoniam iustus ex fide uiuit: quod uidelicet animæ uera uita (quæ ipse est) non nisi per fidem interim habitet in cordibus nostris. Sermone sexto in uigilia natalis Domini.

Fides præcedit cognitionem. Rupertus: Non cognitio fidem, sed fides præcedit cognitionem: fides namque meritum, cognitio autem filij Dei præmium est fidei. libro septimo, capite septimo in Iohannem.

Fides sit certa. Bernhardus: Opinio, si habet assertionem, temeraria est: fides, si habet hæsitationem, infirma est. Libro 5 de Considerat.

Petrus Cantor ait: Sed nihil est certius fide, nec maius commodum gloria æterna, uel maius incommodum supplicio æterno. cap. 75.

De uiua fide Bernhardus inquit: Quæris quæ'nam sit uiuida & uictoriosa fides?

des? Illa sine dubio, per quam Christus habitat in cordibus nostris. Christus enim & uirtus est, & uita nostra. Cum Christus apparuerit uita uestra (ait Apostolus) tunc & uos apparebitis cum ipso in gloria. Sermon. 1 in octaua Paschæ.

De probatione fidei inquit Bernhardus: Qualis sit cuiuscunque fides, tribulatio probat. Si cuius deficit (deficit enim, cum in charitate non perseuerat) ficta esse dinoscitur: si cuius perseuerat, probata & perfecta censetur. Epistola 42.

Fides res difficilis. Petrus Blesensis: Res equidem difficilis est intellectu, & aciem rationis humanæ transcendit. Sed tanto elegantius habet fides meritum, quanto est difficilior ad credendum. Epistola 83.

Petrus Cantor ait: Nec tantùm defectus fidei timendus, sed & mediocritas eius. Vnde Dominus Petro: Modicæ fidei, quare dubitasti? & Apostolis dicentibus: Quare nos non potuimus illum eijcere? ait: Propter incredulitatem uestrã. capite 75.

De effectu fidei inquit Rupertus: Resurrectio animarum à morte fit per fidem, & per lauacrum regenerationis, & inuocationem Spiritus sancti. libro quinto, capite 5 in Iohann. Et: Per fidem unum sumus, & idem sapimus. Ibidem lib. 12. capite 17.

Bernhardus ait: Cum hæc firmiter credimus, iam meritum habemus: & in fide sanitas est, quia qui crediderit, saluus erit. Sermone tertio in uigil. nat. Domini. Et: Nunquid fides quoque magnanimum facit? Et sola. Quicquid enim sine fide præsumitur, non est ulla animi solida magnitudo, sed uentosa quædam inflatio, & tumor inanis. Sermone 5 de ascens. Domini. Item: Magna quidem fides magna meretur. Sermone trigesimosecundo super Cantica. Et: Sicut enim fides ducit ad plenam cognitionem, sic desiderium ad perfectam dilectionem. Epistola 18.

Petrus Cantor: Sic & fides prima incipit expugnare castra uiciorum. Ipsa enim per tria præcipuè primatum & ducatum habet inter cæteras uirtutes, cum quia mater est naturæ & genitrix omnium aliarum. capite septuagesimoquarto. Et: Quia enim credo, spero, diligo, compatior proximo, & huiusmodi. Charitas enim dicitur mater uirtutum, sed nutrituræ & informationis. Prima igitur mater earum & origo est fides. Secunda mater & uelut nutrix est charitas. Ibidem. Et: Fides enim non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. In quibusdam tamen credit, & eatenus intelligit, in omnibus articulis requirens potius fidelia & sana uerba, quàm curialia & palatij, uel philosophica. Ibidem. Item: Cum etiam quia citra alias uirtutes miracula etiam rudis operatur. Ibidem. Item: Vnde & capiti serpentis comparatur fides, qui caput suum abscondit & protegit, reliquo corpore exposito uulneribus. Capite enim non læso, non mortificatur. Sic & aliquis fidem seruans, etsi in alijs ceciderit, fide tamen seruata reuiuiscet. Ibidem.

Est fundamentum Ecclesiæ. Potho: Atque hanc primam ædificij partem per fidem, quæ est fundamentum structuræ spiritualis, in cordis dispositione componimus. libro primo de Statu domus Dei.

Fide Christus inhabitat nos. Bernhardus: Tamdiu Christum in nobis uiuere, quamdiu uiuit fides. At postquam fides nostra mortua est, quodammodo Christus mortuus est in nobis. Sermon. 2 de resurrect. Dom.

Fidelis. Bernhardus: Fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam uas perditum: sed sic perdens animam suam, ut in uitam æternam custodiat eam. Porrò id quidem sola facit humilitas cordis, ut non sibi fidelis anima innitatur: sed deserens semetipsam, ascendat iam de deserto, innixa super dilectum, atque ideo delicijs affluens. Serm. 5 in uigil. natal. Domini.

De mixtura cordis & fidei inquit Bernhardus: Ergo'ne credendum est, quòd iste Deus sit, qui ponitur in præsepio, qui uagit in cunis, qui omnium infantilium necessitatum iniurias patitur, qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in sepulchro, & inter duos lapides concluditur excelsus & immensus? Illa'ne uirgo erit, quæ lactat puerum, cui maritus continuus comes est in conuiuio, in thalamo, qui ducit illam in Aegyptum, reducit ab Aegypto, & solus cum sola tam longinquam, tam secretam conficit uiam? Quomodo potuit hoc persuaderi generi humano, uniuerso orbi terrarum? Et tamen tam facilè, tam potenter persuasum est, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Iuuenes & uirgines, senes cum iunioribus elegerunt mille mortibus mori, quàm uel ad momentum ab ista fide deficere. Sermone tertio in uigilia natal. Domini.

De in-

De incredulitate ait Rupertus: Omne uicium & omnis iniquitas generis humani ab incredulitate sumpsit initium: quia uidelicet primi homines plus serpenti, quàm Deo crediderunt uel obaudierunt: & exinde corrupti posteri eorum, & gentes magis diabolo uel idolis eius quàm Deo credentes, & Iudæi magis Antichristum quàm Christum expectantes, communiter peccarunt, & omnia in incredulitate conclusa sunt. libro duodecimo, capite decimosexto Comment. in Iohan.

Fides habet comitem charitatem. Rupertus: Fides uera nunquam sine charitate, & charitas uera nunquam sine fide est: sicut indiuisus & unus & trinus Deus pater & filius & Spiritus sanctus, sic indiuisa est una & trina uirtus fides, spes, & charitas, quæ respectu Trinitatis in anima hominum efficitur. lib. septimo de glorificat. Trinitat. & procesf. Spiritus sancti, cap. 17.

Bernhardus inquit: Fidei uita dilectio. In 8 Paschæ, serm. 1.

Fides operatur. Rupertus: Nec uerò illud prætermittendum, quod opportunè satis de fide & operibus disputat, dicens: Quoniam fides sine operibus mortua est, siue ociosa est. Nam quemadmodum Paulus apostolus prædicans iustificari hominem per fidem sine operibus, non bene intellectus est ab eis qui sic dictũ acceperunt, ut putarent, si semel in Christum credidissent, etiamsi malè operarentur, & facinorosè flagitioseque uiuerent, saluos esse per fidem: eundem sensum illius, quomodo sit intelligendus, exposuit: ideoque Abrahæ magis usus est exemplo, uacuam esse fidem, si non bene operaretur. Quo Abrahæ exemplo etiam Paulus apostolus usus est, ut probaret iustificari hominem sine operibus. Cum enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ eius fidem comitata sunt, satis ostendit, apostolum Paulum non ita per Abraham docere iustificari hominem per fidem sine operibus, ut si quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari. Sed ad hoc potius, ut nemo arbitretur, meritis priorum bonorum operum se peruenisse ad donum iustificationis, quæ est in fide. lib. 1 de Intellectu, capite 15.

Bernhardus: Quid diuidis actum à fide? Iniquè diuidis, fidem perimens tuam. Nam fides sine operibus mortua est. Munus mortuum offers Deo? Si enim quædam anima fidei ipsa deuotio est; quid fides quæ non operatur ex dilectione, nisi cadauer exanime? Sermone uigesimoquarto super Cantica. Item: Denique iustus ex fide uiuit, illa procul dubio quæ operatur ex dilectione. Epistola 107.

Potho ait: Fides enim auget in nobis operandi uires: quia si magna est fides, magna operari possumus: & quantum credimus, tantum scimus: & quantum crescit in nobis fides, tantum per dilectionem operari uolumus. Virtus enim dilectionis proficit ad augmentum bonæ uoluntatis: & quantum subest nobis posse per fidei constantiam, tantum confirmamur per gratiam, & prouehimur ad ueri cultus scientiam. lib. 1 de Statu domus Dei.

De fide, spe & charitate inquit Bernhardus: Dicit ergo fides, Parata sunt magna & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus suis. Dicit spes: Mihi illa seruantur. Nam tertia quidem charitas: Curro, mihi ait, ad illa. Sermone decimo de decimo uersu Psalmi, Qui habitat, &c. Item: Spes in nomine, res in facie est. Quod enim uidet quis, quid sperat? Fides utique ex auditu, & ea quidem iuxta eundem Apostolum, est rerum substantia sperandarum. Ibidem sermone decimoquinto.

De spe ait Bernhardus: Tria considero, in quibus tota spes mea consistit, charitatem adoptionis, ueritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmuret iam quantum uoluerit insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu, aut quanta est gloria illa, quibusúe meritis hanc obtineri speràs? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptauit me, quia uerax in promissione, quia potens in exhibitione: licet enim ei facere quod uoluerit. Hic est funiculus triplex, qui difficile rumpitur: quem nobis à patria nostra in hunc carcerem usque demissum firmiter obsecro teneamus, ut ipse nos subleuet, ipse nos trahat, & pertrahat usque ad conspectum gloriæ magni Dei. Sermone tertio de 7 panibus.

Petrus Cantor inquit: Est autem spes uirtus, qua spiritualia & æterna bona sperantur, id est, cum fiducia expectantur. Est enim spes certa expectatio futuræ beatitudinis, ueniens ex Dei gratia & meritis præcedentibus uel ipsam spem, quam natura præit charitas, uel rem speratam, id est, beatitudinem æternam. Sine meritis enim aliquid sperare, non spes, sed præsumptio dici potest. libro tertio, distinctione 25.

Petrus

Petrus Cantor ait: Est autem spes certitudo quædam præueniens ex gratia & meritis cuiuscunque. In malis igitur non est spes uirtus: qui tamen non sunt filij diffidentiæ, uel desperationis, quia de nullo desperandum est in uita: sed nec multùm de talibus est sperandum, nec sunt filij spei, sed medium quendam statum retinent, dum à pijs lachrymis non recedunt, entes in proposito non peccandi. Vnde dicitur: Sacrificate sacrificium iusticiæ. triplex scilicet, sobriè, iustè & piè uiuendo expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, &c. & ita sperate in Domino: alioquin præsumitis. capite septuagesimosexto. Item: Ex spe autem & fide oriuntur, uel idem sunt cum spe, quædam sancta expectatio & fiducia in agendis, quæ sunt consolationes non modicæ in omni tribulatione. Ibidem. Et: Defectus autem spei simul est defectus fidei. Qui enim non credit, non sperat, & econuersò. Ibidem.

Potho: Spes est fiducia futurorum bonorum ex gratia & bona conscientia. lib. 1 de Statu domus Dei.

DE BONIS OPERIBUS.

QVòd sint facienda. Bernhardus: In hoc quidem positi sumus, ut non peccato seruiamus. Ipse enim est peremptorius labor: nec seculo quoque, quemadmodum hi quos uidemus subditos curis terrenis, etsi non culpis: corporalibus officijs, etsi non flagitijs implicatos, & in ea quæ præterit huius mundi figura pro sua suorumque præsenti sustentatione laborantes: quorum utique labor etsi non ad damnationem, minimè tamen pertinet ad salutem: ita ut etsi conseruauerint fundamentum, detrimentum tamen patiantur, pereuntibus quæ superædificauerant: ipsi uerò salui sint, sic tamen quasi per ignem. Sermone contra ingratitud. Item: Sicut enim munditiam intra nos, erga proximum innocentiam conuenit obseruari: sic & in nobis & erga proximum exercenda uirtutis opera, opera pietatis. Non ergo simus nobis inutiles, ne in uano receperimus animas nostras: non simus inutiles proximo nostro, ne in uano ei iurasse probemur. Sermone de uerbis Psalmi uigesimitertij: Quis ascendet, &c. Et: Debet tamen quisque quantum potest irreprehensibilem se exhibere, primùm quidem coram Deo, sed deinde coram hominibus. Hoc nempe est quod alibi idem Apostolus loquitur, dicens: Prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed corá hominibus. Sermone uigesimonono Paruorum sermon. Item: Non sufficit à malo abstinere, si non & bonum faciamus. Inde Psalmista: Declina à malo, & fac bonum. Fugiamus ergo uicia, amplectamur uirtutes. Ibidem sermone trigesimoquarto. Item: Et quidem tria sunt à quibus abstinere debent, quicunque iustificari desiderant. Primò utique ab operibus prauis, secundò à carnalibus desiderijs, tertiò à curis seculi. Item tria sunt quibus debent insistere, quæ etiam continet sermo Domini in monte: eleemosyna, ieiunium, oratio. Sic enim adimpletur iustificatio, dum ab interdictis uitijs abstinent, & bona quæ præcepta sunt, fideliter exercent. Opponantur ergo prauis operibus opera misericordiæ, contra carnalia desideria adhibeantur ieiunia, & pro curis seculi succedat amor Dei & frequentia orationis. In libro Sententiar. Et: Ligna sunt omnes iusti, qui plantati in medio Ecclesiæ temporalis, facere debent fructus uitæ qui maneant. Videat autem quisque ut eligat sibi locum irriguum, in quo fructificans proferat in tempore suo fructum uitæ. Sunt autem tres decursus aquarum. Incitamenta Scripturarum: quæ per minas & promissa honestam in homine suscitant uoluntatem. Charismata gratiarum: quæ hominem spiritualem ex animali efficiunt, ad sui prouisionem & curam informando, & docendo omnem ueritatem, ministrant operum fœcunditatem. Stillicidia lachrymarum: quæ dum uenas intentionis atque propositi suo rore irrigant & infundunt, ne lignum moriatur, perseuerantiam largiuntur. Qui iuxta hæc fluenta radicatus fuerit, per menses singulos faciet fructum, & folia ligni illius ad suauitatem gentium. Ibidem. Item: Qui ergo iustificati à peccatis sectari desiderant deliberantque sanctimoniam, sine qua nemo uidebit Deum, audiant te clamantem: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Considerent uias tuas, & discant à te, quia iustus sis in omnibus uijs tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis. Sermone uigesimosecundo super Cantica.

Petrus Blesensis inquit: Vide ne soluas IESVM. IESVM ille soluit, qui uerbis eum confitetur, operibus autem negat. Epistola 54.

Potho ait: Disciplina morum est qua regitur domus Dei, sine qua non habitant unanimes in domo. Disciplinam morum, uenustatem domus Dei non in-

congruè

congruè appellamus. lib.secundo de Statu domus Dei.

Hildebertus:Non cadit turpiter, quisquis post casum fortius congreditur.Epistola nona.

De iusticia bonorum operum inquit Bernhardus: Quid potest esse omnis iusticia nostra coram Deo? Nónne, iuxta Prophetam, uelut pannus menstruatæ reputabitur? & si districtè iudicetur, iniusta inuenietur omnis iusticia nostra, & minus habens? Quid ergo de peccatis erit, quando ne ipsa quidem pro se poterit respondere iusticia? Propterea obnixè cum Propheta clamantes, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: tota humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest saluare animas nostras. Sermone 1 in festo omn. Sanctor. Item: Recta proinde interim uideri potest iusticia hominum, si tamen peccato non consentiant, ut non regnet in eorum mortali corpore. Nam primi hominis in initio quidem non modò recta, sed etiam pura fuit, quamdiu ei datum est nec sentire peccatum. Cæterùm & hæc ipsa quoniam firma non fuit, & puritatem facilè perdidit, & ne ipsam quoq; retinuit rectitudinem suam. Sanè apud angelos iusticia recta, pura & firma est: sublimis quidem, sed adhuc longè inferior quàm diuina. Non enim innata est eis, sed à Deo collata: ut natura ipsa, quod ex se est, non modò iusticiæ, sed etiam iniusticiæ capax inueniatur. Nunquid non ista est prauitas quædã, quam in angelis suis uera illa iustitia legitur inuenisse? Non enim iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, ait is qui Dei iusticiam minimè ignorabat. Nec ait, Omnis homo: sed, Omnis uiuens: fortè ut ne ipsos angelicos cum noueris spiritus excepisse. Viuunt enim & ipsi tãto uerius, quanto propius astant ei apud quem est fons uitæ. Nihilominus etiam iusti sunt, sed ex eo, non coram eo: munere eius, non in eius cõparatione. Ipsa enim sibi iusticia est, cuius uoluntas non tam æqua, quàm ipsa æquitas. Et utraq; non aliud quã ipsa substantia est. Illa ergo iusticia uerissimè sicut mons est, quæ recta est, quæ pura est, quæ firma est, & ut ita dixerim, etiam substantia est. Quanta enim in hoc capite latet altitudo? Quanta gloria est, quantaq; sublimitas in hoc umbroso & condenso monte reposita? Serm. 5 de uerbis proph. Esaiæ: Vidi Dom. sedentem, &c. Item: Et est iudicium, ut qui contemnunt Dei misericordem iustitiam, & suam uolunt constituere (quæ profectò non iustificat, sed accusat) eidem suæ iusticiæ relinquantur, opprimendi magis quàm iustificandi. Est quippe ex lege (quæ neminem unquam duxit ad perfectum) est iugum quod neque ipsi neq; patres eorũ unquam portare potuerunt. Sed synagoga fortis est, non curat onus leue, nec iugũ suaue. Sana est, non est ei opus medicus, nec unctio spiritus. Confidit in lege, liberet eam si potest. Non autem data est lex quæ possit uiuificare, insuper & occidit. Litera enim occidit. Propterea, inquit, dico uobis, moriemini in peccatis uestris. Sermone 14 super Cantica.

Vnde sint. Bernhardus: De operibus uerò bonis certum omnino est, quòd nemò habeat hæc à seipso. Nam si stare non potuit humana natura adhuc integra, quanto minus poterit per seipsam resurgere iam corrupta? Sermone 1 de Annunc. Mariæ. Item: De meritis quoque si credis, non posse haberi, nisi per ipsum, non sufficit, donec tibi perhibeat testimoniũ Spiritus ueritatis, quia habes ea per illum. Sic & de uita æterna habeas necesse est testimonium Spiritus, quòd ad eam diuino sis munere peruenturus. Ibidem. Item: Quid ergo à te quærit, qui tanta solicitudine te quæsiuit, nisi te solicitum ambulare cum Deo tuo? Hanc solicitudinem non facit nisi Spiritus sanctus, qui scrutatur profunda peccatorum nostrorum, discretor cogitationum & intentionum cordis, qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patiatur residere: sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit Spiritus dulcis & suauis, qui nostram uoluntatem flectat, imò erigat & dirigat magis ad suam, ut eam & ueraciter intelligere, & feruenter diligere, & efficaciter implere possimus. Serm. 3. Et: Ipse ergo auctor, ipse remunerator operis, ipse remuneratio tota, ut summum illud bonũ, cuius nimirum tam perfecta est simplicitas in seipso, duplex quodammodo uideatur in nobis causa bonorum, effectiua scilicet, & finalis. Sermone 9 de 9 uersu Psal. Qui habitat, &c. Et: Origo fontium & fluminum omnium mare est, uirtutum & scientiarum Dominus IESVS Christus. Quis enim Dominus uirtutũ nisi ipse est rex gloriæ? Sed & iuxta Annæ canticum, idem ipse Deus scientiarum Dominus est. Cõtinentia carnis, cordis industria, uoluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non solùm autem, sed & si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Inde scientiæ, inde sapientiæ sermo. Thesauri siquidem sapientiæ & scientiæ ibi omnes absconditi sunt. Quid? Casta consilia, iusta iudicia, sancta deside-

ria, nonne riuuli fontis illius sunt? Quòd si copiæ aquarum secretis subterraneisq; recursibus incessanter æquora repetunt, ut inde rursus ad uisus usúsq; nostros iugi & infatigabili erumpant obsequio: cur nō etiam spirituales riui, ut arua mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude & sine intermissione reddantur? Ad locum unde exeunt reuertātur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Remittatur ad suum principium cœleste profluuium, quo uberius terræ refundatur. Qualiter inquis? Qualiter dicit Apostolus: In omnib. gratias agentes. Quicquid sapientiæ, quicquid te uirtutis habere confidis, Dei uirtuti & Dei sapientiæ deputa Christo. Et quis tam insanus (ais) ut aliunde præsumat? Nemo planè, adeò ut & pharisæus gratias agat: cuius tamen iusticiæ non est laus à Deo. Nec enim illa gratiarum actio (si bene recolis Euangelium) gratiorem eum facit. Ser. 13 sup. Cant. Et: Sciant inimici gratiæ, absq; gratia nec ad cogitandū bonum sufficere cor humanum, sed sufficientiam ipsius ex Deo esse. Ibidē sermone trigesimosecundo.

Lombardus inquit: Hæc est gratia operans & cooperans: operans enim gratia præparat hominis uoluntatem, ut uelit bonum: gratia cooperans adiuuat ne frustra uelit. Vnde Augustinus in libro de Gratia & libero arbitrio: Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incipit: quia ipse ut uelimus operatur incipiens, qui uolentibus cooperatur perficiens. Vt ergo uelimus, operatur. Cum autem uolumus, & sic uolumus, ut perficiamus, nobis cooperatur: & tamen sine illo uel operante ut uelimus, uel cooperante cum uolumus, ad bona pietatis opera nihil ualemus. Ecce his uerbis satis aperitur quæ sit operans gratia, & quæ cooperans. Operans enim gratia est quæ præuenit uoluntatem bonam: ea enim liberatur & præparatur hominis uoluntas, ut sit bona, bonumq́ue efficaciter uelit. Cooperans uerò gratia uoluntatem iam bonam sequitur adiuuando. libro 2. distinctione 26. Item: Operans enim dicitur, in quantum liberat & præparat uoluntatem hominis ut bonum uelit: cooperans, in quantum eandem adiuuat ne frustra uelit, scilicet ut opus faciat bonum. Ipsa enim gratia non est ociosa, sed meretur augeri, ut aucta mereatur perfici. Ibidem. Item: Iusticia in homine non est opus hominis, sed Dei: quod & de alijs uirtutibus itidem intelligendum est. Ibidem distinctione 27.

Petrus Blesensis inquit: Currite & clamate post eum qui bene currentes dirigit, qui deuotè clamantes audit, sine cuius gratia propositum religionis, quantumcunque grauis & asperæ uitæ, meritum non habebit. Epist. 67.

Hildebertus ait: Vtrumque autem operatus est unus atque idem Spiritus, uolens tibi uirtutum exuberare gratiam, quæ suæ processionis à filio defensorem reseruabat. Epist. 22.

Iohannes Salisberiensis ait: Constat enim, quòd omnis ædificatio morum à Domino est: & cum quis ad uirtutem aut ab opere, aut à uerbo, aut quocunque modo instruitur, concessis sibi à Domino utiliter cibatur. libro 7 Policrat. de curial. nugis, cap. 10.

Fides præcedat. Bernhardus: Nec incōgruè (ut opinor) id tibi uidebitur, si aduertas quomodo instar floris necessariò præcedentis fructum, bonum quoque opus fide oporteat præueniri. Alioquin sine fide impossibile est placere Deo, Paulo attestante, magis autem æquè ipso docente: Omne quod non est ex fide, etiam peccatum est. Itaque nec sine flore fructus, nec sine fide opus bonum. Sed & fides sine operibus mortua est, sicut inutiliter quoq; flos apparet, ubi non sequitur fructus. Sermon. 51 super Cantica.

Iohannes Salisberiensis ait: Ex quo patet, nisi in ueri Dei noticia & cultu, uera uirtus esse non posse. libro tertio Policrat. cap. 9.

Qualia. Bernhardus: Opus est ut iusticia sit in intentione, hilaritas in operatione, humilitas in reputatione.

Lombardus ait: Quumq; intentio (ut suprà dictum est) bonum opus faciat, & fides intentionem dirigat, non immeritò quæri potest, utrum omnis intentio, omneque illorum opus malum sit, qui fidem non habent? Si enim fides intentionem dirigit, & intentio bonum opus facit, ubi non est fides, nec intentio bona, nec opus bonum esse uidetur. Quod à quibusdam non irrationabiliter astruitur, qui dicunt, omnes actiones & uoluntates hominis sine fide malas esse, quæ fide habita bonæ existunt. Vnde Apostolus ait: Omne quod non est ex fide, peccatum est. libro secundo, distinctione 41. Item: Qui ergo fidem & charitatem non habet, omnis eius actio peccatum est: quia ad charitatem non refertur. Quod enim ad charitatem non refertur (ut suprà meminit Augustinus) non fit quemadmodum fieri oportet, ideoq́ue malum est. Non ergo mandata custodit, qui charitate caret: quia sine charitate nullum mandatorum custoditur. Ibidem.

Quæ

Quæ ad bona opera requirantur, Potho declarat, inquiens: Ergo ad opera domus necessaria sunt amor & labor: amor, qui pigram mentem ad opus excitet: labor, qui instantiam operis non deserat. libro primo de Statu domus Dei. Item: Cæterùm ad custodiam domus alia duo nobis famulantur, id est, cura & uigilia. Consilium ista pariunt, ut scilicet in omni opere consilium sequaris, nec sine consilio aliquid facias. Sicut enim in labore ut agas, in amore ut perficias: sic in cura est ut prouideas, in uigilia ut attendas. Dicunt sapientes mundi, quòd isti sint quatuor pedissequi, id est, amor & labor, cura & uigilia, qui portant lecticam philosophiæ: quia mentem exercent, cui præsidet sapientia. Cathedra quippe philosophiæ, sedes est sapientiæ, quæ his suppositis gestari dicitur, quoniam in his se exercendo promouetur. Vnde pulchrè iuuenes propter robur à fronte lecticam tenere dicuntur, uidelicet Philos & Ponos, quia foris opus peragunt: à posteriori puellæ Epimelia & Agripnia, quod interpretatur cura & uigilia, quia intus in secreto consilium pariunt. Ibidem.

Alia opera alijs maiora. Rupertus: Habet ministerium pauperum meritum suum, sed præcellit officium pietatis, ipsi sanctorum pauperum capiti impensum. Libro nono, capite nono Commentar. in Iohannem.

De ordine actionum inquit Bernhardus: Primò enim pœnitendo conuertuntur, secundò bene uiuendo iusticiam exercent, tertiò si bene profecerint, ipsam iusticiam quam uita tenent, uerbo docent. Sed quoniam uirtutibus insidiantur uitia, & ita iuxtà sunt posita, ut qui ab his deuiauerit, istorum laqueos incurrat, oportet ut sit pœnitentia sine pudore, ne scilicet erubescat confiteri commissa peccata, caueat iusticia simulationem, eliminet prælatio elationem. Sermone sexagesimo Paruorum sermon. Item: Attamen in bene ordinata actione sæpe aut etiam semper ordo oppositus inuenitur. Nam & circa proximi curam & plus urgemur, & pluries occupamur, & infirmioribus fratribus diligentiori sedulitate assistimus, & paci terræ magis, quàm cœli gloriæ iure humanitatis & ipsa necessitate intendimus, & temporalium inquietudine curarum uix aliquid sentire de æternis permittimur, & languoribus nostri corporis, postposita animæ cura, pœnæ continuæ inseruimus, & ipsis denique infirmioribus membris nostris abundantiorem honorem iuxta sententiam Apostoli circumdamus: per hoc quodammodo facientes uerbum Domini, de quo habes: Erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Sermone quinquagesimo super Cantica. Et: Spiritualis homo ille qui omnia dijudicat, ut ipse à nemine dijudicetur, omne opus suum trina quadam consideratione præueniet. Primùm quidem an liceat, deinde an deceat, postremò an expediat. libro tertio de Consideratione.

Discrimen bonorum & aliarum actionum Lombardus tradit: Nam simpliciter ac uerè sunt boni illi actus, qui bonam habent causam & intentionem: id est, qui uoluntatem bonam comitantur, & ad bonum finem tendunt. Mali uerò simpliciter dici debent, qui peruersam habent causam & intentionem. libro secundo, distinctione 39. Item: Quæritur, utrum omnia opera hominis, ex affectu & fine sint bona uel mala? Quibusdam ita uidetur esse, qui dicunt omnes actus esse indifferentes, ut nec boni nec mali per se sint: sed ex intentione bona bonus, & ex mala malus fit omnis actus. Secundum quos quilibet actus potest esse bonus, si bona intentione geratur. Alijs autem uidetur, quòd quidam actus in se mali sint, ita ut non possint esse nisi peccata, etiamsi bonam habeant causam: & quidam in se boni ita, ut etsi malam habeant causam, non tamen boni esse desinant. Quod testimonio Augustini confirmant, qui dicit, bonum aliquando non bene fieri. Quod enim quis inuitus uel necessitate facit, non bene facit, quia non bona facit intentione, ut ait Augustinus: Seruilis, inquit, timor non est in charitate, in quo quamuis credatur Deo, non tamen in Deum: & si bonum fiat, non tamen bene. Nemo enim inuitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit. Ecce habes quod aliquis non bene facit illud quod bonum est. Facit ergo quod bonum est, intentione non bona. Ideo asserunt illi, quædam opera esse talia, quæ sic bona sunt, quòd mala esse non possunt, quocunque modo fiant: sicut econuersò quædam sic sunt mala, ut non possint esse bona, quacunque ex causa fiant. Alia autem esse opera quæ ex fine uel causa, bona sint uel mala: & ad illa referunt sanctorum testimonia, quibus ex affectu uel intentione iudicium operum pensari dicũt. Tripartitam edunt isti differentiam actuũ. Ibidem distinct. 40.

De fine bonorum operum inquit Lombardus: Finis ergo rectus atque supremus Deus pater est, & filius, & Spiritus sanctus: nec hi tres sunt tres fines, sed unus finis: quia non tres Dij, sed unus Deus. libro secundo, distinctione trigesima octaua.

Petrus Blesensis: Sic ergo in Psalmis, in Canticis, in Sacramento altaris, in eleemosynis uestra exerceatur deuotio, ut uideant homines bona opera uestra, & glorificetur pater uester in cœlis. Epistola 57.

Bernhardus ait: Luceat lux uestra, inquit, coram hominibus: quod non est dubium de operibus fuisse dictum. Sermone 51 super Cant.

Bona opera uitam declarant. Bernhardus: Fidei uitam opera attestantur, sicut scriptum est: Opera quæ dedit mihi pater, ipsa testimonium perhibent de me. Nec discrepare uidetur ab hac sententia, qui fidem sine operibus mortuam asserit in semetipsa. Sicut enim corporis huius uitam ex motu suo dignoscimus: ita & fidei uitam ex operibus bonis. Itaque uita quidem corporis est anima, per quam mouetur & sentit: uita uerò fidei charitas est, quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis: Fides quæ per dilectionem operatur. Vnde & refrigescente charitate fides moritur, sicut corpus anima recedente. Sermon. 2 de resur. Dom.

De præmijs bonorum operum ait Hugo de sancto Victore: Aeterna requies post hanc uitam sanctis est parata, ut quisquis hic bene laborat, remuneratus perenni quiete perfruatur. libro septimo Allegoriarum, capite 5. Et: Conscientia est inseparabilis gloria uel confusio uniuscuiusque pro qualitate dispositi. In libro de Conscientia.

Bernhardus inquit: Ipse enim peccata condonat, ipse donat merita, & præmia nihilominus ipse redonat. Sermone primo in Annunciatione beatæ Mariæ. Et: De bonis autem operibus argumentum nihilominus efficax mihi est resurrectio eius, quia resurrexit propter iustificationem nostram. Porrò de spe præmiorum testimonium eius est ascensio, quia ascendit propter glorificationem nostram. Hæc tria in Psalmis habes, dicente Propheta: Beatus uir, cui non imputabit Dominus peccatum. Et alibi: Beatus uir, cuius est auxilium abs te. Item alibi: Beatus quem elegisti & assumpsisti, habitabit in atrijs tuis. Ibidem. Et: Neque talia sunt hominum merita, ut propterea uita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam ut taceam quòd merita omnia dona Dei sunt, & ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quàm Deus homini: quid sunt merita omnia ad tantam gloriam? Denique quis melior est Propheta, cui Dominus ipse tam insigne testimonium perhibet, dicens: Virum inueni secundum cor meum. Veruntamen & ipse necesse habuit dicere Deo: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Nemo itaque se seducat: quia si bene cogitare uoluerit, inueniet proculdubio, quòd nec cum decẽ milibus possit occurrere ei, qui cum uiginti milibus uenit ad se. Ibidem. Item: Duo autem sunt quæ remunerantur: iusticia operis, & puritas cordis. In libro Sententiarum.

Petrus Blesensis ait: Transibit enim spes in rem, labor in præmium, continentia in gloriam, abstinentia in coronã, quod breue est in perpetuum, quod mutabile in æternum. Epist. 129.

De pœnis malorum operum inquit Hugo de sancto Victore: Et cum diues ille nondum proprijs rebus abrenunciauerat, sed quia in his quæ possidebat, temperantiam seruare noluit, post illicitum usum rerum temporalium ad pœnam sempiternam uenit. Si ergo ille qui proprijs abusus est, tantam damnationem meruit, quid putamus isti facient, qui propriam non habentes, alienam eleemosynam cultui suæ elationis impendere non pertimescunt? In libro de Nouiter conuersis instituendis, cap. 11.

Adhortationem ad bona opera habet Hildebertus: Attende quid habeas ex tam bono factore tuo, & attende quid ei debeas ex tam magno beneficio suo. Attende inquam, qualem te laborauerit artifex tuus, & labora ne degeneret labor suus, &c. His autem bonis non sunt homines boni, sed eis bene utendo faciunt ut & ipsi fiant boni. Vt igitur & tu sis bonus coram creatore tuo, utere bene bono munere suo. Si bene uteris, & eius munus est bonum tuum: si uerò malè, eius quidem munus est & bonum, sed bono munere malè utendo facis tuum malum. Nihil enim est homini bonum sine se bono. Bonis autem & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Porrò munera Dei damno sunt possessoribus ociosis, quibus nolle negociari ad lucrum probè, negociantur ad suppliciũ. Epistola 15.

Virtus quid. Lombardus: Virtus est, ut ait Au-

ait Augustinus, bona qualitas mentis, qua rectè uiuitur; & qua nullus malè utitur: quam Deus solus in homine operatur. libro secundo, distinctione uigesimaseptima.

De uita Deo placente ait Iohannes Salisberiensis: Cæterùm ego uitam Deo placentem arbitror, cupiditatis ignaram, insistentem innocentiæ, & peruigilem in opere charitatis. libro septimo Policrat. capite 22.

De disciplina ait Potho: Nam omnis disciplina in præsenti non uidetur esse gaudij, sed mœroris: postea uerò pacatissimum fructum iusticiæ exercitatis per eam reddet. libro tertio de Statu domus Dei.

De fide, quatenus bonum opus, Richardus inquit: Fides prima est bonorum omnium quæ per iusticiam comprehenduntur, & ex fide nascitur charitas, & ex charitate bona opera. Libro 1 in Apocalyps. Item: Fides sine bona operatione, bonum opus cum infidelitate, castitas cũ superbia, humilitas cum luxuria, totum hoc monstrosum facit, & nihil horum ad Christianam perfectionem attingit. Super Psalm. 138.

De ficta pietate inquit Potho: Est enim in omni ordine, in omni professione latens disciplinæ fictum Sancto spiritui inimicum, innocentiæ ac simplicitati Christianæ ualde contrarium. Hoc nimirum est illud negocium, quod perambulat in tenebris, quod latet intus in secreto conscientiæ, apparet foris in ficta bonæ conuersationis disciplina. libro 3 de Statu domus Dei.

De spirituali exercitio inquit Bernhardus: Quanto enim spiritus corpore melior est, tanto spiritualis, quàm corporalis exercitatio fructuosior. In Apologia ad Guilhel. abbatem.

Euentus Deo permittendus. Bernhardus: Ita quæso, fac tu quod tuum est: nam Deus quod suum est, satis absque tua solicitudine & anxietate curabit. Planta, riga, fer curam, & tuas explicuisti partes. Sanè incrementum ubi uoluerit, dabit Deus, non tu. Vbi fortè noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scriptura: Reddet Deus mercedem laborum suorum sanctorum. Securus labor, quem nullus ualet euacuare defectus. libro quinto de Cõsideratione.

De deuotione inquit Bernhardus: Quatuor esse dicuntur, quæ nostræ gratiam deuotionis adaugent. Memoria peccatorum, quæ hominem reddit humilem apud se. Recordatio pœnarum, quæ illum solicitat ad bene agendum. Consideratio peregrinationis, quæ illum hortatur uisibilia debere contemni. Desiderium uitæ perennis, quæ hominem incitans ad perfectum, cogit eum à terrenis affectibus uoluntatis mutatione suspendi. In libro Sententiarum.

Cui seruiendum. Bernhardus: Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes, illi præcipuè Domino, qui te fecit, & benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aëris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic reuera totis medullis, totis uiribus seruiendum, ne fortè indignationis oculo te respiciat, & despiciat, & conterat in æternũ, & in seculum seculi. Sermone de quadruplici debito.

De contemplationibus inquit Bernhardus: Sciendum est autem, esse duo genera contemplationis. Quidam enim sunt qui ascendunt, & cadunt: alij uerò qui rapiuntur, & descendũt. Sermone quinquagesimosecundo Paruorum sermonũ. Et: Quæ cum ita sint, duo liquet contemplationis genera esse: unum de statu & felicitate & gloria ciuitatis supernæ, quo uel actu uel ocio ingens illa cœlestium ciuium occupata sit multitudo: alterum de regis ipsius maiestate, æternitate, diuinitate. Sermone sexagesimosecundo super Cantica. Item: Et primùm quidem ipsum fontem suum, id est, mentem de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, uitam honestat & ordinat. Postremò diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est quæ confusa distermin at, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, uera uestigat, uerisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est quæ in prosperis aduersa præsentit, in aduersis quasi non sentit: quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est. Ibi etiam aduertere tibi est suauissimum quendam concentum complexumque uirtutum, atque alteram pendére ex altera: sicut hoc loco uides, fortitudinis matrem esse prudentiam, nec fortitudinem, sed temeritatem esse quemlibet ausum, quem non parturiuit prudentia. Hæc item est quæ inter uoluptates & necessitates media quasi quædam arbitra sedens, utrinque certis limitibus disterminat fines, istis assignans & præbens

quod sat est, illis quod nimis est demens: & sic ex alterutro tertiam formans uirtutem, quam dicunt temperantiam. libro primo de Consideratione. Item: Vis tibi has considerationis species proprijs distingui nominibus? Dicamus, si placet, primam dispensatiuam, secundam æstimatiuam, tertiam speculatiuam. Horum nominum rationes, definitiones declarabunt. Dispensatiua est consideratio sensibus sensibilibusque rebus ordinatè & socialiter utens ad promerendum Deum. Aestimatiua est consideratio prudenter ac diligenter quæque scrutans & ponderans ad uestigandum Deum. Speculatiua est consideratio se in se colligens, & quantum diuinitùs adiuuatur, rebus humanis eximens ad contemplandum Deum. Ibidem libro quinto.

De dubijs rebus. Bernhardus: In his uerò rebus, de quibus nihil certi possumus inuenire, nihil certum uoluntas nostra definiat: pendeat inter utrumque, aut saltem neutri parti nimis inhæreat, cogitans semper ne fortè altera pars Deo magis placeat: & parati simus eius uoluntatem sequi, in quamcunque partem eam cognouerimus inclinari. Nemo super his quæ certa sunt hæsitet, nemo dubia pro certis admittat, nemo sibi in dubijs iudicium uendicet, præcipitetúe sententiam, & experiemur quod scriptum est: Pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non est illis scandalum. Vnde enim sunt scandala, unde turbatio, nisi quòd propriam sequimur uoluntatem, & temerè quod uolumus in corde nostro definientes, si quo modo id prohiberi contingat, aut impediri, continuò etiam in impatientiam, in murmurationem, in scandalum proni sumus, non attendentes, quoniam omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum uocati sunt sancti: & qui nobis casus uidetur, sermo quidem Dei est, suam nobis indicans uoluntatem? At quicunque nihil certum de huiusmodi in corde posuerit, in quamcunque partem postea conuertatur, scandalizari non poterit. Sermone quomodo uoluntas nostra diuinæ subijci debeat. Item: Consensum nostrum necesse est diuinæ subijcere uoluntati, si pacem æternam, & pacem desideramus habere præsentem, sicut scriptum est: Pacem meam do uobis, pacem relinquo uobis. Domine (ait Propheta) in lumine uultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die. Alius enim ambulat in lumine uultus sui, solicitus facere suam uoluntatem, & beneplacitum cordis sui considerans. Alius ambulat in lumine uultus humani, in eo semper intentus quid hominibus placeat, quid mundus iudicet: de quo die Propheta loquitur, Diem hominis non concupiui, Domine tu scis. Contritio & infœlicitas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum. Nam qui timorem Dei semper habet præ oculis, uiæ eius uiæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos (quos uestræ seu alienæ uoluntatis dura premit seruitus) & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Quanto enim benignior & dulcior est diuina clementia quolibet homine, tanto suauius esse manifestum est iugum eius cæteris omnibus. Propterea homines sibijpsis aut alijs hominibus placere studentes, confusi sunt: sed qui in lumine uultus tui ambulant Domine, id solum cogitantes, quomodo tuam faciant uoluntatem, & toto corde contendentes placere tibi, nunc quidem in nomine tuo exultabunt, & non erit illis scandalum. Demum in iusticia tua exultabunt, quando exuentes infirmitates suas, & intrantes potentias Domini, memorabuntur iusticiæ tuæ solius, ut eam tunc teneant sine labore, quam modò sequi laborant. Ibidem.

Quomodo currendum. Bernhardus: Curremus, curremus, sed in odore unguentorum tuorum, non in nostrorum fiducia meritorum. Nec in magnitudine uirium nostrarum currere nos confidimus, sed in multitudine miserationum tuarum. Nam etsi quando cucurrimus ac uoluntariæ fuimus, non fuit uolentis neque currentis, sed miserentis Dei. Reuertatur misericordia, & curremus. Tu quidem in uirtute tua tanquam gigas & potens curris, nos nisi unguenta tua spirauerint, non curremus. Tu quem pater unxit oleo læticiæ præ consortibus tuis, curris in ipsa unctione: nos in illius odore curremus. Tu in plenitudine, nos in odore. Sermone uigesimoprimo super Cantica canticorum.

Sancti imitandi. Bernhardus: Studeamus fratres, uiuere uita iustorum, sed morte

morte eorum mori multò magis desideremus.

Eckbertus: Si ergo amas gloriam & nomen excelsi, horum æmulare sanctitatem, humilitatem indue, actus imitare: & reddet tibi iustus iudex, sicut & illis, thesauros inæstimabilis gloriæ, & nomen honorabile coram angelis & hominibus, quod nulla unquam obliuione delebitur. In epist. ad Reinold. electum Coloniésem episcopum.

De philosophica doctrina de uirtutibus. Bernhardus: Dicendum & hoc, quia frustra huius seculi sapientes de quatuor uirtutibus tam multa disputauerunt, quas tamen apprehendere omnino nequiuerunt, cum illum nescierint qui factus est nobis à Deo sapientia docens prudentiam, & iusticia delicta donans, & sanctificatio in exemplum temperantiæ continenter uiuens, & redemptio in exemplum patientiæ fortiter moriens. Sermone uigesimosecundo super Cantica. Item: Quid uobis cum uirtutibus, qui Dei uirtutem Christum ignoratis? ubi nam quæso uera prudentia, nisi in Christi doctrina? Vnde uera iusticia, nisi de Christi misericordia? Vbi uera temperantia, nisi in Christi uita? Vbi uera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli ergo qui eius doctrina imbuti fuerint, prudentes dicendi sunt, soli iusti qui de eius misericordia ueniam peccatorum consecuti sunt, soli temperantes qui eius uitam imitari student, soli fortes qui eius patientiæ documenta fortiter in aduersis tenent. Incassum proinde quis laborat in acquisitione uirtutum, si aliunde eas sperandas putat, quàm à Domino uirtutum, cuius doctrina seminarium prudentię, cuius misericordia opus iusticiæ, cuius uita speculum temperantiæ, cuius mors insigne est fortitudinis. Ibidem.

DE INVOCATIONE *& oratione.*

QVòd orandum sit, docet Bernhardus: Quærat ergo deuotionis aquas, quisquis seminauerit bonorum operum semina, ut irrigatus fonte gratiæ, bonæ conuersationis hortus non arescat, sed in perpetua uiriditate proficiat. Orat enim pro huiusmodi Propheta: Et holocaustum tuum, inquiens, pinguefiat. Sic & in laudibus Aaron legis, quoniam sacrificium eius quotidianus ignis absumpsit. In quibus omnibus nihil intelligendum uidetur, nisi ut bona opera feruore deuotionis, & dulcedine spiritualis gratiæ condiantur. Sermone primo in die natalis Domini. Item: Et tu igitur orare disce, disce quærere, petere, pulsare, donec inuenias, donec accipias, donec aperiatur tibi. Et: Deo ergo relinquentes sui quod ignoramus secretum consilij, ipsum supplici deuotione & deuota supplicatione precamur, ut in uobis & de uobis operetur quod & se deceat, & uobis expediat. Epistola 8.

De speciebus inquit Bernhardus: Quatuor mihi uidentur orandi modos exprimere Apostoli uerba, dicentis: Volo primùm fieri obsecrationes, deinde orationes, postulationes, gratiarum actiones. Sermone de quatuor modis orándi. Item: Prima igitur, id est obsecratio, uerecundo fiat affectu. Secunda, quam propriè diximus orationem, affectu puro, ut uidelicet non dissimulemus peccata, non nos palpemus, scientes quòd sic quisque inuenit gratiam apud Deum, si inuentus fuerit durus iudex in semetipsum. Tertia, id est postulatio, amplum quærit affectum, & fiduciæ latitudinem, sicut scriptum est: Postulet autem in fide nihil hæsitans. Credo enim propterea dictum, Quemcunque locum calcauerit pes uester, uester erit: quòd tantum impetrabimus, quantum porrexerimus pedem fidei. Quarta, quæ est gratiarum actio, ipsa debet esse deuotione plenissima, & delicijs affluens. Ibidem.

Petrus Cantor ait: Nota quòd est oratio cordis, oratio oris, oratio operis. capite nonagesimoquarto.

Hugo Parisiẽsis de S. Victore: Tres sunt species orationis, supplicatio, postulatio, insinuatio. Supplicatio est, sine determinatione petitionis humilis & deuota precatio. Postulatio est, determinatæ petitionis certa narratio. Insinuatio est, sine petitione per solam narrationem uoluntatis facta signatio. Vincentius in Speculo historiali libro uigesimoseptimo, capite quadragesimonono.

Vnde sit. Rupertus: Ipsa uera adoratio, propria sancti Spiritus est operatio. libro 4 Com. in Iohan. cap. 3.

Bernhardus: In oratione datur bona uoluntas, cũ uideris quæ agẽda sunt, ut cõualescas ad agenda quæ uideris. Ascende tu ad orationẽ, ora instãter, ora perseuerãter, sicut ille pernoctabat in oratione, & dabit pater bonus spiritũ bonũ petenti se. Et uide, quàm utiliter orationis tẽpore etiã corporalis loci secretũ quærimus, quãdo hoc ille nõ solùm docuit uerbo: Intra, inquiẽs, in cu-

in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum. Sed & commendauit exemplo, nec domesticorum quenquam admittens, sed solus ascendens ad orationem. Sermone quarto de ascensione Domini. Et: Hic fructus notitiæ nominis, clamor orationis: porrò fructus clamoris, exauditio Saluatoris. Sermone decimoquinto de decimoquarto uersu Psalmi, Qui habitat, &c.

Quid ad inuocationem requiratur. Petrus Alphonsus: Ad orationem pertinet mundari non extrinsecus, sed intrinsecus. Dialogo 5.

Bernhardus ait: Considerare namq; debet is qui orat, & quid petit, & ipsum quem petit. & seipsum qui petit. In eo autem quod petit, duo debet attendere, ut secundum Deum sit quod postulat, & ut hoc ipsum in summo affectus desiderio habeat. Verbi gratia: Si mortem inimici, si læsionem seu deiectionem proximi orando petierit, non est secundum Deum talis oratio, cum ipse præcipiat & dicat: Diligite inimicos u estros, benefacite his qui oderunt uos, & orate pro persequentibus & calumniantibus uos. Si uerò peccatorum remissionem, si Spiritus sancti gratiam, si uirtutem atque sapientiam, si fidem, ueritatem, iusticiam, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, & cætera spiritualia charismata quæsierit, & ea cogitando uehementer affectauerit, hæc secundum Deum est oratio, & hæc uerè meretur audiri. De huiusmodi enim orationibus loquitur per Esaiam Deus: Antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. Sunt & alia, quæ cum desunt, à Deo dantur: & possunt esse uel non esse secundum Deum, quantum duntaxat interest finis ad quem referûtur: ut est corporis sanitas, pecunia, cæterarumque rerum affluentia: quæ etsi à Deo sint, non tamen sunt magnipendenda, nec ex desiderio possidenda. Similiter & in ipso quem petit, debet duo considerare: bonitatem & maiestatem. Bonitatem qua gratis uelit, & maiestatem qua planè possit dare quicquid petitur. Sed & in seipso qui petit debet nihilominus duo atendere, id est, ut pro suis meritis nihil accepturum putet, sed de Dei misericordia tantùm quicquid rogauerit, impetraturum speret. Tunc ergo dicitur cor purum, quando tria hæc quæ dicta sunt, & eo modo quo dicta sunt, cogitat. Et quisquis hac puritate & intentione cordis orauerit, exaudiri se sciat: quia sicut testatur Petrus apostolus, Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iusticiam, acceptus est illi. In libro Sententiarum. Et: Orantem denique hominem cum Deo loqui quis dubitet? Sermone 50 super Cant.

De alis orationis Bernhardus inquit: Duas igitur alas habeat oratio nostra. Contemptum mundi, & afflictionem carnis: nec dubium, quin cœlos penetret, & dirigatur sicut incensum in conspectu Dei. Serm. 3 in die Epiph. Dom.

Quis inuocandus. Rupertus: Vbicunque hoc nomen inuocatur recto ordine & Euangelica traditione, primò continuatim pater & filius, & deinde tertia persona Spiritus sanctus, eo uidelicet respectu, quia ab utroque, id est, à patre & filio procedit Spiritus sanctus. libro quarto Commentar. in Iohannem, capite tertio. Et: Spiritus sanctus inuocatus statim adest, & familiare sibi elementum sanctificat. libro tertio, capite secûdo in Iohannem. Et: Omnes sancti, noui pariter & ueteres, in cœlo & in terra, quicunque adorant patrem, adorant & filium, adorant Deum & hominem IESVM Christum, habentes singuli citharas instrumenta, uel laudum incessabilium instrumenta non manu facta, sed pectora fidelia, & corpora cum plectro linguæ, Dei personantia laudem. lib. 4 Com. in Apocal. cap. 5.

Bernhardus inquit: Nempe ut clamandum sibi nouerit homo, inter primordia suæ orationis ipsum quem oraturus est patrem in cœlis esse protinus admonetur, quòd uidelicet impetu quodam spiritus illò sibi iaculandam esse meminerit orationem. Spiritus est Deus, & in spiritu clamet necesse est, quisquis clamorem suum ad eum desiderat peruenire. Sicut enim non faciem hominis respicit, tanquam homo, sed magis intuetur cor: sic ad cordis potius quàm uocem corporis aures eius, cui meritò dicitur, Deus cordis mei. Hinc est quòd Moyses foris tacens, intus auditur, dicente Domino: Quid clamas ad me? Clamauit ad me, & exaudiam eum. Non immeritò. Clamorem magnum sanè magnitudo necessitatis extorsit. Quid enim clamans petijt, nisi consolationem, liberationem, glorificationem? Serm. 16 de 15 uersu Psal. Qui habitat, &c.

Petrus Cluniacensis inquit: Adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos, effundamus coram illo corda nostra. li. quarto, epistola uigesimasecunda.

Quæ petenda. Honorius: Qui honores, diuitias, uindictam inimicorum orat, insipienter orat. Qui à periculis liberari, à tentationibus separari, uita æterna coronari postulat, sapienter orat. super Psalmum 21.

Bernhardus inquit: Porrò petitiones cordis in tribus credo constare, nec uideo quid præter illa electus quisque sibi debeat postulare. Duo quidem huius temporis sunt, id est, bona corporis & animæ: tertium uerò beatitudo æternæ uitæ. Nec mireris quòd bona corporis à Deo dixerim esse quærenda: quoniam eius sunt corporalia omnia, sicut & spiritualia omnia bona. Ab eo ergo petendum & sperandum nobis est, unde possimus in eius seruitio sustentari. Veruntamen pro necessitatibus animæ orandum nobis est & frequentius & feruentius, id est, pro obtinenda gratia Dei, animæque uirtutibus. Sic & pro uita æterna tota pietate, & toto nobis orandum est desiderio, ubi nimirum corporis & animæ plena & perfecta sit beatitudo. Sermone quinto in Quadragesima.

Petrus Cantor ait: Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum spiritu & ueritate, & pro spiritualibus & ueris bonis oportet adorare, ut adoratio spiritualium omnium executionem complectatur. De Verbo abbreuiato, capite uigesimosecundo.

Temporalia quomodo petenda. Bernhardus: At uerò temporalia si defuerint, petenda quidem sunt, quantum necessitas humana requirit: sed iuxta beati Gregorij sententiam, non sunt hæc nimium requirenda. In quo genere etiam illa spiritualia sunt, sine quibus nihilominus salus constare potest, ut sermo scientiæ, gratia curationum, omniaque de quibus certum non habemus quid expediat nobis: utpote si te fatiget tentatio, supplicandum quidem pro ea, ut auferatur à te, sed non nimis obnixè: quoniam in talibus meminisse semper oportet Apostolicæ illius sententiæ: Nos enim quid oremus sicut oportet, nescimus. Et Deo magis committere, quàm temerè aliquid apud nos diffinire. Sermone de quatuor modis orandi.

De spiritualium petitione inquit Bernhardus: Hæc autem sunt toto affectu, & omni tempore postulanda: hæc sunt pro quibus incessanter, & quàm obnixè poterunt, ad Deum clament desideria tua, ut habeas gratiam eius bonam, & placere possis in oculis pietatis ipsius, & in eo uiuas, & moriaris in ipso, ut gloriam eius uidere, & ipso frui in perpetuum merearis. De his enim dictum est: Sine intermissione orate. Vnde & Propheta: Exquisiuit, inquit, te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Et alibi: Vnam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ. Serm. de 4 modis orandi.

Quomodo orandum, docet Hugo de sancto Victore: Inter omnia quæ humana fragilitas facere potest, unde placere Deo ualeat, oratio, si cum pura conscientia & cordis humilitate fiat. Quia si conscientia fuerit fortè prauæ uoluntatis uel operis scelere polluta, si cor nostrum inani fuerit elatione repletum, oratio nostra apud Deum non recipitur, nec noster animus exauditur. libro decimo Allegoriarum, capite quarto. Item: Nullo modo Deus citius ad amicitiam flectetur, quàm si animus deprecantis ad ipsum toto deuotionis affectu conuertatur. Idcirco cum orare uolueris, solus solicitudinem cordis tui ingredere, & collecto spiritu tuo integra mente & uacua à curis, orationis domum intra, & stans coram Domino Deo tuo ante unum aliquod de altaribus, orationis instantia cœlos penetra. In lib. de Conscientijs.

Bernhardus inquit: Veruntamen sicut periculum est, si fuerit oratio nimis timida: sic in contraria parte non minus, imò & maius periculosum est, si fortè fuerit temeraria. Sermone quarto in Quadragesima. Et: Orent pro indulgentia peccatorum suorum in animo contrito & spiritu humilitatis, quemadmodum publicanus ille: Deus, inquit, propitius esto mihi peccatori. Temeritatem enim dico, quando is, in cuius conscientia peccatum adhuc aut uitium aliquod regnat, ambulat in magnis & mirabilibus super se, minus solicitus pro periculo animæ suæ. Tertium periculum est, si sit oratio tepida, & non ex uiua affectione procedens. Timida quidem oratio cœlum non penetrat, quia restringit animum timor immoderatus, ut oratio, non dicam non ascendere, sed nec procedere queat. Tepida uerò in ascensu languescit & deficit, eo quòd non habeat uigorem. Nam temeraria ascendit, sed resilit: resistitur enim ei, nec tantùm non obtinet gratiam, sed & meretur offensam. Quæ uerò fidelis & humilis & feruens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit: unde certum est, quòd uacua redire non poterit. Ibidem.

Item:

Item: Primò ergo eius oratio debet fieri uerecundo affectu. Hoc autem fit, cum necdum peccator audet per seipsum accedere ad Deum: sed quærit aliquem sanctum uirum, aliquem sanctum pauperem spiritu, qui sit in ora uestimenti Domini tanquam fimbria, per quem habeat accessum. Huius orationis tenuit typum illa Euangelica mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, cupiensque sanari, accessit, & intra se cogitauit, dicens: Si tetigero fimbriam uestimenti eius, salua ero. Secunda oratio fit puro affectu: & hoc fit, quando scilicet peccator iam per seipsum accedit, & ore proprio confitetur. Talis orationis reliquit nobis exemplum illa peccatrix, quæ lachrymis rigauit pedes Domini, & capillis capitis sui tersit. de qua dictum est à Domino: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Tertia oratio effunditur amplo affectu, & hoc fit, quando is qui pro se orauerat, orat iam pro alijs. Sic orauerunt Apostoli pro muliere Chananæa, pro filia sua rogante. Dimitte, inquiunt, illam, quia clamat post nos. Quarta oratio emittitur deuoto affectu, quæ de cordis puritate sine ulla hæsitatione cum gratiarum actione depromitur. Talem orationem fecit ipse Dominus, quando quatriduanum de monumento Lazarum resuscitauit, & ait: Pater gratias ago tibi, quia audisti me. Tales orationes docuit nos Apostolus facere frequentes, dicens: Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Has quæ dictæ sunt quatuor orationum species, id est, uerecundam, puram, amplam, deuotam, nuncupat Apostolus alijs nominibus, & ad eas nos hortatur, dicens: Obsecro primò omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Nam obsecrationes uerecundo, orationes puro, postulationes amplo, gratiarum actiones fiunt affectu deuoto. In libro Sententiarum.

Fide orandum. Rupertus: Antequam nasceretur de matre, & in assumpto homine laboraret, & uociferabatur in sanctis fidem habentibus promissionis & aduentus sui, sine cuius fide non decebat quenquam exaudiri, equidem multi exauditi sunt propter eum: sed non ita, ut consummaretur præuaricatio, & finem acciperet peccatum, & deleretur iniquitas, & adduceretur iusticia sempiterna. lib. 1 Com. in proph. Abac. cap. 1.

Bernhardus ait: Oratio, inquit. Et ne moram faciat in eundo, ascendat super equum fidei. Quæsita diu oratio, & in tanta tumultu uix tandem inuenta adest: ascendit super equum fidei, proficiscitur per uiam cœli, nec cessat donec intret portas Domini in confessione, atria eius in hymnis. Et sicut familiare mancipium cum fiducia accedens ad thronum gloriæ eius, exponit necessitatis suæ negocium. Audito rex filij periculo, conuersus ad consortem regni sui charitatem: O', inquit, quem mittam, & quis ibit nobis? At illa: Ecce ego, inquit, mitte me. Tunc rex: Præualens, inquit, præualebis, & liberabis eum. Egredere, & fac ita. Illico egressam à facie Domini reginam cœli charitatem tota comitatur militia cœlestis: ueniensque & descendens in castra, à uirtute & lætitia præsentiæ suæ illico omnia exhilarauit, commota composuit, turbata pacauit. Reddita est miseris lux, timidis fiducia. Redit coràm spes, quæ penè aufugerat, fortitudo quæ penè corruerat. Resumit constantiam tota sapientiæ militia. At inimici ciuitatem obsidentes: Quæ'nam est, inquiunt, exultatio in castris? Non fuit tanta exultatio heri & nudiustertius. Væ nobis, uenit Deus in castra: uæ nobis. Fugiamus Israelem: Deus enim pugnat pro eis. Sic fugientibus inimicis, gratiæ Dei impetus lætificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Deus in medio eius, non commouebitur, adiuuabit eam Deus manè diluculo. Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna: dedit uocem suam, mota est terra. Dominus uirtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Suscipiens ergo puerum Dei, puerum suum regina charitas euexit ad cœlum, patrique Deo repræsentauit. Cui pater placidus ac serenus occurrens: Citò, inquit, proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedibus eius. Et producite uitulum saginatum, & occidite illum. Epulari enim, & gaudere oportet: quia iste filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Sermone de filio regis. Item: Quantum quippe crescis in gratia, tantum & in fiducia dilataris. Inde fit, ut & ames ardentius, & pulses fidentius pro eo quod tibi deesse sentis. Sermone tertio super Cantica.

Petrus Blesensis ait: Oratio suas circumstantias habet, iusticiam, humilitatem, ieiunium, & cætera munimenta uirtutum. Epistola 116. Item: Ego uir uidens paupertatem meam, clamo ad te: trahe me post te. Insi-

te. Infixus sum in limo profundi, sed oro ne me absorbeat profundum, ne me demergat tempestas ualida, neque urgeat super me puteus os suum. O' dulcedo cordium, Deus animarum, spes mea à iuuentute mea, aufer à me cor lapideum, da mihi carneum, cor nouum, cor humile & contritum. Inspira mihi amorem tuum, contemptum mundi, peccati odium, & perseuerantiam pœnitentiæ, quam non prærumpat mors, nec morbus anticipet, donec eã miseratio tua continuet ad perfectum. Epist. 120.

Hugo Parisiensis ait: Quo studio & quo affectu à nobis orandus sit Deus, ex nostra miseria simul & eius misericordia considerare possumus. In consideratione miseriæ nostræ discamus, quid nobis necesse sit petere: in consideratione misericordiæ Dei nostri, quo desiderio debeamus postulare. Cogitemus quàm sit breuis uita nostra, quàm uia lubrica, quàm mors incerta. Cogitemus quòd lugentes in hanc uitam intrauimus, cum dolore pertransimus, cum luctu exituri sumus, &c. Vincentius libro uigesimoseptimo, capite quadragesimooctauo in Speculo historiali.

In nomine Christi orandum. Rupertus: Salutaris mos, & catholica hæc more sanctæ Ecclesiæ orandi regula est, ut in omni oratione, quam ad patrem dirigit, subiungat, Per Dominum nostrum IESVM Christum: quia præter hanc nulla est uia, nullumq; aliud est ostium. libro duodecimo, capite decimosexto in Iohannem. Item: In nomine IESV petere est, propter quod ille qui hoc nomen sibi elegit, descendit de cœlis, & incarnatus est, & homo factus est, crucifixus, mortuus & sepultus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram patris. Ibidem. Item: Solum huius unigeniti filij Dei nomen, quod est IESVS Christus, necessarium uniuersę orationis est uehiculum, quo in cœlum directo cursu perlata, consistat ante patris conspectum, salutemque de sinu eius & gratiam sugere ualeat remissionis peccatorum. Ibidem.

De Mediatore inquit Rupertus: Quod in fine orationis subiungitur, Per Dominum nostrum IESVM Christum: eo respectu fit, quòd Dominus noster IESVS Christus est Mediator Dei & hominum, & impossibile est Dei beneficia æterna per aliam uiam decurrere ad nos, quàm per ipsum. Per ipsum ergo petimus & impetramus, sicut sæpe per mediantem crystalli lapidem, subiecta esca, à longinquo sole cœlestem mutuamus ignem. li. 1 de Diuin. officijs, cap. 31.

Richardus inquit: Illa sola oratio in cœlestibus est accepta, quam filius offert patri. lib. 3 in Apocal.

Deum dare necessaria. Bernhardus: Quid est, quòd incessanter orantes & supplicantes nõ possumus ad eam quam desideramus gratiæ abundantiam peruenire? Putatis quia auarus aut inops factus est Deus, impotens aut inexorabilis? Absit hoc, prorsus absit: sed ipse cognouit figmẽtũ nostrum, & scapulis suis obumbrat nobis. Non tamen à petitione propterea cessandum est: quia etsi non dat ad satietatem, dat tamen ad sustentationem: etsi cauet nobis à feruore nimio, tamen fouet nos tanquam mater calore suo. Sermone quarto de quarto uersu Psalmi, Qui habitat. Item: Latitudo una, altera fortitudo dicatur, quòd & tribuat affluenter, & defendat potenter quod dederit. Sermone 7 super Cant.

Confutatio obiectionis. Rupertus: Quędam hæresis ethnicorum & philosophorum, dogma peruersum docentium, consurgit: Si Deus nouit quod oremus, & antequam petamus scit quibus indigeamus, frustra scienti loquimur. Quibus breuiter respondendum est, nos non narratores, sed rogatores. Aliud est enim narrare ignoranti, aliud scientem petere. libro quinto Commentar. in Matth. Euangelium, capite sexto.

De exauditione Dei. Honorius: Deus non exaudit secundum carnis uoluntatẽ, sed secundum animæ utilitatem. In Psalmum 21.

Bernhardus: Veruntamen quoties de oratione loquor, uerba quædam humanæ cogitationis audire mihi uideor in corde uestro, quę & ab alijs frequenter audiui, & nonnunquã expertus sum in corde meo. Quid enim est, quòd licet nunquã ab oratione cessemus, uix unquã experiri uideatur aliquis nostrûm, quis sit orationis suæ fructus? Sicut ad orationem accedimus, sic redire uidemur: nemo nobis respõdet uerbum, nemo quicquam donat, sed laborasse uidemur incassum. Sed quid in Euangelio dicit Dominus? Nolite, ait, iudicare secundũ faciẽ sed iustũ iudicium iudicate. Quod est autẽ iudiciũ, nisi iudicium fidei? quoniã iustus ex fide uiuit. Ergo iudicium fidei sequere, & nõ experimẽtũ tuũ: quoniam fides quidẽ uerax, sed experimentum fallax. Quæ est ergo ueritas fidei, nisi quod promittit ipse filius Dei? Quicquid orãtes petitis, credite, quia accipietis, & fiet uobis. Nemo uestrûm, fratres, paruipendat orationem suam. Dico enim uobis, quia ipse ad quem oramus, non paruipendit eã.

Priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi iubet eam in suo libro. Et unum indubitanter è duobus sperare possumus: quoniã aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit esse utilius. Nos enim quid oremus sicut oportet, nescimus: sed miseretur ille super ignorantiam nostram, & orationem benignè suscipiens, quod nobis aut omnino non est utile, aut non tam citò dari necesse est, minimè tribuit: oratio tamen infructuosa non erit. Ita sanè si fecerimus quod monemur in Psalmo: id est, si delectemur in Domino. Ait enim sanctus Dauid: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Serm. de triplici modo orationis. Item: Hoc est planè testamẽtum pacis, hoc pietatis fœdus, hoc pactum misericordiæ & miserationis: Sperauit in me, liberabo eum: nomen meum cognouit, protegam eum: inuocauit me, & ego exaudiam eum. Nisi enim hæc aut similia diceret, quis non diffideret? Sermone decimosexto, de 15 uersu Psalmi, Qui habitat.

Richardus: Odoramenta orationes exponunt, quia quemadmodum odoramenta sursum ascendunt, ita orationes ad præsentiam diuinitatis pertingunt. Sancti ergo perfecti citharas habẽt & phyalas, quia orationes aliorum offerunt. libro secundo in Apocalyp. Item: Tenetur Deus orationis deuotione, desiderio, importunitate, memoria, prece, fide, & expectatione exauditionis: nec dimittitur, si ab intentione non cessetur, nec uultus amplius in diuersa mutetur. super Cant. cap. 6.

Hildebertus inquit: Miserebitur autem nostri Deus. Adhuc ille respicit in orationem humilium, & non spernit preces eorum. Epist. 40.

De forma scribit Bernhardus: Sicut sanctus orabat: Deus nouerim me, nouerim te. Sermone de Obedient. patient. & sapient. Item: Sicut in regula nostra legimus, Licet hora omni, & omni loco oculi Domini super nos speculentur, maximè tamen in oratione. Licet enim semper uideamur, sed nunc etiam præsentamus & ostendimus nos, quasi facie ad faciem cum Deo loquentes. Porrò quamuis ubique sit Deus, in cœlo tamen orandus est, ibique orationis tempore cogitandus, ut mens nostra non oratorij tecto, non aëris spacio, non ipsa retardetur nubium densitate, iuxta eam formam quæ nobis à Christo tradita est, ubi ait: Sic orabitis, Pater noster, qui es in cœlis. Cœlum enim quadam prærogatiua etiam sedes siue thronus Dei uocatur, quia ad eam cõparationem qua Deum in cœlis angeli sancti & electorum animæ uident, nos miseri & peregrini super terram uix solum nomẽ habere uidemur. Sic igitur oret qui orat, tanquam assumptus & præsentatus ei qui sedet super excelsum thronum in angelis qui minimè ceciderunt, & eleuatum in hominibus quos suscitauit de puluere inopes, & erexit de stercore pauperes: sic, inquam, semetipsum consideret, & sic attendat, tanquam præsentatum Domino maiestatis, ut dicat cũ Abraham: Loquor ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis. Et quia tuo præcepto commonitus, tua institutione formatus, id præsumo Domine fons pietatis. Sermone de quatuor modis orandi.

Sic orat Hildebertus:

Vitta ligat, lapis urget: sed si iubes, hic resurget.
Iube lapis reuoluetur, iube uitta disrumpetur.
Exiturus nescit moras, postquam clamas, Exi foras.
In hoc salo mea ratis infestatur à piratis:
Hinc assultus, inde fluctus, hinc & inde mors & luctus.
Sed tu bone nauta ueni, preme uentos, mare leni,
Fac abscedant hi piratæ, duc ad portum salua rate.
Infœcunda mea ficus, cuius ramus ualde siccus
Incidetur, incendetur, si promulgas quòd meretur.
Sed hoc anno dimittatur, stercoretur, fodiatur.
Quòd si nec dum respondebit, flens hoc loquor, tunc ardebit.
Vetus hostis in me furit, aquis mersat, flammis urit.
Inde languens & afflictus, tibi soli sum relictus.
Vt hic hostis euanescat, ut infirmus conualescat,
Tu uirtutem ieiunandi des infirmo, des orandi.
Per hæc duo, Christo teste, liberabor ab hac peste.
Ab hac peste solue mentem, fac deuotum pœnitentem,
Da timorem, quo proiecto, de salute nil coniecto,
Da spem, fidem, charitatem, da discretam pietatem,
Da contemptum terrenorum, appetitum supernorũ.
Totum Deus in te spero, Deus ex te totum quæro.
Tu laus mea, meum bonum, mea cuncta tuum donum,
Tu solamen in labore, medicamen in dolore,
Tu in luctu mea lira, tu lenimen es in ira,
Tu in arcto liberator, tu in lapsu releuator,
Metum præstas in prouectu, spem conseruas in defectu,
Si quis lædit tu rependis, si minatur tu defendis,
Quod est anceps tu dissoluis, quod tegẽdũ tu inuoluis.
Tu intrare me non sinas infernales officinas,
Vbi mœror, ubi metus, ubi fœtor, ubi fletus,
Vbi probra deteguntur, ubi rei confunduntur,
Vbi tortor semper cædens, ubi uermis semper edens,
Vbi malum hoc perenne, quia perpes mors gehennæ.
Me receptet Sion illa, Sion Dauid, urbs tranquilla,
Cuius faber actor lucis, cuius portæ lignum crucis,
Cuius claues lingua Petri, cuius ciues semper læti,
Cuius murus lapis uiuus, cuius custos rex festiuus.
In hac urbe lux solennis, uer æternum, pax perennis,
In hac odor implẽs cœlos, in hac festum semper melos.

Nos

Non est ibi corruptela, non defectus, non querela,
Non minuti, non deformes: omnes Christo sunt conformes.
Vrbs cœlestis, urbs beata, supra petram collocata,
Vrbs in portu satis tuto, de longinquo te saluto,
Te saluto, te suspiro, te affecto, te requiro,
Quantũ tui gratulentur, quàm festiuè conuiuẽtur,
Quis affectus eos stringat, aut quæ gemma muros pingat,
Quis calcedon, quis iacinthus, norunt illi qui sunt intus.
In plateis huius urbis sociatus pijs turbis,
Cum Moyse & Helia pium cantet alleluia.

Vincẽtius li. 26. ca. 115 in Speculo historiali.

Pro mortuis non orandum, in Præfatione cleri Pisani ad Hugonem Eterianum in librum de Regressu animarũ ab inferis.

De oratione alterius inquit Petrus Blesensis: Quantum enim fides uel oratio prosit aliena, non solũ experimento didici, sed ex Euangelica relatione cognoui. Epist. 111.

De multiloquio ait Rupertus: Quòd Christus prohibet multiloquiũ in oratione, non prohibetur ut Psalmi, in quibus est prolixitas, ruminẽtur ac publicè personẽtur, compositi à Spiritu sancto per scholasticos luculẽto sermone. li. 5 Com. in Matth. ca. 6.

Cur orantes spectent Orientẽ. Hugo Eterianus: Quare cum orat Ecclesia, in Oriẽtẽ perfigat intuitus, paucis edisseram. Omnis igitur Christianus in oratione constitutus, ad Orientem faciem dirigit. Quare? ut antiquam patriam quam perdidit, perorando requirat: ut paradisum, ex quo pulsus est, quemq; ad Orientem Deus plãtauerat, synceris petitionibus recipiat. de Regressu animar. ab inferis, cap. 14.

Adhortatio ad preces. Petrus Cantor: Et tu ergo exẽplo, exhortatione & præcepto Domini admonitus, pro nullo alio opere impediaris orare, nec ita ab alijs operib. habearis, qui orationem non habeas. cap. 94.

Oratio est refrigerium in necessitatibus. Bernhardus: Vnicum quippe in huiusmodi remediũ seu refugiũ oratio est, & frequens gemitus ad Deum, ut quid, quãdo & quatenus nos facere uelit, assiduè nobis demõstrare dignetur. Serm. 58 super Cant.

Quomodo impediãtur preces, ne exaudiantur, docet Honorius, inquiens: Tribus modis orationes nostrę impediũtur, quòd à Deo non exaudiuntur. Qui orat ut de inimicis suis ulciscatur, hic nõ exauditur: sed oratio eius in peccatum conuertitur. Qui odiũ in corde retinet, & in se peccanti non dimittit, hunc orantem Deus non exaudit. Qui criminalia peccata perpetrat, & in ijs delectabiliter perseuerat, hic incassum preces fundit: quia Deus peccatores non exaudit. In Speculo Eccles.

De effectu precum inquit Petrus Cãtor: Qua armatus quis potens est resistere omni tentationi & aduersitati. ca. 94. Et: Quãtus autẽ sit orationis effectus, uide & perpende in secretioribus Dei, quę sola oratione nobis manifestantur & aperiuntur. Ibid. Item: Suffragia enim & orationes Ecclesiæ necessaria sunt ad salutem. cap. 31.

Causæ cur non exaudiantur preces. Petrus Cantor: Item nota quòd sępe id quod petitur, quia non est ad salutẽ, impedit orationis effectum. Sæpe hi pro quibus petimus, quia indigni sunt. cap. 94.

De gratiarum actione ait Rupertus: Sicut Christus gratias egit Deo patri, sic & nos de perceptis uel percipiendis cœlestiũ gratiæ donis exẽplo suo gratias agere prędocet. libro 6 Com. in Iohannem, capite 6. Item: Gratiarũ actio est diuinis beneficijs respondens digna tribulatio, tanta uidelicet, ut ei nihil ad perfectionẽ desit, uel qua maior esse non possit. libro 8 de glorificat. Trinit. & processſ. Spir. sanct. cap. 11.

Bernhardus inquit: Laudatur nõ immeritò in æternum, qui uiuit & regnat per omnia secula seculorum. Sermone de cantico Ezech. regis. Item: Oblatio nostræ laudis, quam Deo immolamus, triformis esse debet. Affectuosa, ut mens cõcordet uoci. Fructuosa, ut ædificationẽ pariat intuenti. Gratiosa, ut placeat conditori, qui gratis dedit. In lib. Sent. Et: Gratias agendo probas te tibi nihil tribuere, sed Dei esse dona, tua merita prudenter agnoscere. Serm. 13 super Cant. Item: Sic usu quodam magis quàm sensu uel affectu personare in ore multorũ gratiarum actionem aduertere est, in tantum ut homines quoque sceleratissimi ad quæq; flagitia & facinora sua soleant gratias Deo agere, quòd bene prospereque (ut ipsi quidem sapiunt) cesserit sibi in adimpletione peruersarum uolũtatum suarum. Audias (uerbi gratia) furem, cum impiæ machinationis malè cupitum manipulum reportarit, exultantem clàm & dicentẽ: Deo gratias, nõ inanes uigilias feci, nocturnum laborem meum non perdidi. Similiter qui hominem interfecit, non ne gloriatur, & refert gratias quòd præualuit aduersus æmulum, aut de hoste se uindicauit? Et nihilominus adulter tripudians gestit in Dei laudes, quòd diu optato concubitu tandẽ potitus sit. Non ergo omnis gratiarũ actio accepta est Deo, nisi quæ de cordis pudica & mera simplicitate procedit. Pudica sanè dixerim, propter eos qui & de malis actibus suis gloriãtes, Deo gratias agere solẽt, quasi Deus more ipsorum lætetur cũ malè fecerint, & exultet in rebus pessimis. Ibid.

Eckbertus ait: Quid retribuemus Deo

pro omnibus quæ retribuit nobis? Magna quippe est misericordia eius super nos. Primùm quidem quòd nullis nostris meritis præcedentibus uocarit nos de tenebris infidelitatis in admirabile lumen suum, regenerãs nos per aquam proprij filij sui cruore sanctificatam, ut essemus nõ filij iræ, sed redemptionis. Adiecit insuper ex gratuita bonitate sua segregare sibi nos in suũ familiare ministerium, ut essemus nõ filij huius seculi, sed sobrietatis & pacis, &c. Veruntamen id cõfidenter in conspectu ipsius profiteor, quoniam tanta nos beneficiorũ multitudine onerare dignatus est, ut si uniuersa corporis nostri mẽbra in linguas uerterẽtur, laudes ei cõdignas nullatenus promere sufficerent. Epist. ad sororẽ Elisabetham.

Paucos gratias agere. Bernhardus: Multos quoq; uidemus usq; hodie satis importunè petentes, quod sibi deesse cognouerint: sed paucos admodũ nouimus, qui dignas super acceptis beneficijs gratias agere uideantur. Serm. de ingrat.

PHRASES.

Rupertus: Patrem in spiritu adorare quid est, nisi spiritum adoptionis filiorum accepisse, in quo clamamus, Abba pater? Quid est adorare patrem in ueritate, nisi in filio eius manendo, qui dicit, Ego sum ueritas, patrem inuocare? Idem est, ac si dixisset, Veri adoratores manifesta & necessariò distinctione personarum adorabunt unum Deũ patrem & filium & Spiritum sanctum. li. 4. Com. in Ioh. ca. 3. Et: Veri adoratores adorabunt patrem in ueritate & spiritu. Sed dixit, In spiritu & ueritate: præposuit spiritum ueritati, uidelicet quia sicut nemo uenit ad patrem nisi per filium, ita filiũ nemo agnoscit nisi per Spiritum sanctum. Ibidẽ. Item: Inuocare nomen Domini, nihil aliud nisi confiteri nomini Domini. lib. 2 Com. in Sophon. proph. cap. 3.

DE POENITENTIA, *seu conuersione.*

VNde dicatur. Lombardus: Pœnitẽtia dicitur à puniendo, qua quis punit illicita quæ commisit.

Quòd sit agenda pœnitentia. Rupertus: Magnus lapsus est, charitatem primam reliquisse, & ab ea excidisse. Volũtas autẽ Dei est, ut qui sic excidit uel lapsus pœnitentiã agat. li. 2 Com. in Apoc. Itẽ: Qui post fornicationes & adulteria conuersus pœnitẽtiã egerit, illius nomẽ nõ delebitur de libro uitę. li. 2 Cõ. in Apoc. ca. 3. Itẽ: Si quis, qui per fidẽ IESV Christi per lauacrũ regenerationis Spiritus sancti saluus factus sit, peccauerit, ad salutem reuocari poterit, si dignos pœnitentiæ fructus fecerit. li. 7. ca. 8 in Matth.

Quòd sit agẽda pœnitẽtia. Bernhardus: Attamen dicis: Conuertimini ad me in toto corde uestro. Liquet, quia sumus auersi, quos ut reuertamur hortaris. Liquet, quia contrarij, quos reuocas ut conuertamur. Serm. 5 in festo omniũ Sanct. Item: Ipsum audite: Nunquid uoluntatis meę est mors impij, ait Dominus, & nõ magis ut cõuertatur, & uiuat? Ex quibus uerbis euidẽter agnoscimus, quoniam uera nobis uita nõ nisi in cõuersione est, nec aliter ad eã patet ingressus, dicente Domino: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, nõ intrabitis in regnum cœlorum. Meritò sanè paruuli soli intrant, nam puer paruulus minat eos, qui in hoc ipsum natus & datus est nobis. cap. 1 ad Clericos de conuers.

Petrus Blesensis inquit: Vos ergo Dei timor in uia Domini nõ lętescere permittat, sed corda uestra excitet ad meliora incessãter, uita breuis, finis dubius, iudex terribilis, flãma inextinguibilis, uermisq; nõ moriẽs, & pœna cuius nõ est intermissio neq; finis. Epist. 60. Et: Si deliquit monachus tuus, humanũ est delinquere, sed inhumanũ atq; diabolicũ est nec à peccato recedere, nec pœnitenti misericorditer indulgere: culpa est totam prosequi culpã. Epist. 44.

Duæ pœnitentiæ partes: Rupertus: Est enim benignus & misericos, malens pœnitentiam peccatorum, quàm mortẽ, patiens & multùm misericors, qui non humanam impatientiam, sed longo tẽpore nostram pœnitentiam præstoletur, & placabilis siue pœnitens super malitijs, ut si nos egerimus super peccatis pœnitẽtiã, & ipsum pœniteat cõminationis suę, & mala quę cõminatus est nobis, non inferat, nostræq; mutatione sentẽtię & ipse mutetur. li. 1. ca. 2 in Ioh.

Bernhardus inquit: In secũdo uerò gradu operatur correctionẽ, ut iã nõ exhibeas mẽbra tua arma iniquitatis peccato: sed coerceas gulã, iugules luxuriã, superbiã deprimas, & facias seruire corpus sanctitati, quod iniquitati antè seruierat. Pœnitudo enim sine correctione nõ proderit, sicut Sapiens ait: Vnus ædificãs, & unus destruens, quid prodest eis nisi labor? Vnus orans, & unus maledicẽs, cuius uocẽ exaudiet Deus? Qui enim baptisatur à mortuo, & iterũ tãgit eũ, nihil proficit lauatio eius: sed iuxta Saluatoris sentẽtiã, uerẽdũ est, ne ei aliquid deterius cõtingat. Ser. 3 in uigilia natalis Dom.

Lombardus ait: Est enim pœnitentia, interior & exterior. Exterior, sacramentũ est: interior, uirtus mentis est: & utraq; causa salutis est & iustificationis. lib. 4. dist. 14.

De discrimine agentium pœnitentiã inquit Rupertus: Quidã per pœnitentiã conuersi, remissionem peccatorum accipiũt in sanguine Christi: alij impœnitentes in suis

moriuntur

moriuntur peccatis, & nõ prodest illis sanguis Christi, imò iudicium uenit super eos. lib.11.cap.2 in Matth.

De speciebus pœnitentiæ ait Bernhardus: Tres sunt species pœnitentiæ. Simulatoria & infructuosa, cuius exemplum est in Esau & in Saul. Crudelis & desperata, sicut in Cain & Iuda. Vtilis & cõsummata, sicut in Maria & Zachęo: cuius partes sunt quinque. Contritio in corde, confessio in ore, maceratio in carne, correctio in opere, perseuerantia in uirtute. In lib. Sentent.

De pœnitentia inquit Petrus Alphonsus: Absq; pœnitentia non potest expiatio esse ulla. Dial. tit.12.

Rupertus inquit: Christus finis omnis cõsummationis, qui missus ad oues quę perierant domus Israel, sic prędicare exorsus est, Pœnitentiam agite. lib.6.cap.14 in Iohan.

Lombardus ait: Est autē pœnitentia, ut ait Ambrosius, mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Item Gregorius: Pœnitere est anteacta peccata deflere, & flenda non cõmittere. Nã qui sic alia deplorat, ut alia tamē cõmittat, adhuc pœnitentiã agere aut ignorat, aut dissimulat. li.4. dist.14. Et: Pœnitentia est uirtus uel gratia, qua cõmissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus, & plãgenda ulterius committere nolumus: quia pœnitētia uera, est in animo dolere, & odire uitia. Vnde illa uerba pręmissa, Pœnitere est anteacta deflere, & flenda non committere: rectè sic accipi possunt, ut nõ ad diuersa tempora, sed ad idem referantur, ut scilicet tempore quo deflet cõmissa mala, non cõmittat uoluntate uel opere flenda, quod innuitur ex uerbis consequentibus. Nam qui sic alia deplorat, &c. Ibid. Item: Pœnitentia ergo est uindicta semper puniens in se quod dolet cõmisisse. Quid restat nobis, nisi dolere in uita? Vbi enim dolor finitur, deficit & pœnitentia. Si uerò pœnitentia finitur, quid relinquitur de uenia? Tamdiu gaudeat & speret de gratia, quamdiu sustētatur à pœnitentia. Ibidem.

Vnde sit. Rupertus: Nemo potest hominem trahere, nisi solus Deus. Hæc attractio non minus filij quàm patris gratia & opus est. li.6. ca.6 in Iohan. Et: Duplex respectus Christi, quosdam respicit ad pœnitentiam salutarem, quosdam ad pœnitentiam exitialē, sicuti in Petro & Iuda cõspicitur. li.11. ca.26 in Matth. Et: Quis enim hominũ quēquam attrahere potest ad manducandũ, sicut mãducari oportet hunc panem uiuum & uerum, nisi solus Deus? Attrahi ad Christum panem uiuum & uerum, est esurire ac sitire iusticiam, tantumq; habere fastidium uel odium omnis iniusticię, ut talem uacet illi esuriē sitimq; tolerare. Quis ad hæc idoneus? In cuius manus cor cuiusq; est, ut hoc in illo possit efficere? In manu est cuiusque omnium uerbo Dei ministrãtium, ut dum prædicando Dei uerbum quasi frangit panem uiuum, det mortuis manducãdi & uiuendi desideriũ. Nempe sicut Paulus plantauit, Apollo rigauit, Deus autem incremētum dedit: & sicut, nisi Dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerunt qui ædificant eam: sic in uanum prædicatores frangunt panem uiuum, nisi Deus in mētibus auditorum sanctum eiusdē panis excitet desiderium. lib.6. cap.6 in Iohan.

Bernhardus: Reuocat autem peccatores ad cor, de cordis errore redarguit, pro eo quòd ibi habitet ipse, ibiq; loquatur, faciēs nimirum quod docuit per Prophetam dicentem: Loquimini ad cor Hierusalē. Nam Babylõ quoniã terra est, nec potest sustinere uiuersos sermones eius, elongatur à corde, & in carne magis ambulat, tanquã mortua à corde, imò tanquam columba seducta non habens cor. Serm. de uerb. Abacuc proph. Super custodiã meam stabo. Item: Nõ enim humanæ possibilitatis est cursus iste, eius dextera facit uirtutem, cui semper necesse est ut clametis, Trahe nos post te, in odore unguentorũ tuorũ curremus. Serm. 2 de inquirendo Dom. Item: Triplex nobis necessaria est benedictio, præueniens, adiuuãs, & cõsummans. Prima misericordiæ, secunda gratiæ, tertia glorię. Præuenit misericordia conuersionē, adiuuat gratia cõuersationē, perficit gloria consummationē. Nisi trinã hãc benedictionem dederit Deus, nõ potest dare terra nostra fructũ salutis. Neq; enim aut inchoare bonũ donec à misericordia præueniamur, aut agere bonum donec adiuuemur à gratia, aut cõsummari in bonis possumus, donec gloria repleamur. Verũ in his trib. nõ immeritò dulcius sapit ea, quę nõ modò immeritos, sed & malè meritos pręuenit: ut dũ adhuc filij sumus irę, & operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, & ne petētib. quidē, imò & impetētibus: nõ inuocantibus, sed prouocantibus: non interpellantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum, spiritum uitę, adoptionis spiritũ largitur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tãta nõ sapit? Meritò proinde benedictio dulcedinis nominatur ea quæ præuenit: quia quę adiuuat, fortudinis: quæ consummat, plenitudinis est. Ser.39 Paruor. serm. Itē: Ei nempe adscribenda cuiusq; conuersio est, cui dicere necesse habent uniuersi illud de Psalmo: Conuerte nos Deus salutaris noster. Super Cantica serm.78.

Petrus Cluniacēsis inquit: Fœlix ergo tu,

si tamē perstiteris, quem pater trahit, quem filius suscipit, cui hanc de qua gaudeo uoluntatē, spiritus Dei inspirat. Festina igitur charissime, ueni ad inuitantē saluatorem tuum, audi saluatricem uocem eius, qua tibi cunctisq; loquitur. lib.6.epist.46.

Petrus Blesensis inquit: Si cecidit, Domino dante adijciet ut resurgat. Epist.44.

Tres actiones Dei in nobis. Bernhardus: Igitur qui rectè sapiūt, triplicem confitētur operationē: non quidem liberi arbitrij, sed diuinæ gratiæ in ipso siue de ipso. Prima, creatio: secunda, reformatio: tertia, cōsummatio. Primò namq; in Christo creati sumus in libertatē uoluntatis, secundò reformamur per Christū in spiritū libertatis, cū Christo deinde consummādi in statū æternitatis. Siquidē quod nō erat, in illo creari oportuit: quod erat per formam reformari deformē, mēbra nō perfici nisi cum capite. Quod utiq; tūc cōplebitur, cum omnes occurremus in uirū perfectū, in mēsurā ætatis plenitudinis Christi, quādo apparēte Christo uita nostra, apparebimus & nos cū ipso in gloria. In tractatu de Libero arbitrio.

Impulsiuæ. Rupertus: Vnus est pœnitentię modus, de quo iustus & misericors Deus curare dignetur, ubi causa pœnitentiam agendi est fides futuri seculi, metus gehennæ, desideriumq; regni Dei. Alius est pœnitētię modus, ubi causa pœnitentiā agēdi est amor præsentis seculi. li.11.cap.26 in Matth.

Bernhardus inquit: Cum primo conuertimur, pedes Domini osculamur. Duo autē sunt pedes Domini, misericordia & ueritas. Hūc utrumq; pedē Deus conuertentiū cordibus imprimit, & utrumq; pedē peccator quisq;, si uerè cōuertitur, amplectitur. Si enim solā misericordiā sine ueritate reciperet, per pręsumptionē caderet. Rursus si ueritatē sine misericordia reciperet, nihilominus per desperationem periret. Sed ut fiat saluus, ad utrumq; pedē humiliter prouoluitur, ut per ueritatem peccata damnet, & per misericordiā ueniam speret: & hoc primum osculum. Secūdum osculum fit, cum primùm ad bona opera consurgimus. Tūc manus Domini osculamur, cū ei nostra bona opera offerimus, uel cū ab eo uirtutum dona recipimus. Serm.52 Serm. paruorum.

Ad pœnitentiam necessaria. Bernhardus: Necessaria sunt pœnitentiæ tria hæc. Abstinentia, per quā carnis superbia edomatur. Lectio, cuius fructu reformādus in uigorē animus saginatur. Oratio, cuius munimine & tutela uirtutum examina protegūtur. In li. Sent. Itē: Fontes quibus animę lauantur, tres sunt. Anxietas cōtritionis, quæ irrigat superficiē terrę: humilitas cōfessionis, quæ posita est extra urbē: deuotio cōpūctionis, super quā IESVS moratur & sedet. Ibidem.

Per uerbū conuertimur. Bernhardus: Ita planè conuersio animarū opus diuinæ uocis est, non humanæ. Simon Iohannis piscator hominum in hoc ipsum uocatus & cōstitutus à Domino, incassum tamen & ipse laborans tota nocte nihil capiet, donec in uerbo Domini rete iactās, concludere possit multitudinem copiosam. Vtinam iactemus & nos hodie in hoc uerbo rete uerbi, & experiamur quod scriptū est: Ecce dabit uoci suę uocem uirtutis. cap.1 de Conuers. ad clericos. Itē: Nunc autem unde irrepsit morbus, inde remediū intret, & per eadē sequatur uestigia uita mortē, tenebras lux, uenenū serpentis, antidotū ueritatis: & sanet oculum qui turbatus est, ut serenus uideat quem turbatus nō potest. Auris prima mortis ianua, prima aperiatur & uitæ. Auditus qui tulit, reparet uisum: quoniā nisi crediderimus, non intelligemus. Ergo auditus ad meritum, uisus ad præmium. Vnde Propheta: Auditui meo, inquit, dabis gaudium & lætitiā, quòd fidelis retributio auditionis, beata uisio sit, & beatæ uisionis meritū fidelis auditio. Beati, ait, mūdo corde, quoniā ipsi Deum uidebunt. Porrò fide oportet mundari oculū qui uideat Deū, quēadmodum habes: Fide mūdans corda eorū. Interim ergo dū needū paratus est uisus, auditus excitetur, auditus exercitetur, auditus accipiat ueritatē. Fœlix, cui Veritas attestatur, dicens: In auditu auris obediuit mihi. Dignus qui uideam, si priusquam uideam, obedisse inueniar. Securus uidebo, ad quē meę obediētiæ munus præcesserit. Quàm beatus qui ait: Dn̄s Deus aperuit mihi aurē, & ego nō cōtradico, retrorsum nō abij. Vbi & uoluntarię habes obediētiæ formā, & longanimitatis exemplū. Qui enim non contradicit, spontaneus est: & qui retrò nō abijt, perseuerat. Vtrumq; necessariū, quoniam hilarē datorē diligit Deus. Et qui perseuerauerit usq; ad finē, hic saluus erit. Vtinā & mihi aperiat aurem Dominus, intret ad cor meū sermo ueritatis, mundet oculū, & lętę præparet uisioni, ut dicā Deo etiam ipse: Præparationem cordis mei audiuit auris tua. Vt audiā à Deo etiam ipse cū cæteris obedientibus: Et uos mūdi estis propter sermonē quē locutus sum uobis. Nec omnes mundātur qui audiūt, sed qui obediunt. Beati qui audiūt, & custodiūt illud. Talē requirit auditū qui mandat dicēs: Audi Israel. Talē offert qui ait: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Talē spōdet qui dicit: Audiā quid loquatur in me Dn̄s Deus. Et ut scias etiā Spiritū sanctū hunc in animę spirituali profectu ordinē obseruare, ut uidelicet prius formet auditum, quàm

lætificet

lætificet uiſum: Audi, inquit, filia, & uide. Quid intendis oculum? Aurem para. Videre deſideras Chriſtum? oportet te prius audire eum, audire de eo, ut dicas cum uideris: Sicut audiuimus, ſic uidimus. Immenſa claritas, uiſus anguſtus, & non potes ad eam. Potes auditu, ſed non aſpectu. Clamantem deniq; Deum, Adam ubi es? non uidebam iam peccator, audiebam tamen. Sed auditus aſpectum reſtituet, ſi pius, ſi uigil, ſi fidelis præceſſerit. Fides purgabit, quem turbauit impietas. Et quem inobedientia clauſit, aperiet obedientia. Serm. 28 ſuper Cant. Item: Quid mirum ſi auris percipit ueritatẽ, cum fides ex auditu, auditus per uerbum Dei, uerbum Dei ueritas ſit? Ibidem.

Cur Deus ſpacium pœnitentiæ cõcedat. Hugo Eterianus: Differt enim Deus pœnã, ut inueniat pœnitentiã, & moraturis utens ſpacijs, protrahit patientiam, ne inuadat cẽſura, quod clementia poſsidebat. Non præterita mala expectat Deus, nec errata computat, ſed correcta laudat. Habes promiſſum ad pœnitentiam ſuadentis: tibi, ſi non pœnitueris, imputabit. Et dedi, inquit, illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & noluit pœnitere. cap. 9 de Regreſ. anim. ab inferis.

Non differatur. Petrus Cluniacenſis: Fili, ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Time & quod ſubditur: Neſcit quid ſuperuẽtura pariat dies. Furare diabolo theſaurum ſancti deſiderij tui, ne fortè (quod abſit) tibi cõtingat quod ait Veritas de quibuſdam: Deinde uenit diabolus, & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant. Nihil enim tantum Deo placet, nihil tantum diabolo diſplicet, quàm bona uolũtas: imò, ut uerius loquar, nihil Deo placet, nihil diabolo diſplicet, niſi bona uoluntas. lib. 5. epiſt. 46. Item: Ea de cauſa non eſt tuta dilatio tibi, ne fortè, ſi nimium procraſtinaueris, inuidus ſatanas ſancto ad Deum itineri tuo impedimenti alicuius obicem ponat, & greſſus tuos, ne implere poſsis bonum quod inchoaſti, retardet. Ibidem.

Petrus Cantor ait: Sed nec differas pœnitentiam. ca. 107. Et: Acceleranda eſt igitur pœnitentia, & toto tempore uitæ agenda, præſertim exemplo Noe, qui centũ annos fabrificauit arcam, in qua ſe à morte temporali & ad horam ſaluaret. Quanto magis arcam, id eſt, animam tuam, pro qua mortuus eſt Chriſtus, toto tempore uitæ tuæ debes præparare: & cum maiori ſolicitudine intus in corde ad te & Dominum, & extrà in omni opere & ad te & ad proximum, bitumine charitatis indiſſolubilis linire debes propter æternam mortem uitandam. capite 109.

Item ſeptem cauſas recenſet, cur non differenda. 1, Conſuetudo peccandi. 2, De peccato in peccatum ruina. 3, Mors ſubitanea. 4, Ægritudo corporis. 5, Periculũ de pœnitentia ſera. 6, Difficultas pœnitẽdi. 7, Amaritudo & erubeſcentia pœnitendi. Idẽ cap. 109. Item: In qua hora te eſſe credis, cur expectas? iam tibi forſan præſens eſt hora nouiſsima, ut iam ueniat Dominus & pulſet ad oſtium tuũ, dicens: Aperi, aperi. Pro breuitate igitur humanæ uitæ pœnitens iugiter timendo cum Ezechia dicat: Ego dixi in dimidio dierum meorũ, Vadam ad portas inferni. cap. 108.

Pœnitentiam iterandam. Petrus Cluniacenſis: Cõuerſionem uerò morum rurſum polliceri quid oberit, cum non tantùm bis in profeſsione, ſed etiam millies in cõfeſſione tam Deo quàm hominibus quotidie morum conuerſionem & uitæ emendationem cum præteritorum malorum pœnitẽtia promittere debeat? Lib. 3. epiſt. 28.

Sæpius locum eſſe pœnitentiæ. Lombardus: Euidenter oſtenditur, per pœnitentiam non ſemel tãtùm, ſed ſæpius nos à peccatis ſurgere, & ueram pœnitentiam ſæpius agi. Voluntariè enim peccantibus nobis, ut ait Apoſtolus, pro peccatis nõ relinquitur hoſtia ſecunda, ſcilicet quia ſemel tantùm Chriſtum oportuit pati. nec relinquitur ſecundus baptiſmus. Relinquitur uerò ſecũda pœnitẽtia, & tertia, & deinceps, ut Ioh. Chryſoſtomus ſuper hunc locum ait: Sciẽdum, inquit, quòd hic quidã exurgunt, horum uerborum occaſione pœnitentiam auferentes, quaſi per pœnitentiam non ualeat peccator poſt lapſum reſurgere ſecundò, & tertiò, & deinceps. Verùm etiam in hoc pœnitẽtiam nõ excludit, nec propitiationem, quæ ſæpe fit per pœnitentiam, ſed ſecundũ baptiſmum & hoſtiã. li. 4. diſt. 14. Item: Tribus modis pœnitentia agitur, ante baptiſmum ſi de prioribus peccatis: poſt baptiſmum, de grauioribus quæ pòſt committuntur. Eſt etiam pœnitentia uenialiũ quotidiana, quæ etiam humilium eſt & perfectorum. Ibidem diſt. 16.

Quoſdam ſerò conuerti. Honorius: Hinc habes quòd multi à pueritia uſque ad decrepitam ætatem in malitia inſatiabiliter graſſantur, & in uitæ exitu per pœnitentiam ab ipſis iam diaboli faucibus rapiũtur, & ad paradiſi amœnitatem confouẽdi deducuntur. Econtrà, pleriq; in monaſterijs ſub magna diſtrictione uitam tranſigunt, quamplurimi in eremo degentes ſumma abſtinentia uitam ſolitariam ducũt: ad extremum uerò ad ima baratri deſcẽdunt. In Dial. de prædeſt. & lib. arb.

Hildebertus ait: Neminem ſerò pœnitet,

quem mors inuenit pœnitentem. In extremo uitæ latro dum paradisum meruit, exemplum reliquit. Epist. 46.

Petrus Blesensis ait: Satis est pœnitentia, quæ anticipat diem mortis. Item: Nemo serò pœnitet, quem mors inuenit pœnitentem. Epist. 129.

De impœnitẽtibus ait Rupertus: Eis qui peccatis suis fauent, qui diligunt iniquitatem, eamque libenter aspiciunt, & redargui peccata sua superba defensione tuentur, nullus propitiationis locus est. Libro primo in Leuiticum, capite decimonono.

De contritione inquit Hugo de S. Victore: Nunquam oportet pœnitentem habere de peccatis suis securitatem: nam securitas negligentiam parit, negligentia autem sæpe incautum ad uicia transacta reducit. In lib. de Conscientijs.

Rupertus Tuitiensis inquit: Lamentationes pœnitentium sunt, qui in præsenti peccata sua lamentãtur, ne perueniãt ad illud uæ sempiternum. lib. 10 Com. in Apocal. cap. 18. Et: Conuertere Israel ad Dominum Deum tuũ: causam confestim, cur cõuerti oporteat, uel unde pœnitentia sit agẽda, subiungit, Quoniam corruisti in iniquitate tua. Conuertere igitur, ô Israel, tu primus: conuersione quippe opus est, quia corruisti in hoc ipsum. Cõfitere, quia in iniquitate tua corruisti: nam confesio hæc initiũ est conuersionis. li. 6. ca. 14 in Oseam. Item: Duplex cõtritio, alia temporalis, alia æterna: siue alia corporalis, alia spiritualis. lib. 1. cap. 1 in Amos.

Bernhardus ait: Scientia autem ista in primo gradu operatur pœnitudinem & dolorem, ut risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mœrorem conuertat: & incipiant tibi displicere, quæ uehementer antè placuerant: & illa specialiter horreas, quæ specialiter appetebas. Serm. 3 in Vigil. nat. Dom. Et: Nemo (fratres) uicia palpet, peccata dissimulet nemo. Nemo dicat, Nũ quid custos fratris mei sum? Serm. in natiuit. Ioh. Bapt. Et: Peccata igitur nostra plãtata in conscientijs, quorum numerositas præ multitudine numerari non potest, species eius sunt. Ipsa igitur in mortariolo pœnitentiæ, macerationis pistillo contusa, & respersa discretionis oleo, doloris igne supposito, & in aheno disciplinę cocta, unguẽtum exhibent preciosum, & acceptũ pedibus Saluatoris. Serm. de B. Maria Magdalena. Et: Optimum est tunc sentiri uermem, cum possit etiam suffocari. Itaque mordeat nunc ut moriatur, & paulatim desinat mordere mordendo. Rodat interim putredinem, ut rodendo consumat, & ipse quoque pariter consumatur, ne foueri incipiat in immortalitatem. Vermis, inquit, eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. À facie illorum morsuum quis sustinebit? Multiplex enim nunc consolatio arguentis conscientiæ releuat cruciatum. Benignus est Deus, qui non patitur nos tẽtari ultrà quàm possumus, nec uermem hunc supra modum patitur malignari. Maximeque inter initia conuersionis oleo misericordiæ lenit ulcera, ut nec morbi quantitas, nec difficultas curationis ultrà quàm expedit innotescat. Magis autem arridere uidetur facilitas quædam, quæ postmodum euanescit, quando iam exercitatos habenti sensus certamen forte datur, ut uincat, & discat quoniam omnium potentior est sapientia. capite sexto de Conuer. ad clericos. Et: Lugeat, sed non sine pietatis affectu, & obtentu consolationis. Cõsideret nullam sibi inueniri requiem in seipso, sed omnia plena miserię & desolationis. Consideret non esse bonũ in carne sua, sed in seculo nequam nihil nisi uanitatẽ & afflictionem spiritus contineri. Cõsideret, inquã, nec intus, nec subtus, nec circa se sibi occurrere consolationem: ut uel tandẽ aliquando discat quærendam sursum, & desursum esse sperandã. Lugeat interim plangẽs dolorem suum, exitus aquarum deducat oculus eius, & palpebra non quiescat. Nimirum purgatur lachrymis oculus antè caligans, & acuitur uisus, ut intendere possit in serenissimi luminis claritatem. Ibid. ca. 19. Item: Ecce hoc est unum unguentũ, quo anima peccatrix suæ conuersionis primordia condire debet, plagisq; suis recentibus adhibere. Primum namq; sacrificium Deo spiritus contribulatus. Quamdiu ergo non habet, tanquam pauper & inops, unde sibi melius ac preciosius componat unguentum, non negligat parare interim istud, licet de uilibus speciebus: quia cor cõtritum & humiliatum Deus non despiciet. Tanto autem minus uile diuinis apparebit conspectibus, quanto plus sibi illa uiluerit in recordatione peccatorum suorũ. Serm. 10 super Cantica.

Petrus Blesensis ait: Non tam facilè sine fletu & gemitu cordis acerboq; dolore sanantur, quę conualuerant in medullis pręcordiorũ: nec leuiter culpa remittitur, nisi cum qualitate peccati humilitas pœnitentiæ compensetur. Epist. 61.

Petrus Cantor ait: Duas habet manus pœnitentia, laborem scilicet pœnitẽtialem ad delenda præterita peccata, macerationem carnis ad uitanda futura. Pro his laboribus dicitur nobis, quia Dominus bonorum nostrorum non eget. Horum enim debitores

bitores sumus, ut salutem amissam recuperemus. capite sexagesimoseptimo. Item: Quanta autem debeat esse contritio & amaritudo cordis pro peccato. capite centesimoquinto. Item: Quanta debeat esse contritio cordis pro peccato, attende in quatuor quæ gessit Dominus in suscitatione Lazari. Turbauit semetipsum, infremuit spiritu, lachrymatus est, clamauit: Lazare ueni foras. Ibidem.

Quid pauendum. Bernhardus: Paueo gehennam, paueo iudicis uultum, ipsis quoq; tremendum angelicis potestatibus. Contremisco ab ira potentis, à facie furoris eius, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempestate ualida, à uoce archangeli, & à uerbo aspero. Contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à uentre inferni, à rugientibus præparatis ad escam. Horreo uermem rodentem, & ignem torrentem, fumum & uaporem & sulphur, & spiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut præueniam fletibus fletum, & stridorem dentium, & manuum pedumque dura uincula, & pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, nec consumentium? Heu me mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis & plorationis æternæ? Cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, natus in combustionem, & cibus ignis? Sermone decimosexto super Cant.

De humiliatione sui. Bernhardus: Etenim ubi te exinaniuisti, ubi naturalibus radijs lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiauit. Sermone 45 super Cantica.

De cognitione sui inquit Bernhardus: Hoc modo erit gradus ad noticiam Dei, cognitio tui: & ex imagine sua, quæ in te renouatur, ipse uidebitur, dum tu quidē reuelata facie gloriam Domini cum fiducia speculando, in eandem imaginem transformaris de claritate in claritatem, tanquā à Domini spiritu. Sed iam demum aduerte, quomodo utraque cognitio sit tibi necessaria ad salutem, ita ut neutra carere ualeas cum salute. Nam si ignoras te, non habebis timorem Dei in te, non humilitatem. An uerò sine timore Dei & sine humilitate de salute præsumas, tu uideris. Sermone trigesimosexto super Cantica. Item: Quomodo non uerè humiliabitur in hac uera cognitione sui, cùm se perceperit oneratam peccatis, mole huius mortalis corporis aggrauatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fece infectam, cæcam, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, procliuem ad uicia, inualidam ad uirtutes? Ibidem. Item: Tenetis memoria quòd teneam assensum uestrum, neminem absque sui cognitione saluari: de qua nimirum mater salutis humilitas oritur, & timor Domini, qui & ipse sicut initium sapientiæ, ita est & salutis. Nemo dico absque illa cognitione saluatur, qui tamen ætatem habeat ac facultatem cognoscendi. Quod propter paruulos loquor, & propter fatuos, quorum alia ratio est. Quid si ignoras Deum? Poterit'ne spes esse salutis cum Dei ignorantia? Ne hoc quidem. Nec enim potes aut amare quem nescias, aut habere quem non amaueris. Noueris proinde te, ut Deum timeas: noueris ipsum, ut æquè ipsum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero & consummaris: quia initium sapientiæ timor Domini est, & plenitudo legis est charitas. Tam ergo utraque ignorantia cauenda est tibi, quàm sine timore & amore Dei salus esse non potest. Ibidem serm. 37.

De pertinacia inquit Bernhardus: Perseuerare in malo, diabolicū est: & digni sunt perire cum illo, quicunq; in similitudinem eius permanent in peccato. Serm. 1 de Aduentu Domini.

De induratione inquit Bernhardus: Cernitur, inquam, à timorato contemplatore hoc loco Deus iusto, sed occulto iudicio suo reproborum nec diluens mala, nec acceptans bona, insuper & corda indurans, ne fortè doleant & resipiscant & conuertantur, & sanet eos. Et hoc non absque certa & æterna ratione: quod tanto formidolosius constat esse, quanto immobilius fixum extat in æternitate. Pauendum ualde quod in Propheta de huiusmodi legimus, ubi loquens ad angelos suos Deus sic ait: Misereamur impio. Quibus pauentib. atque quærentibus: Non ergo discet facere iusticiam? Non, inquit. subdensq; causam: In terra, ait, sanctorum iniqua gessit, & nō uidebit gloriam Domini. Sermone 23 super Cant.

DE RECEPTIONE.

Misericordia recipi peccatores. Rupertus: Quisquis iam fidelis, iam Christianus, peccatis actualibus iterum oppressus, gratia miserentis Dei liberatur. lib. 7. cap. 8 in Matth.

Bernhardus ait: Duo sponsi ubera, duo in ipso sunt ingenitæ mansuetudinis argumenta.

menta,quòd patienter expectat delinquentem,& clementer recipit pœnitentem. Gemina,inquam,dulcedo suauitatis exuberat in pectore Domini IESV, longanimitas uidelicet in expectando,& in donando facilitas. Et audi,quia non sit hoc inuentum meum. Legis profectò de longanimitate:An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? Item:An ignoras,quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Adhoc siquidem diu suspendit sententiam ultionis à contemnente,ut quandoque exhibeat gratiam remissionis in pœnitente. Non enim uult mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Ponamus exempla & de altero ubere,quod dictum est remittendi facilitas.Legis & de ipsa:Quacunque hora ingemuerit peccator, peccatum suum remittetur ei.Legis: Derelinquat impius uiam suam, & uir iniquus cogitationes suas,& reuertatur ad Dominum,& miserebitur eius:& ad Deum nostrum,quoniam multus est ad ignoscendum. Pulchrè Dauid paucis comprehendit utrumque,dicens:Longanimis,& multùm misericors. Huius ergo geminæ bonitatis experimento in eam se fiduciam excreuisse fatetur sponsa, ut auderet petere osculum: Quid mirum (dicens) si sic præsumo de te,ô sponse,quæ de tuis uberibus tantam sum experta abundantiam suauitatis? Ergo ad audendum me prouocat dulcedo uberum tuorum, non meorum confidentia meritorum. Sermone nono super Cantica.

Petrus Blesensis inquit: Recipite quæso hominem humiliatum & compunctum ad pœnitentiam,ne si fortè claudatur ei sinus misericordiæ, incidat in desperationis abyssum. Gratius quidē acceptat Deus pœnitentiam peccatoris humilis & contriti, quàm innocentiam iusti tepidi & remissi. Epist. 75.

Omnes agentes pœnitentiam recipi.Rupertus: Apostoli Domini post passionem eius, ipso iubente, prædicauerunt: extunc cunctis peccatoribus, quacunque ex gente uel natione confugientibus, quantumlibet criminosis siue facinorosis, patet pœnitentiæ asylum, patet eorum uiolentiæ regnum cœlorum. libro 2. capite 6 in Zach. proph.

Lombardus ait: Sciendum etiam, quòd tempore necessitatis non est neganda misericordia uel reconciliatio pœnitentibus. lib.4.dist.20.

Petrus Blesensis ait: Reddentes igitur Deo quæ sunt Dei, & Cæsari quæ sunt Cæsaris,iuxta petitionem Domini regis, ei tātorum uindictam excessuum relinquatis: reis autem in mortis articulo constitutis, qui sententiam lati canonis incurrerunt,si absolutionem postulauerunt, & in hoc & alijs, quantum possumus sine scandalo & periculo Ecclesiæ, humanitatis officiū misericorditer impendamus. Epistola quinquagesimaquinta

De secunda & tertia parte pœnitentiæ inquit Bernhardus: Sanè opus est ut Deū quoque probemus, in remissione uidelicet priorum delictorum: quia nec sine hac salus nobis constare potest,& nemo potest dimittere peccata nisi solus Deus. Verùm ne id quidem sufficit ad salutem, nisi fortem quoque experiamur in expugnando expugnantes nos, ne ab ijsdem rursus concupiscentijs superemur, & fiant nouissima nostra peiora prioribus. Serm.2 de Circumcisione Domini.

De fide secunda parte inquit Petrus Cluniacensis: Si secundum Scripturam iustus ex fide uiuit, peccator ad uitam per fidem redibit.libro 1 contra Petrobusianos, epistola 2.

Non desperandum. Bernhardus: Quis desperet ultrà pro magnitudine cuiuslibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc spirantem minarum & cædis in discipulos Domini, subitò factum uas electionis? Quis dicat iniquitatis pondere pressus,Assurgere iam ad studia meliora nō ualeo: quando in ipso itinere, quo sanguinem sitiens Christianum,dirum toto pectore uirus efflabat, persecutor crudelissimus in fidelissimum repentè est mutatus prædicatorem? Sermone 1 de Conuersione Pauli.

Quomodo nos Deus exaltet. Bernhardus: Tribus modis exaltat Dominus caput nostrum,mentem scilicet à terrenis affectibus suspendendo,ut spe cœlestium trāsitoria contemnamus: diuinam scientiam conferendo, ut eorum quæ temporaliter non uidentur, scientiam teneamus: ad amorem cœlestium subleuando, ut in carne positi, ipsam quoque carnem diuinæ dilectionis altitudine transcendamus. In lib. Sentent.

De triplici gradu hominum inquit Bernhardus: Vnde & triplicem hic licet considerare gradum, incipientium,proficientiū & perfectorum. Sermone primo de S. Andrea.

De fine pœnitentiæ inquit Rupertus:Totus conuersionis ad Christum, & Christianæ fidei fructus est, scilicet uera resurrectio, qua resurgimus per Christum, prima animarum,secunda corporum. libro secundo Commentariorum in Oseam, capite sexto.

Petrus

Petrus Cantor inquit: Quæ destructiua est uitiorum, est constructiua & inchoatiua uirtutum, puta ut quæ est secunda tabula post naufragium, contra omnia peccata & uenena diaboli remedium & antidotum. capite 105.

De solenni pœnitentia Lombardus ait: Solennis ergo pœnitentia, ut Ambrosius in eodem ait, est quę fit extra ecclesiam in manifesto, in cinere & cilicio, quæ pro grauioribus horrendisq; ac manifestis delictis tantùm imponitur. Et illa non est iteranda pro reuerentia sacramenti, ne uilescat & contemptibilis fiat hominibus. libro quarto, distinctione decimaquarta. Item: De grauioribus criminibus semel tantùm agitur pœnitentia, scilicet solennis. Nam & de illis, si iterentur, iteratur pœnitentia, sed non solennis: quod tamen in quibusdã Ecclesijs non seruatur. Ibidem.

Esse secundam tabulam naufragij. Lombardus: Pœnitentia longè positis à Deo necessaria est, ut appropinquent (Est enim, ut ait Hieronymus, secunda tabula post naufragium) quia si quis uestem innocentiæ in baptismo perceptam peccando corruperit, pœnitentiæ remedio reparare potest. Prima tabula est baptismus, ubi deponitur uetus homo, & induitur nouus. Secunda, pœnitentia, qua post lapsum resurgimus, dum uetustas reuersa repellitur, & nouitas perdita resumitur. libro 4. distinctione decimaquarta.

DE CONFESSIONE.

De confessione coram Deo inquit Hugo de S. Victore: Homo per ueritatem stimulatus peccata sua confitetur, Deus per misericordiam flexus confitenti miseretur. Omnis namque spes ueniæ & misericordiæ est in confessione, nec potest quis iustificari à peccato, nisi confessus fuerit antè peccatum. Ex eo unusquisque iustus esse incipit, ex quo sui accusator extiterit. In libro de Conscientia. Item: Omnis spes ueniæ & misericordiæ est in confessione, excludit etiam miseratorem miseriæ simulatio. Ibidem.

Bernhardus ait: Vera confessio est, si omnia opera nostra, fratres, opera eius sint, & confiteantur ei. Confiteantur autem gemina quadam confessione, ut duplicibus uestiamini: id est, confessione peccatorum uestrorum, & confessione laudis diuinæ. Sermone secundo in uigilia natalis Domini.

Petrus Cantor ait: Est enim triplex confessio, cordis (Dixi, Confitebor, & tu remisisti iniquitatem) oris & operis. Confessio autem oris alia est ad fidem, alia ad pœnitentiam. Item confessio ad fidem triplex est, cordis, oris, operis. Cordis est credentis, oris confitentis. Corde creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem. Qui me confessus fuerit coram hominibus, & cætera. Hæc sunt cymbala bene sonantia, quorum neutrum sine reliquo resonat in casu & necessitate. Vnde & huiusmodi confessio dicitur quasi simul fassio, & magis propriè professio. Professio autem est singulare studium & officium, in quo quis merito suo & aliorum iudicio excellit. Est autem confessio operis ad fidem, quia probatio dilectionis, exhibitio est operis. Maiorem charitatem, & cætera. capite centesimo sexto. Item: Oportet etiam confessionem esse simplicem. Ibidem. Et: Vt autem uera sit confessio, necesse est ut sit humilis, simplex, pura, fidelis. Ibidem.

Confessor qualis esse debeat. Petrus Cantor: Sit ergo confessor prudens & discretus, mitis, suauis, dulcis, benignus, misericors & affabilis. cap. 106.

Permittit Lombardus, ut & alijs fiat confessio: Sanè ad hoc potest dici, quòd sacerdotis examen requirendum est studiosè, quia sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi atq; soluendi. Et ideo quibus ipsi dimittunt, & Deus dimittit. Si tamen defuerit sacerdos, proximo uel socio est facienda confessio. libro quarto, distinctione decimaseptima. Item: Grauiora coæqualibus pandenda sunt, cum deest sacerdos, & urget periculum. Venialia uerò, etiam sacerdotum oblata copia, licet cõfiteri coæquali: & sufficit, ut quibusdam placet, ne tamen ex contemptu non permittatur sacerdos. Tutius est tamen & perfectius utriusque generis peccata sacerdotibus pandere, & consiliũ medicinæ ab eis quęrere, quibus concessa est potestas ligãdi & soluendi. Ibidem.

Quæ faciant bonam conscientiam. Bernhardus: Itaque duo sunt præcipuè, quæ bonam reddunt conscientiam: pœnitere de malis, & abstinere à malis: hoc est (ut uerbis loquar beati Gregorij) & commissa flere, & flenda non committere. Horum neutrum solum sufficit. Nam si primum absque secundo sufficeret, frustra & Dauid hortaretur, dicens: Declina à malo. Et Esaias: Quiescite agere peruersè. Et Deus ipse ad Cain: Peccasti, quiesce. Rursum, si secundum per se post peccatum boná sufficit restaurare conscientiam, sine causa clamat pœnitens in Psalmo: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & cætera. Et illud: Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia delicta mea. Et in

oratione Dominica: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vtriusque uirtutis bene conscius animus securè iam seipsum deserat, & quodammodo perdat, ut aliquos lucrifaciat. Cum infirmantibus infirmetur, uratur cum scandalizatis: fiat etiam (si oporteat) Iudæis Iudæus, nihilque formidet cũ tali conscientia, exemplo Hieremiæ & Ezechielis, in Ægyptum uel Chaldęam cum transgressoribus captiuari: & cum S. Iob frater fieri draconum, & socius struthionũ: cum Moyse quoque (quod grauius est) deleri de libro Dei, & cum Paulo anathema esse à Christo pro fratribus, non timeat cũ huiusmodi conscientia. Ipsam denique si necesse est intrare gehennam, securus medias penetrans flammas, læta decantet cõscientia. Epist. 42.

DE SACRAMENTIS.

VOcabulum Sacramenti Rupertus interdum generaliter usurpat, ut: Quatuor sunt principalia Christi sacramenta, quæ Christiano ignorare non liceat: quorum primum est incarnatio, secundum passio, tertium resurrectio, quartum ascensio. libro tertio, capite quarto in Apocalyp. Item: Secundum quatuor ista naturæ uel officij sui nomina, quatuor sacramenta pietatis necessaria credenda proposuit, scilicet incarnationis siue natiuitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis: quorum nullum Christiano ignorare licuit unquam aut licebit. lib. 1 in Matth.

Lombardus ait: Sacramentum enim propriè dicitur, quod ita signum est gratiæ Dei, & inuisibilis gratiæ forma, ut ipsius imaginem gerat, & causa existat. Non ergo significandi gratia tantùm Sacramenta instituta sunt, sed etiam sanctificandi. Quę enim significandi gratia tantùm instituta sunt, solùm signa sunt, & non sacramenta: sicut fuerunt sacrificia carnalia, & obseruãtiæ ceremoniales ueteris legis, quæ nunquam poterant iustos facere offerentes: quia, ut ait Apostolus, sanguis hircorum & taurorum & cinis uitulę aspersus, inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis, non animæ. Nam inquinatio illa erat con tactus mortui. libro quarto, distinctione prima.

Etymologiam nominis exponit Rupertus: Dicitur Sacramentum à sacrando, eo quòd rem ipsam, id est corpus Christi, quod est Ecclesia, consecret, & consecrando efficiat unitam. libro sexto, capite 6 in Iohannem.

Petrus Lombardus ait: Dicitur tamen Sacramentum etiam sacrum secretum, sicut sacramentum diuinitatis, ut sacramentum sit sacrum signans, & sacrum signatum: sed nunc agitur de Sacramento secundum quod est signum. Item: Sacramentum est inuisibilis gratiæ uisibilis forma. libro quarto, distinctione prima.

Quid. Bernhardus: Sacramentum dicitur sacrum signum, siue sacrum secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantùm: alia uerò propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa, & sunt. Vt enim de usualibus sumamus exemplum, datur annulus absolutè propter annulum, & nulla est significatio: datur ad inuestiendum de hæreditate aliqua, & signum est, ita ut iam dicere posit qui accipit: Annulus non ualet quicquam, sed hæreditas est quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans pasioni Dominus, de gratia sua inuestire curauit suos, ut inuisibilis gratia signo aliquo uisibili pręstaretur. Serm. in Cœna Dom.

Lombardus inquit: Sacramentum est sacræ rei signum. libro quarto, distinctione prima. Et: Nunc quid ibi Sacramentum sit, & quid res, uideamus. Sacramentum est inuisibilis gratiæ uisibilis forma. Forma ergo panis & uini, quæ ibi uidetur, est sacramentum, id est, signum sacræ rei: quia præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud faciat in cognitionem uenire. Tenent ergo species uocabula rerum quæ antè fuerunt, scilicet panis & uini. Ibidem distinct. 8.

De duobus Sacramentis sic scribit Rupertus: Sunt duo Sacramenta maxima, Baptisma scilicet, & uiuifica corporis & sanguinis eius mẽsa: quæ sine dubio nostræ saluti tam necessaria sunt, ut absque his nulli hominum ad uitam uel regnum Dei aditus pateat. Ait enim: Amen dico uobis, nisi quis renatus, &c. Item: Nisi manducaueritis carnem. libro tertio de Sapientia, capite primo. Item: Quæ ergo & quot sunt præcipua nostræ salutis Sacramenta? Sacrum Baptisma, sancta corporis eius & sanguinis Eucharistia, geminum Spiritus sancti datum, uidelicet alterum in remissionem peccatorum, alterum in diuersarũ siue multiplicium diuisiones gratiarum. Hæc tria Sacramenta salutis nostræ necessaria sunt instrumenta: at uerò hæc non nisi per mortem & resurrectionem eius condenda erant, & condita sunt. libro duodecimo de Victoria uerbi, capite undecimo. Item: Vbi sanctum celebratur Baptisteriũ, & corporis & sanguinis Domini conficitur Sacramẽtum, unde animæ fideles cœlo renascun-

renascuntur, & angelorum descendentiũ & ascendentium manibus feruntur in cœlum, quid nisi porta cœli & infernalibus portis terribilis locus est? libro 7 in Genes. capite 24.

De re Sacramenti inquit Lombardus: Duo autem sunt in quibus Sacramentum consistit, scilicet uerba & res. Verba, ut inuocatio Trinitatis: res, ut aqua, oleum, & huiusmodi. libro quarto, distinctione prima.

Vnde sint. Rupertus: Salutis nostræ Sacramenta in Christi passione, morte & resurrectione condita sunt. libro 7 in Iohan. capite 7.

Hildegardis ait: Christus nuncius saluciferorum Sacramentorum, & sacerdos sacerdotum, ac propheta prophetarum, & ędificator fœlicium turrium. Visione quinta, libro 2.

De ueteribus Sacramentis inquit Bernhardus: Sanè paruulis, & necdum ratione utentibus, quia sola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati præuaricatio, tamdiu credendum est antiqua ualuisse Sacramenta, quamdiu palàm interdicta fuisse non constiterit. epistola septuagesimaseptima.

De fine inquit Bernhardus: Portæ Sion, Ecclesiæ sunt Sacramenta, sine quibus Ecclesiam non intramus. in lib. Sent.

Lombardus ait: Triplici autem de causa Sacramenta instituta sunt, propter humiliationem, eruditionem, exercitationem. Propter humiliationem quidem, ut dum homo insensibilibus rebus, quæ natura infra ipsum sunt, ex præcepto creatoris se reuerendo subijcit, ex hac humilitate & obedientia Deo magis placeat, & apud eum mereatur, cuius imperio salutem quærit in inferioribus se, etsi non ab illis, sed per illa à Deo. Propter eruditionem etiam instituta sunt, ut per id quod foris in specie uisibili cernitur, ad inuisibilem uirtutem, quę intus est, cognoscendam mens erudiatur. Homo enim, qui ante peccatum sine medio Deum uidebat, per peccatum adeò hebuit, ut nequaquam diuina queat capere, nisi humanis exercitatus. Propter exercitationem similiter instituta sunt, quia cũ homo ociosus esse non possit, proponitur ei utilis & salubris exercitatio in Sacramẽtis, qua uanam & noxiam declinet occupationem. Non enim facilè capitur à tentatore, qui bono uacat exercitio. libro quarto, distinct. 1.

De typis Sacramentorum Potho ait: Ecce quomodo per incrementa temporum creuit Sacramentorum cœlestium noticia, & manifestata est humanæ restaurationis gratia. In lege & Prophetis præfigurata sunt nostræ salutis Sacramenta: à beato Iohanne Baptista, qui est ultimus Prophetarum, ipsa mundi salus digito est ostensa: & in Christo completa sunt omnia, quæ ad domus Dei conducunt exornationem. lib. 1 de Magna domo sapient.

Sacramenta pro ratione temporum esse mutata. Bernhardus: Nihil ergo mirum, si pro diuersitate temporum mutata sint Sacramenta, ut daretur utrisque quod congruum erat eis. Ipse uerò Christus utrumque suscepit, ut tanquam lapis angularis utrique parieti cohæreret, ac si duarum capita corrigiarum consuendo connecteret: sicut & Pascha figuratum ipse compleuit, & uerum protinus inchoauit. Sed & propterea uoluit circuncidi, ut ostenderet, authorem se esse ueteris legis, sicut & Euangelij. Quoniã qui per seipsum ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. ipse idem per seruum suum prius dixerat: Omnis anima, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo. Quòd si solum baptisma suscepisset, uideri poterat refugisse circumcisionem, tanquam nihil ad se pertinentem. Si uerò circumcideretur, & non baptizaretur, quomodo mihi persuaderi posset baptizari, circumcisione derelicta? Nunc itaque post circumcisionem baptisma suscipiens, illud mihi tenendum tradidit, quòd ultimò suscepit. Serm. 4. in Epiphania Domini.

Sacramenta prodesse agentibus pœnitentiam. Petrus Cluniacensis: Tabem autẽ uoco lethale peccatum, quod quamdiu in interioribus cuiuslibet latuerit, nullius exterius Sacramenti perceptio ei prodesse poterit. Quod in præcipuis Ecclesiæ Sacramẽtis, uidelicet baptismate & corpore Domini, apertè ostẽditur. Si enim malitia interiore manente saluare ista possent, nec Iudas post acceptum cum alijs discipulis corporis Christi Sacramentum laqueo se suspenderet, nec Simoni mago iam baptisato Petrus diceret: Non est tibi pars neq; sors in sermone isto, in felle enim amaritudinis & obligatione peccati uideo te esse. Sicut enim Sacramenta fidei, ita & opera fidei seruari Christus præcepit. lib. 1 de Miraculis, capite 6.

DE CIRCUMCI-*sione.*

De præputijs inquit Bernhardus: Tria sunt præputia quæ præciduntur, carnis prę putium in Iudæo, cordis præputiũ in Christiano, linguæ præputium in perfecto. In libro Sent.

De circumcisione inquit Petrus Alphõsus:

ſus: De octauo profectò die cauſam nullam, niſi placitum Dei ſcio. Vtilitatem autem adferebat, quia ſaluationis erat occaſio. titul. duodecimo in Dialogo. Item: Circumciſio profectò propter hoc data fuit, ut gens Domini ab alijs gentibus diſcerni poſſet & agnoſci. Ad cuius etiam gentis maiorem diſcretionem præceptum eſt & illud, uidelicet ne quis de alia tribu duceret uxorem. Et hoc quidem totum præceptum eſt, quia de ſemine Abrahæ, & lege Moyſi, & tribu Iuda Chriſtus uenturus erat: ut uidelicet, cum ueniret, poſſet agnoſci, quia ipſe eſſet: & ne de alia ratione quis ſurgeret, qui Chriſtum eſſe ſe diceret, & ſic in errorem mundum dimitteret. Et quòd ad gentis diſcretionem mandata fuerit circumciſio, non, ut dixiſti, ad ſaluationem, duo ſanè habemus argumenta. Vnum quidem quòd præcepta eſt fieri octaua die, & non antea, propter hoc quòd nec ante octauam diem puer à matre ſeparatur, nec formido ulla habetur quòd alijs commiſceatur: die autem octaua, qua de illa pollutione mundari mulier ac lauari præcipitur, priuſquam hoc faciat, puer circumciditur, ne remota matre cambiatur, ſeu alius commiſceatur. Aliud uerò, quòd quadraginta annis quibus in deſerto filij Iſrael morati ſunt, omnes qui ibidem nati ſunt, circumciſi non fuerunt: ex quo autem ad terram habitabilem uenerunt, ne alijs gentibus miſcerentur, ſtatim per Ioſue à Domino circumcidi iuſsi ſunt, ſicut inueniunt qui ipſius Ioſue librum legunt. Quòd autem circumciſionem ſaluationis cauſam eſſe dixiſti, utique circumciſio tantùm cauſa non fuit eius rei, imò etiam fides bona, ſacrificia, atque opera recta, & poſt datam circumciſionem & antea, ſicut patet in Adã, Seth, Enoch, Matuſale, Noe & Sem, Iob & ſocijs eius, atque Iudaicis mulieribus, qui omnes ſine circumciſione fide recta ſaluati ſunt, ac bonis operibus. Quin etiam nullum prædictorum ſaluationis generum ſalutem conferebat, niſi eis tantùm qui diſcretionem habentes, Chriſti credebant aduentum, & ſe ſaluari poſſe non credebant niſi per eum. Cùm uerò Chriſtus, ſaluator ſcilicet quem expectabant, aduenit, ut Moyſi legem compleret, circumcidi ſe uoluit: & ut etiam per hoc pateſceret, quòd de ſemine Abrahæ, & lege Moyſi, & tribu Iuda, ſicut prædiximus, uenire deberet. Completis ergo omnibus propter quæ circumciſio data fuit, iam nemo ulterius circumciſione, quia nec generis aliqua diſcretione, indiguit. Quiſquis enim ad legem Chriſti ſe conferens, cuiuſcunque generis ac linguæ ſit, ſi fidelis tantùm eſſe uelit, cæteris Chriſtianis par exiſtit. Præterea poſtquam baptiſmus uenit, cum ipſe generalis ſaluatio uirorum ac mulierum ſit, iam ultrà circumciſio ad ſaluationem neceſſaria non fuit. Ibidem. Item: Etſi eam non præceperunt, quare etiam fieri prohibuerunt? Pet. Ideo utique fecère, ne reputarent homines, ut baptiſmum, ita & circumciſionem ſaluationem conferre, uel circumciſionem unà cum ipſo baptiſmate: & ita in errorem deciderent, ſicut Neſtoriani & Iacobitæ, qui nullum hominem ſaluari poſſe putant, niſi per utrumq;: & ſicut uos ipſi, quiſquis hodie de externa progenie ad legem ueſtram uoluerit conuerti, ſi uir ſit, primùm circumcidi, & poſtea præcipitis baptizari: ſi uerò fœmina, tantùm baptizari. Ibidem.

Bernhardus ait: Quid eſt enim circumciſio, niſi ſuperfluitatis & peccati indicium. Serm. 3 in Circum. Dom.

Lombardus inquit: Fuit tamen inter illa Sacramenta ſacramentum quoddam, ſcilicet circumciſionis, idem conferens remedium contra peccatum, quod nunc baptiſmus præſtat. libro quarto, diſtinctione prima. Item: Fiebat autem octaua die, & petrino cultro, quia & in reſurrectione cõmuni, & octaua ætate futura, per petram Chriſtũ omnis ab electis abſcindetur corruptio: & per Chriſti reſurrectionem octaua die factam circumciditur à peccatis anima cuiuſq; in eum credentis. Duę ergo res ſunt illius Sacramenti. Ibidem.

De circumciſione Chriſti inquit Bernhardus: Nobis ergo & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, ut à uitijs continentes, primùm per ipſam continentiam circumcidamur, denique à commiſsis per pœnitentiam purificemur. Sermone ſeptimo Paruor. ſermon.

Baptiſmus in locum circumciſionis ſucceſsit. Bernhardus: Huius quidem gratiæ Sacramentum prius erat circumciſio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manauerat à parentibus primis, cultellus eraderet: ſed ueniente Domino, qui agnus eſt, totus ſuauis & mitis, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue, optimè ſatis mutatum eſt, ut inueteratam rubiginem cum unctione ſancti Spiritus aqua dilueret, & acerbitas illa ceſſaret. Serm. de Cœna Dom.

DE BAPTISMO.

Græcè autem baptiſmus, Latinè ablutio. Rupertus libro decimotertio, capite decimonono in Iohannis Euangelium. Et: Baptiſma ideo Latinè tinctio dicitur, quia ibi homo Spiritu gratiæ in melius immutatur, & longè aliud quàm erat, efficitur.

citur. Filius mortis & perditionis erat, filius uitæ & acquisitionis efficitur: filius gehennæ erat, filius regni Dei efficitur: inimicus Dei erat, reconciliatur, & filius Dei efficitur. Idem libro tertio de Sapientia, capite 2.

Quòd baptizandum. Petrus Blesensis: Si ergo desideras de tenebris prodire in lucem, & amplecti saluberrimam legem Christi, tuç conuersionis primitias lauacro necesse est cõsecrari baptismatis, quarum deposita regenerationis uetustate peccati, in nouam animæ innocentiam & uitæ infantiam renasceris. Epistola octuagesimatertia.

De necessitate baptismi inquit Bernhardus: Porrò in maiori ætate quisquis post uulgatum ubiq; baptismi remedium renuit iam baptizari, generali originaliq; maculæ addit & ex proprio crimẽ superbiæ, duplicem secum portans iustissimæ damnationis causam, si sic de corpore exire contigerit. Tamen si ante exitum resipuerit, & uoluerit & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequiuerit, dum non desit fides recta, spes pia, charitas syncera: propitius sit mihi Deus, quia huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec uacuam credere fidẽ, nec confundere spem, nec excidere charitatem: tantùm si aquam non contemptus, sed sola (ut dixi) prohibeat impossibilitas. epist. 77.

Lombardus ait: Tunc impletur inuisibiliter, cum mysterium baptismi non contẽptus religiõis, sed articulus necessitatis excludit. lib. 4. dist. 4.

Quid. Bernhardus inquit: Baptismus initium Sacramentorum omnium, in quo complantamur similitudini mortis eius: unde & trina mersio tridui, quod nunc celebrandum est, formam gerit. Sermone de Cœna Domini & Bap. & ablut. pedum.

Lombardus inquit: Baptismus dicitur intinctio, id est, ablutio corporis exterior, facta sub forma uerborum præscripta. Si enim ablutio fiat sine uerbo, non est ibi sacramentum: sed accedente uerbo ad elementum, fit sacramentum: non utique ipsum elementum fit sacramẽtum, sed ablutio facta in elemento. libro quarto, distinctione 3.

De baptismo spirituali inquit Bernhardus: Est & baptismus aliquis in compunctione cordis, & lachrymarum assiduitate. Serm. 1 in octaua Paschæ.

Vnde baptismus, Rupertus docet: Hic est qui baptizat, hic est qui solus peccatorum remissionem dat, hic est qui probrosam atq; ignobilem ex peccato accidentem naturæ nostræ inopiam copiosis per Spiritum sanctum donis diuinitatis suç solatur & munerat. lib. 2. cap. 1 in Iohan. Item: Vnus est qui baptizat, unus & solus hic est qui sanctificat, unus est fons, unus est riuus baptismi salutaris. Ibidem. Et: Spiritus sanctus gratis & ultrò dignatur & potest aspirare. Qui, ut uirtute sua, qua ubi uult spirat, emiserit se super aquas, mirificum agit opus suæ potentiæ, ut elementũ inanimatum uiuificetur, non quidem uita animali, sed uirtute spirituali, fiatq; ianua regni Dei, sit thronus cœlestis gratiæ, fiatq; uenter supernæ matris Ecclesiæ. libro tertio, capite secundo in Iohannem. Et: Totius operis ductor erat Spiritus sanctus, & nunc quamdiu ad sanctificandum procedit, ferturq; super aquas baptismi, idem ipse qui ferebatur super aquas in initio. libro primo, cap. 16 de glorif. Trinit. & procef. Spiritus sancti. Et: Christus baptizauit semel quidem in aqua simul & sanguine de latere suo profluente, baptizauit nihilominus, imò & nunc baptizat in Spiritu sancto cum aqua, & eiusdem sui sanguinis Sacramento, perfectam tribuens peccatorum remissionem, quæ extra baptismum eius, postquam regulam eius deprompsit, nulli deinceps tribuitur. Iohannes baptizauit in aqua, solam pœnitentiam indicans. libro secundo Commentar. in Iohan. cap. 1. Et: Inuocatus statim adest, & familiare sibi elementum sanctificat. Ibidem lib. 3. cap. 2. Et: Baptismi Christi uirtus uel autoritas ab ipsius Domini nostri IESV Christi morte & resurrectione initium sumpsit, quando iam mortuus sanguinem & aquam de latere suo lãceatus effudit. Ibidem. Et: Sacramentum baptismi in Christi passione uel morte conditum est. lib. 8 in Matth. cap. 10. Et: Primò de baptismi secramento credimus & scimus, quia de morte eius manauit, cum putaretur esse deuoratus: id est, cum iam esset mortuus. Ad IESVM enim, inquit Euangelista, cum uenissent, & uiderent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: sed unus, &c. sanguine illo redempti, aqua illa sumus abluti, tam Iudæi, quàm gentes. libro duodecimo, cap. 11 de Victoria uerbi.

Hildegardis ait: Beata Trinitas in sancto baptismo baptizatis aperto cœlo apparet, ut fidelis homo fidem suscipiat, quomodo unum Deum in uera Trinitate colat, quæ etiam in primo sacramento baptismatis ueraciter apparuit: & singulis eorũ integerrimam cutem abstrahens, ac extra

uiam cutes proijciens, singulos illorum cã didißima ueste induit: ac eis splendidißimam lucem aperit, singulis eorum uerba beatæ admonitionis proferens: quia diuina potestas corda hominum aspiciens, in lauacro baptismi infidelitatem scelerũ suorum misericorditer aufert, atq; scelera illa extra uiam, quæ Christus est, abijcit: quoniam non mors in Christo, sed uita per puram confeßionem & per ablutionem peccatorum in ipso, cum per ipsum quisq; fidelis candore salutis induitur, & cum illi per eum claritas beatæ hęreditatis, de qua primus homo expulsus est, aperitur, ipse scilicet admonetur per uerba ueritatis, ut deponat ueterem consuetudinem iniquitatis, & assumat nouum donum gratiæ ad saluationem. lib. 2. uisione 3.

De rebus baptismi inquit Lombardus: In duobus ergo consistit Sacramentum baptismi, scilicet in uerbo & elemento. Ergo etsi alia desint, quæ ad decorem Sacramẽti instituta sunt, non ideo minus est uerũ Sacramentum & sanctum, si uerbum ibi sit & elementum. Nam & in hoc Sacramento & in alijs quædam solent fieri ad decorem & honestatem Sacramenti, quædam ad substantiam & causam Sacramenti pertinentia. De substantia huius Sacramẽti sunt uerbum & elementum, cætera ad solennitatem eius pertinent. libro quarto, distinctione 3.

De materia. Lombardus: Celebratur autem hoc Sacramentum tantùm in aqua, non alio liquore, ut ait Christus: Nisi quis renatus, &c. libro quarto distinctione tertia. Item: Vel ideo, ut nullum inopia excusaret, quod posset fieri, si in uino uel oleo fieret: & ut communis materia baptizandi inueniretur apud omnes, quod aqua signauit, quæ de latere Christi manauit, sicut sanguis alterius Sacramenti signum fuit. Non ergo in alio liquore potest consecrari baptismus, nisi in aqua. Ibidem.

De ministris. Lombardus: Posthæc sciendum est, Sacramẽtum baptismi à bonis & malis ministris dari, sicut à bonis & à malis sumitur. Nec melior est baptismus qui per meliorem datur, nec minus bonus qui per minus bonum datur, nec malus qui per malum datur: nec maius munus datur in baptismo dato à bono, nec minus in baptismo dato à malo, sed æquale: quia non est munus hominis, sed Dei. quod totum subditis declaratur testimonijs. libro quarto, distinctione quinta. Item: Habent ergo non modò boni, sed etiam mali ministerium baptizandi, sed neuter potestatem baptismi. Ministerium enim dedit Christus seruis, sed potestatem sibi retinuit: quam si uellet, poterat seruis dare, ut seruus daret baptismum suum tanquã uice sua. Ibidem.

De baptismo laicorum ait Lombardus: Nam baptizandi opus laicis fidelibus, si tamen necesse fuerit, liberè conceditur. lib. 4. dist. 42.

In utero nemo baptizetur. Lombardus: Illud etiam ignorandum nõ est, quòd in materno utero nullus baptizari potest, etiamsi mater baptizetur. libro quarto, distinct. 6.

De accipientibus baptismum inquit Lombardus: Hic dicendum est, aliquos suscipere Sacramentum & rem Sacramenti, aliquos Sacramentum & non rem, aliquos rem & non Sacramentum. Sacramentum & rem simul suscipiunt omnes paruuli, qui in baptismo ab originali mundantur peccato: quamuis quidam diffiteãtur illis qui perituri sunt paruulis, in baptismo dimitti peccata, innitentes illi uerbo Augustini: Sacramenta in solis electis efficiunt quod figurant. non intelligentes illud ita esse accipiendum, quia cum in alijs efficiant Sacramenta remißionem, non hoc eis faciunt ad salutem, sed solis electis. libro quarto, distinctione quarta. Item: Adulti quoque, qui cum fide baptizantur, Sacramentum & rem suscipiunt. Ibidem. Item: Qui uerò sine fide uel fictè accedunt, Sacramentum, non rem, suscipiunt. Ibidem.

De forma baptismi inquit Rupertus: Baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, sola & unica regula est baptizandi. Quam suo sanguine conscriptam Saluator post resurrectionem suam, & non antè, discipulis suis contradidit. Quæ tantæ uirtutis atque autoritatis est, ut quantacunque dicat quis inter mersionem, si cuncta ex ordine quatuor Euangelia percurrat, totamque fidei catholicæ decantet expositionem orthodozam, hanc autem solam omittat regulam, uerbum abbreuiatum quidem, sed consummans: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Si, inquam, istud omittit, non facit opus baptismi: atque ideo frustratus, qui sic intinctus est, nihilominus baptizari indiget. Quòd si sola hæc uerba deprompta fuerunt, quicunq; sit ille uerbi & aquę minister, quicũq; baptizet siue colũba, siue coruus, id est, siue iustus, siue adulter aut ebriosus, siue catholicus, siue hęreticus, siue etiã ludo quis fortè baptizet, nullatenus baptismum licet iterari, ne tanti nominis inuocatio uideatur annullari. li. 10. cap. 5 de Diuinis officijs.

Lombar-

Lōbardus ait:Ite,docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Inuocatio igitur Trinitatis uerbum dicitur, quo baptisma consecratur,& hæc est forma uerborum sub qua traditur baptismus.lib. quarto, distinctione tertia. Item: Legitur tamen in actibus Apostolorum,Apostolos baptizasse in nomine Christi:sed in hoc nomine,ut exponit Ambrosius,tota Trinitas intelligitur.Intelligitur enim cum Christum dicis,& pater à quo unctus est, & ipse qui unctus, & Spiritus sanctus per quem unctus est. Ibidem. Et: De immersione uerò si quæritur,quomodo fieri debeat: præcisè respondemus, uel semel.uel ter, pro uario more Ecclesiæ.Ibidem. Item: Porrò cuncti ad baptismum uenientes, fidem suam profiteri debent, & exponere quid petendum uenerint ad Ecclesiam. Vnde etiam à baptizando quæritur: Quid uenisti ad Ecclesiam petere? Qui si adultus est,pro se respondet:Fidem,id est,Sacramentum fidei, & doctrinā. Ita enim per se singula interrogatus respondet,se credere in patrem,& filium & Spiritum sanctum. Si autem paruulus est, non ualens credere uel loqui, alius pro eo respondet.libro quarto,distinctione 6.

Quid ibi fiat,docet Petrus Cantor:In porta religionis Christianæ sub attestatione profitetur catechizandus, quòd abrenunciabit diabolo & omnibus operibus eius,& præcipuè pompis eius,quæ difficilius cauentur,& nisi cum maxima cautela. capite 10.

Fidem requirit baptismus. Rupertus: Baptizandum quemque prius oportet credere & confiteri, & tunc demum baptizari in morte Christi IESV, eiq; per baptismum cōsepeliri & consurgere.lib. 13.cap. 18 in Iohan.

De fine & effectu baptismi ait Petrus Alphonsus: Baptismus ipse generalis saluatio uirorum ac mulierum. Titulo duodecimo. Item: Baptismus ab ipso Christo institutus,& non à Moyse,ut Iudæi somniāt. Ibidem. Item:Christus ueniens credentium corpora mundificauit, & Spiritus sancti plenitudinem infudit: iam carne aliqua nec sordidari corpus hominis, nec hebetari potuit.Ibidem. Item:Gratia baptismi cōfert donum Spiritus sancti,qui corda hominum ita illuminat,ne falsi aliquid credere præsumant.Ibidem. Item:In primo aduentu saluauit per aquam,id est,baptismum.Rabbi Samuel cap.11.

Rupertus ait:Baptismum aquæ uisibiliter conferre possunt, sed eum in quo tota cōsistit uirtus baptismi, Spiritum sanctum conferre nequeunt. lib. 11. capite decimoquinto in Iohannem. Et:Baptismus non unius potentiæ aut uirtutis tantùm, sed duplicis operationis est. Christus enim baptizat in Spiritu sancto, primùm remissionem peccatorum tribuendo. Secundò baptizat nihilominus,diuersarum ornamenta gratiarum conferendo.libro secundo,capite primo in Iohannem. Item:Vnus est qui baptisat, unus & solus hic est qui sanctificat,unus est fons,unus est riuus baptismi salutaris, qui per qualescunque canales influat:hic est qui baptizat,de cuius ore profluit ipsa uis Sacramenti purificans, emundans,uiuificans.Ibidem. Item: Quicunq; renascendo ex aqua & Spiritu sancto,Christum induunt, & Christo incorporantur,uehiculo diuinitatis eius in cœlum subleuantur, & cibo uisionis eius æterno pascuntur.Ibidem libro tertio,capite secūdo. Et:Originale peccatum in nobis deletur,& omnia quę contra nos erant actualia peccata,nosq; persequebātur,in aquis baptismi absorbentur. libro quarto Commentar.in Apocal.capite quinto. Et:Cū baptisantur omnes,siue pusilli siue magni, accipiunt in frontibus suis characterem nominis Christi, id est, signaculum crucis, & numerum nominis diuini,numerum trium personarum, patris & filii & Spiritus sancti. Item & hunc numerum accipiunt, ut profiteantur duas naturas unius Christi. Quia Christus non homo tantùm, aut Deus tantùm,sed & Deus & homo, ex anima rationali & humana carne, & uerbi diuinitate in una persona consistens. libro octauo Commentar. in Iohannis Apocal. capite decimotertio. Et: Primum donū & summa baptismi utilitas,quæ est remissio peccatorum, sciendum quia non particulariter distribuitur,neque alij plus, alij minus donatur:sed omnium ęqualiter pari gratia,in dissimili donationis abundantia,omnium,inquam, peccata absorbētur, & baptismi fluctibus omnes Aegyptij,cuncti reatus tam originalis culpę quàm actualium criminum confestim obruuntur.libro secundo in Exod.cap.34. Et:Iusticia hoc non admittit, ut quicunque in morte IESV Christi baptizati sumus, statim quoque à morte corporis liberi simus. Nam in baptismo unius simplę mortis Christi,quā suscepit, similitudo est. Nos autem duplā, scilicet corporis & animæ mortem debentes, baptismi subimus remedium. Igitur per unam Christi mortem, cuius similitudini complantati facti sumus, unam à nobis mortem,quæ erat animæ, saluatrix gratia depulit:aliā uerò,quæ corporis est,iusticię censura reseruauit. Corpus quidem (in-

quit Apostolus) mortuum, id est, certissimè moriturum est propter peccatum: spiritus uerò uiuit per iustificationem. libro sexto de Diuinis officijs, cap. uigesimotertio. Item: Baptizari Spiritu sancto nihil aliud est, quàm per Spiritum sanctum originalis peccati & omnium actualium remissionem accipere peccatorum, totumque hominem ueterem in uitæ transferri nouitatem. Ibidem libro nono, capite tertio.

Bernhardus ait: Quemadmodum cæteris infantibus tunc quidem circumcisio, nunc uerò baptismus sine ullo propriæ uoluntatis usu sufficit ad salutem. Sermone in natal. sanctor. innocent. Et: Lauamur igitur in baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ: & gratia hæc nobis confertur, ne iam nobis concupiscẽtia noceat, si tamen à consensu abstineamus: atq; ita tanquam sanies inueterati ulceris remouetur, dum tollitur damnatio & responsum mortis, quod prius inde manabat. Serm. in Cœna Domini, de baptis. & ablut. ped. Item: Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis, ut uidelicet & sensum minuat in minimis, & in grauiorib. peccatis tollat omnino consensum. Ibidem.

Petrus Cluniacensis ait: Nam quì Christi baptismate baptizatus nõ fuit, Christianus non fuit. lib. 1 contra Petrobusianos, epist. 2. Et: Saluantur paruuli Iudæorum sacramento circumcisionis, & non saluabũtur paruuli Christianorum sacramento baptismatis? Ibidem. Et: Vnde quia non potuit umbra corpore, figura ueritate aliquo pacto excellẽtior apparere, necessariò uos oportet confiteri, Christianorum paruulos saluari baptismate: cum fateamini, Iudæorum paruulos saluari circumcisione. Ibidem.

Petrus Lombardus inquit: Causa uerò institutiõis baptismi, est innouatio mentis, ut homo qui per peccatum uetus fuerat, per gratiam baptismi renouetur: quod fit depositione uitiorum, & collatione uirtutum. Sic enim fit quisq; nouus homo, cum abolitis peccatis, ornatur uirtutibus. Abolitio peccatorum pellit fœditatem, appositio uirtutum affert decorem: & hæc est res huius Sacramenti, scilicet interior mundicia. lib. 4. dist. 3. Item: Res ergo huius Sacramenti iustificatio est. Ibidem. Item: Solet etiam quæri de illis qui iam sanctificati spiritu, cum fide & charitate ad baptismũ accedũt, quid eis conferat baptismus? Nihil enim eis uidetur præstare, cum per fidẽ & contritionem iam remissis peccatis iustificati sunt. Ad quod sanè dici potest, eos quidem per fidem & contritionem iustificatos, id est, à macula peccati purgatos, & à debito æternæ pœnæ absolutos: tamen adhuc teneri satisfactione temporali, qua pœnitentes ligantur in Ecclesia. Cum autẽ baptisma percipiunt, & à peccatis, si quæ interim post conuersionem contraxerunt, mundantur, & ab exteriori satisfactione absoluuntur, & adiutrix gratia omnisque uirtus in eo augetur, ut uerè nouus homo tunc dici possit. Fomes quoq; peccati in eo amplius debilitatur. Ibid. dist. 4.

Petrus Cantor: Sicut enim nascimur in baptismo Domino, ita & in Sacramentorũ aliorum perceptione. cap. 33. Item: Forma baptismalis à Christo inuenta, nõ semper consequitur effectum suum, impediente macula etiam unius criminis. cap. 64. Item: Nota quòd quadruplex est lauacrum hominis à peccato, primum baptismi ab originali in pueris, secundum fidei etiam ab actuali in adultis. Fide mundas corda eorum, &c. cap. 105.

Mechtildis ait: Baptismus est, cum Deus Christianitati suam innocentiam confert, per quam filij cœlestis patriæ efficiuntur. Vnde pater cœlestis de quolibet baptizato dicit, Hic est filius meus, in eo complacet mihi anima mea, ut in filio charissimo. Quia si homo hanc innocentiam peccatis amiserit, per ueram pœnitentiam eam recuperat. lib. 1. cap. 8.

Phrasis. Christum induere. Lombardus: Quæritur igitur quomodo illud accipiatur, Quotquot in Christo baptizati estis, Christũ induistis? Potest dici, quòd qui in Christo, in Christi conformitate baptizantur, scilicet ut moriantur uetustati peccati, sicut Christus uetustati pœnæ, induũt Christum, quem per gratiam inhabitantem habent. Potest & aliter solui. Duobus enim modis Christum induere dicimur, uel assumptione Sacramenti, uel rei perceptione. libro quarto, distinctione quarta. Item: Omnes ergo qui in Christi nomine baptizantur, Christum induunt, uel secundum Sacramenti perceptionem, uel secũdum uitæ sanctificationem. Ibidem.

De regeneratione inquit Rupertus. Sacerdotis genitura, qua nos Christus regenerat, tota adoptiua est, & non ex carne, sed ex Spiritu ac pietate descendit. libro 3 Commentar. in Apocal. capite quarto. Item: Christus redemit uos liberans à malignis spiritibus, & congregans de nationibus, & fecisti Deo nostro regnum & sacerdotes, qui eramus serui peccati & dæmonum sacrificatores. lib. 4 Com. in Apocal. cap. 5. Item: Non minus hi qui ex circumcisione, quàm qui ex præputio: non minus

qui

qui ex iuſtis, quàm qui ex iniuſtis ſunt parentibus nati, opus habent ad catholicam proficiſci Eccleſiam, cuius per miniſterium renaſcantur ſecundum nouum Adam, per quem & uerum patrem Deum contingát. lib.1.cap.1 in Ioh.Euang.

Bernhardus inquit: Non ignoramus, iá oportere hominem naſci denuò: nam propter hoc ſecundò natus eſt Dei filius. In peccatis ſiquidem naſcimur omnes, & neceſſe habemus renaſci in gratia, quam in baptiſmate percepimus. Sermone tertio de Circumciſione Dom. Item: Sed tamen nihilominus ſpiritualis illa generatio non quidem in carne ſentitur, ſed in corde, ab his duntaxat qui cum Paulo dicere poſſunt: Nos autem ſenſum Chriſti habemus. In quo & eatenus ꝓfeciſſe ſe ſentiũt, ut & ipſi cum omni fiducia dicant: Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. cap.11 ad milites Templi.

De renouatione inquit Bernhardus: Tribus modis renouamur, carne per baptiſmi myſterium ab originali peccato, opere per pœnitentiæ remedium ab actuali delicto, carne & ſpiritu per reſurrectionis donum. In lib. Sent.

Hic imperfecti ſumus. Bernhardus: Semiuiuus adhuc relictus in uia, ſemilaudare poſſum: ubi totus uixero, ibi totus erumpam in laudem, & dicent omnia oſſa mea: Domine quis ſimilis tibi? Serm. in feſto S. Martin.

De ſanctificatione inquit Bernhardus: Iuſta profectò & ſancta, & non iam peccatrix, quemadmodũ phariſæus exprobrat, neſciens iuſticiam aut ſanctitatem Dei eſſe munus, non opus hominis. Serm.23 Paru. ſermonum.

Lombardus ait: Vnde & Dominus dicitur ſanctificare, & ſeruus: ſed Dominus inuiſibili gratia, ſeruus uiſibili gratia. libro 4. diſt.6.

De ſanctificatione quorundam in utero inquit Bernhardus: Hieremię quidem admiranda ſanctificatio: quia etſi in peccato conceptus eſt, naſcitur tamen ſine peccato. Antè enim quàm exiret de uentre, ſanctificatus eſt, nec poterat naſci nõ ſanctus, qui in utero matris erat ſanctificatus. Mira res, & à tranſactis ſeculis non audita, hominem cõceptũ in peccatis, naſci ſine peccato. Iohannẽ uerò lõgè glorioſior uirtus impleuit, qui & ſanctificatus eſt à peccato, & ita dominante ſpiritu ſuperfuſus, ut & purgatus exeat, & repletus. Verè magnus corã Domino, quem angelus nunciat, ſanctificat Deus, Spiritus replet, uitam commendat. Serm. de S. Iohan. Baptiſta. Itẽ: Caeterùm quatenus aduerſus originale peccatũ hæc ipſa ſanctificatio ualuerit, ſiue pro iſto, ſiue pro illo Propheta, uel ſi quis alius ſimili præuentus gratia fuerit, non temerè dixerim. Sanctificatos tamen non dubitauerim dicere, quos Deus ſanctificauit: & cum eadem ſanctificatione prodiſſe ex utero, quam acceperunt in utero: nec reatũ quem in conceptione traxerunt, ualuiſſe ullatenus horum natali iam donatam prępedire ſeu præripere benedictionem. Attamen quis dicat Spiritu ſancto repletum, manere adhuc filium nihilominus iræ, & ſi mori in utero contigiſſet cum hac plenitudine Spiritus, pœnas luiturum damnationis? Durum eſt. Minimè tamen auſim hinc quippiam mea ſententia diffinire. Epiſtola 174.

Lombardus ait: Sed melius eſt, ut dicamus illos præter communem legem in uteris iuſtificatos, & gratia præuentos, dimiſsis omnibus peccatis: quod etiam multis ſanctorum teſtimonijs edocetur. lib.4. diſt.6.

Deficientes à baptiſmo. Rupertus: Multi illorum qui baptizantur aqua, ſpiritu mẽtis ſuæ non renouantur, non deponentes ueteris hominis actus, quãuis in aqua demerſi nouum ſe hominem induere profiteantur. lib.3. cap.2 in Iohan.

De peccantibus poſt baptiſmũ Rupertus inquit: Qui ſemel in morte quæ nunc adeſt, baptizatus eſt, non eſt opus amplius ut præterita ante baptiſmũ peccata, ſiue originalia ſiue actualia, lauet: ſed eſt totus mundus. Tantũmodo pedes lauet: id eſt, quotidiana, uel omnia ſine quib. humana uita tranſigi non poteſt, commiſſa quotidianis remedijs expurget. lib. 11. ca.13. in Ioh.

Doctrinã baptiſmi teneat baptiſati. Hildegardis: Sicut infans lacte & eſcis ab alio ſibi contritis paſcitur corporaliter, ita etiã doctrinã & in baptiſmate ſibi propoſitam fidẽ ex intimo corde obſeruabit. Quia ſi ubera matris nõ ſugit, nec cõtritas ſibi eſcas ſuſcipit, incunctanter moritur: ſic etiã ſi nutrimẽta pijſsimæ matris Eccleſiæ non accipit, nec uerba fideliũ doctorũ in baptiſmate propoſita retinet, crudelitatẽ mortis animæ nõ euadet; quoniã ſaluationem animæ & dulcedinẽ uitæ æternæ recuſauit. Et ſicut infans cum cibũ corporalẽ dẽtibus ſuis molere nõ poteſt, alius eũ ad deglutiendum, ne moriatur, conterit: ſic etiam faciendum cum ille in baptiſmo uerba ad confitendum Deum non habet, aderunt ei ſpirituales adiutores, qui ipſum cibum uitæ, id eſt, catholicam fidem, ne in laqueo perpetuæ mortis comprehendatur, proponant. Quod quomodo fiat, prolixius

lixius explicat uisione tertia, libro secũdo.

De typo baptismi. Rupertus: A' sanguine & aqua ex latere Christi fluentib. Sacramentũ sumpsisse exordium. lib. 13. cap. 19 in Ioh. Item: Nec solus sanguis, nec sola de latere Saluatoris aqua manauit: quia diuinus ordo nostræ salutis utrumq; depoposcit. Vt ergo esset unde à peccatis lauaremur, aqua, quæ corporales tantùm lauare poterat sordes, sanguini, qui est preciũ nostræ redemptionis, sociata est, & ex eius societate uirtutem atq; authoritatem sumpsit, ut ad abluendas inuisibiles peccatorum sordes digna sit sancto cooperari Spiritui. Ibidem.

De baptismo Christi inquit Bernhardus: Nos abluti sumus, non ille: quia nobis lauãdis aquæ cognoscũtur ablutæ. Serm. 1 in Epiph. Dñi. Item: Baptizantem & baptizatum, numina dominantia circũcingunt. Infundit aquam capiti creatoris creatura nobilior, & Dei uerticem mortalis dextera contrectat & contingit. Pauet cœlum, stupet terra, Iordanis arridet, mirãtur angeli Dominum Zebaoth inter manus baptisantis concludi. Quid est Iohannes? Quem Cherubim & Seraphim uix audent aspicere, tu nudum tenere præsumis? Hic est in quem angeli desiderãt prospicere: cui Sanctus, sanctus, sanctus, sublimi melodiarum organo beatæ ciuitatis conuentus ingeminant: qui solus inhabitat lucẽ inaccessibilam, Dominus uirtutum, Deus sciẽtiarum, misericordiarum pater, & tu non metuis? Tibi datũ est, quod omnibus negatum est, baptizare eũ qui baptisat omnes in Spiritu sancto & igne: uirginẽ, uirginisq; filiũ, uirgineis manib. irrigare. Totus obstupeo baptisantẽ, hominẽq; Deum reuereor, magistrũ dignantẽ admiror, uereor dignationẽ, & hominẽ uideo uiolẽtiã ipsis cœlis inferre. Porrò illud quale est, quòd in isto baptismate terminatur lex, finẽ accipit prophetia, & omnis illa sacrificiorum multitudo propulsatur & pellitur? Hic incipit & stabilitur nouæ regenerationis purgatio perduranda, & in unam baptismatis formam legalium transeunt dispendia figurarum. Ad ablutionem enim aquæ, & innouationem spiritus, sepelitur hircorum & uitulorum sanguinolenta congeries. Et peccatoribus id Iudæis relinquimus, illud Dauidicum attẽdentes: Holocaustum & pro peccato non postulasti. Serm. de S. Iohan. Baptista.

De baptismo ab hæreticis. Rupertus: Illi quoq; qui ab hæreticis baptizantur, baptizati quidem sunt, nec eis repetitur lauacrũ carnis: renati tamen nequaquã sunt, qui iã mortui prodeunt, sed nec unquam uixerunt. libro 3. capite secundo in Iohan.

De non baptisatis infantibus. Bernhardus: Sanè infantes quia hanc prohibente ætate non possunt habere, hoc est cordis ad Deum conuersionem: consequẽter nec salutem, si absq; baptismi perceptione moriuntur. Epist. 77.

De ablutione pedum. Bernhardus: Nam ut de remissione quotidianorum minimè dubitemus, habemus eius sacramentum pedum ablutionem. Quæris fortè unde sciam, quòd sacramentum sit huius remissionis, maximè cum ipse Dominus promiserit Petro, dicens: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem posteà. nihil autem de sacramento locutus est, sed tantùm: Exemplum inquit, dedi uobis, ut & uos ita faciatis. Verùm multa habebat illis dicere, sed tunc portare non poterant. Ideoque nec ex toto uoluit eos anxios & suspensos relinquere, nec dicere quod tunc non caperent. Vis autem nosse, quia pro sacramento illud est, non pro solo exemplo factum: illud attende, quod Petro dictum est: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Aliquid igitur latet, quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi & Dei. Vide enim, si non expauerit Petrus ad tantæ comminationis terrificum uerbum, si non agnouerit salutare esse mysterium, cum respondit: Domine non tantum pedes meos, sed & manus & caput. Et unde scimus, quia ad diluẽdã peccata, quæ non sunt ad mortem, & à quibus plenè cauere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo planè, quòd offerrenti manus & caput pariter ad abluendum, responsum est: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet. Sermone in Cœna Domini, de baptismo & ablutione pedum.

Phrases.

In Spiritu. Rupertus: In Spiritu sancto baptizari, est gratiam accipere Spiritus sancti, quæ non modò quid sit peccatum ostendat, sed & auxilium aduersus peccata præbeat, delendo præterita, repellendo instantia: atque ita de seruis peccati faciat filios Dei, de filijs iræ filios gratię, de ignotis & aduenis genus regale & sacerdotale. Baptismus Christi unctio est regalis & sacerdotalis, qua ipse unctus præ cunctis participibus suis. lib. 2. ca. 1 in Iohan. Item: Baptizat nos & igni, cùm eiusdem sancti Spiritus feruore accensos, fortes in amore, & in fide constantes, uel scientia lucentes, & zelo bono calẽtes efficit. Ibidem. Item: Baptizat nos Spiritu sancto, cùm in fontem baptismi descẽdẽte

inuisibili

inuisibili gratia eiusdem Spiritus sancti, omnia peccata eorum qui baptizantur, dimittit. Ibidem.

DE CLAVIBVS.

Quid sint claues, exponit Lombardus: Claues istæ non sunt corporales, sed spirituales, scilicet discernendi scientia, & potentia iudicandi, id est, ligandi & soluendi: qua dignos recipere, & indignos debet excludere à regno Ecclesiasticus iudex, qui sicut habet ius ligandi, ita soluendi. libro 4. dist. 18.

Quid agant ministri. Lombardus: Non autem hoc sacerdotibus concesśit, quibus tamen tribuit potestatem soluendi & ligandi: id est, ostendendi homines ligatos uel solutos. Vnde Dominus leprosum sanitati prius per se restituit, deinde ad sacerdotes misit, quorum iudicio ostenderetur mundatus. Ita etiam Lazarum iam uiuificatum obtulit discipulis soluendum. Quia etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie Ecclesiæ solutus habetur, nisi per iudicium sacerdotis. Ibidem.

De fine. Lombardus ait: Vsus uerò harum clauium multiplex est discernere, scilicet ligandos & soluendos, ac deinde ligare uel soluere. Ibidem.

De absolutione Petrus Cantor ait: Absolutio enim spirituale est, pertinẽs ad potestatem clauium. cap. 21.

Absolutionis formam Petrus Cantor recitat: Quia mihi confiteris, tibi obligor in paternitate spirituali, ut peccata tua sicut filij supportem, pro illis doleam, & tecum pro his satisfaciam. Confide ergo & age pœnitentiam: quam si secundum consilium meum egeris, promitto, meq; super his fideiussorem dabo, quòd ex toto liberaberis. cap. 53.

De coacta absolutione ait Salisberiensis: Vnde immoderato stupore confundor, cum frequentisśimè uideam (nescio fideles, an infideles dicam) in sacrilegio huiusmodi deprehensos, ad hoc totis uiribus anhelare, ut minis & terroribus urgeant sacerdotes ad absolutionem præstandam: quam nec isti fideliter dare, nec illi in contumacia utiliter accipere possunt. Sanè facilius est utrumque inuolui, quàm alterum istorum expediri. Vtrius tamen sit culpa grauior, non facilè dixerim. libro quinto Policrat. de curial. nugis, capite 5.

De excommunicatione Lombardus scribit: Est & alius modus ligandi & soluendi, qui per excommunicationem geritur, dum aliquis secundum canonicam disciplinam tertiò uocatus ad emendationem manifesti delicti, & satisfacere uilipendens, sententia Ecclesiæ à loco orationis, & Sacramentorum communione, & fidelium consortio præscinditur, ut erubescat, & pudore sceleris conuersus pœniteat, ut sic spiritus eius saluus sit. Quòd si pœnitentiam profitens resipuerit, negatæ communioni admittitur, & Ecclesiæ recõciliatur. Hæc est autem Ecclesiæ anathematizatio. lib. 4. dist. 18.

Hildegardis ait: Et debent sacerdotes, qui per filium Dei potestatem hanc perceperunt, neminem absque culpabili causa propter rabiem cordis sui in uerbis Dei ligare: sed acutisśimè considerandum est illis, quem ita constringere debeant. Nam qui nec propter pudorem hominum, nec propter Dei, nec precibus nec præceptis perterritus, quin in iniquitate sua perseuerare uelit: hunc Ecclesiastica censura in uerbis Dei ab Ecclesia submouere debetis. libro 2. distinct. 6.

Peccata non reuelanda. Lombardus: Caueat autem sacerdos, ne peccata confitentium alijs prodat: alioquin deponatur. lib. 4. distinct. 21.

De confesśione inquit Bernhardus: Omnia in confesśione lauantur. De aduent. serm. 3. Item de resurrect. serm. 2.

Lombardus inquit: Est enim confesśio testimonium conscientię Deum timentis. lib. 4. dist. 17.

Excommunicationem recitat Petrus Cluniacensis: Quem gehenna dignisśimũ, quia laqueis, gladio, ignibus, uel extremis nefandorum supplicijs, Ecclesiastica pietate prohibente, punire non poteram: exilio perpetuo, quod penè solum licuit, infernalem proditorem damnaui. Nam sacrosanctis Euangelijs adhibitis, compulsus est in publico Cluniacensi capitulo me præsente iurare, quòd transactis sibi à me præfixis mensibus, nunquam deinceps intra terminos uniuersam Galliam concludentes maneret: sed extra illos locũ saluti suę aptũ requireret, & in inueto loco Deo pro peccatis suis dignè satisfaceret. libro 2 de Miraculis, cap. 125.

DE COENA DOMINI.

Sacramentũ corporis & sanguinis. Bernhardus in ramis serm. 3.

Petrus Cluniacensis inquit: Inde est quòd Sacramentum mysterium, species & figura uocatur: quia intra hoc quod exterior forma nunciat, uirtus diuina uerum corpus & sanguinem redemptoris occultat. libro 1 contra Petrobusianos, epistola secunda.

Eucharistia. Lombardus: Vnde excellenter Eucharistia dicitur, id est, bona gratia: quia in hoc Sacramento non modò est

augmentum uirtutis & gratiæ, sed ille totus sumitur, qui est fons & origo totius gratiæ. lib. 4. dist. 8.

Viaticum. Lombardus: Vnde rectè uiaticum appellatur: quia in uia nos reficiens, usque in patriam deducit. Sicut ergo in mari rubro figura baptismi præcessit, ita in manna significatio Dominici corporis. Ibidem.

Vnde. Rupertus ait: Nisi hoc Sacramentum corporis & sanguinis sui cum mysterio Baptismi, in quo similitudo est mortis eius, instituisset, nobis omnibus quicunque nondum eramus, siue omnibus qui tunc erant gentes, & ad simulachra muta, prout tunc ducebantur, euntes, quando Christus pro peccatis nostris semel mortuus est, mors eius nihil profuisset. libro 2 in Exod. cap. 6.

Bernhardus ait: Deus enim est, & quanquam panis mysteria habeat, mutatur tamen in carnem. Deus & homo est, qui testatur panem ueraciter fieri carnem suam. Vas electionis est, qui minatur iudicium non dijudicanti tam sanctam carnem. Idipsum, ô Christiane, de uino sentias, id honores in uino. Creator uini est, qui uinum prouehit in sanguinem Christi. Doctor gẽtium est, cuius assertione mortem bibit, bibens indignè sanguinem Christi. Sermone de Cœna Dom.

De malis ministris ait Lombardus: Solet etiam quæri, utrum praui sacerdotes hoc Sacramentum conficere queant? Ad quod dici potest, quòd aliqui, licent sint praui, cõsecrãt uerè, scilicet qui intus sunt, nomine & Sacramento, etsi non uita: quia non in merito cõsecrantis, sed in uerbo efficitur creatoris. lib. 4. dist. 13.

De materia inquit Rupertus: Panis iste corporeus, postquam signauerit eum pater, & uinum hoc expressum acinis præsentibus, mox ut eodem signo signatum est per manus Ecclesiæ dicentis, Vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij tui Domini nostri IESV Christi, &c. corpus & sanguis eius, qui huius traditionis autor est, efficiuntur: & hoc sacrificium ipse Christus est, cuius passione, ut sacrificium fieret, à Deo patre in ueritate signatum est. libro sexto Commentar. in Iohan. capite 6. Item: Nemo te subleuat in cœlum, nisi hic panis qui descendit de cœlo, hoc corpus Domini quod pependit in ligno, & hic sanguis eius qui effusus est pro omni mundo. Ibidem. Item: De hoc cibo corporis, & potu sanguinis Domini, hæc à sanctis doctoribus data est sententia, quam & uelut pro maxima uel prima diffinitione aduersus idem corpus & sanguinem Domini, nimium festini lectores & immaturati præripuêre doctores: Hunc, inquiunt, cibũ & potum societatem uult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia in prædestinatis & uocatis & iustificatis & glorificatis sanctis & fidelibus eius. Quid enim? Nunquid ab eisdem patribus ibidem tacitum est, huius rei, unitatis corporis Christi, quod est Ecclesia, sacramentum esse panẽ & uinum, quod in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur? Ibidem. Et: Non corpus quodlibet, nõ corpus Christi, quod est Ecclesia, sed illud corpus Domini quod ꝓ nobis traditum est, nos manducare, & illũ sanguinem qui nobis fusus est in remissionem peccatorum, nos bibere, indubitanter credimus. Ibidem. Et: Et licet sancta Ecclesia corpus Christi sit, & sic ex multis hominibus consistat, quemadmodum panis ille, quem uerè dicimus corpus Christi, multis constat ex granis, & uinũ illud, quod uerè dicimus sanguinem Christi, ex multis confluxit acinis: nõ tamen idipsum corpus Christi est Ecclesia, quod pro nobis traditum est. Quam propriam differentiam sæpe dictum corpus, quod est panis uitæ æternæ, semper authore Christo retinet. Ibidem. Et: Panis iste uisibilis cũ inuisibili filio Dei unum factus est: nam filius Dei Deus & homo habet in se uirtutem effectiuam, qua sibi uniat panem istum uisibilem. In pane & uino immolatur Dei filius in carnis & sanguinis sui ueritate. lib. 7. cap. 7 in Iohan. Item: Sicut Deus & homo unus est Christus, sic & iste panis uisibilis consecratus, cum illa carne quę pepẽdit in cruce, una caro est, unum est Christi corpus. Ibidem. Et: Vnde licet iam dictũ corporis & sanguinis eius Sacramentum humana comprehendi ratione non possit, quomodo panis corpus eius, & uinũ quomodo sanguis fiat, quomodo dudum de isto loquens mysterio dixerit, Et panis quẽ ego dabo, caro mea est pro mũdi uita: hoc tamen rationabiliter dixeris, quòd uel pro eo panis iste rectè dicatur uel uerè sit caro Christi, quia nobis residuis, qui nondum eramus nati, nobis uiuentibus ab ipsis Apostolis, idẽ facit comesus iste panis, quod illis prioribus sanctis fecit in sua specie crucifixa, moriens & sepulta caro Christi. Remissionem contulit prioribus illis caro Christi mortua. in Matth. lib. 10. cap. 26. Et: Christus potuit curare, ut patefacto crucifixi IESV Christi latere, efflueret aqua cũ sanguine: poterit etiam panem confectum manib. hominũ cõuertere in corpus, & uinũ de palmitib. istis in sanguinem suũ. Ibidẽ. Item: Qui si ubi duo uel tres congregati

gati fuerint in nomine eius, illic adest, quomodo in tali congregationis causa nō adest? Imò totus adest, totus sancto incumbit altari, non ut iterum patiatur, sed ut fidei, cui præsentia sunt omnia præterita, eius passio memoriter repræsentetur. Ita & Christus iterum immolatur, & tamen impassibilis permanet & uiuus: quemadmodum illic Isaac immolatus, & tamen gladio non attactus est. Frangitur pro illo panis, & comeditur: sed licet ille panis iam sit Christus ipse, Christus tamen integer permanet & uiuus. Quomodo, inquis, panis, qui uidetur, est Christus? Ad hæc inquam: Quomodo quælibet metalla, uerbi gratia, aurum siue argentum ualido igni conflatum atque resolutum, reuera & aurum est, & ignis quoque dicitur & est? Etenim aurum uidetur & est, quod erat: & tamen uerissimè ignis dicitur & est, quod non erat. Idcirco sic omnino panis admotus uel immersus terribili atque ineffabili mysterio passionis Christi, adhuc panis uidetur esse quod erat: & tamen in ueritate Christus est, quod non erat. libro 6 in Genesin, capite 32. Item: Sicut naturam humanam non destruxit, cum illam operatione sua ex utero uirginis Deus uerbo in unitatem personæ coniunxit: sic substantiam panis & uini secundum exteriorem speciem, quinque sensibus subactam, non mutat aut destruit, cum eidem uerbo in unitatem corporis eiusdem, quod in cruce pependit, & sanguinis eiusdem, quē de latere suo fudit, ista coniungit. Item quomodo uerbum à summo demissum caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem: sic panis & uinum utrumque ab imo subleuatum fit corpus Christi & sanguis, non mutatum in carnis saporem, siue in sanguinis horrorem, sed assumendo inuisibiliter utriusque, diuinæ scilicet & humanæ, quæ in Christo est, immortalis substantiæ ueritatem. Proinde sicut hominem, qui de uirgine sumptus in cruce pependit, rectè & catholicè Deum confitemur: sic ueraciter hoc quod sumimus de sancto altari, Christum dicimus, agnum Dei prædicamus. Rupertus libro 2 in Exod. cap. 10. Et: Credatur huic Sacramento inesse quod non uidetur, uidelicet ueritas carnis & sanguinis, ualens efficere nos concorporales unigenito filio Dei. Hoc enim ratio uel ordo iusticiæ exposcit. Accipite ergo, inquit, & comedite. Prius accipite, deinde comedite. Accipere enim est fideliter credere, cum gratiarum actione diligere, compatienti affectu corporis huius traditionem & sanguinis huius effusionem respicere. libro secundo de Sapientia, capite 24. Et: Non solùm panem & uinum, quæ corporaliter uidentur, sed & quod non nisi fidei oculis aspicitur, Verbum Dei, filium Dei, offert sancta Ecclesia, nouum & uerum immolans sacrificium: quia iam concipit, corde credendo ad iusticiam: iamque parit, ore confitendo ad salutem. Et paulo pòst: Ne ergo dicas in corde tuo, Quis ascendit in cœlum, hoc est, Christum inde deducere, ut is qui in se resurgens ex mortuis, iam non moritur, adhuc per sacri altaris hostiam in suo mysterio pro nobis iterum immoletur? Propè enim est uerbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est uerbum fidei quod prædicamus, inquit Apostolus. Quoniam ergo propè est in ore tuo & in corde tuo uerbum Dei, uerbum crucis, Christus Dominus, si huius uerbi flumen super panem & uinum effuderis, & ordine (qui ab ipso statutus est) ueritatem huius uerbi protuleris, statim de sancto altari panem ipsum & uinum in corpus & sanguinem suum transferendo suscipit, eadem uirtute, eadem potentia uel gratia, qua nostram de Maria uirgine carnem suscipere potuit, quomodo uoluit. Nec duo corpora dicuntur aut sunt hoc quod de altari, & illud quod acceptum est de utero uirginis: quia uidelicet unum idemque uerbum, unus idemque Deus, sursum est in carne, hic in pane. Alioquin & ille panis quē heri sacrificauimus, & ille quem hodie uel cras sacrificabimus, plura sunt corpora, nec rectè dicimus offerri ab Ecclesia corpus Domini, meliusque diceremus corpora: quia quotidie penè tot offeruntur panes, quot habentur in Ecclesia sacerdotes. Sed hoc prohibet causa, conuincit ratio, religio respuit. Vnitas enim uerbi, unitatem efficit sacrificij. libro secundo de Diuinis officijs, capite secundo.

Petrus Cluniacensis: Sed quod corpus? Sunt enim corpora cœlestia, & corpora terrestria, & quicquid uisui, auditui, olfactui, gustui, tactui, his subiacet, corpus est. Vnde ne quis putaret, animalis cuiuslibet, aut hominis cuiuslibet hoc esse corpus: ad excludendum omne aliud sensibile uel insensibile corpus, postquam dixit, Accipite, hoc est corpus: adiunxit, Meum. Suum ergo, & non alterius corpus discipulis dedit. Rursus ne fortè alicui cogitatio occulta subreperet, potuisse creare in manibus suis corpus quod suum quidem esset, sed tamen quod ipse erat, nō esset: addidit, Quod pro uobis tradetur. ac si diceret: Nolite dubitare, nolite hoc uel illud uobis fingere, nolite aliud & aliud

& aliud cogitare: quia hoc est corpus, non alterum aut alterius, sed meum: non permutatum, uel nouiter creatum, sed quod pro uobis tradetur, pro uobis crucifigetur, pro uobis morietur. Sic & de calice: Hic est, ait, sanguis: non bouis aut arietis, non agni, aut cuiuslibet hominis: sed meus, non alius, uel noua creatione productus: sed qui pro uobis fundetur, flagellis prouocatus, clauis extortus, lancea excussus. Quid ad demonstrandam ueritatem corporis & sanguinis Domini dici potuit clarius, lucidius, manifestius? libro primo contra Petrobusianos, epistola 2. Item: Offert agnum Dei, qui tollit peccata mundi, qui nec immolatus moritur, nec diuisus minuitur, nec comestus consumitur. Ibidem. Item: Eadem quæ præsens est caro Domini, qua fusus est non alius, sed idem qui sumitur sanguis Domini. Ibidem.

Lombardus ait: Dominus igitur IESVS ad inuisibilia paternæ maiestatis migraturus, celebrato cum discipulis typico Pascha, quoddam memoriale eis commendare uolens, sub specie panis & uini corpus & sanguinem suum ita eis tradidit, ut ostenderet, legis ueteris Sacramenta, inter quæ præcipuum erat agni Paschalis sacrificium, in morte sua terminari, ac legis nouæ Sacramenta substitui: in quibus excellit mysterium Eucharistiæ. Ideo etiam post alia dedit, ut hoc unum arctius memoriæ discipulorum infigeretur, & ab Ecclesia deinceps frequentaretur. libro 4. distinctione 8. Item: Tenet ergo species uocabula rerum quæ antè fuerunt, scilicet panis & uini. Ibidem. Item: Sunt ergo hic tria distinguenda. Vnum, quod tantum est sacramentum: alterum, quod est sacramentum & res: & tertium, quod est res & non sacramentum. Sacramentum & non res, est species uisibilis panis & uini. Sacramentum & res, càro Christi propria & sanguis. Res & non sacramentum, mystica eius caro. Porrò illa species uisibilis, sacramentum est geminæ rei: quia utramque rem significat, & utriusque rei similitudinem gerit expressam. Nam sicut panis præ cæteris cibis corpus reficit & sustentat, & uinum hominem lætificat atque inebriat: sic caro Christi interiorem hominem plus cæteris gratijs spiritualiter reficit atque saginat. Vnde: Calix meus inebrians quàm præclarus est? Habet etiam similitudinem cum re mystica, quæ est unitas fidelium: quia sicut ex multis granis conficitur unus panis, & ex pluribus acinis uinum in unum confluit: sic ex multis fidelium personis unitas Ecclesiastica constat. Vnde Apostolus: Vnus panis & unum corpus multi sumus. Ibidem. Item: Sed quare sub duplici specie sumitur, cum sub alterutra totus sit Christus? Vt ostenderetur totam humanam naturam assumpsisse, ut totam redimeret. Ibidem distinctione 11.

Petrus Cantor ait: Et præcipuè in Eucharistia, ubi totus Christus sumitur, fons & origo omnium gratiarum. capite 23. Item: A me incipio, quia me cum uitijs & concupiscentijs crucifigo, crucifixum prędico, crucifixum adoro, & quod plus est, crucifixum syncerè conficio, sumo, alijs manducantibus distribuo. Ibidem. Item: Si in ieiunio semel tantùm in die acceditur ad mensam corporalem, quanto magis ad mensam spiritualem? cap. 24. Item: Ex hac cellula uerborum, Hoc est corpus meum: elicitur fides de corpore Christi habita. Si hoc ut Manichæus exponeres, ita scilicet, hoc est corpus meum, id est, quædam repræsentatio corporis mei, & non aliud, uel in hunc modum aliter exponendo, quàm teneat fides catholica, statim deuiares. cap. 66.

Hildegardis ait: Vt caro unigeniti filij Dei in incontaminato utero Mariæ uirginis orta est, & postea pro salute hominum tradita: ita etiam nunc caro eius frequenter in incorrupta integritate Ecclesiæ augmentata, ad sanctificationem fidelium datur. Quia sicut faber aurum suum per ignem modò liquefaciens unit, & modò unitum diuidit: ita etiam pater carnem & sanguinem filij sui per sanctificationem Spiritus sancti in oblatione glorificat, & nunc glorificatum fidelibus hominibus ad salutem ipsorum distribuit: & cùm Ecclesia dotem suam, quod corpus & effusio sanguinis filij Dei est, ut ipsa in saluatione animarum beato partui sit apta, quia in effusione preciosi sanguinis huius in magna multitudine augmentum accipit: tunc & Deus indeficiens lumen locum sanctificationis in honorem filij corporis & sanguinis in sanctitate sua irradiat. libro secundo, uisione 6. Item: Veluti homo anhelitum suum introrsum trahit, & iterum eum extrorsum emittit, dum ipse spiraculum uiuentis uegetationis, quo uiuit, per mirabilem dispositionem Dei sibi introrsum mittit, & rursum, ut uiuere possit, emittit: ita oblationé ueram carnem & uerum sanguinem effectũ, quamuis in conspectu hominum uelut panis & uinum appareat. Quia ut Deus uerax est sine ulla illusione: ita etiam illa altitudo Sacramenti firma est, quam nullus deijcere potest, uera caro & sanguis existens absq; deceptione. Quo-

Quoniam ut anima ueraciter uiget in carne & sanguine, dum homo uiuit in corpore: ita etiam hoc mysterium in pane & uino, ubi colitur ueraci celebratione, sic etiam apparens hominibus. quia ut cæcus hominis oculus Deum perfectè uidere non potest, ita etiam homo mysteria ista corporaliter intueri non ualet. Quoniam ut homo corpus hominis, non spiritum eius uidet: sic etiam homo panis & uini speciem, non hæc Sacramenta perspicere potest. Quod latius probat per claritatem, quæ per corpus filij Dei in sepulchro ipsum à sopore mortis resuscitauit. libro secundo, uisione 6. Item: Ab omnipotentia Dei probat uerè corpus & sanguinem Christi adesse in Cœna, cum inquit, Deum hominem ex nihilo & limo terræ potuisse creare, & adhuc quotidie facere: ita etiam in oblatione Sacramenti posse Deum facere, ut caro & sanguis in Cœna adsit. Ibidem.

Verbum oportere accedere. Rupertus: Panis iste corporeus, postquam signauerit eum pater, & uinum hoc expressum acinis præsentibus, mox ut eodem signo signatum est per manus Ecclesiæ dicentis, Vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij tui Domini nostri IESV Christi, &c. corpus & sanguis eius, qui huius traditionis autor est, efficiuntur: & hoc sacrificium ipse Christus est, cuius passione, ut sacrificium fieret, à Deo patre in ueritate signatum est. libro 6 Commentar. in Iohann. capite 6. Et: Vnitas uerbi unum efficit corpus Christi, ut illud quod tunc in cruce pependit, & istud quod nunc Ecclesiæ fides ore sacro conficit, unum corpus sit, una inquam caro, & unus sanguis sit. Ibidem. Et: Nihilominus de pane isto uisibili, quem eiusdem uerbi inuisibilis diuinitas assumens, in carnem suam transfert, uerè & catholicè confitetur, quia corpus Christi est. Ibidem. Item: Verba Christi operantur inuisibiliter, ut panis uera caro mea sit, & uinum sanguis meus, nō mutata specie interiori: sicut & in singulis hominibus spiritualiter, id est, nihilo immutato de extrinsecus corporis accidētibus, hoc agunt ut membra mea sint. lib. 7. cap. 7 in Iohan.

Tria in Sacramento. Bernhardus: Cum autem unum sit Sacramentum, tria ibi discreta proponuntur: scilicet species uisibilis, ueritas corporis, & uirtus gratiæ spiritualis. Aliud est species uisibilis, quæ uisibiliter cernitur: aliud ueritas corporis, quæ sub uisibili specie inuisibiliter creditur: atque aliud gratia spiritualis, quæ cum corpore & sanguine uisibiliter & spiritualiter percipitur à solis dignè communicantibus. Tria quippe in Sacramento altaris attendere debes: speciem panis, ueritatem carnis, uirtutem gratiæ spiritualis. Vsque ad speciem panis sensus pertingit exterior, ad ueritatem carnis fides interior, ad uirtutem gratiæ spiritualis charitas superior. Speciem panis rodit aliquando sorex paruissimus, Christianus etiam recipit pessimus: uirtutem gratiæ spiritualis non nisi prædestinatus recipit. Quod itaque uidemus, species est panis & uini. Quod autem sub specie illa credimus, uerum corpus est, & uerus Christi sanguis, quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere. In alio serm. de Cœna Domini.

Refutatio figuræ. Rupertus: Hoc est corpus meum: nos subauditionem apposuerimus, dicentes, figuratiuum, uel per similitudinem dictum: cum inquam illo dicente, Hoc est corpus: nos dixerimus, Hoc significat corpus: nónne multum est quod apponimus, uel praua demutatione detrahimus, & sensum generamus, quem tantus autor, Deus & homo, nusquam est locutus, nec ascendit unquam in cor eius? libro 6. capite 6 in Iohannem. Et: Ergo, inquiunt, si non figuratè, sed reuera panis iste Christus dicitur uel est, quotidie Christus patitur, & toties moritur, quoties panis iste in commemorationem eius frangitur. Et hic, inquiunt, sermo durus est, etiamsi Paulus non diceret, Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur: quis hunc sermonem possit audire? Hæc & huiusmodi dicere illos experimento didicimus. Econtrà quibuscunque reuelat non caro & sanguis, sed pater qui est in cœlis, quoscunque ille attrahit ad filium dulci attractione, id est, reuelatione Spiritus sancti, dicunt (ut suprà dictum est) & sentiunt non durum, sed suauem esse sermonem hunc: quia uidelicet gustauerunt & uiderunt, & nobis dicunt: Gustate & uidete, quàm suauis est Dominus. libro septimo, capite 7 in Iohannem. Item: Licet panis iste uisibilis cum inuisibili filio Dei unum factus sit: aries autem ille cum Isaac pro quo eidem aræ impositus est, unum esse uel fieri non poterit. Nam Dei filius, id est, Deus & homo, habet in se uirtutem effectiuam, qua sibi uniat panem istum uisibilem: Isaac autem illum sibi concorporare, salua utraq; substantia, non poterat arietem. Ibidem.

Quibus dari debeat. Lōbardus: Ita hoc cœleste manna nō nisi renatis præstari debet. Panis ille corporalis populū antiquum

ad ter-

ad terram promiſsionis per deſertum eduxit:hæc eſca cœleſtis fideles huius ſeculi per deſertum tranſeuntes in cœlū ſubuehit.lib.4.diſt.7.

A' quibus accipi debeat. Petrus Bleſenſis:Tua ſententia eſt, ut tibi Chriſtum ſingulis diebus incorpores, non dijudicans corpus Domini. Propter hoc multi ſunt imbecilles, & dormiunt in peccatis. Verbum Salomonis eſt: Cum ſederis ad menſam diuitis, appone cultrum gutturi tuo, ut inter cœleſtes cibos & laicos ſiue communes deuota ueneratione diſcernas. Vide ne Dominus dicat de te: Ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa. & illud:Dederunt in eſcam meam fel.Prohibet ſiquidē Dominus, ne de agno Paſchali comedat aduena uel immundus,nec ponēdus eſt Chriſtus niſi in ſyndone munda & in monumento nouo: quia panis uitæ non eſt recipiendus niſi conſcientia munda & corde ſyncero. Hoſtia quidem indignè accepta ſuſcipientem damnat,non ſaluat:inquinat,non emundat.epiſt.40.

A' ieiunis ſumendum.Lombardus:Sed non exinde diſciplinam ſanxit in poſterum,ut poſt alios cibos ſumatur: ſed potius à ieiunis ſumi oportet, ſicut Apoſtolus docet,ut ſingulari reuerentia dijudicetur,id eſt,diſcernatur ab alijs cibis, quod Dominus Apoſtolis diſponēdum reliquit. lib.4.diſt.8.

Omnes debere accedere. Rupertus: Cum tantus pontifex Deo patri aſsiſtit, tenens panem & uinum, & inuitat omnes ad corporis & ſanguinis ſui conuiuium, nullum iuſtum, nullum excipiens peccatorem,dicensque per ora pontificum: Venite filij, audite me. cuius peccatoris uel ſaxeum pectus ad lamentum pœnitentiæ non emolliatur? Magna uox inuitantis eſt,magnus & capax ſuſcipientis ſinus eſt, omnes eccleſiæ patent ianuæ, ut aduertas,neq; ab Auſtro, neq; ab Aquilone uenientes,id eſt,neq; iuſtos,neq; peccatores, debere prohiberi, quin accedant ad apertos diuinæ miſericordiæ fontes. lib. 5 de Diuinis officijs,cap.19.

Petrus Cantor ait: Sumere Euchariſtiam eſt omnium Chriſtianorum. capite uigeſimoquarto.

De non accedentibus.Rupertus: Quantumuis fidelis, & catholicæ profeſsionis homo ſit, ſi manducare & bibere recuſet de hoc cibo potuq; uiſibili, eo ipſo quòd illi non neceſſarium eſſe præſumit, à ſocietate membrorum Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſe præcidit, neque rectè credit in eum, cuius in hoc cibo potuq;,ab ipſo tam diligenter commendato, derogat authoritati.libro 6.capite 6 in Iohannem.

Quoties.Petrus Cantor: Si ergo Auguſtinus unicam in die uix concedit ſic humiliato & corde contrito & deuoto,nunquid interrogatus conceſsiſſe alicubi bis in die confitere? cap.24.

De forma Cœnæ inquit Bernhardus: Chriſtus enim pridie quàm pateretur, diſcipulis ſuis huius Sacramenti formam præſcripſit,efficaciam exhibuit, id eſt, fieri præcepit. Formæ præſcriptio in pane & in uino.Notate ordinem: Cum adhuc cœnaretur,à cœna ſurrexit, diſcipulorum pedes Dominus uniuerſorum lauit: dehinc ad menſam regreſſus, ordinat ſacrificium corporis & ſanguinis ſui, ſeorſum panem, ſeorſum tradens & uinum. De pane ita dicens:Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. De uino etiam ſic: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Effundetur dictum eſt, quia paſsim & uiliter, quem utique puncturæ ueprium, foſsio manuum & pedum cum clauis, lateris apertio cum lancea militari fortius exprimentes, ad modum torrentis fuderunt extrinſecus. At erat ille ſanguis precioſior, cariorque balſamo, per quem ſordium noſtrarum facta eſt mundatio. Nota autem quòd Chriſtus in Cœna illa eſt munerans & munus,cibans & cibus, conuiua & conuiuium, offerens & oblatio.In alio ſerm.de Cœna Dom.

Lombardus inquit:Forma uerò eſt,quā ipſe ibidem edidit,dicens:Hoc eſt corpus meum.& pòſt:Hic eſt ſanguis meus. libro 4.diſtinct.8.

De modis manducandi. Lombardus: Duo modi manducandi: unus ſacramentalis, ſcilicet quo boni & mali edunt: alter ſpiritualis, quo ſoli boni manducant. lib.4.diſtinct.9.

Fide ſumendum.Rupertus: In ſumptione Sacramenti requiritur fides ad euacuandam perfidiam diaboli, quam tentatio diaboli in primis hominibus inuenit, quibus uetitum comedere perſuaſit. Oportebat ergo non apparere res,ut locum haberet ſubſtantia hæc:res inquam, id eſt, carnē & ſanguinem non apparere oportebat,nō ſolùm ne ſenſus noſtros comedentium atque bibentium naturali offenſione offenderent,quibus humanam carnem manducare uel dentibus terere, ſanguinemq; humanum bibere,neq; pium, neq; naturæ amicum eſt.lib.10. cap. 26 in Matth. Item: Totum illud ſacrilegium per iſtud emendatur Sacramentum in illis qui credunt & credentes percipiunt, in fide humiles, in humilitate fideles.Ibidem.

Ore

Ore cordis & corporis comedendũ. Rupertus: Sanguis Chriſti, qui pro nobis effuſus eſt, de baptiſmi ſui ſacramẽto ſumptus, itemq; de ſacro altari ſumptus, ſuper utrũque poſtem domorum noſtrarum ponitur, dum & cordis & corporis ore percipitur. li. 4 in Apocal. Iohan. cap. 5.

De duplici comeſtione inquit Bernhardus: Comeſtio itaq; ſacramentalis, quantũ ad uiſibilem ſpeciem, & quantum ad corporis Chriſti ueritatem, conuenit bonis & malis cõmuniter. Sed eſt alia comeſtio, ſicut iam diximus, bonorum ſolummodo, quam per Dei gratiam, & per fidem ex dilectione operantem uitæ meritũ efficit, & affectus mentiũ in cordibus percipientiũ uel miniſtrantium, intercidente ſpirituali & ſubtiliori quadam unione capitis & membrorum. In ſer. alio de Cœna Dom.

Non arrodi aut frangi corpus Chriſti. Petrus Cluniacẽſis: Quia etſi hominis Chriſti caro comeditur, non tamen læſi aut detruncati, non imminuti aut mutilati, non nolentis neq; dolentis, ſed uolentis & cõſulentis caro comeditur, & ſanguis bibitur, ipſo (iuxta beati apoſtoli Andreæ uerba) in ſuo regno, integro, intacto, inuoluto, immortali, incorruptibili, imò ſpecioſo, glorioſo, adorando permanente; & mortales per iam immortale corpus ſuum ad eandẽ immortalitatem perducente. Non eſt ergo durum, crudele, ſed pium & amabile: quia non nolẽs neq; coactus, ſed uolens & ſpõtaneus hominibus carnem ſuam ad mãducãdum, ſanguinem ad bibendũ dedit. Nec irrationabile: quia unde peccatorib. uenia, inde largitori tantę gratię debetur & gloria. libro 1 cõtra Petrobuſ. epiſt. 2. Et: Dabo enim carnem meã hominibus, non more cadauerum detruncandam, minuẽdam, conſumendam (quia ſic accepta caro mea non prodeſt quicquam) ſed dabo eã abſq; dolore diuidendã, abſq; imminutione partiẽdam, abſq; conſumptione comedendã: quia ſpiritus eſt qui uiuificat, & quia ſic intellecta & accepta caro mea uitam nõ mortalem, ſed æternam percipientibus donat. Ibid. Item: Nemo ergo opponat impietatẽ, uelut læſi uel comeſi Domini: nemo crudelitatem, uelut truncati uel dolentis corporis: nemo ſtulticiam, uelut homines humanam carnem abſq; ratione edẽtes: quia non eſt impium, ubi omnis pietas: non eſt crudele, ubi nulla paſsio: non eſt irrationabile, ubi ſumma ſapientia: quæ de ſectione ſua nullum dolorem, de participatione ſua nullam imminutionẽ, de comeſtione ſua nullam patitur conſumptionem: imò comedẽtibus æternam inde prouidet & pręparat reparationem. Ibidem.

De non credentibus inquit Rupertus: In illis qui non credunt, & non credentes ore tamen Sacramentum percipiunt, cibus & potus iſte operatur iudicium: quia tentati reprobi inuenti ſunt, eo ipſo quòd ſine fide ſunt, & malè tentant Deum. libro 10. cap. 26 in Matth.

De indignorum manducatione inquit Lombardus: Hæc uerba & alia huiuſmodi, ubi de ſpirituali mãducatione agitur, quidam obtuſo corde legẽtes, erroris caligine inuoluti ſunt adeò, ut pręſumpſerint dicere, corpus & ſanguinem Chriſti à bonis tãtùm ſumi, & non à malis. Sed indubitanter tenendum eſt, à bonis ſumi, non modò ſacramentaliter, ſed & ſpiritualiter. A' malis uerò tantùm ſacramentaliter, id eſt, ſub ſacramẽto, ſcilicet ſub ſpecie uiſibili carnem Chriſti de uirgine ſumptam, & ſanguinem pro nobis fuſum ſumi: ſed non myſticam, quæ tantùm bonorum eſt. lib. 4. diſt. 9.

Petrus Bleſenſis ait: Terribile eſt, Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit: Domine IESV Chriſte, Sacramentum corporis & ſanguinis tui, quod pignus & obſidẽ cœleſtis gratię demiſiſti, & in eo conſtituiſti nobis nõ mortem, ſed uitam: nõ iudicium, ſed ſalutem. Quàm perditus ergo eſt qui redemptionẽ in perditionem, ſacrificium in ſacrilegium, uitã conuertit in mortem? Epiſt. 114. Item: Et filius plorationis æternę manu ſacrilega & ore polluto Sacramentum, in quo conſiſtit uita noſtra, recipit, ipſumq; damnabiliter ſibi incorporare, aut potius incarcerare præſumit. Prius per pœnitentiam & longum uſum erat expianda omnis iniquitas, ut dignè remitteretur ad cornu altaris, id eſt, gratiam tanti Sacramenti. Epiſt. 114.

Petrus Cantor ait: Qui enim manducat & bibit indignè ſine deuotione, uel aliter quàm à Domino uel ab Eccleſia myſterium hoc traditum eſt celebrando, uel in uoluntate peccandi manendo, iudicium ſibi manducat, non dijudicans corpus Domini, hoc eſt, debita ueneratione à cibis alijs non diſcernens, extra conſuetudinem conficiendi uel ſumendi. capite 26. Et: Imò morte æterna percutietur à Domino, qui indignè hoſtiam cœleſtẽ Domino præſumpſerit immolare. Ibidem.

Eſſe cibum mentis. Bernhardus: Hic pereat phyſicale nutrimentum. Cibus iſte nõ eſt uentris, ſed mentis. Non eſt enim datus ad ruinas huius uitæ, quæ uapor eſt ad modicũ parens, ſed ad ęternã uitã animę conferendam. Ipſe eſt panis angelorum, qui neſcit putreſcere, non uadit in ſeceſſum, ſed tendit in excelſum. Illuc reducit hominem, unde traxit imaginem. Caro autem mea

uerè est cibus. In alio ser. de Cœna Domini.

De dignis & indignis inquit Rupertus: Qui uincit, ille Sacramentum corporis & sanguinis Domini dignè percipit: sicut ecōtrariò ille qui uincere negligit, accedēs ad hoc Sacramentum, iudicium sibi māducat & bibit. Rectè ergo uincenti dabo manna absconditum: id est, munditiam cordis & corporis custodienti dabo panem uerum, panem uiuum, cuius signum uel figura fuit manna, quod filij Israel manducauerunt. Dicitur hoc manna absconditum: quia uidelicet in hoc Sacramento aliud oculis cernitur, aliud fide intelligitur. lib.2 in Apocal. Iohan. cap.2.

Bernhardus ait: Sanè in mēsa una in cœna Domini, de uno pane cōsecrato Petrus & Iudas accepit: bonus in uitam, pessimus in pœnam. Bonus in beneficium, pessimus in testimonium. Bonus in salutē, pessimus in mortem. Quod totum usq; adhuc in Ecclesia completur in sacramento altaris: bonis quidem in bonum sumētibus, canibus uerò & immundis non sic. Canes sunt qui irreuerenter accedunt, & ideo iudicati abscedunt. Qui enim secundum carnem uiuunt, & post carnalia euagantur, catena uitiorum compediti, cum Iuda proditore uenenum accipiunt, spiritualis suspendij laqueum incurrunt, grauissimè damnandi tū pro multiplici reatu, tum pro Sacramenti contemptu, quod reuera accipiunt, sed essentia, non salubri efficacia. In serm. alio de Cœna Domini.

Petrus Lombardus ait: Constat ergo à bonis & à malis sumi corpus Christi: sed à bonis ad salutem, à malis ad perniciem. lib.4. dist.9.

Cōfessio in usu Cœnæ debet extare. Rupertus: Omnis domus Israel, id est, uniuersa sancta Ecclesia, quæ carnem comedit & sanguinem bibit eiusdem ueri agni, confitetur ipsum. lib.11. cap.13 in Iohan.

Rationém oportere facessere. Bernhardus: Fides est necessaria, scientia rationis superuacua. Scientia ratione & intellectu colligitur, fides sola autoritate inducitur. Augustinus contra Felicianum: Hoc fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non inuentum putet incredibile, aut repertum non credat singulare. Hæc sunt fratres, quę fidem necessariò exigunt, rationem omnino non admittunt. Expetunt simplicē creditorem, arguunt impium discussorem. Et ideo credi oportet simpliciter, quod inuestigari nō potest utiliter. Hic est ille torrēs, quē transuadere non potuit Helisæus. Nolite itaq;, nolite quęrere quomodo fiat: nolite dubitare, utrum fiat. Serm. alio de Cœna Dom.

Sæpius utendum. Petrus Cluniacensis: Dicitis uos semel tātùm, dicit Christus & Apostolus eius, non semel, non bis, nō ter, aut quater, non centies, aut millies tātùm, sed Quotiescūq;. Multa diuersitas inter semel & quotiescūq;. Hic numeri principiū, ibi numerus omnem superans numerum: hic singularitas, ibi multiplex infinitas. Sed, ut dixi, uos dicitis Semel: Christus & Apostolus eius Quotiescunq;. lib.1 contra Petrobusianos, epist.2.

De abusu inquit Petrus Cluniacēsis: Sicut enim corpus Domini indignè sumentibus, ita uerbum Domini prauè intelligentibus mortem operatur æternam. lib.1 contra Petrob. epist.2.

Refutatio falsa docentium. Lombardus: Sunt etiam & alia, illorum insaniæ fomitē ministrantia. Ait enim Augustinus: Donec seculum finiatur, sursum est Dominus: sed tamen etiā hic nobiscum est ueritas Dominus. Corpus enim in quo resurrexit, in uno loco esse oportet: ueritas aūt eius ubiq; diffusa est. Itē: Vna persona est Deus & homo: ubiq; per id quòd est Deus, in cœlo per id quòd homo est. Christus dicit etiam: Pauperes semper habetis uobiscū, me autē nō semper habebitis. His alijsq; utuntur prę fati hæretici in assertionem sui erroris. li.4. dist.10. Item: Quæ ex eadem ratione omnia accipiēda sunt. Non enim uerbis his negatur, uerum corpus Christi à fidelibus sumi, uel in altari esse: sed his Veritas Apostolos, & in eis nos instruxit, quòd ipsius corpus non per partes discerptum, ut putauerunt illi discipuli, qui retrò ierunt, sed integrum: nec uisibiliter in forma humana, sed inuisibiliter sub forma panis & uini corpus & sanguinē nobis traderet. Quem sensum Augustinus confirmat, dicens: Ipsum quidem, & nō ipsum corpus quod uidebatur, manducatur: ipsum quidem inuisibiliter, non ipsum uisibiliter. Item: Etsi necesse est illud celebrari uisibiliter, necesse est tamen inuisibiliter intelligi. Ita etiā intelligendū est corpus Christi esse in uno loco, scilicet uisibiliter in forma humana: ueritas tamen eius, id est, diuinitas, ubiq; est. Veritas etiam eius, id est, uerum corpus, in omni altari est, ubicunque celebratur. Sic etiam illud intelligendum est, Pauperes semper habetis uobiscum, me autem non semper habebitis: secundum corporalem præsentiam, scilicet qua cū eis cōuersabatur. Similiter per id quòd homo est, in cœlo est, scilicet uisibiliter: inuisibiliter autē est in altari, quia non in forma humana apparet, sed forma panis & uini operitur. Vnde & inuisibilis caro eius dicitur, quæ uerè est in altari: sed quia in specie sua non apparet, inuisibilis dicitur.

dicitur. Ait enim Augustinus: Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus: sacrificium Ecclesię duobus confici, duobus constare, uisibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri IESV Christi carne & sanguine, sacramento & re sacramenti, id est corpore Christi: sicut & Christi persona constat & conficitur ex Deo & homine, cum Christus sit uerus Deus & homo. quia omnis res illarum rerum naturam & ueritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiæ duobus, sacramento & re sacramenti, id est corpore Christi. Est ergo sacramentum & res sacramenti idem corpus Christi. Ecce inuisibilem dixit carnem Christi, quia forma panis operta sumitur & tractatur. Idemque corpus Christi dixit esse sacramentum & rem: ex quo confirmatur quod suprà diximus. Deinde addit, quod magis mouet Lectorem: Caro, inquit, eius est, quam forma panis opertá in sacramento accipimus, & sanguis, quem sub uini specie ac sapore potamus: caro uidelicet carnis, & sanguis sacramentum est sanguinis. Carne & sanguine, utroque inuisibili, intelligibili & spirituali, significatur corpus Christi uisibile & palpabile, plenum gratia & diuina maiestate. libro quarto, dist. 10.

De intincta hostia. Lombardus: Eucharistia quoq; intincta non debet dari populo pro sublemento communionis: quia nō legitur Christus alicui discipulorū præbuisse panem intinctum, nisi Iudę. li. 4. dist. 11.

De fine Cœnæ Dominicæ inquit Rupertus: Hoc lignum uitę, quod est Christus, dū nos corpore & sanguine suo reficit, iam nunc resuscitat animam à morte peccati, & carnem nostram in nouissimo die resuscitabit. lib. 2 in Apoc. cap. 2. Et: Corpus Domini quod in altari sumimus, & sanguis eius prædictæ unitatis rectè sacramentum dicitur, eo quòd in illo cibo potuq; uisibili in unam Christi Ecclesiam, quæ sit corpus eius, plenitudo eius, inuisibiliter consecremur. libro 6. capite 6 Comment. in Iohan. Item: Hæc est summa causa æternæ uitæ effectiua, manducare carnem meam, & bibere sanguinem meum. Non manducare autem meam carnem, & non bibere sanguinem meum, antiquæ perfidiæ est argumentum, qua primi parentes hominū serpenti quàm Deo credere maluerunt. Ibidem. Item: Dum autem manducat, iā habet uitam æternam, scilicet in anima, Deo uiuens per iusticiam, & deinde in nouissimo die. Ibidem. Item: Qui manducat me, uiuet propter me: id est, idcirco sempiternè & beatè uiuet, idcirco deus & filius excelsi est, quia manducat me, quia maneo ego in eo, & ipse in me. lib. 6. cap. 6 in Iohan. Et: Christus dū uos corpore & sanguine suo reficit, iam nunc resuscitat animam à morte peccati, & carnē nostrā in nouissimo die resuscitabit. lib. 2 in Apocal. cap. 2. Et: Huius Sacramenti uirtus non utcunque testimonium, sed ipsum est uitæ & salutis nostrę testamentum. ait enim: Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Hic calix nouum testamētum in meo sanguine, qui pro uobis fundetur. Hoc testimonium testimonio, quod aduersus nos habebat diabolus, quadam oppositione propria oppositum est: quia uidelicet contra cibi uetiti culpam, cibi & potus gratia est: contra serpētis uenenum, sancti Spiritus antidotum est. Et hoc utique Sacramentum ab eadem Domini nostri IESV Christi passione habet uenæ suæ principium. lib. 2 de Sapientia, cap. 18. Et: De Sacramento corporis & sanguinis Domini certum est, nec assertione nostra indiget, quin passionis uel mortis eius propria quidem & singularis cōmemoratio sit, & quòd à passione uel morte eius initium sumpserit, uel sumere debuerit. Conditū autem est hoc Sacramentum quantum potuit morti uicinius, scilicet cū iam esset ad mortem uenditus, & qua nocte tradebatur. Nobis qui uiuimus & residui sumus reseruatum est, & missum est Sacramentum istud, in quo sub specie panis & uini latet utilitas mortis & resurrectionis eius. Nā illis qui mortui fuerant fidelibus miro modo in illa specie, qua pepēdit in cruce, factus uel datus est cibus: ita ut anima eius ad animas illorum in infernum, & corpus eius ad corpora illorum descenderet, essetq; tribus diebus & tribus noctibus in corde terrę, in eodem uentre terræ, quo recepta uel assumpta fuerant corpora illorum. lib. 12 de Victor. uerbi Dei, ca. 12. Et: Vtilitas hæc est in uirtute huius Sacramenti, quòd eius ope fit possibile his qui terra sunt, in cœlum ascēdere: aliter namq; illud possibile non est. Ait enim Saluator: Nemo ascendit in cœlū, nisi filius hominis qui est in cœlo. Vni & soli qui descēdit de cœlo, filio hominis, qui una persona est cum filio Dei, cū Verbo patris quod de cœlo descendit, & de corde patris in uterum uenit Virginis: uni (inquā) & soli filio Dei filioq; hominis, tanquam suo capiti, cuncta membra corporis annectūtur, omnes qui in fide huius sacramenti, in plenitudine huius charitatis sunt recepti: & sic unum corpus, una persona & unus Christus caput cum suis membris in cœlum ascēdit, dicitq; gratulabūdus gloriosam Deo assignās Ecclesiam: Hoc nūc os ex ossibus meis, & caro de car-

ne mea. Et ostendens se atq; illam in personæ conuenisse unitatem, Et erunt (inquit) duo in carne una. Magnum hoc sacramentum est, caro Christi, quæ ante passionem solius erat caro uerbi Dei, per passionem ita creuit, adeò dilatata est, ita mundum uniuersum impleuit, ut omnes electos, qui fuerunt ab initio mundi, uel futuri sunt usq; ad ultimum electum, in fine seculi noua conspersione huius sacramenti in unam Ecclesiam faciat Deum & homines æternaliter copulari. De Officijs lib. 2. cap. 11.

Bernhardus inquit: Audistis formam Sacramenti, audite efficaciam & communionem corporis & sanguinis Domini. Et nos IESV Christo, & IESVS Christus nobis in unitate fœderatur inenarrabili, sicut ipse dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. In alio ser. de Cœna Dom.

Petrus Cluniacensis ait: Iste autem panis uiuus in æternum uicturas animas reficit Christianorum. li. 1 contra Petrobus. epist. 2. Item: Nam postquam dixit, Hoc facite: statim addit, In meam commemorationem. Hæc est ergo causa Sacramenti, commemoratio Christi. Ibid. Item: Ne igitur à corde fugeret, quod maximè cordi inesse oportebat, signo rei congruente, ueluti fune insolubili, colligata est cordi memoria, quo fortiter uinciente, semper redemptus redemptionis precium cogitaret, indeq; Redemptori agens gratias, fide quæ per dilectionem operatur, nequaquam se ingratum tantę gratię demonstraret. Ibid. Item: Et res tanta erat, ut ad eam cogitandam, amandam, amplectendam, non segniter, sed insigniter humani animi mouendi essent: dignum & iustum fuit, ut humanitatis & mortis Christi memoria non tantùm auditu per aures, sed etiam uisu per oculos iuuaretur. Ea de causa signum hoc à Christo propositum est, quod ita signum est, ut sit tamen idem quod signat. Ibid. Item: Quod cum sit, ad hoc utiq; fit, ut mens longè uehementius excitata corporis Domini susceptione, quàm possit excitari uerbi Domini admonitione, in amorem eius, quem non tantùm audit, sed etiam uidet & suscipit, inardescat: & uidens uerbum carnem factum, ut habitaret in nobis, habitans etiam corporaliter & in se, obliuisci iam nullatenus possit, quem fide credit, amore amplectitur, manu contrectat, ore suscipit. Ibid. Et: Dat planè carnem suam, dat sanguinem suum, non solùm ad adorandum, sed etiam ad manducandum & bibendum Christus hominibus, ut sicut absq; carnali cibo & potu nullum mortalium mortalem & miseram uitam posse transigere cernitur, sic absq; ista spirituali esca & potu neminem immortalem & beatam uitam assequi posse credatur. Ibid. Item: Vt ergo non tantùm uerbis discerent, sed etiam familiarius factis sentirent homines, se mori perpetuò seiunctos à Christo, se non posse semper uiuere nisi coniunctos & unitos Christo, ad similitudinem escæ & uitæ carnalis accipiunt corpus Christi, bibunt sanguinem Christi, non ab alio data, non ab alio suscepta, quàm ab ipso Christo, qui eorum post hanc uitam futurus est esca, hoc est, uita & beatitudo æterna. Ibidem.

Petrus Lombardus: Institutum est enim hoc Sacramentum duabus de causis. In augmentum uirtutis, scilicet charitatis: & in medicinam quotidianæ infirmitatis. lib. 4. dist. 12.

Petrus Blesensis: Magna est supereminens cœlestis dignitas Sacramenti, & quis poterit ad eam? Scio quia hostia hęc singulariter animas ab interitu saluat, dum unigeniti Dei mortis salubre mysterium repræsentat. Epist. 114.

Opinionem de Iuda habet Rupertus: Iudam Sacramento aut communioni sacræ nequaquam interfuisse, deprehenditur ex Euangelistarum & doctorum narratione. lib. 7. ca. 7 in Ioh. Item: Nam cum accepisset buccellam, qua traditor designatus est, exiuit continuò. Quam utiq; buccellam nec Euangelistarum nec doctorum quisquam consentit panem fuisse Dominici corporis. Ibidem. Et: Postquam Iudas continuò exierit post buccellam, nequaquam igitur tunc discipulis interfuit, quando Dominus noster Sacramentum illis corporis & sanguinis sui distribuit. lib. 11. cap. 13 in Iohan.

Casum de Cœna recitat Bernhardus: Deinde quòd comperta serò negligentia, uinum fudisti in calicem super hostię sacrę particulam, laudamus, nec sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arbitrantes liquorem, etsi non ex consecratione propria atq; solenni in sanguinem Christi mutatum, sacrum tamen fuisse ex contactu corporis sacri. Aiunt tamen, nescio quem alium aliud sensisse scriptorem, non posse uidelicet absq; tribus, id est, pane, uino & aqua, hoc sacrificium esse, ita ut quodlibet deesse contigerit, reliqua non sanctificentur. Sed de huiusmodi unusquisq; in suo sensu abundat. Ego autem pro meo fatuo sensu, si mihi idem contigisset quod tibi, uellem ad remedium mali unum è duobus egisse: aut ipsum quod fecisti, aut certè ab illo loco ubi dicitur, Simili modo postquam cœnatum est: uerba sancta iterasse, & sic complesse quod restabat de sacrificio. Neq; enim dubitauerim de corpore iam consecrato, qui utiq; iuxta ritum Ecclesiæ didici ab ipsa, quod & ipsa accepit à Domino, panem scilicet ac uinum & simul apponere, non simul

simul tamen ex his sacra conficere. Cum ergo prius de pane corpus, quàm de uino sanguis more Ecclesiastico conficiatur: si per obliuionem tardius quod posterius sacrandum est apponatur, non uideo quid sacris præcedentibus tarditas possit præripere consequentium. Puto enim, quòd si Domino post factum de pane suum corpus uini consecrationem placuisset aliquandiu intermittere, aut certè penitùs omittere, nihilominus corpus mansisset quod fecerat, nec factis facienda præscriberent. Nec nego panem & uinum aqua quidem mixtum simul debere apponi, quin potius assero haud aliter debere fieri. Sed aliud est culpare negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud, inquam, est quod causamur non bene quippiam fieri, & aliud quod mentimur nec fieri. Epistola sexagesimanona.

De differentia Baptismi & Cœnæ sacræ. Lombardus inquit: Per Baptismum mûdamur, per Eucharistiam in bono consummamur. Baptismus æstus uitiorum extinguit, Eucharistia spiritualiter reficit. lib.4. dist.8.

DE SACRIFICIIS.

De sacrificijs ait Petrus Alphonsus: Omnia sacrificia quæ in lege Moysi fieri præcepta & ordinata sunt, nihil nisi figura & significatio sacrificij præcipui, quod uenturum erat, fuerunt: & ut gentes sacrificijs se assuefacerent, & per illa agnoscerent, quòd sicut ipsa consuetudinaria ista abluunt peccata, ita & per maximum sacrificium maximum posset deleri peccatum. Vt autem Christus, sanctus scilicet sanctorum, & præcipuum sacrificium uenit, ac pro nostra redemptione immolatus fuit, iam illa antiqua fieri sacrificia necessarium non fuit. Postquam itaque ipse Christus uenit, iam illo utimur sacrificio, pane scilicet & uino, quod nobis ordinauerunt Apostoli, imò Christus ipse dedit. Et hoc sacrificiû simile est sacrificio illi quod in lege Moses præcipiens, sacrificium toda, id est, laudis appellauit, & quod de pane tâtùm & uino in huius nostri figuram fieri præcepit. Quod & Dauid uenturum esse prænoscens, & præ illo cætera omnia contemnens, inquit in Psalmo: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificiû laudis. Per hoc enim insinuauit, cætera sacrificia omnia esse postponenda, & illud sacrificium quod laudis uocabatur, fore faciendum. Et hoc quidem sacrificium nostrû laudis est. Illud enim faciendo, Deum laudamus de beneficio quod nobis fecit, per filium suum IESVM nos saluando. Tit.12 in Dialog.

Samuel Rabbi inquit: Sacrificium Aaron fuerût carnes, & sacrificium illius iusti Domini fuit panis & uinum, secundum ordinem Melchisedech. In quibus uerbis Dominus per Prophetam ostendit manifestè, quoniam sacrificium Aaron finiretur, quâdo inciperet illud sacrificium in æternum Aaron: quòd finiretur, quando inciperet sacrificium in pane & uino æternaliter duraturum: cum Aaron non sit data æternitas in sacerdotio, sicuti sacerdoti Christo. cap.19 Parast. ueri Mesiæ.

Potho ait: Vnde Israel carnalis multitudinem hostiarum in parabolam acceperat. In agno enim qui offerebatur, illius innocentia, qui sicut ouis ad uictimam ductus est, signabatur. In hirco similitudo carnis peccati in ipso, qui est sine peccato, declaratur. In ariete principatus eius monstratur, qui est princeps pacis. In tauro fortitudo illius insinuatur, qui est fortis & potens in prælio. In uitulo uirtus eius significatur, qui est Dominus uirtutum & rex gloriæ. In columba simplicitas illius indicatur, qui suos discipulos, ut sint simplices sicut columbæ, docet. In turture castitas eius manifestatur, qui lumbos nostros præcingi iubet. In passeribus corpus & anima ipsius significatur, qui posuit animam suam pro ouibus suis. In decima consummatio operum eius exprimitur, qui in cruce dixit, Consummatum est. lib.2 de Statu domus Dei.

Iohannes Salisberiensis ait: Patres fidei nostræ, ueteris legis sacrificia asserunt instituta, ne in dæmoniorum cultu populus occupatus, ueræ religionis dediisceret cultû, ritu gentium sacrificia sua dæmonijs immolans, & non Deo. lib.5. ca.4. Policrat. de Curial. nugis.

De spiritualibus hostijs ait Potho: Plures sunt hostiæ spirituales, plura sunt dona & sacrificia, quæ ad unum illud sacrificium conducunt, quæ omnem animam præparant, ut participatione cœlestis sacrificij digna esse possit. Verum namq; cultum, quo Deo patri spirituum in spiritu & ueritate seruitur, sapientia Dei in sua domo nouo sacrificandi ritu instituit. lib.2 de Statu domus Dei. Item: Absconditus enim homo cordis nostri in incorruptione quieti & modesti spiritus, omne donum & sacrificiû Deo consecrat, cum in uoce exultationis & confessionis omnia interiora nostra Deum benedicût. Intra nos quippe est quod Deo offerimus, omne uidelicet acceptabile munus. Ibi est timor Dei, in quo sacrificiû Deo spiritus contribulatus dicatur: ibi côfessio, per quam uitulos labiorum nostrorum côfitentiû nomini Domini offerimus: ibi castitas, qua plus quàm holocaustis delecta-

tur Deus: ibi largitas, quæ Deo abundāter tribuit quod habet: ibi sobrietas, qua eleuatio manuum nostrarum fit sacrificium Deo acceptū: ibi paupertas spiritus, in qua singuli dicimus: Quid retribuā Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Ibi acceptabile sacrificiū iusticiæ Deo offerre habemus: ibi compassio, quæ nos proximo per amorem iungit, uota sua Deo reddit: ibi abstinētia uoluntariè Deo sacrificat: ibi obedientia, quæ melior est quàm uictima. Deo immolatur. Omnia ergo hæc & huiusmodi, quæ Deo à nobis offeruntur, in duo diuiduntur: aut enim dona sunt, aut sacrificia. Donum est perpetuum, sacrificiū ad tēpus: donum est integritas animi, sacrificiū laus & hymnus. Deus enim qui nō uidetur, his rebus coli debet quæ non uidētur. Ibidem.

De sacrificijs noui Testamenti inquit Samuel Rabbi: Post Christum licet offerre sacrificium & orationem in omni loco, non in uno loco, scilicet in sancta domo, ut Iudæis licuit. cap. uigesimoprimo Parast. de uero Mesṡia.

Potho ait: Sed apud nos est unum uerbum, uerbum scilicet incarnatū: & una hostia, quæ semel in consummatione seculorum per mediatorē noui Testamenti Christum oblata, cōsummauit in sempiternum sanctificatos. lib. 2 de Statu domus Dei.

Hildebertus ait: Egressa es in libertatē gloriæ filiorum Dei, cui hostiam laudis & spiritum sacrificas tribulatum, &c. transitorijs æterna, uicijs uirtutes, exilio patriam prætulisti. Epist. 31.

De uictimis piorum. Bernhardus: Vituli quos Domino immolare debemus, tres sunt. Nouæ conuersionis effectus, quasi uitulus nouellus cornua producens & ungulas. Sacræ religionis profectus, qui est uitulus tenerrimus de armento. Consummatæ uirtutis affectus, qui est uitulus saginatus. Sentent.

De fine. Petrus Alphōsus: Cum Deus per Moysen sacrificia fieri præcepit, ideo utiq; fecit, ut in eum rectè credētes, & tota eum mente diligentes, legis suæ præcepta cum quanta solicitudine & mundicia decebat, custodirent: non quòd furta, homicidia, rapinas, & cætera exercendo uitia, nec non idolis sacrificando legem Dei indignè tractarent, & multis polluti contagijs, Deo uero sacrificaturi sanctum eius templum indigni ingrederentur. tit. 4 in Dialogo. Item: Omnia sacrificia quę de boue, capra & oue in ueteri Testamento Deus præcepit fieri, nihil nisi figura & significatio sacrificij pręcipui, quod uēturum erat, fuerunt. Vt Christus, sanctus scilicet sanctorum, & præcipuum sacrificium uenit, ac pro nostra redemptione immolatus fuit, iam illa antiqua fieri sacrificia necessarium non fuit. Aduento Christo, iā nos utimur sacrificio, pane scilicet & uino, quod nobis ordinarūt Apostoli, imò Christus ipse dedit. tit. 12. Item: Per hoc insinuauit Dauid cætera sacrificia omnia esse postponenda, & illud sacrificium, quod laudis uocabatur, fore faciendum. Et hoc quidē sacrificiū nostrū laudis est. Illud enim faciēdo Deū laudamus de beneficio quod nobis fecit, per filiū suum IESVM nos saluando. Ibid. Itē: Sacrificia ueteris Testamenti fuerunt carnes, sacrificiū iusti Domini est panis & uinum. Samuel Rabbi ca. 19.

DE ECCLESIA.

Ecclesia. Petrus Cluniacensis: Nomen Ecclesiæ non structuram parietū, sed congregationem fidelium signat. lib. 1 contra Petrobusianos, epist. 2.

Corpus, plenitudo. Rupertus: Sicut in singulis hominibus spiritualiter, id est, nihilo immutato de extrinsecus corporis accidentibus, hoc agūt, ut membra mea sint renouati, scilicet spiritu mētis, & à multis de corpore diaboli separatis una fiat Ecclesia, quę alio respectu corpus meum, plenitudo mea dicatur & sit. lib. 7. cap. 7 Com. in Ioh.

Columba. Rupertus: Vna colūba unum est corpus Christi in Ecclesia, & in hūc solum & unum locum Sacramentum ueritas est, quæ scindi uel diuidi non potest. li. 14. cap. 20 in Iohannem.

Vinea. Bernhardus: Vinea Domini, quę est Ecclesia prædestinatorum. Serm. 62 super Cantica.

Christiani. Bernhardus: Christiani à Christo nomen acceperunt: & operæpreciū est, ut sicut sunt hæredes nominis, ita sint imitatores sanctitatis. Tria ergo sunt quæ in Christo nobis expressa, plenis uiribus exercere debemus: uidelicet improbare uiuaciter seculi uanitatem: quia & IESVS, ne rex constitueretur à turbis, aufugit. Exercere uiriliter pœnitētiam: quia & IESVS agnus occisus est. Et habere ueraciter geminam charitatē: quia IESVS pro inimicis orauit. Sentēt. Et: Particeps nominis sum, sum & hæreditatis. Christianus sum, frater Christi sum. Si sum quod dico, hæres sum Dei, cohæres autem Christi. Et quid mirū, si sponsi effusum est nomen, cum ipse quoq; effusus sit? Serm. 15 super Cant.

Domus Dei. Potho: Hæc nimirum domus, Ecclesia est, columna & firmamētum ueritatis, quæ in unitate indiuisa firmatur, quæ una columba, una perfecta, Deo unicè dilecta, Scriptura teste, declaratur. lib. 1 de Statu domus Dei.

De filijs Dei inquit Bernhardus: Opera ergo & nō uerba discernūt inter filios Dei & filios

& filios diffidentiæ. Epistola 107.

Quomodo membrum dicatur. Richardus: Triplici modo membrum Christi dici solemus, prædestinatione, præparatione & concorporatione. Prædestinatione, qui ad uitam diuinitùs præordinantur: pręparatione, quando paganus & falsus Christianus ueraciter compungitur, & ad ueritatem & charitatem imbuitur: concorporatione, quando ille per corporis absolutionem Ecclesiæ Christi consociatur. Primum igitur proposito diuinæ uoluntatis, secundum proposito propriæ deliberationis, tertium uerò officio sacerdotis. de Potestate ligandi cap. 20.

Vnde sit. Rupertus: Vniuersa Ecclesia sanguine Christi mundata est ab omni delicto, multo magis isti mundati atque candidati sunt, qui adeò communicauerunt sanguine Christi, ut suum quoque sanguinem pro Christo effunderent. libro quarto Commentariorum in Apocalyp. capite septimo. Item: Christus filius unicus siue unigenitus in fine seculorum filios Dei secum, non quidem naturales, sed adoptatos habebit innumerabiles, octo beatitudinibus per diuersas mansiones dispartiendo remuneratos, remunerando dispertitos. Ibidem lib. 1. cap. 1.

Bernhardus ait: Ipse fœcundat, ipse propagat, ipse putat & purgat eam, ut fructum plus afferat. Quando nempe sua destitueret cura uel opera, quam plantauit dextera eius? Sermone trigesimo super Cantica.

Per uerbum Prophetarum. Hildegardis: Ecclesiam incorruptam filij Dei sponsam circundat Apostolica doctrina, quæ candidißimam incarnationem illius annunciauit, qui de cœlo in uterum uirginis descendit, & qui purißimum ac lucidißimum speculum omnium credentium est: ita quòd eandem Ecclesiam ipsa doctrina ab hoc initio cum primùm ædificari cœpit, usque ad tempus cum cibum uitæ fortiter deglutire ualuit, splendidißimè eam circumfulgens fideliter circumdedit, cum uidelicet Apostoli cœperunt eam ædificare sua prædicatione, cum per diuersa loca discurrentes colligerent operarios, qui illam in catholica fide roborarent, & presbyteros, episcopos, ac omnem Ecclesiasticum ordinem prouiderent, atque iura uirorum ac mulierum qui sub coniugio sunt, & reliqua talia fideliter constituerent. libro 2. uisione 5.

De Ecclesia sic inquit Petrus Alphonsus: Sic igitur intelligenda est prophetia. Sancta quidem Ecclesia proculdubio domus est Domini, montibus uerò reges, & collibus Prophetæ solent comparari. Mons autem, id est, rex sanctæ Ecclesiæ, Christus uidelicet, super quem fabricata est Ecclesia ipsa, & in uertice montium præparatus, & super colles est eleuatus: quia & super omnes reges & super omnes Prophetas sublimatus est & honoratus. Et meritò de sancta Ecclesia & Christo dicit Propheta: Fluent ad eum, id est, ad Christum, omnes gentes: quia de omnibus gentibus crediderunt in eum complures, dicentes: Venite, ascendamus ad montem Domini, id est, ad Christum, quem Dominus omnium regem constituit: & ad domum Dei Iacob, id est, ad sanctam Ecclesiam: & docebit nos uias suas, id est, doctrinam legis suæ: & ambulabimus in semitis eius, id est, in obseruationibus legis eius, quæ noua est, sicut nouas uias semitas appellamus. Quod autem sequitur, Quia de Sion exibit lex, & uerbum Domini de Ierusalem: insinuat, quòd lex Christi de Sion, & uerbum eius de Ierusalem egressurum fuit. Nam in Siō super Apostolos Spiritus sanctus uenit, cuius aduentus legis fundamentum extitit, atque ab ipso data, ac per ipsum prædicata fuit, & in Ierusalem, priusquam alibi, & Apostoli. & Christus ipse prædicauit, & inde per totum mundum prædicatio exiuit. tit. 12 in Dialogo.

Bernhardus ait: Ipsa est enim Ecclesia electorum, de quibus Apostolus: Omnia, inquit, propter electos. Et cui dubium, quòd gratia & misericordia Dei sit in sanctos eius, & respectus in electos illius? Ergo prouidentiam cæteris creaturis non negamus, curam sponsa uendicat sibi. Sermone sexagesimooctauo super Cantica. Et: Quid sponsa, nisi congregatio iustorum? Quid ipsa, nisi generatio quærentium Dominum, quærentium faciem sponsi? Ibidem.

Petrus Cluniacensis inquit: Ecclesiam Dei unitate fidelium congregatorum constare, & uos (ut audio) dicitis, & omnibus clarum est. libro primo cōtra Petrobus. epistol. 2.

Facit duplicem Ecclesiam Honorius, unam hic peregrinantem, alteram in cœlis regnantem. in Psalm. 5. Item: Per Sion, quod speculatio dicitur, Ecclesia hic peregrinans designatur, quę supernam patriam hic per speculum & in ænigmate contemplatur. Per Ierusalem uerò, quod uisio pacis interpretatur, Ecclesia in cœlis regnans demonstratur, quæ facie ad faciem essentiam Trinitatis in unitate felici pace contemplatur. Domino igitur in Sion psallit, qui in catholica Ecclesia bene uiuit. in Psal. 6. Item: Ecclesia diuiditur in tres ordines

nes, in coniugatos, in continentes, in uirgines. Hi pro meritis diuersas mansiones hæreditabunt, dum coniugati tricesimum, continentes sexagesimum, uirgines centesimum fructum reportabunt. Tres autem perfectiones sunt, in quibus inuenti cum Domino iudices erunt, scilicet uirginitas, seculi contemptus, martyrium: quæ non sunt præceptum, sed diuinum auxilium. In Speculo Ecclesiæ.

Petrus Cantor etiam distinguit in militantem & triumphantum, capite uigesimooctauo.

Christus Ecclesiæ caput. Petrus Alphonsus: Christus est sanctæ Ecclesiæ rex, super quem fabricata est Ecclesia ipsa, qui super omnes reges & super omnes Prophetas sublimatus est & honoratus. titul. duodecimo in Dialogo.

Est corpus Christi. Bernhardus: Duo enim corpora habet Christus, unum quod suscepit ex uirgine, alterum Ecclesiæ, quod charius habet benignitas redimentis. Ser. de assumpt. Mariæ.

Ecclesia est Christi sedes. Rupertus: Sedes Christi est Ecclesiæ sedes extunc parata, in qua Deus sedet & regnat. lib. 3 in Apocal. cap. 4.

Rupertus ait: Sancta Ecclesia corpus Christi, Christus autem caput. libro sexto, capite sexto in Iohan. Euang. Et: Christus in Ecclesia sua Deus & homo diuina simul & regia maiestate præpollet. libro 5 in Apocalyp. cap. 8.

Habet Spiritum sanctum. Petrus Cluniacensis: Cui rogatu filij Dei, à patre Deo datus est Spiritus Dei, ut maneat cum ea in æternum, in hac uita consolando, in futura glorificando. libro 1 contra Petrobusianos, epistol. 2.

Spiritum sanctum in Ecclesia dari. Rupertus: In illa sola Spiritus sanctus datur, quia uidelicet in scissura mentium Deus non est, sed in unitate & pace, quæ perfectionis uinculum est. libro secundo, capite primo in Iohan. Et: Extra catholicam Ecclesiam non est habere uel accipere Spiritus sancti incendium. libro 1 in Leuit. capite 32.

De nota Ecclesiæ ait Rupertus: Flumen uerum, flumen aquæ uiuę sancta Scriptura, ueraq; catholica doctrina est, quam Ecclesia, quæ est mulier ista, mittere consueuit de fonte ueritatis, quam habens in semetipsa hortus est Domini. libro septimo Commentariorum in Apocalyp. capite duodecimo. Et: Sancta scriptura, quæ est opus fidei, opus bonum, quod catholica fides uiro suo Deo reddidit. Ipsa est doctrina domus, doctrina Ecclesiæ, quę domus Dei est. Ipsa est plenitudo tabularum, plenitudo legis: id est, decem præceptorum, quæ in tabulis lapideis digito Dei scripta sunt. Ista plenitudo, & hæc doctrina, quid sunt nisi uita? Sermo Dei enim est, in quo uiuit homo. libro septimo de glorificatione Trinitatis. & processione Spiritus sancti, capite septimo.

Petrus Cluniacensis ait: Nam si Euangelium non habetis, nec Christum habetis. Si Christum non habetis, Christiani non estis. libro primo contra Petrobusianos, epistol. 2.

Vera est, non fallit. Petrus Cluniacensis: Ecclesia, qua cum uerax pater, cum qua ueritas filius, cum qua ueritatis Spiritus perpetuò mansit? Sed cum hoc omnino impossibile sit, colligitur quòd eius traditionib. omnibus, sicut Apostolicis, omnimoda ab omnibus fidelibus fides exhiberi debeat. Si enim doctrina uel traditio Ecclesiæ ab Apostolis suscepta est, si eadé à Christo in Apostolis deriuata est, constat quia uerax, & à ueritatis filijs suscipienda est. Sed quòd hanc Apostoli à Christo susceperint, nulli dubium est: quòd autem Ecclesia ab Apostolis, autoritate pariter & ratione probatum est. lib. 1 contra Petrobusianos, epist. 2.

Est libera. Petrus Blesensis: Ecclesia quidem à diebus antiquis libera est, & filij eius: quia libertate Christus nos liberauit. Epist. 106.

Vna est. Rupertus: In huiusmodi Asia septem Ecclesiæ sunt, id est, una & unica Ecclesia catholica, sancto septiformi spiritu ordinata & ornata. In Apocalyp. capite 1. libro 1.

Petrus Cluniacensis: Cum enim omnib. Christi Ecclesijs, quæ numerositate sua unius & catholicæ Ecclesiæ corpus perficiunt, charitatis compagine honorem simul & amorem debeamus, inter omnes Germanorum Ecclesias hoc uobis quadam familiari prærogatiua debemus. libro quarto, epist. 53.

Petrus Blesensis: Si ad memoriam reducuntur Ecclesiæ nascentis exordia, sicut inter credentes erat unitas in fide, in Spiritu & baptismo, sic in unum facultatibus contributis, unum erat omnibus uotum pauperum releuare indigentias, & omniũ necessitates tanquam proprias reputare. Vna siquidem & indiuisa est Domini tunica, nec unquam passa est diuortium sponsa Christi, nec contumelias pellicis alienæ sustinuit. Cuius unitatem sponsus in Canticis attestatur, dicens: Vna est columba mea, dilecta mea. Noluit eam numerosa pluralitate censere, licet plures sint Ecclesiæ:

sæ: sic tamen in unius compaginem corporis uniuntur, ut sicut unius membri læsione, membra corporis omnia quodam cō passionis participio molestantur: sic unius Ecclesiæ desolatio in communem gemitum conuertitur. Cum itaque in uinculo charitatis singularitas locum non habeat, sed in dispendium commune redundet quicquid à singulis toleratur, &c. Epistol. decimaoctaua. Item: Recolimus Ecclesiæ nascentis infantiam, & uidemus quòd ab unitate ortum habuit & progressum. Vnus Spiritus, una fides, & unum baptisma, hæc tria Ecclesiam fundauerunt. Epistola quinquagesimaseptima.

Petrus Cantor ait: Sicut una Ecclesia constat ex multis personis multarum facierū, multiplex in pluralitate effectuum & operum uirtutum, una in radice earum. capite 92.

De unitate ait Petrus Cantor: Prima unicitas est fidei, Sacramentorum & morū, qua caret distractus per hæreses & schismata. Vna enim fides, unum baptisma, unus Dominus. Vnam petij à Domino, & hanc requiram. Vna est columba. In uno cubito consummata est arca. Secunda unicitas est actuum. capite uigesimoseptimo.

Potho ait: Si uerò tanta fuerit beatitudo, ut uniuersus populus concors & unanimis maneat, ut eadem dicant omnes, eodem sensu in eadem sententia permanentes, iste talis populus hostiam iubilationis in odorem suauissimum Deo offert. lib. 2 de Statu domus Dei.

De duplici unitate inquit Bernhardus: Sciendum, quòd alia est unitas sanctorum, quam ex Scripturis iam commendauimus: alia est facinorosorum, quæ nihilominus ex ijsdem Scripturis ostenditur & improbatur. De hac enim scriptum est: Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus Dominum & aduersus Christum eius. De hac iterum Euangelista: Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent IESVM in sermone. Et iterum: Collegerunt pontifices & pharisæi concilium. Vt quid hoc? Sicut Iohannes testatur, ut interficerent IESVM. Quàm uerò pertinax sit ista reproborum unitas, docet ipse Dominus, qui de corpore diaboli ad beatum Iob loquitur, dicens: Corpus illius quasi scuta fusilia, & compactū squamis se prementibus. Vna uni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur. Sermone quinto de assumpt. Mariæ.

Catholica. Rupertus: Vna sancta catholica Ecclesia per totum orbem baptizando in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti peccata remittit. libro decimoquarto, capite uigesimo in Iohan. Item: Non in angulo uno terræ, uel in parte cuiusquam hæresiarchæ conclusa uel coangustata, sed in omnes gentes diffusa credi debet Ecclesia. iuxta quod filio promisit loquens in Propheta: Postula à me, & dabo tibi gentes. libro septimo in Genesin, capite undecimo.

Petrus Cluniacensis ait: Fides uerò Christiana non more errorū particulas, uel partes mūdi sibi subdidit: sed ut ueritas à summa ueritate, quæ Christus est, deriuata, totum sibi orbem subiecit. Totum uerò orbem dixi, quia licet gentiles uel Sarraceni super aliquas eius partes dominatum exerceant, licet Iudæi inter Christianos & ethnicos lateant: non est tamen aliqua uel modica pars terræ, non Tirreni maris, nec ipsius Oceani remotissimæ insulæ, quæ uel dominantibus uel subiectis Christianis nō incolantur: ut uerum esse appareat quod Scriptura de Christo ait: Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos terræ. Vel illud Apostoli nostri: Vt in nomine IESV omne genu flectatur. libro secundo contra Iudæos, capite quarto.

Qualis sit, exponit Bernhardus: Illam loquor quæ impleuit terram, cuius & nos portio sumus: uineam grandem nimis, Domini plantatam manu, redemptam sanguine, rigatam uerbo, propagatam gratia, fœcundatam spiritu. Sermone sexagesimoquinto.

Bona Ecclesiæ. Bernhardus: Verba consolationis Dei sunt ablutio culpæ, restitutio gratiæ, euasio exilij, consecutio regni, consortium diuinitatis, adeptio æternitatis. Sententiæ.

De uario statu Ecclesiæ Dei inquit Rupertus: Illa quæ in hoc seculo peregrinatur electorum hominum Ecclesia, non semper in eodem statu permanet: sed nunc subleuata per contemplationem donis eiusdem Spiritus plus fulget, nunc obscura pressuris uel seculi turbinibus minus lucet, donec finiatur iste mundi circuitus, & ipsa quasi plena luna in cōspectu solis sui quieta resideat. libro duodecimo, capite 15 in Iohannem.

Est pauper cœtus. Petrus Cantor: Inde est quòd Dominus mansuetos & pauperes elegit, in quibus fundaret Ecclesiam. Inde est quòd turbis uolentibus eum rapere in regem, aufugit. cap. 18.

Mixta. Honorius: Sicut in torculari est acinum & uinum, sic in Ecclesia sunt boni

&

& mali. Sed sicut uina in cellaria reconduntur, uinaria porcis proijciuntur: sic adhuc boni in gaudia colliguntur, mali dæmonibus foris excluduntur. In Psalmum octauũ. Item: Luna, quæ aliquando lumine augetur, aliquando minuitur, Ecclesia est, quæ aliquando fidelium sumit augmentum, aliquando per hæresin suorum patitur detrimentum. Stellæ autem sunt sancti, qui cum luna lucent, dum in Ecclesia signis & uirtute fulgent. Notandum quòd solem hic nominat, quia nimirum æternum Solem iusticiæ Christum alloquebatur, per quem hi cœli & hæc luna & stellæ illustrantur. Ibidem. Item: Ecclesia habet tres partes, scilicet perfectos, imperfectos, hypocritas. Perfecti sunt, qui per charitatem uoluntariè Deo seruiunt: imperfecti sunt, qui per timorem quasi coacti subiecti sunt: hypocritæ sunt, qui bona publicè simulant, mala occultè perpetrant. In Speculo Ecclesiæ.

De perfectione Ecclesiæ inquit Bernhardus: Nondum peruenit Ecclesia ad perfectam purificationem, quando eam sibi Christus exhibebit gloriosam, non habentem maculam, neq; rugam, aut aliquid huiusmodi. Multis interim purificationibus opus habet, quatenus sicut abundant peccata, abundet indulgentia: sicut multiplicatur miseria, sic & misericordia: nisi quòd non sicut delictum, ita & donum. Gratia enim non solùm peccata lauat, sed & merita donat. Serm. de prima Dominica post Epiph.

Pugnat Ecclesia contra hostes. Petrus Cantor: Quanto magis in Ecclesia, ubi est ueritas, hæc permutatio & distinctio officiorum, personarum, dignitatum esset prohibenda, & ab Ecclesia eliminanda, quam adeò deturbauit & confudit, ut ignoretur quomodo uel sub quo titulo huiusmodi beluis scribendum sit. capite uigesimoseptimo. Item: Quanto magis in Ecclesia & bello spirituali, ubi pugnandum est nõ contra hostes uisibiles, sed inuisibiles, scilicet dæmones & uicia, non deberent permisceri officia. cap. 27.

Ecclesia damnat hæreticos. Rupertus: Sancta Ecclesia Macedonium & cæteros hæreticos respuit, & eorum laniantia detestatur oscula, communionem patitur nullam habere cum illis, pacem amat, pacem amplectitur. libro secundo, capite primo Com. in Iohan.

De sabbatismo Ecclesiæ Potho inquit: Magna in hac domo quies est, ubi sabbatismus mentis agitur, ubi digito Dei lex in tabulis cordis nostri scribitur, ubi interior homo spiritu Dei eruditur. libro secundo de Statu domus Dei.

Mansura est. Bernhardus: Extunc & deinceps non deficit genus Christianum, nec fides de terra, nec charitas de Ecclesia. Serm. 79.

Petrus Cluniacẽsis: De Ecclesia ergo intelligendum est, quæ usq; ad consummationem seculi in seculo futura est. lib. 1 contra Petrobusian. epist. 2.

Potho ait: Verùm sacrosancta Ecclesia supra petram ædificata, & in Christo fundata, in cunctis aduersitatibus inconcussa firmitate perdurat, sicut ei uox Spiritus sancti in Psalmo promittit, dicens: Non timebis à timore nocturno, à sagitta uolante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. libro 3 de Statu domus Dei.

De loco Matthæi decimosexto, Super petram, &c. Rupertus: Super petram (qui est Christus) Ecclesia ædificatur. Pulchrè mutato nomine Petrus ab ipsa petra denominatur: per quod significatum est, quia cunctis qui super illud fundamentũ (quod est Christus) ędificantur, uocandum sit nomen nouum, quod os Domini nominauit. libro secundo Commentariorum in Iohan. cap. 1.

De tolerantia malorum inquit Rupertus: Boni debent quidem malos in Ecclesia tolerare, exemplo Domini, donec uentilabro iudicij granum à palea, uel à tritico separentur zizania. libro 11. capite 13 in Iohan.

Decus Ecclesiæ. Honorius: Domine decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Domus Dei est Ecclesia catholica, huius domus fundamenta in Patriarchis aperiebantur, in Prophetis lapides quadrabantur, in Apostolis parietes cõponebantur, in martyribus laquearia suspẽdebantur, in confessoribus & uirginibus ut aulæis quotidie ornatur, in doctorum expositionibus quasi uaria pictura decoratur, diuersis fidelium uirtutibus miro decore illustratur. Hunc decorem Ecclesia diligit, cum seipsam domũ Deo per studia uirtutum facit. Locus habitationis Dei sunt mundæ animę, quas inhabitat Deus. Hunc locum Ecclesia diligit, cum se mundam in habitaculum Deo exhibuerit. in Psalmum uigesimumquintum.

De conuentibus inquit Bernhardus: Conuenitis siquidem ad audiendum Deũ, conuenitis ad laudandum, ad orandum, ad adorandum. Sacer est conuentus uterq;, placens Deo, angelis familiaris. Serm. de natiuitate Iohan. Baptistæ.

De cantu inquit Bernhardus: Cantus ipse si fuerit, plenus sit grauitate, nec lasciuiam

uiam resonet, nec rusticitatem. Sic suauis, ut non sit leuis: sic mulceat aures, ut moueat corda. Tristiciam leuet, irã mitiget, sensum literæ non euacuet, sed fœcundet. Nõ est leuis iactura gratiæ spiritualis, leuitate cantus abduci à sensuum utilitate: & plus sinuandis intendere uocibus, quàm insinuandis rebus. epist. 312.

De uocatione gentium inquit Samuel Rabbi: Dixit adhuc idem Propheta de illis: Ecce gentem quam nesciebas, uocabis, & nationes quæ te non cognouerunt, ad te uenient. Et sicut de facto uidemus, hodie sunt mille anni & ultrà, quia Christus missus secundum legem nobis datam uenit, & gentes quæ legem non nouerunt, uenerunt ad eum, & ipse dedit eis legem nouam, puram & sanctam. cap. 16 Parast. ueri Messiæ.

Item: Gentes nihil boni habuerunt antequam crediderunt in Deum & in Christum. Idem cap. 18.

Petrus Cluniacensis: Et ubi est sanguis testamenti æterni, qui ab illis ad nos defluxit, qui per illorum fistulam ad nos decurrit, qui limosam, per quam currebat, derelinquens canalem, nos de limo factos & canali suppositos, ab omni limo & sorde purgauit. libro primo contra Petrobusianos, epist. 2.

De piorum desiderijs & doloribus. Bernhardus: Triforme est desiderium electorũ. Vnanimiter habitare in domo: unde est, Vnam petij à Domino. Victoriam obtinere de mundo: unde est, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Præsentialiter frui Deo: unde est & illud, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Senten. Item: Triformis est sanctorum dolor, quia ceciderunt de paradiso, quia tentantur in exilio, quia differuntur à regno. Ibidem.

De typo Ecclesiæ inquit Rupertus: Sancta Ecclesia mulier magna est & inclyta, eiusq; uir siue maritus pater omnium Deus: puer autem eius, quem ex eodem uiro per magnam ueri amoris cõcepit gratiam, ipse est Dominus noster IESVS Christus. libro duodecimo, capite decimosexto in Iohannem.

De potestate Ecclesiæ inquit Petrus Cluniacensis: Sed quamuis Ecclesia non habeat Imperatoris gladium, habet tamẽ super quoslibet minores, sed & super ipsos Imperatores imperium. Vnde ei sub figura prophetici nominis dicitur: Constitui te super gentes & regna, ut euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Quare si non potest occidere, potest euellere: si non potest occidere, potest destruere. libro sexto, epistol. uigesimanona. Item: Non habet Ecclesia gladium regis, sed habet uirgam pastoris. De qua Apostolus: Quid uultis, in uirga ueniam ad uos, an in spiritu mansuetudinis? Et quid dico habet uirgam? imò habet & gladium, secundum eundem: Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est uerbum Dei. Hic gladius si quieuerit, si semper latuerit, si nunquam exertus nulli unquam terrori fuerit, quid erit? Ibidem epist. quadragesimasexta.

Petrus Blesensis inquit: Duo sunt gladij, qui mutuũ à se uendicant auxilium, atque inuicem sibi uires impertiunt alternas: sacerdotium regibus, & sacerdotibus regnũ. Vnde si ab altero suppletur alterius insufficientia, non uidetur duplex contritio, aut punitio combinata. Nam & illi qui ad mortis patibulum sunt damnati, antequam ad tormenta ducantur, per cordis contritionem & pœnitentiam spiritualiter puniuntur. Nec duplicitatem contritionis inducit, sed quædam præparatio est ad mortem pœnitentia & satisfactio quæ præcedit, epistola 55.

De septiformi Ecclesia dicit Rupertus: Quid spiritus dicat Ecclesijs, sciendum est, quia quæ singulis scribit, uniuersis dicit Ecclesijs. In omnibus quippe Ecclesijs sunt & qui dignè audiant, uel quibus dici debeant ea quæ sunt timoris, & quibus ea quæ sunt pietatis, & quibus ea quæ sunt scientiæ, & quibus ea quæ sunt fortitudinis, & quibus ea quæ sunt consilij, & quibus ea quæ sunt intellectus, & quibus ea quę sunt sapientiæ. Nam & idcirco septem Ecclesiæ scribuntur, uel septiformis Ecclesia dicitur, quia quicunque in Ecclesia sunt, in quolibet gratiarum istarum consistunt gradu. libro secundo in Apocalyp. capite secundo.

De Ecclesiæ degeneratione inquit Bernhardus: Nunc autem dati sunt sacri gradus in occasionem turpis lucri, & quæstum existimant pietatem. Copiosissimę siquidem pietatis inueniuntur in suscipienda, imò accipienda magis animarum cura: sed hæc apud eos cura minor, & de animarum salute nouissima cogitatio est. An uerò Saluatori animarum grauior ulla esse poterat persecutio? iniquè agunt & cæteri contra Christum, multique sunt nostris temporibus Antichristi. Meritò tamen & crudeliorem eam censet persecutionem pro acceptis beneficijs, & grauiorem sentit pro potestate, quàm proprijs sustinet à ministris: licet alij quoque multi contra proximorum salutem multifariè, multisque modis, & uarijs occasionibus agere uideantur. Hæc uidet Christus, & silet: hæc Saluator patitur,

patitur,& dissimulat.Propterea dissimulemus nos quoque necesse est,& sileamus interim,maximeq; de prælatis nostris,magistris Ecclesiarum. Sic nimirum,sic placet & ipsis, ut euadant nunc humana iudicia, ueniatque semel iudicium graue his qui præsunt, & potentes patiantur tormenta potenter. Sermone primo de conuersione Pauli.

Omnes esse sacerdotes.Bernhardus:Reges sunt & sacerdotes omnes electi, & eos oportet oleo unctionis inungi. Est autem oleum triforme.Aliud siquidem est oleum effusionis, uidelicet uerbum Dei, quo initiantur ueterem hominē exuentes,ut quasi adolescentulæ in amorem sponsi surgāt. Aliud est oleum puritatis, quo lagenæ operum nostrorum impleri debent,quod in lampade diuini feruoris ignem debet incessanter nutrire. Aliud uerò oleum exultationis,charitas uidelicet principalis: quę mentem quam repleuerit dilatat, ut gustans quàm suauis est Dominus, in uertice iusticiæ sedēs, in solo Deo glorietur & gaudeat. Sent.

De Romana ecclesia ait Bernhardus:Cōsideres ante omnia Romanam ecclesiam, cui Deo autore prees,Ecclesiarum matrem esse, non dominam : te uerò non dominū episcoporum,sed unum ex ipsis,porrò fratrem diligentium Deum, & participem timentium eum. Decæterò oportere te esse considera formam iusticiæ,sanctimoniæ speculum,pietatis exemplar,assertorem ueritatis,fidei defensorem,doctorem gentiū, Christianorum ducem,amicum sponsi,spōsæ paranymphum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum,pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorū, iudicem uiduarum, oculum cæcorum,linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum,malorum metum,bonorum gloriam, uirgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem ,legum moderatorem,canonum dispensatorem,sal terræ,orbis lumen, sacerdotem altissimi, uicarium Christi, christum Domini, postremò deum Pharaonis. Intellige quæ dico: Dabit tibi Dominus intellectum. Vbi malitiæ iuncta potentia est, aliquid tibi supra hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ qui hominem non ueretur, gladium non formidat. Timeat orationem qui admonitionē contempsit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum, non hominem putet. Qui te non audierit, auditurum Deum, & contra se,paueat. libro quarto de Consideratione.

DE FALSA *Ecclesia.*

De falso catholico inquit Bernhardus: Longè plus nocet falsus catholicus, quàm si uerus appareat hæreticus. Serm.65 super Cantica.

De falsa Ecclesia inquit Rupertus: Possunt & Christum sequi fidei professione,& aliud quàm Christum quęrere:imò possunt & in uestimentis ouium incedere, & esse intrinsecus lupi rapaces, sicuti Iudas. lib.2. cap.1 in Iohan.

Iohannes Salisberiensis ait: Romana ecclesia,quę mater omnium Ecclesiarum est, se non tam matrem exhibet alijs,quàm nouercam. Sedent in ea scribæ & pharisæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum,quę digito non contingunt.Dominantur in clero, nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad uitam. Preciosam supellectilem congerunt, auro & argento onerant mensas, sibi etiam ab auaricia nimis parci. Nam pauper aut nullus aut rarus admittitur, quem interdum non tam Christus,quàm uana gloria introducit. Cōcutiunt Ecclesias, lites excitant, collidunt clerum & populum, laboribus & miserijs afflictorum nequaquam compatiuntur. Ecclesiarum lætantur spolijs,& quæstum omnem reputant pietatem.Iusticiam non tam ueritati quàm precio reddunt. Omnia namq; cum precio hodie, sed nec cras aliquid sine precio obtinebis. Nocent sæpius,& in eo dęmones imitantur, quòd tunc prodesse putantur, cum nocere desistunt: exceptis paucis qui nomen & officium pastoris implent. Sed & ipse Romanus pontifex omnib. grauis & ferè intolerabilis est. Præterea omnes arguunt, quòd ruentibus & collabentibus ecclesijs, quas patrum cōstruxit deuotio, altaribus quoque incultis, palatia extruit,& ipse non modò purpuratus,sed deauratus incedit. Palatia splendēt sacerdotum, & in manibus eorum Christi sordidatur Ecclesia. Prouinciarum diripiunt spolia, ac si thesauros Crœsi studeant reparare.Sed rectè cum eis agit Altissimus: quoniam & ipsi alijs & sæpe uilissimis hominibus dati sunt in direptionem. Et (ut opinor) dum sic in inuio errauerint, nunquam deerit eis flagellum Domini.Os siquidem Domini locutum est:quia quo iudicio iudicauerint,iudicabuntur,& sua mēsura remetietur eis. Antiquus dierum mentiri non nouit. libro sexto Policrat. capite uigesimosecundo.

Semper inter ueram & falsam Ecclesiam est dissensio. Bernhardus: Inter Babylonem & Hierusalem nulla pax est,sed guerra continua. Habet unaquæque ciuitas regem

gem suum. Rex Hierusalem Christus Dominus est, rex Babylonis diabolus. Sent.

DE ANTICHRISTO.

Draco. Rupertus: Ille draco, ille diabolus nũc alio quidem nomine, sed uicino bestia dicitur, non abs re, sed pro noue rei magnitudine: quia uidelicet qui prius erat diabolus, & draco dicebatur, in homine erit, & homine armabitur, qui & homo peccati, homo erit filius perditionis. Idcirco pulchrè quoque mutata est, ut bestia dicatur. Erit enim homo ille secũdum operationem eiusdem sathanæ Deo & omni creaturæ infestus, secundum proprietatem siue etymologiam appellationis: quia bestia quasi festia dicitur per antiphrasin, eo quòd infesta sit. libro octauo, capite 13 in Apocal.

Bestia. Rupertus: Vnus idemque homo peccati Antichristus, & paulo antè bestia capitum septem, & hic unum de capitibus bestiæ dicitur, uidelicet bestia tot capitũ pro corpore suo, quod est omnis generatio impiorum. Vnum autem caput pro sua persona, & pro illius temporis sui quo reuelandus est, principatu rex omnium superbiæ filiorum. libro octauo, capite decimotertio in Apocal. Et: Duas bestias simul ascendẽtes de mari propter geminam uim, scilicet bellicam siue regiam, atque magicam, qua homines decepit. Ibidem. Et: Bestia, cuius curata est plaga mortis. Septimum bestiæ caput erit Antichristus, de cuius plaga, ubi illam acceperit, quomodo curata sit, siue curatam uideri uelit, iam suprà pro posse dictum est. Ergo fecit, id est, faciet terram & omnes habitãtes in ea, scilicet terrenos homines, thesaurizantes non in cœlo, sed in terra cupiditate sacrilega, adorare bestiam primam, uidelicet principalem Antichristi potentiam, bestialemq; eius suscipere extollentiam, qua extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. lib. 8. cap. 13 in Apocal.

Antichristus. Rupertus: Hæc omnia faciet secundum nomen suum, imò secundum hæc iam nomẽ illi impositum est, quod est Antichristus, id est, Christo cõtrarius: quia omnia quæ de eo dicuntur, contraria sunt eis quæ de Christo legimus. libro octauo, capite decimotertio in Apocal. Item: Antichristus sanguinem fudit alienum, Christus sanguinem suum fudit. Ibidem. Item: Antichristus, id est Christo contrarius, proprius Christi aduersarius, falsò pastor: quia relinquens gregem, & uerè idolum & filius diaboli, mendacium rectè dicitur. lib. 4 in Zachar. cap. 11.

De Antichristo inquit Honorius: Antichristus emphaticè dicitur mẽdacium ipsum, quia in omnibus factis & dictis est mendax. in Psal. 4. Item: Per tres dies ante Pascha, tres anni temporis Antichristi præfigurari intelliguntur, quibus omnia in mundo eius sæuitia turbabuntur. Ideo his diebus pœnitentes in Ecclesiam introducuntur, quia illo tempore Iudæi ad Ecclesiam per pœnitentiam cõuertentur. In Speculo Ecclesiæ. Item: Ante aduentum Christi ad iudicium extremum, Elias & Enoch eius aduentum prænunciabunt, &c. Illo tẽpore Antichristus regnabit, qui totum orbem diuersis modis conturbabit. Nam cũctos principes per pecuniam sibi attrahet, cum diuitibus in occultis, ut leo in insidijs ad decipiendũ se tradet. Clerum per mundanam sapientiam decipiet, cũ uerba contra Altissimum proferet. Religiosos signis & prodigijs seducet, quando etiam ignem descendere de cœlo faciet. Vulgus terrore concutiet, cùm maxima persecutione in Christianos sæuiet. Enoch enim & Eliam interficiet, & omnes sibi resistentes crudeli examinatione perdet. Quem Dominus IESVS spiritu oris sui iussu seu ministerio Michaelis archangeli interficiet, ipseque tunc ad iudicium ueniet. Ibidem.

Rupertus: Antichristus iamdudum per membra sua ministerium operatur iniquitatis. lib. 2 in Genes. cap. 28.

Bernhardus: Verùm de Antichristo cum inquirerem quid sentiret: durãte adhuc ea quæ nunc est generatione, reuelandum illum esse certissimè se scire protestatus est. At cum eandem certitudinem unde haberet, sciscitanti mihi exponere uellet, audito quod respondit, nõ me illud pro certo credere debere putaui. Ad summam tamẽ hoc asseruit non uisurum se mortem, nisi prius uideat generalem in Ecclesia persecutionem. epist. 56.

Richardus inquit: Tam acerbam merebuntur reprobi ultionem diuinam in diebus Antichristi, ut prorũpant in blasphemiam nominis diuini: & quod est grauius nõ tantùm prorumpent in blasphemiam, sed nec agent pœnitentiam. lib. 5 in Apocal.

Vnde. Rupertus: Vocat diabolum patrem Antichristi, ipsum uenturum, mẽdaciumq; de corde suo geniturum, totũ in ipso congregaturum atq; fundaturum. lib. 8. cap. 13 in Apocal. Et: Antequam ingrediatur diabolus in Antichristum proprium uas, filium perditionis, quamuis in cœlo percussus fuerit, templa sibi atq; aras atq; sacerdotes & sacrificia quasi Deo uiuo conquisiuit: & postquam hominem illum ingressus fuerit, regna mũdi obtinebit, & in templo Dei sedebit, ostendens se tanquam sit Deus. Ibidẽ. Et: Solutio draconis siue ser-

pentis antiqui diaboli, aduentus erit Antichristi. lib. 10. cap. 17 in Apocal.

Materia. Rupertus: Homo ille quidem natura, sed diabolus in illo totus erit cum omni sua uirtute, tota plenitudine, & eiusdem scilicet hominis aduentus erit secundum operationem sathanæ. lib. 8. capite 13 in Apocal.

Vbi. Rupertus: Diabolus illi homini perdito, qui Antichristus dicitur, locum nouit aptum, in quo radix omnium malorum oriri debuit, scilicet ciuitatem Babyloniæ, undosam populositatem malignantium. lib. 8. cap. 13 in Apocal.

Richardus ait: Infideles gentes semper sunt Antichristo sedes. lib. 5 in Apoc. Item: Sedes bestiæ sunt principes gẽtium, in quibus Antichristus principaliter regnando sedebit. Ibidem.

Babyloniam & bestiam ad pontificium statũ refert Honorius, dicens: Intuere principes & iudices, ecce posita est in eis bestię sedes. Omni tempore ad malũ sunt intenti, semper negotijs iniquitatis inexplebiliter occupati, flagitia non solùm faciunt, sed & alios facere instruunt. Sancta uendunt, scelera emunt. Totis uiribus laborant, nè soli ad tartara ueniãt. Verte te ad clerum, & uidebis in eis bestiæ tentorium, Dei seruitium negligunt, terrenis lucris inseruiunt, sacerdotium per immunditiam polluunt, populum per simulationem seducunt, Deum per mala opera abnegant, omnes scripturas ad salutem pertinentes abdicant, omnibus modis se laqueos & ruinam populo substernunt, quem cæcum ipsi cæci ad interitum præeunt. Cõtemplare & monachorum conciliabula, & uidebis in eis bestiæ tabernacula: per fictam professionẽ Deum irridentes, iram eius prouocant, normam regularem moribus & uita calcãt, per habitum seculum fallunt, multos deceptos ipsi decepti decipiunt, secularibus negotijs implicati sunt, in Dei seruitio desides existunt, plerique illorum gulæ & illecebris dediti sunt, quidam in immunditiæ sordibus computrescunt. Aspice etiam habitacula monialium, & cernes in eis bestiæ præparatum thalamum. Hæ à tenera ætate impudicitiam discunt, complices sibi plurimos ad cumulum suæ damnationis asciscunt, uelo se operire festinant, quo magis frena luxuriæ laxare queant: omnibus fornicarijs peius prosternuntur, & ut insatiabilis charybdis, nunquam stercore immunditiæ replebuntur. Hæ animas iuuenum illaqueant, & gaudent si plures illaqueent: & hęc uult palmam uictorię, quę alijs præualet in scelere. Verte te ad plebẽ reliquam, & inuenies in ea bestiæ effigiem. Sacerdotes despiciunt, de Deo quicquam audire contemnunt, totum tempus uitæ in uanitate & iactantia ducunt, & ad omne opus bonum reprobi sunt. Vulgus quoq; indoctum bestiæ habet idolum. Deum uerum non norunt, deo uentri tota intentione deseruiunt, per uaria carnis desideria diffluunt, & per omnia uitam bestialem ducunt. Veni huc ad huius uallis procliuia, & uide monstrosa mulierum conuenticula. In his bestia omnes suas pompas & monstra ponit, & has sua arma ferre disposuit. Vides qualiter illa iuuenes per luxuriã illaqueat, illa multos ueneno enecat, hæc uiri uitam pro auro prodit, hæc partus suos occidit, hæc lites prouocat, altera bella instigat, ista maleficijs mentes hominum alienat, hanc uerò nullus pecunia uel luxuria satiat, hæc ridendo multos decipit, illa flendo plerósque seducit. Hæc sunt huius ciuitatis propugnacula, & hæc sunt bestię iacula. DIS. O Deus, quãta mõstra prodigiosa conspicio? MAG. Mœnia mœchæ ciuitatis uidisti, destructionem quoque eius libet intueri. Nunc ciues Babyloniæ, cum sint plures in numero, ciuibus Hierusalem semper bellum inferunt, quia apud eos in exilio positi sunt. Postmodum uerò rex cœlestis cum exercitu angelorum ueniens, hanc perditam ciuitatem funditùs euertet, & electos suos inde liberans, in cœlestem palatium secum adducet, quibus tale spectaculum tunc præbebit. Hanc quam uides Babyloniam, id est, huius mundi gloriam, cum suo principe diabolo, & omnibus huius ciuitatis ciuibus, scilicet huius amatoribus mundi, repẽtè in stagnum ignis & sulphuris præcipitabit, & tunc omnia in meliorem statum electis commutabit. In Dialogo de lib. arb. & prædestinat.

Quando. Rupertus: Antichristus pastor stultus & imperitus, qui in cõsummatione mundi dicitur esse uenturus, & qualis futurus sit, indicatur. lib. 4 Comment. in Zachar. cap. 11.

Ignorantiam non excusare. Rupertus: Qui per huiusmodi signa seducti bestiã illam adorabunt, ac Antichristo credent, de ignorantia excusari nequeunt: si ignorarẽt, si non legissent, quòd primis hominibus talis imago bestiæ, serpens scilicet, locutus fuisset. libro octauo in Apocal. capite decimotertio.

De Antichristi ingressu inquit Pothos: Quocirca nobis apertè declaratur, quia [illegible] negotio, quod perambulat in tenebris, cui nimirum seruitur à multis, iam iamq; succedit ultima & periculosissima tentatio, quando Ecclesia Christi ab incursu & dæmoniq

monio meridiano, quasi tempestate sæuissima, quassabitur: quando ille homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, tanquam meridiana lux apparens in omnibus signis & prodigijs mẽdacibus seducet inhabitantes super terram. lib. 3 de Statu domus Dei.

De operibus Antichristi Berengosius inquit: Fiat Dan coluber in uia (inquit Iacob) cerastes in semita, Antichristum scilicet significans, qui contra electos Dei duplici quandoque debet sæuire dementia, dum & coluber ex astutia, & cerastes uocatur ex potentia. In libro de Ligni Dominici mysterio.

Rupertus ait: Bestia, scilicet Antichristus, qui iam dudũ operatus est & operatur ministerium iniquitatis, faciet bellum aduersus illos, quale solet esse inter ueritatem & mendacium. libro 6. capite 11 in Apocal. Item: Septimum & maximum caput Antichristus erit, nam ille per uniuersum orbem nuncios mittit & prædicatores suos. Prædicatio autem eius & potestas pertinget à mari usque ad mare, ab Oriente usq; ad Occidentem, ab Aquilone usq; ad Septentrionem. Reges & principes primò ad se conuertet, ac deinde per illos persecutionem sub omni cœlo excitabit super omnes populos Christum confitẽtes. Ibidem libro octauo, capite decimotertio. Et: De regno Antichristi, quod caput septimum erit, Scriptura ista dicit: Datum est ei os loquens magna & blasphemiam, & aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius & tabernaculum eius. Igitur super capita bestiæ nomina blasphemiæ, quæ singula regna regibus suis nomen, quod est Deus, ascripserunt, uel ipsi reges ultrò præripuerunt: quod nimirum est blasphemare. Ibidem. Item: Ipse est rex super omnes filios superbiæ, quòd non tãtùm acquiescet immoderato fauori dicentium, Quis similis bestiæ? uerùm etiam os magnum, os magna loquens habebit, arrogando sibi magnificentiam, & exigẽdo ab omnibus uoces Dei, & non hominis, ut dicant omnes, Quis similis tui? Hoc exiget non tantùm ore, uerùm etiam bellica potestate. Ibidem. Item: Bellum faciet cum sanctis, & uincet illos: uidelicet qui blasphemante ore non poterit, bellando se uindicabit, atque occidendo. Ibidem. Et: Tunc enim in illo perditionis filio ueraciter solutus ueniet diabolus, cuius tanta talisq; in Christi seruos erit persecutio, ut non qualecunq; iustitię uerbum, sed ipsum nomen Christianum ne confiteri audeant, illis interdicat. lib. 14 Com. in Apocal. Et: Permisso utetur, & publicam ubiq; terrarum persecutionem in Christianos excitabit, & seducet omnes gẽtes, electis utiq; exceptis: quia fieri non poterit, ut in errorem inducantur electi. Ibidem. Et: Antichristus mortuos Deo, & seculo uiuentes uiuificabit: uiuos autem, id est iustos, Deo uiuentes mortificabit. Ibidem.

Antichristus monachis tribuitur. Petrus Blesensis: Erat tolerabilius non arripuisse propositum pœnitentiæ, quàm post pœnitẽtiam retroire. Res magni discriminis est, ignominiam seculi sub religionis habitu circumferre, impietatẽ sub pietatis umbraculo, & Antichristum sub Christi uestibus occultare. Epist. 61.

De pœna ait Rupertus: Antichristus caput impiorum regũ deuorabitur à iudicio damnationis, & omnes adulantes, non nocentes aut lædentes illum deuorabuntur. lib. 6. cap. 11 in Apocal.

DE MINISTERIO uerbi.

RVpertus: Pastor & Magister uoce quidem diuersa, sed sensu idem sunt. Pastor ouium dicitur pro similitudine, Magister hominum est in rei ueritate. lib. 9. ca. 10 in Iohan.

Duplices sunt ministri. Rupertus: Vsque hodie, & usq; in finem seculi testes Christi distincti sunt, ita uidelicet, ut alij sint testes qui in pace sanctæ Ecclesiæ fideliter uiuentes, loquendo pariter & scribendo testimonium ueritati perhibuerunt, & perhibere non desinunt: alij qui persecutione pro statu fidei pugnando, supradictas templi Dei & altaris & adorationum in eo mensuras defenderunt, & in defensione sanguinem suum fuderunt, uel fusuri sunt. lib. 6 Com. in Apocal. cap. 11.

Vnde sint. Rupertus: Quibus Christus Rex regum & Dominus dominãtium est, ij ueraciter nominantur & sunt sacerdotes & reges, & in æternum regnabunt. libro 2 Com. in Mich. cap. 4. Et: Spiritus sanctus per os Prophetæ indubitabili ueritate loquens, quasi tinnulam fidei tripudiat cantilenam, & iucunditatis suos modulos triplicat. libro secundo in Sophoniam, capite tertio.

Petrus Cantor inquit: Sed erit ne medium inter uocari à Domino, & sibi sumere honores? absit. Nisi enim à Domino uocatus, nisi per eum ascendas, nisi gratis accipias, scilicet ut nihil tuum interponas, tibi sumis honorem, aliunde intrans quàm per ostium, aliunde ascendis, ab alio quàm à Domino uocaris. capite trigesimotertio. Item: Prouideat Dominus Deus spirituum

omnis carnis, uirum spiritualem, scilicet hominem uirilem, qui præsit omni carni huic, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos. Exire, ut pastor pro ipsis contra hostes inuisibiles & uisibiles. cap. 44.

Christum esse per ministerium efficacē, testatur Rupertus: Christus clauicularius prædicatori cupienti saluti proximorum proficere, ostium magnum aperit, sciens opera eius, quando perpendens intentionem cordis eius, intelligentiam sacri uerbi pandere illi dignatur, & labori eius, ut fructum faciat, præueniente pariter ac subsequente gratia sua, cooperatur. libro nono, capite decimo in Iohan. Item: Christus in eis loquitur, & quicquid ab eis fit, à Deo factum, & spiritu eius confirmatum esse rectè creditur. At uerò ubi dissentientes, seq; per hæreses & schismata ab unitate fidei diuidentes, à Christo præcidunt, mortuum est omne uerbum eorum & sacramentum, & quicquid agere uidentur infectum, quicquid sacrificare putant pollutum est. Lib. 11. cap. 15 in Iohan.

Spiritum sanctum esse per ministerium efficacem. Petrus Cluniacensis: Idem enim diuinus Spiritus, qui priorum patrum cordibus se infundens, humanæ saluti congruentia per eos dedit præcepta, per hos quoque qui recentiores uidentur, hominum salutem operari salubria iubendo non destitit. Per diuersos igitur præcones Domini uerba edita ueneramur, in diuersis organis eiusdem Spiritus flatum agnoscimus. lib. 3. epist. 28.

De Prophetis inquit Petrus Alphonsus: Prophetarum uerba sunt ut somnium: & sicuti uerba hominum febri acuta laborantium, uel alio morbo delirantium, nullo ordine sunt connexa: sic & Prophetarum uerba nulla sunt continuatione prolata, nec quid prius dicant, respiciunt, siue posterius, nisi sicut eis sanctus reuelat Spiritus. tit. 7 in Dialogo. Item: Nos qui Prophetas mentitos non esse credimus, cum ipsi Christum Deum & hominem futurum fore prædixerint, ueraciter eos & hoc dixisse credere debemus. Ibidem titulo octauo.

Rupertus ait: Prophetarum officium fuit, Verbum Domini antequam caro fieret, carnem assumpturum esse, dictis præsignare, factis præfigurare. libro 1. capite 1. in Iohannem. Item: Deus per os Prophetarū suorum pro semetipso loquitur, & de semetipso testificatur. lib. 1 Comment. in Micheam, cap. 1.

Probę prophetarum. Petrus Alphonsus: Indicia namq; ueri prophetæ sunt probitas uitæ, miraculorum exhibitio, dictorum omnium firma ueritas. tit. 5.

De Apostolis inquit Petrus Alphonsus: Apostoli sanè ueri discipuli Christi fuerūt, & quicquid prædicauerunt, per Christum utiq; fecerunt, & legem Moysi non soluerunt, sed adimplerunt. titul. duodecimo. Item: Quomodo autem inde possemus dubitare, cum sciamus Apostolos nihil aliud quàm Christum & pręcepta eius prædicasse? titul. duodecimo. Item: Ipsi ieiunium, eleemosynam ac misericordiam prædicarunt, Deum super omnia, & proximum ut se diligi præceperunt, homicidia, fornicationes, furta, testimonia falsa, inuidiam & alia uicia, quæ ratio abhorret, & Moyses prohibet, ipsi etiam prohibuerunt. Ibidem.

Rupertus ait: Apostoli duplici de causa rectè arietes dicti sunt, uel quia duces sunt totius Ecclesiæ, sicut arietes duces sunt totius gregis: uel quia sicut arietes duobus cornibus, sic ipsi duobus testamentis repugnantia sibi impugnant. libro undecimo Comment. in Matth. capite uigesimosexto. Et: Apostoli Spiritu sancto authoritatem habentes prædicandi, tanquam à Deo missi. libro primo in Oseam. Item: Apostoli publicè prædicare cœperunt, natum esse de uirgine Deum & hominem IESVM Christum, quia Verbum erat in principio, Deus apud Deum, & Verbum caro factum est, & sicut angelus locutus est ad Ioseph, quod in beata Virgine natum est, de Spiritu sancto est. libro secundo in Matth. capite tertio.

Bernhardus ait: Per Euāgelium ipsi nos genuerunt: non tamen sibi, sed Christo, quia per Euangelium Christi. Serm. 3 in die Petri & Pauli.

Quo'nam excurrerint. Honorius: Petrus in Italia, Paulus in Græcia, Andreas in Achaia, Iohannes in Asia, Philippus in Phrygia, Iacobus in Iudæa, Bartholomæus in Scythia, Thomas in India, Matthæus in Æthiopia, Simon in Persia, Thaddęus in Mesopotamia, alter Iacobus in Hispania, Matthias in Palæstina, uerba Dei intonuit. in Psal. 18.

Difficultas. Petrus Cluniacensis: Attendo grauissimam curarum sarcinam, debilibus humeris impositam, & onus cui uix gigantreæ possent uires sufficere, cerno pusilli homuli colla deprimere. Cogor asellus elephantorum castra dorso portare, & cum armis Saulis pro castris Israel contra Goliath puer & rusticus ad bella procedere. Video draconem de cœlo proiectum, tertiam partem rutilantium stellarum de summis ad ima cauda trahentem, & aduersum sanctæ mulieris semen acrius solito prælian-

tem,

tem. libro tertio, epistol. uigesimaquarta.

Temeritas in expetēdo hoc munere. Petrus Cluniacensis: Magnum, magnum pastoralis officij periculum: ad quod, uelut cęci ad pręcipitium, lętantes nostri seculi homines currunt, & grauius lædendi, de summis dignitatum gradibus in profundum inferni corruunt. Et antiquorum gladiatorum more, paruo temporis spacio uoluptatibus & superbia saginam nutriunt, quam in spectaculo perditorum diabolo in æternum deuorandam offerunt. libro tertio, epistola 24.

Quales eligendi. Lombardus: Tales autem ad ministerium spirituale eligēdi sunt clerici, qui dignè possint Dominica sacramenta tractare. Melius est enim episcopo paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui ordinatori graue onus inducāt. lib. 4. dist. 23.

Petrus Cantor ait: Attende ergo quantam maturitatem quantamq; prudentiam oportet esse in rectore. Si ergo Ioseph non nisi probata eius sapientia præficitur regimini Ægypti temporali, quanto magis nō nisi probata sapientia & uita debet quis præfici dominio & spirituali regimini Ecclesiæ? capite quadragesimotertio. Item: Si peritus, licet ambitiosus uel aliàs malus, promouetur, spes tamen de ipso habetur: quia quis scit si conuertatur & pœniteat, fiatq; bonus qui heri malus? Sed de fatuo & inscio promoto nulla spes est. Rarò enim Dominus de insipiente & inscio suscitat & facit sapientem, sicut de peccatore pœnitentem. Ibidem. Et: Ob hoc etiam Apostolus describens pastorem Ecclesiæ, in finem descriptionis eius quasi uitalē & substantialem differentiam ponit, doctorē scilicet, qui sciat contradicenti sanę fidei resistere, & paratus sit omni poscenti reddere rationem de fide & spe, & bonis moribus Ecclesiæ. Ibidem capite quadragesimotertio. Et: Apostolus promptus fuit euangelizare, antequam ad hoc officium accederet. Non accessit ad hoc, ut postea promptus fieret ad illud, sicut hi qui applicandi sunt doctrinæ, cum deberent docere. cap. 44. Item: Infirma mundi elegit, ut fortia quoque confundat. Piscatores elegit, non philophos. cap. 16.

Probandi ministri. Petrus Cantor: Non ait simpliciter Hi, sed Et hi, scilicet & diacones sicut episcopi probentur primùm antequam ordinentur. Probentur in uita, scientia & facundia, & sic probati & ordinati ministrent, nullum crimen habentes. cap. quadragesimonono.

Iohannes Salisberiensis ait: Illi utique quos sine auariciæ stimulis, sine ambitionis impulsu, sine affectione carnis & sanguinis lex in Ecclesiam introduxit. libro 4. cap. 6 de Curial. nugis.

Non esse nos dominos uerbi. Rupertus: Ministri sunt in hoc sacramento Christi, ministri isti sunt, non autores: serui, non domini: canales, nō fontes. Vnus hic est fons, unus Deus, unus autor, qui baptizat quidem in aqua per ministros, baptisat autem tantùm per semetipsum in Spiritu sancto. libro secundo, capite primo in Iohannem. Item: Ministri arbitrentur Apostolatum suum non dominationem, sed summæ humilitatis ministerium, cuius in hoc perfectio est, ut ponant animas pro fratribus suis. libro undecimo, capite 13 in Iohan. Item: Virga discipulorum Christi uirga dilectionis, uirga pastoralis officij, super curam animarum solicitè uigilantis. Illa uirga quæ est dominationis, non est concessa ministris Euangelij pacis, & illa interdicitur hic, dicendo, Neq; uirgam, &c. libro octauo in Matth.

Petrus Blesensis: Sic ergo ministres, ut non uituperetur ministerium tuum: ut seruum singulorum te reputes, cum sis dominus omnium. epist. 60.

De officio ministrorum inquit Bernhardus: Quamobrem ministros uerbi sacerdotes cautè necesse est ad utrunque uigilare solicitos, quo uidelicet delinquentium cordibus tanto moderamine uerbum timoris & contritionis infligant, quatenus eos nequaquam à uerbo confessionis exterreant: sic corda aperiant, ut ora nō obstruant: sed nec absoluant etiam compunctum, nisi uiderint etiam confessum. Quandoquidem corde creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem. Alioquin à mortuo (tanquam qui non est) perit cōfessio. Quisquis igitur uerbum in ore habet, & in corde non habet, aut dolosus est, aut uanus. Quisquis uerò in corde & non in ore, aut superbus est, aut timidus. capite duodecimo ad clericos de Conuersione. Item: Pastorum est, uigilare super gregem propter tria necessaria, uidelicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne uincatur à pusillanimitate. In disciplina rigor iusticiæ, in custodia spiritus consilij, in prece affectus compassionis. Sentent. Et: Tria prælatis necessaria sunt. Viua fidei & doctrinæ sinceritas, ut inhabitent in eadem regione. Studiosa bene operādi sedulitas,

ut uigilias cum pastoribus celebrent. De salute subditorum diligens curiositas, ut custodiant gregem suum. Ibidem. Et: Bubulcus habere debet duo, uocis suauitatē, quæ laborem mulceat operantium. Aculei punctionem, quæ torporem excutiat pigritantium. Ibidem. Et: Quadripertitum est officium sacerdotale, uiuam carnis hostiam immolare, quod leuiticum est: uirtutum charismata Deo offerre, quod est incendere aromata, & filiorum Aaron est: cum feruore martyrij cœlum intrare, quod est introire cum sanguine sancta sanctorum: gratiæ & precum uota cœlo transfundere, quod est panem & uinū Deo offerre. Ibidem. Item: Audiant hoc prælati, qui sibi commissis semper uolunt esse formidini, utilitati rarò. Erudimini qui dijudicatis terram. Discite subditorum matres uos esse debere, non dominos. Studete magis amari, quàm metui. Et si interdum seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres fouendo, patres uos corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem: suspendite uerbera, producite ubera: pectora lacte pinguescant, non typo turgeant. Quid iugum uestrum super eos aggrauatis, quorum potius onera portare debetis? Cur morsus à serpente paruulus fugit conscientiam sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tam quam ad sinum recurrere matris? Si spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans unusquisq; seipsum, ne & ipse tentetur. Alioquin ille in peccato suo morietur, sanguinem autem eius, ait, de manu tua requiram. Super Cātica serm. uigesimotertio. Et: Nulli dubium quin ad nos specialiter spectet, tollere scandala de regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas. Sic enim præcepit Moyses, cum montem subijt: Habetis (inquiēs) Aaron & Hur uobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad ipsos. Illum loquor Moysen, qui uenit per aquam: & non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. Et ideo plusquam Moyses, quia & in sanguine uenit. epist. 188. Item: Domabis lupos, sed ouibus non dominaberis. Pascendas utique, non premendas suscepisti. libro secundo de Consid. Item: Præsis ut prosis, præsis ut fidelis seruus & prudens, quē constituit Deus super familiam suā. Ad quid? Vt des illis escam in tempore: hoc est, ut dispenses, non imperes. Hoc fac, & dominari ne affectes hominum homo, ut non dominetur tui omnis iniusticia. Ibidem libro tertio. Item: Interest proinde tua, dare operam quam possis, ut increduli conuertantur ad fidem, conuersi non auertantur, auersi reuertātur. Porrò peruersi ordinentur ad rectitudinem, subuersi ad ueritatem reuocentur. Subuersores inuictis rationibus cōuincantur, ut uel emendētur ipsi, si fieri potest: uel si non, perdant autoritatem facultatemque alios subuertendi. Non omnino & ab hoc insipientium genere pessimo tibi dissimulandum. Dico autem hæreticos schismaticosq;: nam hi sunt subuersi & subuersores, canes ad scissionem, uulpes ad fraudem. Erunt, inquam, huiusmodi maximè tuo studio aut corrigendi ne pereant, aut ne perimant cohercendi. Ibidem.

Potho inquit: Gloriam & magnum decorem domus suæ posuit Dominus in sacerdotibus Ecclesiæ, qui diuinorum mysteriorum celebratione ornant domum Dei intrinsecus, & uitam plebium ædificāt per uocem prędicationis extrinsecus. Sed pulchritudo domus Domini nunc adeò deformata est, ut iam illud impleatur quod scriptum est: Et erit, sicut populus, sic sacerdos. Vnde luce clarius patet, quòd sacerdotes mali ruina sint populi. Quod nimirum quàm uerum sit, hinc datur intelligi, quia in illis Ecclesijs, ubi tales ad intercedendū pro populo sacerdotes eliguntur, qui per uitam indignam offendunt Deum, ibi procul dubio maxima sæpe pericula proueniunt. Proinde apud nos quotidie uidemus Ecclesiam ruentem, & nullam ac penè nullam manum erigentem, & pro domo Israel murum ponentem. Non est qui iræ Dei resistat, non est qui consurgat & teneat Deum, non est qui in hoc tempore iracūdiæ fiat reconciliatio. Quomodo namq; sacerdotes inter Deum ac populum mediatores, reconciliare Deo populum possunt, quem ipsi propitium non habent? Nam licet assiduè iterent uerbum pacis in populo, dicentes, Pax uobiscum: tamen pacem dare nō possunt, quam ipsi intus cum Deo non habent. lib. 1 de Statu domus Dei.

De mercenarijs inquit Iohannes Salisberiensis: Nihil enim in eis libertatis est, ut mundi potestatibus obloquātur: nihil uirtutis, ut ueritatem in periculis tueantur. In omnibus lucrum, in nullis aut paucis quærunt salutem animarum: dum in suis obtineant, dum ad ambitionis aut auariciæ succedant uotum, eorū quæ Christi sunt iactura contemnitur. lib. 8. cap. 17 Policrat. de Curial. nugis. Itē: Pastori itaq; debetur amor, quia diligit: mercenario patientia, quia uidetur amantem imitari: furi non debet Ecclesia nisi pœnam. Ibidem.

Docere uerbum Dei. Rupertus: Angelus sanctus & homo sanctus eloquium sępe annunciauit, nunquam autem eloquium suum, sed tantùm eloquium Dei annunciauit, aut annunciare debuit. libro secundo

Com.in Amos,cap.4. Et: In manu est cuiusq; omnium uerbo Dei ministrantium,ut dum prædicando uerbum Dei quasi frangit panem uiuum,det mortuis manducandi & uiuendi desiderium.lib.6.cap.6 in Iohan. Item:Religiosi ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei fideliter confitentur & prædicant,quia in principio erat uerbum,& uerbum erat apud Deum,& Deus erat uerbum:& uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Diuinitatem eius fideliter annunciant, ueram humanitatem, ueramq; passionem eiusdem Dei & hominis humiliter credunt,& constanter prædicant: non sicut plurimi uerbum Dei adulterantes, Christi (inquiunt) bonus odor sumus Deo in omni loco,in his qui salui fiũt, & in his qui pereunt.lib.10.cap.11 in Iohan. Item: Omnes sacerdotes uel prædicatores ueritatis, quorum labia custodiunt scientiam, & quorum ex ore legem requirunt, per duos angelos ita sedentes,unum ad caput, & unum ad pedes, signantur: quia uidelicet unum eundemq; Christum & Deũ esse ante secula,& hominem factum prædicant in fine seculorum, & utriusq; Testamenti uocibus incarnatum, passum, mortuum, sepultum, resuscitatum à mortuis comprobant uerum Dei filium. Ibidem lib.14.cap.20.

Bernhardus ait:Sed nec studium tam est mihi ut exponam uerba,quàm ut imbuam corda. Et haurire & propinare me oportet, quod non fit celeriter percurrendo, sed tractando diligenter,& exhortando frequenter. Serm.16 super Cantica. Item:Et quidem rectus ordo requirit,ut prius propriã, deinde alienas curare studeas conscientias. Primus quippe pietatis gradus est, de quo scriptum est: Miserere animæ tuæ placens Deo. Ex hoc autem ad miserandum proximum recto iam tramite charitas ordinata procedit, quippe quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur. epistola octaua.

Petrus Blesensis inquit: Episcopus illiteratus præco est mutus. Prælati est erudire subiectos, & reddere populum acceptabilẽ Deo,aperiendo mysteria Scripturarũ. epist.15. Et: Super omnia humilitatem amplectere, ut apud te nihil superbum appareat in uerbo,uel in facie,uel in gestu. Principẽ te constituerunt, ut sapientia esto in illis, quasi unus ex illis.Nihil singularitatis prętendas, nihil dominationis exerceas.Vocauit te Dominus ut sacerdotio fungaris, ut in domo matris suæ sis fidelis seruus & prudens,non dominus,sis possessionum istius & populi aduocatus.Posuit te Dominus ut sis principibus ad correctionem,afflictis ad consolationem,nocentibus ad timorem, clericis ad liberationem, superbis ad humiliationem, humilibus ad tutelam. epist.121.

Petrus Cantor ait: Ad summam totius summæ,tardiloquum,rariloquum,submissa uoce loquentem te esse iubeo. Caput enim mouere, brachia intorquere, digitos extendere,pedes supplodere,totumq; corpus concutere,quid aliud est nisi similitudo insaniæ, & te similem pugili ostendere? cap 5. Et: Fructum quærite uobis in subditis æternum & permanentem,non temporalem,qui non permanet.cap.44. Item: Discant hinc euangelizaturi hydriã, id est, cupiditatem relinquere,& onus & causam seculi deponere,antequam currant euangelizare.cap.47. Item Multiplex est enim prędicatio,scilicet eruditionis,correctionis,exhortationis, excitationis, consolationis,& sustentationis beneficij.cap.6. Et: Prædicatio & quodcunq; spirituale ei annexum nunquam tangat & respiciat terrenum emolumẽtũ, nec abscõdatur in terra sub nase mundani timoris: sed solùm consideret cœlestia liberè, & sine spe cuiuscunq; commodi terreni,cap.22. Item:Discant ergo sacerdotes. quia propter scelera populi puniuntur,& subditorum culpa illis imputabitur.cap.60. Item:Et modestia prædicationis, quæ quidem tẽperanda est secundum quantitatem dicendorum,secundũ qualitatem & capacitatẽ auditorũ. cap. 53. Item: Prælatus enim & uirilia & infantilia uerba minorib. habere debet.cap.53. Item:Quis putas fidelis est seruus & prudens,quẽ cõstituit Dominus super familiã suam, ut det illi in tẽpore triticũ cũ mensura,quæ in numerositate,ne nimis multa,subtilia & profunda dicat,qualitate & quantitate dicendorum accenditur?Ibidem.

Eckbertus ait:Voce benedictionis gloriã Domini magnifica: uoce deprecationis gratiã eius tibi populoq; cõcilia:uoce prędicationis argue,obsecra,increpa,erudiẽdos illumina:uoce rectę operationis illuminatos consumma.Epistol. ad Reinoldum Coloniensem.

Nihil confingere. Rupertus:Veri prophetę,Spiritu ueritatis donati,nihil cõfingunt, nihil deprauant, sed uero sensu ueridicam Scripturam exponunt.lib.11.cap.15.

Idem sentire. Rupertus: Omnes angeli isti,id est,omnes scriptores, siue Scripturarũ tractatores, quos Ecclesia sancta recipit, idem sapiunt, & schismata in eis nõ sunt. lib.10.cap.17 in Apocal.

Quomodo oues pascendæ. Bernhardus: Petrus mandatũ accepit tertiò,pascere gregem Domini.Pasce,inquit,mẽte,pasce ore,

pasce opere. Pasce animi oratione, uerbi exhortatione, exempli exhibitione. Serm. 2 de resurrect. Dom.

Petrus Blesensis inquit: Si eius imitator & filius eius esses, ouis errabundæ regressũ & pœnitentiam non oportuerat expectari, sed eam solicitudine pastorali quærere, ac salutarib. monitis ab errore & inuio ad uitę semitá reuocare. Salus enim illius & mors de tuis manibus à districto & terribili iudice requiretur. Ad laboris itaq; compendiũ tibi cesiit quòd regressus est, quòd ad ianuam pulsat, quòd suum confitetur excessum. Epist. 44.

Ecclesiam inspicere. Petrus Cluniacensis: Decet enim Apostolicos uiros, Apostolicam præ cæteris doctrinam tueri: ut qui cœlesti gratia dispensante, Apostolicis officio successistis, fidem Apostolicá præcipuo studio defendatis. Nam ille idem Christus, qui per Apostolos, dum uiuerent, peregrinanti suæ Ecclesiæ præuidit, uos ipsorũ loco ad ei prouidendum uestro tépore præparauit. Vnde quoniam non solùm communi charitate, quod ad omnes, sed etiam singulari officio, quod ad solos episcopos pertinet, Ecclesia Dei uobis commissa, si languet, curanda: si errat, reuocanda: si tepet, accendenda: si nutat, confirmanda: si cadat, releuanda: si dubitat, instruéda: si aliquid necessarium ignorat, à uobis edocéda est. lib. 1 contra Petrobusian. epist. 2.

Peccatores arguere. Petrus Blesensis: Verum noueris, si nõ annunciaueris impio impietatem suá, ipse in impietate sua morietur, sed sanguiné eius de manu tua requiret Dominus. Ouis tua est, & in periculũ tuum ipsius custodiam suscepisti: periculosissimũ est tibi, si in tonsoris officium cõuertas officium pastorale. Epist. 8.

Petrus Cantor ait: Ecce constitui te hodie super reges & regna, ut euellas & destruas, arguendo uicia, authoritatibus improbãdo: & disperdas, uicijs & mundo abrenunciari faciendo. Ædifices prędicando, cõsolando, fouendo: & plantes cõfessioné audiendo, & satisfactionem iniungendo. capite 44.

Terrere oportet. Bernhardus: Sic mihi cõtingat semper beare amicos, id est, terrẽdo salubriter, non adulando fallaciter. Epist. 9. Item: At calor, inquirunt, nimius est: quasi nos glacialia corpora habeamus. An corda nobis magis cõgelata sunt, & nemo est qui iuxta Prophetam compatiatur super contritione Ioseph? epist. 255.

Increpare regẽ. Bernhardus: Verùm uos nec uerba pacis recipitis, nec pacta uestra tenetis, nec sanis consilijs acquiescitis: sed nescio quo Dei iudicio omnia uobis ita uertitis in peruersum, ut probra honorem, honorem probra ducatis, tuta timeatis, timenda contẽnatis: & quod olim sancto & glorioso regi Dauid Ioab legitur exprobrasse, diligitis eos qui uos oderũt, & odio habetis qui uos diligere uolunt. epist. 221.

Vicia carpere. Bernhardus: Vicia carpens scio me offendere uitiosos. Potest tamen fieri, uolente Deo, aliquibus quos me timeo exasperasse, potius placiturũ esse, sed si desinant esse uiciosi. Si uidelicet & districtiores desinant esse detractores, & remissiores amputent superfluitates. Si sic quisq; bonum teneat quod tenet, ut alium aliud tenentem non iudicet. Si qui occœpit iam esse bonus, nõ inuideat melioribus: & qui sibi uidetur agere melius, bonũ nõ spernat alterius. In Apologia ad Guilhelmũ abbat. Itẽ: Quæ in uestris laudabilia sunt, laudo & prædico: si quę reprehẽdenda sunt, ut emẽdentur, uobis & meis alijs amicis suadere soleo. Hoc non est detractio, sed attractio. Quod ut nobis à uobis semper fiat, omnino precor & supplico. Ibid.

Recipere pœnitentes. Petrus Blesensis: Memor ergo misericordiæ, quam filio prodigo reuertenti pater Euangelicus legitur impendisse, regressum filij gratanter admittas in uisceribus pietatis. Nam si in hac parte durum & inexorabilem te exhibueris, iusticiam & iudicium & misericordiá in necessitatem non sine tuo fortasse dispendio conuertemus. epist. 44.

Doctrina pugnandum. Rupertus: Isti testes contra quos Antichristus facit uel faciet bellum, non ferro materiali, sed tãtùm uerbo ueritatis pugnare consueuerunt. lib. 6 in Apocal. cap. 11.

Petrus Cantor: Non utitur Dominus potestate, sed Scripturarum authoritate, docens nos magis doctrina pugnare quàm miraculis. cap. 64.

Quomodo disputandũ. Petrus Cantor: Aristotelis nullam quæstionem sibi propositam respondentis, nisi datis inducijs. Vnde & ei cũ proponeretur quæstio difficilis, Theophrastus, iuuenili calore ad hoc imbutus, quæstionem illam se soluturum promisit. In cuius solutione cum deficeret, & multũ erubesceret, ait ei Aristoteles: Opus est tibi freno. Alij uerò discipulo, scilicet Eudemio, qui nimis morosè, & non nisi cum inducijs diutinis sibi soluebat ꝓposita, ait Aristoteles: Tibi opus est calcaribus. Venã tamen ingenij habebat diuitem. cap. 5.

Circumspectè agendum. Petrus Cantor: Cum enim in quæstione mota super terrula, uel alia re parua, tanta adhibeatur solennitas iudicij, tum in testiũ productione, tum in aduocatorum probatione, in induciarũ protelatio-

protelatione & expectatione, in accusatorum prauitate, deinde in sententiæ latione: multò magis in his ubi agitur de cœlestibus, de Sacramētis Ecclesiæ, de consilijs, scilicet dādis uel non dandis, de his etiam in quibus uertitur periculum animarū. cap. 5.

Quomodo gestus regendi. Petrus Cantor: Ad summā totius summæ, tardiloquū, rariloquum, submissa uoce loquentem te esse iubeo. Caput enim mouere, brachia intorquere, digitos extendere, pedes supplodere, totumq; corpus cōcutere, quid aliud est, nisi similitudo insaniæ, & te similem pugili ostendere? cap. 5.

Humiles sint. Bernhardus: Curemus ergo in alto positi, non altū sapere, sed timere, sed humilibus consentire. Epist. 9.

Bonæ uitæ. Bernhardus: Oportet irreprehensibilem esse eum qui præest, ita ut secura conscientia cum Domino respōdeat exprobrātibus sibi uerbum: Quis ex uobis arguet me de peccato? Non quòd sine peccato penitùs esse possit in hac uita: sed quòd ea quæ arguit in discipulis, oportet summoperè uitare magistrum. Serm. de tribus ordinibus Ecclesiæ.

Petrus Cantor ait: Quasi primò habeas fundamentum, uitæ innocentiā, ambulans in lege Domini bene operando. cap. 6. Et: Idē in regula Apostolica præmittit ea quæ ad uitam bonā sunt, ut, Oportet ipsum esse sobrium, castum, & huiusmodi. ultimò id quod ad doctrinam, inquiens, Doctorem: quasi uita bona præcedat doctrinam & prędicationem. Ibid. Item: Prędicaturus itaq; primo omnes defectus suos cū mundo, qui in defectu est, circumeat, & in septimo circuitu, in perfecta circuitione scilicet, corruent uicia mundialium hominū quibus prædicabit. Ibid. cap. 7. Item: Talis debet prædicatio esse, quia talis est sacra Scriptura, ut prędicti mortui in peccatis ad ipsam & per ipsam suscitentur, & ut in ipsa uirtutes operetur, & curet infirmos potius, quàm delectet curiosos. cap. 8. Et: Hæc est, ut uita nostra bona, præcepta eius audibilia faciatis. cap. 44. Item: Notabiliter nota, quòd Hieremias, Iohannes, Helias, Iob, & non nisi accincti lumbos, quidam tunicis pelliceis, quidam corrigijs, quidam asperitate uitæ & maceratione carnis, missi sunt ad prædicandum. Ibid. Et: Ad quod agendum rigida & austera uita decet prędicatorem, non mollis & inermis. Ibid. Item: Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo posuit uos Spiritus sanctus episcopos, Ecclesiam regere Domini, rectè tractantes uerbum ueritatis, rectè docentes proximum, scilicet uerbo & exemplo, & pro competentia singulorum, ut ita baculus pastoralis conuertatur in se, & os turturis retorqueatur ad ascellas. Ibidem. Item: Ministrum enim altaris, & uiuentem de patrimonio crucifixi, nihil carnale, nullus carnalis affectus tangere debet, quo minus testamentum Christi sibi creditum secundum uoluntatem testatoris bene placentem & perfectam dispenset. Ibid. Et: Mundicia autem cordis maximè necessaria est accedentibus ad Sacræ paginæ lectionem. cap. 83. Item: Simplicitas autem maximè decet Theologum, quia sacra Scriptura amica est simplicitati, aperta & simplicia decent bonitatem. cap. 96.

Asiduus sit minister. Rupertus: Prædicatores Euangelij requiem non habebunt die ac nocte, non cessabunt in prosperitate, non silebunt in aduersitate, prædicabunt sanctæ & indiuiduę Trinitatis fidem. lib. 3 Com. in Apocal. cap. 4.

De constantia doctorum inquit Rupertus: Vbi totam Christi familiam persecutor petit, & tanquam in totum ouile lupus aut leo desæuit, ibi pastor non fugere abiectis armis, sed usq; ad mortem stare socius periculi, animamq; suam pro ouibus dare debebit. Vbi uerò solum pastorem latro uel carnifex petit, illic utiliter fugæ præsidium quærit, secundum autoritatem Euangelicam: Cum persecuti uos fuerint in una ciuitate. lib. 1 in Iosue, cap. 11.

Charitate ligentur doctores. Bernhardus. Factum est autem hoc, cum in Ecclesia quosdam quidem dedit apostolos, quosdā autem prophetas, alios uerò euangelistas, alios pastores & doctores ad consummationem sanctorum. Oportet autem ut hos una omnes charitas liget & contemperet in unitatem corporis Christi: quod minimè omnino facere poterit, si ipsa non fuerit ordinata. Nam si suo quisq; feratur impetu secundum spiritum quem accepit, & ad quæque uolet indifferenter prout afficitur, & non rationis iudicio conuolarit, dum sibi assignato officio nemo contentus erit, sed omnes omnia indiscreta administratione pariter attentabunt, nō planè unitas erit, sed magis confusio. Ser. 49 super Cant.

De dignitate. Bernhardus: Magnū prorsus & mirabile est ministrum esse Christi, & mysteriorum Dei esse dispensatorem. ca. 30 de Conuersione ad clericos.

Petrus Cantor ait: Prælatus autem ciuitatis est munita uirtutibus columna, sustentans Ecclesiam, murus est eam tuendo. Ad quem sicut ad ciuitatem refugij confugiendū est subditis: quia gloriosa dicta sunt de te ciuitas Domini. Hæc est ciuitas, scilicet prælatus, quæ non expugnatur. capite 44. Item: Prælatus enim mediator est inter Deum & prædictos, qui pacisci habet

habet & componere pacem inter Dominũ & subditos. Ibidem.

De non relinquendo ministerio inquit Bernhardus: Tene itaq; meo consilio quod tenes, mane in quo es, & stude ꝓdesse quibus praees, nec prӕesse refuge, dum prodesse potes: quia uæ tibi quidem si praees, & non prodes: sed uæ grauius, si quia præesse metuis, prodesse refugis. epistol.86. Item: Aut ergo oportuit te gregem Dominicum minimè seruandum suscipere, aut susceptũ nequaquam relinquere, iuxta illud: Alligatus es uxori, noli quærere solutionem. Ibidem epist.87.

De pontifice ait Bernhardus: Hoc enim agens non implebit solùm pontificis officium, sed & etymologiam nominis, pontẽ utiq; seipsum faciens inter Deum & proximum. Pertingit pons iste usq; ad Deum ea fiducia, qua non suam, sed illius gloriã quęrit. Pertingit usq; ad proximũ illa pietate, qua & ipsi, nõ sibi prodesse desiderat. Offert Deo bonus mediator preces & uota populorum, reportans illis à Deo benedictionẽ & gratiam. Supplicat maiestati pro excessibus delinquentium, uindicat in peccantes iniuriam Dei. Ingratis improperat beneficia pietatis, contemnentibus potentię seueritatem insinuat. Vtrisq; tamen nihilominus placare studet indignantis furorẽ, nunc quidem hominũ obtendens infirmitatem, nunc diuinæ magnitudinẽ pietatis. Deniq; siue excedat Deo, siue sobrius sit nobis: aut Deo semper quantum in ipso est placere gestit, aut præstare nobis: nõ quod sibi omnino utile est quærens, sed quod multis. Fidelis pontifex, qui bona quęlibet per manus suas transeũtia, siue diuina beneficia ad homines, siue hominum uota ad Deũ, columbino intuens oculo, nihil sibi retentat ex omnibus. Nec populi requirit datũ, sed lucrum, nec Dei gloriam usurpat sibi. Acceptum talentum nõ ligat in sudario, sed partitur numularijs: à quibus & usuras recipit, non sibi, sed Domino. epist.42.

De episcopis ait Bernhardus: Blanditur cathedra. Specula est. Inde deniq; superintendis, sonans tibi episcopi nomine nõ dominium, sed officium. Quid ni loceris in eminenti, unde prospectes omnia, qui speculator super omnia constitueris? Enimuerò prospectus iste procinctum parit, non ocium. Quando libet gloriari, ubi ociari non licet? Nec locus est ocio, ubi sedula urget solicitudo omnium Ecclesiarum. libro 2 de Considerat.

Petrus Cluniacensis inquit: Magna inquam, & uerè pręcelsa totaq; cœlestis est dignitas episcopalis officij: nec minus magna & uerè timenda, totaq; terribilis formido episcopalis periculi. Tibi enim, ut bene recolit pastoralis solicitudo tua, per Ezechielem à Domino dicitur: Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Et item: Si nõ annunciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram. Et rursum: Si speculator uiderit gladium uenientem, & non clamauerit, & uenerit gladius, & tulerit aliquem, sanguinem eius de manu speculatoris requiram. Et per Hieremiam: Ecce constitui te hodie super gentes & regna, ut euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. lib. 4. epist.2.

Bernhardus: Fratres, reuereamur episcopos, sed uereamur labores eorum. Si labores pensamus, non affectamus honores. Agnoscamus impares uires nostras, nec delectet molles & fœmineos humeros uirorum supponere sarcinis, nec obseruemus eos, sed honoremus. Ser.12 super Cantica.

De domo episcopi ait Bernhardus: Domum episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas, horũ disciplina custos. Sacerdotes domestici aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sunt. In uultu, in habitu, in incessu illorum qui circa te sunt, nihil residere impudicum, nihil indecens patiaris. Discant à te coepiscopi tui, comatulos pueros & comptos adolescentes secum non habere. lib.4 de Considerat.

Quibus honores cõpetant. Bernhardus: Nam honores & dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas dignè ac secundum Deum administrare & uelint & possint. epist.271.

Obediendum superioribus. Petrus Cantor: Ergo multò magis in membris Ecclesiæ spiritualibus debet hęc unitas obseruari, ne fiat exẽptio & subtractio officij & obediẽtiæ alicuius mẽbri à iurisdictione & à seruitute & regimine minoris, authoritate maioris. ca.34. Item: Ergo nec licita est huiusmodi emancipatio in spiritualibus, etiamsi prælatus deliquerit. Ibidem.

De obedientia erga ministros inquit Petrus Blesensis: Quicquid igitur prælatus tibi iniunxerit, quod animæ saluti non obuenier, sic illud amplecti debes, ut si Deus ipse præciperet. Epist.61.

De stipendio ministri inquit Petrus Cãtor: Si non operatur, nec laborat, nec manducet. Si autem operatur, dignus est cibo suo, sibi debito & necessario, nõ superfluo, non lauticia, uel multitudine ferculorum: suo etiam, id est, suæ personæ, & familiæ sibi necessariæ, pro modulo personæ, & administrationis suæ debitæ. capite 21. Item: Quare autẽ hoc eis præcipiat, subdit, quia omnia necessaria eis debentur ab his quibus

quibus prædicant. cap. 47. Item: Non alligabis uel infrenabis os bouis triturantis, prædicatoris scilicet terram Ecclesiæ uomere prædicationis excolentis, legem Dei ruminantis, in area Ecclesię separatione palearum à granis triturantis: quia tali debetur pabulum. cap. 22. Item: Pecunia datur Ecclesiæ, non pro spiritualibus & absolutione conferenda, sed pro pœna peccati in supplicium. cap. 31.

De fragilitate inquit Rupertus: Pręlatus quisq; meminisse debet & scire, se quoque aut peccasse, aut si non peccauit, eiusdem tamen fragilitatis esse, ut potuerit uel adhuc possit peccare. Atq; de seipso cōmonitus, recogitet infirmarum se suscepisse curam animarum, non super sanas tyrannidem. lib. 12 de Diuinis offic. cap. 9.

De malis ministris inquit Rupertus: Planè diffiteri nequeunt, quin plurimi & mali esse, & tanto munere fungi, Deo permittente, præualeant, qui & Iudæ in nullo dissimiles, pecunias, quarum cupiditate Christo adhærent, sibimet aggregant, & sacros loculos in potestate habentes, Ecclesiæ reditus sacrilego raptu exportant. Quid ergo? Nunquid ignorans, aut iniustè disponens, tales admittit Christus, & Sacramenta sua per eos operatur? Itaq; cum hodie nonnullos admittere cōprobetur, quos malos esse certū est. lib. 7. cap. 7 in Iohan. Item: Quòd si quis officio prædicandi & signa faciendi bonum illum fuisse dicat, concedimus ei: nam & episcopi mali, quantumuis moribus mali sint, quandiu fidem catholicā tenent, officio quod agūt, bonę arbores sunt. Ibidem. Et: Vsq; hodie multos in Ecclesia sua idem Dominus permittit esse præpositos similes Iudæ. Ibidem lib. 10. cap. 12. Item: Hodie multi sunt Iudæ similes, & cur ad ministerium Ecclesiasticū peruenire potuerunt, interrogati certum quid respondere nequeunt. Ibidem. Et: Sacerdotes siue præsules, quamuis interdum pro suis actibus sint obscuri, pro officio tamen lucent, recitando uerbum Dei, & celebrando cœlestia Sacramenta Christi: atq; ita quasi quædam stellæ sunt in signa & tempora. libro 1 in Apocalyp. capite 1. Item: Adulatores sua quærentes, placere uolentes hominibus, adulātes diuitibus, ut ex eis aliquid commodi adipiscantur, non habent potestatem in docendo. libro 7 Commentar. in Matthæum, capite 7. Item: Quilibet Ecclesiæ, Sacramentorum Christi minister, quādiu in communione uniuersitatis manet, quicquid administrat, ratum est: ubi autem à legitimo iudicio denunciatū fuerit, præcisum illum esse uel damnatum, quicquid deinceps operari uidetur, speciem quidem pietatis habere potest, sed uirtutem eius habere non potest. lib. 12. in Matth. cap. 26.

De degeneratione prælatorum ait Bernhardus: Pauci admodum sunt, qui non quę sua sunt quærant, ex omnibus charis eius. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti uarietatibus, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Non'ne si quempiam talium repentè eminus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quàm sponsæ custodem? Vnde uerò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, uestium splendorem, mensarū luxuriem, congeriem uasorum argenteorū & aureorum, nisi de bonis spōsæ? Inde est quòd illa pauper & inops & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, exangui. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare: non est custodire, sed perdere: non est defendere, sed exponere: non est instituere, sed prostituere: non est pascere gregem, sed mactare & deuorare, dicente de illis Domino: Qui deuorant plebem meam, ut cibum panis: & quia comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt. Et in alio Propheta: Peccata populi mei comedent. quasi dicat: Peccatorum precia exigunt, & peccantibus debitam solicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus inuigilet subditorum uacuandis marsupijs, quàm uitijs extirpandis? Vbi qui orando flectat iram, qui prædicet annū placabilem Domino? Leuiora loquimur, grauiora grauius manet iudicium. Super Cātica sermone septuagesimoseptimo. Et: Insolentia clericorum, cuius mater est negligentia episcoporum, ubique terrarum turbat & molestat Ecclesiam. Dant episcopi sanctum canibus, & margaritam porcis, & illi conuersi conculcant eos. Meritò quales fouent, tales & sustinent. Quos ditant ecclesiæ bonis, non corrigunt eorum mala, malosque grauati portant. Alienis nimirum laboribus locupletantur clerici, comedunt fructum terræ absque pecunia, & prodit quasi ex adipe iniquitas eorum. epistol. 152. Item: Pertransijt legatus uester de gēte in gentem, & de regno ad populū alterū, fœda & horrenda uestigia apud nos ubiq; relinquēs. À radice Alpiū & regno Theutonicorum per omnes penè ecclesias Francię & Normānię, & circumquaq; circumiens, usq; Rothomagū uir Apostolicus omnia repleuit, nō Euangelio, sed sacrilegio. Turpia fertur ubiq; cōmisisse, spolia ecclesiarum asportasse, formosulos pueros in Ecclesiasticis honorib. ubi potuit promouisse, ubi nō

potuit

potuit uoluisse. Multi se redemerũt, ne ueniret ad eos. Ad quos peruenire non potuit, exegit & extorsit per nuncios. In scholis, in curijs, in triuijs, fabulam seipsum fecit. Seculares, religiosi omnes, malè loquuntur de eo. Pauperes & monachi & clerici cõqueruntur de eo. Homines quoque suæ professionis ipsi sunt qui magis exhorrent & famam eius & uitam. Epist. 290. Item: Monstrosa res gradus summus, & animus infimus: sedes prima, & uita ima: lingua magniloqua, & manus ociosa: sermo multus, & fructus nullus: uultus grauis, & actus leuis: ingens authoritas, & nutans stabilitas. libro secundo de Considerat. Et: Adhuc adolescentes, adhuc qui infra sacros ordines sunt, in Ecclesia promouentur. Quod ad primum capitulum pertinet, luxus uestium interdictus, sed non restrictus: pœna dictata, sed minimè secuta est. Iam quartus annus est, ex quo mandatum datum audiuimus, & neminem adhuc clericorum priuatum beneficio, neminem episcoporum suspensum ab officio luximus. At luctu amarissimo dignum, quod secutum est. Quid hoc? Impunitas in curiæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix. Ibidem libro tertio. Item: Scholares pueri & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promouentur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris, lætiores interim quòd uirgas euaserint, quàm quòd meruerint principatum: nec tam illis blanditur adeptũ, quàm ademptum magisterium. Et hoc quidem in initio. Processu uerò temporis paulatim insolescentes, docti sunt in breui uendicare altaria, subditorum marsupia uacuare, magistris nimirum in hac disciplina utentes idoneis, ambitione & auaricia. Verùm quantauis industria tua tibi lucra conquirere cautulus uidearis, quantalibet uigilantia rem possis seruare tuam, quantocunq; studio regum tibi ac principum gratiam captare cures: dicimus tamen, Væ terrę, cuius rex est puer, & cuius principes manè comedunt. Nec dicimus quamcunque ętatem Dei gratiæ præmaturam, sicut nec seram: cum multos uideamus iuniorum super senes intelligere, morib. antiquare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætati deest, compensare uirtutibus. Boni pueri, qui quod ætate uidentur, esse student & malitia. Malitia, inquam, sed non sensu: quorum iuxta admonitionem Apostoli, Nemo contemnat adolescentiam. Meliores bonæ indolis adolescentes, inueteratis dierum malorum. Puer centum annorum maledictus est: & est e regione senectus uenerabilis, non diuturna, neq; numero annorum computata. Bonus puer Samuel, qui loquenti Deo promptus aderat auditor, dicens: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. ac si diceret: Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Bonus & Hieremias, qui antè sanctificatus, quàm natus, cùm se excusaret de pueritia, nihilominus constitutus est super gentes & super regna. Bonus quoque Daniel, cuius spiritum suscitauit Dominus, ut conuinceret iniqua iudicia, & sanguinem innoxium liberaret. Denique cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis uita immaculata. Sicubi huiuscemodi puer senex promotus inuenitur, opus Dei est, his qui tales non sunt mirandum, non imitãdum. Cæterùm curritur in clero passim ab omni ætate & ordine à doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis iam quisque uicturus sit, cum ad curas peruenerit. Nec mirum de his qui necdum in semetipsis experti sunt. Videntes quippe illos qui iam proprios humeros cupitæ sarcinæ summiserunt, non solùm non gemere tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari: non deterrentur periculis, qui cupiditate cæcati non uident, sed fauoribus amplius, quos illis inuident, prouocantur. O' infinita semper ambitio, & insatiabilis auaricia. Cum primos honorum gradus meruerint in Ecclesia, meruerint autem uel uitæ merito uel pecuniæ, siue etiam carnis & sanguinis, quæ regnum Dei non possidebunt, prærogatiua: non ideo corda quiescunt, duplici semper æstuantia desiderio, quo utique magis ac magis & dilatentur in plura, & ad celsiora sublimentur. Verbi gratia, cum factus quis fuerit in quacunque ecclesia decanus, præpositus, archidiaconus, aut aliquid huiusmodi: nõ cõtentus uno in una, plures sibi, imò quot quot ualet, cõquirere honores satagit tam in una, quàm in pluribus. Quibus tamen omnibus, si locus euenerit, libenter unius præferet episcopi dignitatem. Sed nunquid sic satiabitur? Factus episcopus, archiepiscopus esse desiderat. Quo fortè adepto, rursum nescio quid altius somnians, laboriosis itineribus, & sumptuosis familiaritatibus Romanum statuit frequentare palatium, quæstuosas sibi quasdam exinde comparans amicitias. Si lucri spiritualis gratia hæc faciunt, laudandus est zelus: sed præsumptio corrigenda. Nonnulli cum ista non possint, uertunt se ad aliud ambiendi genus, in quo nihilominus aperiunt eam quam habent dominandi libidinem. Nam cum præsideant urbibus ualde populosis, & totas, ut ita dicam, patrias propriæ diœ-

cesis ambitu circumcludant, occasione inuenta ex quocunque ueteri priuilegio, satis agunt, ut & uicinas sibi subijciant ciuitates, quatenus duæ, quibus duo uix præsules sufficiebant, sub uno redigantur antistite. Rogo quæ hæc tam odiosa præsumptio, quis hic tantus ardor dominandi super terram, quæ principandi tam effrenis cupiditas? Certè cum primùm tractus es ad cathedram, flebas, refugiebas, uim querebaris, multùm à te & omnino supra te esse dicens: miserum clamitans & indignum, qui non esses idoneus tam sancto ministerio, tantis nō sufficeres curis. Quid igitur nūc uerecunda depulsa formidine, spontè ambis ad ampliora, imò irreuerenti audacia, proprijs non contentus, inuadis aliena? Cur hoc? Fortè ut plures populos salues. Sed in alienam messem tuam mittere falcem iniuriosum est. Vt tuæ prę-stes ecclesiæ? Sed Ecclesiarum sponso non placet tale unius incrementum, quod sit detrimentum alterius. Crudelis ambitio, & incredibilis, si fidem oculi non astruerent. Vix tenent manus quin illud ad literam impleant, quod legitur in Propheta: Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminos suos. Vbi est illa terrifica comminatio: Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis? Nūquid in his duntaxat exiguis uæ istud metuendum est, non autem cum urbes urbibus, aut prouinciæ prouincijs continuantur? Imò etiam respondeant, si uolunt se imitari Dominum Christum, facientes & ipsi utraque unum, adducentes & ipsi ex diuersis pascuis greges, ut fiat unus pastor, & unum ouile. Huius rei gratia non pigritātur crebrò terere limina Apostolorum, inuenturi & ibi, quod magis dolendum est, qui suæ faueant improbæ uoluntati: non quòd ualde Romani curent, quo fine res terminetur: sed quia ualde diligunt munera, sequuntur retributiones. Nudè nuda loquor, nec retego uerenda, sed inuerecunda confuto. Vtinam priuatim & in cameris hæc fierent, utinam soli uiderimus & audierimus, utinam nec loquentibus crederetur, utinam nobis reliquerint moderni Noë, unde à nobis possent aliquatenus operiri. Nunc uerò cernente orbe mundi fabulam, soli tacebimus? Caput meum undique conquassatum est, & ego sanguine circumquaque ebulliente, putauerim esse tegendum? Quicquid apposuero cruentabitur, & maior erit confusio uoluisse celare, cum celari nequiuerit. Epistola quadragesimasecunda.

Petrus Blesensis inquit: Vestri officij est uiuere de Euangelio, sicut constituit Dominus uobis, non incedere pompaticè in uestium cultu, in equorum fastu, in multitudine clientelæ. Epistola trigesima. Item: Veruntamē professio tui ordinis nec seculi curas, nec sæuitiam gladij materialis admittit. Scriptum est: Reges gentium, &c. Sic acceptes ministerium Christi, si iugum Christi non detrectas: permane in ea uocatione in qua uocatus es, dimitte laicis populi principatum. Epistola septuagesimasecunda.

Potho ait: Ecce in hac amaritudine sua amarissima Ecclesia gemit dolens, quia uidet fictę religionis hominibus altaris Christi Sacramenta committi, & eorum usui seruire stipendia Ecclesiarum, quæ utiq; sunt patrimonia pauperum, precia animarum. Ordinis Ecclesiastici dignitates non uitæ meritis, ipsęq; sedes episcopales, abbatiæ, præpositura: sed negocio illi quod perambulat in tenebris, tribuuntur. Præsentis tēporis felicitas, totaq; transeuntis fœlicitatis iocunditas, conspicua in auro & argento, in apparatu armorum, in numero militum, in illecebris conuiuiorum, in frequētia ministrantium, in lautissimis dapibus & preciosis poculis, in equitatus ornatu, in sellis & frenis deauratis, in uenationibus, in canibus & accipitribus, omnisque seculi pompa arridet illi negocio quod perambulat in tenebris. Omnia hæc illis famulantur, quibus uel ficta sanctitas, uel generis nobilitas suffragatur. Propter hæc esse cupiunt episcopi & Ecclesiarum prælati, ut his bonis fruantur, ut delicijs affluant, ut Ecclesiæ Dei magis præsint quàm prosint, ut familiam ecclesiæ subiectam habeant, ut domini rerum sint, ut quanto ecclesiæ sunt ditiores, tanto ipsi fiant clariores. Cum ergo in his regnet ambitio, quomodo doctrinam Christi, uerbo & exemplo in omnibus ornare possunt? Quæ'nam illis inest uirtus ueræ religionis, quorum corda deserit splendor diuinæ illuminationis? Ministri Christi appellantur, dispēsatores mysteriorum Dei existimantur: & tamen Sacramentorum lumen in semetipsis extinguere, indignè uiuendo, non uerentur. Nam in Sacramentis quidem offerendis exterius Deo seruire uidentur, sed interius luce charitatis, quæ est effectiua Sacramentorum uirtus, priuantur. Hinc profectò liquidò monstratur, quomodo isti qui ad altiorem Ecclesiasticæ dignitatis gradum promoti sunt, & qui sanctæ religionis propositum tenent, negotio illi quod perambulat in tenebris, seruiant. li. 3 de Statu domus Dei.

Iohannes Salisberiensis inquit: Nam fe rè sic ab aula contra omnium uota fideliū

ad Ecclesiæ publica officia accesserunt. Apud hos iudicium nihil est nisi publica merces. lib. 5. cap. 16. Et: Hæc quidem sunt iudicia eorum quos curia docuit, immò omnium qui iusticiæ diuitias præferunt, & nihil potius ducunt quàm habere diuitias: quo tamen uix aliquid inutilius est. Nullus istorum exultat, cum Christum uidet in terris, nullus eorum est qui uelit eum cum hominibus conuersari, nullus qui ad bona opera proximorum decantet, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Ibidem. Item: Alius sperans in multitudine diuitiarum, Simone ducente ingreditur, non inueniens ibi qui eum cum pecunia sua iubeat ire in perditionem. Alius in muneribus ad Petrum reformidat accedere: clanculo tamé per impluuium auri, ac si per tegulas Iupiter illabatur in gremium Danaes, sic in sinum Ecclesiæ procus descendit incestus. Alius obsequio quasi muneris ignarus adest, ac si obsequia non cedant in muneris rationem. Profectò nullum maius est munus, quàm cum homo seipsum hominis deuouet seruituti. Alium collisione quadã uocantis liberalitas pręuenit, sed postmodum collatam gratiam suo Giezi plenius compensabit. Alius agit ne ipsum pulsare oporteat, sed ad ingrediendum compellatur inuitus, & quasi obnubilans lucemã Dei, ut eum impunè irrideat fraudulétus. Ibidem libro septimo, capite decimoseptimo. Item: Iam palàm emuntur omnia, nisi modestia uenditoris impediat: adeò enim sacris altaribus auariciæ prophanus imminet ardor, ut hæc omnia quasi parodica quædam præemantur. Ibidem. Et: Nã de moribus ultima fiet mentio, & istis lex canonum nequaquam posita est. Iusticiæ siquidem liberi sunt, & eo ducuntur spiritu, ut necesse non habeant esse sub lege. Statuat ergo lex quod placuit latori. Nam isti priuilegij principalis gaudentes beneficio, quicquid ambiunt sibi competere opinantur. Episcopos ad prima beneficia obligant, & de futura successione pacisci non uerentur. Restat ergo ut tristi pactio repleatur euentu, & illius quisque animetur & armetur in necem, cuius ambit successionem. Ibidem. Item: Vtique & in signis prudentiæ, si quis tot quocunque modo conquirit altaria, ut quasi ritu memphitico quotidianas hostias nouis possit altaribus immolare. Nolũt tamen sacerdotio onerari, aut seruire altario qui de altari uiuunt: ne, ut populus arguit, dicam luxuriantur. Sed personatos quosdam introduxerunt, quorum iure ad alium onera, ad alium referuntur emolumenta: & cum Apostolus dicat, Qui non laborat, non manducet: qui minimum meretur, plus percipit, & in labores alienos ociosus aut flagitiosus ingreditur. Quis ergo dicat in hac emenda licentia, cum non res sacra sit, sed prophana, simoniam posse committi? ibidem. Et: Sed ecce, ad aliquẽ istorum promouendum aut cogitur, aut circumuenitur Ecclesia, ut dicat hosti domestico, Amice ascende superius. Stupidi itaque obstupescunt, nomen dignitatis abhorrent, refugiunt onus: & ut auidius impellantur, more (ut dicitur) arietis, ut fortius feriatre cedẽtis, cum suspirijs, gemitibus & singultibus interrumpentibus simulatas lachrymas retrocedũt. Notum siquidem est, quia sedes hæc trahit & compellit inuitos, & quos notat ambitio, repellit. Nituntur ergo rationibus & authoritatib. docere, quare eos episcopari non deceat. Ibidem capite decimooctauo. Item: Constituunt è regionè quamplurimi nequaquam dissimulantes propositum, sed ambitionis quasi (ut dici solet) insignia præconantes. Prędictorum derident ignauiam, uelut militum qui militiæ suæ titulos non audeant profiteri. Hi licet impuri sint, & nec uitam suam uelint erigere, nec sciant instruere alienam, immundis (ut dicitur) pedibus cẽrtatim irrumpunt in sancta sanctorum, panes Dominicæ propositionis, & carnes agni immaculati, assas igne passionis in cruce, non modò illotis, sed pollutis, si liceat, manibus tractaturi. Hi sunt, qui licet primo adyto ac ianuis habeantur indigni, continuò tamen tendunt ad sacerdotium, festinant ad tribunal, & repulsis cæteris, sic sacris altaribus incubant, ut iam non ad formam & exemplum præbendum plebi ordo ille uideatur institutus, sed esse occasio quædam in abundantia & securitate uiuendi: nec putatur officium districto iudicio Dei obnoxium, sed secura quædam & nusquam discutienda administratio. Ibidem cap. decimonono. Item: Priuilegio siquidem Apostolico, aut regio præcepto, plurimi tuti sunt, ne iudicibus suis obtemperent, ne iusticiam faciant, ne legi Dei subditi sint. Ibidem. Et: Dico ergo quod indubitáter credo: quoniã hi qui efferente superbia huiusmodi emancipationes quærunt, à ceruice sua iugum Christi & patris eius, si fieri posset, excuterent. Plus dico, immò & quantum in ipsis est excutiunt, & diuinæ ordinationi fallaciter contradicunt. Ibidem. Et: Vnde religioni & doctrinæ Christianæ graue obprobrium nascitur, quòd sacerdotia, uel ministeria, ambitione potius & ad gratiam, quàm meritorum iudicio deferuntur. Ibidem.

Ibidem. Item:Hi sunt qui crebris muneribus uisitant potestates,laterales & familiares eorum solicitant, Ecclesiarum primis se commendant, applaudunt omnibus: & etiam magnarum domorum non modò officiales,sed citustiones rogant, ut cum locum uiderint, meminerint sui. Hi sunt amici omnium, & qui non se, sed amicos in se desiderant promoueri. Hi sunt qui uitam scrutantur alienam, negligunt suam,infulatorum annos dinumerant,canis lætãtur,physicos & genethliacos de fatis præsidentium consulunt,librant humores,& quasi in statera appendunt elementa uiuentiũ,& quos diutius superesse conspexerint, ætatem Nestoris debent excedere, aut corui aut cornicis implere mensuram. Debiles ætate uel morbo concutiunt, etiam sinceros criminibus incrustãt simulatis, & quasi hęredipetæ uacillantium cathedris insidiantur:turpiq; interueniente cõmercio, occupatarum sediũ spe illicitas impetrant sessiones. Hi sunt qui de se coadiuuandis & promouendis nefarias obligationes interponunt:& tandem cum ad rem uentum est, immemores fidei contra fidem datæ seipsos ambitionis & inuidiæ stimulis impediunt & repellunt. Ibid. Item:Omnia quæ libertatem impugnant,quæ decretorum statuta conuellunt, & quæ religioni contraria sunt,tota libertate spiritus detestatur. Simonem, ut simplices & credulos circumueniat,miraberis redijsse. Simulat & dissimulat,& astutam gerit sub pectore uulpem. Stoico quouis liberior est,Catone rigidior. Est interdum quoq; simplicior Paulo,doctore gẽtiũ solicitior,feruentior Petro, & ei uiuere Christus est, & mori lucrum: nec gloriatur in aliquo nisi in cruce Christi,quam iugiter portat in corpore, ut spiritus saluus sit: dissolui duntaxat cupiens, & esse cum Christo. Mortificat ergo carnem cum uitiis & cõcupiscentijs, & non sicut cæteri hominum cum hominibus degens, uitam agit angelicam, & in cœlestibus conuersatur. Ieiunant hi continuè,sine intermissione orant,clarè tamen,ut audiat hospes: asperis & sordidis uestibus induũtur, & populum increpant. Arguunt clerum,de moribus corrigendis solicitant principatus & potestates: testimonium sibi acquirentes iusticiæ, si uitæ detrahant alienæ. Vt uerò fraus sub honestatis specie cõualescat,laudabilium uirorum collegia expetunt, arduas subeunt professiones,ostentant difficilia,& familiarius sibi propitij, possibilia & quæ humaniora sunt exequũtur. Se ergo Basilij,Benedicti, Augustini, aut si hoc parum est, Apostolorum & Prophetarum fatentur successores:uestes Carthusiensiũ, Cistercensium, Cluniacensium induunt, & qui dignantur esse canonici, gloriantur in laneis tunicis & pellibus agninis. Veniunt enim in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces:sed, ut ait Dominus,euidentissimè cognoscuntur à fructibus suis. Ibid.cap. 21. Et:Inde est quòd faciei pallorem ostentant, profunda ab usu trahunt suspiria,artificiosis & obsequẽtibus lachrymis subitò inundantur: obstipo capite,luminibus interclusis,coma breui,capite ferè raso, uoce demissa, labijs ab oratione mobilibus,incessu tranquillo, & quasi gressu quadam proportione composito,pannosi,obliti,sordes uestium & affectatam uendicant uilitatem:ut eo facilius ascendant, quo se studiosius uidentur in locum nouissimum deiecisse:& qui spontè sua decrescunt, crescere compellantur inuiti. Ibidem. Et:Hi sunt,si quid maculæ inhæsit Ecclesiæ dum peregrinatur,publicis aspectibus detegunt, ut ipsi ab omni macula uideantur immunes:hi sunt qui beneficia, quæ necdũ sanctis collata sunt, prædicant auferenda: hi sunt qui potestatibus suadent, ut propter uitia personarũ iure suo priuentur ecclesiæ. Decimationes & primitias ecclesiæ subtrahunt,& ecclesias ipsas accipiunt de manu laicorum, episcopis incõsultis. Hi sunt qui prædia auita subtrahentes indigenis,uicos & pagos redigunt in solitudinem,& in suos usus uicina quæq; conuertunt. Ecclesias diruunt, aut in usus reuocant seculares. Quæ domus orationis fuerat, aut efficitur stabulũ pecorum, aut opilionis, aut lanificij officina. Et quidem maiora impunè faciunt, & quasi cornibus geminæ potestatis Ecclesiam,in cuius sinu quiescunt & proteguntur umbra, uentilare non cessant. Ad ecclesiam namq; Romanam confugiunt, quæ pietatis mater religioni cõsueuit prouidere quietem. Implorãt opem eius,protectionis impetrant clypeum,ne cuiusquã possint malignitate uexari:& ut se possint plenius exhibere, & charitatis implere munus, ne decimas dent,Apostolico priuilegio muniuntur. Procedunt ulterius, & quo sibi plura impunè liceãt,à iurisdictione omnium ecclesiarum seipsos eximunt, & efficiuntur Romanæ ecclesiæ filij speciales,ita tamen ut pro foro rei ubiq; conueniant:sed tamen cõuenire non possunt nisi Romæ uel Hierosolymis. Deinde secularium potestatum implorant auxilium, & eis diuinam gratiam pollicentur,fiuntq; mediatores inter Deũ & homines: & eos qui uenia indigent, suis aggregant societatibus:confessiones excipiunt,& claues Ec

clesiæ usurpantes, aut surripientes Petro, ligare præsumunt & soluere, & Domino prohibente falcem mittunt in messem alienam. Ibidem. Item: Ecce enim, quia hi omnes priuilegiati quę sua sunt quęrũt: & IESVS, qui prædicatur in publico, aut omnino abest, aut in abditis latet. Ibidem. Et: Sicut enim præputium nihil est, & circumcisio nihil est, sed & obseruatio mandatorum Dei: sic, ut religiosorum pace dicam, monachatus nihil est, & canonicatus nihil, mandatorum obseruatione deducta. Ibidem capite uigesimotertio. Item: Sed nescio quo pacto res in contrarium uersa est, ut cum omnes ferè desiderent episcopari, cum quod appetunt adepti fuerint, ocio marcent, aut quod turpius est, in uanitatis operibus occupantur. lib. 8. cap. 17. Et: Quis ergo credat, quòd patres Ecclesiæ, iudices orbis, & ut dicam, clarissima lumina mundi diligant munera, sequãtur retributiones, prouincias cõcutiant, ut excutiãt: loculos exinaniãt alienos, ut suos solident: uerbis prædicẽt paupertatẽ, & criminibus ad diuitias properent: bonorum spiritualium damnent commercia, ut cum eis duntaxat in talibus contrahere liceat: id agentes ut omnibus sint terrori, amentur à nullo: quietem doceant, ut faciant rixas: humilitatem indicent & simulent, ut uendicent fastum: alienam pulsantes, & suam fouentes auariciam: dictantes largitatem, tenacitati insistentes: & ut paucis huius loci anfractus & uolumina spaciosa complectar, cum sceleratis & flagitiosis omnibus ponentes portionem, aut flagitia uendicantes in solidum, ut uideantur concilium uanitatis, iniqua gentium synagoga, ecclesia malignantium, in quorum manibus iniquitates sunt, & dextera eorum repleta est muneribus. Ibid.

Non taxare. Petrus Cantor: Nec tantùm lancea & gladius doctrinæ, sed & sibilus hodie deest bobus Ecclesiæ. Quod etsi aliqui habuerint, timent eis uti, facti canes muti, non audentes latrare uel mutire coram principibus, ne sarcinas inutiles amittant. cap. 43. Item: Stateram autem iniustam habent pessimi ponderatores & æstimatores peccatorum: quod ex eo accidit, quòd ignorant sacram Scripturam, uel eius rigorem leniunt, habentes stateram & stateram, cùm quibusdam crimina exaggerent & exaggrauent, alijs leuigent & demulceant. cap. 66.

Ignorantia. Petrus Cantor: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, per scientiam uel ignorantiam crassam, quæ æquipollet errori: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarũ in dulcedinem, & dulce in amarum. capite 66.

De uerbositate inquit Bernhardus: Cuius uicij sunt octo species. Est enim uerbũ stultum, uanum, mendax, ociosum, dolosum, maledicum, impudicum, excusatorium. Quę nimirum pestis de loquacitate nascitur, & per silentij censuram aut euertitur funditus, aut certè ne multum noceat, reprimitur. Sermone duodecimo Paruor. serm.

Petrus Cantor ait: Et nos ergo declinãtes ampullosa uerba, & potius officiosa quàm utilia, ut pauperes & exules humilia sectemur. cap. 8.

Temporalia pro spiritualibus non quęrenda. Petrus Cantor: Latro autem est qui pro spiritualibus in Ecclesia sectatur lucra temporalia. cap. 23.

De hæreticis inquit Lombardus: De intelligentia enim hæresis, non de scriptura est: & sensus, nõ sermo, fit crimen. lib. quarto, distinct. 13. Item: Augustinus definiens quid sit hæreticus, ait: Hæreticus est qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac nouas opiniones gignit uel sequitur. Ibidem.

De beneficijs. Bernhardus: Nam nec cuiquam uel adulto plures in pluribus Ecclesijs habere licet, nisi dispensatoriè quidem ob magnam uel Ecclesiæ necessitatẽ, uel personarum utilitatem. epist. 271.

De fine ministerij Rupertus docet: Per ministerium Christus, qui est incarnatum uerbum patris, præsens agnoscitur. lib. primo, capite primo in Euangel. Iohan. Item: Per ministerium homines renascuntur secundum nouum Adam, per quem & uerũ patrem Deum contingunt. Ibid. Et: Homines renascentes ex aqua & Spiritu per uestrum ministerium, nascentur per Christum nouum Adam, per quem Deum patrem contingent, à quo missus est. lib. 11. capite 13 in Iohan. Et: Ad quid suos in uniuersum mundum mittit filius prædicatores, nisi ad hoc, ut inimicos Deo reconcilient homines? sicut Apostolus ait Corinthijs: Dedit nobis ministerium reconciliationis. Ibidem libro decimoquarto, capite uigesimo.

De effectu ministerij inquit Bernhardus: Potest namq; prædicator monita salutis auribus circumstantium insonare, sed nemo nisi solus Deus ualet saporem charitatis palato cordis infundere. Vnde Gregorius: Nisi sit intus Spiritus qui doceat, doctoris lingua exterius in uacuum laborat. Sermone sexagesimoquinto Paruorum serm.

De

De discrimine potestatis Ecclesiasticę & politicę ait Rupertus: Non alicui uiro spiritualis propositi conceditur euaginare gladiũ, aut publicam exercere potestatem. libro 9. cap. 11 in Matth.

PHRASES DE MInisterio.

Rupertus: Ex Deo loqui, est sic loqui, quemodo Spiritus ueritatis suggerit, non de corde proprio quicquam confingere, sed sicut corde sentitur, ita & ore ueritatẽ proferre. lib. 7. cap. 7 in Iohan. Item: Aliud est simpliciter & absolutè uenisse, aliud in nomine Domini uenisse: unde Prophetæ & sacerdotes sancti non tantùm uenisse, sed in nomine Domini uenisse, uel in nomine Domini locuti esse dicendi sunt. lib. 9. cap. 10 in Ioh.

DE REGNO Christi.

Rupertus inquit: Quid est regnũ Dei, nisi uerbum Dei? per quod facta sunt omnia, per ipsum uerbum reguntur omnia: atq; in hoc seruire, utiq; regnare est. li. 6 Com. in Matt. cap. 6.

Bernhardus ait: Sublimis in regno, sed suauis in cruce. Ser. 62.

Petrus Cluniacensis inquit: Sed quia regnum Dei, ad quod te inuito, nõ est in sermone, sed in uirtute, uirtus tibi diuina est inuocanda, uirtus animi exerenda: ut quęlibet tibi ad salutem obstantia forti annisu animi exuperes, & non per latam & spaciosam uiam, quę ducit ad mortem, sed per angustam, quę ducit ad uitam, tibi esse gradiendum agnoscas. Quæ arcta incipienti, paulatim proficienti dilatabitur: ut timori amore succedente, quod modò fortè desperas fieri posse, te magis animo quàm uoce cantantem audiam: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Viriliter ergo age, & confortetur cor tuũ, nec mollescat oblectatione rerum citò perriturarum, cui promittitur omnimoda iucunditas æternorum. libro tertio, epistola decima.

Petrus Blesensis ait: Regnum Dei tantũ est, quantum ex affectu compassionis pauperibus eius exhibes. Eius pauper Christi uicarius est, & sicut se in eo Deus contemni erubescit, ita se in eo recipi delectatur, quando inquit: Quod uni eorum fecistis, mihi fecistis. epistola trigesimaquinta.

DE LIBERTATE Christiana.

De libertate inquit Petrus Alphonsus: Postquam Christus uenit, & per baptismum credentium corpora mundificauit, & Spiritus sancti plenitudinem infudit, iam carne aliqua nec sordidari corpus hominis, nec hebetari potuit. tit. 12. Item: Carne igitur omni, munda sit, uel immunda, iam quilibet prout sibi placet sine ulla transgressione potest uesci. Ibidem.

Bernhardus inquit: Nimirum hæc est libertas, qua Christus nos liberauit, ut nulla penitùs creatura auellere nos, aut uim facere possit. Soli id deserere possumus ꝓpria uoluntate abstracti, & illecti à propria concupiscentia. Pręter hanc enim nihil est quod timeamus. Denique donec uoluntatis usum & facultatem deliberandi renatus quisque recipiat, à charitate Dei separari omnino non potest. Securus interim degit sub protectione & aduocatione Domini Dei sui, non est quod uereatur ex omnibus. At ubi sanè discretionis an nos ingrediens redditur sibi, cæterorum utique uiolentiam nec tunc quidem formidare necesse est: sed ab ea quæ dormit in sinu caueat, propria scilicet uoluntate. Erit fortè peccatum in foribus, sed appetitus eius sub eo est, tãtùm ipse aperire renuat, consentire recuset. Serm. 1 de duplici baptismo.

De usu carnium inquit Petrus Alphonsus: Vt autem Christus uenit, & per baptisma credentium corpora mundificauit, & Spiritus sancti plenitudinem infudit, iam carne aliqua nec sordidari corpus hominis, nec hebetari potuit. Et hoc testantur doctores uestri, qui dixerunt, post aduentum Christi de incomestibili in comestibilem debebat conuerti. Hæc autem ratio de omnibus immundicijs potest dari. Sed & carnium absolutionem protestatur Moyses esse futuram post aduentum Christi, loquens ad populum Israel uerba huiusmodi: Quando dilatauerit Dominus Deus terminos tuos, sicut locutus est tibi, & uolueris uesci carnibus quas desiderat anima tua, locus autem quem elegerit Dominus Deus tuus, ut sit nomen eius ibi, procul fuerit, occides de armentis & pecoribus quæ habueris, sicut præcepit tibi, & comedes in oppidis tuis, ut tibi placet. Sicut comeditur caprea & ceruus, ita uesceris eis: & mundus & immũdus in commune uescentur. Ante aduentum quippe Christi termini Israel fuerunt angusti, quia nec totam etiam terram habuerunt, quam eis per Moysen Dominus promisit. Dilatauit autem Dominus terminos Israel post aduentum Christi, quando legem per totum mundum prædi-

cauerunt Apostoli. Sed & locus quem Dominus elegerat, ut esset nomen eius ibi, iam procul est: quia destructum est antiquum illud templum Domini. Carne igitur omni, munda sit, uel immunda, iam quilibet prout sibi placet sine ulla transgreßione potest uesci. In Dialogo, titulo duodecimo.

De imaginibus ita inquit Petrus Alphonsus: Neque enim idola fabricamus, nec adoramus: imò crucem facimus, & ei imaginem hominis sumperimponimus, & per crucem quidem altare, per imaginem sacrificium quod super altare est, designamus. Sicut autem super altare animalia sacrificabant, ita & super crucem immolatus fuit Dei agnus: & sicut de lapidum reliquijs, quibus altare construebant, cura nulla erat quid fieret: ita & de reliquijs crucis uel suprà impositæ imaginis quid fiat non curamus. Sicut etiam Salomon & alij ante altare procidentes, nequaquam illud, imò solum Deum adorabant: ita & nos ante crucem genua flectentes, nequaquam crucem illam aut imaginem superpositam, imò Deum patrem & filium suum IESVM Christum adoramus. titulo duodecimo in Dialogo.

DE CRVCE.

QVòd Ecclesia subiecta sit cruci, docet Rupertus: Christus pressuras prænunciat electis & dilectis suis, quas in mundo reprobo & odibili sint habituri. Præposita namque uelut in fundamento dilectionis firmitas pondus pressurarum portat, ita ut euntes à conspectu concilij gaudere poßint, quòd digni habeantur pro nomine IESV contumeliam pati. libro duodecimo Comment. in Iohanné, cap. 15.

Bernhardus ait: Quid autem est manducare eius carnem, & bibere sanguinem, nisi communicare paßionib. eius, & eam conuersationem imitari quam gesßit in carne? Vnde & hoc designat illibatum illud altaris Sacramentum, ubi Dominicum corpus accipimus: ut sicut uidetur illa panis forma in nos intrare, sic nouerimus per eam quam in terris habuit conuersationem, ipsum intrare in nos, ad habitandum per fidem in cordibus nostris. Cum enim iusticia ingreditur, ille ingreditur, qui factus est nobis à Deo patre iusticia. Sed qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Sermone tertio de tertio uersu Psalmi, Qui habitat, &c. Et: Plenus est mundus spinis. In terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt. Versari in his, & minimè lædi, diuinæ potentiæ est, non uirtutis tuæ. Sed confidite, inquit, quia ego uici mundum. Etsi igitur undiq; tibi intendi prospicias tribulationum tanquam tribulorum aculeos, non turbetur cor tuum, neque formidet: sciens quia tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Ser. 48 super Cant. Et: Persecutio quoq; & temporalis omnis aduersitas pro loco & tempore prudenter aliquando fugienda erit: cum tamen necesse fuerit, uiriliter toleranda. Ser. 3 Dom. in ramis Palmar. Et: Septimum peccatum factum est extra paradisum, quando Cain consurrexit aduersus Abel fratrem suum, & interfecit eum. Ex eo iam tempore inueteratum est, ut mali insurgant in bonos, & opprimant eos. Huius peccati remedium est illud, Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur. Quòd si ab infestatione cessare noluerint iniqui, patienter tolerent eos iusti, audientes consolationem quæ sequitur, & dicit: Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Ser. 27 Par. ser.

Potho ait: Hæc domus dum adhuc consistit in corpore quod corrumpitur, & terrena habitatione deprimitur, ab inimicis pacis & concordiæ foris & intus impugnatur. Sicut enim in habitaculo corporis nostri duo sunt, caro uidelicet & spiritus, quę sibi inuicem aduersantur: sic & in exteriore domo, quæ interiorem domum mentis imaginatur, filius ancillæ cum filio liberæ contendit. Persequitur namque is qui secundum carnem natus est, eum qui secundum spiritum. libro primo de Statu domus Dei. Item: Pax enim mundi cum domo Dei perpetuum gerit bellum. Ergo pax mundi nostrum bellum. Ibidem.

Gladius. Rupertus: Gladius magnus magna & longa persecutio intelligitur: quem persecutionis gladiũ eques ille malignus à Christo usq; ad nouisßimos electos eius, tanquam à capite magni corporis usq; ad pedes eius, ducere permittitur. lib. 4. cap. 6 in Apocal.

De diabolicis afflictionibus inquit Honorius: Dæmones affligunt Ecclesiam malis suggestionibus, pagani persecutionibus, hæretici prauis dogmatibus, falsi fratres peruersis moribus. in Psal. 16.

Vnde sit. Rupertus: Verisßimè his qui persecutionem patiuntur per iusticiam, maximè opus est spiritu pietatis, ut sint in paßionibus pij, in opprobrijs uel exprobrationibus mansueti, non redden-

tes malum pro malo, uel maledictum pro maledicto, sed contrario benedicentes: imò & interea suis reficiantur lachrymis, uitam suspirantes æternam, cuius spe patiuntur, ob cuius dilationem lachrymantur. libro secundo in Apocalyps. capite 2.

Bernhardus inquit: Heu, heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui uidentur in Ecclesia tua primatum obtinere, gerere principatum. Sermone primo de conuersione Pauli. Item: Vnde enim tribulatio, nisi dum resistitur contaminationi, concupiscentiæ repugnatur? Quid uerò in homine purum ab hac macula, immune ab hoc contagio poterit inueniri? Ab intus manat, de corde exit pestiferum uirus, ac deinceps corpus occupat uniuersum, mentem desiderijs afficit, membra illecebris inficit. Inde pruritus aurium, oculorum petulantia, inde olfaciendi uoluptas, inde in faucibus tam inordinata delectatio, inde in uniuerso corpore molliciei sensus, & libido perniciosa tangendi, inde intus in anima ebrietas illa desideriorum, & fornax quædam ambitionis, auaritiæ, inuidiæ, contumatiæ, nequitiæ, & omnium denique uitiorum affectibus uehementer accensa. Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus habere uidetur, tot patitur tribulationes, tot sustinet tentationes uir iustus. Et quemadmodum ambulans quis in carne, sensuum uoluptate delectatur, & delicias computat esse sub sentibus: sic & omnis qui in spiritu seminare desiderat, spinas & tribulos, quos propria terra ex maledicto utique germinat, potius eradicare quàm propagare contendit: quippe qui conuertitur in ærumna sua, quoties configitur spina. Huic ergo tam multifariæ pesti per singula quæque resistere, quàm multiplex tribulatio? A planta pedis usque ad uerticem non est sanitas in me, totum infecit concupiscentia, lex peccati in membris omnibus inuenitur, undique per fenestras mors intrare contendit, & intus fomes totius nequitiæ periculosius sæuit, crudelius malignatur. Minimè tamen in hac multiplici lucta deficiendum, aut desperatione cedendum est. Licet enim abundent tribulationes pro Christo, sed abundant & consolationes per ipsum. Denique audi consolationem: Peccatum in foribus est, nisi ipse aperias, non intrabit. Appetitus in corde prurit, sed sub te est: nisi spontè cesseris, nihil nocebit. Audi consolationem: consensum cohibe, ne præualeant hæc, & immaculatus eris, ut sine macula ingrediaris & ipse ad habitandum in tabernaculo, & requiescendum in monte sancto Domini Dei tui. Si tui non fuerint dominati, tunc immaculatus eris, & emundaberis à delicto maximo. Maximum planè delictum, quod interiorem & exteriorem hominem occupat uniuersum. Sermone de sex tribulationib. Et: Quadriformis est pressura nostra. Corruptibilis carnis angustiæ, quæ sunt dolores mortis. Temporalium pressurarū molestiæ, quæ sunt torrentes iniquitatis. Occulti hostis latentes insidiæ, quæ sunt dolores inferni. Deceptoriæ facies mūdanæ gloriæ, quæ sunt laquei mortis. Sentēt.

Petrus Blesensis ait: Quia fortitudinem mentis emolliunt & subuertunt tentationes occultæ. Anima uerò à fundamento uirtutis auulsa corruit in peccatum. Apponens iniquitates iniquitati multiplicat oppresiones per angelos malos, & sic de arce deposita tanquam de loco eminentiore confligendo insurgens, de misero & decepto triumphū reportat ignobilem. Sic per illecebras huius uitæ miseri elongantur à Deo, dicentes anathema IESVM: & tandem conuersos in arcum prauum & reprobum sensum datos mala concipiunt in interitu. Scitis quia uita hominis militia hominis est, & tentatio super terram. Sunt tentationum quædam super nos, quædam infra nos, quædam iuxta, quædam extra, quædam intra, & omnes contra nos. Cautè ergo ambulandum, quia mundus plenus est laqueis, plenus insidijs, plenus periculis, atque scandalis ineuitabilibus, & mortibus infinitis. epist. 60.

Causæ. Rupertus: Potest esse ut in persecutione Christiani nominis non tam ipse Christus, quàm aliud quid in intentione uel conscientia repositum sit. Sciat unusquisque cuius causa malum illud sit, uel quæ sibi causa sit patiendi, propter quod patiatur homo, qui Christianus dicitur, & inundantibus fluctuet aduersis. libro 1. capite 1 in Ionam proph. Et: Beata illa conscientia, in qua testimonium habet quis, quòd patiatur ut Christianus, quòd patiendi uel passionis causa sit ei Christus. Ibidem.

Lombardus: Quinque enim modis flagella contingunt, uel ut iustis per patientiam merita augeantur, ut Iob: uel ad custodiam uirtutum, ne superbia tentet, ut Paulo: uel ad corrigenda peccata, ut Mariæ lepra: uel ad gloriam Dei, ut de cæco nato: uel

uel ad initium pœnæ, ut Herodi. libro 4. distinct.15.

De hostibus inquit Bernhardus: Multos quidem habetis hostes: carnem, qua nullus potest esse uicinior hostis: præsens seculum nequam, quod undique circumfusum est uobis: principes tenebrarũ, qui uiam uestram obsident, in aëre collocati. Attamen nolite timere, cras egrediemini, id est, in proximo. Cras enim in proximo est. Sermone 2 in uigil. natal. Domini. Item: Nunc uerò tribus malignissimis & ualidissimis uentis expositi sumus, carni, diabolo, & mundo, qui conscientiam illuminatam moliuntur extinguere, insufflantes in cordibus nostris desideria mala, motus illicitos, & ita te repentè turbantes, ut uix prænoscere ualeas, unde uenias, aut quò uadas. Ex quibus etsi duo sæpius intermittunt, à tertio tamen nemo unquam sufflandi inducias extorsit. Ideo utrisque manibus, & cordis & corporis, anima est tegenda, ne fortè quæ iam illuminata fuerat, extinguatur: nec cedendum uel recedendum, etiamsi grauis tentationum feruor utriusque hominis statum uehementer afflixerit: sed dicendum cum sancto, Anima mea in manibus meis semper. Eligamus potius ardere, quàm cedere. Et sicut quod in manibus nostris tenemus, non facilè obliuiscimur: sic nunquam obliuiscamur negocium animarum nostrarum, & illa cura principaliter uigeat in cordibus nostris. Ibidem sermone tertio. Et: Puellæ quæ euertunt sensum nostrum, tres sunt. Teneritudo carnis nostræ, quæ est Dalila, quæ Samsoni eruit oculos. Amœnitas mundialis gloriæ, quæ est Hiezabel, & Naboth occidit. Diffidentia futuræ uitæ, quæ est filia Herodiadis, & aufert caput Prophetæ. Sententiæ.

Etiam sanctos affligi. Bernhardus: Sicut amatores mundi multa patiuntur aduersa, sic nec ipsis seruis Dei omnia in mundo optata succedunt. Serm. 2 Dom. in ramis Palmarum.

Prosperitate multos euerti. Bernhardus: Licet enim multos frangat aduersitas, tamen multò plures extollit prosperitas: sicut scriptum est, Cadent à latere tuo mille, sinistro scilicet, per q̃d signatur aduersitas: & decem milia, id est multò plures à dextris tuis, in quib. prosperitas designatur. Denique quia utrobique periculum est, orat Sapiens, & dicit, Diuitias & paupertates ne dederis mihi: ne fortè aut diuitiæ extollerent in superbiam, aut paupertas deijceret in impatientiam. Serm. 2 de ramis Palmarum.

Quomodo Deus uisitet. Bernhardus: Modis quatuor uisitat nos Deus. Exhibitione præcepti. Præceptum enim aliud carnale, aliud spirituale. Asperitate flagelli, cuiusmodi sunt quinque causæ. Vt ab iniquitate corrigat, ne quis de collata uirtute superbiat, ut uirtus hominibus innotescat, ut alios eius exemplo compescat, ut corona cumuletur & crescat. Nouitate miraculi, quod uisibile est & inuisibile. Inspiratione subtili. Sent.

De domestica cruce inquit Petrus Blesensis: Nulla pestis est ad nocendum efficacior, quàm familiaris & domesticus inimicus. Hic est ignis in gremio, serpens in sinu. Hæc est uxor hominis litigiosa, pessima nostra caro. Quæ licet sit uexata doloribus, repleta illusionibus, infecta sordibus, afflicta infirmitatibus, obuoluta passionibus, flagellis icta, plagis cæsa, morti denique deputata, cum aculeis contradictionum adhuc hispida, rebellis, superba, querula, contumax, inquieta: in suum & animæ coniurat exitium, nec posse sibi satisfieri putat, donec se ac animam præcipitet in æternæ damnationis abyssum. Epistol. 9.

De timore in cruce ait Bernhardus: Quia ergo timor ipse tentatio est, congruè dictum est ei qui circumdatur scuto Domini, quòd à tentatione hac non timebit. Sermone sexto de Psalmo, Qui habitat.

Quomodo ferenda crux. Bernhardus: Væ inquam semel, & uæ iterum portantibus crucem Christi, & non sequentibus Christum: qui nimirum cuius passionibus participantur, humilitatem sectari negligunt. Duplici quippe contritione conteruntur, qui huiusmodi sunt, quando & hic pro temporali gloria temporaliter se affligunt, & in futuro pro interna superbia ad æterna supplicia pertrahuntur. Laborant cum Christo, sed cum Christo non regnant. Sequuntur Christũ in paupertate sua, sed in gloria non sequuntur. De torrente in uia bibunt, sed non exaltabunt caput in patria. Lugent nunc, sed tunc non consolabuntur. Et meritò. Quid enim facit superbia sub pannis humilitatis IESV? Nunquid non habet quo se palliet humana malicia, nisi unde inuoluta est infantia Saluatoris? Et quo modo intra præsepium Domini simulatrix arrogantia se coarctat, & pro uagitibus innocentiæ, malum inibi detractionis immurmurat? In Apologia ad Guilhel. abbatem.

Atten-

Attendendum. Bernhardus:Singulare periculum singularem exigit operam. epistola 257.

Orandum in cruce. Rupertus: Saucius animus dolorem suum acerrimum non ferens,suspirium de profundo suscitat, uocemq; altius in cœlum subleuat ad eũ qui solus laborem & dolorem considerat. Acerbius namq; fertur uulnus, quod à fratre(unde consolatio contra cęteros sperari debuerat)infligitur.Sic Iacob,quando illum in persona sua persequebatur germanus suus Edom.Sic Ioseph , quando à fratribus suis uenditus est.Sic sancti Prophetæ & Apostoli,quando à contribulibus suis Iudæis persecutionẽ passi & occisi sunt. Sic Christiani catholici, quãdo ab hæreticis,falsis utiq; fratribus, tribulantur amarius,atque acerbius patiuntur,quàm cum ab exteris gentibus, cum quibus nullam generis aut professionis habent communionem,infestantur.libro 1. cap.1 in Abdiam prophet.

Bernhardus ait: Quoties ergo grauissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio uehemẽs imminere, inuoca custodem tuum,ductorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus,in tribulatione. Inclama eum,& dic: Domine salua nos, perimus.Non dormit,neque dormitat: etsi ad tempus quandoque dissimulet, ne fortè periculosius ab illius te manibus ipse pręcipites, si te eis ignoraueris sustentatum. Spirituales enim sunt manus istæ,& auxilia utique spiritualia, quæ singulis electorum pro cuiusque discriminis modo, & obiectæ difficultatis tanquam lapideæ molis quantitate,ab his qui sibi deputati sunt angelis spiritualiter & multipliciter exhibentur.Ser.12 de Psal.Qui habitat.

Quò fugiendum in cruce.Bernhardus: Cum ergo tentationis impetum sentimus in cogitatione,statim fugiamus ad ipsum, & humiliter postulemus auxilium. Quòd si fortè præoccupauerit nos (ut aliquando) cum tardius quàm oporteat ad eum confugimus , soliciti simus, ut suscipiat nos manus Domini.Sermon.2 de Psalmo, Qui habitat.

Petrus Blesensis ait:Sacram scripturam tibi posuit Dominus in omni tentatione solatium.epist.112.

Cruci quæ opponenda. Bernhardus : Triforme est exercitium electorum. Austeritas ieiuniorum, qua excolitur terra carnis, ut fructum ferat. Assiduitas lectionum, qua reficitur animus, ut homo interior pinguescat. Instantia orationum, qua mens ad cœlestium appetitum assurgat.Sententiæ.

Quibus non noceat. Bernhardus: Fidelis extat sententia, irrefragabili ueritate subnixa, quia nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Sed parum est nocere: etiam proderit, & copiosius proderit: dummodo sit iusticia in intentione, Christus in causa, apud quem patientia pauperum non peribit in finem. capite trigesimoprimo de Conuersione ad clericos.

Arma Ecclesiæ.Bernhardus: Arma fidelium tria sunt. Sapientiæ plenitudo, quæ est funda Dauid, de qua sententiarum lapides emittuntur. Patientiæ firmitudo, quæ est baculus,quo luporum rabies propulsatur. Charitatis amplitudo, quæ est pera Dauid, de qua orationes proferuntur.Sentent.

De tolerantia & patientia inquit Bernhardus:In eo quod à te pateris,debes uoluntariè sacrificare:quod à proximo,patienter ferre:quod à Deo, sine murmure & cum gratiarum actione sustinere.Sermon.1 in festo Petri & Pauli. Item : Cæterùm nec leprosa obedientia,nec canina patientia commendatur.Serm. de obedientia & patient. . Et:Hilaris patientia utramque simul, & corporalem scilicet & mundialem,uiriliter sustineat aduersitatem. Ser. de dicto,Beatus est homo, qui inuenit sapient. Item: Tria sunt quæ patientiam subruunt.Anxietas nimia doloris,causa iusta innocentis,indignitas inferentis. Sentent. Item:Vera patientia est, pati uel agere contra quòd libeat, sed non prætet quod liceat.epist.7. Et:Prorsus absq; perseuerantia nec qui pugnat uictoriam, nec palmam uictor consequitur. Vigor uiriũ, uirtutum consummatio est,nutrix ad meritum,mediatrix ad præmium,soror est patientiæ,constantiæ filia,amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis uinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseuerantiam,nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Deniq; nõ qui cœperit,sed qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Saul cum esset paruulus in oculis suis, rex est super Israel constitutus: non perseuerans in humilitate, & regnum amisit & uitã.Si cautela Samsoni, si Salomonis deuotio perseuerantiam retinuissent: nec is profectò priuaretur sapientia,nec ille uiribus. Hoc summæ honestatis insigne,hanc totius probitatis unicam fidamq; custodẽ custodiri à uobis firmiter hortor & precor. epist.129. Item:Vincar iurgijs,uincar obsequijs.Inuitis pręstabo,ingratis adijciam, honorabo & contemnentes me. epistola 252.

Petrus Cantor ait:Sicut enim aurum fornace, ita & humiliationis uirtus probatur. Vt autem ad hanc recurramus, quotiens ea opus est,memores esse debemus Dei patientiæ,quam commendans Propheta, ut in ea illum immitaremur, ait:Miserator & misericors Dominus,patiens,longanimis, & multùm misericors. capite octuagesimo quinto. Item:Hoc est examen uirtutum & boni uiri. Qui enim ad iniuriam illatam uel contumeliam modicam uel magnam incandet,intumescit & crepat,huius patientia uirtutis expers est, similis scorpio, qui calcatus aculeos suos euomit,arcuatoque uulnere pungit: non calcatus minimè uenenosus est, uel timidus transeuntibus: eos enim liberè abire permittit.Item Psalmus:Ego autem tanquam surdus non audiebam,& sicut mutus non aperiens os suum.Ibidem. Item:Vt sciat se non esse pœnitentem, nisi qui se sentit patientem triplici funiculo patientiæ, ut scilicet habeat patientiam contra contumeliam oris, contra dānū rei familiaris, cōtra etiam iniuriā proprij corporis. Ibid. Et: Nescitur autē quis esse Christianus, antequā hoc triplici funiculo patientię accingatur & probetur. Ibidem. Et: Sic igitur diximus,contra triplicem persecutionem triplex obijcienda est patientia. Qui enim uerba contumeliæ non sustinet,quomodo damna rei familiaris sustinebit? qui nec damna, quomodo mortem & tormenta?Ibidem. Item: Nō est patientia, nisi ubi æquanimitas animi seruatur.Ex impatientia enim quidam cachinnat,& si taceat:quidam mente imposta & subdola subridet, quod peius est, quia cachinnat dolos.Ibidem. Item:Quia est patientia naturæ,& est patientia gratię, ut dicimus, & est patientia culpæ, quæ potius remisio dicitur.Hæc est asinina patientia,ferre scilicet non sustinenda:cui opponitur sancta & bona patientia. Ibidem.

De spe in cruce inquit Bernhardus:Reposita est hęc spes mea in sinu meo, & in hac perseuerabo.Sperabo in eum. Nec desperabo, nec frustra sperabo:quia maledictus qui peccat in spe, & nihilominus qui peccat in desperatione. Sed nec esse uolo de his qui non sperant in Domino.Sperabo, inquit,in eum. Sermone 2 de Psalmo, Qui habitat.

De confessione inquit Rupertus: Veri confessores tūc instantius cōfitentur, quādo aduersis fatigantur:ut Daniel & socij eius,qui tunc ad confitendum Domino sese amplius extenderūt, quando captiuitatis aduersitatem subierunt. libro septimo de Victoria uerbi Dei,capite uigesimo quinto.

Alijs compatiendum.Bernhardus:Quia exemplum efficacius persuadet, & altius imprimit animo,mitto uos ad sanctum illum senem, qui cum audisset peccasse unū ex fratribus,amarissimè flebat, inquiens: Ille hodie,& ego cras. Qui sic flebat super se,putas quia non compassus sit fratri? Ser. 2 de resurrect.Dom.

Est gloriosum.Petrus Blesensis: Gloriosum est cuilibet Christiano, si affligitur, dummodo non est turpis, sed in Christo commendabilis afflictionis occasio. epistola 8.

Petrus Cantor:Est tamen quædam sancta prodigalitas,qua quis animam dat pro Christo.cap.70.

DE CONSOLATIONE.

Crux est momentanea. Bernhardus: Id enim,inquit,quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ,supra modum in sublimitate æternū pondus gloriæ operatur in nobis. Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modò est fasciculus myrrhæ. Ser. 43 super Cant.

De mora. Rupertus : Sanctis Dei testibus in agone permolesto pro ueritate certantibus,dum instat,dum præsens est angustiæ tempus, dum quò nolunt ducuntur,sensui fragilissimæ carnis longum uidetur.Postquam autem abierit tempus illud,ut iam ultrà non sit mors, neq; luctus, neq; clamor,neque dolor, quæ prima abierunt, tunc demum positis in æternitate beata, respicientibus post tergum, breue uidebitur fuisse quod pertulerunt. libro sexto in Apocalyps. Et: Dormire IESVM in nauicula, est subtrahi auxilium gratiæ adiuuantis ab Ecclesia. Hoc fit ut & qui probati sunt, manifesti fiant : & qui per prosperitatem falli poterant, per aduersitatem instruantur:& qui in peccatis erant, purgentur, & multi martyres coronentur.libro septimo Comment.in Matth. capite 8. Et:Nimirum graue fuit Apostolis, graue est & nobis, illum qui custos Israel est,dormire in aduersis, dum tam blasphemias illatas nomini suo, quàm pressuras quas in hoc mundo habent eius membra, non citius compescit.libro primo Comm. in Ionam,cap.1.

Quis iuuet fortè.Bernhardus:Vnde necesse est, ut unctio spiritualis gratiæ adiuuet infirmitatem nostram, obseruantiarū & multimodę pœnitentiæ cruces, deuotionis suæ gratia leniens:quia nec sine cruce sequi Christum, nec sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset.Ser. 1 de dedicat.Eccles. Et:Disce per uerbum à me in spirituali exercitio duplex auxilium desuper

desuper sperare, correptionem & consolationem. Altera foris exercet, altera uisitat intus. Illa reprimit insolentiam, ista in fiduciam erigit. Illa operatur humilitatem, ista pusillanimitatem consolatur. Illa cautos, ista deuotos facit. Timorem Domini docet illa, ista ipsum timorem infuso temperat gaudio salutari, sicut scriptum est: Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Item: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Trahimur, cùm tentationibus & tribulationibus exercemur. Currimus, cùm internis consolationibus & inspirationibus uisitati, tanquam in suaueolentibus unguentis respiramus. Serm.21 super Cant.

Deus mitigat. Rupertus: Dilectorem Christi angunt quidem hominum odia, fatigant opprobria, molestant maledicta, affligunt rerum damna, uel etiam corporis tormenta. Sed hæc omnia temperat & leuia reddit festiua præmiorum securitas. Gloriosa nominis Christi dignitas, propter quod hæc patiuntur, opprobria condecorat, maledicta sanctificat, damna in lucra, tormenta in magnæ spei uertit delicias. libro 12. cap. 15 in Iohan.

Bernhardus ait: Si tristia semper acciderent, quis sustineret? Si semper prospera, quis non contemneret? Sed rerum tanta gubernatrix sapientia, horum pernecessaria uicissitudine eo moderamine electis suis cursum uitæ temporalis alternat, ut nec aduersa frangant, nec læta dissoluant: cum potius & ista ex illis gratiora, & illa ex his tolerabiliora reddantur. Epist.136.

Deus aufert crucem. Rupertus: Demonstratur citò auferẽdam esse malignorum uim, qui sanctos persequuntur: deinde successuram fore gloriam regni Dei, in quo Deus à sanctis suis frequens alleluia dicentibus æterna cum exultatione laudabitur. Libro 10 Commentar. in Apocalyps. capite 16. Et: Deus Dominus noster IESVS Christus non permittit diu durare persecutionem. libro septimo, capite 8 in Matth. Item: Persecutione grauissima facta, tunc Dominus IESVS surgit, uentis mariq; imperat, potentiam suam exercet siue excitat, scilicet ad adiuuãdum electos, & ad uindicandum in reprobos, ut sæpe particulariter factum est, fiet autẽ uniuersaliter. Ibidem.

Bernhardus ait: Patris enim est misereri semper & parcere. Et si percutit, uirga non baculo percutit: & cum percusserit, sanat. Paterna uox est: Percutiam, & ego sanabo. Non est proinde quod à patre formides, qui etsi quandoq; feriat ut emendet, nunquam tamen ut uindicet. Sermon.16 super Cantica.

De ordine auxilij diuini inquit Bernhardus: Itaque sanata conscientia, consequenter sanatur corpus. Serm.66 Paruorũ sermonum.

De uictoria crucis Bernhardus ait: Bene ergo quod natum est ex Deo, uincit mundum, ut sit testimonium cœlestis generationis, uictoria tentationis: & sicut is qui filius est per naturam, de mundo cum suo principe triumphauit, sic & nos uictores inueniamur, quotquot sumus filij adoptionis. Victores sanè, sed in ipso qui confortat nos, in quo & possumus omnia: quia hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides nostra. Fide siquidem in Dei filios adoptamur, fidem in nobis mundus in maligno positus odit atque persequitur: fide quoque & uincitur, sicut scriptum est: Sancti per fidem uicerunt regna. Quid ni attribuatur fidei uictoria, cuius est etiam uita? Iustus, inquit, ex fide uiuit. Quoties ergo tentationi resistis, quoties uincis malignum, noli proprijs attribuere uiribus: noli in te, sed magis in Domino gloriari. Quando enim fortis ille armatus tuę cederet infirmitati? Audi denique quid Dominici constitutus pastor ouilis admoneat: Aduersarius, inquit, uester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quẽ deuoret: cui resistite fortes in fide. Serm.1 in octaua Paschæ.

De liberatione inquit Petrus Cãtor: Attendẽdũ est quot sunt liberationes. Vna occulta, quæ fit propter ipsos sanctos: qualiter liberati sunt Maccabæi septẽ igne consumpti cũ matre ipsa eosdẽ hortante, ut eligerent potius mori pro legib. Domini, quàm uiuere cõtra eas. Est & alia aperta liberatio, quæ fit propter inimicos puniendos uel cõuertẽdos: qualiter tres pueri de igne etiã corpore liberati sunt, ꝓpter quod ipse Nabuchodonosor cõuersus, Dominũ ipsorũ, quem cõtempserat, prædicauit. Magister: Si igitur petis apertã alicuius liberationẽ, uel propter conuersionẽ fratrum, uel fidei assertionẽ, Dominũq; tentando prouocas ad eam & miracula faciendũ, tẽpora & statũ gratię conaris reducere ad tẽpora & statũ ueteris Instrumenti: cũ Dominus tẽpore gratiæ suis sanctis occulta tantùm promiserit, daturus illis manifesta tẽpore suo: nõ sicut antiquis, qui tanquã hamo tecto esca alliciendi erant miraculis & tẽporalibus ad amorẽ cœlestiũ. Dominus etiam iustus sub nouo Testamento per Esaiam ait: Ne memineritis priorum & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, utiq; cognoscetis ca. capite 64.

DE FINE ET UTILITATE.

Crux docet. Rupertus: Homines uoluptatum amatores, & ad omnem uanitatem proni, nisi aliqua uexatio præsentialiter adsit, non intelligunt, imò intelligere nolunt, quòd Deus bonus, misericors & clemens irasci nouerit, uel quòd iudicium cum seueritate, aut creaturæ suæ damnationem uisu suo sustinere possit. libro 11 in Apocalyps.

Bernhardus ait: Crebris itaque huiusmodi uicissitudinibus inter gratiæ uisitationem, & tentationis probationem in schola uirtutum proficiens, faciente utique uisitatione ne deficiat, tentatione ne superbiat: & tali tandem exercitio mūdato oculo interiori, statim adest lex, cui fideliter inhærere cupiēs, sed corpore pressus non præualens, ad seipsum nolens dolensque resilit. Gustato tamen aliquatenus quàm dulcis est Dominus, eius etiam, cum ad sua redierit, in cordis palato saporem retinet: quo fit, ut iam ipsum, non ipsius quæcunq; bona desideret. Sermon. de cant. Ezech. regis. Et: Instructio doctos reddit, affectio sapientes. Sermon. 23 super Cant. Item: Virtus in pace acquiritur, in pressura probatur, approbatur in uictoria. epistola 126. Et: Vexatio dat intellectum auditui, ait quidam. Verum est, sed si nimia non fuerit: nam si sit, non planè intellectum dat, sed contemptum. Denique impius cum in profundum malorum uenerit, contemnit. libro 3 de Consideratione.

Richardus inquit: Sæpe pro præcedenti, sæpe pro præsenti (sed latenti) culpa percutimur, & pro tali quidem, quam omnino nullam, uel fortè satisfactione deletam credebamus. Et quidem (quod omnino fatendum est) non semper ad correptionem, seu ad purgationem percutimur: sed modò ad eruditionem, modò ad probationem, seu alio quolibet modo flagellamur. Sed ueræ & perfectæ deuotionis est, pœnam quam patitur, suis semper meritis ascribere, & culpam quam in se minimè deprehendit, ex occulto timere. libro primo de Eruditione interioris hominis, cap. 17.

Petrus Cantor inquit: Sicut enim ferrū igne & malleo purgatur, sic induratum & inolitum peccatum tribulatione & flagellis. cap. 107.

Ecclesia crescit. Petrus Cluniacēsis: Recordamini Ecclesiam semper laboribus creuisse, passionibus multiplicatam esse, tolerantia cuncta resistentia uicisse. libro 3. epistola prima. Item: Dum sancta Ecclesia, quanto amplius sub malleo tribulationis tundi conspicitur, tanto altius crux subleuatur: & more aromatum, quo magis uerberibus teritur, eo latius odoramenta suauitatis effundit. libro quarto, epistola 25.

Petrus Blesensis ait: Proficit autem lilium inter spinas: & dum supra dorsum iusti fabricant peccatores, dilatatur Ecclesia. Contra uos omnem malitiam armat iniquitas superborum: uos autem erga eos qui pacem uestram turbant, cor habeatis pacificum. epist. 57.

Probat amicos. Bernhardus: Amicus in necessitate probatur. epist. 160.

Ad conuersionem prodest. Bernhardus: Denique unus eorum: Cōuersus sum, ait, in ærumna mea, dum configitur spina. Bene confixus, qui conuersus exinde est. Bene pungeris, si compungeris. Multi cū sentiunt pœnam, corrigunt culpam, & talis dicere potest: Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Spina culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina uicinus est malus. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sermon. 48 super Cantica.

De præmijs. Rupertus: Quicūq; est particeps in tribulatione, ipse quoq; in regno particeps iurè est. Vide Iohannem clamantem, & aliorum exempla & tribulationes. lib. 1 in Apocal.

Compensat. Bernhardus: Non enim difficile est ei dare centuplum in præsenti, qui daturus est uitam æternam in futuro. Qui daturus est quod nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēdit, non modò centuplum dare potest? In declamat. de Bonis deserendis.

De coronatione inquit Bernhardus: Non recti planè, sed peruersi est animi, antè quærere gloriam quàm exercere uirtutem, & uelle coronari qui legitimè non certauerit. Sermon. 1 in natali S. Victoris. Itē: Quæ enim sine uirtute est gloria, profectò indebita uenit, præproperè affectatur, periculosè captatur. Virtus gradus ad gloriam, uirtus mater gloriæ est. Fallax gloria, & uana est pulchritudo, quam illa non parturiuit. Sola est cui gloria iurè debetur, & securè impenditur. Ibidem.

De martyribus inquit Rupertus: Multi quidem testes ueritatis mortem perpessi sunt propter uerbum testimonij sui, ut & Græco nomine martyres eos sancta Ecclesia nominare consueuit. lib. 1 in Apocalyps. cap. 1. Et: Martyres tanto maiorem gratiam præ illis qui in pace Ecclesiæ moriūtur, assecuti sunt, quanto grauiori dispendio morti & sanguini Christi cōmunicauerunt.

uerunt. libro septimo de Diuinis officijs, capite 5.

Bernhardus ait: Duæ proinde res mihi uidentur facere mortem preciosam, uita & causa: sed amplius causa quàm uita. Porrò illa erit preciosissima, quam & causa commendat, & uita. epist. 98.

DE TENTA- *tionibus.*

DE tentationibus inquit Honorius: Diabolus quos tentat, seducit: quos Deus tentat, probat & coronat. In Psal. uigesimumquintum.

Rupertus ait: Duplex tentatio. Alia est tentatio, scilicet tribulatio, quæ ab hoc seculo multis infertur modis: & eiusmodi tentatione Deus sanctos suos tentare consueuit. libro quinto in Matthæum. capite sexto.

Bernhardus inquit: Si tantum illos oportebat timere in passione Domini, quãtum nobis timendum est, fratres, in passione nostra? Vigilate proinde & orate, ut non intretis in tentationem: quoniam undiq; circumdati estis tentationibus. Vnde & legistis: Quia tentatio est uita hominis super terram. Itaq; si tot tentationibus plena est uita nostra, ut non immeritò tota ipsa tentatio debeat appellari: peruigili circumspectione opus est & oratione, ne inducamur in eam. unde est & illud in oratione Dominica: Et ne nos inducas in tentationem. Quia ergo undique sic circumdatus es tentationibus, scuto circumdabit te ueritas eius, ut quemadmodum undique bella, ita undique sint & præsidia. In quo & omnino illud manifestum est, spirituale scutum esse oportere; quod circumdare potest. Veritas autem circumdat, quia uerax qui promittit, & sic exhibet ut promittit. Fidelis Deus, ait Apostolus, qui non patietur uos tentari supra id quod potestis. Non incongruè sanè scuto comparatur gratia diuinæ protectionis, quod in superiori parte amplum & latum est, ut caput humerosque custodiat: in inferiori uerò strictius, ut minus oneret, maximè quòd graciliores sint tibiæ, nec tam facilè uulnerentur, sed nec adeò periculosum sit illis in partibus uulnerari. Sic omnino sic militibus suis Christus ad inferiora tuenda, id est carnem, magnam (ut ita dixerim) strictitatem atque penuriam rerum temporalium donat: nec uult eos illarum multitudine prægrauari, sed ut uictum & uestitum habentes, quemadmodum ait Apostolus, his contenti simus: in superioribus uerò ampliorem latitudinem, & abundantiam gratiæ spiritualis. Sic enim habes: Primùm quærite regnum Dei & iusticiam eius, & omnia adijcientur uobis. Serm. quinto de Psalm. Qui habitat. Et: Hoc enim pręmonitos uos esse uolo, neminem super terram absq; tentatione uicturum, ut cui fortè tollitur aliqua, alteram securus expectet: aut fortè non securus, sed pauidus magis: & sic petat ab ea liberari, ut nunquam sibi in corpore mortis huius libertatem perfectam, seu requiem audeat polliceri. Qua in re considerãda est nobis tam benigna erga nos diuinæ pietatis dispensatio, ut quibusdam nos tentationibus patiatur diutius occupari, ne fortè periculosiores occurrant: ab aliquibus uerò citius liberet, ut possimus in alijs, quas nobis utiliores fore præuidet, exerceri. Ibidem. Et: Omne gaudium existimemus, cum in uarias inciderimus tribulationes. Dicamus ex animo, dicamus ex sententia: Bonum magis ire ad domum luctus, quàm in domũ conuiuij. Cum ipso sum in tribulatione, ait Deus: & ego aliud interim requiram quàm tribulationem? Mihi adhærere Deo bonum est. Non solùm autem, sed & ponere in Domino spem meam: quia, Eripiam eum, inquit, & glorificabo eum. Cum ipso sum in tribulatione. Deliciæ, inquit, meæ esse cum filijs hominum. Emmanuel nobiscum Deus. Aue gratia plena, ait angelus ad Mariam, Dominus tecum. In plenitudine gratię nobiscum est; in plenitudine gloriæ erimus nos cum eo. Descendit ut prope sit his qui tribulato sunt corde, ut nobiscum sit in tribulatione nostra. Erit autem quando rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus: si tamen curemus interim eum habere nobiscum, ut sit comes uiæ, qui patriæ redditor est futurus: imò qui tunc patria, modò sit uia. Bonum mihi Domine tribulari, dum modò ipse sis mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te uel in cœlo. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid uolui super terram? Aurum probat fornax, & uiros iustos tentatio tribulationis. Ibi, ibi cum eis es Domine, ibi in tuo nomine congregatis medius astas, sicut olim cum tribus pueris es dignatus etiam ethnico apparere, ut diceret, quia species quarti similis filio Dei. Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum? Sæuit ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione. Si Deus nobiscum, quis contra nos? Nihilominus quoque si ille eripit, quis est qui rapiat de manu eius? Quis est qui de manu eius possit eruere? Postremò si ille glorificat,

quis'nam alius ingloriũ faciet? Si ille glorificat, quis humiliabit? Sermone decimoseptimo de Psal. Qui habitat. Item: Nulla enim tentatio uobis præualebit, si non in magnis & mirabilibus super uos ambuletis, sed permaneatis radicibus firmis in humilitate radicati atque fundati. Serm. de san. Benedicto. Et: Porrò tentationes diuersæ sunt, pro temporum diuersitate. Sermone sexagesimoquarto super Cantica. Item: Cum igitur tres sint stanti imminentes stratores, horum diabolus liuore malitiæ, mundus uento uanitatis, homo semetipsum pondere suç corruptionis impellit. Impellit diabolus, sed non euertit, siquidem tuum illi negaueris assensum. Denique habes: Resistite diabolo, & fugiet à uobis. Iste est qui stantes in paradiso impulit inuidus, & euertit: sed consentientes, non resistentes. Iste est qui seipsum de cœlo superbus, nullo impellente, præcipitauit, ut scias multò magis hominem suo ipsius casui imminere, quem propriæ substantiæ pondus grauat. Est & mundus impulsor, quia in maligno positus est: impellit omnes, sed solos euertit amicos suos, id est, consentaneos sibi. Nolo esse amicus mundi, ne cadam. Nam qui uult esse huius mundi amicus, inimicus Dei constituitur, quo utique nullus grauior casus. Ex quibus satis claret, quàm sit homo præcipuus impulsor sui: qui suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo cadere non potest. Serm. octuagesimoquinto super Cantica.

De tentationibus per diabolum inquit Bernhardus: Quotiens ergo importunè (ut assolet) carnalis cogitatio mentem pulsat: uerbi gratia, cum de potu, de cibo, de somno, cæterisque similibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes, humano quodam inardescimus desiderio: certum sit nobis, spiritum carnis esse qui loquitur, & tanquam aduersarium repellamus eum, dicentes: Vade retrò satana, quoniam non sapis ea quæ Dei sunt: sed magis sapientia tua inimica est Deo. Cum autem non de illecebris carnis, sed de ambitione seculi, de iactantia & arrogantia, cæterisque similibus cogitatio uana uersatur in cordibus nostris, spiritus mundi est qui loquitur, longè perniciosior hostis, & maiori solicitudine repellendus. Interdum uerò, satellitibus istis terga uertentibus, princeps ipse habens iram magnam, tanquam leo rugiens insurgit aduersus nos, cum uidelicet non ad uoluptatem carnis, aut seculi uanitatem, sed ad iram, ad impatientiam, ad inuidiam, ad amaritudinem animi prouocamur: importunè ingerendo, si quid minus amicabiliter, minus'ue discretè factum uidetur, aut dictum: si qua denique aut in signo, aut in opere quolibet data uidetur indignationis occasio, materia suspicionis. Huic ergo cogitationi non aliter quàm ipsi diabolo resistendum est, nec aliter ab ea quàm ab ipsa perditione cauendum. Scriptum est enim: In patientia uestra possidebitis animas uestras. Fit tamen aliquando, ut spiritus noster à quolibet horum trium crebrò superatus, & seruus addictus illi in suam ipsius perniciem (heu) uices illius agat, ut iam sine omni alterius spiritus suggestione ipsa ex se anima aut uoluptuosas, aut uanas, aut amaras pariat cogitationes. Iam uerò non facilè arbitror posse discerni, quando noster ipse loquitur spiritus, quádoúe loquentem alterum audiat quélibet è tribus illis. Sed quid refert quicunque loquatur, dum unum & idem sit quod loquuntur? Quid refert loquentis nosse personam, dum constat perniciosum esse quod loquitur? Si inimicus est, resiste uiriliter inimico: si tuus ipse spiritus est, argue eum, & miserabiliter plange, quòd in tantam miseriam & tam miserabilem deuenerit seruitutem. Quoties uerò super castigando corpore, humiliando corde, seruanda unitate, & charitate fratribus exhibenda, seu cæteris uirtutibus acquirendis, conseruandis, amplificandis, salubris cogitatio in mente uersatur, diuinus sine dubio spiritus est qui loquitur, aut per seipsum sanè, aut per angelum suum. Et quemadmodum de humano aut maligno spiritu dictum, sic & de angelico & de diuino. Nec facile est quis loquatur discernere, nec ignorare periculosum: præsertim cum certum sit, angelum bonum nunquam loqui ex semetipso, sed Deum esse qui loquitur in ipso. Studiosius igitur deinceps consideremus, quo'nam modo malignorum illorum spirituum suggestiones audire, imò quanta indignatione abijcere debeamus, auertentes aures nostras, ne audiamus sanguinem, & sapientiam quam reuelat caro & sanguis: paruulos quoque Babylonis, cogitatus scilicet mundanos ab ipso initio tenentes, & allidentes ad petram: ipsum etiam malignum cum tentationibus suis à conspectu cordis nostri abijcientes, & deducentes ad nihilum. Eas uerò cogitationes quæ iusticiæ & ueritatis nos admonent, tota deuotione suscipientes, diuinæ dignationi gratiam habeamus: nec aliquando tantæ benignitati inueniamur ingrati, scientes quoniam ipse est qui loquitur iusticiam: ipse enim cuius sermo ueritas est. Ser-

mone de septem spiritibus.

Petrus Blesensis ait: Quia fortitudinem mentis emolliunt & subuertunt tentationes occultæ. Anima uerò à fundamento uirtutis auulsa corruit in peccatum. Apponens iniquitates iniquitati, multiplicat oppresſiones per angelos malos: & sic de arce depoſita tanquam de loco eminentiore confligendo insurgens, de misero & decepto triumphum reportat ignobilem. Sic per illecebras huius uitæ miseri elongantur à Deo, dicentes anathema IESVM: & tandem conuersos in arcum prauum ac reprobum sensum datos mala concipiunt in interitu. epist. 60.

De tentatiòne Dei inquit Rupertus: Seducit Deus, sed in bonam partem, qua non solùm reprobus, uerùm etiam probus aliquis nesciens diuinis consilijs obsequium præstat, in tantum ut Hieremias dicat: Seduxisti, &c. libro quarto, capite octauo in Amos prophetam. Et: Tentatio Dei est duplex, una in ruinam, altera in gloriam. libro decimo, capite uigesimosexto in Matth.

Contra tentationes pugnandum. Bernhardus: Nec spiritum carnis loquentem mollia, nec spiritum mundi uana suggerentem, nec spiritum nequitię audiatis immittentem amaritudines, & scandala seminantem. Sed huius spiritus astutias nosse necesse est, huius cogitationes non expedit ignorare. Interdum enim transfigurat se malignus ille & nequam spiritus in angelum lucis, ut uirtutis simulatione plus noceat. Sed & tunc quoque si diligenter aduertimus, nonnunquam nisi amaritudinis & discordiæ seminaria spargit. sermone de multiplici utilitate uerbi Dei.

Hildegardis ait: Homo qui opus Dei est, non potest præ fragilitate sua incedere firmiter sine peccato, & audacter sine timore fragilis carnis diabolum superando: sed eum oportet illum humilitate deuitare, & insidias eius sapienter fugere, ne peccet, atque fideliter se coniungere bonis operibus, & sic constare in filio Dei, qui quasi in angulo sedens lapis angularis est, hoc pacto opus electum in homine coniungens. libro tertio, uisione secunda.

Quomodo resistendum tentationibus, Bernhardus docet: Cui'nam horum præcipuè resistendum? Nempe huic qui eo molestior, quo interior solus deijcere sufficit, cum sine ipso alij posſint facere nihil. Non sine causa Sapiens expugnatori prætulit urbium, uirum qui animo dominatur. Multùm hoc ad te, opus uirtute habes, & non quacunque, sed qua induaris ex alto. Ipsa enim si perfecta sit, facilè sic animum uictorem sui, & sic inuictum reddit ad omnia. Est quippe uigor animi, cedere nescius pro tuenda ratione. Aut si magis probas, uigor animi immobiliter stantis cum ratione, uel pro ratione. Vel sic: Vigor animi quod in se est, omnia ad rationem cogens uel dirigens. Quis ascendet in montem Domini? Huius ad uerticem montis, id est, ad uirtutis perfectionem quisquis conscendere adorietur, sciet profectò quàm sit ascensus arduus, & casus concitus absque uerbi adiutorio. Felix anima quæ angelis spectantibus præbuit gaudium pariter & miraculum sui, ut audiret de se loquentes: Quæ est ista quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum? Alioquin frustra nititur, si non innititur. Sanè etiam contra se innitens inualescet, & facta seipsa ualidior, coget pro ratione uniuersa: iram, metum, cupiditatem & gaudium, ueluti quēdam animi currum bonus auriga reget, & in captiuitatem redigēt omnem carnalem affectum, & carnis sensum ad nutum rationis in obsequium uirtutis. Quidni omnia posſibilia sint innitenti super eum qui omnia potest? Quantæ fiduciæ uox, Omnia possum in eo qui me confortat? Nil omnipotentiam uerbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes qui in se sperant. Deniq; omnia posſibilia sunt credenti. An non omnipotens cui omnia posſibilia sunt? Ita animus, si non præsumat de se, sed si confortetur à uerbo, poterit utique dominari sui, ut non dominetur ei omnis iniusticia. Ita, inquam, uerbo innixum & indutum uirtute ex alto, nulla uis, nulla fraus, nulla iam illecebra poterit uel stantem deijcere, uel subijcere dominātem. Vis non timere impulsorem? Non ueniat tibi pes superbiæ, & manus impellentis non moueat te. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem. Ibi diabolus & angeli eius corruerunt, qui licet non pulsi extrinsecus, expulsi sunt tamen; nec potuerunt stare. Deniq; in ueritate non stetit, qui non innixus est uerbo, qui in sua uirtute confisus est. Et ideo fortasſis sedere uoluit, quia stare non ualuit. Dicebat enim: Sedebo in monte testamenti. Cęterùm Deo aliter iudicante, nec stetit, nec sedit, sed cecidit, dicente Domino: Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ergo qui stat, si non uult cadere, non fidat sibi, sed nitatur uerbo. Verbum loquitur: Sine me nihil potestis facere. Ita est, nec surgere ad bonum, nec stare in bono possumus sine uerbo. Tu ergo qui stas, da gloriam Deo, &

dic: Statuit suprà petram pedes meos, & direxit gressus meos. Cuius manu erigeris, ipsius necesse est uirtute tenearis. Hæc pro eo quòd dixi, opus nos habere uerbo cui innitamur ad uirtutem. Sermone 85 super Cantica.

De discrimine tentationum inquit Rupertus: Tentatio Dei, quando Deus tentat, quærit & probat fidem. Diabolus quando tentat, quærit perfidiam. libro 10. capite 26 in Matth.

PHRASIS.

Bernhardus: Quid uerò crucem tollere est, nisi laborem amplecti, & humilitatem? Sicut scriptum est: Elegi abiectus esse in domo Dei. Declamatione de bonis deserendis.

DE TRADITIONIbus humanis.

PRæcepta sic diuidit Bernhardus: Prælatis uerò partim uoluntaria, ut quæ inuenta ab homine: partim necessaria, ut quæ fuerit diuinitùs instituta. In tract. de præcepto & dispensat.

Statuta sanctorũ posse mutari. Bernhardus: Nunquid autem hoc ego uel solus sentio, uel primus dico? An non hoc ipsum & papa Gelasius? Ait siquidem: Vbi necessitas non est, inconuertibilia maneant patrũ sanctorum secreta. Leo quoq; papa: Vbi, inquit, necessitas non est, nullo modo sanctorum patrum instituta uiolentur. Et infert: Vbi uerò necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio legis. De præcepto & dispensatione. Item: Necessarium incommutabile quid accipi uelim? Equidem nil congruentius, quàm quod diuina ita constat & æterna ratione firmatũ, ut nulla ex causa posset uel ab ipso Deo aliquatenus immutari. Sub hoc genere est omnis illa sermonis Dominici in monte habiti spiritualis traditio, & quicquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, cæterisque uirtutibus tam in nouo, quàm in ueteri Testamento spiritualiter obseruandum cõtraditur. Hæc quippe talia sunt, quæ nec liceat nec expediat aliquando non haberi. tract. de Præcep. & dispensat. Et: Hi omnes si sancti, imò quia sancti fuerũt, à sancto Apostolo non dissenserunt. In Apologia ad Guilhel. abbat.

Diuina statuta non posse mutari. Bernhardus: Necessarium deinde quod inuiolabile nominaui, illud intelligo, quod non ab homine traditum, sed diuinitùs promulgatum, nisi à Deo, qui tradidit, mutari omnino non patitur: ut exempli causa, non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legis scita, quæ etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittũt, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo soluere aut licuit, aut licebit: Dominus tamen horum quod uoluit, & quando uoluit, soluit: siue cum ab Hebræis Ægyptios spoliari, siue quando Prophetam cũ muliere fornicaria misceri præcepit. Quorum utiq; alterum, quid nisi graue furti facinus, alterum quid nisi flagitij turpitudo reputaretur, si non excusasset utrumq; factum authoritas imperantis? Sanè ubi simile aliquid aliquãdo à sanctis hominibus fuisse legitur usurpatũ, Scriptura non indicante, quòd Deus ita præceperit: aut eos peccasse fatendũ est, sicut homines: aut certè sicut Prophetas familiare Dei cõsilium accepisse. Vnde & unũ exemplũ pono, quod occurrit de Samsone, qui seipsum unà cũ hostib. opprimens interfecit. Quod utiq; factum, si defenditur nõ fuisse peccatum, priuatum habuisse consilium indubitanter credendus est, etsi de Scriptura hoc non habemus. tract. de Præcep. de dispen.

Diuina præcepta humanis anteferenda. Bernhardus: Quis sanè dicat, plus tribuendũ humanis quàm diuinis traditionibus, plurisq; quod per suos Deus, quàm quod per seipsum imperat æstimandum? tract. de Præcep. & dispensat.

De paupertate inquit Bernhardus: Non enim paupertas uirtus reputatur, sed paupertatis amor. Deniq; beati pauperes, non rebus, sed spiritu. epist. 101.

De solitudine inquit Bernhardus: Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderãt, si iurgia deuites, si damna non sentias, si non recorderis iniuriarum. Alioquin nec si solus corpore es, solus es. Vides'ne posse esse te & solum, cum inter multos: & inter multos, cum solus es? Solus es, in quantacunq; hominum uerseris frequentia: tantùm caue alienæ conuersationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex. Etiamsi perperam actum quid deprehẽdas, nec sic iudices proximum, magis autẽ excusa. Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quòd si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum: Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem? Serm. 40 super Cant.

De ieiunio scribit Petrus Alphonsus: Quid igitur ualet ieiuniũ? PET. Totius est sanè boni initium, quod & ad corpus humanum

manum præcipitur debilitandum, & à uicijs compescendum. tit. 12.

De monasterijs inquit Petrus Cantor: Monastica etiam uel Ecclesiastica erecta ex fœnoribus & usuris auarorum, ex mendacijs deceptionum, & deceptionibus mendaciorum, prædicatorum, mercenariorũ, quæ ex malè partis constructa sæpe dilabũtur, quia non habet euentus sordida prędа bonos. cap. 69.

De cibi libertate inquit Petrus Cantor: Veruntamen omni cibo pro tempore & loco omni religioso cõcessum est uesci, si necessitas exegerit. cap. 68.

Contra hypocrisin monasticam inquit Bernhardus: Vigilat in lecto, dormit in choro, cumq; alijs psallẽtibus ad uigilias tota nocte dormitet, post uigilias alijs quiescẽtibus, solus in oratorio remanet, excreat & tussit, gemitib. ac suspirijs aures foris sedẽtium de angulo implet. in tract. de Gradib. humilit. gradu 5. Et: Miror etenim unde inter monachos tanta intemperantia in comessationibus & potationibus, in uestimentis, & lectisternijs, & equitaturis, & construendis ædificijs inolescere potuit: quatenus ubi hęc studiosius, uoluptuosius atque effusius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur religio. Ecce enim parcitas putatur auaricia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. Econtrà remissio discretio dicitur, effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities uestimẽtorum & equorum fastus, honestas: lectorum superfluus cultus, munditia. Cumque hęc alterutrum impẽdimus, charitas appellatur. In Apologia ad Guilhel. abbat. Et: Nihil de scripturis, nihil de salute agitur animarum: sed nugæ & risus, & uerba proferuntur in uentum. Inter prandendum quãtum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus: quibus totus intentus, modũ nescias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur. & pro solis carnibus, à quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Cumque prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, uideberis tibi necdum gustasse pisces. Tãta quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinq; ferculis deuoratis, prima non impediant nouissima, nec satietas minuat appetitum. Palatum quippe dum nouellis seducitur condimẽtis, paulatim dissuescere cognita, & ad succos extraneos, ueluti adhuc ieiunum, auidè renouatur in desideria. Venter quidem dum nescit, oneratur: sed uarietas tollit fastidium. Quia enim puras (ut eas natura creauit) epulas fastidimus, dum alię alijs multifariè permiscentur, & spretis naturalibus quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula prouocatur saporibus: transitur nimirum meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur. Quis enim dicere sufficit, quot modis (ut cætera taceam) sola oua uersantur & uexantur, quanto studio euertuntur, subuertũtur, liquantur, durantur, diminuuntur, & nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc mixtim, nunc singillatim apponuntur? Vt quid autem hæc omnia, nisi ut soli fastidio consulatur? Ipsa deinde qualitas rerum talis deforis apparere curatur, ut non minus aspectus quàm gustus delectetur: & cum iam stomachus crebris ructibus repletum se indicet, necdum tamen curiositas satiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec sapores demulcent, dũ omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur, quàm reficitur. Iam uerò de aquæ potu quid dicam, quando ne ullo quidem pacto uinum aquatum admittitur. Ibidem. Item: Videas uno in prandio ter uel quater semiplenum calicem reportari, quatenus diuersis uinis magis odoratis, quàm potatis, nec tam haustis, quàm attactis, sagaci probatione & celeri cognitione unum tandem è pluribus, quod fortius sit, eligatur. Quale est autem illud, quod nonnulla monasteria ex more obseruare dicuntur, in magnis uidelicet festis uina delibuta melle, pigmentorum respersa pulueribus in conuentu bibere? Nunquid & hoc fieri dicemus propter infirmitatem stomachi? Ego uerò ad aliud nihil ualere uideo, nisi ut uel amplius bibatur, uel delectabilius. Sed cum uenæ fuerint uino ingurgitatæ, toto in capite palpitantes, sic surgenti à mensa quid aliud libet nisi dormire? Si autem ad uigilias surgere indigestum cogis, non cantum, sed planctum potius extorquebis. Cum uerò ad lectum deuenero, requisitus incommodum, plango, non crapulæ peccatum, sed quòd manducare non queo. Ridiculum uerò (si tamen uerum est) quod relatum est mihi à pluribus, qui hæc se pro certo scire dicebant, reticendum esse non arbitror. Ibidem. Et: Mentior, si non uidi abbatem sexaginta equos & eo amplius in suo ducere comitatu. Dicas, si uideas eos transeuntes, non patres esse monasteriorum, sed dominos castellorum: non rectores animarum, sed principes prouinciarum. Tum deinde gestari uidentur mappulæ, scyphi, bacini, candelabra, & manticæ suffarcinatæ, non stramentis, sed ornamentis lectulorum. Vix denique quatuor quis leucis à sua do-

mo recedit, nisi cum tota supellectili sua, tanquam sit uel iturus ad exercitum, uel transiturus per desertum, ubi non ualeant inueniri necessaria. Ibidem.

Petrus Cluniacensis inquit: Cum sis igitur sub uno pastore IESV Christo, cum habites in uno ouili Ecclesiarum, cum ex una uiuas æternorum fide & spe, tam tu albe quàm tu niger monache, quid de uarijs uelleribus, ut parum asperius loquar, stultissimè oues causamini? Qui tam nulla, imò tam stulta de causa contra uos adinuicem mouemini? Cur tam puerili occasione primam illam stolam charitatis scinditis? Cur ipsa habitacula separatis? Cur uos ipsos non iam ouino, sed lupino dente mordetis? Cur detrahitis? Cur laceratis? uidete, cauete, ne hoc nomen innocentiæ, quo oues nuncupamini, non de illis uos faciat, quas positurus est summus pastor à dexteris. libro quinto, capite decimosexto.

Petrus Cantor inquit: A' simplici etiam & naturali colore uentum est ad colorem pullum, sed religioni congruum, rubeum, subrubeum, croceum, uiolaceum, mixtum & confusum, ut solo colore uestium perstringamus oculos nos intuentium, eosq; in admirationem rapiamus: cum tamen natura singulis rebus, & maximè floribus innatum adeoq; pulchrum colorem dederit, quali nec poterat operiri Salomon in omni gloria sua. cap. 68.

Potho inquit: Omnis gloria eorum ab intus: nos uerò interius uacui uirtutibus, exterius imaginem quandam sanctitatis nobis depingimus, cum in exterioribus obseruantijs instituendis, commutandis, renouandis, inquietis semper distentionibus animos ab intimæ theoriæ dulcedine alienatos occupamus. Ecce gloriam nostrã in ore hominum ponimus, & gloriam ueram, quæ testimonio conscientiæ commẽdatur, minimè habemus. Hinc est quòd in his temporibus periculosis inopia nos eò angustat spiritualium, cùm exuberat copia rerum temporalium. Ecclesia enim hoc tẽpore diuitijs maior, uirtutibus minor facta est. Vnde refrigescente iam in multis charitate, cœleste in nobis euanescit desiderium, atq; omne uirtutum studium ad appetitum conuertitur rerum trãseuntiũ. Quocirca de statu temporis nostri, in quos fines seculorum deuenerunt, Ecclesia in uerbis cantici lamentando conqueritur: Ecce, inquit, in pace amaritudo mea amarissima. In prioribus seculis, quando persecutionis sæuitia catholicam fidem oppugnabat, amara erat amaritudo Ecclesiæ. Deinde amarior cùm hæretica prauitas doctrinam ueritatis peruersis dogmatibus corrumpere conabatur. Nunc uerò, quando pax esse uidetur, quando nec persecutor manifestus sæuit, neque hæreticus in uerba malitiæ prorumpit, amaritudo amarissima sentitur. Est enim molestissimum hypocritarum genus intra domesticos parietes inclusum, cũ amicis & domesticis Dei habitans, solo habitu exteriore mundi contemptum præferens, monasticæ conuersationi se ingerens, quod eo acrius membris Christi nocet, quo minus uitari potest. Et reuerà hæc est amaritudo amarissima, quando pax quidem est à persecutoribus & hæreticis, qui apertè sæuiunt: sed nõ est pax à domesticis, qui intus sunt, qui religiosorũ quidem numero admixti sunt, sed ueram religionem execrantes, dolosè agũt in cõspectu Domini, ut inueniatur iniquitas eorum ad odium. Cũ enim omni uirtute interius sint destituti, sola imagine sanctitatis exterius nitidi, intuentium oculos fallunt: quia nimirum gloriam, quæ ab hominibus est, quærunt. Iam mysterium iniquitatis in his operatur, donec caput illorum Antichristus adueniat, cuius aduẽtus est secundum operationem sathanæ: qui quasi meridianus fulgor apparebit in omnibus signis & prodigijs mẽdacibus, sedũcens corda illorum, qui charitatem ueritatis non receperunt ut salui fierent. libro tertio de Statu domus Dei. Item: Deniq; prælati nostri non contenti terminis quos posuerunt patres nostri, quibusdam diuerticulis, quæ ad regiam charitatis uiam minimè conducunt, subiectos suos aberrare faciũt. Sed nihil in his magis est inordinatum, quàm res bene ordinatas noua quadam ordinatione, imò præsumptione, nulla cogente necessitate, destruere. Illi quidẽ qui nunc domui Dei præsunt, in labores patrum præcedentium introierunt: sed dũ labores illorum pro sui officij debito custodire negligũt, neglecta spiritus quiete, quę sola necessaria est ad uacandum & fruendum Deo, in plantando & euellendo, in ædificando & destruendo superfluo labore desudant. Sed ut asserunt, hanc idcirco sibi occupationem sumunt, ne uel ocio torpeant, uel à bono opere cessare uideantur. Frustra hæc ad excusandas excusationes prætendere solent. Nunquam enim minus ociosi essent, quàm si illi ocio dediti essent, in quo sapiẽtia scribitur, quam nemo nisi qui minoratur actu, percipere meretur. Vita namq; monastica non practicæ curis, sed theoricæ studijs dedicatur. Attamen corporalis excitatio ad modicũ utilis, quæ ex regulari authoritate in monasterijs obseruatur, in usum contemplationis sumi-

rus

tur. Ad hoc namque quotidiani operis exercitium prodesse uidetur, ut labore ac fatigatione corporis excitata mens ardentius aspiceret ad amorem intimæ quietis. Ibidem. Et: Reuera respicimus ad amplius, cum intentionis nostræ oculum in eo defigimus, ut in obseruantijs exterioribus ampliorem nobis laborem indicamus: sed factum est minus, quia nimirum in spiritualibus animæ profectibus ualde imminuti sumus. Seminamus quoque multùm, qui corporalis exercitationis labores quasi semina terræ mandamus: sed inferimus parum, quia uidelicet fructum Spiritus permodicum de semine laboris nostri colligimus, ac minimam exinde animę nostræ refectionem præparamus. Cum ergo continuè psalmodiæ uocibus cum quodam tædio, quo dormitat anima, perstrepimus, cùm exercitijs corporalibus immoderatius incumbimus, quid aliud facimus, quàm sicut turba in Euangelio, Dominum comprimimus, nec tamen curam salutis inde consequimur? Plus enim aliquid mulier fecisse uidetur, quæ solam fimbriam uestimenti eius tetigit, & continuò remedium quod quæsiuit, se inuenisse gauisa est. Quocirca cantandi usus apud nos cum sit continuus, & uix aliquando ad momentum intermitti soleat, cætera uitæ spiritalis exercitia, hoc est, legendi, meditandi & operandi studia, quibus & corpus exerceri, & mens multùm proficere posset, nobis quasi interdicta esse uidentur. Cum enim in uno assiduè moramur, reliqua exequi præpedimur. Sed sancti præceptoris nostri Benedicti institutio sic per uices horarum ad eleuandum fastidium, psallendi, legendi & operandi tempora distribuit, ut obseruatores regulæ illius sub tantæ discretionis moderamine nullam prorsus querelam mouerent. Ibidem. Item: Ecce enim uita monastica, quæ erat columna & firmamentum religionis, in qua uidelicet uiguit disciplinæ censura, morum grauitas, maturitas consiliorum, authoritatis pondus, antiquitatis insigne, in Ecclesiasticis officijs repentinis uisa est nouitatibus acquiescere, & quasi iuuenili passa est decolorari leuitate. Miramur ergo satis, quid uisum fuerit hoc tempore quibusdam monasterijs, mutare colorem optimum, nouas quasdam inducendo celebritates. Nunquid patribus doctiores aut deuotiores sumus? Superba mente præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præteriuit. Neque uerò nos in huiusmodi aliquid inuenire possumus, quod illorum quiuerit diligentiam præterijsse. Quæ igitur ratio hæc festa celebranda nobis induxit? festum uidelicet sanctæ Trinitatis, festum transfigurationis Domini. Additur his à quibusdam, quod magis absurdum uidetur, festum quoque conceptionis sanctæ Mariæ. Nos in his omnibus deuotioni fidelium minimè derogamus, dum rationem quærimus qua rationabile obsequium nostrum Domino offerre debemus, ne fortè à uia recta deuiantes, præsumptionis spiritu seducamur. Ibidem.

Eckbertus ait: Vidi claustra uirginum, quorum aliqua rectius uiscarium satanæ appellarim. Ignis alienus cuncta uastauerat, lilia castitatis aruerant, & deplorandus uniuerso orbi animarum interitus ubique apparuit. Omnia ergo considerans, & præfatæ ruinæ causas intellexi, & Domini patientiam uehementer admiratus sum. Circumspexi autem & sustinui qui simul mecum contristaretur super omnibus malis his, & uix unum de mille reperi, qui dignus haberetur inscriptione. Epistola ad Coloniensem archiepiscopum.

DE MIRACVLIS.

Iohannes Salisberiensis inquit: Signorum quidem alia particularia, alia uniuersalia sunt. Particularia uerò faciunt singulis, uniuersalia multis aut uniuersis. libro secundo, capite tertio de Curialibus nugis. Item: Hoc quoque diuina miseratio est, quòd signorum suorum indicio ignorantiam nostram quandoque præmunit. Ibidem capite decimotertio. Item: Hic uerò intelliguntur signa quæcunque quouis iudicio diuinam homini innuunt uoluntatem. Signum siquidem est, quod seipsum sensui, & præter se aliquid animo ostendit. Ibidem capite decimoquarto. Et: Quædam tamen signa sunt, quæ nulli corporalium aliquid ostendunt: sed animo cuiuscunque rei specie mediante, aut citra medij difficultatem uerum falsumue frequenter ingerunt. Signa etenim interdum uera, interdum falsa sunt. Ibidem.

De curatione leprosorum sic in Petro Alphonso scriptum est: Primum omnium mihi de leprosis, qualiter mundati sunt, & de cæcis, qualiter illuminati, respõderi uolo. PET. Scias quia lepra ullatenus aliter quàm uel per medicinam, uel per Dei uirtutem curari non potest. Quòd si per medicinam, uel per potiones interius, uel per unctiones purgatur exterius. Cùm autem medicinam aliquam operari ab eo homo non uiderit, sed eos uerbo tantùm, & in momento curauerit: patet profectò, quòd per uirtutem Dei factum

sit. MO. Non ne de Firmino mago legimus, quòd leprosum unum mundauerit? PET. Falsum sanè est, quòd eum curauerit: ipse uerò per magicam artem suam oculos hominum decepit, & quod in re non erat, uideri effecit. Cuius rei argumentū est, quòd æger post aliquod tempus eandem ægritudinem recepit. Et licet exterius cutem suam ut alij mundam aspiceret, nunquam tamen, ut ipse dixit, infirmitatem interius non sensit. Præterea autem nusquam in tota Nicromantia legitur, quòd per eam ueraciter leprosus unquam curetur. De cæcis autem, de eis qui cæci nascuntur, contradicit Physica, quòd eos illuminare ualeat medicina. Asitha uerò magus testatur, quòd per artem nicromanticam eis ueraciter lumen non reddatur. titul. decimo in Dialogo.

De mortuorum resuscitatione sic reliquit scriptum Petrus Alphonsus: Esse potest. Sed de mortuis quid dices, cum idem Asitha perhibeat, quòd eos suscitare, & cū eis loqui homo possit: & in libro suo, quo fieri ualeat, modum ostendit: & ex illa parte in libro Regum legatur, ut diximus, qualiter per mulierem phytonissam Samuel suscitatus sit? PET. Verum profectò est, quia sicut dicis, Asitha testatur. Sed inter Dei opus & illud quod per artem magicam fit, in resuscitatione mortuorum distantia ingens habetur. Mortui enim per magum aliquem suscitati, ultrà quàm longa est umbra sua, ambulare non possunt: sed cum ad eius finem uenerint, in terram mortui recidunt. Qui autem per Dei suscitantur uirtutem, bibunt ac comedunt, quò libet & quantum libet incedunt, & quamdiu Dei placitum est, ut cæteri homines uiuunt: sicut illi quos & Helisęus & Helias suscitauit. & Christus. MOSES: Cum huc usque satis ostensum sit, quòd nihil per artem magicam, imò per Dei uirtutem, ut prophetæ alij, homo ille cuncta patrauerit, dicas uolo cur se non prophetam, sed Dei filium uocare præsumpserit? PETRVS: Ideo sanè fecit, quia ueraciter filius Dei fuit. tit. 10 in Dialogo.

De miraculis Christi Petrus Alphonsus inquit: Vbi tantum artis magicæ addiscere potuit Christus, ut per eam in uinum aquā conuerterit, de quinq; panibus hominum milia quinque refecerit, leprosos hydropicosq; sanauerit, claudis gressum, surdis auditum, mutis uerbum, cæcis quoque uisum reddiderit, & quod maius omnibus est, mortuos suscitauerit, aliaque plura miracula fecerit? titulo decimo in Dialogo.

Petrus Cluniacensis in libro secundo cōtra Iudæos prolixè probat, miracula Christi uera fuisse, & à præstigijs diabolicis plurimùm differre. Apostolos ait momento donatos uirtute faciēdi miracula. Item inquit: Magica prodigia semper falsa sunt ac fallentia, nihil uerum exhibent, nihil solidum præstant, fallunt sensus humanos, & dæmonico ministerio fingunt esse quod non est, uideri quod non uidetur, audiri quod non auditur. Imitantur autorem suum, ut sicut ipse mendax est, & pater eius: sic ab eo progenita magica proles nihil uerum, sed falsa cuncta prætendat. Hinc non homines, sed falsas imagines hominum: hinc non quadrupedes uel uolucres, sed falsas imagines quadrupedum uel uolucrum: hinc non repentia, sed falsas imagines repentium, humanos sensus occultis præstigijs fallens exhibet: hinc fontium, hinc fluminum, hinc arborum, hinc rerum omnium phantasmata, magica potentia humanis uisibus repræsentat. Æmulatur in his satanas more suo superba inuidia autorem naturæ, ut sicut ille & noua quæ uult creat, & iam creata in alias quas uult substātias uel species commutat: sic ille fallendi artifex, quia ueraciter creare non potest, saltem creatarum falsa simulacra ad stultos homines decipiendos confingat. Prodit uanitatem talium præstigiarum inconstantia phantasmatum confictorum, quæ statim ut apparent, more nebulæ uel fumi, recessu fugaci protinus euanescunt, & quàm nihil etiam dum uiderētur essent, oculis subitò subtracta demonstrant. At econuersò Christi miracula huius diabolicæ falsitatis prorsus ignara, diuina se esse, non inania & falsa confingendo, sed solida & uera exhibendo, ostendunt. Non enim phantasticum, sed uerum mare Christus pedibus absque cuiuslibet nauis medio instrumento calcauit: non in phantasticum, sed in uerum & bonum uinum aquas mutauit: non phantasticos, sed ueros oculos cæcis aut restituit, aut donauit: non auditum simulatorium, sed naturalem surdis: non simulatoriam, sed ueram mutis loquelam concessit: non fallaciter, sed ueraciter leprosos curauit: non fallaciter, sed ueraciter dæmonia de humanis corporibus expulit: non fallaciter, sed ueraciter uniuersos hominum languores curauit, mortuos quoslibet suscitauit: & tandem non ut propheta quilibet, non ut magnus aliquis, sed ut Deus & Dominus totius creaturæ, cuncta quæ uoluit, fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Nec solùm ea fecit, sed insuper eandem miraculorum potentiam cunctis in se credentibus (quod non nisi Deus potest)

potest) concessit. Nam quicunq; uel ante ipsum uel pòst miranda quælibet fecisse leguntur, creduntur, affirmantur, non propria, sed aliena uirtute ad ea facienda usi sunt: non humana, sed diuina potentia operati sunt. Inde est quòd ea facturi, preces semper ad Deum præmittebant, & iisdem precibus impetrata illa quibus famosi facti sunt, miracula faciebãt. Vnde legis de Moyse, quamuis tacente, antequam rubrum mare diuideret, antequam Pharaonem submergeret, dictum à Deo: Quid clamas ad me? Legis & Heliam, antequam uel mortuum suscitaret, uel igne cœlesti sacrificia Deo oblata consumeret, uel triennem siccitatem pluuijs irrigaret, orasse, genu flexisse, nihilq; horum, nisi præmissa oratione, fecisse. Sic & de cæteris. Nullus enim eorum aliquid talium operum ex se facere potuit: sed quando fecit, ea à Deo, ut fierent, impetrauit. lib.2 contra Iudæos. Item: Sola enim uerè utilitas miraculorum Christi, & si cuncta supradicta deessent, ad idẽ probandum sufficeret. Nam clara, certa, indubia, mirandorum operum probatio est ipsa eorum utilitas, & utrum ex Deo sint, an non, & negligenter attendentibus manifestant. Quicquid enim à Deo in terris de talibus fit, saluti hominum militat: quicquid à satana de similibus fit, curiosę uanitati inseruit. Discernit & diuidit prorsus à diabolicis figmentis diuina miracula utilitas humana, qua semper uacua sunt prodigia diaboli, cui soli semper inseruiunt miracula Christi. Quid enim prodest mortalium, non dico æternis, sed saltem præsentibus commodis, aërius magorum uolatus, phantasticus fluminum cursus, risus imaginum, figmenta ætatum, umbrarum prælia, momento temporis constructa mœnia, altissimæ turres erectæ, urbes maximę uelut in somniorum phantasijs constructæ, & prorsus his similia uniuersa satanæ fallacia, fallentiaque figmenta? Quòd uerò dixi magica figmenta nec præsentibus hominum commodis prodesse, sicut intelligo, sic à lectoribus intelligi uolo. Noui enim magos uel dæmonicorum prodigiorum quoslibet uanissimos sectatores, dum uel occulta, quæ dæmonib. uel ex naturæ subtilitate, aut longissimo usu nota sunt, curiosis uel cupidis hominibus referant, uel uisus eorum inanibus & fumeis simulacris pascunt, multa quandoque lucrari, & uel sibi ab his, à quibus ad hæc agenda instigãtur, plurima sæpe commoda comparare. Non de his ego commodis ago, nec lucra huiusmodi inter humanæ salutis præsentia saltem commoda numero. Sunt quippe ista magis nocentia, quàm proficientia: magis perdentia, quàm saluantia. Non ago, inquam, de turpibus ac nefandis magorum aut mimorum uel eis assentantium uanis artibus comparatis commodis: sed de illis miraculis, quæ aut æternæ animarum saluti famulantur, aut quorum saltem remedijs corpora humana curantur. Quis enim æger istis satanæ fallacijs fallentibusque figmentis unquam curatus est? Cui misero talibus remedijs subuentum est? Cui nisi populari risui talia apta sunt? Quid nisi stultorum oculos pascunt? Ibidem.

De diabolicis præstigijs ait Petrus Cantor: Sed & peregrina iudicia, & incantationes uel execrationes aquæ uel ferri candẽtis sæpe fallunt, nec effectum consequuntur, sicut Ecclesiastica beneficia faciunt. Illis enim sæpe damnatur innocens. Ergo si non euenerit quod pollicetur miraculator iste, nec tale iudicium locutus est Dominus: si autem euenit procuratione diaboli, & permissione Dei, & Dominus huiusmodi iudicium non pręcepit in lege loqui uel Euangelio: ergo interfici debet contra Dominum sic loquens & incantans. capite 64.

Etiam malis concessum miracula facere. Petrus Cantor: Sed miracula facere concessum est & malis à Domino, & pro malis. Vnde: Non'ne in nomine tuo dæmonia eiecimus? &c. Ego tamen etsi per me, uel pro me miracula non fiant, nõ ideo credam me esse minus fidelem, uel innocentem. Modò enim Ecclesia magis innititur bonis operibus, quàm miraculis. Capite 64.

Verbo Dei magis quàm miraculis credendum. Petrus Cantor: Non utitur Dominus potestate, sed Scripturarum autoritate, docens nos magis doctrina pugnare, quàm miraculis. cap. 64.

Cur iam non fiant miracula. Petrus Cantor: Nunc autem fide prædicata & suscepta, sicut nonnulla proclamat autoritas, non est tempus faciendi miracula, sed fidei & mandatorum potius implendi & imitandi opera. Vel si uis ut fiant miracula, trade mihi similem alicui prædictorum prędicatorum, ut & per eum fiant, & pro re nimis utili Ecclesiæ. capite sexagesimo quarto.

Miracula interdum fallere. Petrus Cantor: Si miracula promissa à Domino in Euangelio iustis, quandoq; fallunt, non sunt in necessitate, ut semper effectum suum cõsequantur, ut scilicet curentur ægri per manuum impositionem, & huiusmodi, ut testantur sancti: quomodo hęc miracula peregrini iudicij semper in necessitate sunt, ut fiant uel effectũ suum consequantur. Si fallunt,

sunt, ergo spernenda sunt. Quòd autem furtiua sint huiusmodi miracula peregrini iudicij, ex eo probatur, quòd elementis natura sua per incantationem aufertur. ca.64. Item: Non enim in necessitate fidei est, ut semper adipiscaris sequentia in miraculorũ superficie. Ibidem.

DE SCANDALO.

De scandalo inquit Bernhardus: Constat igitur, ubi ueritas, & ueritas necessaria in causa non est, nec licitè scandalum quodlibet posse à quolibet committi, nec iustè præcipi, nec innoxiè cõsentiri. epistola septima. Et: Vbi enim scãdalum, ibi proculdubio charitatis est detrimentum. Vbi autem diminutio charitatis, miror quod uel quale possit spiritualis exercitij sperari lucrum. epistola octuagesimasecunda. Et: Ipsis itaque illud Gregorianum respondeo: Melius est ut scandalũ oriatur, quàm ueritas relinquatur. In Apologia ad Guilhel. abbat.

Petrus Cantor ait: Summopere ergo cauenda est simultas in congregatione. Ibi enim peccatur magis quàm in priuato loco, maximè illa quæ scandalum parit infirmis. cap.56.

DE CONIVGIO.

Quòd in coniugio uiuendum. Bernhardus: Iob quoque substantiã huius mundi bene dispensans in coniugio fidelem designat populũ, terrena licitè possidentem. Sermone de tribus ordinibus Ecclesiæ.

Sponsa. Lombardus: Aliquando enim sponsas uocant, quæ talem habuerunt desponsationem, ubi fuit pactio coniugalis de præsenti: & illę uerè coniuges sunt. lib. 4. dist. 27.

Quid sit, docet Hugo de sancto Victore: Coniugium est legitima societas intra uirum & fœminam, in qua uidelicet societate ex pari consensu uterq; semetipsum debet alteri. Debitum autem hoc duobus modis consideratur, ut scilicet & se illi conseruet, & se illi non neget. Conseruet uidelicet, ne post talem consensum ad alienã societatem transeat: non neget, ut ab ea quæ ad inuicem, communi societate se non disiungat. Spontaneus ergo consensus, inter uirum & fœminam legitimè factus, quo uterq; debitorem alteri se spondet. de uirginitat. Mariæ.

Lombardus ait: Sunt ergo nuptiæ uel matrimonium, uiri mulierisq; coniunctio maritalis, inter legitimas personas indiuiduam uitæ consuetudinem retinens. lib.4. dist.27.

Diuisio. Lombardus: Coniugij autem institutio duplex est. Vna ante peccatum ad officium facta est in paradiso, ubi esset thorus immaculatus, & nuptię honorabiles, ex quibus sine ardore conciperent, sine dolore parerent. Altera post peccatum ad remedium facta extra paradisum, propter illicitum motum deuitandum. Prima, ut natura multiplicaretur: secunda, ut natura exciperetur, & uitium cohiberetur. Nam & ante peccatum dixit Deus, Crescite & multiplicamini: & post peccatum, omnibus penè hominibus per diluuium consumptis. lib. 4. dist.26.

Coniugium ante peccatum institutum. Lombardus: Cùm alia sacramenta post peccatum & propter peccatum exordiũ sumpserunt, matrimonij Sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum à Domino, non tamen ad remedium, sed ad officium. Refert enim Scriptura Genes. in Adamo misso sopore, &c. libro quarto, distinctione 26.

Quid faciat coniugium. Lombardus: Efficiens autem causa matrimonij est consensus. lib.4. dist.27. Item: Consensus, id est, pactio coniugalis, matrimoniũ facit: & extunc coniugium est, etiamsi non præcessit uel secuta est copula carnalis. Ibidem. Et: Non est ergo ambigendum, quin solus de præsenti consensus coniugium efficiat, & exinde ueri coniuges appellẽtur. Ideo post talem consensum si quis alij se copulauerit, etiamsi carnis commixtio illic sequatur, ad priorem copulam reuocandus est. li. 4. dist.27. Item: Consensus cohabitationis uel carnalis copulæ non facit coniugium, sed consensus coniugalis societatis, uerbis secundum præsens tempus expressus: ut cum uir dicit, Ego te accipio in meam, non dominam, non ancillam, sed coniugem. Quia enim non ancilla uel domina datur, ideo nec de summo, nec de imo à principio formata est: sed de latere uiri, ob coniugalem societatem. Si de summo fieret, ut de capite, uideretur ad dominationem creata: si uerò de imo, ut de pedibus, uideretur ad seruitutem subijcienda. Sed quia nec in dominam, nec in ancillam assumitur, facta est de medio, id est de latere, quia ad coniugalem societatem assumitur. Cum ergo sic cõueniunt, ut dicat uir, Accipio te in meam coniugem: & dicat mulier, Accipio te in meum uirum, his uerbis uel alijs idem significãtibus exprimitur consensus, non copulæ carnalis uel cohabitationis corporalis, sed coniugalis societatis, ex qua oportet eos cohabitare: nisi fortè causa religionis pari uoto corporaliter separentur, uel ad tempus, uel usque in finem. Ibidem dist. uigesimaoctaua. Item: Oportet consensum coniugalem liberum esse à coactione.

ctione. Coactus enim consensus, qui nec consensus appellari debet, coniugium non facit. Ibidem distinctione uigesimanona. Et: Coniugium fieri inter consentientes & spontaneos, non inter renitentes & inuitos. Veruntamen qui inuiti & coacti coniuncti sunt, si postea ab aliquo temporis spacio sine contradictione & querimonia cohabitauerint, facultate discedendi uel reclamandi habita, consentire uidentur: & cōsensus ille consequens supplet, quod præcedens coactio tulerat. Ibidem. Item: Consentire autem probatur, qui euidenter non contradicit: secundum illud, In sponsalibus eorū consensus exigendus est, quorum in nuptijs desideratur. Intelligitur tamen patri filia consentire, nisi euidēter dissentiat. Item: Sponsalia, sicut nuptiæ, consensu fiunt contrahentium. Et ideo sicut in nuptijs, ita & in sponsalibus patrisfamiliàs filiam consentire oportet: quæ si patris uoluntati non repugnat, consentire intelligitur. Ibidem.

Quomodo fiat. Hildebertus: Coniugium fit consensu uoluntatis, non commercio permixtionis. epist. 17.

Quando coniuges reputentur. Lombardus: Quòd enim ab ipsa desponsatione, in qua pactio coniugalis exprimitur, coniuges sint, sanctorum testimonia probant. libro quarto, distinctione uigesimaseptima. Et: Ex tempore quo intercedit consensus uoluntarius ac maritalis, qui solus coniugium facit, ueri coniuges sunt sponsus & sponsa. Ibidem.

De materia inquit Rupertus: Quid autem hoc sibi uult, quòd cum posset mulierem æquè ut uirum formare de limo terræ, maluit costam subducere uiro, eamque in mulierem ædificare? Quid, inquam, hoc uoluit, nisi ut firmam & insolubilem debere esse ostendit unici coniugij charitatem. libro secundo in Genes. capite trigesimoquarto.

DE COGNATIONE.

Lombardus: Est autem cognatio alia carnalis, alia spiritualis. libro quarto, distinctione quadragesima. Item: Cognati ergo uel affines in septimo gradu, uel infrà, copulari non debent. Ibidem.

REGVLA DE AFFINIBVS.

Lombardus: Gregor. de affinitate consanguinitatis per gradus cognationis placuit usq; ad septimam generationem obseruare. Nam & hæreditas rerum per legales instrumentorum definitiones sancita, usq; ad septimum gradum hæredum protendit successionem. Non enim eis succederent, nisi de propagine cognationis deberetur. lib. 4. dist. 41. Item: Hic conceditur, in quinta uel quarta propinquitate, affinium fieri coniugium. Ibidem. Et: Potest etiam Ecclesia dispensare in copula affinium usque ad tertium gradum. Ibidem. Item: Hic prohibet, si mortuo primo uiro, uxor eius alij nupserit, filios de secundo uiro genitos ducere uxores de cognatione prioris uiri: quia filij, mediāte matre, ad cognationem prioris uiri pertinent, cum quo mater eorū una caro extiterat. Ibidem.

De gradibus loquitur Petrus Cantor: Quòd autem nihil solidi habet positiua iusticia, liquet ex eo quòd Dominus certas leges de matrimonio dederit, & inuiolabiles, duodecim tantùm personas excludens à matrimonio, quibus addimus in exceptionem, quintum, sextum & septimū gradum, in eis tantùm ad libitum nostrum quosdam coniungentes, & coniunctos separantes. Sed si coniuncti in sexto gradu legitimè sunt, ergo non sunt separandi, nisi causa fornicationis. Si uerò matrimonium non est inter eos, & scienter toleramus aliquos sic coniungi, autores sumus fornicationis eorum, cum eos possimus separare. Item: Hic addimus secundum & tertium genus affinitatis, quibus plures laquei & doli dantur pluribus ad coniūgendum & separandum captiosè quos uoluerunt. Item: Ad hoc ualet illud decretum captiosum, hoc scilicet quòd aliquis ducat filiam compatris sui, nec laudo nec uitupero, nec prohibeo nec præcipio. Quòd si eam duxerit, coniunctos non separo. Item: Quia periculosum est generalitati & definitionib. iudiciorum astringi: frequens est enim aliquid extra regulam & generalitatē inueniri. cap. 41.

De conditione. Lombardus: Nunc autē de conditione uideamus, an ualeat coniugium diuidere? Ad quod dicimus, quia nō negatur ingenua posse nubere seruo: sed si nescitur esse seruilis conditionis, liberè potest dimitti, cum seruitus eius fuerit deprehensa, secūdum illud: Si quis ingenuus homo ancillam alterius uxorem acceperit, & æstimat quòd ingenua sit, si ipsa fœmina fuerit postea in seruitutem deiecta, si eam à seruitute redimere potest, faciat: si non potest, si uoluerit aliam accipiat. Si uerò eam ancillam scierat & collaudauerat, prout legitimam eam habeat. Item ex eodem: Si fœmina ingenua acceperit seruum, sciens quòd seruus esset, habeat eum: quia omnes unum patrem habemus in cœlis, una lex erit uiro & fœminæ. Cum dicitur sciens illum seruum, datur intelligi: quòd si nescierit illum seruum esse, non cogitur manere cum ipso. Si enim conditionis dolum patitur, non cogitur adhærere

et

ei cuius fraude decepta est. Si autem scierit uir conditionē mulieris, uel econuersò, nō ualet eam dimittere. Vnde Zacharias papa: Si quis liber ancillam in matrimonio acceperit, non habet licentiam dimittendi eam, si consensu amborum coniuncti sunt, nisi ob fornicationem. De illis agit, quibus alterutrius conditio nota est quando coniunguntur. libro quarto, distinctione trigesimasexta.

De ætate. Lombardus: Hoc etiam sciendum est, quòd pueri ante quatuordecim annos, & puellæ ante duodecim annos secundum leges matrimonium inire nequeunt. Quòd si ante prædicta tempora copulam inierint, separari possunt, quamuis uoluntate & assensu parentum iuncti fuerint. Qui uerò in pueritia copulati post annos pubertatis nolunt se relinquere, sed in coniunctione permanere, iam ex hoc efficiuntur coniuges, & deinceps nequeunt separari. Item: Sponsalia ante septennium contrahi non possunt: solo enim cō sensu contrahuntur, qui interuenire non potest, nisi ab alterutra parte intelligatur quod inter eos agitur. libro quarto, distinctione 36.

De dispari cultu. Lombardus: Non enim licet Christiano cum gentili uel Iudęa inire coniugium: quia etiam in ueteri Testamento prohibitum est, fideles uiros infideles ducere uxores, Domino dicente: Nō accipias uxores de filiabus alienigenarum filijs tuis, ne traducant eos post deos suos. Iuxta hoc Domini præceptum Iudæorum coniugia cum alienigenis inita Esdras separauit. Hoc idem etiam in nouo Testamento seruatur. libro quarto, distinctione trigesimanona.

De infideli. Lombardus: Potest tamen licitè dimittere: quia in infideli est fornicatio, si non corporis, tamen mentis. Causam enim fornicationis Dominus excepit. Fornicationem uerò generalem & uniuersalem intelligere cogimur, non modò scilicet corporalem, sed & spiritualem. libro 4. distinctione 39.

De occulto consensu Lombardus ait: Nam & consensus occultus de præsenti per uerba expressus, coniugium facit, licet non sit ibi honestus contractus: sed matrimonium non sanxit consensus qui in occulto fuit. Si enim alter alterum dimiserit, non cogitur iudicio Ecclesiæ redire, & commanere quasi cum coniuge: quia non potest probari testibus contractus, qui in occulto est factus. Quòd si ipsi qui in occulto sibi consenserunt, eundem consensum uoluntariè in manifesto profiteantur, tunc utique propria uoluntas suffragatur, & legitima uota succurrunt ad sanciendū coniugium, quod prius occultè fuerat contractum. Voluntas ergo uerbis expressa in occulto ad hoc suffragatur, ut fiat coniugiū: manifestè uerò expressa suffragatur, ut sanciat & roboret, ac liberum sit Ecclesiæ de hoc iudicare, si expedierit. libro quarto, distinctione 28.

De errore inquit Lombardus: Nec solùm coactio impedit uel excludit consensum, sed etiam error. Non autem omnis error consensum impedit. Est enim error alius personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error personæ, quando hic putatur esse homo ille, & est alius. Error fortunæ, quando putatur esse diues qui pauper est, uel econuersò. Error conditionis, quando putatur esse liber qui seruus est. Error qualitatis, quando putatur esse bonus qui malus est. Error fortunę & qualitatis, coniugij consensum non excludit. Error uerò conditionis coniugalem consensum euacuat: de qua conditione postmodum tractabimus. Error quoque personæ consensum coniugalem non admittit. libro quarto, distinctione trigesima. Item: Hodie etiam excusaretur ille, cui inscio uxoris soror lectulū eius ingressa se subijceret: quæ cum sine spe coniugij perpetuò manere censeatur, ille tamen qui cognouit eam, per ignorantiam excusatur. Ibidem. Et: Nec error qualitatis, ut si quis ducat uxorem meretricem uel corruptam, quam putat esse castam uel uirginem, non potest eam dimittere. Ibidem.

DE SEPARATIONE.

Lombardus: Separatio autē gemina est, corporalis scilicet & sacramentalis. Corporaliter possunt separari causa fornicationis, uel ex communi cōsensu causa religionis, siue ad tempus, siue usque ad finem. Sacramentaliter uerò separari non possunt dum uiuunt, si legitimæ personæ sint. Manet enim uinculum coniugale inter eos, etiamsi alijs à se discedentes adhæserint. libro quarto, distinctione trigesimaprima. Item: Hoc etiam notandum est, quòd cum Dominus concedat uxorem dimitti causa fornicationis uiro, eadem licentia non tollitur fœminis. Ibidem distinctione trigesimaquinta.

De hermophroditis ait Petrus Cantor: Vnde Ecclesia homini androgyno, id est, habenti instrumētum utriusq; sexus, apto scilicet ad agendum & patiendum, instrumēto quo magis calefit, quóue magis est infirmus, permittit uti. Si magis calescit, ut uir, permittunt eum ducere: si uerò magis mollescat, ut mulier, permittunt eum nubere.

Si

Si autem in illo instrumento defecerit, nũquam concedetur ei usus reliqui: sed perpetuò continebit, propter uestigia affinitatis uicij Sodomitici, quod à Domino detestatur. cap. 102.

DE POLYGAMIA.

Lõbardus: Quęritur hic de antiquis patribus, qui simul plures leguntur habuisse uxores uel cõcubinas, utrũ peccauerint? Ad qđ dicimus: Pro uarietate tẽporũ uaria inuenitur dispensatio conditoris. libro quarto, distinctione trigesimatertia. Itẽ: Sed nunquid sub lege licebat habere plures uxores? Audi quid scriptum est in Deuteronomio: Non habebit rex uxores plurimas, quæ alliciant animam eius. Ibidem. Et: Veniente autem plenitudinis tempore, quo Christi gratia ubiq; est dilatata, reducta est lex nuptiarum ad priorem honestioremq; institutionem, ut unus uni in figura Christi & Ecclesiæ cõiungatur. Ibid.

De furiosis. Lombardus: Furiosi quoq; dum in amentia sunt, matrimonium contrahere non ualent. Vnde Fabianus: Neq; furiosus, neq; furiosa matrimonium contrahere possunt: sed si contractum fuerit, non separentur. Item Nicolaus papa: Hi qui matrimonium sani contraxerunt, & uni ex duobus uel ambobus amentia, uel furor, uel aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem talium coniugia solui non possunt. Similiter est etiam sciendum de his qui ab aduersarijs excæcantur, uel membris truncantur, uel à barbaris execti fuerint. lib. 4. dist. 34.

De homicidis & abortibus. Lombardus: Hic quæri solet de his qui abortum procurant, quando iudicentur homicidę uel nõ. Tunc puerperium ad homicidium pertinet, quando formatum est, & animam habet, ut Augustinus super Exod. asserit. Informe autem puerperium, ubi non est anima uiua, lex ad homicidium pertinere noluit. Dicit etiam Augustinus, quòd informe puerperium nõ habet animam, ideoq; mulctatur pecunia, non redditur anima pro anima. Sed iam formato corpori anima datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine deriuata. Nam si cum semine & anima existit de anima, tunc & multæ animæ quotidie pereunt, cum semen fluxu non proficit natiuitati. lib. 4. distinctione 31. Item: His apparet, tunc eos homicidas esse, qui abortum procurant, cum formatum est & animatum puerperium. Ibidem.

De ueneni procuratoribus. Lombardus: Qui uerò uenena sterilitatis procurant, non coniuges, sed fornicarij sunt. lib. 4. dist. 31.

De debilitate. Lombardus: Illud etiam sciendum est, quòd pro aliqua infirmitate uel macula corporali non licet uiro uxorem dimittere, & econuersò: sed debet alter alteri subsidia prouidere. Vnde Augustinus: Si uxorem quis habeat sterilem, siue deformẽ corpore, uel debilem membris, uel cæcam, uel claudam, uel surdam, uel si quid aliud, siue morbis uel laboribus doloribusq; confectam, & quicquid, excepta fornicatione, excogitari potest uehementer horribile, pro societate fideq; sustineat. lib. 4. dist. 34.

De tribus bonis coniugij ait Lõbardus: Tria sunt principaliter bona coniugij. Vnde August. Nuptiale bonum tripartitũ est, scilicet fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne post uinculum coniugale cũ alio uel alia coeatur: in prole, ut amanter suscipiatur, religiosè educetur: in sacramẽto, ut coniugium non separetur, & dimissus uel dimissa nec causa prolis alteri coniugatur. lib. 4. dist. 31.

De amore coniugũ inquit Bernhardus: Hic nexus uincit etiam quod natura arctius uinxit, uinculum parentum ad filios. Deniq; propterhoc, ait, relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit sponsæ. Vides iste affectus quàm sit in sponsis non cæteris tantùm affectibus, sed etiam seipso potẽtior. Adde quòd iste spõsus non modò amans, sed amor est. Ser. 83 super Cant.

Indiuiduam uitæ cõsuetudinem complectitur. Lombardus: Cum uir & mulier legitimè coniuncti sunt, constat alterum altero uiuente ad aliam non posse transire copulam: alioquin adulterium committitur. lib. 4. dist. 38.

Petrus Blesensis inquit: In publicam noticiam uenit, nec alicui Christiano est dubium ignorare quàm firma & indissolubilis sit copula coniugalis. Matrimonia semel inita separari non posse sanxit Veritas, quæ mentiri non potest. Quos Deus, inquit, cõiunxit, homo non separet. Sicut enim diuini mandati se transgressorem constituit qui separat coniugatos, ita culpabilis est coniugata quæ à uiro suo se separat, fidemq; socialis uinculi non obseruat, cum una caro coniuges efficiantur, dũ conuenit spirituũ unitas in cõsensu. Naturæ conditionẽ, Apostoli mandatum, & Euangelium, legemq; mulier illa euacuat, quæ uiro non est subdita. Caput enim mulieris uir est, de uiro est sumpta, uiro est unita, uiri subdita potestati. Omnium itaq; communi & lamentabili querimonia deplora-

tum Adæ uitatio fornicationis. unde Apostolus: Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam, & unaquæque habeat uirum suum. Sunt & aliæ causæ honestæ, ut inimicorum reconciliatio, & pacis redintegratio. Sunt etiam & aliæ causæ minus honestæ, propter quas aliquando contrahitur: ut uiri mulierisque pulchritudo, quæ animos amore inflammatos sæpe impellit inire coniugium, ut ualeant suum explere desiderium. Quæstus quoque & diuitiarum possessio frequenter est coniugij causa, & alia multa, quæ cuique diligentiam adhibenti facile est discernere. Nec est assentiendum illis, qui dicunt non esse coniugium, quod pro pter has causas minus honestas contrahitur. Constat enim ex præmissis, coniugium fieri ex communi consensu uerbis de præsenti expressis, quamuis amor ad hoc attraxerit. Cuius rei documentum præstat Iacob, qui Rachel decoram facie & uenusto aspectu amauit, eamque multùm diligens ait: Seruiam tibi pro Rachel septem annis. In Deuteronomio etiam legitur: Si uideris in medio captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, uolueris q; uxorem habere, introduces eam in domũ tuam. libro quarto, distinctione trigesima. Item: Quòd uerò coniugium sit inter eos qui coniugati affectu, non tamen gratia prolis, sed explendæ libidinis causa conueniunt: nec fornicarij, sed coniuges appellentur, ostendit Augustinus. Ibidem distinct. 31.

Est typus unionis. Bernhardus: Si carnale matrimonium constituit duos in carne una, cur non magis spiritualis copula duos coniunget in uno spiritu? Deniq; qui adhæret Deo, unus spiritus est. Sermon. 8 super Cantica.

DE VIRGINITATE.

Bernhardus ait: Laudabilis uirtus uirginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur: ad illam inuitaris, ad istam cogeris. De illa dicitur: Qui potest capere, capiat. de ista dicitur: Nisi quis efficiatur sicut paruulus iste, non intrabit in regnum cœlorum. Illa ergo remuneratur, ista exigitur. Potes denique sine uirginitate saluari, sine humilitate non potes. Homilia prima de laudibus B. Mariæ.

Lombardus ait: Castitas uirginalis non præferatur in merito coniugali castitati Abrahæ. libro quarto, distinctione 34. Item: Melior est autem uirginitas mentis, quàm carnis. Ibidem.

Fornicatio. Lombardus. Fornicatio, licet genus sit omnis illiciti coitus, qui fit extra uxorem, tamen specialiter intelligitur in usu uiduarum uel meretricum, uel concubinarum. libro quarto, distinct. 41.

Stuprum. Lombardus: Stuprum propriè est uirginum illicita defloratio. lib. 4. dist. 41.

Adulterium. Lombardus: Adulterium est alieni thori uiolatio: unde Adulterium dicitur, quasi alterius thori accessio. li. 4. dist. 41.

Incęstus. Lombardus: Incęstus est consanguinearum uel affinium abusus. Vnde incęstuosi dicuntur, qui consanguineis uel affinibus suis abutuntur. libro quarto, distinct. 41.

Raptus. Lombardus: Raptus admittitur, cum puella uiolenter à domo patris educitur, ut corrupta in uxorem habeatur. Siue puellæ, siue parentibus uis illata constiterit, hic morte mulctatur. Sed si ad Ecclesiam cum rapta confugerit, priuilegio Ecclesię mortis impunitatem meretur. lib. 4. dist. 41.

DE MAGISTRATV.

Dij. Petrus Cluniacensis: Vocantur illi dij, non quòd aliqua deitas in eis fuerit, sed quia principatu aliquo, dignitate aliqua, uel sanctitate quibusdam alijs à Deo prælati fuerint. lib. 2 contra Iudæos.

Deũ regere magistratus. Hildebertus: Ipse est in cuius manu corda regum cerea sunt, quocunq; sibi placet, eò solus inclinat, alterat in quam uult formam. Si inuenero gratiam in oculis eius, gratiam regis uel facilè consequar, uel utiliter amittam. Siquidem hominem offendere propter Deum, lucrari est gratiam Dei. epist. 71.

Iohannes Salisberiensis ait: Est ergo, ut pleriq; diffiniunt, princeps potestas publica, & in terris quædam diuinæ potestatis imago. lib. 4 Policrat. de Curial. nugis, capite 1. Item: Est ergo tyranni & principis hæc differentia sola uel maxima, quòd hic legi obtemperat, & eius arbitrio populum regit, cuius se credit ministrum, & in reipublicæ muneribus exercendis, & oneribus subeundis, legis beneficio sibi primum uẽdicat locum. Ibidem.

Malum non iubendum. Bernhardus: Quod autem nec bonum est, nec bene fieri potest, purum procul dubio malum est. Quomodo ergo uel abbatis iussio, uel papæ permissio licitum facere ualuit, quod purum (sicut irrefutabiliter probatum est) malum fuit, cum superius nihilominus allegatum sit, ea quæ huiusmodi sunt, id est pura mala, ut nunquam iustè iuberi, sic nec licitè posse fieri? Vides quàm inanis excusatio de humana obediẽtia, ubi in Deũ conuincitur facta transgressio? epist. 7.

Regulam in regimine Bernhardus dictat: Multa nescias, plurima dissimules, nō nulla obliuiscaris. libro quarto de Consideratione.

Item de legibus positiuis inquit Iohannes Salisberiensis: Rectè quidem omnium legum inanis est censura, si non diuinæ legis imaginem gerat: & inutilis est constitutio principis, si non est Ecclesiasticæ disciplinæ conformis. libro quarto Policrat. de curial. nugis, cap. 7. Item: Sunt autem præcepta quædam perpetuam habentia necessitatem, apud omnes gentes legitima, & quæ omnino impunè solui non possunt. Ibidem cap. 7. Item: Nec tantùm dispensationem legis subtraho manibus potestatum, sed perpetuam præceptionem aut prohibitionem habentia, libito eorum nequaquam arbitror supponenda. In his itaque duntaxat quę mobilia sunt, dispensatio uerborum admittitur: ita tamen ut compensatione honestatis aut utilitatis, mens legis integra conseruetur. Ibidem. Item: Porrò lex donū Dei est, æquitatis forma, norma iusticiæ, diuinæ uoluntatis imago, salutis custodia, unio & consolatio populorum, regula officiorum, exclusio & exterminatio uitiorum, uiolentię & totius iniuriæ pœna lib. 8. cap. 17.

Quando imperia sint firma. Bernhardus: Regna terræ & iura regnorum tunc sanè sana suis dominis atq; illæsa persistunt, si diuinis ordinationibus ac dispositionibus non resistunt. epist. 255.

Quæ in oppidis necessaria. Bernhardus: Tria certè in omni oppido sunt maximè necessaria, uictualia quibus sustētētur, munitio qua protegantur, arma quibus hostibus resistant. Serm. quinto de assumpt. Mariæ.

De ultione inquit Bernhardus: Hæc ipsa ultio quæ facienda est, eo quoque zelo quo facienda est, fiat: quatenus non solùm præsens facinus mulctatum esse uideatur, sed etiam à simili temeritate audiens omnis malignitas compescatur.

Iohannes Salisberiensis: Porrò tyrannum occidere non modò licitum est, sed æquum & iustum. Qui enim gladium accipit, gladio dignus est interire. Sed accipere intelligitur. qui eum propria temeritate usurpat, non qui utendi eo à Domino accipit potestatem. Vtique qui à Deo accipit potestatem, legibus seruit, & iusticiæ & iuris est famulus. Qui uerò eam usurpat, iura deprimit, & uoluntati suæ leges submittit. In eum ergo meritò armantur iura, qui leges exarmat, & publica potestas sæuit in eum qui euacuare nititur publicam manum. libro tertio Policrat. de curial. nugis, cap. 15. Item: Hunc ergo gladium de manu Ecclesiæ accipit princeps, cum tamen ipsa gladium sanguinis non habeat, habet tamen & istum: sed eo utitur per principis manum, cui coercendorum corporum contulit potestatem, spiritualium sibi in pōtificibus autoritate reseruata. Est ergo princeps sacerdotij quidem minister, & qui sacrorum officiorum illam partem exercet, quæ sacerdotij manibus uidetur indigna. lib. 4. cap. 3. Item: Sic & potestas, cum inferiorum uitia mansueta manu curare non sufficit, pœnarum acrimoniam dolens rectè uulneribus infundit: & pia crudelitate sæuit in malos, dum bonorum incolumitas procuratur. Ibidem cap. 8.

De pœna magistratuum inquit Petrus Blesensis: Certissimum est, quia quod non potuit homo, puniat Deus. Epist. 130.

De appellatione inquit Bernhardus: Appellasse iniquè, iniquum est: iniquè & impunè, iniquatum appellationum fomes. Iniqua autem omnis appellatio, ad quam iusticiæ inopia non coëgit. Appellare, non ut graues, sed si graueris, licet. Appellandū à sententia. Ante sententiam improbè omnino, nisi ob manifestum grauamen, præsumitur appellatio. Qui igitur non grauatus appellat, liquet quia aut grauare intendit, aut tempus redimere. Non est autem suffugium appellatio, sed refugium. Quantos nouimus appellasse pulsatos, quo interim liceret, quod nunquam licet? Nonnullis etiam quoad uixerunt licuisse appellationis suffragio nefaria scimus: uerbi gratia, incæstum, adulterium. Quale est hoc, turpitudini patrocinari, quod uel maximè formidari à turpibus oportebat? Quousq; murmur uniuersę terrę aut dissimulas, aut non aduertis? Quousq; dormitas? quousq; non euigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem atq; abusionem? Præter ius & fas, præter morem & ordinem fiunt. Non locus, non modus, nō tempus, non causa discernitur, aut persona. Præsumuntur leuiter passim, plerunq; & nequiter. Volētes malignari, nónne his potissimùm terreri solebant? Nunc terrori ipsi ex his magis fiunt, atq; id bonis. Antidotum uersum in uenenū, non mutatio dexteræ excelsi hæc. Appellantur boni à malis, ut nō faciāt bona, & supersedēt à uoce tonitrui tui formidātes. Deniq; appellātur episcopi, ne illicita audeāt matrimonia soluere uel prohibere. Appellātur ne rapinas, ne furta, ne sacrilegia, & quæ eiusmodi sunt, punire ullatenus uel cohibere præsumant. Appellantur, ne indignas & infames personas à sacris officijs be-

neficijsúe repellere seu amouere queant. Quod tu inuenis remedium morbo huic, ne quod repertum ad remedium fuit, reperiatur ad mortem? libro tertio de Consideratione.

Vnde princeps. Iohannes Salisberiensis: Hunc itaque, ut iam dictum est, dispositio diuina in arce reipublicæ collocauit, & eum nunc arcano prouidentiæ suæ mysterio cæteris præfert, nunc quasi suorum iudicio sacerdotum, nunc ad eum præficiendum totius populi uota concurrunt. libro quinto de Curial. nugis, capite sexto. Item: Gubernatio uerò populi illi tradenda est, quem Deus elegerit: homini scilicet tali, qui habet Spiritum Dei in se, & præcepta Dei in conspectu eius sunt, qui Moysi ualde notus sit & familiaris: id est, in quo sit claritas legis & scientia, ut possint eum audire filij Israel. Ibidem. Item: Impossibile enim est, ut salubriter disponat principatum, qui non agit consilio sapientum. Ibid.

De obedientia erga magistratum Bernhardus ait: Si totus orbis aduersum me cõiuraret, ut quippiam moliar aduersum regiam maiestatem, ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo regem offendere temerè non auderem. Nec enim ignoro ubi legerim: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. epist. 170.

Petrus Blesensis ait: Mihi non uidetur absurdum, si domino regi, iuxta Apostolum, tanquam præcellenti honorem & obsequium exhibetis. Regibus enim non solùm bonis & modestis, sed etiam discolis in omni humilitate & reuerentia censeo seruiendum. epist. 80.

Iohannes Salisberiensis ait: Nos autem quibus de cœlo ueritas illuxit, non deorum, qui nulli sunt, sed ueri Dei ministris & amicis reuerentiam magnam credimus exhibendam: sed & inimicis eius interdum, quoniam hoc ipse præcepit, qui sæpe in maximam eruditionem suorum, pessimis hominibus contulit potestatem. libro quinto de Curial. nugis, capite quinto. Item: Nam cum quis legitimum accipit principatum, tanquam præsenti & corporali deo fidelis est ei præstanda deuotio, impendendus peruigil famulatus. Deo enim uel priuatus uel militans seruit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat autore. lib. 7. cap. 7.

De negligentia magistratuum querela. Hildebertus: Cæterùm uides quia iam potestas sine causa gladium portat, in uagina reconditus est, pellibus mortuorum animalium tectus est. In Christum Malchus, in uasa templi Balthasar impunè manus extendit. Nemo est quem zelus domus Domini comedat. Nemo est qui cum Moyse minetur & dicat: Inebriabo sagittas meas sanguine. Bonum ergo est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. epist. 40.

Erroribus magistratuum plures inuolui. Bernhardus: Principis error multos inuoluit, & tantis obest, quantis præest ipse. Nec præsumus, sicut scitis, ut perdamus, sed ut regamus subiectos. Per quem reges regnant, ipse nos præfecit populis suis, à nobis tuendis, non subuertendis, planè sanctæ suæ Ecclesiæ ministros, non dominos. epist. 127.

Iohannes Salisberiensis ait: Princeps enim tenetur de omnibus, & omnium autor esse uidetur: quia cũ omnia possit corrigere, eorum merito particeps est quæ noluit emendare. lib. 4. cap. 12.

De fine inquit Petrus Blesensis: Omnis enim iusticia ideo exercetur, ut debita quiete gaudeat innocentia, & malignantium temeritas reseruetur. epist. 55.

Potho: Nam cum sensualis rationi seruit, cum terrenum regnum cœlesti regno militat, cum legibus diuinis iura humana in nullo contradicunt, disciplina domus bene regitur. lib. 1 de Statu domus Dei.

Iohannes Salisberiensis ait: Publicæ ergo utilitatis minister, & æquitatis seruus, est princeps, & in eo personam publicam gerit, quòd omnium iniurias & damna, sed & crimina omnia æquitate media punit. Virga quoque eius & baculus, adhibita moderatione sapientiæ, contractus omnium & errores ad uiam reducit æquitatis. libro quarto Policrat. de curial. nugis, capite secundo. Item: Officium quoque eius illis qui minimum possunt, plurimùm prodest: & illis qui nocere desiderant, plurimùm aduersatur. Ibidem. Item: Totum ergo se Deo debet, plurimum suæ patriæ, multum parentibus & propinquis, extraneis minimum, nonnihil tamen. Sapientibus ergo & insipientibus debitorem, pusillis & maioribus. Ibid. cap. 3. Item: Subiectis itaq; pater sit & maritus, aut si teneriorem nouerit affectionem, utatur ea. Amari magis studeat quàm timeri, & se talem illis exhibeat, ut uitam eius ex deuotione præferant suæ, & incolumitatẽ illius quandam publicã reputent uitã. Ibid. Item: Licebit ne ergo canes multiplicare, uolucresúe rapaces, aut truces bestias, aut quælibet portẽta naturæ, cui equorũ, qui ad militiã necessarij, & usum totius uitę, ex quãtitate legitima præfinitus est numerus? Nã de histrionibus, & mimis, scurris, & meretricibus, lenonib. & huiusmodi pdigijs ho-

minum, quæ principẽ oportet potius exterminare quàm fouere, non fuit in lege mentio facta, quæ quidem omnes abominationes istas non modò à principis aula excludit, sed eliminat à populo Dei. Ibidẽ capite quarto. Item: Magna siquidem diligẽtia præcauendum est omni qui in sublimitate constituitur, ne inferiores corrumpat exemplis & abusione rerum, & per superbiæ aut luxuriæ uiam ad confusionis tenebras reducat populum. Frequens est enim, ut subditi superiorum uitam imitentur: quia magistratui populus studet esse conformis, & unusquisque libenter appetit in quo alium cernit illustrem. Ibidem. Item: Ecce quia princeps non debet esse ignarus iuris, & licet multis priuilegijs gaudeat, nec militiæ prætextu legem Domini permittitur ignorare. Ibidem cap. 6. Et: In eo namq; præcipuam operam dabant, ut sacratissimæ leges, quæ cõstringunt omnium uitas, scirentur & tenerentur ab hominibus, nec illarum esset quisquam ignarus, nisi aut publica utilitate erroris dispendium compensaret, aut miseratione ætatis, aut sexus infirmitate legitimę acerbitatis euitaret aculeos. Illorum itaque gesta, uirtutum incitamenta sunt: uerba quot sunt, tot institutiones morum. Denique uitam, uitijs subiugatis & captiuatis, quasi arcum triumphalem consecratum posteritati magnificè uirtutis titulis erexerunt, fideli confessione prædicantes in omnibus, Quia non manus nostra excelsa, sed Dominus fecit hæc omnia. Ibidem. Et: Ex quibus liquidò constat, quàm necessaria sit principibus peritia literarum, qui legem Domini quotidie reuoluere lectione iubentur. Ibidem. Et: Timeat ergo princeps Dominum, & se prompta humilitate mentis, & pia exhibitione operis seruum profiteatur. Dominus etenim, serui dominus est. Seruit itaque Domino princeps, dum conseruis suis, subditis scilicet, fideliter seruit. Sed & dominum Deum esse agnoscat, cui non plus timoris ex maiestate, quàm amoris ex pietate exhibendum est. Ibidem capite septimo. Item: Non itaque superbiat super fratres, sed cum fratrum meminerit, fraternum subiectis omnibus impendat affectum, & quidem prudenter: Dominus enim humilitatem, cum discretione & charitate, indicit principibus: quia sine istis omnino sustineri non potest principatus. Ibidem. Et: Nec tamen eatenus superbiam uitet, ut incidat in contemptum: quia sicut elatio, ita & abiectio declinanda est. Ibidem. Item: Præterea sit in uerbo affabilis, munificus in beneficijs, & integræ autoritatis. Seruet in moribus dignitatem, famam namque benignitatis conciliat sermo bonus & lingua gratiosa: amorem fidelissimum & constãtissimum etiam à durioribus extorquent beneficia, & quem facere fouent, & solidant: & morum dignitati debetur reuerentia subditorum. Ibidem capite octauo. Et: Si enim citharœdus alijq́ue fidicines multa diligentia procurant, quomodo oberrantis chordæ compescant uitium, & eandem alijs unanimem reddant, faciantq́; dulcissimam dissidentium consonantiam, chordis non ruptis, sed tensis proportionaliter, uel remissis: quanta solicitudine oportet principem moderari, nunc rigore iusticiæ, nunc remissione clementiæ, ut subditos quasi faciat unanimes esse in domo, & quasi discordantium in ministerium pacis & charitatis operibus unam faciat perfectam & maximam harmoniam. Ibidem. Et: Rectè igitur iudicet uniuersa. Rectè itaque facit, cum ignauum fucos pecus à præsepibus arcet, qui aluearia spoliant, & quicquid dulce est, bibũt aut asportant. Rectè facit cum Ecclesiæ promouet culmen, cum religionis dilatat cultum, cũ superbos humiliat, & exaltat humiles, munificus in egenos, in copiosos frugalior, cũ uirtutes præmio, & uitia æqua pœnarum lance remunerat, cum iusticia usquequaq; ante eum ambulat, & ponit in uia prudentiæ aliarumq́; uirtutum gressus suos. lib. 6. capite 26.

Contra milites Petrus Blesensis ait: Porrò ordo militum nunc est, ordinem nõ tenere. Nam cuius os maiore uerborũ spurcitia polluitur, qui detestabilius iurat, qui minus Deum timet, qui ministros Dei uilifacit, qui Ecclesiam non ueretur, iste hodie in cœtu militum fortior nominatiorque deputatur. epist. 37. Item: Qui contra inimicos Christi uires suas exercere debuerant, in potibus & ebrietatibus pugnant, uacant ocio, marcent crapula, uitamq́; degenerem in immundicijs transigentes, nomen & officium militiæ dehonestant. Nihil damnabilius est in milite quàm ocium, per quod usus armorum dediscitur, nutritur pusillanimitas, uires fatiscunt, obrepit inertia, & ad munditiæ actus animus occupatur. epist. 37.

De discrimine Ecclesiasticæ & politicæ potestatis Rupertus inquit: Illa uirga, quæ dominationis est, non est concessa ministris Euangelici pacis, & illa interdicitur hic, dicendo: Neque uirgam. Amplius autem illic: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici uocantur: uos autem non

non sic. libro octauo in Matth. capite decimo. Item: Duæ uirgæ sunt, altera regum gentium, alia discipulorum Christi. Virga regum gentium, uirga est dominationis. Virga discipulorum Christi, uirga dilectionis, uirga pastoralis officij, super curam animarum solicitè uigilantis. Illa uirga quæ dominationis est, non est concessa ministris Euangelij pacis, & illa interdicitur hic, dicendo: Neque uirgam. Amplius autem illic: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici uocantur: uos autem non sic. Porrò uirgam disciplinæ, uirgam pastoralis solicitudinis ac uigilantiæ, non solùm nunquam interdixit, uerumetiam ab initio iussit, ab initio (inquam) id est, ex quo primùm pastores animarum mittere cœpit. Talium namque primi fuerunt Moyses & Aaron. Illis utique, quum mitteret eos, non præcepit Dominus, ut quicquam tollerent in uia, nisi uirgam tantùm. Quid est (ait ipse ad Mosen) quod tenes in manu tua? Respondit: Virga. Ait: Proijce eam in terram. Proiecit, & uersa est in colubrum, &c. Et subinde: Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. Quid aliud præcepit huic uel fratri eius Aaron, ut tollerent in uia, nisi uirgam illam tantùm? Sic nimirum Euangelistis omnibus, cunctis Euangelij prædicatoribus nihil aliud præcipit in uia sua tollere, nisi uigorem pastoralis curæ, nisi legem uitæ ac disciplinæ, & pro huius rei signo interdùm uirgam quoque materialem manu gestare. Porrò uirgam dominationis (sicut iam dictum est) apud istum Euangelistam interdicit. Quod sciens apostolus Petrus, dicit: Neque dominantes in clero, sed forma facti gregis. Et Paulus ad Corinth. Parcens, inquit, uobis non ueni ultra Corinthum: non quia dominamur fidei uestræ, sed adiutores sumus gaudij uestri. Nam fide statis. lib. 8 in Matth. cap. 10.

Qualis debeat esse iudex. Iohannes Salisberiensis: Sed ad religionem principis hæc eadem pertinere certissimum, cum ipsum iuris oporteat habere noticiam, uoluntatem boni, uires exequendi, & sacramento debeat esse legibus obligatus, ut sibi omnino illicitum sit nouerit, ab earum sinceritate diuertere. libro quinto Policrat. de curial. nugis, capite undecimo. Item: Et in eo quidem tempore nihil miserabilius uidi, quàm iudices scientiæ legis ignaros, bonæ uoluntatis inanes, quos conuincit amor munerum & retributionum, id iurium quod habent, in obsequio auariciæ, iactantiæ, aut carnis aut sanguinis exercentes, & à necessitate sacramenti legitimi absolutos. Ibidem.

De tyranno inquit Iohannes Salisberiensis: Tyrannus est qui populum uiolenta dominatione premit. lib. 7 Policrat. de Curial. nugis, cap. 17.

De militia inquit Iohannes Salisberiensis: Sed quis est usus militiæ ordinatæ? Tueri Ecclesiam, perfidiam impugnare, sacerdotium uenerari, pauperum propulsare iniurias, pacare prouinciam, pro fratribus, ut sacramenti docet conceptio, fundere sanguinem, & si opus est, animam ponere. libro 6 Policrat. cap. 8. Item: Nam & hæc agentes milites sancti sunt, & in eo fideliores principi, quo seruant studiosius fidem Dei: & uirtutis suæ utilius gloriam promouent, quo fidelius Dei sui in omnibus gloriam quærunt. Ibidem. Item: Nec refert fideli quis militet, an infideli: dum tantũ militet fide incolumi. Ibidem capite decimonono. Et: Hæc autem omni militiæ formula præscribenda est & implenda, ut Deo primùm fides debita, deinde principi & reipublicæ seruetur incolumis. Et semper maiora præiudicabunt minoribus, quia nec reipublicæ, nec principi fides seruanda est contra Deum, sed secundum Deum, sicut habet ipsa conceptio sacramenti militaris. Ibidem. Item: Nam sicut eis pro Ecclesia plurimùm, ita contra Ecclesiam licet nihil. Ibidem capite decimo. Et: Nouerat enim manum militarem promptam ad iniurias, rapinis assuetam: & cui nunquam aut rarò sufficiunt sua, quin appetat aliena. Ibidem. Item: Veruntamen cum in omni professione disciplina necessaria sit, nunquam magis quàm in clero & re militari. At res militaris, quæ minus exercetur in spiritu, acerbius est punienda. Ibidem capite undecimo. Et: Nam sicut in religione degentibus prælatorum mandata, dum præceptionem perpetuam non impugnant, à subditis non oportet discuti, sed impleri: sic in re militari circa mandata ducis nulla est examinatio militaris, nisi fortè quod præcipitur expressim saluti reipublicę inueniatur aduersum. Nam in eo non obtemperat, nisi perfidus & impius miles. Ibid. cap. 12.

DE MORTE.

Omnibus moriendum. Bernhardus: Quid uerò in rebus humanis certius morte, quid hora mortis incertius inuenitur? Non miseratur inopiam, non diuitias reueretur, non generi cuiuslibet, non moribus, non ipsi denique

parcit

parcit ætati, nisi quòd senibus in ianuis, adolescentibus in insidijs est. Infœlix proinde qui in huius uitæ tenebris & lubrico fidens, perituram insumit operam, nec aduertit quoniam uapor est ad modicum parens, & uanitas uanitatum. Obtinuisti tandem ambitiose, quam ex longo concupieras dignitatem? Serua quod habes. Implesti pecuniose loculos tuos? solicitus esto ne perdas. Vberes fructus attulit ager tuus? dirue horrea tua, ut maiora ædifices: muta quadrata rotundis, dic animæ tuæ, Habes multa bona reposita in annos plurimos. Erit enim qui dicat, Stulte hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti cuius erũt? capite decimoquarto de Conuersione ad clericos.

Petrus Blesensis: Mortis enim tributarij omnes sumus, mortisq; responsum habemus, & fœdus cum ea percussimus. epistola quadragesimaquinta. Item: Dies tuę mortis incertus est, senesq; pariter & iuuenes mors amara inuoluit. epistola sexagesimaprima.

Hugo Eterianus inquit: Non est sub hominis potestate non mori, quia nasci humani nõ extabat arbitrij. capite 20 de Regressu animar. ab infer.

Quid sit, exponit Bernhardus: Vnde enim nisi ex separatione animæ & corporis mors procedit? Inde est quòd mortuum corpus exanime nominatur. Vnde autem separatio hæc, nisi ex flagellis præsentibus, ex qualibet doloris uehementia, ex ipsius corporis corruptione, ex pœna peccati? Meritò timet proinde, & odit flagellum caro nostra: quo nimirum ab ipsius animæ tam delectabili honorabilique consortio amarum nimis diuortium patiatur. Cæterùm interim quidem donec renouetur, uelit nolit, sustineat illud necesse est. Sermone decimo de Psalmo, Qui habitat. Item: Quid mors, nisi priuatio uitæ? Ita nihil perditio, nisi alienatio à Deo est. Serm. 74 super Cant.

De duplici morte Petrus Alphonsus inquit: Quia uerò etiam Adæ peccatum duplex fuit, spirituale scilicet & corporale: spirituale quidem, quia diabolo potius quàm Deo credere, quod ad spiritum pertinet, & obedire elegit: corporale autem, quia se in uetiti fructus dulcedine, quod scilicet est corporis, delectauit: ideo sanè mortem carnis & mortem animæ, pœnam scilicet duplicem, ipse sustinuit. Petrus Alphonsus in Dialogo, titulo decimo.

Rupertus ait: Duplex mors, qua omnes mortui sumus in Adam, alia corporis, alia uerò animæ. lib. 6. cap. 13. in Oseam.

Vnde Bernhardus: Inuidia siquidem mors intrauit in orbem terrarum, sed ecce preciosa facta est mors sanctorum. Audi igitur hostis uitæ, mortis auctor attende: Quid ualet iam fraus tua, uersutia tua quid nocet? Imò uerò ut plus doleas, etiam omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum uocati sunt sancti. Serm. de S. Clemente.

Petrus Cantor ait: Huius inuidia mors intrauit in mundum. Quia enim diabolus inuidit in homine quod perdiderat, nisus est ut suggestione sua à bono illo caderet homo, inquiens in serpente, Quacunque die comederitis, eritis sicut dij. capite decimotertio. Item: Sicut inuidia primùm aggressa est Adam, per quem mors intrauit in mundum. Ibidem. Et: Sicut per superbiam primò intrauit mors in mundum, ita per humilitatem Christi uita primò intrauit in mundum. capite decimoquinto.

Causa mortis peccatum. Petrus Alphonsus: Adam non nisi propter peccatum obiit. tit. 11. in Dial.

Nemo mortem prouocet. Iohannes Salisberiensis: Nemo eorum qui mortem prouocat, excusabilis est. Excusabiliores sunt, qui imminentem abhorrent. Quis enim cõsilium Domini cognouit, & an possit mortem impendentem quacunq; ratione effugere? lib. 5. policratici de curial. nugis, cap. 17.

Corpus tantùm mori. Bernhardus: Siccine separas amara mors? O' bestia crudelis, ô amaritudo amarissima, ô fœtor & horror filiorum Adam. Quid fecisti? Occidisti, possedisti. Sed quid? Carnem utique solam. Animæ enim non habes quid facias. Volat ad creatorem suum, quem tam ardenter concupierat, tam fortiter secuta fuerat omnibus diebus uitæ suæ. Sed & ipsum corpus, quod uideris habere, auferetur à te: cũ tu nouissima inimica destrueris & absorbeberis in uictoria. Ser. de obitu Humberti monachi.

Mortem non extimescendam. Bernhardus: Volo te mortem etsi non effugere, certè uel non timere. Iustus quippe mortem etsi non cauet, tamen non pauet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidem & iustus, sed securè: quippe cuius mors ut præsentis est exitus uitæ, ita introitus melioris. Bona mors si peccato moriaris, ut iusticiæ uiuas. Hæc mors necesse est ut præcurrat, ut sequatur illa secura. In hac uita quandiu durat, compara tibi illam quæ semper durat. Dum uiuis in carne, morere mũdo, ut post mortem carnis Deo uiuere incipias. Quid enim

enim si conciderit mors saccum corporis tui, dum te subinde circumdet lætitia? O' quàm beati mortui qui in Domino moriuntur, audientes à spiritu, ut requiescant iam à laboribus suis. Non solùm autem, sed & succedit iucunditas de nouitate, ac de æternitate securitas. Bona proinde mors iusti propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter securitatem. Econtrà, mors peccatorum pessima. Et audi unde pessima. Mala siquidem est in mũdi amissione, peior in carnis separatione, pessima in uermis ignisque duplici contritione. Eia ergo festina, exi, recede: moriatur anima tua morte iustorum, quo fiant & nouissima tua horum similia. O' quàm preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Fuge quæso, in uia peccatorum non steteris. Quomodo uiuere potes, ubi mori non audes? Cum panibus occurrere fugienti, paratos nos esse confidito. epist. 105.

Mortem peccatorum esse pessimam. Bernhardus: Mors peccatorum pessima. Mala in amissione mundi, quia non possunt sine dolore separari ab eo quem diligunt. Peior in dissolutione carnis, à qua euelluntur eorum animæ à spiritibus malignis. Pessima in tormentis inferni, quando corpus & anima perpetuis simul addicuntur ignibus. Econtrariò bonorum mors optima, quoniam quidem fit ibi quies à labore, fit iucunditas de nouitate, fit securitas de æternitate. Sermone quadragesimoprimo Paruor. sermonum.

Mors sanctorum preciosa. Bernhardus: Mors ipsa minimè quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur non obesse. Erit autem cum dicetur: Vbi est mors uictoria tua? Et ipsa siquidem inimica nouissima destruetur. Nunc uerò moderante eo qui imperium habet uitæ & mortis, mors ipsa dilectis Domini somnus refrigerij est, Propheta attestante, qui ait: Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. Pessima mors quidem peccatorum, quorum & natiuitas mala, & uita peior: sed preciosa est mors sanctorum. Preciosa planè, tanquam finis laborum, tanquam uictoriæ consummatio, tanquam uitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressus. Sermone de transitu Malachiæ episcopi. Item: Tria sunt quæ mortem sanctorum faciunt preciosam, quies à labore, gaudium de nouitate, securitas de æternitate. Sermone uigesimoquinto Paruorum sermonum. Item: Preciosam mortem aliquando facit uita, ut in confessoribus: aliquando causa, ut in martyribus; aliquando uita & causa, ut in plerisque. Sententiæ.

De bona morte inquit Bernhardus: Bona mors, quæ uitam non aufert, sed transfert in melius. Bona qua non corpus cadit, sed anima subleuatur. Verùm hæc hominum est. Sed moriatur anima mea mortem etiam (si dici potest) angelorum, ut præsentium memoria excedẽs, rerum se inferiorum corporearumque nõ modò cupiditatibus, sed & similitudinib. exuat, sitque ei pura cum illis conuersatio, cum quibus est puritatis similitudo. Sermone quinquagesimosecundo super Cantica.

Petrus Blesensis ait: Mors enim per quam mirificauit Deus sanctum suum, nõ est mors, sed dormitio, porta uitæ, introitus in delicias cœlestis patriæ, in potentias Domini, in abyssum charitatis æternæ. epist. 16.

Cur mors uicta sæuiat. Bernhardus: At fortasse quis dicat: Quomodo mors à capite superata uidetur, quæ tanta adhuc libertate sæuit in membra? Si mors mortua, quomodo Malachiam occidit? Si uicta, quomodo adhuc præualet uniuersis, & non est homo qui uiuat & non uideat mortem? Victa planè mors opus diaboli & peccati pœna, uictum peccatum causa mortis, uictus & malignus ipse & peccati author & mortis. Nec modò uicta sunt hæc, sed & iudicata iam & damnata. Diffinita quidem, sed nondum promulgata sententia est. Denique iam diabolo ignis paratus, etsi nondum ille præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore sinitur malignari. Tanquam malleus cœlestis opificis factus est, malleus uniuersæ terræ. Terit electos ad eorum utilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem. Sermone de obitu Malachiæ episcopi.

De spirituali mortuo inquit Bernhardus: Quis magis mortuus eo qui fouet ignem in sinu, peccatum in conscientia, nec sentit, nec expauescit, nec excutit. Sermone secundo de resurrectione Domini.

Cur iustificati moriantur. Bernhardus: Si ergo lex spiritus uitæ in Christo IESV liberauit nos à lege peccati & mortis, ut quid adhuc morimur, & non statim immortalitate uestimur? Sanè ut Dei ueritas impleatur. Quia enim misericordiam & ueritatem diligit Deus, necesse est mori quidem hominem, quippe quod prædixerat Deus: sed à morte tamen resurgere, ne obliuiscatur misereri Deus. Ita ergo mors etsi non perpetuò dominatur, manet tamen propter ueritatem Dei

uel ad tempus in nobis: quemadmodum peccatum, etiamsi non regnet in mortali nostro corpore, non tamen deest penitùs nobis. Proinde Paulus ex parte quidem liberatum se à lege peccati & mortis gloriatur, sed rursum se utraque nihilominus lege aliqua grauari ex parte, conqueritur: siue cum aduersus peccatum miserabiliter clamat, Inuenio aliam legem in membris meis, &c. siue cum ingemiscit grauatus (haud dubium quin lege mortis) redemptionem expectans corporis sui. cap. 11 ad milites Templi.

Quis nos à morte liberet. Rupertus: Mors ipsa mala est, infernus & diabolus malus est, à quo gratia per IESVM Christum Dominum nostrum nos liberet. lib. 5 in Matth. cap. 6.

Bernhardus inquit: Cum ergo hac gemina morte secundum utramque naturam homo damnatus fuisset, altera quidé spirituali & uoluntaria, altera corporali & necessaria, utriq; Deus homo una sua corporali ac uoluntaria benignè & potenter occurrit, illaque una sua nostram utramque damnauit. Meritò quidem. Nam ex duabus mortibus nostris, cùm altera nobis in culpæ meritum, altera in pœnæ debitum reputaretur, suscipiens pœnam & nesciens culpam, dum spontè & tantùm in corpore moritur, & uitam nobis & iusticiam promeretur. Alioquin si corporaliter non pateretur, debitum non soluisset: si non uoluntariè moreretur, meritum mors illa non habuisset. Nunc autem si (ut dictum est) mortis meritum est peccatum, & peccati debitum mors, Christo remittente peccatum, & moriente pro peccatoribus, profectò iam nullum est meritum, & solutum est debitum. Cæterùm unde scimus quòd Christus possit peccata dimittere? Hinc procul dubio, quia Deus est, & quicquid uult, potest. Vnde autem & quòd Deus sit? Miracula probant. capite undecimo ad milites Templi.

Mortuos se cognoscere. Hugo Eterianus: Omnes quidem mortui se uicissim cognoscunt, & cognoscuntur. Hoc te docet Abraham, hoc suggerit Lazarus, hoc diues ille affirmat. cap. 10 de Regressu animarũ ab inferis.

De animabus inquit Bernhardus: Stola enim prima, ipsa est quam diximus fœlicitas & requies animarum: secunda uerò, immortalitas & gloria corporum. Vnde & dicunt, Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est: non tãquam uindictæ cupidi, nec de proprio ultionis zelo; sed ex desiderio resurrectionis & glorificationis corporum suorum, quam nimirum usq; in diem iudicij differendam esse non dubitant. Ser. 3 de festo omnium Sanctor.

De luctu. Bernhardus: Non est ergo lugendus nobis, cui nec luctus nec dolor est. Sermone de obitu Humberti monachi.

Petrus Cluniacensis ait: Nam si res bene perpenditur, non est quod uobis dolorem importet: sed est planè quod ingentem læticiam subministret. Quis enim dolor illis debetur, qui dolorem euaserunt: quæ lachrymæ, qui lachrymarum omnem materiam exuerunt, qui ad uitam illam peruenerunt, de qua in Apocalypsi Iohanni uox de cœlo ait: Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & mors non erit ultrà, neque luctus, neque dolor? Quid inquam illis dolendum est, qui quod diu desiderauerunt, nunc tandem consequi meruerunt? Quid sanè illi uiuentes exoptabunt, nisi quod Apostolus de se dicit: Cupio dissolui, & esse cum Christo? Nam quis uiator prolixum iter laboriosè peragens, & eodem itinere ad desideratam requiem tendens, tam stultus est, ut nunquam ad requiem peruenire, nusquam asperrimum uiæ laborem uelit finire? Quis agricola tam durus, ut hyeme urgente, pluuiis ingruentibus, æstu feruente, terram tantùm proscindere, semina serere, nunquã fructus exoptet percipere? Quis negociator terra marique sæpe latrones perpessus, semper pauidus, semper suspectus, multa multotiens flagella uel uulnera passus, non toto affectu animi tantis malis carere, & multo cum lucro patriam parétesque reuisere concupiscat? Quis hæres à patre constitutus, non omni mentis annisu ad concessam hæreditatem peruenire ambiat? Sic planè dilectissimi, sic uerè & absque dubio sic, sic de istis mortuis uestris, imò & nostris mortuis est sentiendum, credendum, dicendum: quia & secundum Euangelium, finita arcta uia quæ ducit ad uitam, perductique sunt ad uitam quæ dicit, Ego sum resurrectio & uita: & agriculturæ labore cessante, iuxta Psalmistam, Qui seminauerunt in lachrymis, iam in gaudio metunt: & similes negociatori quærenti bonas margaritas, multùm de negociatione sua etiam morientes lucrati sunt, qui unam preciosam margaritam omnia uendentes emerunt: utpote quib. uiuere Christus erat, & mori lucrum, & boni filij ad hæreditatem benigni patris moriendo peruenerunt. De qua Propheta: Cum dederit

dederit (inquit) dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. Vnde oportet (ut ait Apostolus) non contristari uos de dormientibus, sicut contristantur qui spem non habent: nec quasi infelicibus eis condolere, sed quasi (ut uerè est) iam sempiternè beatis toto animo congaudere: quia & ualde incongruum uidetur, socijs uestris in superna lætantibus, uos pro eis deorsum dolere. Si quis tamen dolori locus esse potest, hic tantùm uidetur, quòd eis quiescentibus, uos adhuc laboratis: quòd eorum cursu iam consummato, uos anhelantes curritis: quòd eis iam uictoriarum palmam tenentibus, uos adhuc in certamine desudatis. Sed huic cogitationi facilis occurrit consolatio, quia quod illis iam contulit gloriam, uobis proficit ad coronam. Hoc enim camino, quo illi omni decocta rubigine splendificati sunt, uos etiam non inferius, quia nec eis mitius, imò fortasse durius, quoniam prolixius purgamini. Nam etsi cum eis mortui non fuistis, mortis eorum gladio animas uestras pertranseunte, mortem nequaquam morientes tolerastis, quam idcirco duriorem sensistis, quia cum deficientibus ipsi deficere non potuistis. Fecit hoc Dominus, ut uos probaret, ut uos uobis etiam in hoc cõflictu fortes aut infirmos ostenderet, ut uirtutem uestram mundo ostendendo, infirmos roboraret. Nam quos antè mundus nouerat in pace fortes, hos Dei gratia largiente agnoscit in bello constantes. Libet æstuanti erga uos affectus mei desiderio se & per uerba diffundere: sed negotiorum importunitas, ne nimis diffluat, cogit multa breuiare. Quapropter quoniam superno iudici ea uia tentationis uos ex parte aggredi placuit, qua Iob iustus tentatus est: & quia tanti uos habuit cœlestis censura, ut ad tanti uiri flagella perferenda uos idoneos iudicaret: libeat in subuersione cellarum & oppresione fratrum omni cordis tranquillitate clamare, quod ille à uento deserti domo subuersa, & filijs ac filiabus eius ruina extinctis, adorans dixit: Dominus dedit, dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Aderit Dominus, qui non permittit aliquem tentari supra id quod potest, ut suo tempore alijs in duplum restitutis, sicut ad illum incolumes filij & filiæ, ita ad uos nunc extincti fratres reuertantur, atque nunquam à uobis dissociandi in æternum coniungantur. Lætificate igitur nos, non parum uobiscum mœstificatos. Quod continuò fiet, si uos mœsticiam deposuisse, quàm citius nobis innotuerit. libro quarto, epistola undecima.

Hugo Eterianus: Non prohiberis contristari, uti Christus te docuit: nam super Lazarum lachrymatus est. Lachrymare tu quoque, sed cum modestia, sed cum honestate, sed cum timore Dei. capite uigesimo de Regressu animarum ab inferis.

DE LOCO ANIMARUM.

De sinu Abrahæ inquit Bernhardus: Hunc ergo locum obscurum quidem, sed quietum, sinum Abrahæ Dominus uocat: pro eo, ut arbitror, quòd in fide & expectatione quiesceret Saluatoris. Abrahæ enim fides tam manifestè probata est & approbata, ut primus ipse futurę incarnationis Christi meruisset accipere promissionem. In hunc ergo locum Saluator descendens, contriuit portas æreas, & uectes ferreos confregit, eductosque uinctos de domo carceris, sedentes quidem, hoc est quiescentes, sed in tenebris & umbra mortis, iam tunc quidem sub altari Dei collocauit, abscondens eos in tabernaculo suo in die malorum, & protegens eos in abscondito tabernaculi sui, donec ueniat tempus in quo procedant, completo iam numero fratrum, & percipiant regnum quod eis est paratum ab origine mundi. Iam uerò sicubi fortè præsens quoque sanctorum requies Abrahæ sinus uocatur, certum est de Euangelio hanc inoleuisse consuetudinem: licet neminem oporteat dubitare, longè alium hunc esse sinum, quàm illum: quippe cum ille in tenebris, hic in luce multa: in inferno ille fuerit, iste in cœlo. Non incongruè tamen etiam nunc dictum uidetur, patriarcharum filios paternum in sinum recipi, cum ad eorum consortium ab hoc seculo transire meruerint. Ser. 4. in festo omnium Sanctorum.

De diuersis receptaculis ait Lombardus: Præterea sciendum est, quòd omnes animæ (ut ait August.) cum de hoc seculo exierint, diuersas habent receptiones: bonæ habent gaudium, malæ uerò tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur. Ex his ostenditur, quòd maius erit gaudium sanctorum in resurrectione & pòst, quàm fuerit antè, & quòd diuersa receptacula habebunt animæ sanctorum. libro quarto, distinct. quadragesimaquinta.

Iohannes Salisberiensis ait: Veruntamen bene cum egredientibus agitur, qui

non absque fortunæ ludo transferuntur eijciendi in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium, & qui ab aquis niuium, quas sanctus Iob commemorat, ad calorem nimium minimè transeunt. Bene cum illis agitur, qui campos expectant elysios, quos pœnitentia sua iusticiæ Sol uerus illustrat. libro tertio Policrat. capite 8.

Mechtildis: Aliquando in oratione requisiuit, ubi'nam essent animæ Salomonis, Samsonis, Origenis, & Traiani? Et Dominus respondit ei: Quid fecerit misericordia mea cum anima Salomonis, homines uolo latêre, ut carnalia peccata magis uitentur ab hominibus. Quid pietas mea cum anima Samsonis fecerit, uolo ignotum hominibus, ut homines de inimicis pertimescant se uindicare. Quid uerò cum anima Origenis fecerim, uolo incognitum, ut nullus in scientia sua confidens audeat cor suum eleuare. Quid de anima Traiani factum, homines uolo ignorare, ut fides catholica ex hoc magis extollatur: quia hic licet uirtutibus polleret, Christiana tamen fide caruit atq; baptismo. libro 5 cap. 8.

DE RESVRRECTIONE *mortuorum.*

QVòd sit futura resurrectio mortuorum, testatur Petrus Alphonsus, inquiens: Omnipotentem mortuos suscitare posse, non nego: quin omnes homines in die iudicij ab eo resuscitandos & confiteor & credo. titulo tertio in Dialogo.

Rupertus: Resurrectio iam promissa à lege & prophetis testificatur. lib. 10. cap. 11 in Iohan.

Bernhardus ait: Requiesce in hac spe caro misera, qui propter animam uenit, pro te quoque uenturus est: qui reformauit illam, tui quoque non obliuiscetur in finem. Declamatione de bonis deserendis.

De duplici resurrectione Rupertus scribit: Duplex resurrectio. Prima animarum resurrectione resurgendo, & secunda corporum, quæ in nouissimo futura est. Plerique non credunt, imò & irrident resurrectionem. libro decimoquarto, capite uigesimo in Iohannem. Item: Vita regnantium cum Christo animarum sanctorum martyrum, resurrectio prima est. Sunt enim duæ resurrectiones, sicut duę mortes: altera animarum, altera corporum. Resurrectione animarum credendo in Christũ resurgimus per baptismum. Resurrectione corporum in nouissimo die resurgemus omnes. libro undecimo in Apocal. capite 20.

Vnde. Rupertus: Christo primogenito mortuorum resurgente, multisque sanctorum corporibus illi conresurgentibus, resurrectionis nostræ fides peracta & dedicata est. libro decimo, capite undecimo Commentar. in Iohannem. Item: Ipsum tempus futuri seculi erit, cuius diluculo apparente Domino, iussu eius omnes resurgent mortui. libro decimo, capite undecimo in Iohan.

Lombardus ait: Causa enim resurrectionis mortuorum erit uox tubæ, quæ in aduentu Iudicis ab omnibus audietur, & cuius uirtute excitabuntur mortui, & de monumentis resurgent. Vnde Propheta: Dabit uoci suæ uocem uirtutis, id est, effectũ resuscitandi mortuos. Et Iohannes euangelista ait: Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem filij Dei, & procedent qui bona egerunt in resurrectionem uitę. libro quarto, distinctione quadragesimatertia.

Hugo Eterianus ait: Christi resurrectio chirographum est uniuersalis omnium resurrectionis. capite 26 de Regressu animarum ab inferis.

Carnem resurrecturam. Petrus Cluniacensis: Caro mea requiescet in spe. Quòd si in spe, certè aut alia, aut resurrectionis. Sed in qua alia spe caro requiescere potest, nisi resurrectionis? Quid enim aliud caro mortua sperare potest, quàm uiuificationem? Quid exanimis, nisi animationem? Quid ea quæ iam cecidit, nisi resurrectioně? Requiescet igitur humana caro in spe resurrectionis. libro secundo contra Iudæos.

Lombardus: Resurrecturam tamen carnem omnium quicunque nati sunt atque nascentur, & mortui sunt & morientur, nullatenus ambigere debet Christianus. libro quarto, distinctione quadragesimatertia. Item: Nec de substantia, de qua hominis caro creatur, aliquid peribit: sed omnium particularum antè dispersarum collectione reintegrabitur naturalis substantia corporis. Sanctorum quoq; corpora sine omni uitio, fulgida sicut sol, resurgent pręcisis cunctis deformitatibus, quas hic habuerunt. libro quarto, distinct. quadragesimaquarta.

Petrus Cantor ait: In quo etiam resurgens, cum hic mortale induerit immortalitatem. cap. 69.

Omnes resurrecturos. Rupertus: Omnes tam inuiti quàm & uolentes, horamque

que illam desiderantes, & in illo die iudicij fiduciam habentes, resurgent & procedent. libro quinto, capite quinto Com. in Iohan.

Quales. Lombardus: Cumque ex prædictis sanè credi ualeat omnes resurrecturos, credendum est etiam, quòd omnes resurgent incorrupti, non utique impaßibiles: quia reprobi mortem patientur æternam, sed sine diminutione membrorum omnia humani corporis habituri membra, nec tamen gloria ac spe impaßibilitatis induentur. lib. quarto, distinctione quadragesimatertia.

Petrus Blesensis: Cuius anima diues meritis recedens à corpore, in resurrectione generali & plena ad antiquum hospitium reuertetur, cum multas uirtutes quasi merces uarias in unum fasciculum comportauerit, ad cœlestes nundinas profectura. epist. 16.

Quomodo. Rupertus: Homo cuius uniuersalis resurrectio dies octauus est, nō in alia, sed in ipsa qua conditus fuit, specie resurrecturus est. In Prologo de S. Trinitate.

Lombardus ait: Resurgent ergo sanctorū corpora sine ullo uicio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta fœlicitas erit: propter quod & spiritualia dicta sunt, dum procul dubio corpora sint futura, non spiritus. libro quarto, dist. 44.

Quando. Lombardus: Media autem nocte dicitur uenturus, ut August. ait, non pro hora temporis, sed quia tunc ueniet, cum non speratur. Media ergo nocte, scilicet cū ualde obscurum erit, id est occultum, ueniet. Dies enim Domini, sicut fur in nocte, ita ueniet. Potest tamen non incongruè intelligi mediæ noctis tempore uenturus: quia, ut ait Caßiodorus, Hoc tempore primogenita Aegypti percussa sunt, quando etiam sponsus uenturus est. lib. quarto, dist. 43.

De gloria inquit Rupertus: In resurrectione uniuersali electi uniuersi, acquisiti studijs siue laboribus Christi & Apostolorum, cum Christo sedebunt ad dexteram eius in cœlestibus. libro primo in Apocal. capite primo. Item: Ad eiusdem Christi similitudinem resurrecturos, id est, impaßibiles nos fore speramus. li. 4. capite 3 in Apocal.

Bernhardus ait: Manebit quidem substantia, sed in alia forma, alia gloria, aliaq; potentia. In tractatu de diligendo Deo. Item: Ipsius enim merito te quoque noueris aliquando regenerandam, & conformandam corpori eius in gloria & claritate. In regeneratione, inquit, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos. Declamat. de bonis deserendis. Et: Sedebit igitur corpus immortalitatis & impaßibilitatis gemina quadam fœlicitate dotatum, liberum ab omni neceßitate, ab omni corruptione securum, alienum & immune ab omni concupiscētia, plenum gloria, configuratum denique claritati corporis Christi. Sedebit & anima sicut nil metuens, sic nec cupiens ultrà, nimirum plena beatitudine, & secura plenitudine fruens: nullos iam cogitationum fluctus, nullos tentationum conflictus, nullos affectionum sentiens motus: sed æternæ illi incommutabilitati prorsus immersa, & sic adhærens Deo, ut unus iam spiritus sit facta cum eo. Ibidem.

Petrus Cantor inquit: Scientes quia de terra transituri, sumus futuri cœlestes, & secundum corpus & animam, & maximè ob hoc quod scriptum est: Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum. cap. 69.

De effectu resurrectionis inquit Rupertus: Resurrectio nobis regeneratio erit, quia uidelicet nascendo generati ad corruptionem, tunc resurgendo regenerabimur ad incorruptionem. libro 1. capite 1 in Apocal.

De differentia resurrectionis Christi & aliorum inquit Bernhardus: Legimus nōnullorum præceßisse resurrectiones, aut magis certè suscitationes, sed istius præambulas, quibus & duplici priuilegio noscitur præeminere. Nam cæteri quidem resurrexerant mortui, iterum morituri: Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Illi mortui denuò opus habent iterum resuscitari: Christus quòd mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem uiuit, uiuit Deo, uiuit in æternitate. Meritò proinde resurgentium primitiæ Christus, qui ita resurrexit, ut cadere non adijciat, qui solus attigit immortalitatem. Est & aliud in quo resurrectionis huius innotescat gloria singularis. Quis enim in omnibus cæteris suscitauit aliquando semetipsum? Ineffabile istud est, ut à morte se excitet ipse qui dormit: singulare est, non est qui faciat, non est usque ad unum. Helisæus propheta mortuum suscitauit, sed alterum, non seipsum. Ecce enim quot annis iacet in monumento, quod à se non potest, sperans ab alio suscitari: ab eo utique, qui triumphauit ob mortis imperium in se ipso. Inde est quòd cæteros quidem di-

cimus ſuſcitatos, Chriſtum reſurrexiſſe, qui ſolus uirtute propria uictor prodijt de ſepulchro. Siquidem & in hoc uicit leo de tribu Iuda. Serm. 1 in feſto Paſchæ de 7 ſignaculis.

De his qui uiui reperientur, Lombardus ait: Ad hunc autem ſenſum, quo exiſtimemur illos in paruo ſpacio & paſſuros mortem, & accepturos immortalitatem, Apoſtolus nos urgere uidetur, ubi dicit: Omnes in Chriſto uiuificabimur. Et alibi: Quod ſeminas, non uiuificatur, niſi prius moriatur. libro quarto, diſtinct. quadrageſimatertia.

De memoria malorum inquit Lombardus: Hæc & his ſimilia poſſunt accipi ſic, ut non excludant memoriam præcedentium malorum, ſed ex ea moleſtiam & læſionem amoueant. Non enim eorum memoria ſanctos contriſtabit, uel eorum beatitudinem obfuſcabit, ſed gratiores Deo reddet. lib. quarto, diſtin. 43.

DE EXTREMO DIE & iudicio.

QVòd ſit futurum iudicium. Bernhardus: Cum nec ueſtro nec meo, ſed Dei ſim iudicio præſentandus, quantæ inſipientiæ, imò & inſaniæ eſt, aut in ueſtro me, aut in meo ipſius teſtimonio gloriari: præſertim cum ipſe ſit, cuius oculis omnia nuda ſunt & aperta, & cui nequaquam opus ſit, ut quis ei teſtimonium perhibeat de homine? Ser. de uerb. Apoſt. Qui gloriatur, in Dom. glorietur. Item: Velim nolim, ipſi me aſtare neceſſe eſt, ipſi horũ quæ geſſerim in corpore, reddere rationẽ, cui nec uerbum præteruolat, nec ſubterfugit cogitatio. epiſtola quadrageſimaſecunda.

Diuiſionem iudiciorum recitat Bernhardus: Sunt tria iudicia, humanum, ſuũ cuiuſq; proprium, & diuinum. Et humanum quidem poteſt iudicare de rebus exterioribus, quæ ſenſibus corporis percipiuntur: de interioribus uerò non poteſt. Hinc enim ſcriptum eſt: Quis enim ſcit hominũ quę ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui eſt in eo? quapropter de his quę ſunt in homine, poteſt iudicare ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Longè uerò præſtantius iudicat de his ipſis Deus. cuius necdũ fatetur Apoſtolus euaſiſſe iudicium, qui tamen iã humanum tranſcendiſſet & proprium. Porrò humanum contemnebat, qui dicebat: Mihi autẽ pro minimo eſt, ut à uobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque proprium timebat, qui dicebat: Sed neque meipſum iudico, nihil enim mihi cõſcius ſum. Solum ergo reſtabat diuinum, de quo ait: Qui autem iudicat me, Dominus eſt. Ser. de triplici iudicio. Item: Tria ſunt iudicia, alienum, proprium, diuinum. Sent.

Iudex Chriſtus. Petrus Alphonſus: Chriſtus uiuos & mortuos iudicandi uenturus in die iudicij. titulo undecimo. Item: Sicut credimus Chriſtum Deum & hominẽ eſſe, ſic etiam eum iudicem mundi eſſe cõcedamus. Ibidem. Item: Chriſtus iuſtus iudex, qui iudicaturus eſt cum potentia in aduentu ſecundo, & qui fuit Saluator in aduentu primo omnium qui crediderunt in eum. Samuel Rabbi cap 11.

Rupertus ait: Deus cum ſit clemens & miſericors pater, nihilominus tamen zelum fortiſsimum habet, & cum ſeueritate iudicaturus eſt: iramque repoſitam habet, qua peccatores uniuerſos puniet: quandoque uniuerſaliter experimento opus erat, ira eius ut oſtenderetur, expediebat his quos bonitas eius ſaluos eſſe cupiebat. libro undecimo in Apocal. Et: Iudicum primus ipſe eſt Dominus IESVS Chriſtus, uenturus iudex uiuorum & mortuorum. Cæteri iudices Apoſtoli ſunt. libro tertio in Oſeam, capite ſeptimo. Et: Venturus eſt in mundum, ſcilicet ad iudicandum omne ſeculum, ad regnandum in ſecula ſeculorum. lib. 6. ca 6 in Ioh. Item: Ego ſum ſcrutans renes & corda, pertinuit ad iudicem, qui ſe redditurum profitetur unicuique ſecundum opera eius, oſtendere unde ſcire poſsit quale, uel cuius meriti ſit cuiuslibet pœnitentis uel impœnitentis opus. lib. 2 in Apocal. cap. 2.

Bernhardus ait: Non diabolus, ſed Dominus iudicabit orbẽ terræ, ipſe Deus noſter in ſeculum & in ſeculum ſeculi, ipſe reget nos in ſecula. Ser. 17 ſuper Cant. Item: Si enim cũ hoc quoq; temperamento tanta erit in iudicio æquitas, in iudice feritas, in maieſtate ſublimitas, nouitas in facie ipſa rerũ, ut ſecundũ Prophetã non poſsit cogitari dies aduentus eius, quid putas foret, ſi ignis ille cõſumens (Deũ loquor omnipotentẽ) in illa ſuæ diuinitatis magnitudine, fortitudine, puritate, ueniſſet contra foliũ quod rapitur uento, oſtenſurus ſuam potentiã, & ſtipulã ſiccã perſecuturus? Et homo eſt, inquit, & quis uidebit eũ? Et quis ſtabit ad uidẽdũ eũ? Quãto magis Deũ nobis abſq; homine exhibẽtẽ nemo hominũ ferret, utpote claritate inacceſsibilẽ, celſitudine inattingibilem, incomprehenſibilem maieſtate? Nunc uerò cum exarſerit in breui ira eius, quàm grata propter filios gratiæ apparebit blanda quædã uiſio hominis, ſane firmamentum fidei, ſpei robur, fiduciæ augmentum, quòd ſcilicet gratia & miſericordia ſit in ſanctis eius, & reſpectus in electos illius. Denique ipſe pater Deus dedit

dedit filio iudicij potestatem, & non quia suus, sed quia filius hominis est. O uerè patrem misericordiarum, uult per hominē homines iudicari, quo in tanta trepidatione & perturbatione malorum, electis fiduciam præstet naturæ similitudo. Prædixerat hoc quondam S. Dauid, orans pariter & prophetans: Deus, inquiens, iudiciū tuum regi da, & iusticiam tuam filio regis. Sed neq; huic dissonat ꝑmissio facta per angelos, qui eo assumpto ita ad Apostolos loquebātur: Hic IESVS qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntē in cœlum, hoc est in hac ipsa corporis forma atq; substātia. Serm. 73 super Cant. Item: Solus meritò constitutus est iudex uiuorum & mortuorum, qui finxit sigillatim corda uniuersorum, & intelligit omnia opera eorum. Solū attendo iudicem, quem & solum iustificatorem agnosco. Pater ei dedit iudicium facere, quia filius hominis est.

Petrus Cluniacensis ait: Quid erit tanti precij, tantæ gloriæ, tantæ sublimitatis signum, ut tunc appareat in cœlo, quando ipse filius hominis cū uirtute multa & maiestate descendet de cœlo? lib. 1 contra Petrobusianos, epist. 2.

Lombardus ait: Non autem solus Christus iudicabit, sed & sancti cum eo iudicabunt nationes. Ipse enim Apostolis ait: Sedebitis & uos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. Nec est putandū quòd duodecim Apostolis tantùm hoc promiserit Christus. Vbi enim sedebit Paulus, qui plus omnib. laborauit, si nō ibi sedebūt nisi duodecim? Per duodecim ergo sedes perfectio tribunalis, id est uniuersitas iudicantiū intelligitur, scilicet omnes perfecti, qui relictis omnib. secuti sunt Christū. lib. 4. dist. 47. Itē: Si uerò quęritur, quę erit eorū potestas uel authoritas in iudicādo? Puto nō antè posse sciri, quàm uideatur, nisi diuina reuelatione quis didicerit.

De forma inquit Honorius: In die tremēdi iudicij quisq; uel iusto examine dānabitur, uel gratia saluabitur. In Psal. 6. Item: Sicut pictor, cū singulos colores posuerit, unūquemq; in suo loco, prout uisum fuerit, ad ultimū nigro colore cūcta discriminat, ut totius picturę ornatus melius clarescat: ita Deus dum omnē uarietatē sui operis, prout uult, disposuerit, ad extremū reprobos ab electis, ut nigrū à precioso colore, segregat, ut de nigredine illorū supplicij splēdidior fiat claritudo istorū gaudij. Deniq; Patriarchæ & Prophetę pro uiridi colore, Apostoli pro aëreo, martyres pro rubeo, cōfessores ꝑ croceo, monachi pro purpureo, uirgines pro albo, continentes pro griseo, uxorati pro ferrugineo, peccatores pro nigro, in pictura Dei accipiuntur: quæ omnia angelicus ordo cingit, ut uarius auricolor limbus. Hæc uniuersa illa summa pulchritudo ornat & illustrat, quæ singulis suum proprium colorem præstat. In Dial. de lib. arb. & prædest.

Rupertus ait: Deus ultimum iudicium per ignem futurum nō ita repentè aut ex improuiso uoluit euenire, sicut illud anterius iudiciū per aquam factum: sed multa præmisit ad idem iudicium pertinētia, per quæ non dubitaretur esse futurū, socia ubiq; misericordia pro illis quos pœnitentiā agere uel acturos esse præuidit ante ipsum iudicium. lib. 5 in Apocal. cap. 8. Item: Rectè sic sermo cōtextus uel ordinatus est, Reddere mercedē seruis suis: ac deinde, Ac exterminandi eos qui corruperūt terrā. Nam & secundū ueridicū ordinem, siue ordinatam ueritatem Euangelij, prius merces reddetur dextris Dei, deinde exterminabuntur sinistri. Ibidem lib. 6. cap. 10. Et: Aliud seculum est, quàm præsens seculum, & hoc iudicium est per ignē. lib. 2. cap. 2 in Nahum proph.

Bernhardus ait: Nudam & apertam oportebit te stare ante tribunal Christi, ut audias uocem iudicij, quæ uocem consilij contempsisti. Serm. de uerbis Abac. Super custodiam, &c.

Petrus Cluniacēsis ait: Et in ultimo Christi iudicio ad eandē æternam salutē & gloriam à quatuor uentis, hoc est de toto mūdo, electos in cœlo apparens conuocat. lib. 1 contra Petrobusian. epist. 2.

Petrus Lombardus: Ita cum dicitur misericordia hic, iudicium in futuro: non negatur quin in futuro sit misericordiæ effectus, & in electis qui per misericordiam ab omni miseria liberabuntur, & in reprobis qui minus quàm meruerint cruciabuntur. Sed hic non sine causa dicitur fieri Dei misericordia, & iudicium in futurò: quia & hic multis modis miseretur Deus, quibus nō miserebitur tunc. Vocat enim Deus nunc peccatores, & iustificat, qđ tunc non faciet: & tūc reddēs singulis secundū merita sua, manifestè iudicabit, qui nunc occultè iudicat. lib. 4. distin. 46. Item: Cum enim dicitur Deus iustus uel iusticia, essentia diuina prædicatur: & etiam quòd ipse sit distributor & iudex meritorum, intelligi datur. Ita & cum dicitur misericors, essentia diuina prædicatur: & insuper, quòd ipse sit miserorum liberator, intelligi datur. Similiter cū dicitur bonus, essentia diuina prędicatur, insuper autor omnium bonorum ostenditur. Ita & cum dicitur Deus, essentia diuina prædicatur, &

ipse timendus ostenditur. Inde ergo quędam opera misericordiæ, quędam iusticiæ dicuntur: non quia diuina essentia hæc & illa operetur, & quia hæc & illa sint opera diuinæ essentiæ, quæ dicitur misericordia & iusticia: sed quia quædam sunt quibus ostenditur iudex & æquus distributor, quædam quibus ostenditur miserator. Misericors enim dicitur in natura, miserator in exhibitione. Et in quibusdam operibus dicitur effectus esse misericordiæ, in quibusdam effectus iusticiæ: non quòd aliud efficiat iusticia, aliud misericordia Dei, si ad essentiã referas: sed quia ex quibusdã effectibus intelligitur iudex, ex quibusdam miserator, uel ut quibusdam placet, iustus & misericors. Sed secundũ hoc occurrit quæstio, quomodo ex alijs ostendatur iustus, & ex alijs misericors, cum sit idem ei esse iustum, & esse misericordem? Si enim secundum eandem rationem dicitur iustus & misericors, ex eo opere quo intelligitur iustus, intelligitur misericors, & econuersò. Sed dixi suprà, quia cum dicitur Deus iustus & misericors, ita eadem diuina essentia significatur, & secundum eam idem prædicatur, ut etiam quædam diuersa intelligantur. Intelligimus enim per hoc eum esse miseratorem & iustum iudicem. Ibidem. Item: Solet etiã quæri, Qualiter dabitur iudicij sententia? Sed non est perspicuum id explicare. Non enim Scriptura apertè definit, an uoce illa proferantur, Venite benedicti: &, Ite maledicti. An uirtute Iudicis ita fiet, cõscientijs singulorum attestantibus, ut modò dicitur futurum, ut iudicis potentiæ effectus ipsius dictione significetur. Illa enim, Esuriui, & non dedisti mihi manducare, & huiusmodi, magis conscientijs exprimenda plurimi putant, quàm uerbis: quia Apostolus in momento & in ictu oculi mysterium consummandum tradit. Sed illud ad resurrectionis statum tantùm referunt, non ad iudicium, qui alijs iudicij sententiam, & malorum increpationes, & bonorum præmia uerbis exprimenda asserunt. Ibidem dist. 47.

Petrus Blesensis inquit: Donec ueniat dies illa terribilis, quæ unicuique retribuet iuxta exigentiam meritorum. epistola 46. Item: Scio quòd in die tremendi iudicij reddituri rationem sumus etiam de sermonibus ociosis. Nullus ibi excessus, præceptio regia, uel hominum temporalis utilitas poterit excusare. epist. 130.

Petrus Cantor ait: Quòd si de uerbo ocioso reddituri sumus rationem, quanto magis de ocioso & superfluo uestitu, de ociosa doctrina, & huiusmodi? cap. 66.

De sententia iudicij inquit Rupertus: Sententia æterni iudicij, æterna peccatorum uindicta, est Dei uiuentis in secula seculorum iracundia. libro 6 in Apocalyps. capite 15.

Richardus de S. Victore ait: Illud non audebit quis negare, omnes uidelicet in exitu animæ uel bonam uel malam sententiam accipere, & unumquenq; uel ad supplicium uel ad refrigerium ire. Sed puniendi quidem atq; saluandi eo ipso quo puniuntur, purgantur: unde & ignis ille purgatorius dicitur, per quem in eis peccati rubigo consumitur. Qui autem puniuntur & purgantur, eo ipso agnoscunt seipsos ad salutem reseruari, quo se uident paulatim ab omni labe mundari. Cæteri uerò eo ipso sententiam suæ damnationis agnoscunt, quo nullum purgationis remedium accipiunt. In tractatu de iudiciaria potestate.

Tegi peccata piorum. Lombardus: Nõ irrationabiliter putari potest, peccata hic per pœnitentiam tecta & deleta, illic etiam tegi alijs: alia uerò cunctis propalari. lib. 4. dist. 43.

De fine & effectu iudicij sic inquit Samuel Rabbi: Et timeo, domine mi, quòd Christus non iudicabit aliter quàm cum igne ad mortem, quia nos interfecimus omnes prophetas, qui annunciauerunt nobis de ipso, prout Deus testificatur contra nos per os Heliæ prophetæ 4 lib. Regum. Et sic interfecimus illum iustum, propter quem sumus in ira Dei sine fine. cap. 9 Parast. ueri Messiæ.

Rupertus: Vtrinque sic erit efficax ille gladius iudicij, ut eant hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam: & sic diuisi ab alterutris non possunt ultrà coniungi aut permisceri, sicut in præsenti Ecclesia permixti nunc sunt boni & mali. Extũc in claritate sua uidebitur ab illis beatis, quos in dextera sua deinceps habebit. Videbitur facie ad faciem Deus deorum illa uisione, quam pollicebatur diligentibus se dilectionis suæ præmium fore. libro primo in Apocalypsin, capite primo. Item: Vltimum iudicium erit, quando princeps eorum cum ipsis, & ipsi cum principe suo, uidentibus cunctis præcipitabuntur in ignem æternum. Ideo clamitant dæmones: Ante tempus uenisti torquere nos. libro 7. capite octauo in Matth. Et: Cum Christus ad aduentum secundum uenerit, iam & iniquo iniqua agere, & impio iustiorem se deuorare non licebit. libro 2 Comment. in Abac. capite 2.

Bernhardus ait: Homines Deum expectãtes debent esse suspensi quãdo ueniat, dubij quid eis deferat, hilares & deuoti, diligentius adornati, t:ia sperantes in eo, nuptialem præsentiam, familiarem gratiam, liberalem munificentiam. Sententiæ.

De duobus aduentibus Rupertus ait: Primo aduentu occultus uenit filius Dei. Secundo aduentu Deus noster manifestè ueniet, & non silebit. libro secundo, capite 1 Commentar. in Iohannem. Item: Duplex aduentus Christi, primus passibilis atque mortalis atque iudicandus. Secundus impassibilis atq; immortalis, Deus iudicij Dominus. lib. 1 Commentar. in Zach. cap. 2.

Bernhardus inquit: Sicut ad operandam salutem in medio terræ uenit semel in carne uisibilis, ita quotidie ad saluandas animas singulorum in spiritu uenit, & inuisibilis, sicut scriptum est: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Et ut noueris, occultum esse spiritualem hunc aduentum: In umbra eius, inquit, uiuemus inter gentes. In aduentu Domini sermone 1. Item: Venit siquidem uniuersitatis creator & Dominus, uenit ad homines, uenit propter homines, uenit homo. Sed dicet aliquis: Quomodo uenisse dicitur, qui semper ubique fuit? Erat quidem in mundo, & mundus per ipsum factus est, sed mundus eum non cognouit. Non ergo uenit qui aberat, sed apparuit qui latebat. Ibid. ser. 3.

De primo aduentu Christi inquit Samuel Rabbi: Zacharias autem propheta describit eum pauperem & sedentem super asinum. Et quid aliud est hoc, nisi quòd Propheta describit primum aduentum in humilitate, & secundum in potentia & maiestate? Sic enim describit eum Daniel circa medium, ubi dicit: Considerabam, uel aspiciebam, in uisione noctis, & ecce in nubibus cœli quasi filius hominis ueniebat, & usque ad antiquum dierum peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem & regnum: & omnes populi, tribus ac linguæ adorabunt eum, & seruient ei. Hebræus habet: Tribus ac linguæ honorabunt eum, & non deficiet potestas eius, quia non auferetur, & regnum eius manebit in æternum. capite 10 Paraſt.

De secundo aduentu Christi inquit Samuel Rabbi: Manifestum est, domine mi, quòd in secundo aduentu sedebit Christus ante antiquum dierum, qui est Deus ad iudicium, sicut sedit in primo aduentu ante patres nostros Iudæos, ut iudicaretur. Et istos duos aduentus Messiæ, id est, Christi, innuit propheta Dauid in Psalmo, cum dicit: Quia uenit, quoniam uenit iudicare terram. capite decimo Paraſt. Item: Nam in primo aduentu saluauit per aquam, & in secundo iudicabit per ignem. cap. 11.

De triplici aduentu. Bernhardus: Triplicem enim eius aduentum nouimus, ad homines, in homines, contra homines. Ad homines quidem indifferenter, non autem ita in homines, aut contra homines. Sed quia primus & tertius noti sunt, utpote manifesti, de secundo, qui spiritualis & occultus est, ipsum audi dicentem: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Beatus apud quem mansionem facies Domine IESV. Beatus in quo sapientia sibi ædificat domum, excidens columnas septem. Beata anima quæ sedes est sapientiæ. Quæ nam est illa? Anima utique iusti. Sermone tertio de aduentu Domini. Et: In primo ergo uenit in carne & in infirmitate, in hoc medio in spiritu & uirtute, in ultimo in gloria & maiestate. Ibidem sermone quinto. Item: Ecce quàm necessarius fuit aduentus Christi, qui carnem subijceret spiritui, hominem pacificaret sibi, Deum reconciliaret homini. Sermone 27 Paruorum sermonum.

DE INFERNO.

Infernus ideo dicitur, quia inferius est positus. Sicut enim terra est in medio aëre, ita est infernus in medio terræ. Honorius in libro de imagine mundi, capite uigesimoquarto.

De inferno inquit Honorius: Infernus per se bonus comprobatur, sed ideo malus dicitur, quia in eo pœnæ exercentur. In omni autem rerum natura nihil malum, nisi pœna appellatur. Dialogo de lib. arbit. & prædest.

Hugo Eterianus inquit: Infernum autem hi quidem putant regionem sub terra caliginis & tenebrarum. Vnde per Psalmistam dicitur: Eruisti animam meam ex inferno inferiori. Vt infernus quidem inferior sub terra esse, inferus uerò supra ipsum uerè intelligatur: & uterque multis locorum uarietatibus dispertitur. capite undecimo de Regressu animarum ab inferis.

Vbi. Bernhardus: Est enim deorsum nos locus, quem sibi totum uẽdicat ignis, adeò ut ne minimam quidem aquæ guttã de Lazari digito miser ille diues ibi habere po-

re potuerit. Sermone de transitu Malachię episcopi.

Lombardus ait: Non in terra, sed in spacio huius aëris sedebit contra locum montis Oliueti, ex quo ascendit. lib. 4. distinctione 48.

Quis infernum contriuerit. Rupertus: Dominus noster IESVS Christus quasi leo rugijt, quando infernum contriuit, & mortem uicit. libro 5 Comment. in Oseam, capite undecimo. Et: Christus Dei filius Deus & Dominus, homo factus & mortem passus, infernum confregit, & mortem uicit, tanquam leo fortissimus. libro primo Commentar. in Amos, capite primo.

Qualis. Bernhardus: Imago siquidem in gehenna ipsa uri poterit, non exuri: ardere, sed non deleri. Sermon. 1 in Annunciat. beatæ Mariæ. Item: Vnde uerò impij tanto animi furore tabescerent, nisi in regnum summæ beatitudinis coram sese uidissent alios introduci, & tunc demum in illos sese fœtores, in illos horrores, in illos incendij æterni cruciatus, in illas denique immortalis mortis miserias gemerent esse damnatos? Ibi enim, inquit, erit fletus, & stridor dentium. Fletus quidem ob ignem qui non extinguitur, stridor uerò ob uermem qui non moritur. Planè fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas, stridorem dentium uehementia ipsa tabescentis inuidiæ, & obstinata malignitas extorquebit. Sermone sexto. Item: Aut quis illos manere credendus est cruciatus, qui in hac uita non solùm mala, sed fortè pessima perpetrant, si sic sunt cruciandi qui hic bona receperunt, ut in medio flammæ æstuantibus linguis, ne minimæ quidem stillæ obtinere refrigerium queant? capite decimoseptimo de Conuersione ad clericos. Et: In inferno, ut in Esaia legimus: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Duo mala sunt uermis & ignis: altero roditur conscientia, altero concremantur corpora. Tertium additur desperatio, quæ in eo utique intelligitur, quod dicitur: Non morietur, & nō extinguetur. His qui in cœlo sunt, datur testimonium beatitudinis: his qui in terra, iustificationis: his qui in inferno sunt, damnationis.

Petrus Cluniacensis refert: Cum ecce post multum noctis spacium homo ad se redijt, & miserabiliter ingemiscens, ait: Ha, ha, ad iudicium æternum raptus sum: & heu miser, æterna morte damnatus sum. Traditus sum horrendis tortoribus, igne inextinguibili cum diabolo & angelis eius perpetuò cruciandus. Ecce, ecce, ignita sartago plena bullienti adipe, quam coram me tormentorum ministri detulerunt, eamq́ue ad me frigendum undique succenderunt. Et cum prior orationi, sicut iam bis fecerat, tertiò quoque incubuisset, ille ait: Cessa, cessa pro me orare, nec pro ullo ultrà fatigeris, pro quo nullatenus exaudieris. Priore uerò dicente: Frater redi ad cor, & misericordiam, dum adhuc uiuis, à Deo require. ille adiecit: Putas (ait) me ut insanum loqui? non insanio, sed sana mente quæ dixi confirmo. Et cucullam prioris manu tenens, eum interrogauit: Nónne hoc quod manu teneo, cuculla tua est? Quo respondente, Est: adiunxit, Sicut hæc uestis cuculla est, & sicut hoc quod substratum mihi est, palea est: sic & hoc quod coràm cerno, ignita sartago est. Et dum hæc loqueretur, gutta inuisibilis ignis de illa quam dicebat sartagine exiens, in manum eius priore uidente cecidit, & (mirabile dictu) cutem & carnem usque ad intima ossis consumpsit. Tunc ille acri cum gemitu: En (inquit) indubia rei probatio. Nam sicut ista quam uides de sartagine prolapsa gutta, carnis partem consumpsit: sic confestim totum me ignea uorago consumet. Priore ad ista stupente, iterum dixit: Ecce sartaginem ipsam ministri infernales propius adferunt, & ut me in illam inijciant, iam iamque manus adaptant. Et post modicum: Ecce linteum in quo iaceo, undique concurrentes accipiunt, & me in ignitam sartaginem, æternam frixuram proijciunt. Hoc uelut ultimum uale mox ut priori atque his qui ad hoc horrendum spectaculum conuenerant, dixit, subtracta uoce ac reflexa ceruice, puniendum spiritum condemnatis spiritibus tradidit. lib. 1 de Miraculis, cap. 25.

Lombardus ait: Sicut boni differenter glorificabuntur, alij magis, alij minus: ita & mali differenter in inferno punientur. Sicut enim in domo patris, id est, in regno cœlorum, mansiones multæ sunt, id est, præmiorum differentiæ: ita & in gehenna diuersæ sunt mansiones, id est, suppliciorum differentiæ. libro quarto, distinctione 49.

Petrus Blesensis: Quid facies cum te à charorum consortio resolutionis humanæ conditio separabit, cum tibi ingemiscere & horrescere cœperit nox æterna, cum extra diem te traxerit importunus & crudelis exactor per irremeabiles semitas tenebrarum, ut te in id immane & hor-

rendum

rendum chaos in regionem mortis æternæ præcipitet? qualiter tibi erit, cum Ecclesia sanctorum perpetua excommunicatione præcisus, uidebis filium Dei militibus suis donatiua gloriæ largientem, tibi cedere ad miseriæ cumulum alienam plenitudinem uoluptatum? O' quàm lugubre erit uidere & perdere Deum, ante sui saluatoris perire conspectum? Vbi tunc erunt animositates & deliciæ tuæ, de quibus sola remansit recordatio in tui accusationem, & obligatio in tormentum? Tota hominis miseri substantia deuorabitur inextinguibilibus flammis, nec erit suppliciorum modus, uel intermissio, siue finis. Nam finis ibi semper incipiet, mors non morietur, nec defectus deficiet, ut damnati hominis conditio semper in doloris materiam & mortis æternæ pabulum recidiuet. epist. 61.

Petrus Cantor ait: Si pro qualitate meritorum boni inserantur ordinibus angelorum, ergo pro qualitate meritorum mali inserentur ordinibus dæmonum. capite decimotertio. Et: Paueo gehennam, paueo iudicis uultum, ipsis quoque tremendum angelicis potestatibus. Contremisco ab ira potentis, à facie furoris eius, à fragore ruentis mundi, à conflatione elementorum, à tempestate ualida, à uoce archangeli, à uerbo aspero. Contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à uentre inferni, à rugientibus præparatis ad escam. Horreo uermem rodentem, ignem comburentem & torrentem, fumum & uaporem, sulphurem & spiritum procellarum, tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut præueniam fletibus fletum, & stridorem dentium, manuum pedumque dura uincula, & pondus cathenarum prementium, stringentium, urentium, nec consumentium? capite 110. Item: Sicque in triplici inferno punientur. Primò, audito uerbo aspero, Surgite mortui: cum excitabuntur, & euigilabunt à somno mortis, statim torquente & damnante eos conscientia. Secundò, audito uerbo asperiori in exprobratione peccatorum, & talenti non erogati, sed absconditi. Tertiò, audito uerbo asperrimo, quando ruent & descendent in abyssum inferni: Ite maledicti in ignem æternum. Ibidem. Item: Exemplum de picturis, in quibus animaduertere potes, peccatis similibus consimiles pœnas deberi, hominesque in membris puniri, in quibus peccauerunt. Alium in genitalibus uri, alium in lingua, alium in palato. Alij oculos erui, alij pedes truncari, & uinciri, & huiusmodi. Patrem etiam in filios inuolare, eis exprobrare, se causá eorum peccatorem & fœneratorem extitisse, & primò in eos insurgere, uultus eorum dentibus & unguibus lacerare: & econtrariò filios insurgere in patrem, eique sub dialogo exprobrare, illum materiam dedisse sibi rapinæ & detentionis rei alienæ. Ibidem. Item: Parata sunt derisoribus, contemnentibus diuina mandata, iudicia damnationis, & mallei percutientes stultorum corporibus: quia ut ferrum, ita etiam in incude & malleis uerberabuntur & percutientur. Ibidem.

Hildebertus ait: Præterea ad miserabiles tormentorum officinas, ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, in gemitu recurrebas & luctu. Epistola trigesimaseprima.

Hugo Eterianus ait: Vnus igitur gehennæ ignis est in inferno, sed non uno modo omnes cruciat peccatores. Vniuscuiusque enim quantum exigit culpa, tantum illic sentitur & pœna. Nam sicut hic unus sol non omnia corpora æqualiter calefacit, ita illic unus ignis animas pro qualitate criminum dissimiliter exurit. Nec est in dubitationis parte locandum, ignem illiusmodi esse corporeum, in quo certum est spiritus cruciari: adeò pertinax incendio, ut si mare influeret, caloris nullam remissionem sentiret. capite duodecimo de Regressu animar. ab inferis. Item: Vindicta carnis impij, ignis & uermis: uterq; enim, & ignis & uermis, erit pœna carnis. Ardent animę in inferno, & ipse, quo se in igne esse conspiciunt, penitùs ab nostro igne alienus existit. Nam neque uisu, neque auditu, neque intellectu, nisi solo tactu iste ignis contingentia se adurit. Verùm diues in inferno tenebatur, quando Abraham precabatur quasi eiulans: Mitte Lazarum, ut intingat extremũ digiti sui. Nota quòd anima Lazari digitos, diuitis uerò linguam habere significatur. Ibidem cap. 12.

Hildegardis ait: Infernus latitudinem uiciorum & profunditatem perditionum in se continet, os etiam uelut os putei habet, igneum fumum cum multo fœtore emittens: quia in uoracitate sua submissionem animarum tenet, cùm eis suauitatem & dulcedinem ostendit, eas ad peruersionem tormentorum diuersa deceptione perducit, ubi ardet ignis cum suffusione teterrima fumi, & cum ebulliente mortifero fœtore emanat. Quoniam hæc dira tormenta diabolo & subsequẽtibus alijs, qui se à summo bono auerterunt, nec

nec illud scire aut intelligere curauerunt, præparata sunt : unde & ab omni bono eiecti sunt, non quòd illud nescierunt, sed quòd illud cum magna superbia contempserunt. lib. 1. uisione 2.

De damnatione æterna inquit Bernhardus: Erit enim iam tunc non misericordiæ, sed iudicij tempus: nec ulla omnino credenda est erga impios futura illic miseratio, ubi nec ulla speranda est correctio. Ser. 8 de Psalmo, Qui habitat.

In inferno nulla redemptio. Petrus Blesensis: Nã in inferno nulla est redemptio. Cumq; locus ille uiam præcludit ad meritum, compensationis etiam beneficium non admittit. epist. 48.

De purgatorio sic Honorius loquitur: Ira Domini est purgatorius ignis. In ira Dominus hunc corripit, quem per purgatorium ignem in refrigerium ducit. Qui ignis grauior est, quàm si omnes pœnæ, quæ sanctis à tortoribus illatæ sunt, fierent una pœna. Hunc tam boni quàm mali transituri sunt, sic ut nullam læsionem in eo patiantur boni : mali autem sic, ut mala quæ in eis inueniantur, ibi comburantur, ut scribitur: Quale cuiusque opus sit, ignis probabit. Cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse tamen saluus erit per ignem. In Psal. 6.

DE VITA AETERNA.

VNde sit uita æterna, docet Rupertus: Vitæ æternæ fructus, est opus Dei. lib. 9. cap. 9 in Matth.

Bernhardus ait: Vera animæ uita Deus est. Serm. 10 de 10 uersu Psalmi, Qui habitat. Item: Aderit Dominus quærenti se, animæ speranti in se, aderit uotis supplicibus, & uerbis eius efficaciam administrabit. Excitabit desiderium uoluntatis, ut non modò uidere locum, sed & introire paulatim, & mansionem inibi facere concupiscat. capite 20 de Conuersione ad clericos.

Qualis ea sit, tradit Rupertus : Qui dignè percipit hoc Sacramentum, sic resurget in nouissimo, ut corpore nouo candorem habeat solidum, candorem sempiternum, fitque corpus eius quasi calculus, id est, splendida immutatione solidatum, de qua Apostolus : Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Immutari namque sanctorum est tantùm, idemque est, ac si diceret, Vltrà non moriemur, impassibiles erimus. libro 2 in Apocalyps. cap. 2. Item : Quamdiu corpora mortalia sunt, cum labore & solicitudine regunt illa: in futuro autem in pace & securitate super illa regnabunt. libro quarto Comment. in Apocal. capite 5.

Bernhardus inquit: Credimus sanè, & indubitata fide tenemus, diuina eos præsentia & uisione beatos sine fine lætari in bonis Domini, quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Sermone 1 in festo S. Michael. Item: Ostendet enim nobis filius (ut pollicitus est) semetipsum, non in forma serui, sed in forma Dei. Ostendet etiam nobis patrem & Spiritum sanctum, sine qua nimirum uisione nihil sufficeret nobis. Quoniam hæc est uita æterna, ut cognoscant patrem uerum Deum, & quem misit IESVM Christum, & in eis (quod non est dubium) etiam Spiritum utriusque. Transiens quippe ministrabit nobis nouas utique, & usque ad tempus illud nobis penitùs inexpertas delitias manifestæ suæ contemplationis. Vnde & beatus Iohannes in Epistola sua: Nunc, inquit, filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Et addit: Scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia uidebimus eum sicuti est. Sermon. 4 in festo omnium Sanctorum. Item: Tripliciter enim, fratres, in æterna illa & perfecta beatitudine fruemur Deo : uidentes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis, & quod his omnibus ineffabiliter iucundius sit atq; beatius, ipsam quoq; cognoscẽtes in semetipsa Trinitatẽ, & gloriã illam sine ullo ænigmate, mũdo cordis oculo cõtemplantes. In hoc enim erit uita æterna & perfecta, ut cognoscamus patrem & filium cum sancto Spiritu, & uideamus Deum sicuti est: id est, non modò sicut inest nobis uidelicet aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso. Vnde duo illa uelut circumiacẽtia esse uidẽtur quæ prædiximus, & quasi cortex tritici. Hęc uerò cognitio summa beatitudinis, tritici medulla, adeps frumenti, quo nimirum ciuitas sancta Hierusalem satiatur. Verùm quàm magna est beatitudo illa, tã abscondita ab oculis nostris. Neq; enim oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quãta claritas, quanta suauitas, quanta iucũditas maneat nos in illa cognitione. Pax Dei est illa, quæ exuperat omnem intellectũ, quanto magis omnem sermonem nostrũ? Quod ergo nulli datum est experiri, nullus conetur effari. Mensurã, ait Dominus, plenã, & confertam, & coagitatã, & supereffluentẽ dabũt in sinus uestros. Plenã uniuersitate creaturarũ, cõfertã in interiore homine nostro, coagitatã in exteriore, supereffluẽtẽ in Deo ipso. Ibi cumulus fœlicitatis, ibi supereminens gloria, ibi supereffluens beatitudo. Nã quomodo uiden-

uidédus sit in creaturis, quomodo in nobis habendus, possumus uel ex parte conijcere, ex ipsis nimirum quas accepimus iam primitijs spiritus. Cognitio autem illa omnino adhuc nobis incognita est, mirabilis facta est, confortata est, ut non possimus ad eam. At uerò quemadmodum in creaturis uidendus sit, possumus aliquatenus intelligere, nimirum cum & modò uideatur in ipsis: unde & philosophi (Apostolo teste) per ea quæ facta sunt, Dei inuisibilia conspexêre. Verùm quantumcunque proficiat quis intelligendo conspicere, quàm potentissimè, quàm prudentissimè, quàm benignissimè maiestas æterna omnia fecerit, cuncta regat, nunc creet omnia, nunc regat, nunc ordinet uniuersa, prorsus modicum ab eo quod est, comprehendit. Veniet autem quando iam (ut in præcedenti sermone diximus) sequemur agnum quocunque ierit: & in omnibus consequemur creaturis, ut in omnibus gaudeamus, quod est gaudium Domini Dei nostri. Gaudeamus sanè in omnibus, sed non aliunde quàm de ipso: sicut & ipse non alijs fruitur, sed semetipso. Iam uerò quemadmodum in nobis habendus sit, & hoc uel ex parte possumus cogitare. Constat enim animarum triplicem esse naturam: unde & sapientes mundi huius animam humanam, rationalem, irascibilem, concupiscibilem esse tradiderunt. Quam utique triplicem uim animæ, ipsa quoque natura & quotidiana experimenta nos docent. Porrò quemadmodum circa rationale nostrum & scientia & ignorantia constat, tanquam habitus & priuatio: sic & circa concupiscibile, desiderium & contemptus, & circa id quod dicitur irascibile, & lætitia pariter & ira uersatur. Implebit ergo Deus rationale nostrum luce sapientiæ, ita ut penitùs nobis nihil desit in ulla sapientia. Implebit concupiscibile nostrum fonte iusticiæ, ut omnino desideremus eam, & ea penitùs repleamur, sicut scriptum est: Beati qui esuriunt & sitiunt iusticiam, quoniam ipsi saturabuntur. Nulla enim alia res implere potest desiderium animæ, nulla alia præter iusticiam beatificare animam potest. Cum ergo repleuerit Deus concupiscibile nostrum iusticia, quicquid respuere debet anima, respuet: quicquid debet concupiscere, concupiscet: & ex omnibus id magis appetet, quod magis fuerit appetendum. Meritò denique concupiscibili nostro iusticiam attribuimus, ex quo nimirum aut iusti, aut iniusti reputamur. Iam uerò quod dicitur in nobis irascibile, cum repleuerit illud Deus, perfecta erit in nobis tranquillitas, & in summam iucunditatem atque lęticiam replebitur pace diuina. Et uide, si non etiam in his tribus perfecta, quantum sanè ad animam spectat, beatitudo consistat: quando scientia iam non inflat propter iusticiam, iam non contristat propter læticiam, ut cesset prouerbium illud: Qui apponit scientiam, apponit & dolorem. quoniam iusticia nec indiscreta erit propter scientiam, nec onerosa propter læticiam: quando lætitia nec inepta erit propter scientiam, nec impura propter iusticiam. Ibidem. Item: Cæterùm ubi resurrexerit in uirtute, quod in infirmitate fuerat seminatum, nulla iã erit necessitas seruiendi. Vbi & securitas libera fuerit, & secura libertas, quidni multò magis reddat eum sibi? Sermone octauo de octauo uersu Psalmi, Qui habitat. Item: Fœlix proinde expectatio, & beata spes nostra, quorum tam longè gloriosior futura est resurrectio, quàm fuerit prima conditio: ut nec culpa omnino, nec pœna, nec malum scilicet, nec flagellum, aut regnet, aut habitet, aut regnare aut habitare iam possit aliquando in animabus, seu in corporibus nostris. Ibidem sermone decimo. Et: Siquidem nec diuturnitas illa terminum, nec claritas illa occasum, nec satietas illa fastidium habet. Erit enim securitas de æternitate, gloriatio de ueritate, exultatio de satietate. Et ostendam illi salutare meum. Nimirum extunc uidere merebitur quod optauit, cum sibi rex gloriæ gloriosam exhibebit Ecclesiam, non habentem maculam ob splendorem diei, sed neque rugam ob omnimodam plenitudinem sui. Ibidem sermone decimoseptimo. Item: Nunquid cœlestis habitatio animas quas admittit indurat, aut memoria priuat, aut spoliat pietate? Fratres, latitudo cœli dilatat corda, non arctat: exhilarat mentes, non alienat: affectiones non contrahit, sed extendit. In lumine Dei serenatur memoria, non obscuratur. In lumine Dei discitur quod nescitur, non quod scitur dediscitur. Sermone secundo de natali S. Victoris. Item: Nobis enim tanto efficacior gratia & reuelatio dignior necessaria est, quanto nimirum excellentiora cõstat esse quæ expectamus. Sermone de festo Martini. Item: Inueniet enim locum tabernaculi admirabilis, ubi panem angelorum manducet homo, inueniet paradisum uoluptatis plantatum à Domino, inueniet hortum floridum & amœnissimum, inueniet refrigerij sedem, & dicet: O' si audiat uocem meam misera illa uoluntas, ut ingrediens uideat bona, & uisitet

locum istum:hic nimirum inueniet requiem ampliorem, & me quoque eo minus inquietabit, quo minus inquietabitur ipsa. Neque enim mentitur qui dixit:Tollite iugum meum super uos, & inuenietis requiem animabus uestris.capite uigesimo de Conuersione ad clericos. Item: Nec uerò locum reputes corporalem paradisum hunc uoluptatis internæ. Non pedibus in hunc ortum,sed affectibus introitur. Nec terrenarum tibi commendatur arborum copia, sed uirtutum utique spiritualium iucunda decoraque plantatio. Ortus conclusus,ubi fons signatus in quatuor capita deriuatur,& ex una sapientiæ uena uirtus quadripertita procedit. Splendidissima quoque inibi lilia uernant: & cum flores apparent, etiam uox turturis auditur. Illic nardus sponsæ fragrantissimum præstat odorem, & cætera quoque aromata fluunt, Austro spirante, Aquilone fugato. Ibi media est arbor uitæ, malus illa de cantico cunctis preciosior lignis syluarum, cuius & umbra sponsam refrigerat, & fructus dulcis gutturi eius. Ibi continentiæ nitor, & syncer æ ueritatis intuitus oculos cordis irradiat: auditui quoque dat gaudium & læticiam dulcissima uox consolatoris interni. Ibi quibusdam spei naribus influit iucundissimus odor agri pleni, cui Dominus benedixit. Ibi auidissimè prælibantur incomparabiles deliciæ charitatis, & succisis spinis ac uepribus, quibus antea pungebatur, unctione misericordiæ perfusus animus in conscientia bona feliciter requiescit. Quæ quidem non inter uitæ æternæ præmia, sed inter temporalis militiæ stipendia deputantur: nec ad futuram pertinent, sed ad eam magis quæ nunc est Ecclesiæ promissionem: hoc enim centuplum est quod in hoc seculo seculi contemptoribus exhibetur. Nec tibi illud nostro speraueris eloquio commendandum, solus spiritus est qui reuelat:sine causa paginam consulis,experientiam magis require.Ibidem capite uigesimoprimo. Item: Electos tria in futuro manent. Interna satietas, æterna iucunditas, iucunda uoluptas. De his dicitur: Exultent iusti. Sententiæ. Et: Electi tria præstolantur in futuro. Quod in eis mortale est, à uita penitùs absorberi: perennis gloriæ compensatione ditari: Deum sicuti est, insatiabiliter contemplari. Ibidem. Et: Fortè frumento, uino, oleo, auro atque argento, lapidibus'ue preciosis? Sed hæc nouimus, & uidimus: & uidemus, & fastidimus. Id quærimus quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Hoc placet, hoc sapit, hoc delectat inquirere, quodcunque est illud. Erunt, inquit, omnes docibiles Dei,& ipse erit omnia in omnibus. Vt audio, plenitudo quam expectamus à Deo, non erit nisi de Deo. Quis uerò comprehendat, quàm magna multitudo dulcedinis in breui isto sermone comprehensa sit, Erit Deus omnia in omnibus? Vt de corpore taceam, in anima tria intueor, rationem, uoluntatem, memoriam: & hæc tria ipsam animam esse. Sermone undecimo super Cantica. Item: Primum illud faciet ueritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa potestas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inextinguibilem, uoluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria fonti indeficienti æternaliter inhærente. Ibidem. Item: Erit autem proculdubio cum introductus fuerit seruus bonus & fidelis in gaudium Domini sui, & inebriatus ab ubertate domus Dei. Quasi enim ebrius miro quodam modo oblitus sui, & à se penitùs uelut deficiens, totus perget in Deum, & deinceps adhærens ei unus spiritus erit. Arbitror hoc Prophetam sensisse, cum diceret: Introibo in potentias Domini, Domine memorabor iusticiæ tuæ solius. Sciebat profectò cum introiret in spirituales potentias Domini, exutum se iri uniuersis infirmitatibus carnis, ut iam nil de carne haberet cogitare, sed totus in spiritu memoraretur iusticiæ Dei solius. Tũc pro certo singula Christi membra dicere poterunt de se, quod Paulus aiebat de capite: Etsi cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Nemo ibi se cognoscit secundum carnem, quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Non quòd carnis substantia illic futura non sit, sed quòd carnalis omnis necessitudo sit defutura, carnisque amor amore spiritus absorbendus, & infirmæ quæ nunc sunt humanæ affectiones, in diuinas quasdam potentias habeant commutari. Tunc sagena charitatis, quæ nunc tracta per hoc mare magnum & spaciosum ex omni genere piscium congregare non desinit,cum perducta ad littus fuerit, malos foras mittens, bonos solummodo retinebit. Siquidem in hac uita ex omni genere piscium intra sinum suæ latitudinis, charitatis rete concludit: ubi se pro tempore omnibus conformans, omniumque in se siue aduersa siue prospera traijciens, ac sua quodammodo faciens, non solùm gaudere cum gaudentibus, sed etiam flere

cum

cum flentibus consueuit. Sed cum peruenerit ad littus, uelut malos pisces omne quod triste patitur foras mittens, sola quæ placere & iucunda esse poterunt, retinebit. Nunquid enim tunc (uerbi gratia) Paulus aut infirmabitur cum infirmis, aut uretur pro scandalizatis, ubi scandala & infirmitas procul erunt? Aut certè lugebit eos qui antè non egerunt pœnitentiam, ubi certum est sic neminem sanè fore qui pœniteat, quomodo qui peccet non erit? Absit autem ut uel eos qui ignibus æternis cum diabolo & angelis eius deputandi sunt, plangat & defleat in illa ciuitate, quam fluminis impetus lætificat, cuius diligit Dominus portas super omnia tabernacula Iacob: quòd uidelicet in tabernaculis etsi quandoque gaudetur de uictoria, laboratur tamen in pugna, & plerumque periclitatur de uita: in illa autem patria nulla prorsus admittatur aduersitas siue tristicia, quemadmodum de illa canitur: Sicut lætantium omnium habitatio in te. Et rursum: Læticia sempiterna erit eis. Denique quomodo misericordiæ recordabitur, ubi memorabitur iusticiæ Dei solius? Proinde ubi iam non erit miseriæ locus, aut misericordiæ tempus, nullius profectò esse poterit miserationis affectus. Epist.11.

Petrus Cluniacensis ait: Nec enim ultrà beatos illos esse pauperes oportebit, nequaquam esurire corporaliter uel sitire, nequaquam flere uel gemere, nequaquam persecutionem pro iusticia pati eis ultrà necesse erit, & his similia, bonum (ut dixi) meritum comparantia: sed tamen excellentius bonum (quod mercedem præcedentium bonorum uocaui) eis deesse non poterit, quod beatus ille quicunque fuerit cœlicola æternaliter obtinebit. libro primo contra Petrobusianos, epistola secunda. Item: Ad domum non transeuntem, sed æternam in cœlis pertingamus, ubi non tantùm de inchoata, sed iam de consummata dilectione, & perpetua cohabitatione lætantes in Christo, ei uobiscum sempiternè cohæreamus. lib. tertio, epistola trigesimaprima. Item: Quæ iocunditas illa, miseris mortalibus ignota: qua torrente uoluptatis ipsius potatæ, insatiabili satietate ab illo apud quem est fons uitæ: post has tam densas, tam odibiles Ægypti tenebras, in lumine eius uidebitis lumen. libro sexto, epist.40.

Petrus Cantor ait: In futuro autem exiccatis nostræ immortalitatis illecebris, totus homo erectus diuino amori incumbet & adhærebit: sed nullus nisi prius claudicauerit bona claudicatione, ibi sic erigetur. capite nonagesimoprimo.

Potho ait: Diuinæ scripturæ authoritas confutat, quæ uerè beatam uitam, quæ est uita æterna, in cognitione diuinitatis, & fructu bonæ operationis constituit. lib.1 de Statu domus Dei.

Hildebertus ait: In hoc fructu est regnum sine termino, satietas sine tędio, sublimitas sine discessu, glorificatio sine defectu. epist.31.

De læticia æterna inquit Bernhardus: Nobis autem non fauum mellis, sed purissimum & liquidissimum mel reposuit Deus: ipsam planè læticiam, uitam, gloriam, pacem, uoluptatem, amœnitatem, fœlicitatem, iucunditatem & exultationem thesaurizauit nobis Dominus Deus noster. Sermone de nimia fallacia præsentis uitæ.

De gloria inquit Bernhardus: Habent angeli gloriam puram & perfectá: sed nec nos erimus sine gloria. Ser.3 de circumcis. Domini.

Lombardus ait: Omnes ergo cuncta illá uidebunt, quorum cognitio seruit beatitudini: sed in modo uidendi different. Alius enim alio magis, alius alio minus fulgebit. libro quarto, distinctione quadragesimanona. Item: Sine omni scrupulo credendum est, eos habituros maiorem gloriam post iudicium, quàm antè, quia & maius erit gaudium eorum. Ibidem.

De corporis gloria ait Bernhardus: Quid ultrà deest ad perfectam corporis beatitudinem? Sola utique pulchritudo. Hanc perfectissimam habituri, non immeritò possumus attribuere ei parti quam habemus ab igne. Saluatorem enim expectamus (ut ait Apostolus) qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, exhibens quod pollicitus est: Quoniam fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Sic ergo replebit animas nostras Deus, cùm perfecta in eius sententia fuerit, perfecta iusticia, perfecta læticia. Sic replebitur maiestate omnis terra, cum fuerit corpus incorruptibile, impassibile, agile, configuratũ deniq; corpori claritatis suæ. Serm.4 in festo omnium Sanctorum.

De pijs cernentibus damnatos inquit Honorius: In cœlo nulla est miseria. Ideo nullus dolor in inferno positorum tangit electorum præcordia: sed ut noster uisus pascitur, si diuersa animalia à nobis in gurgite ludere cernantur: ita ipsi in uniuersa Dei dispositione lætantur. In Dial. de lib. arb. & prædest.

De differentia glorificatorum inquit

Bernhardus: Sit ergo licet electis pariter omnibus unus idemque denarius uitæ reddendus æternæ: & in ipsa tamen, sicut stella à stella differt in claritate, & alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia stellarum: sic erit & resurrectio mortuorum. Et quamuis domus una, diuersæ tamen in ea sunt mansiones: ut uidelicet quantum quidem ad æternitatem & sufficientiam, & qui parum, non minoretur: & qui multum, non abundet. Quantum uerò ad eminentiam & discretionem meritorum, unusquisque accipiat secundum suum laborem, ne quid omnino pereat quod in Christo sit seminatum. Sermone nono de nono uersu Psalmi, Qui habitat.

De uita uera inquit Bernhardus: Ibi uerè uiuitur, ubi uiuida uita est & uitalis. Sermone decimoseptimo de ultimo uersu Psal. Qui habitat.

DE PHILOSOPHIA.

Bernhardus inquit: Videar forsan nimius in suggillatione scientię, & quasi reprehendere doctos, ac prohibere studia literarum. Absit. Non ignoro quantum Ecclesiæ profuerint & prosint literati sui, siue ad refellendos eos qui ex aduerso sunt, siue ad simplices instruendos. Denique legi: Quia tu repulisti scientiam, repellam & ego te, ut non fungaris mihi sacerdotio. Legi: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iusticiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sed & scio ubi legerim, Scientia inflat: & rursum, Qui apponit scientiam, apponit & dolorem. Vides quia differentia est scientiarum, quando alia inflans, alia contristans est? Tibi uerò uelim scire quæ'nam harum uideatur utilior, seu magis necessaria ad salutem, illa'ne quæ tumet, an quæ dolet? Sed non dubito quin dolentem tumenti præferas: quia sanitatem quam tumor simulat, dolor postulat. Qui autem postulat, propinquat saluti: quoniam qui petit, accipit. Denique qui sanat contritos corde, execratur inflatos, dicente sapientia, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et Apostolus aiebat: Dico autem per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter uos, non plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem. Non prohibet sapere, sed plus sapere quàm oportet. Quid est autem sapere ad sobrietatem? Vigilantissimè obseruare, quid scire magis prius'ue oporteat. Tempus enim breue est. Est autem quòd in se est omnis scientia bona, quæ tamen ueritate subnixa sit: sed tu qui cum timore & tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis breuitate festinas, ea scire prius ampliusque curato, quæ senseris uiciniora saluti. Nónne medici corporum medicinæ portionem definiunt eligere in sumendis cibis, quid prius, quid posterius, & quemadmodum quidque sumi oporteat? Nam etsi bonos constat esse cibos quos Deus creauit, tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modum & ordinem non obserues, reddis planè non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc sentite & de scientijs. Sed melius mitto uos ad magistrum. Non est enim nostra ista sententia, sed illius: imò & nostra, quoniam ueritatis. Qui se, inquit, putat aliquid scire, nondum scit quomodo oporteat eum scire. Vides quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit? Vides, inquam, quomodo fructum & utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? Quid, nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat? Quo ordine? ut id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? ut id ardentius, quod uehementius ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantùm ad ædificationem tuam uel proximi. Sunt namque qui scire uolunt eo fine tantùm ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire uolunt ut sciantur ipsi, & turpis uanitas est. Qui profectò non euadent subsannantem Satyricum, & ei qui eiusmodi est decantantem: Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Et sunt item qui scire uolunt ut scientiam suam uendant: uerbi causa, pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire uolunt ut ædificent, & charitas est. Et item qui scire uolunt ut ædificentur, & prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inueniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc uolunt intelligere ut benefaciant. Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum. Reliqui omnes audiant: Scienti bonum, & non facienti, peccatum est ei. Ac si per similitudinem dicat: Sumenti cibum, & non digerenti, perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memo-

ria, si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus, transfusa atque digesta, quatenus ipsa de bonis quæ nouerit uita attestante & moribus bona efficiatur: non'ne illa scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conuersus in prauos noxiosque humores? An'non malus humor peccatum? an'non mali humores, praui mores? An'non inflationes & torsiones in conscientia sustinebit qui huiusmodi est, sciens uidelicet bonum,& non faciens? An'non responsum mortis & damnationis totiens in semetipso habebit, quotiens in mentem uenerit sermo quem dixit Deus: Quia seruus sciens uoluntatem Domini sui, & non faciens digna,plagis uapulabit multis? Et uide ne fortè in persona talis animæ Propheta plangeret, dicens: Ventrem meum doleo, uentrem meum doleo. Nisi quòd ipsa ingeminatio geminum uidetur innuere sensum, ut præter hunc quem diximus, etiam alium requiramus. Puto enim quòd hoc in sua persona potuit dixisse Propheta, quòd uidelicet scientia plenus, & æstuans charitate, & omnino effundere cupiens, non inueniret qui curaret audire: & sic quasi oneri sua sibi scientia erat, quam communicare non poterat. Plangit itaque pius Ecclesiæ doctor tam illos qui scire contemnunt quomodo sit uiuendum, quàm illos qui scientes, malè nihilominus uiuunt. Et hoc pro eo quòd eundem sermonem Propheta repetit. Aduertis'ne iam quàm uerum sensit Apostolus, quia scientia inflat? Sermone trigesimosexto super Cantica. Item: Philosophorum uel hæreticorum intellectus nō habet hunc in se puritatis ueritatisque nitorem: & ideo multam curam gerunt ipsum colorare & fucare phaleris uerborum, & uersutijs syllogismorum, ne si nudus appareat, falsi etiam appareat turpitudo. Ibidem sermone quadragesimoprimo.

Petrus Blesensis ait: Res plena discriminis est in clericis, usus legum. Totum enim hominem adeò sibi uendicat, ut rei familiaris prouidentiam fraudet, suspendat à spiritualibus, à diuinis auellat. Periculosum est ita legibus humanis imprimi per horulam, ut à diuinæ legis meditatione ieiunet. Nemo potest precari & orare, petere & postulare, exercere Christi ministerium & officium aduocati: ne dum in utroque festinat, neutrum bene peragat. Non inficior bonum esse scire leges, sed non ad quæstum, non ad iniquum iuris compendium: sed ad inquisitionem ueritatis, & iudicij æquitatem, si fortè me an alium aliquando oporteat esse iudicem, uel iudicis assessorem. Hodie soli auariciæ militant patroni causarum. Illud quondam uenerabile nomen & gloriosa professio. Aduocati uocabulum uenalitate uilescit, dum miser & perditus linguam uendit, lites emit, matrimonia legitima dissoluit, amicitias rumpit, sopitarum litium cineres resuscitat, pactiones uiolat, retractat transactiones, priuilegia frangit, & in capturam pecuniæ pedicas & reticula tendens, iura omnia introuertit. epistola decimaquinta.

Petrus Cantor ait: Hoc præmium philosophia promittit, sensum, communionem, humanitatem, socialitatem & congregationem: à qua professione dissimilitudo nos separabit. capite quinquagesimosexto.

DE MAGIA.

Lombardus: Quorum scientia atque uirtute etiam magicæ artes exercentur: quibus non tam scientia, quàm potestas à Deo data est, uel ad fallendum fallaces,uel ad monendum fideles,uel ad exercendam probandamque iustorum patientiam. libro secundo, distinctione septima. Et: Nec sanè creatores illi mali angeli dicendi sunt,quia per illos magi ranas & serpentes fecerunt:non enim ipsi eas creauerunt. Omnium quippe rerum quæ corporaliter uisibiliterq; nascuntur,occulta quędam semina in corporeis mundi huius elementis latent, quæ Deus originaliter eis indidit. Ipse ergo creator est omnium rerum,qui creator est inuisibilium seminum: quia quæcunque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia, & incrementa debitæ magnitudinis, distinctionesque formarum ab originalibus (ut ita dicam) regulis sumunt. Ibidem. Item: Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugū, quamuis eorum extrinsecus adhibitis motibus,ad ista creanda Dei uirtus interius operetur: ita non solùm malos, sed nec bonos angelos fas est putare creatores. Sed pro subtilitate sui sensus & corporis,semina istarum rerum nobis occultiora nouerunt,& ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt, atq; ita gignendarum rerum & accelerandorum incrementorum præbēt occasiones. Sed nec boni hæc,nisi quātum Deus iubet,nec mali hæc iniustè faciunt, nisi quantum iustè ipse permittit. Nam iniqui malicia uoluntatem

tatem suam habent iniustam, potestatē autem non nisi iustè accipiunt, siue ad suam pœnam, siue ad aliorum: uel pœnam malorum, uel laudem bonorum. Ibidem.

Petrus Blesensis ait: Quædam mulieres cereas siue luteas formant imagines, ut sic hostes uel amasios torqueant: quidam habent oculos fascinantes, quidam in uolatu auium futura concinunt. Quidā genethliacos, uel genellicos, quidam mathematicos, quidam anelos & phytonissas consulunt: & quia diuinationi eorum quandoque respondent euētus, eis fides à temerarijs exhibetur. Nā mendacij pater ueritatē exhibet frequēter umbratilem, donec infidelitatis filios secum pręcipitet in gehennam. Sic ergo scientia Christiani nil debet de futuris inquirere, sed illius dispositioni humiliter obedire, qui disponit omnia suauiter, cuius consiliarius nemo fuit, &c. Nō labores noscere tēpora uel momēta quæ posuit pater in sua potestate. Futurorū enim explorare noticiam augurijs aut alijs illicitis modis, diabolica tentatio est, & æternæ damnationis occasio, &c Frequenter euenit, rerum prodigia certos exitus obtinere, eis tamē nulla fides adhibeatur: licet enim uera sæpe pronuncient, sæpius tamen & periculosius mentiuntur. Nec te tamē moueat, quod quandoq; ex dispensatione diuina talia personæ commendabiles accepisse leguntur. epist. 49.

Iohannes Salisberiensis ait: Et quidem magi sunt, & ob magnitudinē maleficiorum sic appellantur, qui Domino permittente elementa concutiunt, rebus adimūt species suas, uentura plerunq; prænunciāt, turbant mentes hominum, immittunt somnia, hominesq; uiolentia carnis duntaxat occidunt. libro primo, capite decimo Policratic.

De Nicromancia inquit Petrus Alphonsus: In primis igitur debes scire, artis illius, quę Nicromantica appellatur, nouem particulas esse: quarū quatuor primæ de quatuor tractant elementis, qualiter in eis operari posſimus physicè: quinque uerò reliquæ, quemadmodum non nisi per inuocationem malignorū operari quis posſit spirituum. Illi autem maligni spiritus diaboli ab hominibus appellantur. tit. decimo in Dialogo.

¶ De Astrologia inquit Rupertus: Astronomiæ noticiam sanctæ Scripturæ non deesse constat, præsertim cum iam à principio dicat: Dixit quoq; Deus, Fiant luminaria, &c. Astrologia uerò partim naturalis, quæ exequitur solis & lunæ cursus, uel stellarum, certas temporum stationes. Superstitiosa uerò illa est, quam mathematici sequuntur, qui in stellis augurantur, quique etiam duodecim cœli signa per singula animæ uel corporis membra disponunt, siderumque cursu natiuitates hominum & mores prædicere conantur. lib. 1 de Scientia, capite decimo septimo.

DE LIBRIS *sacris.*

HOnorius ait: Ad Physicen pertinet Genesis, quæ de naturis loquitur. Epistolæ Paulinæ ad Ethicam pertinent, quæ de moribus tractant. Psalterium ad Logicā (quæ & Theorica dicitur) eo quòd de ratione diuinæ scientiæ commemorat. Traditur autem quòd Psalterium in quinque diebus à Dauid sit editum, & in quinque libris est distentum per quinq; millia annorum, per quinque uulnera Christi redemptum. In Procemio Psal.

De libris Canonicis inquit Petrus Cluniacensis: Hac ratione libros ex libris, præcedentes ex sequentibus, sequentes ex præcedentibus, diuinos, canonicos, autenticos esse probamus: & autoritate eorum, iuxta Apostolum, omnem scientiam extollentem se aduersus altitudinem Dei abijcimus, destruimus, conculcamus. libro primo contra Petrobusianos, epistola secunda. Itē: Si miracula quæ à Christo uel per Christianos facta dicuntur, quia non uidimus, nulla uel uicta esse asseris: & nos quoque ea quæ per Moysen, Iosue, Iudæos facta leguntur, quia non uidisti, nulla uel ficta esse asserimus. Nullam enim tu maiorem afferre potes certitudinem de Iudaicis miraculis, quàm nos de Christianis. Nam sicut tu libros habes Iudaicos, in quibus illa inscripta sunt: sic & nos libros habemus Christianos, in quibus ista relata sunt. Hac ergo ratione aut nega Christiana miracula, & nos negabimus Iudaica: aut cōfitere Christiana miracula, & nos fatemur Iudaica. Sed quia tu signis illis, licet non uisis, sola librorum à parentibus traditorum lectione fidem accommodas: cogeris ut & nobis libris à maioribus nostris nobis traditis fidem præbere concedas: & insuper quia tuis nos assentimus, tu quoq; nostris assentias. Credimus nos Prophetis tuis, crede & tu Apostolis nostris. Crede autem hac ratione, quòd quicquid illi de Christo & ad Christum pertinētibus rebus futurum esse dixerūt, hoc totum isti mundo impletum absq; diminutione aliqua ostenderunt. lib. 2 contra Iudæos.

DE GENESI.

Rupertus: Scripturarum omnium uertex sublimis liber Geneseos. libro 1 in Gen. capite primo.

DE PSALTERIO.

Honorius:Psalmi nō ordinatim,sed sparsim à Dauid sunt conscripti. Post incensam autem à Chaldæis legem,Esdras propheta nouas literas reperit,legem renouauit,Psalmos in unum uolumen redegit, ordinem ob certas causas dedit, titulos quasi claues ad reseranda occulta mysteria affixit. Traditur namq;, quòd Dauid in primis, Benedictus Dominus Deus meus,ediderit: sed Esdras propter mysterium,Beatus uir,primùm, deinde cæteros in ordine sequentes posuerit.In Prologo in Psalterium. Item: Hic liber (Psalterium) est clauis cœli,& ianua paradisi.Per hunc enim cœlum reseratur,per hunc ad uitam intratur. Ibid.

DE HYMNIS.

Honorius:Titulus est libri huius, Liber hymnorum. Hymnus est laus Dei metricè composita. Omnis quippe Psalmus in Hebræa lingua certo metro decurrit: sed hoc translatores persimplices minimè seruare curarunt.In Prologo Psal.

DE SALOMONE.

RVpertus ait: Salomon scripsit secundū has tres uirtutes Theologicás tres libros,scilicet librum Parabolarū siue Prouerbiorum, Ecclesiasten,& Cantica canticorum. Librum Prouerbiorum scripsit ad instruendam fidem, Ecclesiasten ad corroborandam spem,Cantica canticorum ad dilatandam charitatem.lib. 6 de glorificatione Trinitatis & proces. Spiritus sancti,capite 19.

DE CANTICO CANticorum.

Bernhardus : Vnde constat hoc opus nō humano ingenio,sed spiritus arte ita compositum,ut quamuis sit difficile intellectu, sit tamen inquisitu delectabile. Ser.1 super Cantica. Item : Hoc appellarim Cantica canticorum, quia cęterorum omniū ipsum est fructus.Ibidem.

DE PROPHETIS.

Rupertus inquit:In Ezechiele sermo difficilior est. Daniel autem quanto planior, tanto ad legendum delectabilior,& ad intelligendum dulcior.lib.6 de Victoria uerbi Dei,cap.8.

Bernhardus ait:Vnus nimirū fuit spiritus Prophetarum:&licet diuersis modis,signis & temporibus eandem rem diuersi,non diuerso spiritu & præuiderunt & prædixerunt.Homil.2 de beata Virgine. Et:Sed tu frater,qui (ut audiui) Prophetas legis, putas intelligis quæ legis? Nam si intelligis, sentis utique sensum propheticæ lectionis esse Christum. Quem uidelicet si apprehendere cupis,citius illum sequendo quàm legendo consequi potes.Quid quæris Verbū in uerbo, quod iam caro factum præstò est oculis?Iam enim de latibulo Prophetarum egressus est ad oculos piscatorum : iam de monte umbroso & condenso tanquā sponsus de thalamo suo prosiliuit in campum Euangelij.Iam qui habet aures audiendi,audiat illum clamantem in templo: Qui sitit, ueniat ad me & bibat. Et:Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. epist.106.

Petrus Cluniacensis ait : Solet hic idem spiritus Dei hoc aliquando facere, & lingua gentili prophetica uel diuina proferre. Fecit hoc per Iob iustum, non Iudæum,sed Idumæum. Fecit & per impium Balaham, qui inter alia quæ prædixit futura, etiam solennē & notam de Christo protulit prophetiam.Videbo,inquit,eum,sed non modò: intuebor illum,sed non propè. Orietur stella ex Iacob,& exurget uirga de Israel.Et post quædam:Heus quis uicturus est,quando ista faciet Deus?lib.2 contra Iudæos.

DE EVANGELIIS.

Rupertus ait: Quatuor animalia, id est, Euangelia confirmant,agno ęquè ut sedenti in throno,filio IESV Christo ęquè ut patri Deo benedictionem & honorem & gloriam & potestatem debere & testari omnē creaturam.libro quarto in Apocalyp.capite quinto.

DE PAVLO.

Bernhardus: Ne adhuc quidem cessat ab hominum conuersione:dico autem exemplo,oratione & doctrina. Serm.1 de cōuers. Pauli.

DE APOCALYPSI.

Rupertus ait:Nulla pars sanctæ Scripturæ uberior est, quàm hic liber Apocalypsis Iohannis apostoli. In Prolegom. in Apocalyp. Item : Nulla est sacræ Scripturæ series hac Apocalypsi aut in superficie pulchrior,aut in sensu locupletior : etenim tot habet sacramenta,quot uerba. Parum dictū est, & pro merito uoluminis laus omnis inferior est. In uerbis singulis multiplices latent intelligentiæ.Ibidem. Item : Hæc pars exordij huius magnam totius libri autoritatem,ut non debeat contemni,uel minoris haberi celsitudinis quàm cæteræ Scripturæ,quas in canonico apice recipit ac ueneratur Ecclesia Christi. Si enim hanc Apocalypsin non recipit quis , consequens est, ut nec illud recipiat testimoniū uerbi Dei, testimonium IESV Christi:id est,Euangelium eiusdem Iohannis.lib.1.cap.1 in Apocal. Item : Dicit in Apocalypsi contineri prophetiam trium temporū,præteriti,præsentis & futuri,ac reperiri in prophetijs aliorum.Ibidem.

De translationibus inquit Honorius:Sex

sunt translationes ab Ecclesia receptæ, uidelicet Septuaginta, Theodotionis, Symmachi, Aquilæ, & quinta editio, cuius autor ignoratur, & Hieronymi. In Prologo in Psalterium.

DE SEPTVAGINTA *interpretibus*.

Petrus Cluniacensis: Nec latet nos quod uos fortè ignoratis, Septuaginta interpretes, quos uester Iosephus refert, à pontifice Eleazaro ad transferendas de lingua Hebraica in Græcam Scripturas sacras Ptolomæo regi Ægyptiorum directos, sex ista tā sublimia nati paruuli nomina reticuisse, & pro illis magni consilij angelum transtulisse. Sed fecerunt illi hoc, ut autores tam uestri quàm nostri referunt, ne regi iam unū Deum colenti scandalum facerent: néue illum qui nouiter cultum idolorum abiecerat, rursum obiecta hominis Christi deitate, dum tanti mysterij altitudinem penetrare non posset, non tam erudirent, quàm perturbarent. Sed hoc, siue alio animo, hoc illi fecerint, quid ad uos? Si non habent nomina illa Græci libri, habent Hebraici: si non habet ea Græcus, habet Hebræus. Relegite Esaiam, scrutamini uerba ista, & non uerbis meis, sed literis uestris credite: non libris alienis, sed proprijs adquiescite. libro 2 contra Iudæos.

DE COMMENTARIIS.

Rupertus ait: Sicut mulieribus illis (uolentibus ungere corpus Domini) non satis fuit, quòd Ioseph iustus & Nicodemus condierant illum cum linteis & aromatibus, ipsis præsentibus & aspicientibus, nisi & ipsæ aliquid de suo tantæ pietatis operi addidissent: sic sanctis & fidelibus semper mentibus optabile est, ad ea quæ Apostoli uel Apostolici uiri scripserunt de fide resurrectionis, aliquid proprij superadijcere laboris: faciuntq; hoc penè cuncti dictis aut factis, pauci etiam scriptis. Libro septimo de Diuinis officijs, cap. 18.

INCLINATIO DOCTRINAE, COMPLECtens peculiares & incommodas opiniones, stipulas, & errores doctorum.

DE VETERI ET *nouo Testamento*.

De ueteri & nouo Testamento Petrus Cantor malam differentiam recenset. Inde est, inquit, etiam quòd differentia constituitur inter uetus & nouum Testamentum, quòd hoc æterna, illud temporalia promisit. Huius etiam lectio in fine in signum huius rei acuitur, illius uerò lectio deprimitur. cap. 22.

DE CHRISTO.

De Christo opinionem à uerbo Dei alienam Rupertus habet, ut: Filius Dei factus esset homo, etiamsi Adam non peccasset. Sic dicit: Absurdum sit putare, quòd propter eos, ut nascerentur, peccatum necessarium fuerit: quod de isto capite & rege omniū electorum angelorum & hominū sentiendum, nisi quòd & ipse maximè causam necessariam non habuerit ipsum peccatū, ut homo fieret ex hominibus, delicias suę charitatis habiturus cum filijs hominum. Libro 13 Comment. in Matth. cap. 26.

Quòd mediator tantùm secundum humanitatem. Lombardus: Vnde & mediator dicitur secundum humanitatem, non secūdum diuinitatem. Non enim est mediator inter Deū & Deum, quia tantùm unus est Deus: sed inter Deum & hominem, quasi inter duo extrema: quia medius esse non potest, nisi inter aliqua. Mediator est ergo, in quantum homo. Nam in quantum Deus, non mediator, sed æqualis patri est, hoc idem quod pater, cum patre unus Deus. Mediat ergo inter homines & Deum trinitatem secundum hominis naturam, in qua suscepit illa per quæ reconciliamur Deo trinitati: & secundum eandem habet aliquid simile Deo, & aliquid simile hominibus, quod mediatori congruebat: ne per omnia similis hominib. longè esset à Deo: aut per omnia Deo similis, longè esset ab hominib. & ita mediator nō esset. Verus ergo mediator Christus inter mortales peccatores & immortalē iustum apparuit, mortalis cum hominibus, iustus cū Deo: per infirmitatem propinquans nobis, per iusticiam Deo. Rectè ergo mediator dictus est, quia inter Deū immortalem & hominē mortalem est Deus & homo, recōcilians hominē Deo. In tātum mediator, in quantū est homo. In quantum aūt uerbum, nō est medius: quia unus cum patre Deus. Si ergo Christus secundū uos, ô hęretici, unā tātùm habet naturā, unde medius erit? & nisi ita sit medius, ut Deus sit propter diuinitatis naturam, & homo propter humanitatis naturā, quomodo humana in eo reconciliantur diuinis? Nā ipse ueniēs prius in se humana sociauit diuinis per utriusq; naturæ coniunctionem in una persona. Deinde omnes fideles per mortem reconciliauit Deo, dum sanati sunt ab impietate. quicunque humilitatem Christi credendo dilexerunt, & diligendo imitati sunt. Ecce hic aliquatenus insinuatur, quare Christus solus mediator Dei dicitur

citur & hominum: & secundum quam naturam mediet, scilicet humanam: & cui mediet, scilicet Deo trinitati. Trinitati enim nos reconciliauit per morté, per quá & nos etiam redemit à seruitute diaboli. Nam ut Petrus ait, non corruptibilibus auro & argento redempti sumus, sed precioso sanguine agni immaculati. Libro tertio, distinctione 19.

De descensu Christi ad inferos ait Lombardus: Anima ergo ad infernum descendit, caro in sepulchro iacuit. libro tertio, distinctione 22.

DE SPIRITU *sancto.*

Opinio est Ruperti: Spiritus sanctus non datus erat ante passionem ea cognitione, qua peccata remittuntur: ea tamen qua diuisiones gratiarum distribuntur, datus quidem fuerat Prophetis uel Patribus, sed nō eodem modo, ut rectè flumen uocaretur. Libro septimo Commentariorum in Iohan. capite septimo. Item: Et antequam filius in hunc mundum uenisset, diuersarum distributione gratiarum antiquis sanctis datus est, sed nondum ulli in remissionem peccatorum: quod nunquam fieret, nisi prius idem pontifex noster sacrificium se pro nobis obtulisset. Libro decimoquarto, capite 20.

DE ANGELIS.

Opinionem de nouenario ordine angelorum pleriq; habent, licet nō exter perspicuum in sacris quidem literis de ijs testimonium, ut Honorius ait: Angelorum nouem ordines referuntur, quia ad summæ Trinitatis mysteria mirè disponuntur. Scilicet angeli, qui singulis hominibus ad tutelam, uel solatium, uel auxilium mittuntur: à quibus dæmones, ne quantum uolunt, noceant, reprimuntur. Archangeli, qui ad summa peragéda uel nuncianda mittuntur, quiq; singulis gentibus præesse creduntur. Virtutes, per quas signa & miracula administrantur. Potestates, per quas uitia & dæmones refrenantur. Principatus, qui angelorum agminibus principantur. Dominationes, quæ ipsis principibus dominantur. Throni, per quos iudicia Dei exercentur. Cherubin, per quos scientia diuinæ cogitationis exhibetur. Seraphim, per quos ardor diuini amoris præbetur. In Speculo Ecclesiæ.

Rupertus ait: Angeli nobis per mortem Christi amici facti sunt. li. 2 Com. in Iohan. cap. 1. Item: Angeli etsi ad comparationé nostri, spiritus dicuntur & sunt, in comparatione tamen Dei corporei sunt. Habent enim, ut docti & magni uiri perhibent, corpora ex ipso aëre crasso atq; humido, qui uento flante sentitur impulsus, præsertim qualis erat, cum adhuc tenebræ essent super faciem abyssi, de quibus (ut Apostolus ait) Deus lucem splendescere iussit. Cuius eorum conditionis experimentum capere licet ex ijs qui ceciderunt. libro primo in Genes. cap. 11.

Bernhardus inquit: Ministrant enim angeli, sed de alieno, offerentes Deo bona opera, non sua, sed nostra, ac nobis eius gratiam referentes. Serm. 1 in festo omn. Sanctor. Item: Benedictus sanctus angelus, qui pio pectori tuo id suggessit. Benedictus Deus noster, qui persuasit. epist. 147.

Iohannes Salisberiensis inquit: Angeli iam futuræ beatitudinis nostræ participes uisi ab hominibus adorantur, eo quòd in eis uisa est quædam potentia deitatis, cum tamen creatura à creatura adorari omnino non liceat. lib. 5 Policrat. de curial. nugis, cap. 3.

Quòd insint. Bernhardus: Quòd si dicas posse inesse & angelum, non inficior. Memini scriptum: Et angelus qui loquebatur in me. Atqui differentia & in hoc. Inest angelus suggerens bona, non ingerés: inest hortans ad bonum, non bonum creans. Deus sic inest, ut afficiat, ut infundat, uel potius ut infundatur & participetur: ita ut unum proinde cum nostro spiritum esse dicere quis non timuerit, etsi non unam personá, unámue substantiam. Habes enim: Qui adhæret Deo, unus spiritus est. Angelus ergo cum anima, Deus in anima: ille ut contubernalis animæ inest, Deus ut uita. lib. 5 de Consideratione.

DE DIABOLIS.

Honorius: Diabolum ignorasse diuinitatem filij Dei: quia si scisset Dei filium esse, nequaquam omnino crucifixisset. In Prouerbiis.

DE HOMINIBUS.

Rupertus: Rationem secundum quá ad imaginem Dei factus est, homo non perdidit: sed incitationem bonitatis eius, secundum quam ad Dei similitudinem factus erat, amisit. lib. 9 Commentar. in Iohan. capite 8. Item: Nisi peccatū admissum fuisset, illi tantummodo nascerétur, qui nunc per Christi gratiam liberantur. libro nono, capite octauo in Iohannem. Lombardus ait: De termino uerò temporis, quo transferentur ad spiritualem cœlestemque uitam, certum aliquid Scriptura non tradit: & ideo ambiguum est. libro secundo, distinctione 20.

Potho ait: Meritas dignitates cœlestium spirituum sortiuntur electi, qui cœlestem in terris ducunt uitam. Homo quippe ad ruinam apostatæ angeli supplendam conditus

conditus est. De ipsis autem apostatis angelis ex singulis nouem ordinibus angelorum aliquos lapsos esse; Scripturæ sanctæ testimonio affirmatur. Vnde ad instaurandum in singulis ordinibus numerum angelorum qui lapsi sunt, sancti & electi homines, sicut diuina prouidentia disposuit, assumuntur. Sunt ergo in hominibus aliqui qui angelis, sunt qui archangelis, sunt qui principibus, sunt qui potestatibus, sunt qui uirtutibus, sunt qui dominationibus, sunt qui thronis, sunt qui Cherubin, sunt qui Seraphin, uitæ suæ merito annumerantur. libro quarto de Statu domus Dei. Et: Quia enim tanta ad cœlum ascensura esse creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit angelorum, superest ut ipsi quoque homines, qui ad cœlestem patriam redeunt, ex eis agminibus aliquid illuc reuertentes imitentur. Ibidem.

DE PECCATO.

Infantes non habere peccatum actuale, Petrus Cluniacensis opinatur: Ergo, inquit, cum nullus absque peccato esse possit, actuale autem peccatum in paruulis inueniri non possit: quoniam omnis quicunque peccat, aut originaliter, aut actualiter peccat: paruuli, qui actualiter peccare non potuerunt, utique originaliter peccauerunt. Libro primo, epistola 2 contra Petrobusianos.

Quòd peccatum originis tantùm secundum carnem trahatur, affirmat Lombardus: Hoc autem fides catholica respuit, & tãquam ueritati aduersum damnat: quæ non animas, sed carnem solam, sicut superius diximus, ex traduce esse admittit. Non ergo secundum animam, sed secundum carnem solam peccatum originale trahitur à parentibus. Est enim peccatum originale (ut suprà diximus) concupiscentia, nõ quidem actus, sed uitium. Vnde Augustinus: Ipsa concupiscentia est lex membrorum uel carnis, qui est morbidus quidam affectus uel lãguor, qui cõmouet illicitum desiderium, id est carnalem concupiscentiam, quæ lex peccati dicitur. Quę dicitur manere in carne, non quia in anima sit, sed quia per corruptionem carnis in anima fit. libro secundo, distinctione trigesimaprima. Item: Ex cuius contactu anima, cum infunditur, maculam trahit, qua polluitur & fit rea: id est uitium concupiscentiæ, quod est originale peccatum. Ibidem.

DE LEGE.

Petrus Cluniacensis autumat, quædam in ueteri Testamento mutata per nouum. Sic enim inquit: Agnosce hoc, inquam, factum per Christum, qui autor noui & æterni Testamenti, multa in eo præterquam se usus antiquus habuerat, auxit, minuit, ac mutauit. Auxit quando dixit: Nisi abundauerit iusticia uestra plus quàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et addidit: Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: qui autẽ occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Et sequentia. Rursum audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico uobis, quia omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Ac deinde: Audistis quia dictum est antiquis, Non periurabis. Ego autem dico uobis, non iurare omnino. Ac postmodum: Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico uobis, non resistere malo. Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & reliqua quæ lectio Euangelij nostri indicat. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico uobis, diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderũt uos, & orate pro persequentibus & calumniantibus uos. & reliqua quæ cœlestis illa Scriptura recitat. Quando hæc Christus præcepit, utique supra legis antiquæ præcepta, plurima auxit. lib. 2 contra Iudæos, cap. 4.

Petrus Cantor putat, quòd in Euangelio perfectiora opera mandentur, quàm in lege, sic inquiens: Est autem hæc differentia inter opera pietatis sub lege facta, & opera pietatis facta sub Euãgelio. Lex namque ait, Frange esurienti panem tuum: & reliqua quæ sequuntur. Vnde apud quosdam hic mos laudabiliter inoleuit, ut de singulis panibus aliquid frangatur pauperibus. Tobias etiam ait: Modicum habes, modicum dabis. Dominus uerò in Euangelio ait, pietatem perfectiorem ostendẽs, Vade & uende omnia quæ habes, & da pauperibus: nec tantùm indigenti, sed etiam rapienti. Vnde si abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium. capite octuagesimo secundo.

De legis impletione ait Petrus Cluniacensis: Cauemus autem, imò omnino uitamus eius maledictiones, si iuxta eius decreta uitam agimus: hoc est, nõ concupiscẽdo, non occidendo, non furtum faciendo, non falsum testimonium perhibendo, & reliqua similia obseruando, quæ & uetus Scriptura seruari præcepit, & nouæ gratiæ Euangelium

angelium teneri multò magis imperauit. Vitamus eius maledictionem, si non significans, sed significatum: hoc est, si non carnalem circumcisionem, si non carnale sabbatum, si non carnalia sacrificia: sed spirituales uirtutes, quæ illis carnalibus sacramentis designatæ sunt, obseruamus. Hoc igitur utroque modo, uel agendo quæ apertè præcepta sunt, uel implendo quę sub sacramentorum uelamine significata sunt, non subiacet legis maledicto Christianus, falsoque se impetitū à Iudæo demonstrat, dum his modis in sermonibus legis se permanere declarat. Non ergo tāgit illum uel in modico maledictio illi à te obiecta Iudæe: sed te potius respicit, tibi se totam ingerit, qui nec spiritu libertatis, ut Christiani, in sermonibus legis tuæ permanes: nec ipsa seruili & carnali conditione, ut primi Iudæi, eos opere ex maxima parte adimples. libro secundo contra Iudæos, capite quarto.

Berengosius ait: Sciendum est, quia nisi fide integra & charitate perfecta decem legalia studeamus adimplere præcepta, nequaquam adunari ualemus illi perfectæ requiei, ubi scientiam suam non nox nocti, sed dies indicat diei. libro de Myster. ligni Dominici.

De differentia legis & Euangelij inquit Lombardus: Distat autem Euangelij litera à legis litera, quia diuersa sunt promissa: ibi terrena, hic cœlestia promittuntur. lib. 3. dist. 40.

DE PRAEDESTINATIONE.

Petrus Cluniacensis prædestinationem attribuit gratiæ Dei & meritis sequentibus, inquiens: Nam si ad uitam æternam gratia Dei & subsequentibus meritis prædestinatus est, utique in libro uitæ adscriptus est. Quòd si in libro uitæ adscriptus est, iuxta Saluatoris uerba, filius Dei & filius resurrectionis est. lib. 1. epist. 2 contra Petrobusianos.

DE LIBERO ARBITRIO.

Plus tribuit uiribus humanis Hugo de S. Victore, quàm conueniebat. Voluntas, inquit, hominis est potestas Dei, uoluntas hominis est, quia uelle hominis in uoluntate est: in quantum uis, tantum mereris: quantum crescit uoluntas tua, tantum crescit meritum tuum. Fac magnam uoluntatem, si uis habere magnum meritum. Ita Deus, ut pijssimus mundissimusq;, in eo redemptionem nostram posuit, in quo nullus, nisi uellet egere, potest amare: nā possunt æqualiter diuites & pauperes. De conscientijs.

Bernhardus inquit: Potest inimicus excitare tentationis motum: sed in te est, si uolueris, dare seu negare consensum. In tua facultate est, si uolueris, inimicum tuum facere seruum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim, inflammat inimicus desiderium cibi uanitatis, aut impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum: tu solummodo ne consenseris, & quoties restiteris, toties coronaberis. Serm. quinto in Quadragesima. Et: Vtique ad hoc autor ipse Deus diuinæ insigne generositatis perpetuò uoluit in anima cōseruari, ut semper hæc in sese ex uerbo habeat, quo admoneatur semper, aut stare cum uerbo, aut redire si mota fuerit. Non mota quasi locis migrans, aut pedibus gradiens: sed mota (sicut substantiæ utique spiritualis moueri est) cùm suis affectibus, imò defectibus à se quodammodo in peius uadit, cùm se sibi uitæ & morum prauitate dissimilem facit, reddit degenerem: quæ tamen dissimilitudo non naturæ abolitio, sed uitium est, bonum ipsum naturæ quantum sui comparatione attollens, tantum fœdans coniunctione. Iam uerò animæ reditus, conuersio eius ad uerbum, reformandæ per ipsum, conformandæ ipsi. In quo? In charitate. Ait enim: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit uos. Talis conformitas maritat animam uerbo, cum cui uidelicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per uoluntatem, diligēs sicut dilecta est. Ergo si perfectè diligit, nupsit. Quid hac conformitate iucundius? quid optabilius charitate? qua fit, ut humano magisterio non contenta, per temet, ô anima, fiducialiter accedens ad uerbum, uerbo constanter inhæreas, uerbum familiariter percuncteris, consultesque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Verè spiritualis sanctique connubij contractus est iste. Parum dixi contractus, complexus est. Complexus planè, ubi idem uelle, & nolle idem, unum facit spiritum de duobus. Sermone octuagesimotertio super Cantica. Item: Cæterùm libertas arbitrij (ut suprà aliquando apparuit) cunctis pariter ratione utentibus conuenit, non minor, quantum in se est, in malis quàm in bonis: tam plena in hoc seculo, quàm in futuro. Tract. de grat. & lib. arbit. Item: Itaq; liberum arbitrium nos facit uolentes, gratia beneuolos. Ex ipso nobis est uelle, ex ipsa bonum uelle. Quemadmodum namque aliud est timere simpliciter, aliud timere Deum: & aliud amare simpliciter,

simpliciter, aliud est amare Deum: quippe timere & amare simpliciter quidem prolata affectiones, cum additamento autem uirtutes significant: ita quoque aliud est uelle, aliud uelle bonum. Simplices nempe affectiones insunt naturaliter nobis, tanquã ex nobis, additamenta ex gratia. Nec aliud profectò est, nisi quod gratia ordinat, quas donauit creatio, ut nihil aliud sint uirtutes, nisi ordinatæ affectiones. Scriptum est de quibusdam, quòd illic trepidassent timore, ubi non erat timor. Timor fuit, sed inordinatus. Ordinare illum uolebat Dominus in discipulis, cum diceret: Ostendam uobis, quem timere debeatis. Et Dauid: Venite, ait, filij, audite me, timorem Domini docebo uos. Item de amore inordinato arguebat homines, qui dicebat: Ego lux ueni in hunc mũdum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Idcirco postulat sponsa in Canticis, dicens: Ordinate in me charitatem. Ibidem. Et: Arbitrij utique libertatem tam post peccatum, quàm ante semper tenuit inconcussam. Ibidem. Item: Manet ergo etiam post peccatum liberum arbitrium, etsi miserum, tamen integrum. Et quod se per se homo non sufficit excutere à peccato siue miseria, non liberi arbitrij signat destructionem, sed duarum reliquarum libertatum priuationem. Ibidem. Et: Quid ergo? perit liberum arbitrium, quoniam non potest non peccare? Nequaquam, sed liberum perdidit consilium, per quod prius habebat posse non peccare: quomodo & quòd iam non ualet utique non turbari, inde misero accidit, quòd complaciti quoque libertatem amiserit, per quam & antè habuit posse nõ turbari. Ibidem. Item: Et liberum arbitriũ tam in malo quàm in bono integrum perseuerat. Ibid.

Richardus ait: Sed si diligenter attendimus, puto quia inueniemus hominem nõ modò libertate non carere, sed magnam, imò summam libertatem possidere. Primus siquidem libertatis gradus est, nulli coactioni subiacere. Secundus autem, nulli subijci debere. Tertius uerò, & ipse summus, nulli penitùs subijci posse. Quomodo ergo arbitrium hominis uerè (imò summè) liberum non est, quod sua libertate nulla ui, nulla potestate priuari potest, & cætera. Tractatu de statu inter. hominis, capite uigesimotertio. Et: Quia multi in definitione liberi arbitrij errant, quia inter potestatem & libertatem distinguere ignorant, uel dissimulant. Vide tamen quid intersit, cum potestatem homo sæpe amittat, libertatem uerò nunquam amittere possit. Item: Nemo ad omnia bona accipit potestatem, sed omnis homo ad omnia bona uel mala accipit libertatem. Nam ad nullum bonum uel malum inuitus cogi potest. Sed cum sit liber omnium, non tamen omnium potestatem habet, alioquin impotens esset. Multum est autem per omnem modum, cum ad illa accipit potestatem, quæ sibi sufficiunt ad salutem. libro primo de Erud. hom. interior. capite 30.

Potho ait: Velle quoque nobis adiacet, in quo est libertas arbitrij, continens in se speciem potestatis quadruplicem. Qua nimirum potestate utimur, uel ad conseruandum, uel ad adipiscendum, uel ad explendum, uel ad repellendum. Primò ergo potentia naturalis, quæ nobis inest per libertatem arbitrij, uires suas exerat ad conseruandum domus Dei, quæ intra nos est, decorem. libro primo de Statu domus Dei.

Hugo Eterianus ait: Subest enim tibi, cum uoles, posse. Conuertimini ad me, inquit, & ego conuertar ad uos. In libro de Regressu animarum ab infer. capite decimonono.

Iohannes Salisberiensis inquit: Non itaque motum aliquem prædestinanti ingerit: sed ei qui saluandus est, primitius disponentis Dei gratia patère asserit ostium salutis, & ianuam misericordiæ, qua procedente tempore possit saluari: imò saluabitur, licet possit non saluari. libro secundo Policrat. capite uigesimosecundo. Item: Ait enim Esaias: Si uolueritis ambulare in præceptis meis, & audieritis me, bona terræ comederis. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam concitaueritis, gladius deuorabit uos: quia os Domini locutũ est. Ecce quia liberum hic seruatur arbitrium, dum Si uolueritis, & Si nolueritis dicens, in utramque partem non ex iudicio irretractabili fatorum Dei, sed ex merito singulorum omnibus pœnam uel præmium repromittit. Esset utique in uoluntatem collata conditio promerendi inutilis, si faciendi uel non faciendi necessitas esset prouidentiæ uel fatorum nexibus illigata. Ibidem.

DE REMISSIONE PECcatorum & iustificatione.

De hoc summo articulo fidei plerique incommodas habuerunt sententias. Vt Honorius: Hic Psalmus est primus de septem pœnitentialibus. Qui ideo septem scribuntur, quia septem modis peccata dimittuntur. Primò per baptismum, secundò per martyrium, tertiò per mundi abrenunciatio-

renunciationem uel eleemosynam, quartò per ueniam in nobis peccantibus, quintò per pœnitentiæ confessionem, sextò per lachrymarum fontem, septimò per charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum. In Psal. 6.

Rupertus ait: In passione unigeniti omnium nostrûm salutem beata Maria peperit, planè omnium nostrûm mater est. lib. 13 in Iohan. cap. 19.

Bernhardus inquit: Quòd si fidei cohærentia sine morum conformitate nequaquam saluat adultos, longè minus saluare poterunt opera sine fide. Serm. de dicto Iob, In sex tribulat. &c. Item: Cecidit per inobedientiam, per obedientiæ laborem redit ad uitam. In lib. Sēt. Item: Ostia per quę transitur ad uitam, tria sunt: fidei ueritas, retro quam Sarra ridet: spei firmitas, quæ est in latere arcæ: charitatis soliditas, quam obseruant Cherubim cum flammeo gladio. ibidem.

Petrus Cluniacensis inquit: Non attendunt sanè, quòd nō alienis bonis, sed proprijs operibus, praecedente & comitante gratia, uita principaliter adquiritur æterna. libro primo contra Petrobusianos, epistola 2.

Iusticiam Bernhardus plerunque tantùm philosophicè definit: Iusticia uirtus est, quod suum est unicuique tribuens. Tribue ergo tribus quæ sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde æquali, cuiq; quod debes, & dignè celebras aduentum Christi, parans ei in iusticia sedem suam. Sermone 3 de aduentu Dom.

Item: Iustus ex fide uiuit. Iustus autem quis est, nisi qui amanti se Deo uicem rependit amoris? Quod non fit, nisi reuelante Spiritu per fidem homini æternum Dei propositū super sua salute futura. Quæ sanè reuelatio non est aliud, quàm infusio gratiæ spiritualis: per quam, dum facta carnis mortificantur, homo ad regnum præparatur, quod caro & sanguis non possident, simul accipiens in uno spiritu, & unde se præsumat amatū, & unde redamet, ne gratis amaturus sit. Epistola 107. Itē: Hoc itaq; est illud sacrum secretumq; consilium, quod à patre filius in Spiritu sancto accipiens, suis quos nouit, per eundem Spiritum iustificando eos, communicat, & cōmunicando iustificat, quādo id quisq; accipit in sui iustificatione, ut incipiat & ipse cognoscere, sicut & cognitus est: cum uidelicet datur & ipsi præsētire aliquid de sua ipsius futura beatitudine, quemadmodū ab æterno latuit in prædestinante, plenius appariturum in beatificante. Ibidem.

Richardus ait: Tribus modis (ut mihi uidetur) peccatorum purgatio agitur. Agitur aliquando secundum solam seueritatem, aliquando secundum solam miserationem, aliquando secundum moderationem utriusq;, ut miseratio ipsa non sit sine nonnulla seueritate, nec seueritas sinē miseratione. Siquidem in igne purgatorio est intolerabilis afflictio, sine totius consolationis remedio. In uoluntaria satisfactione est afflictio cum multiplici cōsolatione. In lauacro regenerationis plena emundatio, nihil habens afflictionis. Prima purgatio agitur per incendium, secunda per flagellum, tertia per lauacrum. Per incendium purgatorij ignis scoria peccati excoquitur, per flagellum satisfactionis paleā peccati excutitur, per lauacrū regenerationis peccati macula absq; pœna diluitur. lib. de po. lig. & sol. cap. 25. Inconstantia eius in hac doctrina ex his uerbis apparet: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius: ipse est enim qui iustificat circumcisionē ex fide, & præputium per fidem. Ecce ex his apertè cognoscitur, unde homo iustificatur, procul dubio per fidem, nō autem per legem. Iusticia autem per fidem IESV Christi. Ecce apertè habes, quòd ex fide est iusticia. Sed restat quærendum, utrum semper ex fide sola, an aliquando ex sola fide sine operibus, & aliquando ex fide simul & operibus. Quæramus, si placet, super hoc ipsum ipsius Apostoli testimonium: Arbitramur, inquit, hominem iustificari per fidem sine operibus legis. Ecce iterum habes apertè, quòd possit homo aliquando iustificari ex sola fide, absq; legis opere. Sed nunquid semper ex sola fide, & sine omni legis opere? Minimè. Nam si tempus operandi habet, fides sine operibus mortua est. Non enim auditores, sed factores legis iustificabuntur. Absq; dubio quamdiu homini tempus operandi conceditur, ab eo (nec immeritò) diuinitùs exigitur fides quæ per dilectionem operetur. Ex prolatis itaq; testimonijs manifestè colligitur, quòd homo quidem iustificetur quandoque ex sola fide, quādoq; ex fide simul & legis opere, nūquam uerò ex sola lege. In explan. aliquorum dubiorum.

Petrus Cātor inquit: Duo sunt necessaria ad salutem, uia fidei & lux morum. Si ergo parum deuiantem à fide uocamus hæreticum, & increpamus, dicentes eum non esse in uia, &c. capite sexagesimosexto. Item: Proculdubio uitam æternam percipiet, qui hic opera misericordiæ habuerit. capite octuagesimosecūdo. Item: Habenti charitatem nihil deest ad salutem. capite 77.

Pocho ait: Vigilanti cura mens conseruet naturæ beneficium, ut ad id quod à conditore naturaliter inditum est, per liberum arbitrium, adiuuante gratia uirtutis, adipiscatur meritum, & per meritũ acquirat beatitudinis æternæ præmium lib. 1 de Statu domus Dei.

Hildebertus inquit: Porrò uirtus est mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, & his similia, quibus manifestum est fieri homines bonos, fieri etiam beatos. Epistola 33.

Mechtildis: Omnia charitatis opera hominem à ueniali peccato purificant: sed mortale peccatum, quia animæ inhæret fortiter more picis, confessione & maiori contritione aboleri oportet. Omnia etiã charitatis opera in corde meo, uelut thesaurum mihi specialiter dilectum reseruo, donec Ille qui operatus est, ad me ueniat, & tunc ad cumulum præmiationis & gloriæ eius ea illi reddo. libro quinto, capite decimoquinto.

Iohannes Salesberiensis: Amici quidem Dei fiunt aut gratia, cessantibus meritis: ut Hieremias & Iohannes sanctificati antequam nati, & gemma sacerdotum Nicolaus quarta & sexta feria semel lactens in cunis. Aut meritis ex gratia, ut qui facili uia bonorum operum, sicut pœnitens latro: uel difficili & fœlici transitu merentur regna cœlorum, uelut Apostolorum chorus & martyrum. lib. 5. cap. 4.

DE FIDE ALIENA.

Bernhardus: Adultos quidem fide & sacrificijs credimus expiatos, paruulis autem etiam solam profuisse, imò & suffecisse parentum fidem. Epistola 77. Et: Non quòd uel ipsi quando baptizantur, fide omnino careant, sine qua impossibile est uel ipsos placere Deo: sed saluantur & ipsi per fidem, non tamen suam, sed alienam. Dignum nempe est, & ad Dei spectat benignitatem, ut quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodesse concedat alienam. Nec enim omnipotentis iusticia propriam putat ab his exigendam fidem, quos nouit propriam nullam habere culpam. Porrò aliena opus est fide, cum sine sorde non nascantur aliena, quatenus nec à paruulis alienum sit, quòd de omnibus generaliter dicitur: Fide mundans corda eorum. Nec dubium quòd macula contracta ab alijs, aliorum quoque fide ualeat emundari. Hæc sunt quippe iudicia diuinæ iusticiæ, in quibus exultans sanctus Dauid: Memor fui, inquit, iudiciorum tuorum à seculo Domine, & consolatus sum. Ibidem.

Petrus Cluniacensis ait: Sacramento igitur circumcisionis & aliena fide saluabatur Iudæus, sacramento baptismi & aliena fide saluatur per Christi gratiam Christianus. lib. 1. epist. 2.

DE BONIS OPERIBUS.

Nimium attribuerunt bonis operibus. Honorius inquit: In nullo melius quàm in pauperibus potestatis peccata uestra redimere, & æternas diuitias acquirere. in Speculo Eccles. Item: Qui se hic uigilijs, ieiunijs & alijs pijs laboribus pro peccatis affligunt, beati sunt: quia non cum impijs æternum iudicium subibunt. Duæ etiã sunt iusticiæ, una naturalis, scilicet diuina: altera consuetudinaria, uidelicet humana. Naturalis iusticia est, Deo seruire, parentibus obedire. Consuetudinaria, leges & statuta prælatorum obseruare, & cum ciuibus cõcordare. In Speculo Ecclesiæ.

Bernhardus ait: Quid enim humilitate ditius, quid preciosius inuenitur, qua nimirum regnum cœlorũ emitur, & diuina gratia acquiritur? Sicut scriptum est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnũ cœlorum. Et apud Apostolum: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Serm. 4 in uigilia natal. Domini. Et: Paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absq; omni dilatione perficitur. Serm. 1 in festo omnium Sanctorũ. Et: Tales dicuntur mercatores, qui dant in præsenti pauperibus temporalia quæ possident, ut in futuro recipiant ab eis æterna, quæ non nisi per eos habere merentur. In lib. Sententiar. Itẽ: Vides quia humilitas iustificat nos? Serm. 34 super Cant. Et: Fides sine operibus mortua est, nec potest dare uitam, quam minimè ipsa habuerit. Ibid. serm. 48.

Petrus Cluniacensis inquit: Vt ipsi optimè nostis, non sancta loca, sed sancta opera saluant. lib. 4. epist. 44. Item: Christum nostrum auctorem & regem crede, & in hoc eius regno æterno fide Christiana, & operibus fidei adscribi labora. Talem enim regem Christum Christiani intelligimus, in talem credimus, talem adoramus, & ad eius tale regnum pro gratia & uirib. pertingere festinamus. lib. 2 contra Iudæos, cap. 3.

Richardus inquit: Laboremus totis uiribus ad illius claritatem lucis, meritis peruenire, quæ in omnibus tenebris lucet, & quam nullæ unquam tenebræ ualeant comprehendere. libro 1 in Apocalyps. Et: Qui in præsenti seculo bene operatur, ipse in futuro saluatur. Nemo namque, si tempus operandi habeat, sine operi-

operibus se posse saluari, credat. Fides enim sine operibus mortua est, si habeat tempus operandi. Nam si tempus nō posset habere, sufficit sola cum fide uoluntas. Ibidem libro quarto. Et: Opera illa legis quæ cum lege sunt inchoata, & cum lege terminata, aut iustificabant, aut non. Si itaque iustificare potuit eorum impletio, quomodo uerum erit, quia ex operibus legis non iustificabitur? Sunt fortè qui dicunt, & si non dicunt, non ineptè dicere potuerunt, quòd meritò distinguendum sit inter opera naturalia, legalia atq; Euangelica. Meritò namq; opera illa specialiter Euangelio conscribenda sunt, quæ ex Euangelio institutionem acceperunt: quémadmodum sunt regeneratio, confirmatio, & Dominici corporis & sanguinis communio, & noua quorumlibet institutio. Legalia uerò sola illa modo quodam speciali sunt dicenda, quæ (uti iam dictū est) cum lege sunt inchoata, & cum lege terminata. Naturalia uerò illa meritò dici debent, quæ ab hominibus per legem naturalem intelligi potuissent, etiam si lex & Euangelium nunquam instituta fuissent. in Explicatione dubiorum.

Hildegardis ait: Quoniam difficile est homini, ut aspere & secundum quod iustum est pœniteat: ideo eleemosynam in adiutorium sibi assumat, ut cum ea perficiat id quod corpori eius laboriosum est. Nam quemadmodum mater necessitati filij sui subuenire non cessat, quamuis ille iam educatus esse uideatur: ita etiam eleemosyna teneritudini corporis in pœnitentia hominis succurrit, quamuis idem homo in maceratione corporis sui pœnitendo fortis appareat. lib. secundo, uisione sexta.

DE IEIVNIO.

Bernhardus ait: Qualis ille est, non dicā monachus, sed Christianus, qui minus deuotè ieiunium suscipit, quod ipse Christus ei tradit? Sermone tertio de Quadragesima. Item: Bonum ergo & salutare ieiunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Nō solùm autem abolitio est peccatorum, sed extirpatio uitiorum: non solùm obtinet ueniam, sed & promeretur gratiam: non solùm delet peccata præterita quæ commisimus, sed & repellit futura, quæ committere poteramus. Dicam unum adhuc, quod facilè capiatis, sæpius, nisi fallor experti. Ieiunium orationi deuotionem & fiduciam donat. ibidem serm. 4.

¶ De spe ait Potho: Spes autem uera est certitudo, ueniens ex præcedentibus meritis: & ideo sine meritis aliquid sperare, non spes, sed præsumptio debet dici, & sine charitate nullum meritum. lib. 1 de Statu domus Dei.

DE POENITENTIA.

Rupertus: Post passionis Christi sacramentum, quod in baptismó percipitur, peccantibus non iam idem remedium, uel eadem gratiæ largitas proponitur. Nam hostia pro peccato nobis extitit Christus, quam semel pro peccatis nostris certa redemptione tunc dedimus, quando singuli in morte ipsius baptizati sumus. Etenim comparatione securitatis, quam de præteritis peccatis in baptismo siue infantes siue ueterani accepimus, ualde scrupulosa est redemptio, si iterum peccauerimus, quamlibet dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Quamuis dictum sit: Quacunque die quis conuersus ingemuerit, saluus erit. non tamen & hoc dictum est, quacunq; die ingemuerit, peccata sua remittuntur ei: nec certum est, utrum in hoc seculo remittantur, an in futuro. lib. 1 in Leuit. cap. 18.

Bernhardus modum redeundi ad Deum describit, sed non urget fidem. Est ad Deum quidam redeundi modus primi hominis casui oppositus. Adam quippe in paradiso positus, primò perdidit circumspectionem Dei. Testatur enim beatus Augustinus, quòd nequaquam tentator hominem de paradiso eiecisset, nisi aliqua elatio in animam hominis præcessisset, cum uerissimè scriptum sit: Ante ruinam exaltatur cor. Secundò perdidit iusticiam, quando uxoris uoci plus quàm diuinæ obediuit. Iusticia enim est uirtus, quæ suum cuique reddit. Tertiò amisit iudicium, cum post peccatum correctus, obliquè per mulierem retorsit propriam culpam in authorem, dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Eisdem ergo uirtutum gradibus redeundum est homini in exilio posito, quibus primus expelli meruit de paradiso. Primùm itaque faciendum est iudicium, deinde exercenda iusticia, tandem circumspectio adhibenda. Et iudicium quidem nobis, ut nos ipsos iudicemus & accusemus, iusticiam proximo, circumspectionem debemus Deo. Hanc redeundi uiam ostendit nobis Micheas propheta, dicens: Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Deus requirat à te: utique facere iudicium, & diligere misericordiam, & ambulare solicitè cum Deo tuo. Hanc salutis uiam testatur Apostolus Christum docuisse, dicens: Apparuit gra-

tia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè & iustè & piè uiuamus in hoc seculo, &c. Sobriè scilicet, quantum ad nos, iustè ad proximum, piè ad Deum. In lib. Sentent.

Lombardus ait: In perfectione autem pœnitentiæ tria obseruanda sunt, scilicet compunctio cordis, confessio oris, satisfactio operis. libro 4. distinctione 16. Item: Triplici morti, triplici remedio occurritur: contritione, confessione, satisfactione. Compunctio nobis commendatur ibi: Scindite corda uestra, & non uestimenta uestra. Confessio ibi: Iustus in principio sermonis accusator est sui. Verè enim confitetur, qui se accusat, qui execrando malum sibi imputat. Et ibi: Effundite coram illo corda uestra. Et iterum: Confitemini alterutrum peccata uestra. Satisfactio à Iohanne præcipitur, ubi ait: Facite dignos fructus pœnitentiæ, scilicet ut secundum qualitatem & quantitatem culpæ, sit qualitas & quantitas pœnæ. Non enim par debet esse fructus boni operis eius qui nihil uel minus peccauit, & eius qui grauius cecidit. Ideo discretio pœnitēti ualde necessaria est. ibidem. Item: Autoritatibus probatur, ante confessionem uel satisfactionem sola compunctione peccata dimitti. Ibidem distinct. 17. Item: Non debet tamen presbyter pœnitentem reconciliare inconsulto episcopo, nisi ultima necessitas cogat. Ibidem dist. 20.

Richardus ait: Vera pœnitentia est abominatio peccati cum uoto cauendi, confitendi, satisfaciendi. Quatuor namq; ista debet habere uera pœnitentia. Duo ex his nos docet propria conscientia, reliqua duo doctrina autentica. Quem enim propria conscientia non doceat, quòd accepta iniuria nec homo ab alio quàm ab homine pacari ualeat, nisi eum de illata iniuria pœnitere & iterare nolle confidat? De remedio autem confitendi est illud Iacobi apostoli: Confitemini alterutrum peccata uestra. De exhibēda autem digna satisfactione habetur illud Iohannis Baptistæ: Facite fructus dignos pœnitentiæ. in lib. de potest. ligandi & soluendi, cap. 5. Item: Pro certo in uera pœnitentia quatuor ista, odium peccati, uotum continendi, propositum confitendi, studium satisfaciendi, omnino sunt requirenda. Vbi aliquid horum deest, uera pœnitentia non est, sine qua & peccatorum lepra mundari non potest. Quando Deus dat animæ peccatrici odisse quod prius amabat, detestari quod prius desiderabat, cum uoto continendi, confitendi, satisfaciendi, efficitur statim emūdatio integra & plena leprosi. Ibidem cap. 13.

Petrus Cātor ait: Ad pœnitentiæ autem sufficientiam, perfectionem & integritatem quatuor sunt necessaria, scilicet gratiç infusio, cordis contritio, oris confessio, operis digna satisfactio. cap. 106. Item: Pœnitentia est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. cap. 107. Item: Pœnitentia igitur est uindicta semper puniēs in se, quod dolet commisisse. Ibidem.

De contritione. Richardus: Generalis contritio delet omnia mortalia, occulta atq; manifesta peccata, & charitatem restituit, si fuerit amissa. Super Cantica canticor. cap. 9.

De ratione uincendi desperationem Bernhardus docet, sed absq; fide: Ita contra desperationem uincendi peccatum, tria sunt remedia. Primum est uigor ipse propositi boni, quem assumit ex confessione. Secundum est gratia Dei, quam meretur ex humilitate. Tertium est auxilium, quod ex eius habet cui confitetur cōpassione. In lib. Sentent.

DE SATISFACTIONIBUS.

De satisfactione ait Hugo de sancto Victore: Condigna satisfactio est mala facta corrigere, & correcta non iterare. Conscientia uerò perpetua est, nec unquam finitur, sicut nec anima: quæ cum sit immortalis, sicut non potest non esse anima, sic nūquam potest esse sine conscientia. In libro de Conscientia.

Richardus ait: Sacerdotalis absolutio uerè pœnitentem & studiosè satisfacientem liberat non solùm à truci incendio æterni supplicij, uerùm etiam à concrematione ignis purgatorij. lib. de Potestate ligandi & soluendi, cap. 23.

Petrus Cantor ait: Age ergo pœnitentiam dum uiuis condignam & fructuosam, quæ erit, si totius illecebrosæ uoluptatis blandimenta contempseris, si te uehementius per pœnitentiam excruciaueris, si uberius fleueris, si largius pauperes sustentaueris, si charitate ardentius flagraueris, si piè, sobriè, iustè uixeris: tunc quidem præsumas de uenia. capite 107.

Bernhardus ait: Abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstitio pro impietate. Sermone sexagesimo sexto super Cantica.

Richardus ait: In criminalium peccatorum expurgatione opus est pro certo confessione & satisfactione. Nam compūctio & oratio quandoque solent ad uenialium

lium expurgationem sufficere. Criminalia expurgare oportet ad plenum, tam secundum reatum, quàm secundum actum. Secundum reatum, ut de præteritis satisfacias, & de reliquo nihil tale præsumas. Sed quia uenialia nunquam possumus, quamdiu in hac corruptibili carne uiuimus, ad purum de uita nostra extirpare, debemus semper eorum expurgationi insistere, & ad quotidiana puritatis incrementa studia nostra innouare. In lib. Declarat. difficultat. quarund. scripturæ.

De satisfactione pro defunctis recitat Petrus Cluniacensis: Rogo uos, ut fratrem meum Anselmum adeas, eumq; ex me depreceris, quatenus ablata uice mea restituat, eisq; quibus iniurias intuli, pro me satisfaciat. Quod si fecerit, à pœnis quas patior absque dubio liberabor. lib. 1 de Miracul. cap. 23.

Romam expiandorum peccatorū causa cucurrerunt. Petrus Cluniacensis: Qui tandem mutato spiritu, malis suis finem imponere deliberans, ad supradictum uenerabilem patrem Hugonem uenit, atque pro peccatis suis orationis causa Romam se uelle pergere indicauit. lib. 1 de Miraculis, cap. 11. Item: Exacto uerò taliter in urbe quadragenario dierum numero, qui propriè ad agendam pœnitentiam indici peccatoribus solet. Ibidem.

DE INVOCATIONE.

Sanctos esse ostiarios uitæ. Bernhardus: Vnum scio, si Philippum & Andream habuerimus ostiarios, repulsam omnino non patimur, quicunque oleum petimus, quicunque uolumus IESVM uidere. Serm. 15 super Cant.

Sanctis inuocationem tribuerunt nonnulli, contra Sacras literas, ut Berengosus ait: Cum in præsentis Ecclesiæ domicilio festiuæ solennitatis officium matri (Helenæ) potius debeatur quàm filio Constantino, ideo in agendis mortuorum prouidendum est cunctis, ut memoriam filij studeant habere cum defunctis. Proinde ad reconciliandum nobis Deum patrem non iam eūdem filium debemus orare, sed matrem, quatenus ipsa suæ sacratissimæ intercessionis auxilio coram Deo nobis suffragetur & filio. lib. 2 de Inuent. crucis, cap. 11. Item: Quoties festiuis sanctorum natalitijs debito honore ritè celebrantes in Domino gloriamur, toties ipsorum precibus & meritis adiuti larga benedictionis gratia creatoris nostri perfundimur. Quicquid enim laudis & honoris militibus regis impenditur, totum ad gloriam regis, cuius sceptro milites insigniti sunt, titulatur. Nec dubium quin eos semper habeamus patrocinantes in cœlis, quorū celebritates pię deuotionis studio gerimus in terris. Si enim noster spiritus, necdum carnis materia erutus, & tamen dilectionis geminæ feruore interdum ad astra libratus, preces Domino pro suis dilectoribus nititur effundere: utique præstantius credendum est, sanctorum animas, summæ dilectionis plenitudine feruidas, suis in solennitatibus ad sui corporis pignora fouentes descendere, suorūq; pro salute fidelium intercedere, ac debitæ retributionis donatiuum suis ueneratoribus impendere. Serm. de dedication. Ecclesi.

Honorius: Omnibus sanctis uos commendate, ut per illorum merita post hanc miseram uitam exulteris cum eis in æterna solennitate. In Speculo Eccles. Item: Et precor S. Mariā, & omnes sanctos Dei, ut dignentur pro me intercedere & adiuuare apud Dei misericordiam, ut de omnibus peccatis meis mihi det indulgentiam, & amodò à peccatis custodiat, & post hāc uitam in consortium illorum perducat. In Speculo Ecclesiæ, serm. de nat. Dom.

In eodem sermone uult ut pro mortuis preces fiant: Quia sicut aqua super illum si effunderetur, qui igne ureretur, ita gaudent illi (mortui scilicet) cum orationes uel eleemosynas post eos mittitis, &c.

Rupertus ait: Nos filij sanctorum, filij martyrum, quibus illi certitudinem fidei Christianæ suo sanguine pepererunt, gloriam illorum uidemus & lætamur, uidentes & lætantes ueneramur, & exultat cor nostrum in Domino, quia tales apud Christum habemus parentes & patronos. lib. 4 Com. in Zachar. cap. 10. Et: Ad quem igitur uestrûm (Sāctorū) cōuertemur? In quo ex omnibus uobis fugiētem dilectū citius cōsequemur & cōprehendemus? O beata Maria, mons montium, uirgo uirginū, sancta sanctorum, ad omnes quidem conuertimur montes aromatum, & uocamus ut respondeant nobis, & hoc est quod unusquisque nostrûm dicit: Leuaui oculos meos in montes, unde ueniet auxilium mihi. Sed ad te præcipuè conuertimur, ad te pręceteris oculos nostros leuamus, tuum præ omnibus auxilium suspiramus. libro 7 in Cantica canticor. Et: O Domina Dei genitrix Maria, & incorrupta mater Verbi æterni, Dei & hominis IESV Christi, non meis, sed tuis armatus meritis, cum isto uiro, scilicet uerbo Dei, luctari cupio, ut de Canticis canticorum opus extorqueam, &c. In Prologo super Cantica canticorū. Et: Ais (ut aiunt) quid in ista geratur uita, sanctorum animas ignorare: atque ideo

odiosas esse letanias, quibus oramus, ut orent pro nobis sancti: quia nec ipsi audiunt nos, nec nouère quid agatur apud nos. Qua uidelicet sanctorum iniuria eo grauius anima mea uulneratur, quòd quibusdam dixisse diceris, meipsum sentire, idipsum tenere & docere. In cœlo est iudex meus & conscius meus, quem nec intuentem fallere, nec euadere possum iudicantem, coram eo loquor. Nouit ille, quia nunquam in tantum euanui defectum, ut id uel dixerim, uel aliquando senserim, quod insensatè sentitur, quod periculosè creditur, quod causaliter docetur. Hildebertus epistola 57. Et in fine eiusdem epistolæ: Respice igitur, & si peccatũ non inuenies apud te, quo necesse sit sanctos orare pro te, noli insultare nobis orantibus, ut orent sancti pro nobis, &c.

Bernhardus inquit: Si enim dum hic uiueret, misertus est peccatoribus, & orauit pro eis: nunc tanto amplius, quanto uerius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis patrem: quia beata illa patria charitatem eius non immutauit, sed augmentauit. Neque enim, quia impassibilis omnino, ideo & incompassibilis factus est: sed nunc potius induit sibi uiscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ existit. Est & alia causa, quæ magis urget sanctos, ut soliciti sint de nobis: quia, iuxta uocem Apostoli, Deus prouidet pro nobis, ne sine nobis consumētur, sicut ait sanctus Dauid: Me expectant iusti, donec retribuas mihi. Sermone in uigil. Petri & Pauli. Et: Ipsa hodie intercedat pro peccatis nostris, & placatum nobis reddat iudicem nostrum, amicum suum. Sermone de Maria Magdalena. Et: Nec sanè parum fructuosa inuenitur memoria festiua sanctorum, languorem, teporem, erroremque depellens, cum eorum intercessione iuuetur infirmitas nostra. Serm. 2 in festo omnium Sanctorum. Item: Sancte Petre ora pro nobis, & similia. Serm. de 4 modis orandi.

Petrus Cluniacensis inquit: Adesto & tu beatissima uirgo mater eiusdem saluatoris & redemptoris nostri, & præ omnibus post ipsum in te specialius confidentes, ab expectatione sua nullatenus confundi permittas. Sed & uos summi Apostoli Dei, orbis terræ præcipui principes, omnium quidem Christianorum uniuersales, sed nostri speciales patres, quib. penè continua semper obsequia impenderunt, quibus specialiter à Deo cōmissi sunt, nónne deficientibus succurretis? Nónne morientibus aderitis? Nónne ab incursu nequã hostiũ defendetis? Recordamini principatus uestri, nec de numero cōmissorum uobis aliquem à principe tenebrarum rapi patiamini. Sentiant quia iam tempus est, quod semper de uobis sperauerunt: & cum claues regni cœlorum in manibus uestris sint, humili & deuoto corde cum eis supplicamus, ut admissis alijs, istos nullo modo ab eodem regno excludi sinatis. libro quinto, epistola trigesimasexta. Idem inquit: Cum tamen uel sanctorum pignoribus, uel sacris locis, uestibus, uel uasis, seu quibuslibet talibus rebus honor defertur: non quia sunt insensibilia, pulchra, suauia, preciosa, uel quolibet modo corporaliter hominibus accommoda, fieri creditur: sed quia Deo uel sanctis eius, perpetuò cum eo uicturis, in his honor congruus exhibetur. lib. 1.

Lombardus ait: Sed fortè quæris, Nunquid preces supplicantium sancti audiunt, & uota postulantium in eorum noticiam perueniunt? Non est incredibile, animas sanctorum, quæ in abscondito faciei Dei ueri luminis illustratione lætantur, in ipsius contemplatione ea quæ foris aguntur intelligere, quantum uel illis ad gaudium, uel nobis ad auxilium pertinet. Sicut enim angelis, ita & sanctis, qui Deo assistunt, petitiones nostræ innotescunt in uerbo Dei quod contemplantur. Vnde & dicuntur angeli orationes & uota nostra offerre Deo: non quia eum doceant, sed quia eius uoluntatem super eis consulunt. libro 4. distinctione 46. Item: Oramus ergo, ut intercedant pro nobis: id est, ut merita eorum nobis suffragētur, & ut ipsi uelint bonum nostrum: quia eis uolentibus Deus uult, & ita fiet. Ibidem.

De peregrinationibus ait Petrus Cluniacensis: Aspice populos orbis terrarum, ad cuiuslibet olim contemptibilis Christiani concurrentes sepulchrum, & ab illis sæpè, qui quondam atrocibus tormentis perempti fuerant, periculorum auxilia omniumq; incōmodorum remedia postulãtes. Aduerte eos citius quàm quilibet posset à uiuente audiri, frequenter à mortuis exaudiri, & à tēplis Christi, ipsorũq; receptaculis, optata beneficia reportare. Nolo multũ labores. Aperi tantùm oculos, & uide illos qui cæci ad sacra ingressi fuerant, uidētes exire, surdos auditu, claudos gressu, mutos sermone restituto regredi: & tãdem ægros uniuersos, deposito apud eos molesto lãguore, lætari. Cerne ipsam quã semper exosam speciali odio habuisti supercœlestē ipsoq; sole splendidiorē æternã uirginē matrē Christi. Cōspice, quamuis liuenti oculo, salutarē, quã hucusq; maximè

execra-

execratus es, crucem Christi, &c.li.2 cōtra Iudæos,cap.4.

De adoratione crucis plurima habet Petrus Cluniacensis in libro contra Petrobusianos.

Pro defunctis. Petrus Cluniacensis: Sciat ergo mortuus, tunc sibi uiuentium bona posse prodesse, si ex uita præterita meruit particeps esse uitæ ęternæ. Tunc enim quæcunque in illum ad eam adipiscendam adhuc impediunt, & orationibus & pijs operibus uiuorum remoueri per largam Dei misericordiam poterunt. libro primo Epistolarum. Item: Quia hoc clarum, quòd bonum resurrectionis reseruatur carni humanæ: & hoc perspicuum est, quòd bonum orationis, quo à uiuentibus Deo pro mortuis supplicatur, animæ nihilominus reseruatur humanæ. Quia hoc constat, quòd corporalis substantia aut de cadauere, aut de puluere, aut de nihilo reparabitur: & illud certum est, quòd interim spiritualis substantia bonis uiuorum operibus adiuuabitur. Ibidem. Ait tamen Petrus etiam catholicos ea de re dubitasse, an pro defunctis orandum esset. libro primo contra Petrobusianos. Item: Propter catholicos autem dixi, quia in quibusdam regionibus, etsi non multi, aliqui tamen esse dicuntur, qui etsi huic præmissæ ueritati apertè ut hæretici non contradicunt: ex his tamen quæ cum alijs conferunt, de ea dubitare se probant. Quorum ad hoc dubitatio dicitur processisse, ut consulti de his ab alijs tepidè respondeant, & tam in sacrificijs Deo pro mortuis offerendis, quàm in eleemosynis erogandis, & in cæteris pietatis operibus more Ecclesiastico exercendis, aut deficiant, aut languescant. libro primo Epistolarum contra Petrobusianos.

Hugo Eterianus ait: Earum traditionum, quas sine scripto fecit Apostolus, una est pro defunctis exorare. Huiusmodi traditionem non solùm Paulus, sed omnis chorus Apostolorum à primordio Ecclesię constituit. Hæc quidem traditio usu temporis semper emanans ex longa consuetudine, Ecclesiæ Dei radicitùs inhæret. Quáobrem sicut multa sacraméta sine scriptionis imitatione ipsa obseruat, sic pro fidelibus defunctis non habens testimonium Scripturæ nouæ legis, preces iugiter ad Dominum sanctè ac piè ab initio fundit. Certum esse noui apud uos, quòd scripto minimè inuéto, probata testium fides omne ambiguum excludit. In ore, inquit Omnipotens, duorum uel trium testium stabit omne uerbum. Suscipite igitur testiū, qui fallere non nouerunt, probationem Hermannus Capuanus episcopus Paschasium diaconum, qui dum ex mundo transierat, quem nequam ista dæmonum caterua, cū poterat, huc deducebat, in thermis Puteolanis inuenit. Qui quidem episcopi oratione ueniam promeruit, sicque promissum pro quo tenebatur, confessionis animaduersione non damnauerat. Siquidem omnium unanimitate superatus, in sua tamen sententia usque in diem sui exitus perstitit, Laurentium amando atque præferendo, quem episcoporum iudicio præesse sibi Ecclesia refutarat. Ideo enim pœnali loco deputatus fuerat, quia in parte Laurentij senserat contra Symmachum. Mei ergo (quem pœnituit) uestræ deprecationes nō potuerint delere condemnationis chirographum? Donabit Dominus propitius orationi uestræ & eleemosynæ, quem destinauerat ardentis gehennæ stagnis atq; sulfuribus. cap. decimoquarto de Regress. animarum ab infer. Deinde affert Iudam Machabæum. secundo Machab. duodecimo. Tertiò inquit: Num ignoratis quid Dialogus Gregorij, cui summi angeli in solennitatibus sacrificiorum famulabantur, fecerit? Hic aliquando per lapideum pontem, quem Imperator Traianus extruxerat, gradiens, modicum tardato eundi officio, ex industria ardentem orationem ad Dominum pro remissione peccatorum Traiani fundit. Et continuò uox ad eum cœlitùs facta est, dicens: Orationem tuam audiui, indulgentiam Traiano donaturus: sed tu amplius abstineas pro impijs orare. capite decimoquinto de Regressu animarum ab inferis. Item: Sed magnus Athanasius ille in sermone quem scripsit de dormientibus, sic loquitur: Oratio pro fidelibus defunctis non est omittenda, ubicunque morte præoccupati fuerint. Offerenda est salutaris hostia, offerendum est oleum, offerendi sunt quasi pro sepeliendo cerei. Christum Dominum uocandum in adiutorium. Ibidem. Item: Postremò quòd officium extremi muneris non debeatis intermittere, Ioseph docet & Nicodemus, qui quidem mixturæ myrrhæ & aloes quasi libras centum ferentes, corpus Dominicum condierunt, maximam laudem & gloriam consecuti. Ibidē capite decimosexto. Item: Atqui & ad illud, quod ante omnia maximum præstat remedium, obnixius enitamini, ut agnus scilicet qui tollit peccata mundi, in memoriam defunctorum frequentius immoletur. Ibid. cap. 17.

Hildegardis inquit: Vinculum quod prius in rebellione constrinxisti, cum

deinde in pœnitentia delinquentium denodaueris super terram, erit solutum & in supernis secretis. Et tunc post mortem hominis pro anima eius orabis, sed tunc in nexibus ligaturæ suæ absoluere poteris, quia gemitus deuoti cordis Deus nō abijcit. lib. secundo, uision. sexta. Item: Cum Mechtildis rogaret Dominum, quid esset faciendum animabus, ut citius absoluantur, respondit Dominus: Legite orationem illam, quæ dicitur Fons uiuus, & Beati immaculati in uia, cum oratione ei adscripta, & magnum adiutorium inde sentient & iuuamen. libro quinto, capite nono. Item: Dixit ad Mechtildem Dominus: Lege pro eis (animabus) unum Pater noster in unione intentionis. Ibidem capite 10.

DE MARIA.

Nimium Mariæ attributum est. Nam Rupertus ait: Nō infructuosam credimus futuram largitionem uestram, quia quod nostris uiribus non ualemus, meritis beatæ & perpetuæ uirginis, cui Deo authore famulamur, indubitanter obtineri posse confidimus. Iuo epist. 119.

Hildebertus: Multis & magnis expertus sum periculis, quantum ualeat deprecatio iusti assidua. Huic etiam soli debeo, quòd insidias mihi Roma redeunti dispositas intactus pertransij. Epistola uigesima quinta.

Bernhardus ait: Tenentes ergo uiam quam priore (si meministis) cœpimus inuestigare sermone, studeamus & nos, dilectissimi, ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos ascendit: per eam uenire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam uenit. Per te accessum habemus ad filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix uitæ, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata nostræ ueniam impetret uanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, aduocata nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio repræsenta. Fac ô benedicta per gratiam quam inuenisti, per prærogatiuam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ & beatitudinis suæ, IESVS Christus filius tuus, Dominus noster. Serm. 2 de aduētu Dom. Item: Parentum reparatricem, posterorum uiuificatricem. Hom. 2. de B. Virgine. Item: Si insurgant uenti tentationum, si incurras scopulos tribulationū, respice stellam, uoca Mariam. Ibidem. Et: Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristiciæ, desperationis abysso: cogita Mariā. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs, Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: & ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente nō metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis. Ibidem. Et: Hoc totus mundus, tuis genib. prouolutus, expectat: nec immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus uidelicet uniuersorum filiorum Adam, totius generis tui. Ibidem homilia quarta. Et: Ecce beatam te dicent omnes generationes, genitrix Dei, domina mundi, regina cœli. Omnes, inquam, generationes. Sunt enim generatiōes cœli & terræ: Pater spirituum (ait Apostolus) ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus uitā & gloriam genuisti. Sermone secundo in die Pētecostes. Et: In te enim angeli læticiam, iusti gratiam, peccatores ueniam inuenerunt in æternum. Ibidem. In sermone de excellentia Baptistæ Mariam cœlorum Imperatricem nominat. Et: Aduocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam iudicis mater, & mater misericordiæ, suppliciter & efficaciter salutis nostræ negocia pertractabit. Sermone primo de assumptione Mariæ. Item: Regina cœlorum est, misericors est. Denique mater est unigeniti filij Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius seu pietatis magnitudinē cōmendare, nisi fortè aut non creditur Dei filius honorare matrem, aut dubitare quis potest omnino, in affectum charitatis trāsisse Mariæ uiscera. Ibidem. Item: Ipsa nempe mediatrix nostra, ipsa est per quam suscepimus misericordiam tuam Deus, ipsa per quam & nos Dominum IESVM in domos nostras excipimus. Serm. 2 in assumpt. B. Mariæ. Item: Age gratias ei qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione prouidit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem sese fecit,

omnibus

omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant uniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator ueniam, iustus gratiam, angelus læticiam, denique tota Trinitas gloriam, filij persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore eius. Sermone de uirgine Maria. Et: Ipsa est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput uirtutis pede contritura: cuius planè calcaneo in multis uersutijs insidiatus est, sed sine causa: sola enim contriuit uniuersam hæreticam prauitatem. Ibidem. Et: Iam te mater misericordiæ per ipsum syncerissimæ tuæ mentis affectum, tuis iacens prouoluta pedibus luna, mediatricem sibi apud Solem iusticiæ constitutam deuotis supplicationibus interpellat. Ibidem. Item: Aduocatum habere uis & ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modò pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipsa pro reuerentia sua. Exaudit utique matrem filius, & exaudiet pater filium. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potest'ne filius aut repellere aut sustinere repulsam, non audire, aut non audiri filius potest? Neutrum planè. Sermone in natiuitate Mariæ.

Richardus ait: Aue Maria gratia plena, tecum sit Deus, corruptionis nostræ quam somniat Iudæus, tabescat in fallacia seductor Saducæus: nam uerè surrexisti, ô dulcis mater Christi, reorum miserere. Aue Maria mater gratiæ, mundi regina, mater misericordiæ, salua nos à ruina, fons uitæ, uena ueniæ, uenire tunc festina, cum morti appropinquamus, ut tecum ualeamus perpetuò gaudere. Super Cantica canticorum. Asserit etiam idem Richardus, Mariam assidere dexteræ Christi, sicut filius sedet ad dexteram patris: & sicut Christus super omnia opera manuum suarum, ita Maria super eadem opera post Christum: quia non solùm exaltata est supra animas sanctorum, sed etiam super choros angelorum. Super Cantica canticorum.

Mariam habuisse propositum uirginitatis. Bernhardus: Immobile propositum uirginitatis, quod nec angelo filium promittente aliquatenus titubauit. Sermone quarto de assumptione Mariæ. Item: Abiectis secularibus pompis, spretisque uoluptatibus carnis, soli Deo in uirginitate uiuere proposuit. Sermone octauo Paruorum sermonum.

Lombardus inquit: Proposuerat enim Maria in uirginitate manere, nisi Deus aliter facere iuberet: secundum quod uidetur angelo dixisse, Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco? id est, me non cognituram proposui. Neque enim quia uirum tunc non cognoscebat, necesse erat inquiri, quomodo posset habere filium: sed quia nunquam se cognituram proposuerat. libro quarto, distinctione uigesimanona.

Mariam sine peccato fuisse. Petrus Cluniacensis: Nullo autem pacto esse potuit, uel debuit, ipsa ratione hoc ipsum uociferante, ut Spiritus sancti sacrarium, filij Dei reclinatorium, totius Deitatis solium, quęlibet uel parua peccati nubecula postmodum subintrauerit: & cor illud conceptæ deitatis luce præfulgens, aliquis uel modicus tenebrosæ cogitationis fugax saltem uolatus fuscauerit. Ergo secundum ea quæ pręmissa sunt, beatę matri uirgini, nec die Pentecostes, nec aliquo post cõceptionẽ filij Dei die, quantũ ad maiora & suprà dicta gratiarũ dona pertinet, nihil additũ est. Sed sicut ei nihil additũ in maiorib. confirmo, ita ei aliquid in minoribus fortè adauctum non nego. lib. 5. epist. 1 ad Gregor. monach.

DE MARTYRIBVS.

Bernhardus: Ponentes pro Christo animas, hoc sibi compendio uitam mercantur æternam. Sermone nono de nono uersu Psal. Qui habitat. Item: Pro certo cum non aliunde martyrium nisi ex fidei merito illam obtinuerit prærogatiuam, ut singulariter uice baptismi securè suscipiatur: non uideo cur non ipsa æquè & sine martyrio apud eum tantundem possit, cui & sine martyrij probamento procul dubio innotescit. Epist. 77.

Petrus Cluniacensis inquit: Necesse est, ut sola fideli passione, qui baptizari non quidem cõtempserunt, sed non occurrerunt, saluentur. lib. 1 cõtra Potrobusianos, epist. 2.

Lombardus ait: Sunt & alij, ut suprà posuimus, qui suscipiunt rem & non sacramentum. Qui enim effundunt sanguinem pro nomine IESV, etsi non sacramentum, rem tamen accipiunt. libro quarto, distinctione 4.

DE SACRAMENTIS.

De numero. Lombardus: Iam ad sacramẽta nouæ legis accedamus: quæ sunt, Baptismus, confirmatio, panis benedictio, id est Eucharistia, pœnitentia, unctio extrema, ordo, coniugiũ. Quorum alia remediũ contra peccatum præbent, & gratiam adiutri-

adiutricem conferunt, ut Baptismus: alia in remedium tantùm sunt, ut coniugium: alia gratia & uirtute nos fulciunt, ut Eucharistia & ordo. libro quarto, distinctione 2.

De differentia sacramentorum ueteris & noui Testamenti inquit Lombardus: Iam uidere restat differentiam sacramentorum ueterum & nouorum: ut sacramenta uocemus quæ antiquitùs res sacras signabant, ut sacrificia & oblationes, & huiusmodi. Eorum autem differentiam breuiter Augustinus assignat, dicens: Quia illa promittebant tantùm & significabant, hæc autem dant salutem. libro quarto, distinct. 1.

DE BAPTISMO.

Rupertus: Remissionem peccatorum quæ est ipse Spiritus sanctus, neque mortuorum, neque uiuorum aliquis ante Christi passionem aliquo baptismate accepisse credatur. libro tertio, capite secundo in Iohan.

De non baptisatis paruulis inquit Lombardus: Sicut paruuli qui sine baptismo moriuntur, infidelium adscribuntur numero: ita qui baptizantur, fideles dicuntur: qui à fidelium consortio non separantur, cum orat Ecclesia pro fidelibus defunctis. Fideles ergo sunt non propter uirtutem, sed fidei sacramentum. libro quarto, distinctione 4.

De baptismo Iohannis. Lombardus: Ipse ait, Ego baptizo uos in aqua, id est, in pœnitentia. Sola enim corpora abluebat, à peccatis uerò non mundabat. Baptismus Iohannis erat in pœnitentiam, non in remissionem: baptismus uerò Christi in remissionem. Quia Iohannes baptizans homines ad pœnitentiam uocabat, & quos baptizabat, pœnitere docebat, secundum illud: Veniebant ad Iordanem, confitentes peccata sua. Sed in baptismo Iohannis nō dabatur peccatorum remissio, quæ data est in Christi baptismo. libro quarto, distinctione secunda. Item: Ad quid ergo utilis erat baptismus Iohannis? Quia homines usu baptizandi præparabat ad baptismum Christi. Ibidem.

DE CIRCUMCISIONE.

Lombardus: Ibi enim perfecta solùm dimittebantur, sed nec gratia ad bene operandum adiutrix, nec uirtutum possessio uel augmentum ibi præstabatur, ut in baptismo: ubi non tantummodo abolentur peccata, sed etiam gratia adiutrix confertur, & uirtutes augentur. libro quarto, dist. 1.

DE CONFESSIONE.

Sanctis confitetur Honorius, qui quidem honor soli Deo conueniebat. Sic enim inquit: Forma confessionis: Abrenūcio diabolo & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius, & confiteor Deo omnipotenti & sanctæ Mariæ, & S. Michaeli & omnibus angelis Dei, & S. Iohanni Baptistæ & prophetis Dei, & sancto Petro & omnibus Apostolis Dei, & sancto Stephano & omnibus martyribus, & S. Martino & omnibus confessoribus Dei, & sanctæ Margarethæ & omnibus uirginibus Dei. In Speculo Ecclesiæ sermone de nat. Domini.

Bernhardus ait: Reuera ubi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata sunt, in confessione lauantur: si bona opera, confessione commendantur. Cum mala tua confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus. Cum Dei beneficia, immolas Deo sacrificium laudis. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & iustum reddit purgatiorem. Absque confessione iustus iudicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. A' mortuo quippe, tanquam qui non sit, perit confessio. Confessio igitur, peccatoris est uita, iusti gloria. Et necessaria est peccatori, & iustum nihilominus decet. epist. 113.

Petrus Cantor ait: In confessione autem tria præcipua & maximè necessaria debet confessor iniungere pœnitenti, scilicet ut pro posse uitet occasionem peccati, uel fugiat dilationem confitendi, si recidiuum passus fuerit, uel ut habeat pro peccatis satisfaciendi diligentiam. capite 54.

Lombardus ait: Si ergo quæritur, an cōfessio sit necessaria, cum in contritione iā sit deletum peccatum? Dicimus, quia quædam punitio peccati est, sicut satisfactio operis. Per confessionem etiam intelligit sacerdos, qualiter debeat iudicare de crimine. Per eam quoque peccator fit humilior & cautior. libro quarto, distinctione decimaseptima.

De peccatorum enumeratione inquit Petrus Cluniacensis: Vnde scias te nullatenus posse saluari, nisi quod perniciosè celaueras, salubriter studeas confitendo manifestare. lib. 1 de Miracul. cap. 4. Item: Pro peccatis meis dira tormenta patior, & maximè pro duobus, quæ dum cætera confiterer, oblitus sum. Horum unum hoc est, quòd olim cum quibusdam alijs militibus cœmiterium quoddam, in quo quamplurimi uulgarium ob maiorem securitatem se ac sua contulerant, infregi, ac bouem unum rustico cuidam uiolenter abstuli. Item terræ quæ mei iuris non erat, iniustas exactio-

exactiones imposui, quas ab inhabitantibus multo tempore mihi reddi coëgi. Ibidem cap. 23.

Lombardus ait: Posthæc considerandũ est, quid prosit confessio illa, ubi singula peccata quæ quisque fecit, non exprimuntur. Sanè dici potest, quòd omnia criminalia semel saltem oportet in confessione exprimi, nisi aliqua à mente exciderint. Sed quia nemo delicta intelligit omnia, generaliter saltem ea confitere, quorum memoriam non habes: & sic nihil celasti de sceleribus tuis. Venialia uerò, quia innumerabilia sunt, sufficit generaliter confiteri, nisi aliqua sint frequẽter iterata: perfectius est tamen etiam illa exprimere, si uales. Ideoque quotidie generaliter fit confessio in Ecclesia pro uenialibus, scilicet peccatis, quæ quotidie admittimus, & pro illis mortiferis quorum noticiam non habemus. li. 4. dist. 21.

DE CLAVIBVS.

Richardus: Sciendum quòd sacerdotalis illa potestas ligandi atque soluendi maximè uersatur circa geminum modum expiandi. Expiandi siquidem modus consistit in duobus. Nam quia nullum peccatum impunitum est, oportet ut expietur aut in hac uita iuxta arbitrium sacerdotis per dignum pœnitentiæ fructum: aut in uita futura iuxta diuinum arbitrium per ignem purgatorium. Habet itaque peccatrix anima à solo damnationis debito relaxata, & adhuc debito expiationis obnoxia, habet inquam & quomodo per sacerdotale officium possit utiliter ligari, & unde egeat misericorditer absolui. Verè namque pœnitens libenter subit iudicium humanum, ut meritò euadere possit iudicium diuinum. Ligatur ergo per sacerdotem debito dignæ satisfactionis, & absoluitur ab illo quod ignem meretur debito futuræ purgationis. Eo ipso namque quo deuotè suscipit sententiam humanam, meretur euadere sententiam diuinam. Ecce quomodo habes quod sub uno eodemque tempore homo soluitur atque ligatur. De hac ligandi atque soluendi potestate à Domino dictũ intellige: Quodcunque ligaueris, &c. de potestate ligandi & soluendi, capite sexto. Item: Quòd possint sacerdotes peccata remittere, & futura incendia pœnitentiali satisfactione extinguere, omnes in commune credimus & tenemus. Quòd autem possint quælibet peccata, quantumlibet criminalia, ex toto dimittere, & sine aliqua omnino satisfactione plenè & sine periculo indulgere, nec credimus nec tenemus. Ibidem cap. 24.

Lombardus ait: In soluendis ergo culpis uel retinendis, ita operatur sacerdos Euangelicus, & iudicat, sicut olim legalis in illis qui contaminati erant lepra, quæ peccatum signat. libro quarto, distinctione decimaoctaua. Item: Dantur hæ claues per ministerium episcopi alicui in promotione sacerdotij. Cum enim recipit ordinem sacerdotalem, simul & has claues recipit. libro quarto, distinctione decimanono.

De absolutione Richardus ait: Audacter dico, si ante sacerdotis ablutionem ad communionẽ corporis & sanguinis Christi accesserit, iudicium sibi pro certo manducat & bibit, etsi eum peccasse iam multùm pœniteat, uel uehementer doleat & ingemiscat. de potest. ligandi & soluen. capite 21.

De excommunicatis Lombardus ait: Orationes quoque Ecclesiæ, & benedictionum ac meritorum suffragia eis nequaquã suffragari putantur. libro quarto, distinctione 18.

DE CONFIRMATIONE.

Rupertus: Presbyteris chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem (quod solis debetur episcopis) sed uerticem. Fortè aliquis dicat: Quid mihi prodest post baptismatis mysterium, mysteriũ confirmationis? Nam si post fontem adiectione noui generis indigemus, quantum uideo, non totum de fonte suscepimus. Non ita intelligendum est. Nam quid prodest, si quisquam parentum magnam paruulo conferat hæreditatem, nisi prouideat illi tutorem? Paracletus quippe regeneratis in Christo, custos & consolator & tutor est, qui possent suadente diabolo, sicut paruuli facultatem, perdere baptismi utilitatem, si hunc non haberent tutorem. Igitur chrisma ipsius Spiritus sancti signum est, cuius & uirtutem continet. Et pulchrè Spiritui sancto per hanc speciem suam nobis complacuit dare gratiam. libro quinto de Diuinis officijs, capite demosexto.

Lombardus inquit: Forma enim aperta est, scilicet uerba quæ dicit episcopus, cũ baptizatos in frontibus sacro signat chrismate. lib. 4. distinctione septima. Et: Virtus autem huius sacramenti est, donatio Spiritus sancti ad robur, qui in baptismo datus est ad remissionem. Ibidem. Item: Hoc sacramentũ tantùm à ieiunis accipi, & ieiunis tradi debet, sicut & baptismus, nisi aliter cogat necessitas. Nec debet iterari, sicut nec baptismus uel ordo. Nulli enim sacramẽto facienda est iniuria: quòd fieri

fieri putatur, quando non iterandum iteratur. Ibidem.

DE COENA.

Panem semel consecratum semper retinere uirtutem. Rupertus: Panis semel cõsecratus nunquam postea uirtutem sanctificationis amittit, aut Christi caro esse desinit: sed non prodest quicquam indigno, cuius fides sine operibus mortua est, & idcirco spiritum qui uiuificat, non habet, quo ore percipiat. lib. 6 Com. in Iohã. Euang. cap. 6.

De transmutatione & transubstantiatione.

Bernhardus: Hostia quam uides, iam nõ est panis, sed caro mea, quæ pependit in cruce pro mundi uita. Sanè mutatio ista benedictionis opus est, non originis: uirtus hoc facit, non usus: effectus est potentiæ, non usus naturæ: dignatio est, non ratio: misericordia est, non miseria: non commune, sed solum: diuinum est, non humanum: pietatis sacramentum, non deitatis detrimentum. In sermone quodam de Cœna Domini. Item: Similiter liquor iste quem uides, iam non est uinum, sed sanguis meus, quem pro te fudi in precium, tibi reseruans in altari poculum, in peregrinatione tua præsidium, in exitu de Aegypto conductum, in cœlo uiaticum. Ego botrus carnis, pro salute tua portatus sum ad torcular crucis: inde eliquatum est mustum tuæ redemptionis. Sanguis autem meus uerè est potus. Ibidem. Item: Odor, species, sapor, pondus, remanent ad mysterij ritum, & ad gustus suffragium, ut horror penitùs tollatur, & meritum sortiatur. Etenim ne humana infirmitas esum carnis & potum sanguinis in sumptione horreret, Christus uelari & palliari illa duo uoluit speciebus panis & uini, quæ inter humani generis uictualia quodammodo tenent principatum. Nam ad literam quidem præ cibis omnibus cor hominis confirmat panis, & uinum lætificat. Sic itaque corpus & sanguinem suum sumenda proposuit, ut sensus in uno foueretur, in altero fides ædificaretur. Fouetur enim sensus in uno, dum solita tantùm & consueta prospicit: ædificatur fides in altero, dum oculo carnis uidente aliud exterius, oculus cordis aliud sentit & reueretur interius. Aliud enim latet, aliud patet. Posuit enim tenebras latibulum suum. Quemadmodum enim species illic uidentur, quorum res uel substantiæ ibi esse non creduntur: sic res ueraciter & substantialiter creditur, cuius species non cernitur. Videtur enim species panis & uini, & substantia panis & uini non creditur. Creditur autem substantia corporis & sanguinis Christi, & tamen species non cernitur. Ibidem.

Petrus Cluniacensis inquit: Vide igitur, quisquis in Sacramento Ecclesiæ panem in Christi carnem, uinum in eius mutari sanguinem aut non credis, aut dubitas: quia uel de uoluntate eius, uel de potentia, uel de utroque diffidis. libro primo contra Petrobusianos, epistola secunda. Item: Sic quotidie facit, ut per consecrationem & uirtutem diuinam panis & uinum commutentur in carnem & sanguinem suum: hoc est, unius filij Dei & hominis, non multorum filiorum hominum. Qui etiam dixit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt: qua potentia facit hoc uniuersaliter in alijs, eadem potentia facit hoc singulariter in seipso. Ibidem. Item paulo pòst: Quid mirum, si omnipotentis misericordia Dei misereri miseri hominis & hoc modo disponens, in altaris Sacramento panis & uini speciem humanis sensibus reseruat, ut appareat in ipso Sacramento panis & uinum, quod non est: & lateat oculos carnis caro & sanguis, quod est. Ibidem.

Petrus Lombardus ait: Et sic quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem: quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit corpus Christi, & uinum cum aqua in calicem missum fit sanguis, consecratione uerbi cœlestis. libro quarto, distinctione decima. Et: Post consecrationem ergo non est ibi substantia panis uel uini, licet species remaneant. Est enim ibi species panis & uini, sicut & sapor. Vnde aliud uidetur, aliud intelligitur. Ibidem distinct. 11.

Quòd sacrificium sit. Lombardus: Quæritur, si quod gerit sacerdos, propriè dicatur sacrificium uel immolatio, ac si Christus quotidie immoletur, & semel tantùm immolatus sit? Ad hoc breuiter dici potest, illud quod offertur & consecratur à sacerdote, uocari sacrificium & oblationem: quia memoria est & repræsentatio ueri sacrificij, & sanctæ immolationis factæ in ara crucis. Et semel Christus mortuus in cruce est, ibique immolatus est in semetipso: quotidie autem immolatur in Sacramento, quia in Sacramento recordatio fit illius quod factum est semel. libro quarto, dist. 12.

De conficiendo corpore. Lombardus: Sacerdotes dicuntur conficere corpus Christi & sanguinem, quia eorum ministerio substantia panis fit caro, & substantia uini fit sanguis Christi: nec tamen aliquid additur

additur corpori uel sanguini, nec augetur corpus Christi uel sanguis. libro quarto, distinctione 11.

DE MISSA.

Subinde facit mentionem Missarum (quia hoc tempore Missæ inualuerunt) Bernhardus. ut: Sed iam sermo claudēdus est: uocant enim nos Missarum adhuc celebranda solennia. Serm. 2 in festo omnium Sanctorum.

Lombardus ait: Missa enim dicitur, eo quòd cœlestis nuncius ad consecrandum uiuificum corpus adueniat, iuxta dictum sacerdotis dicentis: Omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum. libro quarto, distinctione decimatertia. Item: Missa autem dicitur, uel quia missa est hostia, cuius commemoratio fit in illo officio. unde dicitur: Ite, Missa est, sequimini hostiam, quæ missa est ad cœlestia, tendentes post eam. Vel quia missus cœlestis nuncius uenit ad consecrandum Dominicum corpus, per quem ad altare cœleste defertur hostia. Vnde & dicitur: Missa est. Ibidem distinctione uigesimaquarta.

Richardus ait: Semel oblatus in cruce multotiens in altari pro nobis offertur. Et qui iam non moritur, & mors illi ultrà non dominabitur, mortis eius mysterium & effectus ad salutem nostram quotidie iteratur: ibi enim mors Domini annunciatur. Super Cantica canticorum capite trigesimo.

Petrus Cantor ait: In alijs sacramentis uenalitatem apertè cernimus, in hoc uerò non, cum quidam Missam in die integrè duplificant. Alij uerò præ pudore & timore non audentes duas integrare, unam duplifacient, & trifacient, & multifacient, id est, multarum facierum celebrabunt. capite uigesimotertio. Item: Turpius Christum uendimus quàm Iudas, eo quòd deteriores sumus. Ille enim quem purum hominem credebat, cum familia eius indigeret, uendidit. Nos quem scimus uerum hominem & Deum, uendimus. Ille pro triginta argenteis uendidit, nos pro denario & precio uilissimo. Item: Ille pœnitens, licet non uerè, retulit & reiecit triginta argenteos. In Ecclesia autem non est qui turpiter acquisitos reijciat. Item: Cum triginta argentei precium sanguinis essent, non sunt missi in corbanam: nūc ex turpius oblatis & acquisitis eriguntur altaria, construuntur ecclesię, & huiusmodi. Cum omnia cætera uicia trepidant & exulent à locis sacratis, simonia ipsa altaria inuasit, ut ædificetur Sion in sanguine. Ibidem. Item: Celebrando Missas super imagines cereas ad imprecandum alicui, etiam alicui imprecantes, Missam fidelium decies uel pluries decantant, ut ante decimum diem uel pòst in breui moriatur, cū mortuis sepeliatur. Item: Iam quidem Missam pro strage interfectorum quasi nouorum martyrum, in circuitu Hierusalem prostratorum, inuenerunt, putantes eam efficax esse allectorium ad oblationes propter fauorem occisorum. capite uigesimoquinto.

Potho ait: Denique præter unum uerum summumque sacrificium, quod secundum ordinem Melchisedech in consecratione Eucharistiæ offerimus, nullum aliud munus pręstatius altari sancto superponimus. lib. 2 de Statu domus Dei.

Hugo Eterianus ait: Venite sacerdotes, qui quidem immaculatè corpus meum & meum sanguinem assiduè immolastis. capite 27 de Regressu animarum ab inferis.

De reliquijs Lombardus ait: Si autem quæritur de accidentibus quæ remanent, id est, de speciebus & sapore & pondere, in quo subiecto fundentur: potius mihi uidetur fatendum existere sine subiecto, quàm esse in subiecto: quia ibi non est substantia, nisi corporis & sanguinis Dominici, quæ non afficitur illis accidentibus. Non enim corpus Christi talem habet in se formam, sed qualis in iudicio apparebit. Remanent ergo illa accidentia per se subsistētia ad mysterij ritum, ad gustus fideique suffragium, quibus corpus Christi habens formam & naturam suam tegitur. libro quarto, distinctione 12.

De sacrificio pro defunctis. Lombardus: Neque negandum est, ut ait Augustinus, defunctorum animas pietate suorum uiuentium releuari, cum pro illis sacrificium mediatori offertur, uel eleemosynæ fiunt in ecclesia. Sed hæc eis tantùm prosunt, qui cum uiuerent, hæc sibi, ut postea possent prodesse, meruerūt. Est enim quidam uiuendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem: nec tam malus, ut ei non prosit quicquam. Est uerò talis in bono, ut ista non requirat: & est rursus talis in malo, ut nec his ualeat, cum hæc uita trāsierit, adiuuari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc uitam quispiam grauari uel releuari. Nemo autem speret, quod hic neglexit, cum obierit apud Deum promereri. libro quarto, distinctione 45.

Hugo Eterianus ait: Ideo acceptissimum est istiusmodi tempus ad culpæ mortuorum ueniam impetrandam. Hæc scientes præstemus quod possumus, remedia ijs

qui uita functi sunt, pro lachrymis orationes, pro luctibus eleemosynas, & pro sepulchri decore, hostiam uiuam exhibeamus. capite uigesimoseptimo de Regressu animarum ab inferis.

De suffragijs defunctorum. Lombardus: Mediocriter malis suffragantur ad pœnæ mitigationem: mediocriter bonis ad plenā absolutionem, qui non habent tantæ perfectionis merita, ut non indigeant iuuari per pauperes, quorum est regnum cœlorū, quos sibi fecerunt amicos de mammona iniquitatis. Quorum tanta est perfectio, ut his adiutorijs non indigeant, quales sunt Apostoli & martyres. libro quarto, distinctione 45.

DE ORDINE.

Lombardus ait: In sacramento ergo septiformis spiritus septem sunt gradus Ecclesiastici, scilicet ostiarij, lectores, exorcistæ, acolythi, diaconi, subdiaconi, sacerdotes: omnes tamen clerici uocantur, id est, sortiti. libro quarto, distinctione uigesimatertia.

Quid. Lombardus: Ordo sanè dici potest signaculum esse, id est, sacrum quoddā, quo spiritualis potestas traditur ordinato, & officium. Character ergo spiritualis, ubi fit promotio spiritualis, ordo uel gradus uocatur. libro quarto, distinctione uigesimaquarta.

De tonsura. Lombardus: Corona enim signaculum est, quo signatur in partem sortis ministerij diuini. Corona regale decus significat: quia seruire Deo, regnare est. Vnde ministri Ecclesiæ, reges esse debent, ut se & alios regant: quibus Petrus ait, Vos estis genus electum, regale sacerdotium, &c. Summitas capitis desuper nudatur, ut eorum mens ad Dominum libera monstretur, quæ reuelata facie gloriam Dei contempletur. Summitas enim capitis est eminentia mentis, denudatio capitis est reuelatio mentis. Clericus enim secretorum Dei non ignarus esse debet. Tondentur enim capilli usq; ad reuelationem sensuum, scilicet oculorum & aurium, ut uicia in corde & opere pullulantia doceātur præcidenda, ne ad audiendū & intelligendum uerbum Dei præpediatur mens, pro quo seruato reddetur in excelsis corona. Tonsuræ autem Ecclesiasticæ usus à Nazaræis exortus uidetur, qui prius crine seruato, deinde ob uitæ continentiam caput radebant, & capillos in igne sacrificij ponebant. Hinc usus inoleuit, ut qui diuinis cultibus mancipantur, quasi Nazaræi, id est, sancti, crine posito inueniantur. Sicut ad Ezechielem dicitur: Fili hominis, sume gladium acutum, & duc super caput tuum & barbam. In Actibus etiam Apostolorum Priscillam & Aquilam hoc fecisse legimus. Paulus quoq; & alij quidam Christi discipuli hoc fecerunt. libro quarto, distinctione uigesimaquarta.

De clericis ait Lombardus: Rectè ergo in quibuslibet gradibus constituti, clerici uocantur, quorum nomina & rationes nominū Isidorus exponens, ait: Cleros & clericos hinc appellatos esse credimus, quia Matthias electus est sorte, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Cleros enim Græcè, Latinè sors uel hæreditas dicitur. Ideo ergo dicti sunt clerici, quia sunt de sorte Domini, uel quia Deum partem habent. Generaliter uerò clerici nuncupati sunt omnes, qui in Ecclesia Dei deseruiunt, quorum gradus & nomina sunt hæc, ostiarius, lector, &c. libro quarto, distinctione 24.

De ostiarijs. Lombardus: Ostiarij idem & ianitores sunt, qui in ueteri Testamento electi sunt ad custodiam templi, ut non ingrederetur in illud immūdus. Dicti autē ostiarij, eo quòd præsint ostijs templi. Ipsi enim tenentes clauem, omnia intus & extrà custodiunt, atque inter bonos & malos habentes iudicium, dignos recipiunt, indignos respuunt. Vnde & eis, cum ordinantur, claues Ecclesiæ ab episcopo dantur, & dicitur eis: Sic agite, tanquam rationē Deo reddituri pro rebus quæ clauibus istis recluduntur. Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto uendentes & ementes eiecit de templo. Ipse enim se ostiarium significans, dicit: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egre[illegible]tur, & pascua inueniet. libro quarto, [illegible]ctione 24.

De lectoribus. Lombardus: Se[illegible] est gradus lectorum. Lectores à legen[illegible] cut psalmistæ à psalmis canendis uoc[illegible] sunt. Illi enim prædicant populis quid sequantur: isti cantant, ut excitent ad compunctionem animos audientium: licet quidam lectores ita miserabiliter pronuncient, ut quosdam ad luctum & lamentationem compellant. Ijdem etiam pronunciatores uocantur, qui porrò antè nunciant quia tam erit clara eorum uox, ut etiā longè positorum aures adimpleant. Ad lectorem autem pertinet lectiones pronunciare, & ea quæ prophetæ uaticinauerunt, populis prædicare, ut iam ex officio in Ecclesia legat prophetias & lectiones. Vnde & ei, uidente populo, traditur ab episcopo codex diuinarum lectionum, & dicitur: Accipe, & esto uerbi Dei relator, habiturus, si fideliter impleueris officium, partem cum

hic

his qui bene uerbum Dei ministrauerunt. Qui ad gradum prouehitur, literarum scientia debet esse instructus, ut sensum uerborum intelligat, uim accentuum sciat, distinctè legat, ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat. Attendat quid indicatiuè, quid interrogatiuè sit legendum, ubi sit in oratione facienda distinctio. Hæc enim malè seruata intellectum turbant, & alios ad risum prouocant. Auribus & cordi consulere debet uox lectoris. Hoc officium impleuit Christus, cum in medio seniorum librum Esaiæ aperiens, distinctè ad intelligendum legit: Spiritus Domini super me, &c. Ex quo lectoribus datur intelligi, quia gratia spirituali clarere debent, qui alijs uerbum Dei annunciant. Hic ordo formam & initium à prophetis accepisse uidetur, quibus dicitur: Clama, ne cesses: quasi tuba exalta uocem tuam. libro quarto, distinctione uigesimaquarta.

De exorcistis. Lombardus: Tertius est ordo exorcistarum. Exorcistæ autem ex Græco in Latinum adiurantes uel increpantes uocantur. Inuocant enim super catechumenos, & super eos qui habent spiritum immundum, nomé Domini, adiurantes per eum, ut egrediatur ab eis. Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos & catechumenos in exorcizádo imponere. Debet autem habere spiritum mundum, qui spiritibus immundis imperat: & malignũ expellere de corde suo, quem expellit de corpore alieno: ne medicina quam alij facit, sibi non prosit, & dicatur ei: Medice cura teipsum. Hi cum ordinantur, accipiunt de manu episcopi librum exorcismorum, & dicitur eis: Accipite, & habetote potestatem imponendi manus super energumenos uel catechumenos. Hoc officio usus est Dominus, quando saliua sua tetigit aures & linguam surdi & muti, dicens, Effeta: quod est, Adaperire: per hoc docens, nos spiritualiter debere aperire aures præcordiorum hominum ad intelligendum, & ora ad confitendum, ut pulso dæmone, Spiritus sanctus uas suum recipiat. Hoc etiam officio usus est Christus, cum dæmoniacos multos sanauit. Hic ordo à Salomone uidetur descendisse, qui quendam modum exorcizandi inuenit, quo dæmones adiurati ex obsessis corporibus pellebantur. Huic officio mancipati exorcistæ uocati sunt. De quibus Christus in Euangelio: Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij uestri (scilicet exorcistæ) in quo eijciunt? lib. 4. dist. 24.

De acolythis. Lombardus: Quarto loco succeduntacolythi. Acolythi uerò Græcè, Latinè ceroferarij dicuntur, à deportandis cereis, quando legendum est Euangelium, uel sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria, & deportantur ab eis, non ad effugandas aëris tenebras, cum sol eo tempore rutilet: sed ad signum lætitiæ demonstrandum, ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua legitur: Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mũdum. Ad acolythum pertinet præparatio luminariũ in sacrario. Ipse cereum portat, ipse urceolũ cum uino & aqua suggesta pro Eucharistia subdiaconis pręparat. Hi cum ordinantur, cum edocti fuerint ab episcopo qualiter in officio suo agere debeant, ab archidiacono accipiunt candelabrum cum cereo, & urceolum uacuum. Hoc officium Dominus se habere testatur, cum dicit: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Huius officij formam illi gerebant in ueteri Testamento, qui lucernas cãdelabri componebant, & accendebant igne cœlesti, ad illuminandas tenebras Aquilonares. libro quarto, distinctione uigesimaquarta.

De subdiaconis. Lombardus: Quintus est ordo subdiaconorum. Græcè hypodiacones uocantur, quos nos subdiacones dicimus. Qui ideo sic appellantur, quia subiacent præceptis & officijs leuitarũ: oblationes enim in templo à fidelibus suscipiunt, & leuitis superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos nathinnei uocabantur: id est, in humilitate Domino seruientes. Ad subdiaconũ pertinet calicem & patenam ad altare Christi deferre, & leuitis tradere, eisq; ministrare: urceolum quoque, & aquamanile, & manutergium tenere, episcopo & presbyteris & leuitis pro lauandis ante altare manibus aquam præbere. His lex continentiæ imponitur: quia altari propinquantes, uasa corporis & sanguinis Christi portant. Vnde illud implere debent: Mundamini qui fertis uasa Domini. Ad hos etiam pertinet tantum de oblationibus proponere in altari, quantũ sufficere possit populo: nec non corporales, & pallas, & substratoria lauare. Hi cum ordinantur, accipiunt de manu episcopi patenam & calicem uacuum: ab archidiacono uerò urceolum cum aquamanili, & manutergium. Hoc officio usus est Dominus, quando linteo se præcinxit, & mittens aquam in peluim, pedes discipulorum lauit, & linteo tersit. libro quarto, distinctione 24.

De diaconis. Lombardus: Diaconorum ordo sextum tenet locum, propter senarij perfectionem.

professionē. Hic ordo in ueteri Testamento à tribu Leui nomen accepit uel traxit. Dicuntur enim & Leuitę. Præcepit quippe Dominus Moysi, ut post ordinationē Aaron & filiorum eius, prorsus tribus Leui ad diuini cultus ministeria ordinaretur & cōsecraretur Domino, & seruirent pro Israel coram Aaron & filijs eius in tabernaculo, ipsique gestarent arcam & tabernaculum & omnia uasa eius, & in circuitu tabernaculi excubarent, & in transportando tabernaculo ipsi deponerent, rursumque componerent. A' uiginti quinq; annis & suprà iussi sunt seruire in tabernaculo: quā regulam in nouo Testamento sancti patres constituerunt, quia hæc ætas ad ferenda onera est robusta. Leuitæ ergo ex nomine autoris uocati sunt. De Leui enim Leuitæ orti sunt, à quibus in templo mystici sacramenti mysteria explebantur. Hi Gręcè diacones, Latinè ministri dicuntur: quia sicut in sacerdote consecratio, ita & in diacono mysterij dispēsatio habetur. Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, scilicet in baptismo, in chrismate, in patena & calice. Oblationes quoque inferre, & disponere in altari. Componere etiam mensam Domini & uestire, crucem ferre, & prædicare Euangelium & epistolam ad populum. Nam sicut lectoribus uetus Testamentum, ita diaconibus nouum prædicare præceptum est. Ad ipsum etiam pertinet officium precum, & recitatio catechumenorum nominum. Ipse præmonet aures habere ad Dominum, ipse donet pacem & ipse annunciat. Quod autem huic ordini à Moyse statutum est, hoc etiam in nouo Testamento repræsentatur, cum diacono super lęuum humerum stola ponitur, & casula in diebus ieiunij complicatur: quia quicquid laboris & sustinentiæ in hac uita toleratur, quasi in læua portatur, donec in dextera, id est æternitate, requies habeatur. Hic ordo ab Apostolis celebratus est, quando (ut legitur in Actis Apostolorum) septem uiros plenos Spiritu sancto ad hoc officium elegerunt, & oratione præmissa manus eis imposuerunt. Vnde & consuetudo inoleuit, ut in omni matrice Ecclesia septem diacones circa Christi aram, quasi septem columnæ, assistant. Hi sunt septem angeli tuba canentes in Apocalypsi, qui quales esse debeant, Apostolus docet Timotheo scribens. Hi cum ordinantur, solus episcopus eis manus imponit: quia ad ministerium applicantur. Ponit eis orarium, id est, stolam super læuum humerum, ut per hoc intelligant, se accepisse iugum Domini suaue quo ad sinistram pertinentia diuino timori subijciant. Accipiunt & textum Euangelij, ut intelligant se esse præcones Euangelij Christi. Hi autem antequam ordinentur, probentur, ut docet Apostolus: & sic ministrent, nullum crimen habentes. Hoc officio usus est Christus, quando post cœnam Sacramentum carnis & sanguinis discipulis dispensauit, & quando Apostolos dormientes & orationem excitauit, dicens: Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. libro quarto, distinctione 24.

De presbyteris. Lombardus: Septimus est ordo presbyterorum. Presbyter Gręcè, senior interpretatur Latinè. Non modò pro ætate uel decrepita senectute, sed propter honorem & dignitatem, quam acceperunt, presbyteri nominantur, qui morum prudentia & maturitate conuersationis præcellere debent in populo. Vnde scriptum est: Senectus uenerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis uita immaculata. Ideo autem etiam presbyteri sacerdotes uocantur, quia sacrum dant: qui licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent sicut episcopi: quia ipsi nec chrismate frontem signant, nec paracletum dant, quod solis deberi episcopis lectio Actuum Apostolorum demonstrat. Vnde apud ueteres ijdem episcopi & presbyteri fuerunt: quia illud est nomen dignitatis, non ætatis. Sacerdos nomen habet compositum ex Græco & Latino, quod est sacrum dans, siue sacer dux. Sicut enim rex à regendo, ita sacerdos à sacrando dictus est. Consecrat enim & sanctificat. Antistes uerò sacerdos dictus est ab eo, quòd antè stat. Primus est enim in ordine Ecclesiæ. Ad presbyterum autem pertinet Sacramentum corporis & sanguinis Domini in altari Dei conficere, orationes dicere & dona Dei benedicere: qui cum ordinantur, inunguntur eis manus, ut intelligant se accepisse gratiam consecrandi, & charitatis opera debere extendere ad omnes. Accipit & stolam, quæ utrumque tenet latus: quia debet esse munitus armis iustitię contra aduersa & prospera. Accipit etiam calicem cum uino, & patenam cum hostijs, ut per hoc sciat, se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi. Hic ordo à filijs Aaron sumpsit initium. Summos enim pontifices & minores sacerdotes instituit Deus per Mosen, qui ex præcepto Dei Aaron in summum pontificem, filios uerò eius unxit in minores sacerdotes. Christus quoque duodecim elegit

discipulos prius, quos & Apostolos uocauit, quorum uicem gerunt in Ecclesia maiores pontifices. Deinde alios septuaginta & duos discipulos designauit, quorum uicem in Ecclesia tenent presbyteri. Vnus autem inter Apostolos princeps extitit Petrus, cuius uicarius & successor est põtifex summus: unde dicitur Apostolicus, qui & papa uocatur, scilicet pater patrũ. Qualis autem eligi debeat presbyter, Apostolus scribens Timotheo ostendit, ubi nomine episcopi presbyterum significat. Hoc autem officio usus est Christus, cum seipsum in ara crucis obtulit, idem sacerdos & hostia, & quando post cœnam panem & uinum in corpus suum & sanguinem commutauit. Ecce de septem Ecclesiæ gradibus breuiter elocuti, quid ad quemque pertineat insinuauimus. Cumque omnes spirituales sint & sacri, excellenter tamen Canones duos tantùm sacros ordines appellari censent, diaconatus scilicet & presbyteratus: quia hos solos primitiua Ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum Apostoli habemus. Apostoli enim in singulis ciuitatibus episcopos & presbyteros ordinauerunt. Leuitas etiam ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus Stephanus. Subdiaconos uerò & acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit. libro quarto, distinct. uigesimaquarta.

Libet huc etiam scribere expositiones dignitatum pontificalium, quorum facit mentionem Lombardus:

Episcopus speculator est præpositus in Ecclesia dictus, eo quòd speculetur atque prospiciat populorum infra se positorum mores & uitam. libro quarto, distinct. uigesimaquarta.

Pontifex est princeps sacerdotum, quasi uia sequentium. Ipse & summus sacerdos nũcupatur: ipse enim leuitas & sacerdotes efficit, ipse omnes Ecclesiasticos ordines disponit. Ibidem.

Ordo autem episcoporum quadripartitus est, scilicet in patriarchis, archiepiscopis, metropolitanis, & episcopis. Patriarcha Græcè summus patrum interpretatur: quia primum, id est, Apostolicum tenet locum: ut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus: sed omniũ summus est Romanus. Archiepiscopus, princeps episcoporum. Archos enim Græcè, Latinè princeps dicitur. Metropolitæ autem à mensura ciuitatum dicuntur: singulis enim prouincijs & ciuitatibus præeminent, quorum autoritati & doctrinę cæteri sacerdotes subiecti sunt. Solicitudo enim totius prouinciæ ipsis episcopis commissa est. Omnes autem superius designati ordines episcopi nuncupantur. Nota quòd archiepiscoporum nomine primates superius significasse uidetur, & metropolitanorum, quos nunc archiepiscopos dicimus. Horum autem discretio à gentilibus introducta uidetur, qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant. Sacerdotes enim gentilium flamines dicebãtur, qui habebant in capite pileum, in quo erat breuis uirga, desuper habens aliquid lanæ: quod cum per æstum ferre non possent, filum tantùm in capite ligare cœperunt. Nudis enim capitibus eis incedere nefas erat. Vnde à filo quo utebãtur, flamines dicti sunt, quasi filamines. Sed festis diebus filo deposito, pileum imponebant pro sacerdotij eminentia. Vates à ui mentis appellati sunt, cuius significatio multiplex est. Modò enim sacerdotem, modò prophetam, modò poëtam significat. Cantor uerò uocatur, qui uocem modulatur in cantu. Huius sunt duo genera, præcentor & succentor. Præcentor qui uocem præmittit in cantu, succentor qui subsequenter canendo respondet. Concentor autem dicitur, quia consonat. Qui autem non consonat nec concinit, concentor non erit. Ibidem.

Quando ordinandi. Lombardus: Sacri, inquit, canones sanxerunt, ut subdiaconus non ordinetur ante quatuordecim annos, nec diaconus ante uigintiquinq;, nec presbyter ante triginta. Deinde si dignus fuerit, ad episcopatum eligi potest: quod nos etiã pari modo seruari iubemus. Itẽ Fabianus: Si quis triginta ætatis non impleuerit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etsi ualde sit dignus: quia & ipse Dominus triginta annorum baptizatus est, & sic cœpit docere. libro quarto, distinctione uigesimaquinta.

DE VNCTIONE *extrema.*

Lombardus: Præter præmissa est etiam illud sacramentum, scilicet unctio infirmorum, quæ fit in extremis, oleo per episcopum consecrato. libro 4. distinct. 23. Item: Hoc sacramentum unctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur. Ait enim Iacobus: Infirmatur quis in uobis. Ibidem. Item: Ostenditur, duplici ex causa sacramẽtum hoc institutum, scilicet ad peccatorum remissionem, & ad corporalis infirmitatis alleuiationem. Vnde constat, eum qui hãc unctionem fideliter deuoteq; percipit, & in corpore & in anima alleuiari: si tamẽ expedit ut in utroq; alleuietur. Quòd si fortè corporis ualetudinem illi habere nõ expedit, illam quæ est animæ, sanitatẽ in hoc

ſacramento acquirit. Et ſicut in alijs ſacramentis, ita & in iſto aliud eſt ſacramẽtum, aliud res ſacramenti. Sacramentum eſt ipſa unctio exterior, res ſacramenti unctio interior, quæ peccatorum remiſsione & uirtutum ampliatione perficitur. Et ſi ex contemptu uel negligentia ſacramentum hoc prætermittitur, periculoſum eſt & damnabile. Ibidem.

DE ECCLESIA.

De Roma inquit Bernhardus: Mater & magiſtra omniũ Eccleſiarum Eccleſia Romana, cui dictum eſt: Ego pro te rogaui, ut ut non deficiat fides tua. Serm. de Iohan. Baptiſta. Sed hæc non conueniunt cum ſacris literis.

De Petro ait Potho: In tota hac domo beatus Petrus cum ſuis ſucceſſoribus plenitudinem poteſtatis accepit. Vnde quicunq; in partẽ ſolicitudinis uocati ſunt, ut ea quæ in partem regenda ſuſceperũt, prouida diſpenſatione gubernent, eius authoritate roborandi, eius exemplis informandi ſunt, qui in plenitudine poteſtatis toti Eccleſiæ præeſſe dinoſcitur. libro 1 de Statu dom. Dei.

De primatu paſtoris Romani. Bernhardus: Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper uniuerſas orbis Eccleſias, ſingulari prærogatiua Apoſtolicæ ſedi donata eſt: qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Poteſt, ſi utile iudicauerit, nouos ordinare epiſcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Poteſt eos qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictauerit, ita ut de epiſcopis creare archiepiſcopos liceat, & econuerſò, ſi neceſſe uiſum fuerit. Poteſt à finibus terræ ſublimes quaſcunque perſonas Eccleſiaſticas euocare, & cogere ad ſuam præſentiam, non ſemel aut bis, ſed quoties expedire uidebit. Porrò in promptu eſt ei omnem ulciſci inobedientiam, ſi quis fortè reluctari conatus fuerit. Epiſt. 133. Item: Terribilis prorſus, terribilis eſt locus iſte. Locus, inquam, in quo ſtas, terra ſancta eſt: locus Petri, eſt locus principis Apoſtolorum, ubi ſteterũt pedes eis. Locus illius eſt, quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſsionis ſuæ. Epiſtola 237. Item: Gladius Petri defendat patrimonium Petri. Epiſt. 285. Item: Principem te conſtituerunt, ſed ſibi, non tibi. libro 3 de Conſideratione.

Iohannes Saliſberienſis ait: Eccleſiam Romanam, quæ parens, auctore Deo, & nutricula fidei & morum eſt, & non poteſt ab homine iudicari neque argui, cœleſti priuilegio munita, relinquo intactam. Lib. 8 Polierat. de curial. nugis, cap. 17.

Petrus Cluniacenſis inquit: Videat hæc omnia & diſcutiat pater uniuerſalis, & qui curam paternam uniuerſis Eccleſiæ filijs debet, animæ nec inferioribus, nec de uilioribus ſibi commiſſæ prouideat, ut aut coram ſe, ut iam dixi, ſi fieri poteſt, rem ipſam diffiniat: aut probis partium noſtrarum uiris, ſi placet, diffiniendam committat. lib. 6. epiſt. 44.

Potho ait: Non'ne Romani pontifices, qui in plenitudine poteſtatis Eccleſiæ prę fuerunt, quorum uidelicet authoritate uniuerſalia canonum decreta conſcripta ſunt & corroborata? lib. tertio de Statu domus Dei. Item: Hoc namque priuilegium beato Petro Apoſtolorum principi cœleſti decreto principaliter traditum atque firmatum, ſancti patres cum magna ueneratione ſuſcipientes, atque ſanctam Romanam eccleſiam ſeruantes, tam in generalibus concilijs, quàm & in cæteris ſcripturis & geſtis ſuis, uniuerſalem matrem appellauerunt: & ſicut eius documenta in confirmatione fidei & eruditione ſacræ religionis, ita etiam iudicia ſuſceperunt, in hoc conſentientes, & quaſi uno ſpiritu & una uoce concordantes, omnes maiores res & præcipua negocia, nec non omnium eccleſiarũ iudicia ad eam quaſi ad matrẽ & caput debere referri, ab ea nuſquã appellari, iudicia eius à nemine retractari aut refelli debere uel poſſe. Ibidem. Et: Vnde iuxta atteſtationem ſanctorum patrum, omnibus eccleſijs prę eminet, & de omnibus iudicare poteſt. Ibidem.

Mechtildis ait: Medium ſanctæ Eccleſiæ eſt ordo ſancti Bernhardi, ſuſtentans Eccleſiam uelut columna cui tota domus innititur: quia ad uniuerſalem Eccleſiã & ad omnes ordines ſe quo ad aliquid tenet: ad ſuperiores ſcilicet, ad papam & prę latos tenet ſe exhibendo eis reuerentiam & obedientiam: ad religioſos per bonæ conuerſationis inſtructionem & informationem. Nam alij ordines hunc ordinem in aliquo imitantur. Ad bonos & iuſtos ſe habet per auxilium & conſilium. Ad peccatores per compaſsionem, correctionem, & confeſsionis auditionem. Denique inueniunt peregrini hoſpitalitatem, pauperes ſuſtentationem, triſtes conſolationem, infirmi recreationem, eſurientes & ſitientes refectionem, animæ fidelium liberationem per orationis ſanctę ad animas purgandas ſubuentionem. libro primo, capite quinquageſimoprimo.

DE CONIVGIO.

Lombardus ait: Poſt diluuium, quo uniuerſum penè genus humanum deletũ eſt, ſecũdum præceptum dictum eſt filijs Noe: Creſcite

Crescite & multiplicamini. Multiplicato uerò homine, secundum indulgentiá contractum est, non secundum imperium. li. 4. distinct. 26.

De bigamia. Lombardus: Apostolus tamen bigamos à sacerdotali honore excludit. Sed hoc non facit pro uitio bigamiæ, imò pro sacramenti uirtute, ut sit una unius, sicut una unici. libro quarto, dist. quadragesimasecunda.

De uerbis. Lombardus: Non quilibet, sed per uerba expressus: nec de futuro, sed de præsenti. Si enim consentiunt in futurum, dicentes, Accipiam te in uirum, & ego te in uxorem: non est iste consensus efficax matrimonij. Item si consentiant mente, & non exprimãt uerbis, uel alijs certis signis, nec talis consensus efficit matrimonium. lib. 4. dist. 27.

Tempus interdictum recitat Lombardus: Nec solùm in opere carnali obseruanda sunt tempora, sed etiam in celebrandis nuptijs: secundum illud, Non oportet à Septuagesima usq; ad octauam Paschæ & tribus hebdomadis ante festum S. Iohannis, & ab Aduentu Domini usq; ad Epiphaniam celebrare nuptias. Quod si factum fuerit, separentur. Item Nicolaus papa: Nec uxorem ducere, nec cõiugia facere Quadragesimali tempore conuenire posse ullo modo arbitror. lib. 4. dist. 32.

De cognatione spirituali Lõbardus ait: Quòd autem compater & commater sibi iungi nequeant, nec pater spiritualis, nec mater filiæ uel filio spirituali, ex concilio Maguntinensi docetur. libro quarto, distinctione quadragesimasecunda. Item: Ex his apparet, quòd aliquis filiolam suam uel commatrem non potest sibi copulare nuptialiter: & si præsumptum fuerit, separandi sunt. Ibidem.

De adulteris Lombardus inquit: Si uerò quæritur, an adulter adulterá possit dimittere causa fornicationis? Dicimus quia nequit adultera uxor dimitti à uiro, nisi & ipsi expers fornicationis existat, & ecõuersò. libro 4. distinct. 35. Item: Si quis autem fornicationis expers fornicariam dimiserit, alij copulari non potest, sed continere oportet, uel ad dimissam redire: sic & fœmina. Vnde & Apostolus: His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à uiro non discedere: quòd si discesserit, maneat innupta, aut uiro suo reconcilietur. Et de uiro addit: Et uir uxorem non dimittat. libro quarto, distinctione trigesimaquinta. Item: Ex his ostenditur, quòd si causa fornicationis fit separatio, non potest uir uel mulier in aliam transire copulam. Possunt autem reconciliari & cohabitare sicut prius, si dimissum alter reuocare uoluerit. Ibidem. Item: Solet etiam quæri, an ualeat duci in coniugium, quæ prius est polluta per adulterium? De hoc Leo papa ait: Nullus ducat in matrimonium, quam prius polluit adulterio. Item: Relatum est auribus sanctorum sacerdotum, quendam alterius uxorem stupro uiolasse, & insuper mœchæ iuramentum dedisse, quòd post legitimi maritimi obitum, si superuiueret, duceret eam in uxorem: quod & factum est. Tale ergo connubium prohibemus & anathematizamus. His alijsque authoritatibus uetantur in coniugium copulari, qui se prius adulterio maculauerunt. Ibidem.

De maleficio corruptis Lombardus inquit: Separari ualebunt. Sed postquam alias nuptias expetierint, illis uiuentibus quibus pòst iunctæ fuerint, prioribus quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt. Quod in fine huius capituli continetur, ex rigore magis dictum intelligendum est, quàm ex canonica æquitate. Vel intelligendum est non posse reconciliari prioribus, nisi iudicio Ecclesiæ, quo diuisio facta fuerat. libro quarto, distin. trigesimaquarta.

Esse sacramentum. Lombardus: Cum ergo coniugium sacramentum sit, & sacrum signum est, & sacræ rei, scilicet coniunctionis Christi & Ecclesię, sicut ait Apostolus: Scriptum est, inquit, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Vt enim inter coniuges coniunctio est secundum consensum animorum, & secundum permixtionem corporum: sic Ecclesiá Christo copulatur uoluntate & natura, quia idem uult cum eo, & ipse formam sumpsit de natura hominis. Copulata est ergo sponsa sponso spiritualiter & corporaliter, id est, charitate & conformitate naturæ. Huius utriusque copulæ figura est in coniugio. Consensus enim coniugum copulam spiritualem Christi & Ecclesiæ, quæ fit per charitatem, significat. Commixtio uerò sexuum illam significat, quæ fit per naturæ conformitatem. libro quarto, distinct. uigesimasexta.

Adulterio non amitti sacramentum. Lõbardus: Non enim est adulterium, nisi fides thori uiolatur legitimi: quod cum fit, culpa committitur, sacramentum uerò non cassatur. libro 4. distinctione 31. Item: Sacramentum uerò ita inseparabiliter coniugio cohæret legitimarũ personarũ, ut sine illo

coniugium non esse uideatur: quia semper manet inter uiuentes uinculum coniugale, ut etiam interueniente diuortio fornicationis causa, coniugalis uinculi firmitas nõ soluatur. Ibidem.

De ruptione coniugiorum per uota. Lõbardus: Licet sponsæ ante carnalem copulam inconsulto uel nolente sponso monasterium eligere: quo facto, sponso etiam licet aliam ducere. Coniugatus uerò, uel cõiugata, nec continentiam nisi ex communi consensu seruare ualet, nec monasterium petere, nisi uterque continentiam pariter profiteatur. libro quarto, distinctione 27. Item: Coniugati sine communi consensu monasterium eligere, continentiam profiteri, uel habitum religionis sumere non ualent: & si fecerint, reuocari debent. Sponsi uerò possunt sine communi consensu monasterium eligere. Ibidem.

De sacerdotibus. Lombardus: Sacerdotibus continentia indicitur. libro quarto, distinctione 33.

Petrus Blesensis exaggerat immodicè incommoda coniugum, & in ea inuehitur: Non est sine plurima incommoditate copula coniugalis, uixq; obtineri creditur pax cum uxore. Hinc te, inquam, solitudo, hinc orbitas, hinc generis orbitas, hinc generis interitus, hinc hæres alienus excipiet: illinc perpetua solicitudo, concentus querelarum, dotis exprobratio, affiniũ importunitas, garrula socrus, lingua succensoria, incertus liberorum euentus. Epistol. 41. Item: Multa sunt, inquam, quæ necessitati sunt usibus matronarũ, ut sint eis preciosæ uestes, aurum, gemmæ, sumptus, ancillæ, supellex uaria, lecticæ, & exedra deaurata: noctibus autem continuantur garrulæ conquestiones. Illa, inquit, ornatior me procedit in publico, ego despicior, illa ab omnibus honoratur. Cur aspiciebas uicinam? Quid cum ancilla loquebaris? Quid attulisti de nundinis? Non amicum habere possumus, non sobolem. Alterius amorem odium suspicatur. Pauperem alere difficile est, diuitem tormentum. Ibidem. Item: Adde quòd nulla uxoris est abiectio, qualiscunque uenerit habenda est, si iracũda, si superba, si fatua, si deformis. Equus, asinus, bos, canis, & uilissima mancipia, sedile ligneum, urceoli & lebetes prius probantur, & sic emuntur: sola uxor non ostenditur, ne antea displiceat quàm ducatur. Quoscunque dilexerit illa licet, tum magistri tibi sunt, tum amandi & colendi sunt. Si domum tuam ei commiseris regendam, seruiendum est: si quid tuæ dispositioni reseruas, fidem te sibi non habere putabit, cõuertetur in odium, & tibi, si potest, ueneno exitium cogitabit. Ibidem. Item: Non arguo nuptias, in quibus magnum est Christi & Ecclesiæ sacramentum: sed te nuptias contraxisse, & quod mirabilius est, te nunc esse uxoratum inæstimabiliter miror, eoq; maximè, quia uehementissimus eras in studijs, & nominatissimus philosophiæ professor. Ibidem.

DE COELIBATV.

Nimium extollit Bernhardus cœlibatũ, inquiens: Quis enim cœlibem uitam, uitã cœlestem & angelicam dicere uereatur? Aut quod in resurrectione futuri sunt omnes electi, quomodo non iam nunc estis, sicut angeli Dei in cœlo, à nuptijs penitùs abstinentes? Amplectimini fratres preciosissimam margaritam, amplectimini sanctimoniam uitæ, quæ uos efficit sanctorum similes, & domesticos Dei, dicente Scriptura: Incorruptio facit proximum esse Deo. Serm. 2 de inquirendo Dom. Item: Cogendi sunt uel abijcere fœminas, uel exire de Ecclesia, utpote scandalizantes Ecclesiam in conuictu & contubernio fœminarum. Serm. 66 super Cantica.

Petrus Cluniacensis inquit: Non poterunt tamen adæquari uobis in hac parte, nec illud priuilegium, quod sola fœlix uirginitas promeretur, licet inæstimabiliter cœlum sanctorum innumerabilium legio possidebit. libro sexto, epistola quadragesima. Item: Cum castè perseueratis, & uirgines, angelis Dei æquales estis. Ibidem.

Petrus Blesensis ait: Verùm & prouidentia consultiore, & arctiore custodia tibi obseruãtiam castitatis indicens, ibi gloriosius de libidine triumphasti, ubi grauior conflictus & pugna, ut suspicor, imminebat. Iam in portu nauigas: adhuc tamen de terra similitudinis uentus tentationis irrumpens occultè sibilat. Si nunc esses in seculo, te intra matronarum cuneos, uirorum illustrium brachia supportarent. Si nunc esses in seculo, affluentia opum & uarietate supellectilis conspicua incederes, parentum numerositate & fœcunditate sobolis gloriosa. Si nunc esses in seculo, uniuersa tibi exuberarent ad uotum. Nunc claustrali angustiæ mancipata es, ubi omnis euagandi licentia seclusa est: omnis ubi risus, omnium lasciuia, omnesq; uoluptates seculi, & mundi desideria religantur: ubi funereæ uestes, ubi continuatæ uigiliæ, ubi est potus aquæ uiniq; confusio. Cibus uerò legumina & panis austerior. Sic tibi dilectissima suggerit humani generis inimicus commoditates humanæ conuersationis palliando uersutè. Tacet enim de uoluptate

uoluptate hominum, quàm sit sterilis & incerta: quæ si plerunq; placeat, pœnitudinē inducit, & si dilecta ad modicum, productiore spacio displicebit: diuitias siquidē & honores solicitudo inseparabiliter comitatur. Mundi pompa & fauor populi fumus est & aura subitò euanescens. Adde quòd mulier in dolore & in discrimine parturit, & quòd frequētissimè gloriam filiorum nunc in ualetudine, nunc in captiuitate, nunc morte casus amarior interrumpit. Serua igitur cor tuum cum omni custodia, ut possideas uas tuum cum honore in sanctificatione. Thesaurus namque pudicitiæ incomparabilis est. Sola pudicitia agnum quocunque ierit sequitur, sola uitam reformat angelicam. In amissione pudicitiæ uoluptatem uirgines fatuæ suspicantur, cum amitti non possit sine erubescentia & dolore. Iactura eius non recipit æstimationē, & cùm omni peccato per pœnitentiam medeatur, solus lapsus uirginis restitutionis remedium non meretur. Epistola uigesimatertia.

De paupertate. Bernhardus: Hæc nempe sunt uerba quæ contemptum mundi in uniuerso mundo, & uoluntariam persuasere hominibus paupertatem. Hæc sunt quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis. In Declamat. de bonis deserendis.

DE COENOBIIS.

Cœnobia immodicis euexerunt laudibus. Honorius: Recordemur quòd seculum pro superna patria reliquimus, & quòd claustralem seruitutē pro æterna libertate subiuimus. Claustralis namque disciplinæ obseruatio est quasi cuiusdam camini examinatio, in qua rubigo peccatorum nostrorū debet purgari, & imago Dei in animabus nostris reformari. Postquam uerò in igne tribulationis ut aurum probabimur, tunc de fornace sumpti, in palatio cœlestis regis angelis coæquabimur. Qui enim monachi nuncupamur, inter martyres computamur, si pro confessione factis exæquamur. Martyres nempe quamuis grauia, tamen breuia perpessi sunt supplicia: nos uerò diuturna patimur supplicia. Claustralis enim inclusio, regularis districtio, uestium abiectio, piatorum inuectio, iuge silentium, alienum imperium, crebra ieiunia, assidua flagella, iuges uigiliæ, quotidianarum horarum excubiæ, insuper confessionis confusio, pœnitentiæ amaritudo, publica coram fratribus obiurgatio, uel corporis castigatio, orationum instantia, lectionum uigilantia: hæc omnia sunt magna carnis cruciamenta. Et ideo quantum ab argento auri precium, tantum differt ab alijs iustis nostræ remunerationis præmium. In Speculo Ecclesiæ.

Rupertus ait: Monachos uocat filius Aaron, id est, quorum officium uel propositum sit orare pro peccato secularium, & habere omnia communia. libro primo in Leuiticum, capite trigesimosecundo. Item: Ordines habitumq; monasticum secundum baptismum sancti patres dicere non dubitauerunt. libro primo de Pietate, cap. 8.

Bernhardus ait: Modica, transitoria, terrena sunt quæ despicis: maxima, æterna, cœlestia sunt quæ appetis. Plus dicam, & uerum dicam. Tenebras deseris, & lucem ingrederis. De profundo fluctuum emergis ad portum. De misera seruitute in fœlicem libertatem respiras. De morte denique transis ad uitam. Siquidem usque modò tua non Dei uoluntate, tua uiuens non Dei lege, uiuens mortua eras. Viuens mundo, mortua Deo: siue (ut uerius loquar) nec mundo uiuens, nec Deo. Volens quippe sub habitu & nomine religionis instar unius de seculo conuersari, sola Deum à te uoluntate repuleras. Non autem ualens quod stultè uolebas, non tu quidem mundum, sed te mundus repulerat. Deum ergo repellens, & à seculo repulsa, inter duas (ut dicitur) sellas corrueras. Nec Deo itaque uiuebas, quia nolebas: nec seculo, quia non poteras: alteri quidem uolens, alteri inuita, sed tamen utrique mortua. Sic debet contingere his qui uouent & non soluunt, qui aliud foris ostentant, & intus aliud appetunt. At uerò nunc per Dei misericordiam incipis reuiuiscere, nō peccato, sed iusticiæ: non seculo, sed Christo: sciens quia & seculo uiuere, mors est: & in Christo etiam mori, uita. Beati nempe mortui, qui in Domino moriuntur. Epistola centesima decimaquarta. Item: Modus quidem uitæ est sanctus, honestus, castitate decorus, discrepatione præcipuus, à patribus institutus, à Spiritu sancto præordinatus, animabus saluandis nō mediocriter idoneus. In Apologia ad Guilhelmum abbatem. Item: Sicut itaque illic multæ mansiones in una domo, ita hic multi ordines sunt in Ecclesia una: & quomodo hic diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: ita ibi distinctiones quidem gloriarum, sed una domus. Ibidem.

Petrus Cluniacensis ait: Pro omnibus peccatis suis monachus factus est, & absq; dubio in partem salutis uocandus est. cap. 26. lib. 1 de Miraculis.

Baptismo comparat monasticam uitam Bernhardus: Audire & hoc uultis à me, unde inter cætera pœnitentiæ instituta monasterialis disciplina meruerit hanc

hanc prærogatiuam, ut secundum baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectã mundi abrenunciationem, ac singularem excellentiam uitæ spiritualis, qua præeminens uniuersis uitæ humanæ generibus huiusce modi conuersatio, professores & amatores suos angelis similes, dissimiles hominibus facit: imò diuinã in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar baptismi. Et quasi deniq; secundò baptizamur, dum per id quòd mortificamus membra nostra quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuò similitudini mortis eius. Sed & quomodo in baptismo eruimur de potestate tenebrarũ, & in regnum transferimur claritatis æternæ: ita & in sancti huius secunda quadam regeneratione propositi, de tenebris æquè non unius originalis, sed multorum actualium delictorum in lumen uirtutum euadimus, reaptantes nobis illud Apostoli: Nox præcessit, dies autẽ appropinquauit. tract. de Præcepto & dispensat.

De statutis patrum inquit Bernhardus: Necessarium rursum in hæc tria subdiuidatur, stabile, inuiolabile, incommutabile. Et quidem stabile dixerim, quod ita est necessarium, quod non cuilibet hominum illud mutare fas sit, nisi solis dispensatoribus mysteriorum Dei, id est, præpositis: ut, uerbi gratia, regulæ sanctorum, Basilij, Augustini, Benedicti, necnon authentici canones, & si qua sunt alia Ecclesiastica instituta dignæ authoritatis. Quæ quoniam à sanctis tradita sunt, sancita stabiliter perseuerant, nec omnino cuiuis subiectorum ea aliquo modo uariare uel mutare conceditur. Quia tamen ab hominibus, etiam per homines loco & officio illis canonica electione succedentes, licitè interdum innoxieque pro causis, personis, locis & temporibus dispensantur. in tractatu de Præcepto & dispensat.

De monachatu. Petrus Blesensis: Sanè disciplina (scilicet monastica) unica est clauis innocentiæ, religionis anchora, custos ordinis, & per quam spiritualiter motus animi reuocantur à malo, & stabiliuntur in bono. Epist. 40.

DE BENEDICTIONIBUS.

Hugo Eterianus: Benedictio aquæ baptismatis, ter aquis immergere illum qui baptizatur, & benedictio chrismatis in Ecclesia sine Christo & Apostolorum scripturis obseruantur. Noluit Christus Ecclesiam suam scriptis tantùm traditionibus astringi. Nam quæ non licet prophanos scire, illorum doctrinam non expediebat literis publicare. cap. 13.

DE VOTIS.

Lombardus ait: Plenè legitimæ sunt, quibus non obuiat uotum continentię, uel ordo sacer, uel cognatio, uel dispar cultus, uel conditio, uel naturæ frigiditas, & si quid est aliud. Penitùs uerò illegitimæ sunt per uotum, per ordinem, per cognationem, per disparem cultum. Mediæ uerò sunt, nec plenè legitimæ, nec omnino illegitimæ, per frigiditatem, per conditionem. Si enim tales iunguntur ignoranter, commanere possunt quibusdam accedentibus causis, & eisdem deficientibus diuidi. libro quarto, distinctione trigesimaquarta. Item: Qui priuatum faciunt uotum continentiæ, matrimonium contrahere nõ debent: quia contrahendo mortaliter peccant. Si tamen contraxerint, non separentur: quia probari non potest quod occultè factum est. Qui uerò solenniter uouent, nullatenus coniugium inire queunt: quibus non solùm nubere, sed & uelle damnabile est. libro quarto, distinctione trigesima octaua. Item: Sunt igitur quidam ordines, in quibus nullatenus potest contrahi coniugium, & si intercesserit copula, fit diuortium: ut sacerdotium, diaconatus, & subdiaconatus. In alijs uerò permittitur sortiri coniugium, nisi religionis habitum sumpserint, uel continentiæ uotum fecerint. Vnde Leo papa: Clericos, lectores, ostiarios, exorcistas, acolythos, si extra uotũ & habitum inueniuntur, & continentiam profiteri nolunt, uxorem ducere uirginem ecclesia Romana permittit, nõ uiduam uel repudiatam: quia deinceps nec ad subdiaconatum prouehi poterunt, nec laicus uxorem sortitus, nisi uirginem, uel bigamus ad clericatum. Ibidem distinctione trigesimaseptima. Item: Ex his apparet, uirgines uel uiduas uoto continentiæ astrictas, siue fuerint uelatæ, siue non, nullatenus coniugium sortiri posse. Ibidem distinctione 28.

DE INFERNO.

De lymbo patrum ait Petrus Alphõsus: In Genesi namq; de Iacob legitur, quòd à filijs & filiabus suis ad consolandum eum super filio suo Ioseph congregatis, noluit consolari, dicens: Quia descendam ad filium meum lugẽs ad inferos. MOSES: Hoc sanè Iacob secundum corpus dixit. Per inferos enim terram, in qua sepeliuntur omnes, intelligi uoluit. Ac si diceret: Quousq; moriar, & in terra cum filio meo sepeliar, quin & in interitu ipso semper lugebo. PETRVS: Non est uerum quod dicis. Sciebat enim quòd filius suus in terra non erat sepultus, imò putabat quòd ab aliqua bestia esset deuoratus. Hoc ergo dixit secundum

animam: Quia ad filium meum lugens ad inferos descendam. Ac si diceret: Quia mortuus est filius meus, moriar, & ad inferos, ubi anima eius est, & omnes animæ mortuorum, lugens deueniam. Quin & hoc testatur Dauid in Psal. cũ dicit: Quis est homo qui uiuet, & non uidebit mortem, & eruet animam suam de manu inferi? Per hoc nãq; quod ait: Quis est homo qui uiuet, & non uidebit mortem? innuit nullum esse, qui non moriatur, hominem. Per hoc autem quod est, Et eruet animam suam de manu inferi? insinuat nullam tempore suo animã de inferni manu potuisse seruari. Ezechias quoq;, ut in Esaia legimus, licet bonus homo & sanctus fuerit, sicut in oratione sua testatur ipse, cum dicit: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in ueritate & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis, fecerim. licet, inquam, tam sanctus fuerit, ad infernũ tamen se descensurum esse ostendit, cum in sequentibus dicit: Ego dixi in dimidio dierum meorum, Vadam ad portas inferi. IO. Si ita est ut asseris, tunc & Patriarcharũ animæ & Prophetarum, cæterorumq; Sanctorum omnium, ante mortem illius quem Christum dicitis, defunctorum, unà cum animabus impiorum in loco uno demoratæ sunt. PET. Verum profectò est, quòd in obscuritate omnes ac tenebris: sed non erant omnes in locis pœnalibus, siue supplicijs. Nam iuxta merita sua retribuebatur singulis. Veruntamen omnes in inferno & sub iure erant diaboli. Nullus enim mortuus ab Adam usq; ad mortem Christi claustra deuitauit inferni, & hoc percipimus ex uerbis Mosi, qui cum filios Israel admoneret facere præcepta Domini, & eis prædiceret quæ inde præmia essent habituri, nihil unquam de beatitudine pollicitus est paradisi. Notum enim iam extunc fuerat omnib. neminem illum esse intraturum ante mortem Christi. tit. 10 in Dialogo. Item: Quicunq; ante mortem Christi in ipsum credẽtes obière, utiq; ipso moriente saluati sunt, sed inferni tenebras prius subière. Qui uerò post resurrectionem crediderunt, & per mortem eius saluantur, & tamen tartara nescierunt. tit. 12.

Opinionem hanc de inferno habet Honorius: Ante Christi, inquit, aduentum omnes descenderunt ad infernum. Et si Abraham cum Lazaro apud inferos fuit, quæritur quomodo diues eleuatis oculis eos à longè uiderit? Duo inferni leguntur, inferior & superior. Inferior in quo reproborũ animæ torquebantur, superior in quo electi Christum præstolabantur. De inferiori scribitur: Eruisti animam meam de inferno inferiori. De superiori autem: Educ de inferno animam meam ad confitendũ nomini tuo. In inferiori autem nouem speciales pœnæ feruntur, scilicet ignis inextinguibilis, horror frigoris incomparabilis, uermes immortales, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confusio peccatorum, uisio dæmonum & auditio insultantium, ignea uincula singulorũ membrorum. Superior autem infernus erat ultima pars terræ, loco inferno iũctus, sed à pœnis disiunctus: in quo iusti positi potuerunt à malis conspici, qui erãt in inferiori. Quidam dubitant utrum se animæ in illa uita cognoscant. Sed cum diues Abraham cognouerat, quem antea non uiderat, constat quòd mali bonos ibi cognoscant. Cum uerò Abraham diuitem cognouerit, quem antè non uiderat, patet quòd etiam boni malos ibi agnoscant. In Speculo Eccles.

Rupertus ait: Priusquam per aquam & sanguinem de latere suo profluenté ipsum conderet sacramentum baptismi, uniuersam Ecclesiam, quæ illum apud inferos expectabat, eodem sanguine redimens, eademq; aqua abluens in peccatorum remissionem. lib. 3 Comment. in Iohan. cap. 2. Et: Vniuersam populi Iudaici electionem, omnes qui iam à seculo migrauerant, à tempore promissionis, quæ facta est ad Abraham, usque ad tempus passionis eius, quia tunc saluati & ab inferis educti sunt per ipsum, cuius uenturi fidem habuerant, lib. 7. cap. 8 in Matth. Et: Vniuersam Ecclesiam, quæ illum apud inferos expectabat, eodem sanguine redemit, eademq; aqua abluit in peccatorum remissionem. lib. 3 Com. in Iohan. cap. 2. Item: Erant subter terram, scilicet apud inferos, in quadam tamen requie, Patriarchæ & Prophetæ, reges quoq; & iusti plurimi mortui, & nemo illorum poterat aut potuerat aperire librum. lib. 4 Com. in Apocal. cap. 5.

Petrus Cluniacensis inquit: Descendisse ad inferna? De quibus innumerabiles sanctorum animas eruens, & beatitudini æternæ restituens, impleuit quod solennis prophetia prædixerat: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne. libro primo contra Petrobusianos, epistola secunda.

DE PVRGATORIO.

Ignem purgatorium contra uerbum Dei asserit Rupertus lib. 2 in Leuit. capite 42. fol. 175.

Petrus Cluniacensis ait: Quæ purgatio ab æterna damnatione secernens, aut per occultũ Dei iudicium geis illis pro qualitate

tate reatuum exhibetur, aut per inexhaustã eius bonitatem, Ecclesiæ sacrificijs, orationibus, eleemosynis, & his similibus recompensatur: quia manet uerax ueritatis sententia, remitti peccata, hoc est, pœnam peccatorum, aliquando in hoc seculo, aliquando in futuro. libro 1 contra Petrobusianos, epistola 2.

Lombardus inquit: Qui uerò non adeò conteruntur corde, & ingemiscũt pro peccato, si ante expletionem pœnitentiæ discesserint, ignem purgatorium sentient, & grauius punientur quàm si hic implessent pœnitentiam. lib. 4. dist. 20. Item: In igne autem illo purgatorio alij tardius, alij citius purgantur, secundum quod ista pereuntia magis uel minus amauerunt. Ibidem distinctione 21.

Hildegardis ait: Quædam animæ sunt, quæ cumulum damnationis habentes à scientia Dei proiectæ sunt, & ideo infernales pœnas sine consolatione ereptionis habebunt: quædam autem in obliuione Dei nõ existentes, sed in superioribus examinationibus purgationem peccatorum suorum, in quibus prolapsæ sunt, recipientes, tandem absolutionem uinculorum suorum sentiunt ad requiẽ ereptæ peruenientes. lib. 1. uisione 2. Item: Dominus ostendit Mechtildi purgatorium, in quo diuersa uidit tormenta, quasdam etiam animas uidit de igne cõbustas & deformes, pro quibus dum illa orasset, continuò liberatæ, quælibet formam & habitum suum, qualis fuerat in terris, recipiebat, & in hortum de quo priores animæ ereptę transmigrauerunt. libro quinto, capite 9.

DE RESVRRECTIONE.

De pueris Lõbardus eã habet opinionẽ: Puer qui statim post ortum moritur, in illa statura resurget quam habiturus erat, si uiueret usq; ad ætatem triginta annorũ, nullo uitio corporis impeditus. Vnde ergo illa substantia, quæ adeò parua fuit mortua, in resurrectione tam magna erit, nisi sui in se multiplicatione? lib. 2. dist. 30.

DE EXTREMO *iudicio.*

Opinionem de extremo iudicio eam recitat Honorius: Huius (scilicet filij Dei ad extremum iudicium) aduentum Enoch & Elias pręuenientes, eum mundo uẽturum prẽnunciabunt, sicut olim prophetæ nasciturum prædixerunt. Per quorum prædicationem Iudæi ad uesperam mundi ad fidẽ conuertentur, famem uerbi Dei patientur, atque ut canes ciuitatem, scilicet Ecclesiã, circuibunt, & micas sermonum Dei de mẽsa Christianorum colligere cupient. In Speculo Eccles.

Lombardus ait: In forma utique serui iudicabit: quę omnibus in iudicio apparebit, ut uideant mali in quem pupugerunt. Diuinitatem uerò eius mali non uidebunt. Vnde Esaias: Tollatur impius, ne uideat gloriã Dei. Humanitatem uidebunt, ut timeant: diuinitatem uerò non, ne gaudeant. Diuinitas enim sine gaudio uideri non potest. lib. 4. dist. 48.

Hugo Eterianus ait: Veniente autem Domino ad iudicium, præcedet ante eum igneus fluuius cum multo impetu, quasi mare plenũ uentis & æstuans: quo facies mundi ardebit, & cœlum & terra non secundũ substantiam, sed secundum formam peribit, tum & mare. Æther dissoluetur, stellæ cadent, sol conuertetur in tenebras, & luna: cœlum sicut liber inuoluetur. Veruntamen ut quidam sanctorum asserũt, tantum ascendet ignis in iudicio, quantum ascenderunt in diluuio aquæ. At uerò ille ignis malorum qui reperti fuerint, erit consumptio, bonis nullam inferens læsionem. capite uigesimoseptimo de Regressu animarum ab inferis.

CAPVT V.

DE HÆRESIBVS.

QVID faciat hæreticum, Petrus Cluniacensis docet, inquiẽs: Sola pertinacia, Ecclesię doctrinæ resistens, hæreticum facit. epist. 2.

Hæreticos splendidos titulos præ se ferre, ait Rupertus Tuitiensis abbas: Hęretici, inquit, quasi de suo cœlo fulminantur, dum sequaces Apostolorũ se esse simulantes (aliter enim non audirentur, nisi Apostolici esse putarentur) simulantes ergo Apostolicã se tenere uel proferre doctrinam, tanti Apostoli testimonio desuper ut aduersarij feriũtur. lib. 1 Com. in Euang. Iohan. cap. 1.

De utilitate hęresium inquit Petrus Cluniacensis: Dilatabitur ergò, non angustabitur: purgabitur, non inficietur, auxilio diuini spiritus Ecclesia, cũ illud quod ab aduersa parte opponitur, studiosius discutietur, subtilius inuestigabitur, perfectius inuenietur, robustius defensabitur. epist. 2.

Quomodo sint habendi, indicat Rupertus: Hæretici, inquit, qui se sciderunt ab Ecclesia catholica, rectè dicũtur familia Ægypti, & reputãtur inter gentes: nec super eos erit imber, sed ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes. lib. 5. cap. 14. in Zachariã.

DE PETROBRVSIANIS.

PEtrus de Bruis, & Henricus ipsi succedens, quasdã sententias protulerũt in mediũ, unde refutatores ipsis hęresin impegerunt,

gerunt, eamq; ex ipsorum nominib. insigniuerunt. Fuerũt aũt uterq;, ut uidetur, homines nõ indocti, neq; ab omni pietate alieni. Nam uiderunt non pauca absurda palá in Ecclesijs passim proponi. Deinde superstitioné in téplis, præter omné necessitaté, maximis sumptib. ædificandis, Missam, inuocatiões mortuarũ creaturarũ, & fœdá idololatriá in imménsum excrescere, sagaci iudicio perspexerunt. Falsas igitur quasdá opiniones, & abusus quosdá taxantes, incurrerũt in odiũ & reprehensioné eorũ, qui uel corripi noluerũt, uel metuerũt, ne amplissimi ipsorũ quęstus corruerét & extenuarentur. Inde postea fortè istis monitorib. plura, q̃ par erat, uti solet plerũq; in hoc prauo mũdo accidere, afficta sunt. Professione aũt sacerdos alter, alter uerò monachus fuit. Cluniacensis 2. epist.

Docuerunt aũt hi uiri in Gallijs in Septimania in Arelatensi, Ebredunensi, Diensi & Vuapiciẽsi episcopatib. Inde aũt pulsi, Nouempulaná seu Gasconiá & Narbonensem prouinciam sua doctrina repleuerũt: in primis uerò Tolosæ publicũ docendi locũ habuerunt, ut Petrus Cluniacẽsis testatur, ex quo pleraq; nobis sunt petenda.

Annos porrò circiter uiginti Petrus de Bruis publica uoce in eiusmodi res inuectus est, ut Cluniacẽsis annotat. Vtiná uerò ipsius Petri scripta extarét, ex quibus multo rectius facere iudicium liceret, quá ex illis, qui in defensionem põtificiarum abominationum conspirarunt.

Post Petrũ de Bruis damnatũ & concrematum, Henricus animo præsenti eadem ꝓfitetur. Fuit enim is synergos Petri, & habuit alios suę doctrinę ὁμοψήφους nõ paucos. Scribit aũt Cluniacensis, eum plura dogmata addidisse cũ suis socijs, ut fieri solet: qua de re postea.

HYPOTHESES.

1.

De Baptismo.

Infantes non baptisari aut saluari aliena fide, sed oportere sua, id est, propria fide baptisari & saluari. Cluniacẽsis 1. epist. Seu: Baptismũ sine propria fide nõ saluare. 2. epist.

2.

Fidé propriá sine Baptismo nihil posse.

3.

Paruulos infra ętaté intelligibilé cõstitutos, Baptismo Christi nõ posse saluari. Clu. (1. epist.

4.

Baptisatos in infantia, postea adultos iterum baptisandos: neq; uerò ibi rebaptisari eos, sed rectè potiꝰ baptisari. Pet. Clu. 2. epi.

5.

De Cœna Domini.

Corpus & sanguiné Christi in theatrica Missa non offerri, neq; eam oblationé fieri pro animarum salute. Clun. 1. epist. Item, altaria destruenda. Clun. 2. epist.

6.

Doctriná de speciebus sacraméti, ipsis nimirũ substátijs mutatis, esse falsam. Clu. 2. (epist.

7.

Cœnam sacram non dandá nunc hominibus, quia semel tantũ Apostolis sit data à Christo. Clun. 2. epist.

8.

Pro defunctis.

Sacrificia, id est Missas, orationes, eleemosynas, & reliqua uiuorum opera pro defunctis, esse stultitiá & impietatem, nihilq́; eis prodesse. Clun. 1. epist.

9.

De Coniugio.

Sacerdotes & monachos debere uxores potius ducere, quá impudicitię fornace cõburi, aut scortari. Clun. 2. epist.

10.

De Cruce.

Cruces non adorandas aut uenerandas. Et tot cruces superstitioni seruiẽtes, potiùs amouendas, quàm retinẽdas. Clun. 1. epist.

11.

De Templis.

Templa tot tantisq; sumptib. nõ extruẽda, & extructa (fortè quę non sunt necessaria ad cõuentus sacros, in quibus audiatur uerbum Dei) diruenda. Clun. 1. epist.

12.

De Cantionibus & instrumentis.

Canticis illis in templis, quæ monachi aut sacerdotes personant, Deum irrideri.

Musicis modulis Deũ nõ posse mulceri.

13.

Die Dominica & alijs licitum esse uesci carnibus. Clun. 2. epist.

14.

De Scriptura.

Famam esse de ipsis, ait Clun. quasi non integrũ canoné, hoc est, nõ oĩa scripta Veteris & noui Testaméti recipiãt. Item ait, eos Euangelium tantũ recipere. Clun. 2. epist.

15.

Soli Canoni credunt. Patrũ uerò scripta non habent pari autoritate cum sacra Scriptura. Clun. 2. epist.

Has sententias Cluniacensis quidé ipsis adscribit. Quòd si aũt scripta istorũ cõcionatorũ extarent, fortè semetipsos à nota hęreseos uel in totũ, uel in quibusdá certè uindicarent. An enim sint illa omnia pro hæresibus condemnanda, quæ ipsis tribuuntur, postea erit nonnihil aspergendum.

CONFVTATIO.

Suscepit aũt refutationé istarũ sentẽtiarũ Petrus Cluniacẽsis, ingenté zelũ prę se ferens.

rens. Iudicat enim nō tantū stylo cōtra istos doctores ꝓcedendū, sed ut uerba ipsius sonant, ui etiam armata per laicos exturbandos ipsos esse. epist. 1. Nam duas cōtra istos concionatores effudit inuectiuas uehemētissimas, quæ etiamnum extant. Videamus autem singulas hypotheses, & quid abbas ille responderit, paucis expendamus.

De 1. Hypothesi.

Proculdubiò isti uiri protulerūt illud Abacuc. 2. Rom. 3. Iustus fide Sua uiuet. in quo dicto emphasis est singularis in Pronomine. Deinde, q̄ Christus dicat, Quicūq; crediderint & baptisati fuerint. Tertiò, q̄a fides est organō, quo apprehenditur salus illa ęterna, sicut inq̄t Christus: Qui credit in me, habet uitā ęternā. Quartò & hoc monuerūt, uidendū, ne in syrtes quasi dubitationū cōijciatur homo ea ratione, q̄ debeat alienæ fidei inniti. Nusquā enim Scriptura sacra dicit, Ecclesię fide, hoc est, aliena saluari, seu remissionem peccatorum & iusticiam coram Deo accipere quenquam.

Quid ad hęc Cluniacēsis? Ait, regulū fide impetrasse filio sanitatē, Archisynagogū filię, Marthā fratri, portatores paralytico. Deinde inq̄t, nephas esse credere, ut relictis animab. corpora Saluator saluarit. Tertiò enumerat testimonia sacrę Scripturę: Oīa possibilia credēti. Quicq̄d petieritis credentes, accipietis. Si habueritis fidē sicut granū sinapis. Quintò, Petrus fide Tabithā resuscitat. Itē: Saluatur uir infidelis per mulierē fidelē.

Atqui nō sequitur: Fides impetrat alijs beneficia. Ergo & aliena fide alius saluatur. Nā aliena fides orat quidē pro alio, & impetrat ut alius quoq; dona uel spiritualia uel corporalia cōsequatur, & in primis ut & alij ꝓpriā fidē concipiāt, qua saluētur. Nā textus clarior sole est, Iustus fide sua, hoc est propria uiuit. Deinde nō tantū fides gestatorū, sed eorū omniū exponitur, quibus cū habebat rē Christus, cuius quidē cœtus & ęgrotus aliqua erat pars. Ideo sic eū cōpellat: Cōfide fili, uel sis bono animo, remittūtur tibi peccata tua. Quomodo aūt potuisset habere bonū animū, si fide ꝓpria destitutus fuisset? Pręterea licet impetrata sint corporalia beneficia nondū cōuersis: tamē postea instituti sunt, ut & fide sua remissionē peccatorū per Christū acciperēt, quotquot quidē salutē adepti sunt. Cętera quoq; impertinentia esse, quæ abbas adfert, quis non uidet?

Porrò infantes & pueros qui baptisantur, nō absq; omni fide esse, ista testimonia ostēdunt. Matt. 18. Qui scādalisauerit unū de pusillis istis, qui in me credunt. Itē inquit: Taliū est regnū cœlorū. sed regnū cœlorū, seu remissionē peccatorū & uitam ęternā, non posse absq; fide accipi, Christus certissimus testis est, inquiēs: Qui credit in me, habet uitā ęternā: qui uerò nō credit (audi, qui non credit) nō habet uitā ęternā, sed ira Dei manet super eum. Ioh. 3. Non autem ibi ullam ætatum facit distinctionem Christus.

De 2. Hypothesi.

Vix uidetur uerisimile, tam fuisse crassos istos doctores, ut negarint apertè, fidē sine Baptismo nihil posse, ubi Baptismus haberi nequit. itaq; per iniquā collectionē, ut moris est, uidetur tale quippiā ipsis affictū esse. Si uerò aliqui inter ipsos hęc asseruerunt, iustè reprehenduntur exemplis martyrum.

De 3 & 4. Hypothesi.

Sic an docuerint isti homines, pueros baptisatos in infantia, iterū baptisandos esse, postquā adoleuerint, nō est certū. Nam maleuoli ꝑ uitiosas cōsequētias quędā cōmenti sunt. Sed si qui fuerūt ita sentiētes aut docentes, rectè eos refutat abbas, inquiēs, oēs paruulos in Adam mori, sed nullos nisi in Christo uiuificari. Itē: Nō habēt, inquit, ergo iusticiā paruuli, nisi in Christo uiuificentur. Sed si Sacramentis à Christo institutis, eis subuentū fuerit, iniusti nō remanēt: quia secundū pręmissas autoritates, ꝑ unū Christū oēs homines iustificātur: neq; mortui pseuerāt, quia in Christo oēs uiuificātur. Clun. 2. epist. Itē: Hoc mundus discat, hoc hęreticus sapiat, hoc catholicus recognoscat, à Saluatoris populo, qui saluat populū suum à peccatis eorum, ipsa ratione cogēte, paruulos peccatores nō posse excludi, cum intra amplissimū misericordię eius sinū meruerint etiā magni peccatores admitti. Ibidē.

De 5. Hypothesi.

Ratio Petrobrusianorū contra sacrificiū Missæ fuit, quia iuxta Paulū, Christus unica oblatione cōsummauerit sanctos, nec opus sit Christum sępius ratione sacrificij offerri patri cœlesti, neq; hoc uspiam esse mandatum. Viderunt enim isti doctores, & detestati sunt abominandam idololatriam pontificiæ Ecclesiæ hac in parte.

Cluniacēsis uerò neruos suos omnes intendit eò, ut hac etiā in parte eos faciat hęreticos, dum ipse sacrificium Missæ, hęresin omnium abominabilissimam, partim improbè, partim stolidè defensat: quod ut uideat paululum Lector, attendat parumper. 1. Omnibus, inquit, ętatib. sacrificia fuerūt in usu: Abel, Noah, Abrahā, Iob, Moyses seu ordo sacerdotalis, Salomon, Helias, sacrificarunt. Ergo & iam debemus sacrificare. Vt quid, inquit, prohibentur filij sequi patres suos? Item: Mirum si Christiani à sacrificijs uni Deo offerendis arcentur, cum patriarchæ, prophetæ, Iudæi, gentiles, fideles, ab ipso Deo ipsi Deo sacrificare cogantur. Mirum nunc primùm de mundo diuina auferri sacri-

ri sacrificia, cum nunquã mundus in retroactis generationibus suis absque sacrificiorum sacris fuerit.

2 Quatuor sunt sectæ in mundo, Christianorum, Iudęorũ, Saracenorũ, & Paganorũ. Sed Iudæi, Saraceni, Pagani, non habent uera sacrificia. Ergo necesse est Christianos ea obseruare. Ratio cohærentiæ est, quia in locũ Iudęorũ recepti sunt Christiani. Valet autem argumentatio à baculo ad angulum.

3. Afferte Domino patrię gentium, afferte Domino gloriam & honoré, afferte Domino gloriam & nomini eius, tollite hostias, & introite atria eius. Et Esaias: Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et Malachias: Ab ortu solis usq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituũ. R. Verũ loquitur Dauid pro more sui temporis, Esaias uerò de adoratione: Malachias propagationem & confessioné Euágelicę doctrinę appellat oblationem. Nihil hic audis de oblatione Christi per sacrificos facienda.

4. Sicut lex, ita & sacra, sacrificia, cultus à Iudæis ad gentes translata sunt. Clun. 2. epist. Ergo Christus est sacrificandus in altari. R. O insulsitaté. Christus inquit: Lex & Prophetæ usq; ad Iohannem.

5. Hoc facite in mei cõmemorationé, inquit Christus. Ergo Christus est sacrificandus in altari. R. Nemo has ineptias rideat, quia seuerus abbas seueriter loquitur. Idé autem sunt abbati commemoratio & sacrificiũ, cũ tamen Christus in Cœnæ distributione, non sese sacrificaret patri cœlesti, sed distribueret discipulis edendũ atq; bibendum corpus & sanguinem suum.

Iterationé sacrificij sic probat, Postquam dixit, Hoc facite: statim addit, In meam cõmemorationé. Hęc est ergo causa sacraméti, cõmemoratio Christi. R. Quid uerò hæc uerba ad iterationé sacrificij? Nam ea manifestè spectant ad distribuentes, & ad edétes atq; bibentes, non ad offerentes.

Postea Transsubstantiationem, hoc est, conuersionem panis in corpus suum, & uini in sanguinem suũ, fieri asseuerat quidé, ac Deo possibilem esse contendit abbas: uerũ quòd ea fiat, nõ probat ullis testimonijs sacrę Scripturę. Nõ enim est disceptatio de omnipotétia Dei, sed an Deus eá fieri uelit.

Rationes quibus Transsubstantiationem munire conatur, sunt istæ.

1. Quia Christus uoluit. Ná inquit, in memoriam sui hoc fieri debere. R. Nota aũt grámaticá Monasticá. Memoria Christi, & Sacrificium Christi, idem huic sunt.

2. A miraculo: Aquam enim in uinũ potuit mutare.

3. Ab exemplis aereis: Quia ex nubibus grandines, niues & pluuiæ gignuntur, hoc est, aliud in aliud mutatur.

4. Ab exéplis aquaticis: Quia coralius lapis de ligno fit lapis. Nota physicum.

5. Ab exemplis terrestribus: Quia de fœno & filice uitrum cõficitur, ex aquis crystallus.

6. Ab homine: Quia panis in homine fit caro. ô luculentissimum exemplum. Hic in Physicæ penetralia & anatomen hominis excurrens Cluniacensis, triumphum canit omnibus inflatis tubis.

Ergo, inquit, panis & uinũ in Cœna quoque mutantur in sua substantia, seu transsubstantiantur. Quis uerò ineptiora argumenta somniare, seu per iocũ effingere pósset, quàm iste monasticus declamator seriò effutit? Non enim probat euidenter, quòd Christus uelit transsubstantiationé fieri. Et reliqua exempla omnia nõ conuincunt, in Cœna sacra itidé transmutationé fieri. Paulus sanè inquit, elementorũ substátias manere in ipso usu, quando inquit: Probet seipsum homo, & sic de pane isto edat, & de calice bibat. Dũ igitur abbas laborat hęreses inscitè debellare, ipse hęreses crassas gignit, & bombũ uerborũ perridiculum edit.

De 6. Hypothesi.

Species, inquit Cluniacensis, ac formam manére, licet substantia panis & uini mutetur: id quoq; operosè probat Deo possibile esse, per exempla similia: ut ex aqua fit crystallus, lapis nimirũ, manente specie aquæ. Sic salis gemma est lapis, cũ tamen fuerit aqua, cuius forma reliqua fit. Sic de aceto idé est iudiciũ. Atq nõ de possibilitate Dei, uerũ an Deus hoc uelit in sua Cœna fieri, quæstio est. Nec probatur ulla syllaba, Christum uelle, ut mutentur substantię elementorum, idolo tantùm ipsorum residuo. Sic septa transilit monachus.

De 7. Hypothesi.

Valde metuẽdũ est, ne uel ex rumore incerto, uel iniqua affictione hoc istis doctorib. attributũ sit. Ná missę sacrificiũ seu oblationem impugnarunt, idq; semel tantũ per Christũ peractũ esse, nec licere repeti tradiderunt. Inde ut uerendũ est, alij criminati sunt, eos usum Cœnę sacrę legitimũ, simul eadẽq; opera Ecclesię Christi subtraxisse. Si uerò ita senserũt ac docuerunt, sacrá Cœná nulli Christiano porrigendá, quia Christus unica actione, qua Apostolis eá distribuit, rem omné cõplerit: iustè reprehẽsi sunt, ac rectè abbas opponit ista Christi uerba, Hoc facite in mei cõmemorationé. Et rationem addit: Baptismo & Euangelio concesso, necesse esse, altaris quoq; sacraméntũ (sic enim nominat) concedi. Item: Quid enim? Nunquid apostolus Paulus Cœnę illi Domini-

cę, de qua loquimur, interfuit? Nunquid q̄n discipulis dictum est, Accipite & comedite, hoc est corpus meum, & accipite bibite, hic est sanguis meus, & hoc facite in meam cõmemorationẽ: præsens adfuit? Quid tamẽ in epistola 1. ad Corinthios dicit? Audite. Calix (inquit) benedictiõis cui benedicimus, nõ'ne cõmunicatio sãguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? Nunquid & ipsi Corinthij Cœnę illi iã dictæ interfuerũt? His tamen ait ipse Apostolus: Non potestis calicẽ Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensę Domini participes esse, & mẽsę dęmoniorum. Videtis Apostolum post ascensionẽ Domini ad fidẽ conuersum, calici benedictionis benedicere, eundemq́; calicẽ cõmunicationem sanguinis Christi uocare? Cernitis eundẽ panẽ frangere, & ipsum panẽ participationẽ corporis Christi dicere? Auditis Corinthios posse quidẽ calicẽ Domini bibere, sed nõ cum calice dæmoniorum? posse mẽsę Dñi participes esse, sed nõ mensę dæmoniorũ? Nec Apostolus tamen Paulus consecrans corpus & sanguinẽ Domini, Cœnæ Domini interfuit: neq; Corinthij idem corpus & eundem sanguinem de mensa Domini accipientes, eidem cœnę interfuerunt. Cluniacensis epist. 2. Item: Quicunq; (ait) mãducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Et consequenter: Probet aũt (inquit) seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quid uos ad ista? Quicunq; (inquit) mãducauerit, quicunq; biberit. Nõ hic uel ille, sed quicũq;. Et probet seipsum homo, non tantũ Corinthius homo, nõ Romanus homo, non Græcus homo, nõ Latinus homo, sed homo. Et quid aliud, quàm omnis homo? Nã quod indefinitè posuit, quid aliud q̃ infinitũ hominẽ ostẽdit? Ibidẽ.

Docet prętereа magnas esse causas, cur ad esum corporis, atq; potionem sanguinis sui, instituerit hanc cœnã: qua de re alibi.

De 8. Hypothesi.

Vnicam duntaxat rationem, qua usi sunt isti doctores, contra receptum errorem de suffragijs pro defunctis, Abbas profert: utpote quia morientes omne meritũ secũ auferant, nec posse illis hoc imminui uel augeri. Verùm plures sine dubio protulerunt, quas uel transilijt sciens, uel ignorauit. Est & illud dignum obseruatione, quòd spõte sua ter in ea ipsa epistola fatetur, catholicos quosdam de sacrificijs & orationibus pro defunctis dubitare.

Iam audi confutationem ueritatis, quibus rationibus falsitatem stabiliat.

1. Quia Euangelium dicit, remitti peccata non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, Matth. 12. Sed crimen falsi hoc in loco cõmittitur. Nequaquam uerò hoc affirmat Christus, sed inquit, nõ remitti neq; in hoc neq; in futuro seculo: id est, ut Marcus interpretatur, nunquam in æternum.

2. Ab exemplis: Quia Christus uiuus mortuis, & mortuus uiuis profuit. Ergo sacrificandum & orandum pro defunctis. O' ineptam argumentationem.

3. Quicquid ab ea Ecclesia, quę Euangelium tradit, cum Euangelio traditum est, inuicta ratione cogẽte (sic enim loquitur) suscipiendum est.

Sed ea Ecclesia tradit, diuinis sacrificijs, sacris orationibus, alijsq́; pietatis operib. fideles in carne uiuentes, alios cum signo fidei & spei Christianę carne exutos, iuuandos esse.

Ergo pro defunctis sacrificandũ, orandũ & operandum est. Maior aũt uacillat, iuxta illud: Si quis aliud euangeliũ docuerit. Galat. 1. Iam porrò Minoris fulcra obseruẽtur.

4. A' testimonijs Scripturæ sanctę. 2. Machab. 2. Iudas fecit collationem duodecim mille drachmarum, ut Hierosolymis pro mortuis fieret oblatio. R. Sed sunt ne omnia facta sanctorũ probanda? Das factum, da potius regulam, pręterea nutat sua autoritate liber.

Esa. 8. Nunquid non populus à Deo suo requirit pro uiuis ac mortuis? Est aũt falsa allegatio textus. Nõ est enim copula Ac in textu: sed, El, ad mortuos, seu ut habet uetus translatio, pro uiuis à mortuis. Carpit enim propheta stoliditatem, quòd fascinati homines potius per incantatores consulant mortuos de rebus suis, quàm uiuos.

1. Corint 15. Quid faciũt, qui baptizantur pro mortuis? Textus habet, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, super mortuis. Nam ritum attingit Paulus, quòd super monumenta defunctorũ baptismus sit administratus in testimonium resurrectionis mortuorum.

Actor. 9. Petrus Tabitham precibus resuscitat: cap. 20 Paulus Eutychum. Ergo pro defunctis sacrificandũ & orandũ est. Fac tu mi Abba similiter, & eris Petrus & Paulus.

Ioh. 14. Qui credit in me, opera quę ego facio & ipse faciet, & maiora his faciet. Ergo uiuorum precibus succurrendũ est mortuis. Quis uerò ista concordabit?

5. Ab exemplis Ecclesiæ post Apostolos: Fronto Petrogoręsis à Petro apostolo missus in Aquitaniã, sociũ Georgiũ ultra decẽ dies mortuũ, pedo Apostoli resuscitat. Maurilius Andegauẽsis Renatũ puerũ, qui septẽniũ in monumento iacuerat, uiuificat. Vbi uerò autentica harum rerum testimonia? in fumibulis monachorum scilicet. Ergo pro defunctis

defunctis sacrificandum & orádum. Sic scilicet abbas ebuccinat, risum teneatis amici, est consequentia monastica.

7. Ambrosius, Augustinus, Paulinus, Gregorius, sacrificia, orationes & eleemosynas ꝓ defunctis docét. Ergo sic est. Sed ex quib. fundamétis? Hic mut9 est uenerabilis pater.

8. Est cõsuetudo Ecclesię. Sed si quis cõtrà inferret, est nęuus seu error illorũ, q nominetenus uolũt esse Ecclesia. Adstruit quoq; abbas inuocationé mortuorum hominum.

Hæc in conspectũ proferuntur, ut fundamenta iuxta uerbũ Dei æstimentur, nec patiatur se quisquam fascinari aut dementari consuetudine uel breui uel longa, persona uel humili uel alta. Habeat locum potius uox cœlestis, Hunc audite.

De 10. Hypothesi.

Reprehendisse uidentur Petrobrusiani fœdũ abusum seu superstitioné in adoratione & cultu crucium, in immensum crescenté, iustis ac pijs rationib. Sed uulgus nõ rectè perceptis fundamétis rerũ, fortè immoderatè se alicubi gessit hac in parte. Ea uerò accidétia potius, q̃ res ipsas idololatrę põtificij ꝓ more suo ꝑpetuo arripiétes, pro suis superstitionib. cõseruádis atq; ornandis, cœlũ terræ miscendũ duxerunt. Sic noster Cluniacensis uehementé atq; effusam prorsus instituit inuectiuá, & probare conatur, crucé Christi & uenerandá & adorandá esse, idq; tam frigidis argumétis, ut se potius idololatrá prodat, quá adorationé & cultũ ligneæ crucis iure taxantes cõuincat. Sed audi spumas abbatis.

Moses, inquit, signauit ostia Hebræorum signo crucis: misit lignum in aquam: bis ꝑcussit silicem. Sarepta duo ligna colligit. In Ezechiele frõtes litera Thau signátur. Hæc ex ueteri Testamento. Ergo crux est adorá da & uenerάda. O' cõsequentiá stolidá, & putridis ouis digná. Quid enim ista ad ré?

Ex nouo Testaméto hęc afferuntur: Inimici crucis Christi, quorũ finis interitus: Philip.3. Absit mihi gloriari, nisi in cruce Christi: Galat.6. Recõciliauit ambos in uno suo corpore Deo per crucé: Ephe.2. Quę sit crucis eius latitudo: Eph.3. Apparebit signũ hominis in cœlo: Matt.24. Ergo crux est adorá da & coléda. Quis aũt non uidet, hanc illationé esse insulsissimá? Ná Paulus Metonimικῶς crucé pro passione & merito Christi accipit. Ille uerò noster ꝓ lignis trásuersim sibi aptatis, qualia ad effictionem patibuli, ex quo agnus Dei suspésus fuit, architectus parauit, interpretatur. Etsi auté adorationé crucis ligneæ mitigare nõnihil conatur, q̃ non tá lignum, quá ille qui ab eo pepédit, salutis totius mũdi gratia, adoretur: tñ eam idololatriá confirmat, lignũ esse colendũ & adorandũ: & quidé nõ modò dulia, sed etiá latria, quæ alioqui soli Deo cõpetat. Ná sic inquit: Idcirco aũt hoc priuilegiũ cruci Dominicę datũ est, ut in creaturis sola post filiũ hominis, qui & filius Dei est, adoranda esse credatur, quatenus in morte Dñi, quá in cruce passus est, finé summáq; salutis humanæ constitutá esse sciamus, & nequaquá more infideliũ de cruce ac morte eius nos erubescere, certis & ꝓcipuis humilitatis indicijs doceamus. epist.2. Obserua lector lignicolá.

Refutat porrò abbas hanc rationé Petrobrusianorũ, quòd ideo cruces nõ sint adorádæ aut colédę, quia crux fuerit torsio Christi: perinde ut gladius, quo necatus esset parens, non esset in honore habendus. Hic tragœdiá, inquimus, occœptat, prolixè docés, nõ instrumenta, sed autores potius malefactorũ odio atq; pœnis dignos esse. Sed hæc fortè fuit una ratio illorũ doctorũ inter alias, quę lõgè grauiores hac fuerunt, quas sicco pede trásilit refutator. Ac uidétur hác suá rationé tantũ opposuisse stolidę illi & impię adorationi ligneę crucis. Equidé satis apparet ex hisce epistolis, Cluniacésem nõ tam scripta omnia istorũ hominũ excussisse, aut corá cũ ipsis contulisse, quá rumores aut aduersariorum delationes, quæ quales esse soleant, omniũ temporum historiæ ostendunt: aut mutilata tantũ scripta excepisse, & mox bilem omné in eos expuisse.

De 11. Hypothesi.

Et multitudiné & sumptus inutiles iustè reprehenderũt isti doctores, & quędá inutilia ędificia diruerunt: necessarias uerò domos ad cõuentus publicos obseruádos, retinuerũt, ut apparet. Ratiões aũt ꝓtulerũt, quia Ecclesia Dei nõ cõstat multitudine cohęrentiũ lapidũ, sed unitate cõgregatorum fidelium. Similiter altaria tot tanquá sumptuosa & sup̃stitiosa, duxerũt nõ necessaria.

Sed abbas põtificius simpliciter pro templis & aris bellũ suscipit gráde: sed quomodo? Cõquirit altaria ueteris Testaméti. Noha, Abrahá, Isaac, Iacob altaria ędificasse, inquit, Mosen quoq; cõplura. Ergo altaria esse ædificáda Christianis quoq;. Verũ nõ est eadé ratio. Ná abolita sunt sacrificia ꝑ Christũ, ergo & altaria illa. De téplo inqt abbas, Dauidé templũ uoluisse extruere, Salomoné uerò extruxisse. Christũ. Apostolos in téplũ ascendisse. Christianos omnib. ætatib. tépla cõdidisse. Imò Petrũ Romę téplũ construxisse & ædificasse: si credere fas est. Sic alij successores. Ergo scilicet tá ꝓdigiosus numerus templorũ est extruendus. idq; immésis sumptib. qui rectius in pauperes collocarétur. Hęc partim malè accõmodátur, partim stulta, partim falsa sunt, id qđ quilibet Christianus facilimè iudicare poterit.

De 12. Hypothesi.

Apparet hosce doctores non tam ipsa cantica, quæ nota lingua piè in tēplis canūtur, q̃ ritū huius tēporis, q, in tēplis iuxta certas leges boarētur cantica in lingua peregrina, nō intellecta, tantū cultus gratia, reprehendisse. Hoc enim abusu nominis diuini, rectè asseuerarunt Deū irrideri: quia sine intellectu, sine mēte, sine fide, inanes mugitus boum, aut ruditus asinorū fuerunt. Rationem ipsorū sic Abbas ponit: Irrideri Deum canticis Ecclesiasticis: qa qui solis pijs affectib. delectatur, nec ALTIS uocib. aduocari, nec musicis modulis potest mulceri. Hæc ille.

Quid noster ille ad illorū obiecta? pulchrè dissimulat statū rei, ac simpliciter cōtendit, esse cantandū, idq; ex Psalmis: Cātate Dño canticū nouū, cātate Dño omnis terra. Cantate Dño, & benedicite nomini eius. & iterū: Cantate Dño canticū nouū, quia mirabilia fecit. Et rursus: Omnes gētes plaudite manibus, iubilate Deo in uoce exultationis. Et in eodē: Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite, quoniā rex omnis terrę Deus: psallite sapienter & bene, psallite ei in uociferatione: & mille talia. Hoc quidē de cātu uocis humanę. Atq boatu rudiū asinorū, sine cerebro & sine fide rudētiū, nō irrideri Deū, hoc erat liquidò ꝓbandū. Sed uentricolas suos ueretur extremo digitulo attingere, qa capitale fuisset.

In Musicis quoq; liberū esse ludere, itidē ex Psalmis docet: ut, Psallite Dño in cithara, & uoce Psalmi: in tubis ductilibus, & uoce tubę corneę. Et iterū: Laudate eum in sono tubę, laudate eum in psalterio & cithara. Laudate eū in tympano & choro, laudate eū in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis benesonātib. laudate eū in cymbalis iubilatiōis: & mille similia. Itē Mosen tubantē, Dauidē citharisantē, Heliseū psallentē producit. Sed si nō interponatur cantio in lingua nota, id uerè in uitio posuêre illi concionatores. Clun. 2. epist.

Tandem quomodo Petrū conuerterint sancti ac mites isti patres, audi. Cum enim ad ipsorū tibias choream applicare nō posset, apud sanctum Ægidium flammis crematus est. Hæc insultanter recitat abbas.

APOSTOLICI, SEV HENRICIANI.

INuehitur Bernhardus in Sermone 65 & 66 super Cantica in eos, quos nominat Apostolicos: quia dictitabant, sese iuxta Apostolorū doctrinā uitā instituere. Verū usque adeò obscurè stylū in eos stringit, ut cōiectura satis clarè percipi nō posit, an Petrobrusianos putet, quos Cluniacensis insectatur, uel alios. In epistolis tamē Henricū percellit. Nos peculiarē locū hisce Apostolicis Bernhardi tribuamus. Fortè enim sectatores Petri Bruis alia atq; alia docuerūt.

Rusticanos aūt homines esse dicit, idiotas, prorsus contemptibiles: quos tamē aliqui de clero & episcopis, imò etiā de laicis principib. fouere dignētur. Verū hinc apparet, nō fuisse tam uiles, quā ipse proclamat.

Dogmata eorū uix delibat cursim, ut ꝓpe modū diuinandum sit, qualia fuerint.

HYPOTHESES.

1.

Infantes non baptisandos.

2.

Potestatem se habere quotidie in mensa sua corpus Christi & sanguinem cōsecrādi, ad nutriendū se in corpus Christi & mēbra.

3.

Virgines tantū matrimonio copulādas: quia Deus uirgines crearit marē & fœminā.

4.

In coniugio continentiam præstandam.

5.

Ignē purgatorium nihil esse. Ratio: quia anima soluta corpore uel ad requiem transeat, uel ad damnationem.

6.

Pro mortuis non orandum.

7.

Sanctorum mortuorū suffragia non postulanda.

8.

Episcopū esse non posse, qui peccator sit.

9.

Lac, & quicquid ex eo conficitur: item, omne quod ex coitu procreatur, non comedendum.

10.

Ecclesiam non agnoscunt, scilicet pontificiam, seq; Ecclesiam esse asseuerant.

11.

Iuramenta esse illicita.

Multa uerò coniungit Bernhardus, cum dicit, eos ordinibus Ecclesię detrahere, instituta non recipere, sacramenta contemnere, mandatis nō obedire. Id uerò nō explicatur quomodo fecerint. Sermone 65 inquit: Hæc dogmata excepta esse partim per inuestigationem, partim ab altercantibus audita, partim proditas ab ijs qui ad pontificiam Ecclesiam redierunt.

CONFVTATIO.

Satis quidem superciliosè & perfunctoriè hos refutare conatur Bernhardus: excerpēda tamē sunt nōnulla lectoris gratia.

De 1. Hypothesi.

Asseuerat infantes Ecclesiæ fide baptisari, idq; nititur exēplis ostendere, fidē alienā profuisse alijs: ut Matth. 15, Cananęæ fides prodest filiæ. Matth. 9, portantiū fides iuuat paralyticū. 1. Timot. 2: Mulier saluatur, &c. Ergo, inquit, fides Ecclesię ꝓdest baptisatis

paruulis ad salutem. Verùm illa exépla non quadrant, ut monuimus suprà.

De 3. Hypothesi.

Maritalis, inquit, copula nõ corporis requirit integritatem, sed sexuũ aptitudiné. Deinde Paulũ 1. Corint. 7. citat: Mulier quáto tempore, &c. Et uiduæ cõcedit ut nubat.

De 4. Hypothesi.

Ait, eos cogendos esse ut fœminas abijciant, & sic continentiam colant, alioqui eos scádalo esse Ecclesię. Nihil de sacerdotibus aut monachis dicit. Ideo uerisimile uidetur eum alios quàm Petrobrusianos impetere. Huc accedunt & aliæ cõiecturæ ex alijs dogmatibus & ritibus, quæ uariant.

De 5. Hypothesi.

Opponit dictum Matth. 12. peccatum esse, quod neq; in hoc seculo, neq; in futuro remitteretur. Atqui Marcus hanc phrasin interpretatur, per In æternum non.

De 8. Hypothesi.

Regerit, Caipham licet peccatorem dici pontificé, Iudam proditorem apostolum. Item Matth. 23: Super cathedram.

De 9. Hypothesi.

Tit. 2. Omnia mũda mundis, & nihil immundum, nisi ei qui putat quid immundũ.

De 10. Hypothesi.

Respondet, lumen, hoc est, uitam ipsorũ hoc non probare.

De 11: Hypothesi.

Est superstitiosa hæc obseruatio, inquit.

De constantia ipsorũ inquit Bernhardus: Nec rationibus couincuntur, quia nõ intelligũt: nec authoritatib. corrigũtur, quia non recipiũt: nec flectũtur suasionibus, quia subuersi sunt. Probatum est, mori magis eligũt quàm conuerti. Hæc ille. Ait porrò, in examine eos obiecta negasse: quia fortè alia eis obiecta fuerunt, quã docuerũt. id quod hodie quoq; põtificijs familiare est. Eos uerò, inquit, qui præstò examini fuerunt, impetu in hosce facto trucidasse: quod quidem facinus improbat. Sed indicat, magistratus gladio id perficiendum fuisse. Commemorat insuper, condamnatos ad mortem læto uultu perductos esse: id quod non Deo, sed diabolo obduranti adscribit.

Henricum hæreticũ nominat in epistola ad Hildefonsum comitem S. Aegidij, & sic de eo scribit: Homo apostata est, qui relicto religionis habitu (nã monachus extitit) ad spurcicias carnis & seculi tãquam canis ad suum uomitum est reuersus. Præ cõfusione auté habitare inter cognatos & notos non sustinens, uel potius non permissus ob magnitudinem criminis, succinxit lũbos suos, & iter quà nesciebat arripuitq́, factus gyrouagus & profugus super terram. Cumq́ue mendicare cœpisset, posuit in sumptu Euãgelium: nã literatus erat. Et uenale distrahens uerbũ Dei, Euangelizabat ut manducaret: si quid supra uictum elicere poterat à simplicioribus populi, uel ab aliqua matronarum, id ludendo aleis, aut certè in usus turpiores turpiter effundebat. Frequenter siquidé post diurnum populi plausum, nocte insecuta cum meretricibus inuentus est prędicator insignis, & interdũ etiam cũ cõiugatis. Inquire, si placet, uir nobilis, quomodo de Lausana ciuitate exierit, quomodo de Cenomannis, quomodo de Pictaui, quomodo de Burdegali: nec patet ei uspiam reuersionis aditus, utpote qui fœda post se reliquerit uestigia. Cõmemorat postea, Hostiensem episcopum à papa huius negocij causa in ea loca uenisse. Ad Tolosanos quoq; scribit, rectè eos hæreticos illos fugere prædicans.

ANTICHRISTVS.

CVm Romana sedes super omnes reges orbis terrarũ imperiosissimè sese efferret, nec tantùm Ecclesiæ antistites, uerùm omnes quoq; politici magistratus idoli Romani fastum adorarent, & in opprimédo Cæsare, quidquid ille Arctolycus sine omni iudicio atq; discrimine iuberet, facerent, non defuêre qui hanc immanem tyránidem Antichristi proprijssimas esse notas testarentur: qua de re sic Auentinus scribit.

Falsi tum prophetæ, falsi apostoli, falsi sacerdotes emersêre, qui simulata religione populum decepérũt, magna signa atq; prodigia ediderunt, & in templo Dei sedere, atq; extolli super omne id quod colitur cœperunt. Dumq́; suam potentiam dominationemq́; stabilire conantur, charitaté, simplicitatem Christianã extinxerũt. Sigebertus horum temporum scriptor, uir alioquin etiam, ut quisquam illa tempestate esse poterat, omnis diuini humaniq́; iuris consultissimus: Perniciosissima (inquit) seditio, & ut pace bonorum dixerim, hęresis omnium pestilentissima populum Christianum percellit. Sacrificuli illius, qui se dixit, pueros effœminatos, falsos prophetas, tyrannos (qualis Imperator noster, princeps optimus, non est) populo ob scelera imponere, his à Deo datis non solùm non parendum esse, uerùm etiam fraude, ui, quouis modo tollẽdos, populum Christianum docere audent: periuria, homicidia, ciuilia bella, cędes, perfidiam, pietatem uocant, huiusmodi Deo placere prædicant: sacramento rogatos, religione iurisiurandi Cæsari adstrictos exauthorant: fidem frangentes, fœdera dissoluentes, pactum præuaricantes, iuramentum uiolantes, perfidos atq; periuros non esse, sibi credi postulant. Quin eos qui

fideles sunt, qui rebellionem, incendia facere, stupra, incœstus committere, prædas agitare, proximos opprimere, occidere, compilare, sanguinē Christianum effundere, summopere cauent, in numero sceleratorū atq; impiorum computant: ceu uerò non extet perpetuum immortalis Prætoris edictum: Qui pactum soluit, non effugiet: & periuri regnum Dei non possidebunt. Pleriq; omnes boni, aperti, iusti, ingenui, simplices, tū imperium Antichristi cœpisse, quòd ea quę Christus seruator noster tot annos antè nobis cantauit, euenisse eo tēpore cernebant, memoriæ literarum prodidēre. Auentinus lib. 5. Annalium Boiorum.

Florentinus etiam episcopus asseuerauit, Antichristum iam natum esse. Sed in concilio potentia Romani pręsulis oppressus est, ut in Capite de Synodis exponitur.

Plures autem huius Antichristi notæ, natiuiq; colores, in Capite de Politia lectori ob oculos ponuntur.

SADDVCEI.

SVb Heinrico Imperatore nonnulli articulum de resurrectione mortuorum in dubium uocarunt. Erfordiensis cap. 91.

TANDEMI, SEV ADAmitarum Heresis.

ANtuerpianam ecclesiā turbauit Tandemus (Tritenhemius Tauchelinum uocat, Meyer Tanchelinum) circiter annū Domini 1124. Laicum fuisse tradūt, sed miræ subtilitatis, ut etiam disertissimis clericis faceret negocium.

HYPOTHESES.

1.

Ordines Ecclesiasticos ac sacerdotalem gradum nullius esse momenti. Sigebertus, Tritenhemius.

2.

Corporis & sanguinis Dominici perceptionem non prodesse sumentibus ad salutem: quod an de missificantibus sacerdotibus, an uerò de omnibus in genere asseruerit, non patet, nec rationes ipsius referūtur. Sigeb. Tritenhem.

Docebat euomere sacratissimum corpus Domini, in die Paschæ susceptum. Annales Flandriæ, Meyeri.

Mores.

Vestibus deauratis, atq; crinibus triplici fune intortis incedebat. Conuiuiorum apparatus amabat. Cynicā turpitudinem exercebat, sponsas in conspectu maritorum, & filias in matrum præsentia constuprans, dictitans id esse opus spirituale. Sectatores habebat uiros armatos circiter 3000, quorum opera ad sui defensionē & uindictā sibi resistentium utebatur. Multis igitur cędibus se contaminabat.

Quos fascinarat, tanta eum reuerentia colebant, ut aquam, ex qua ipse lauisset, biberent, uel ueluti sacram asportarent.

Occisus autē est à quodam presbytero, dum unà nauigarēt, capite sauciato usq; ad cerebrū. Sigeb. Tritenhe. Iacobus Meier inquit, Anathemate eū anno 1113 damnatū, atque à sacerdotio populoq; Brugēsi urbe expulsū, anno uerò 1115 occisū: in Chro. Fland.

Cum autem post eius obitum multi ex ipsius doctrina penderent, ab Episcopo & clericis, Norberto locus cū reditib. conceditur, ubi extructo cœnobio, erudiuit populū, atq; ab hæresi in suam uiam reduxit. Continuator Sigeberti, & Chronicon Hirsaug.

Hæc hęresis postea latè propagata est, ac diu durauit, sicut de Catharis suo loco exponitur.

Apud Treuirenses & Vltraiectenses Lotharium combussisse hæreticos, Chronicon Saxoniæ obscurè annotat, anno Domini 1135. Incertū autem est, quales fuerint.

DE THOMA.

ECclesiasticis uiris Thomam Marlēsem sese opposuisse, eamq; ob causam excommunicatū esse, anno Domini 1130, Iohānes Tilius refert: sed causam non exponit.

SACRAMENTARIVS.

FRācus abbas de Cœna Dñi nō rectè sentiebat, contēdens non ibi uerū corpus Christi adesse, anno Domini 1135. Sebast.

Circa idem tempus clericus Lesmoriensis in Anglia disputabat, Eucharistiam tantùm esse Sacramentum, non rem Sacramenti, quem Malachias Hybernię episcopus refutauit. Balęus Cent. 14.

ABELARDI HAERESIS.

IN Gallijs anno Domini 1140. fuit Magister Petrus Abelardus, quem Platina Baiardum uocat, Bernhardus Abailardum, ut & Phrisingensis, insignis philosophus, ingenio subtilis: is prophana nouitate uerborū & sensuum, ut loquitur Tritenhemius, Ecclesiam scandalisabat. Apparet autem, eum dogmata Ecclesiæ ad philosophiam accōmodasse, & terminis Philosophicis exposuisse. Hodie tales Philosophotheologi nūcupari solēt. Parastatē habuit & συνήγορον Arnoldū de Brixia, teste Bernhardo, & Bilbertum Pictauiensium episcopum. De præceptore istius Abelardi, ex cuius institutione nimirū plura hausit, sic scribit Auentinus: Hisce quoq; temporibus fuisse reperio Rucelinū Britannū, magistrū Petri Abelardi, noui Lyçæi conditorem, qui primus scientiā uocū siue dictionum instituit, nouā philosophandi uiam inuenit. Eo namq; autore duo Aristotelicorum Peripateticorum genera esse cœperunt: unum illud uetus locuples in rebus procreandis, quod scientiam rerum sibi

sibi uendicat, quamobrem Reales uocãtur: alterum nouum, quòd eam distrahit, Nominales ideo nũcupati, quòd auari rerum, prodigi nominum atq; notionum uerborum uidentur esse adsertores.

HYPOTHESES.

De mixtione philosophiæ & Theologiæ.

Sententiam uocum seu nominum in naturali tenens facultate, non cautè Theologiæ admiscuit.

Totum quod Deus est, humana ratione comprehendi posse dixit. Otto Frisingensis de Friderico, lib.1.cap.4.

Eandem essentiam esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum, sicut eadem oratio sit propositio, assumptio & conclusio. Ottho Phrisingensis ibidem, cap. 47. Sabellianam itaq; hæresin non obscurè resuscitauit.

Patrem esse plenam potentiã, filiũ quandam potentiam, Spiritum sanctum nullam potentiam. Ibidem cap. 49.

De Christo.

Christum non assumpsisse carnem, ut nos à iugo diaboli liberaret. Ibidem.

Non peccasse, qui Christum ex ignorantia crucifixissent. Ibidem.

De Spiritu sancto.

Spiritum sanctum non esse de substantia patris. Ibidem.

Spiritum sanctũ esse animã mundi. Ibid.

De redemptione.

Precium redemptionis euacuauit. Fasciculus temporum.

Passionem Christi ad nihil aliud prodesse, quã ad exemplum uirtutum. Gaufridus, item Erphordiensis.

De fide.

Fidem dixit esse existimationẽ: quo quidem uocabulo certitudinem Theologicæ fidei infringere uidebatur. Paulus Æmylius lib.5. sub Ludouico iuniore.

In genere de eius hæresibus Bernhardus in epistola ad episcopos & cardinales curię inquit: Legite si placet librum Petri Abelardi, quem dicit Theologiæ, ad manum est enim: cum, sicut gloriatur, à pluribus lectitetur in curia, & uidete, qualia ibi de sancta Trinitate dicantur, de genitura filij, de processione Spiritus sancti, & alia innumera catholicis auribus & mentibus dissueta. Legite & alium, quem dicunt sententiarum eius, nec non & illum, qui inscribitur, Scito teipsum: & animaduertite, quantæ & ibi syluescant segetes sacrilegiorum atq; errorum, quid sentiat de anima Christi, de persona Christi, de descensu Christi ad inferos, de Sacramento altaris, de potestate ligandi atque soluendi, de originali peccato, de concupiscentia, de peccato delectationis, de peccato infirmitatis, de peccato ignorãtiæ, de opere peccati, de uoluntate peccandi. Item epistola ad Innocentium: De uirtutibus & uitijs non moraliter, de Sacramentis Ecclesiæ non fideliter, de arcano sanctæ Trinitatis non simpliciter nec sobriè disputatur: sed cuncta nobis in peruersum, cũcta præter solitum & præterquam accepimus, ministrantur.

Vocatus ad concilium in urbe Senonensi à Lucio secundo, ad ipsum Romanũ pontificem appellauit, qua arte, ne ueniret, se liberauit: id quod tamen alij paulò aliter narrant, ut suo loco dicetur. Bernhardus sanè de hoc ad Innocẽtium secũdum scribit. Nõ multo pòst Cabiloni ad S. Marcellum obijt. Factus autem est ex philosopho monachus Cluniacẽsis: suam quoq; coniugẽ fecit monialem, proprio extructo cœnobio de suo patrimonio. Chron. Hirsaug.

Abelardi discipulus Arnoldus Brixianus, acerrimè in auariciam & fastum sacerdotũ pro concione crebrò inuectus est, quibus usq; adeò sacerdotes degeneres offendit, ut eum captum sacerdotes in crucem egerint, eaq; ratione suis sceleribus suauem securitatem pepererunt. Auentinus lib. 6.

Barns ait, eum Romanis persuasisse, ut libertatem eligendi Magistratus & administrandæ urbis repeterent, quam pontifices præter suum officiũ nefariè rapuerant. Doctrina igitur ipsius fuit, non cõpetere Ecclesiastiacis personis ciuilem administrationẽ. Sed Hadrianus quartus eũ furiosè pro hæretico damnauit.

Gilbertus Porreta Pictauorum episcopus sententiæ Abelardi quoq; astipulatus est, cumq; doctrina & acumine ingenij excelleret, ad eum confutandum Bernhardus in concilio Remensi anno 1148 accitus est, à quo refutatus palinodiam cecinit. Vincentius lib.27.cap.86.

CONFVTATIO.

Opposuerunt sese Abelardo multi doctissimi uiri, ut Bernhardus & uicini episcopi, qui in Synodis sine fructu cum eo disceptabant: interdum etiam non comparebat. Cum igitur peritia disputationum eos excelleret, ad Romanũ præsulem Innocentiũ tertiũ res delata est, qui ei silẽtiũ imposuit.

Gaufridus Antisiodorensis discipulus eius, post suam conuersionem propositionẽ de redemptione sic refutat: Tria namq; specialia Christus in sua passione nobis exhibuit, exemplum uirtutis, incentiuum amoris, redemptionis sacramentum. Quod tertium euacuanti hæretico nihil prodesse cętera potuerũt. Sine causa enim pro uirtute certauit usq; ad mortẽ, nobis patientię prębens exemplum: & sine causa exhibuit & commendauit huius immensæ dilectionis affectum,

affectum, si non recipit ab olim iam addicta captiuitas copiosę redemptionis effectum. Vincentius lib. 27. cap. 17.

PSEVDOZELOSI.

PRępostero quodam zelo nonnulli doctores Iudęos conati sunt de medio tollere rudiq́; populo factitijs miraculis imposuêre. Verũ Bernhardus restitit, dictitãs, nõ esse Deũ mendacij arguendũ, qui pollicitus sit, eorum se reliquias ad extremum usque diem seruaturum. Auentinus libro sexto annalium.

PSEVDOCHRISTVS.

ANno Domini 1148. è Britannia quidã in Gallias uenit, Eon dictus, agnomẽ de stella habens, qui asseuerabat se eũ esse, qui uenturus esset iudicare uiuos & mortuos, ad nomen suũ alludẽs. Nec aliud fundamentum suæ insanię habuit, quàm quod in Ecclesiasticis exorcismis dicitur, Per EVM, qui uẽturus est iudicare uiuos & mortuos, & seculum per ignem. Cum igitur ipse lingua Galica EVN diceretur, delirauit de sese pronomen illud, EVM, esse pronũciatum.

Sectatores suos, quosdam Apostolorum, quosdam uero Angelorum nominibus stolidè insigniuit.

Concilium autem Remis coactum est, in quo pseudochristum Eugenius tertius condemnauit: isque carceri traditus, paulo pòst extinctus est. Continuator Sigeberti. Gulielmus Neubrigensis libro 1. cap. 19. mira de eius hominis præstigijs narrat, quòd ita hominum oculos fascinarit, ut magnam uideretur hominum multitudinem penes se habere, & regijs delicijs abundare, utpote omni ciborum genere, & apparatu splendidissimo. Sic dementati homines eum magno numero comitabãtur & uenerabantur. Prouincias magna celeritate interdum peruagabatur, interdum uerò in desertis latitabat, ac nonnunquam erumpens, in ecclesias & monasteria impetum faciebat. Tandẽ uerò in concilio Remensi damnatus, cum ad supplicium duceretur, sæpius ad terram dixit, Terra findere. Sed uana uani Dei fuit iussio.

HAERESIS IN ANglia, *Publicanorum.*

TRiginta uiros è Germania in Angliã profectos esse, Polydorus meminit, quos quidem maleficos & dæmonum cultores nominat, eosq́; Baptismum, Eucharistiam & cõiugium detestatos esse affirmat. Verùm non recitat disertè dogmatum capita. Comprehensos ait & cõuictos, supplicio affectos esse. Hist. Angl. libro 13. Verùm Balęus asserit eos fuisse Christianos, uerũq́; Sacramẽtorum usum docuisse. Gulielmus Neubrigensis ait, hosce homines ex Gasconia uenisse in Angliam, atq; asseclas habuisse in Gallia, Hispania, Italia & Germania. Dux ipsorum fuit Gerardus. Vnam tantùm mulierem in Anglia seductam fuisse narrat, id quod uix uero simile uidetur. Damnati autem sunt in Oxoniensi concilio tãquam hæretici, ac magistratui traditi, qui charactere frontibus ipsorum inusto, perpetuo eos exilio multauit, ac flagris insuper cęcidit. Ipsi uerò ista animosè ferentes, istas uoces emiserunt: Beati cum uos oderint homines. Beati qui persecutionem patiũtur propter iusticiam. lib. 2. cap. 13.

CATARORVM *Heresis.*

EX Tanchelini seu Tandemi reliquijs, nonnulli se passim conglomerabant, clandestinos agentes conuẽtus. Anno 1163 quidam è Flandriæ partibus ad urbem Coloniam usq; progressi, in quodam horreo foris, cum palàm ciuitatem ingredi uererẽtur, se aliquandiu occultè continuerunt. Re patefacta, cum obseruatum esset, ipsos diebus Dominicis nullum ingredi templũ, ad iudicium trahũtur, factoq́; examine deprehenduntur fanaticas opiniones sectari.

Eius quidem cœtus primarij quasi duces erant, Arnoldus, Marsilius & Theodoricus, quibus cum Egbertus disputando postea est congressus.

HYPOTHESES.

1.

Solos se mundos & Christianos esse contendebant: reliquos uerò omnes immundos & hæreticos.

2.

Prælatos, sacerdotes, clerum, esse deceptores animarum, & laqueos diaboli.

3.

Sacramenta irridebant, & sacrosanctum corpus & sanguinem negabant.

4.

Lasciuiam cum quibuscunq; perpetratam non esse peccatum.

CONFVTATIO.

Clerus & maiores ciuitatis Coloniensis Egbertum Abbatem S. Florini in Schonaugia diœcesis Treuerensis, notæ eruditionis uirum, & sibi ex eo quo Bonnæ canonicus fuerat, familiarem accersunt: quia apud se multos quidem clericos, sed nullos habebant doctos uiros, qui istos præstigiatores refutare possent. Egbertus igitur amicis morem gerens, Coloniã uenit, publicumque disputationis certamen cum tribus eius factionis præcipuis ducibus, ut Arnoldo, Marsilio & Theodorico, suscipit, eosque licet acutissimos, conuincit. Cum autẽ summa pertinacia in suo errore perseuerarent, nullisq́; rationibus, nullis autoritatibus,

bus, ut palinodiam cantarent, adduci possent, ab Ecclesia amputati, laicisque contraditi sunt, qui eos ante portam simul iunctos flammis deleuerunt. Fuerunt autem octo uiri & duæ fœminę, quarum una utpote iuuécula liberari à supplicio potuisset, si aliorũ supplicijs territa errori spontè renunciare uoluisset: uerũ è manib. lictorũ subitò exiliés, in mediũ igné semetipsam coniecit.

Nec tamé hoc pacto hęresis extirpata est: imò Tritenhemius non ueretur asseuerare, eam postea quoq; in Bohemiam, Alsatiã & Thuringiam usq; peruasisse: neq; in inferiori Germania etiamnũ desijsse, licet ob ignis metum sese qua posit arte studiosè occultet. Chron. Hirsaug. Meminit istius hæreseos Hildegardis in epistola ad Canonicos maiores ecclesiæ Moguntinensis.

CARDENSIS HAERESIS.

QVidá de Cardona de corpore & sanguine Domini malè sensit, ut scribit Tritéhemius, licet rem ipsam non explicet planius. Dogma suũ Confluentię ac uicinis locis sparsit. Vocatus aũt Egbertus, fortè superato Tanchelino Colonię, Confluẽtiam, ibi quoq; cum hæretico subtilissimo, adeò ut omnibus doctis formidolosus esset, disputans, eũ tátis argumentorũ ponderibus constrinxit, ut statim ad ueritatis professionem hominem reuocarit. Chron. Hirsaug.

AGENENSIS HAERESIS.

NArrat Sigebertus, Tolosæ fuisse hæreticos, anno 1178, qui Agenenses uocati sunt, qui de cœna Domini, de coniugio, alijsq; Sacramentis malè senserunt: uerùm nõ declarat, quid aut quomodo docuerint. Ad eos uerò refutádos Petrus legatus Romanus alijq; cõuenerũt, uerũ sine omni fructu. Fortè aũt Henricianorum reliquiæ fuerunt, quæ rursum adauctæ sunt.

CATHARIALII.

CAthari, qui in Gasconia, Allegesiò, & partibus Tolosanis fuerũt, damnãtur in concilio Lateranensi sub Alexãdro 3. ca. 27. Vocati etiam sunt Patrini & Publicani.

HAERETICI COMBVsti in Flandria.

ANno Domini 1183. Vincentius scribit multos hæreticos in Flandria cõbustos esse ab archiepiscopo Remensi Guilerno, & comite Flandrensium Philippo. Vincent. lib. 29. cap. 26.

DE NESTORIANIS.

DVrasse hac etiam ætate Nestorianos in terra sancta sparsim, & inter Saracenos, & in India quoq;, Iacobus de Vitriaco cap. 39. testatur in historia Hierosol.

HYPOTHESES.

1.

Negant Mariam esse Deiparam.

2.

Secundũ duas naturas, duas distinguunt personas: alterum filium Dei, alterum filiũ hominis. Ibidem. Meminit & Phrisingensis Nestorianorum in India, lib. 7. cap. 33.

SYRIANI, VEL SVRANI.

IN Syria plurimi huius sectæ fuerũt, undè nominati fuerunt: uel à Sur, q̃ ut Iacobus de Vitriaco ait, celebris Syriæ fuit ciuitas.

Sequunturauté religionem & ritus Græcorum potissimùm.

HYPOTHESES.

1.

Negant Spiritum sanctum à filio, sicut à patre procedere.

2.

Quartas nuptias non admittunt.

3.

Romanam ecclesiam non agnoscunt supremam super omnes. Fulmina Romanorũ præsulum, eorumq; excõmunicationes & sententias nihili pendũt. Sentiunt enim Latinos, hoc est, põtificios omnes esse de iure excommunicatos, eamq; ob causam, ut Vitriacus loquitur, non posse quenquã ipsorũ sentẽtia innodari. Altaria quibus Latini sua sacra peregerunt, abluũt. Sacramentis Latinorum nullam exhibent reuerentiam, nec hostiã consecratã ad ægrotos portanti assurgunt: ex fermentato conficiunt Sacramentum. Sacerdotes retinent uxores, cũ quibus ante ordines contraxerũt. Subdiaconatum in ordines non reputant. Paruuli ipsorum statim à baptismo, à simplici sacerdote chrismate consignãtur, nõ expectato episcopo. Dié sabbati ita solenné iudicát, ut liceat in eo ieiunare, excepto Paschatis sabbato. Eo dẽ die diuina celebrant, carnibus uescũtur (proh dolor, peccatum carneũ) contra Romanorum præsulum uoluntatem. Hęc quę hypothesibus subiungimus, inter capita hęresium recensenda non uidentur: quia non ostenditur, quòd cum uerbo Dei pugnent.

Lingua delectãtur Saracenica, coniuges suas simili more recludunt ut Saraceni, aliosq; ipsorum mores æmulantur, barbas nõ radunt more Oriẽtalium. Fuit præterea uetus ista secta hinc inde sparsa.

Valde autem inuehitur in hosce miseros homines Vitriacus. Malè enim hoc uitrum habet, quòd primatum Romanæ ecclesiæ repudiarunt, & insuper eam pro excommunicata habuerũt. Sic enim inquit: A Romana ecclesia propria autoritate recesserunt isti schismatici, contra Dei dispositionem, qui Romanã ciuitaté totius mundi metropolin & capitaneã, sicut in tẽporalibus pręerat, ita in spiritualibus, omnibus fidelibus uoluit præesse. Quacunq; igitur potest ratione,

tione, eos deformare nititur. Ait seruile genus hominum fuisse, quia plurimis dominis fuerint tributarij. Quod autē necessitatis fuit, naturæ tribuit. Deinde ex quorundam in eo cœtu ineptitate ad res bellicas, & moribus perfidis, inuidiosa illatione, totam eam gentē infami leuitatis & infidelitatis nota traducere conatur. Stent igitur ista istius autoris fide.

CONFVTATIO.

Hypothesin primam rectè confutat hisce dictis: Accipite Spiritum sanctum. Noui uirtutem de me exisse. Omnia mea tua sunt, & tua mea. Mittam eum ad uos. Misit Deus spiritum filij sui. Et Græcos sapiētiores, ait, processionem Spiritus sancti à patre & filio non negare. Iacobus de Vitriaco in Hierosol. historia, cap. 37.

DE IACOBITIS.

Iacobitas tum in sancta terra, tum apud alias nationes fuisse hoc tempore, Iacobus de Vitriaco, unde ista describimus, cap. 38 de Hierosol. historia, narrat. Sic autem dicti sunt à Iacobo quodam, eius sectæ autore. Ait porrò, eos à Latina & Græca Ecclesia discrepare.

Nonnulli ipsorum inter Saracenos sparsi sunt. Verùm plurimi sunt in Ægypto, ut Nubiani, quæ regio Ægypto est contermina. Item in magna Æthiopiæ parte, usque ad Indiam, plusquam in 40 regnis. Et Matthæum quidem apostolum, in ea Aethiopiæ parte Euangelium suum plantasse, affirmat.

HYPOTHESES.

De Christo.

Quosdam inquit asserere, post assumptā humanam naturam, unam solam in unica persona existere naturam. Verùm quosdā à se interrogatos, inquit Viatriacus, idipsum pernegasse. Non igitur toti sectæ iste error tribui potest.

De Baptismo.

Baptismo utuntur & circumcisione simul, utrumq; insuper sexum circumcidentes, idq; more Saracenorum.

De Confessione.

Peccata sua non sacerdotibus, sed Deo confitentur, & clàm in ignem thus mittentes proprijs manibus, suas orationes significant simili modo in cœlum ascendere.

Solent autem infantes ante Baptismum calido ferro adurere, quia dictū est: Baptisabit Spiritu sancto & igni. Cruces porrò sibi inurunt alij in brachijs, alij in genis, alij in fronte, ob reuerentiā crucis, utq; à paganis sese discernant. Vno digito se consignāt, unam essentiam & trinitatem personarum significantes. Sacerdotes lingua utūtur propria, quam laici non intelligunt.

CONFVTATIO.

A Dioscoro Cōstantinopolitano patriarcha & alijs Græcis, ait Vitriarcus hanc hæresin olim refutatam.

De naturis in Christo inquit: Secundum naturam humanitatis Christus esuriuit, & mortem in cruce pertulit. Secundum naturam diuinitatis mortuos suscitauit, & alias uirtutes operatus est.

Quòd autem sacerdotibus cōfessio subtrahatur, omnium indignissimè fert Vitriacus. Nam ait eos esse positos, ut inter leprá & leprá discernāt, & claues eis traditas. Christum etiā dixisse: Ite, ostēdite uos sacerdotibus: ac iuxta ipsorū cognitionē imponēdam esse pœnitentiā. Sed ueteri sacerdotio abrogato, debebat ostendere, ubi nouū Testamentum pari ratione homines sacerdotibus hac quidem in parte subijceret.

Huc pertinent quæ de presbyteri Iohannis religione alibi referuntur. Nam eius religionem Vitriacus hoc in loco attingere uoluit.

Narrat quidem Otto Phrisingensis, Gabulensem episcopum è Syria famam de Iohanne presbytero attulisse, quòd is in Oriente ultra Persiden & Armeniam in extremo Oriēte habitet, sitq; Christianus rex & sacerdos: uerùm Nestorianæ sententiæ addictus, ex magorum familia originem trahens. libro septimo, cap. 33. Verùm certiora de eo nostra etiam ætas protulit, ut suo loco referemus.

MARONITAE. MOnothelitæ.

A Marone huius sectæ autore cognominati sunt homines circa Libani iuga & Phœniciam habitantes, seseq; diffundentes per Bibliensem, Botriensem & Tripolitanum episcopatus.

HYPOTHESIS.

Vnam duntaxat uoluntatem, & unicam operationem esse in Christo.

CONFVTATIO.

In sexta Constantinopolitana Synodo, ait Vitriacus, eū errorē esse confutatum. Deinde subijcit: Sicut in homine puro alia est uoluntas rationis, alia spiritualis: ita in Christo alia fuit uoluntas humanitatis, secundum quam uoluit manducare & bibere, & calicem passionis à se transferri: alia Deitatis, quæ eadem fuit cum uoluntate patris. Has autem duas uoluntates manifestè ostendit, cum dixit: Pater, non quod ego uolo, sed quod tu. Quis autem dubitat, mànducare & bibere, & alias huiusmodi necessitates, quæ fuerunt in Christo homine operationes humanitatis, sic & ad immutabilem diuinitatē non pertinere? Mortuos autē suscitare, & animā post mortem

mortem resumere, ad humanitatem non pertinent, sed tantùm ad diuinitatis potentiam. Ex quibus manifestum est, aliam esse operationem diuinitatis, aliã humanitatis.

Abiecto autem errore, adiunxerunt se iterum Ecclesiæ Antiochenæ sub Aymezito patriarcha, ut Vitriacus habet. Tyrius Haimericum uocat, & quidem rectius.

Non usi sunt amitis, mitris põtificalibus, baculis pastoralibus, campanis: sed malleolo & baculo percussis tabulis, populum ad sacra conuocarunt. Iacobus de Vitriaco ca. 40. de Hierosol. historia. Item Tyrius in belli sacri historia lib. 22. cap. 8.

DE ARMENIS.

Meminit Vitriacus Armenorum quoque, tanquam hæreticorum. Sed nullum dogma ipsorum annotat. Tantùm fascinatus reuerentia erga Romanum suum præsulẽ, ipsis criminis loco impingit, quòd non agnoscant lupum Romanum, sed proprium habeant primatem, cui obtemperẽt. Solo uino absq; aqua sacram Cœnam peragant, cum orientales aliàs in mensa communi, non nisi aqua diluto ac temperato uino utantur, & ex latere Christi aqua & sanguis profluxerit. Varient in ritibus & festis. Natiuitatem Domini secundum carnem, non celebrent. A' Græcis autem dissident. Vulgari lingua in sacris utuntur sacerdotes, sicut & Græci. Iacobus de Vitriaco cap. 41. de historia Hierosolymitana.

GEORGIANI.

Georgiani in Oriente, Assyrijs, Persis ac Medis formidabiles, nomen acceperunt, quia in bellum ituri, inprimis S. Georgium inuocant & colunt. In reliquis Grȩcorum rationem imitantur. Absq; tributo conceditur ipsis uisitare sepulchrum Domini. Saraceni enim ipsos metuunt. Iacobus de Vitriaco, cap. 41. de Hierosol. historia.

CAPVT VI.

DE CEREMONIIS ET RItibus ecclesiæ.

ECCLESIA Christi hoc seculo ceremoniarum multitudine & superstitiõe penitus oppressa fuit, adeò ut istarũ externarũ rerũ obseruatione putaretur Deus potissimùm coli. Itaq; tantum chaos rerum Ecclesiasticarum, & quidem uanissimarum, hoc loco nobis describendum occurrit, ut ferè animus abhorreat, nec dubitamus quin Lectoribus non mediocrem nauseam allaturũ sit. Sed nos historico instituto quantum quidem licet, satisfacere necesse est, ne quid dedita opera reliquisse uideamur.

DE CONGRESSIBVS *publicis.*

Hoc etiã seculo & diurnos & nocturnos congressus, in quibus sacris reb. homines occupabãtur, in usu fuisse, ex historijs constat. Thomas enim Cantuariensis episcopus, cum uespertinis interest precibus, à quatuor sicarijs confoditur, teste Roberto Gaguino lib. 6 de Francis. Et Bernhardus Clareuallensis abbas in epistola ad Fulconem Lingonensem archidiaconum: Surgis, inquit, ad uigilias, uadis ad Missas, horis chorum nocturnis diurnisq; frequentas? &c. Sed hæc ex sequentibus magis patebunt.

Istius autem rei gratia, templa, oratoria, basilicæ, ecclesiæ, capellæ, extructa fuerunt, quorum passim apud autores fit mentio. Verùm nos hic breuitati studentes, ea solummodo, quæ hoc seculo condita sunt, annotabimus. Ea autem leguntur extructa:

Aut in honorem Christi. Vicelinus enim sacerdos Bozoense templum in Christi & beati Petri Apostolorum principis honorẽ condidit. Helmoldus in Sclauorum Chronico, cap. 72.

Aut Trinitatis. Sconæ Alexander Scotorum rex sacrosanctæ Trinitati ac Michaeli archangelo sacrum extruxit templum. Hector Boethius lib. 12. Scoticæ historiæ. In suburbio Stadensi in Trinitatis, multorumque præterea papisticorum deorum honorem, sacellum quoddam erectum esse, in Metropoli libro sexto, capite trigesimo Crãzius scribit.

Aut Mariȩ. Calixtus enim in Transtyberina regione beatæ Virgini sacram condidit ædem. Polydorus libro quinto, capite sexto de Inuentione rerum. Anastasius 4. Mariæ rotundæ templum extruxit. Plat. Lubecæ in Mariæ honorem à Geroldo tẽplum condi cœptum est anno 1163, ut in Holsat. Chronico scribitur. In Spirensi urbe Heinricus quartus magnificum D. Virginĩ ædificauit templum, teste Helmoldo. Templũ maius, quod Misericordiæ dicitur, ob pestem grassantem, in urbe Bergomo, in honorem beatissimæ Virginis Mariæ in medio urbis ferè, iuxta cathedralem basilicam indicibili propè tum impensa tum artis elegantia ex lapidibus quadratis & sectis, à conciuibus nostris ob misericordiam Dei genetricis Mariæ, hoc æstuanti tempore implorandam, extrui cœptum est, anno 1135. Bergomensis lib. 2.

Baptistæ sacrum Aldenburgi magnificum templum hoc seculo extructum

est, teste Helmoldo, cap. 84. in Sclauorum Chronico.

Apostolorum. B. Petro & Paulo Hasnoniense quoddam templum dicatur, anno 1149. Chron. Flandr.

Aut martyrum masculorum. Sic Clemés tertius S. Laurentij ædem extra muros Romanæ urbis condidit. Platina in uita eius. Petrus & Aso in Blachorum urbe Demetrio martyri sacram construxêre ædem. Nicetas in annalibus.

Aut episcoporum. Henricus enim dux in honorem Martini & Nicolai ligneum apud Lubecenses fecit templum. Chronicon Saxon. Germ. Calixtus secundus multas uetustate ruinam minantes, refecit Ecclesias, ac B. Nicolao nouum templum in palatio condidit, teste Platina in uita eius. Capuæ sacellum quoddam eidem dicatum sanctulo, extructum scribitur in Chronico Casinensi, libro quarto, capite 30. In eiusdem honorem Henricus quidam Marchio, Stendaliæ templum condidit anno 1187. Chronicon Saxoniæ. Rodolphus Mersburgensis episcopus ante urbis mœnia in honorem Thomæ Cantuariensis templum construxit. Chronicon Mersburgése. Otto Bambergensis episcopus decem & quatuor basilicas & cœnacula elegantis structuræ, quatuor in suo extruit territorio. Idem & cathedralem Ecclesiam Bambergæ, quæ igne conflagrarat, magnis impensis & solenni structura breui temporis spacio restituit, æneisque laminis texit: at cruces, sphærasque turrium auro obduxit, ut in Bambergensi Chronico annotatur.

In honorem S. crucis Hasnæ apud Flandros templum dicatur, anno 1142. Chron. Flandriæ.

In honorem Domini nostri IESV Christi, & sanctæ Dei genetricis Marię, & S. Thomę apostoli, ac beatorum martyrum, Vincétij, Lamberti, Nicolai, & B. Mariæ Magdalenæ, atq; omnium sanctorum Dei dedicata est Dicasmuensis Ecclesia, 11. Cal. Aug. à domino Milone Morinorú episcopo, anno 1144. Ibidem.

Herbipoli à quibusdam superstitiosis ciuibus nouú extructum fuisse templum, anno 1124, Sigeberti Continuator indicat.

Otthonis Magni Boiorum ducis frater, Conradus Boiorum archimista, cardinalis presbyter S. Marcelli Sabonensis, templi Iuuauensis, quod irato Vulcano conflagrarat, fundamenta hoc elogio iecit: Quarto decimo calédas Martij, imperante Friderico primo Augusto, & Hérico eius filio Cæsare, Otthone de Vuittelsbach inclyto Boiorú duce. Eodé ferè tempore Albertus Fruxinensium episcopus sacrá ædem incédio uastatá reficit, ut Auentinus libro 7. annalium indicat.

Apud Pomeranos conuersos Ottho Bambergensis episcopus plurima códidit tépla, & sacris ea initiauit, anno 1124. teste Hedione. Eodem autore Caminensem Ecclesiam conditam esse, in Bambergensi scribitur historia.

Rogerius Salesberiensis episcopus in sua ciuitate nouam, & ornamentis excultissimam condidit ædem, qua uix tota Anglia superiorem habet: ut Malmesburiensis lib. 5. cap. 18. testatur.

Eboraci Thomas Baiocensis, cognomento Iunior, sacerdos olim Normannus, cathedralem basilicam magnis construxit impensis, anno 1169. ut ex Botoneri antiquitatibus Balęus Cent. 13. Scriptorum Britanniæ, cap. 25 refert.

Sueci deuictis Danis, in quibus cædem Erici regis sui ulti fuerant, insignem Ecclesiam Denemarchiam, non longè ab Vpsalia, in loco conflictus, ex Danicis spolijs admodum opimis construxerunt, ut Ioannes Magnus lib. 19. Gothicæ historiæ testatur.

Fuisse autem alia lignea, alia lapidea, historiæ testantur. Nam lignei templi apud Lubecanos iam meminimus. Aldenburgi in Baptistæ honorem lapideum conditum est templum à Brunone monacho. Holsatiense Chronicon.

De donarijs oblatis Ecclesijs hæc referuntur: Anglorum rex in dotem nouæ Beccensis ecclesiæ, centum libras Andegauenses annuatim ex molendinis de Robec numerari sanxit. Sigeberti Continuator. Donaria auri argentique plurima Calixtus secundus basilicis distribuit. Platina in uita eius. Bremensis archiepiscopus & Heinricus Saxoniæ dux fratribus Falderæ degentibus, de multis prospexerunt redditibus. Helmoldus in Sclauorum Chronico, capite nonagesimoquarto. Vratislauus Pomeranorum dux, Caminensi Ecclesiæ prædia, unde sacerdotes uiuerent, donauit. Historia Bamberg. Heinricus Leo Boiorum & Saxonum dux, larga manu thesauros pauperibus & Ecclesijs terræ sanctæ distribuit. Sigeberti Continuator. Magna etiam pecuniæ ui sepulchrum Domini donauit: portas eius templi, in quo lignum Dominicæ crucis seruabatur, argento obduxit: & annuos reditus, quibus cerei ad sepulchrum Domini arsuri compararentur, constituit, ut Sclauorum Chronici continuator lib. 2. cap. 7. refert.

RITVS

RITVS CONSECRATIONIS ET *dedicationis.*

Solebant noua templa sacris quasi initiari & dedicari, idq; pluribus præsentibus fiebat ab Archiepiscopo aliquo, ijsque tum simul nomina imponebantur uel Christi, uel angelorum, uel martyrum, &c. Hæc utique in Ecclesiæ dedicatione fiunt, aspersio, inscriptio, inunctio, illuminatio, benedictio. Bernhardus sermone primo in ecclesię dedicat. Capta Vlixisbona à Christianis, cum hymnis ibidem ecclesia dedicata est. Sigeberti Cõtinuator. Decimoquarto calend. Aprilis Becci Ecclesia à Rotrodo Rothomagensi, Henrico Baiorensi, & Richardo Abricensi, & Egidio Ebroicensi episcopis, regibus Anglorum patre & filio, & Ioanne iuniore regis filio præsentibus dedicatur, anno 1178. Ibidem. Apud Capuanos D. Benedicti ecclesiam solenniter Paschalis Romanus consecrat. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 35. Idem papa Romæ Ecclesias decem & quinque consecrauit, inter quas Ecclesia sancti Hadriani factiosorum quorundam scelere prophanata, & ecclesia sanctæ Mariæ Monticelli in regione Ariolæ primariæ fuêre: postremò uerò restituit & consecrauit basilicam Sanctorum coronatorum. Platina in uita eius. Gelasius secundus dum in Galliam iret, basilicam S. Ceciliæ in Stagello, & Ecclesiam S. Stephani in Tornaco inter eundum dedicauit, teste eodem in uita eius. S. Alexandri quoddam sacellum, Volchero abbate Fuldensi petente, Mindensis episcopus consecrat, ut Munzerus in Chronographia annotat. Senonis Alexander papa D. Columbæ templum dedicat, teste Vincentio libro uigesimonono, capite decimoquarto. Buggo Vuormaciensis episcopus suam ecclesiam, quam lapideo tabulato exornarat, præsentibus Brunone Treuerensi, Albuino Mersburgensi, & Hartuuicho Misnensi episcopis, sacris initiauit, anno 1118. ut refert Trithemius in Hirsaugiensi Chronico. Temporibus Vicelini Aldenburgensis episcopi, oratorium Cuzelinæ, quæ & Hogeresdorf dicitur, & ecclesia in Bernhouede dedicata sunt. Helmoldus capite 70 in Sclauorum Chronico. Aldenburgensis ecclesia per Geroldum episcopum, astantibus Adolpho comite & coniuge eius Machtilde, consecratur. Ibidem capite 84. Archiepiscopus Bremensis cum Heinrico Saxoniæ duce Lubecam contendens, in itinere Falderensem ecclesiam sacris initiauit: qui locus olim Vuippendorf dictus fuerat. Verùm Archiepiscopus deinceps Nouum monasterium appellari sanxit. Inde digressi Lubecam ueniunt, ubi dedicationis opus in templo aggressi sunt. Ibidem cap. 94. Sacellum in suburbio Stadensi, in nomine S. Trinitatis, Beatę uirginis, Petri & Pauli apostolorum, Ioannis apostoli & euangelistæ, Viti, Cosmæ & Damiani martyrum, dedicatum est ab Adelberone Bremensi, anno pontificatus sui decimonono, præsentibus El uero, Godschalco, & alijs monachis à Conrado Hersfeldensi abbate missis, ut Cranzius in Metropoli libro sexto, capite trigesimo indicat. Ecclesia S. Iacobi extra Bambergenses muros octauo Calendarum Augusti anno 1109 dedicatur, ut ex Bambergensi historia constat. Heinricus Anglorum rex circa octauas Paschæ, ecclesiam B. Mariæ Radingis dedicari fecit, ac monachos hospitesq; quotquot aduenerant, regali munificentia per triduum tractauit: ut Sigeberti narrat Continuator. Hermannus episcopus in honorem Blasij, summam ædem Brunsuicensem dedicauit. Chronicon Saxoniæ. Anno 1142, 5. Calendas Iunij, capella in hospitali in honorem Domini nostri I E S V Christi & sancti Nicolai, sequenti mox die capella in infirmaria in honorem Mariæ Magdalenæ à Vigero Brandenburgensi episcopo dedicatæ sunt, ut in appendice Mariani Scoti annotatur.

Mitræ, annuli & sandaliorum usum in ecclesijs dedicandis, consecrandis uirginibus, & ordinibus celebrandis, receptum fuisse, Petrus Blesensis epistola trigesima quarta testatur.

Altaria etiam consecrabantur. Nam decretum eiusmodi condidit Alexander tertius: Adhæc, inquiens, si altare motum fuerit, aut lapis ille solummodo superpositus, qui sigillum continet, confractus aut etiam diminutus, debet denuò cõsecrari. Propter hoc uerò nequaquam reiterare suam consecrationem Ecclesia consueuit, licet id quidam canones innuere uideantur. lib. 3. Decretalium, tit. 40. c. 1: Ad hæc. Et Senonis idẽ Papa Petro & Paulo apostolis altare dedicat, teste Vincent. lib. 29. cap. 14. Sinardus Blasensis episcopus in sanctuario Noui monasterij, in honorem Domini nostri I E S V Christi & omnium confessorum, sed nominatim S. Clementis martyris, Gregorij papæ, Martini & Nicolai episcoporum, altare consecrauit. Qui postea sede sua eiectus Moguntum uenit, ibique plurimas ecclesias & altaria iussu Moguntinensium, qui tunc Archiepiscopo destituebantur, sacris initiauit: nimirum altare retro tumbam S. Dysibodi, in honorem Benedicti & omniũ confessorũ: aliud in sanctuario in honorem Ioãnis euangelistæ, Margarethæ, Agathæ, Luciæ & omnium sanctarum uirginum, an-

no 1138. ut in appendice Mariani Scoti scribitur. In Bambergensi ecclesia altare S. Kunegundi dicatum fuit, Historia Bamberg. Lubecae nouum altare Vicelinus Aldenburgensis episcopus sacris initiauit: ut in Sclauorum Chronico Helmoldus capite septuagesimo indicat.

Templum, per adulterium in ipso commissum per sacerdotem, pollutum aquae benedictae aspersione expiari seu reconciliari debet, ut monet Alexander tertius libro quinto Decretalium, titulo decimosexto, c. 5. Significari.

Quae contenta in templis.

Loca illa sacris deputata, ornabatur imaginibus. Plebem enim Constantinopolitanam, postquam Isaacius per tumultum designatus esset Imperator, templa palatij spoliasse, ac sacris imaginibus ornatus detraxisse, Nicetas sub Imperio Andronici refert. Oratoria sumptuosis depolitionibus & curiosis picturis, quibus orantium mentes impediantur, ornari, Bernhardus in apologia ad Guilhelmum abbatem queritur. Et ibidem ait: Fulget ecclesia in parietibus, lapides suos auro induit, neglectis pauperibus. ut quid saltem sanctorum imagines non reueremur, quibus utique ipsum, quod pedibus conculcatur, scatet pauimentum? Saepe spuitur in ore angeli, saepe alicuius sanctorum facies calcibus tunditur transeuntium: & si non sacris his imaginibus, cur uel non parcitur pulchris coloribus?

Tum Christi. Clericus enim quidam in Leodiensi templo ad imaginem Christi preces faciens, fulmine ictus, iusto Dei in idololatram iudicio, interijt: teste Sigeberti Cōtinuatore. Christi seruatoris imaginem in templo XL. martyrum Constantinopoli, magnis impensis ornauit Andronicus Imperator. Nicetas libro secundo de gestis eius. Et Isaacius Angelus summum adhibuit studium, ut Monembasia transferret Christum, qui in cruce trahitur, opus admirabili arte & elegantia, quod cruciatus Domini Saluatoris nostri euidentissimè repraesentabat. Quam imaginem dolo ablatā, sancti archangeli Michaelis templo donauit. Idem libro tertio de Imperio eius.

Tum Mariae. Nam Isaacius Angelus Dei genitricem tanta ueneratione coluit, ut ad eius imaginem animo penè linqueretur: ideoque plurimas auro & gemmis ornatas in ijs fanis adorandi causa dedicauit, ubi frequentissimus piorum hominum erat concursus. Nicetas libro tertio de Imperio eius.

Tum martyrum. Nam ostenditur in ecclesijs plurima forma sancti uel sanctae alicuius, & eo creditur sanctior, quo coloratior. Currunt homines ad osculandum, inuitantur ad donandum, & magis mirantur pulchra, quàm uenerantur sacra. Bernhardus in Apologia ad Guilhelmum abbatem.

Tum angelorum. Sic Constantinopoli maximus Dei apparitor & princeps archangelus Michael, stricto gladio pro templi custode statuam habet, tenuibus calculis interpunctam. Nicetas sub Imperio Alexij Comneni. Isaacius Angelus, diui Michaelis coelestium copiarum archiducis aedem reparaturus, archangeli pictas & factas imagines in urbe uel alijs locis praesidij causa dedicatas, uetustae & admirandae manus opera in idem templum congessit. Idem lib. 3. de Imperio Isaaci Angeli.

Tum aliarum rerum. Nam Clemens tertius Lateranense templum uermiculato opere & musiuo exornauit, ut Platina in uita eius indicat. Isaacius Angelus templa uetustate deformata picturis illustrauit, teste Niceta libro tertio de Gestis eius. Caeterùm in claustris coram legentibus fratribus quid facit illa ridicula monstrositas, mira quaedam deformis formositas, ac formosa deformitas? Quid ibi immundae simiae, quid feri leones, quid monstrosi centauri, quid semihomines, quid maculosae tygrides, quid milites pugnantes, quid uenatores tubicinantes? Videas sub uno corpore multa capita, & rursus sub uno capite corpora multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda serpentis, illinc in pisce caput quadrupedis. Ibi bestia praefert equum, capram trahens retrò dimidiam: hic cornutum animal, equum gestat posterius. Tam multa denique, tamque mira diuersarum formarum ubiq; uarietas apparet, ut magis legere libeat in marmoribus, quàm in codicibus, totumque diem occupare singula ista mirando, quàm in lege Dei meditando. Bernhardus in Apologia ad Guilhelmum abbatem.

Depictas in pariete cruces, in ecclesiarum dedicatione pontifex oleo sancto per ungit. Idem in declamatione de bonis deserendis, tom. 2.

Templorum parietibus preciosa pallia & holoserica dorsalia affigi, Rupertus libro secundo de Diuinis officijs, capite 23 testis est.

Anathemata quoque, seu arma & insignia uirorum illustrium eò reponebantur. Sic Bela, deuicto adulterino Stepha-

ni antecessoris sui in regno Vngariæ filio, hostium exuuias pasim templorum postibus affixit, teste Bonfinio lib.6.decad.2. Anathemata instar calicum, quæ ad Imperatorum monumenta pendebant, Isaacius in comessationibus manibus uersabat: ut Nicetas lib.3. de gestis eius indicat.

Vexilla, quæ deuictis Cremonensibus, Brixiani deportarant, in cathedrali ipsorum ecclesia, in perpetuam rei memoriam suspensa leguntur apud Bergomensem libro 12.

Priuilegia. Heinricus Reginoburgensis episcopus, præter Boiorum ducis uoluntatem designatus, iussu Innocentij secundi ui templum occupat, calices aureos comminuit, bullas, diplomata, priuilegia comburit: ut Auentinus lib. 6. annalium Boiorum scribit.

Neque tantùm in templo, sed & in alijs locis imagines & statuæ conspiciebantur. Ioannes Constantinopolitanus Imperator triumphum acturus ob deuictos Persas, pasim uicos ciuitatis, per quos ipsi incedendum erat, tapetibus, in quibus Christi & sanctorum imagines ad uiuum expressæ erant, exornauit: ut Annales Nicetæ referunt.

Ad fores templi XL. martyrum, Constantinopoli extrinsecus Andronicus in maxima tabula statuam suam collocauit, eo quo Saturnus pingi solet habitu. Idem lib.2. de rebus eius gestis.

Codices sacri. Nam patriarcha Constantinopolitanus diuina oracula manibus gestans, in templi uestibulum descendit. Nicetas. Isaacius Angelus Constantinopolitanus Imperator de sacris codicibus maximi precij ornatum abstulit, eosque uilioribus obduxit stolis: ut idem libro tertio de gestis eius scribit. De libris alijsque diuino cultui seruientibus rebus, nouæ Aldenburgensi ecclesiæ prospectum est: ut Helmoldus in Sclauorum Chronico capite octuagesimoquarto indicat. Caminensem ecclesiam Otto Bambergensis episcopus libris, calice, uestibus, alijsque rebus quæ ad sacrum ministerium usui esse poterant, donauit: ut ex Bambergensi historia uidere est. Euangelij codices non immeritò auro & argento lapidibusque decorantur preciosis, in quibus aurum cœlestis rutilat sapientiæ. Rupertus lib.2. de Diuinis officijs, cap.23.

Pulpita. Nam clericus quidam in pulpito legens ad altare, fulmine ictus interijt. Sigeberti Continuator. Lectricij, ex quo diaconus Euangelium populo prælegat, meminit Rupertus libro primo de Diuinis officijs, capite trigesimosexto.

Erant in ijs etiam altaria. Sic Magni altaris in æde diuæ Margaritæ sacra, in Demesiensi cœnobio meminit Bonfinius libro quinto Decad. secundæ rerum Vngaricarum. Quàm multa hodie gemmis & auro fulgent altaria, quanti ubiq; pallijs parietes adornantur? Bernhardus sermone 4. de natali Domini.

Eaque altaria picturis ornata erant aut uelaminibus. Sic in die Parasceues altaria suis uelaminibus spoliari, Honorius indicat. Auro & lapidibus ac sericis uestibus honoratur Christus in altaris apparatu. Rupertus libro secundo de Diuinis officijs, cap.23.

Ac erant isthic reorum asyla. Hi quos nunquam offendimus, contra quos arma non cepimus, contra nos ueluti capitis damnatos impudenter accurrunt, nulló respectu honestatis, nosque Deo supplices contra omnem æquitatem ex æde auellere contendunt, nulla à nobis iniuria lacessiti. Est enim extremæ insaniæ, eos uel obiurgare, uel ut iniurios lacessere, qui ad Deum confugiunt, eoque intercessore & defensore persecutionum remedium quærunt. Nicetas sub imperio Alexij Comneni Porphyrogeniti, Manuelis filij.

Sancitum est lege Canonica, ut si quilibet Iudæorum aut paganorum seruus ad uenerabilia loca fidei confugerit, nullatenus eum patiamur præiudicium sustinere. Rupertus libro primo in Deuteronomiũ, cap.25.

Cruces. Particulas enim de ueneranddis crucibus, quæ ex auro constabant, Isaacius Angelus templis abstulit: ut Nicetas libro tertio de imperio eius annotat. Ottho Bambergensis episcopus S. Michaelis cœnobio auream crucem, cui gemmæ & martyrum reliquiæ adhærebant plurimæ, donauit: ut in Bambergensi historia scribitur.

Calices. Anastasius tertius calicem magni ponderis Lateranensi ecclesiæ dedit, teste Platina: uiginti marcarum pondo, iuxta Martini Chronicon.

Pelues. Miræ elegantiæ pelues, quibus sacerdotes & leuitę sacra tractaturi se abluebãt, rapuit Isaacius Angelus. Nicetas lib.3. de gestis eius.

Candelæ, lucernæ, candelabra ad imagines collocata, & suffimenta. Heinricus Leo Saxonum dux Hierosolymis annuos reditus, quibus cerei ad sepulchrum Domini arsuri compararentur, instituit: ut Sclauorum Chronici Continuator libro secundo, capite septimo indicat. Lumina tribus noctibus ante Paschæ festiuitatem in Ecclesia extingui, Honorius & Ru-

pertus testantur. Hildebertus Cenomanensis episcopus Anglorum reginæ pro cãdelabris, quorum in altari Domini usus futurus esset, gratias agit epistola decimasexta. Ponuntur dehinc in ecclesia gemmatæ, non coronæ, sed rotæ, circumseptæ lampadibus, sed non minus fulgentes insertis lapidibus. Cernimus & pro candelabris arbores quasdam erectas, multo æris pondere, miro artificis opere fabricatas, nec magis coruscantes superpositis lucernis, quàm suis gemmis. Bernhardus in apologia ad Guilhelmum abbatem.

Thuribuli sæpius meminit Rupertus Tuitiensis libro primo de Diuinis officijs, cap.26.

Reliquiæ sanctorum. Sacrosanctum uasculum, quo Christi literæ ad Abgarum olim scriptæ asseruabantur, furto ex æde Constantinopolitana, plebe in ecclesias sæuiente, ablatum esse, Nicetas sub Andronici Imperio refert. Sed de his infrà prolixius dicendi locus erit.

Tabulæ. Isaacius Angelus ædem diui Michaelis, cœlestium copiarum archiducis, in portu sitam instauraturus, si qua in palatio marmorea tabula splendore & guttarum uarietate illustris, uel pauimentum tegebat, uel parietes ornabat, eò transferendam curauit. Nicetas lib.3. de Imperio Isaaci Angeli.

Horologium. Antequam signum ecclesiæ crastina die primam sonuerit, se ex uirgine discessurum Vicelino episcopo promittit diabolus: apud Helmoldum cap.56 Sclauorum historiæ.

Bibliothecæ. Vt ex Sigeberti Continuatore, alijsque autoribus constat.

Vestes sacerdotales. Ottho Bambergensis episcopus Pomeraniam studio prædicandi cœleste uerbum ingressus est, sumptis secum cleris ad eam rem idoneis, ac calicibus, sacris uestibus, missalibus, alijsque libris & utensilibus altaris. Historia Bambergensis. Sacros ornatus & uasa ex templo palatij, Isaacius Angelus in ædem sancti Michaelis archangeli transtulit, ut Nicetas annotat.

Suggestus. Ambonis Ottho Phrysingensis libro primo capite quarto de gestis Friderici Oenobardæ meminit. Et Tyrius libro decimooctauo, capite tertio Historiæ sacræ.

Ex loco eminentiori à diacono diebus Dominicis & festis Euangelij lectionem coram populo in ecclesia recitari, Rupertus Tuitiēsis libro 1. de Diuinis officijs, cap. 36 testatur.

Porrò res sacras ad prophanos usus conuertere fas non erat, ut ad Ariminensem episcopum scribit Vrbanus tertius: Locus ad hospitalitatis usum, & pauperum prouisionem, autoritate pontificis destinatus, cum sit religiosus, non debet mundanis usibus deputari: sicuti de uestibus & ligneis uasis, & alijs utensilibus, ad cultum religionis per pontificem deputatis, antiqua consuetudo indubitanter obseruat, & uenerabilium patrum edocent sanctiones, libro tertio, tit.36. cap.4. Adhæc.

Distincta erant loca laicorum & clericorum. In superioribus locis Macronis apud Cõstãtinopolitanos Catechumeni & Thomaitæ instituebantur, ut Choniates in suis annalibus indicat.

Aereas portas latas & amplissimas, quæ olim magnum claudebant palatium, ad tẽplum sancti Michaelis archangeli Isaacius Angelus transtulit: ut Nicetas lib. tertio gestorum eius scribit. Portas templi Hierosolymitani Hẽricus Leo argento obduxit: ut in Sclauorum scribitur Chronico.

Pulsu campanarum conuocatio fiebat, ut ex Vrspergensi uidere est, qui concrepantium signorum in templo super montem Moria Hierosolymis extructo, meminit. Eundum nobis est: iam enim campanã audiuimus, iam uespertinæ tempus orationis aduenit. Bernhardus in Sermone de duplici malo cooperante in bonum. Saladinus, Vrbani tertij temporibus, urbe Hierosolymitana potitus, campanas basilicasque omnes præter Salomonis templum euerti iussit. Simoneta libro quinto, capite octuagesimosecundo. Nunc ad confitendum Domino, & ad annunciandum manè misericordiam eius, & ueritatem eius per noctem, & ænea signa personant, & ad omnem horam diuini officij, tanquam in exordio præclaræ orationis, has partes tenent, ut attentos docilesq; ac beneuolos diuinę laudis auditores efficiãt. Rupertus libro.1. de Diuinis officijs, capite decimosexto.

QVAE IN CONGRESSV *facta sint.*

IN cœtu fiebant cantiones, precationes, lectiones sacræ, gratiarũ actiones, conciones, administratio Cœnę sacrę, oblationes seu eleemosynarum collectiones.

De cantionibus. Inter Missarũ solennia in Friderici ducis rẽtorio, Gaudeamus cantatum esse, Phrysingensis indicat. Ea Dominica, qua Lætare Ierusalem canitur, Fridericus Aquisgrani rex inungitur: apud eũdem. Cantus in ecclesia mentes hominum lætificat, fastidiosos oblectat, pigros sollicitat, peccatores ad lamenta inuitat. Bernhardus Sermone 52 de modo bene uiuendi, ad sororem. Cantus plenus sit grauitate,

nec

neclasciuiam resonet, nec lasciuitatem. Idem epistola 312, ad Guidonem abbatem. Responsoria post lectiones cani, Rupertus libro primo de Diuinis officijs, capite decimo indicat. Gallicum, non Romanum Psalterium in nostris ecclesijs psallamus, ait Honorius in prologo enarrationis Psalterij. In Benedicti honorem duos hymnos in ecclesia cantandos composuit Petrus Cluniacensis, qui libro quinto Epistolarum ipsius extant.

De precationibus. Vt ad ecclesiam diuinum audituri officium ueniant, ibiq; orationibus studiosè insistant, Ottho Bambergẽsis Pomeranos monuit, teste Vrspergẽsi. Vt pro omnium statuum hominibus preces in ecclesia faciant, auditores suos monet Honorius, in sermone de natiuitate Domini. Septẽ horas canonicas diei, nõ licet à quoquam temerè negligi. Hę siquidẽ Creatori nostro deferũt laudes, ac pro certis ac magnis eius beneficijs, quasi uectigales sunt gratiarum actiones. Rupertus lib. 1. de Diuinis officijs, cap. 1.

De lectionibus. Lectionis Euangelij meminit Sigeberti Continuator. Duo enim in Leodiensi templo clerici, alter legens, alter ad imaginem Christi orans, fulmine interierunt.

De concionibus. Patriarchæ Hierosolymitani cõciones ad populũ habitas, fratres Hospitales sæpius campanarum pulsu turbasse, scribit Tyrius lib. 18. cap. 3. Item: Horam breuem concionis longitudinem non admittere, Bernhardus inquit. Vicelinus in Buzauu plebi illic cõgregatæ salutis uerbum proposuit. Helmoldus cap. 76. Adolphus comes omni Sclauorum populo sibi subiecto præcepit, ut conuenirent Aldenburgi in ecclesia ad audiendum uerbũ Dei. Quibus & sacerdos Dei Bruno strenuè suam nauauit operam, habens sermones Sclauorũ lingua cõscriptos, quo facilior esset pronũciatio. ibidem, cap. 84. In cõuentu quodã Boioariæ Adam Eboracensis abbas Missarũ solẽnia celebrãs, inuocataq; Spiritus S. gratia, ambonẽ ascendit, ac breui exhortatione omnes ferè principes, qui frequentes ibi aderant, transmarinã expeditionẽ suscipere persuasit. Otto Phrysing. lib. 1. cap. 40. de gestis Friderici Oenobarbæ. Euermodus Racesburgẽsis, inter Missarũ solennia, super ambone populũ de Euangelio docuit, ac inter alia de charitate inuicẽ præstãda suos auditores monuit, cũ in oratione Dominica à Deo, proponentes ei nostrũ exemplũ, petamus nobis quoq; remitti peccata. Cranzius lib. 5. cap. 42 Vandaliæ. Et Honorius presbyter Augustudunẽsis sacerdotes monet, ut eorum quæ ore populum docent, speculum factis se exhibeãt. In sermone Sexagesimę. Et ut dicturi pro cõcione ad populũ ori & pectori crucis signum imprimant, & Spiritus S. gratiã inuocent per antiphonam, Veni sancte Spiritus, &c. & per Euangelium, In principio erat uerbum: idem in prologo speculi Ecclesiæ monet. Extant prȩterea autorũ huius seculi sermones penè innumeri. Ottho Biricij ad populum cõciones habens, pontificalibus indutus fuit uestibus: ut in uita eius recitatur, lib. 2. cap. 14.

De benedictionibus. Manuel Comnenus recens diademate redimitus, & Chonis archangeli ædem ingressus, faustam cõprecationem à Niceta Chonarum episcopo accepit. Nicetas lib. 7. rerum à Manuele gestarum.

De synaxi seu communione infrà dicendum nobis erit. Vespertinalis synaxis in uigilia ascensionis celebratæ, meminit Vrspergensis, sub annum 1117.

De oblationibus. Per Stephanum comitem de Sanceorre Hierosolymam contendentem, quandã pecuniæ summã, Ludouicus Francorũ rex, in subsidium Hierosolymitanæ ecclesię collectam, misit anno 1171. ut Sigeberti habet Continuator.

Singulis festiuitatib. episcopos in suis ecclesijs eleemosynarũ donatione, cõsolatione pupillorum & uiduarũ, subiectorũ correctione, alijsq; pietatis officijs, dies quos seculi rebus tribuerunt, redimere, testatur Petrus Blesensis, epistola 43.

Captiuos etiã catenis ligatos ad publicos cõgressus admissos, ex Crãzio apparet, qui in die Paschæ aliquot catenis uinctos per Euermodũ Racesburgensem episcopũ miraculosè liberatos scribit: cum nimirum catena, aqua benedicta conspersa dissolueretur. lib. 5. cap. 42 Vandaliæ.

Synodi etiam in templis celebrari solebant. Temporibus enim Paschalis secundi in æde Saluatoris, quę & Cõstantiniana dicitur, Romæ Synodus celebrata fuit, anno 1116. teste Hedione tertia parte Chronicorum. In eadem ecclesia Alexander tertius 280 episcoporum conuentum habuit, anno 1180. Tomo secundo Conciliorum. In templo D. Ioanni sacro nongentorum patrum Synodus ibidem fuit, anno 1122. ut Sebastianus Franck tertia parte Chronicorum annotat. Londini in diui Pauli ecclesia Anselmus Synodum coegit, anno 1112. Catalogus testium ueritatis.

Et cõuentus & iudicia politica. Põtifex maximus, Imperatore Cõstantinopolitano Caloioanne per legatos, ut Romani ad se tanquam uerum, antiquum & legitimum Imperatorẽ redeãt, petẽte, sacerdotes, sena-

tum,populum acturos de communi omnium salute,atq; urbis libertate,in templo Constantini coire iubet: ut Auentinus lib. 6.annalium refert. Otto maior Boiorum dux sæpius in asylo, porticibusque templorum in frequenti populi corona ciuibus, agricolis, sacerdotibus & nobilitati ius dixit. ibidem.

Et iuramenta seu homagia præstari. Manuel Comnenus Cōstantinopolitanus Imperator,aurea bulla pluribus gemmis radiante Stippiotæ data, ei mādat ut in magna Blachernia ecclesia iureiurādo præesset,quo Imperij successio Alexio Hungaro & filiæ cōfirmaretur.Nicetas lib.3. rerū sub Manuele Comneno gestarum.In maximo templo apud Cōstantinopolitanos, circūforanei & Palatini proceres iureiurando sunt adacti pro Imperatore spōdere,ipsum pacta inuiolata conseruaturū,& Alemannis in terram sanctam duce Friderico Barbarossa tendentibus,uiæ ductores & uiaticum suppeditaturum.Annales Nicetæ lib. 2.de gestis Isaacij Angeli.

Fuerūt etiā templa munitiones & propugnacula quædā. Constantinopoli enim ex Ioannis Theologi & Alexij tēplis acriter pugnatur contra hostes: ut Choniates sub imperio Alexij Comneni scribit.

In templis & cœmiterijs causas sanguinem concernentes, tractari uetat Lucius tertius. Cum,inquit,Ecclesia Dei,secūdum Euangelicam ueritatem, domus orationis esse debeat, non spelunca latronū aut sanguinis forum: seculares iudices causas,ubi de sanguinis effusione & corporali pœna agitur, in ecclesijs uel cœmiterijs agitare sub interminatione anathematis prohibemus. Absurdum enim est & crudele, ibi iudicium sanguinis exercere, ubi est tutela refugij constituta. lib. 3. tit. 49.c.5. Cum Ecclesia.

Casus circa dedicationem.

Capuanus archiepiscopus ægrè ferens per Brunonem Signiensem episcopum, à Casinensi abbate rogatū, sacellum quoddam ad Formas dedicatum,se,penes quem ut archiepiscopum ea res stetisset,posthabito,armatos milites in idem sacellum immisit,qui altari diruto sanctorum reliquias abstulerunt. Chronicon Casinense lib. 4. capite 30.

RITVS CIRCA BA*ptismum.*

BAptisandi munus episcopi & sacerdotes obibāt.Alienoræ enim Angliæ reginę filiā apud Domū Frontem Heinricus presbyter cardinalis & ecclesiæ Romanæ legatus baptizauit,ut Sigeberti habet Cōtinuator.Philippū Ludouici Francorū regis filium, Mauricius Parrisiēsis episcopus, sacerdotalibus indutus uestimentis in ecclesia S.Michaelis baptismate tinxit. Auentinus lib. 5. cap. 57. Petrum Alfonsum ex Iudaismo conuersum, Oscensis ecclesiæ episcopus baptizauit, ut idem de seipso testatur.

Baptismū uel administrare, uel testimonij ratione ei assistere,monachis uetuit Eugenius tertius,teste Roberto Barno.

Tempus autem quodlibet cōmune & liberum fuit. Alienoræ enim filia mense Octobri partu edita,eodē & baptisata est, ut ex Sigeberti apparet Cōtinuatore.Postquā Christianitas creuit, & sagena illa uerbi Dei piscibus impleta est,quia periculosum erat tantam multitudinē differre propter occasiones mortis,quæ in multitudine hominum multæ sunt, maximè propter turbam infantum, ex Christianis parentibus succrescentium, quorum tenera uita persæpe leui occasione succinditur: uisum est sanctæ Ecclesiæ,passim indulgentia baptizandi concessa,imò oblata,cuncta anteuenire pericula, baptismi tamen solennitatem uel in paucis cum Dominica resurrectione,cui similis est, celebrare. Rupertus lib.4.de Diuinis officijs, cap.18.

Sed tamen Pascha & Pentecosten sæpissimè obseruata legimus. Lotharius enim Imperator Pascha Mersburgi celebraturus,in sabbato sancto Bohemiæ ducis filio,qui ea de causa eò aduenerat, baptismi testis extitit, anno 1128. ut in appendice Mariani Scoti scribitur. Et ut in sabbato sancto Paschæ & Pentecostes ad baptismum infantes deferant, Pomeranos Otho Bambergensis docuit,teste Vrspergensi. Kanutus Vualdemari Danorum regis filius statuto lauacri tempore, regenerationis sacramentum suscepit, ut Saxo lib.14. Danicæ historiæ narrat. Henrici Boiorum & Saxonum ducis filius eiusdem nominis, in die Pentecostes baptizatur, anno 1136. Funcius in Chronologia. In sabbato Paschę baptismum ideo administrari Honorius asserit, quia Christi mortem imitetur. In sermone die Cœnæ Dominicæ habito. Romanam Ecclesiam rectius in Paschali solennitate, quàm die Epiphaniæ baptismū administrare, Rupertus lib.2.in Ioannem, cap.1.testatur.

Tam infantes aūt quàm adultos baptizabant.Alienora enim & Ioāna,Alienorę Anglorum reginę filiolæ, statim post partum baptizatę legūtur apud Sigeberti Cōtinuatorē.Et Philippū Ludouicus Francorū rex mox baptizari fecit,ut Annonius lib.5.cap. 57.indicat. Paruulorū baptismatis Tyrius lib.22.cap.7.meminit.

Adultos

Adultos autem oportebat prius in fide institui, ac ante baptismum examini subijciebantur. Pirissæ ciuitatis Pomeraniæ incolas, qui de uera se doceri expetebant religione, Otto Bambergensis episcopus cũ sacerdotibus & clericis ad eam rem idoneis, septem diebus catechizabat, omnes in fide Christi instituendo: tandem indicto trium dierum ieiunio, iussit ut corpora sua balneis mundarent, sicq; loti, albisq; uestibus induti, mundo corpore & casto corde ad sanctum se baptismi Sacramẽtum præpararent. Interim uerò tribus extructis bapristerijs, honestissimum baptizandi modum, decorum & pudicum excogitauit, sexum à sexu honestè separando: nihilque ibi indecorum, nihil pudẽdum: nihil quod ulli' gentilium displiceret, agebatur. Idem & Caminæ fecit, ut historia Bamb. testatur. Petrus Alfonsus antequam baptizaretur, fidei suæ rationem reddidit, ut patet ex Pręfatione dialogi ipsius, ubi in hũc modum scribit: Vnde perpendimus, & quod in Scripturis prophetarum intelligendum, & quod inde est credendum, uidelicet quòd unus sit Deus in personarum trinitate, quæ nec ullo se præcedunt tempore, nec aliqua à se segregantur diuisione, quas Christiani Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum nominant: & quòd beata Maria de Spiritu sancto concipiens sine uirili commixtione Christum peperit, corpus generans animatum, quod incomprehensibilis deitatis esset habitaculum. Vnus itaque Christus tribus perfectis substantijs, corpore scilicet, & anima, & deitate, idem & Deus & homo est: & quòd eum Iudæi crucifixerunt, sua dispositione & uoluntate, ut sicut erat creator, fieret & redemptor, totius sanctæ Ecclesiæ fidelium, scilicet præcedentium & sequentium: mortuusque corpore, & sepultus, & tertia die resurrexit à mortuis: ascendit etiam in cœlum, & ibi simul est cum patre, uenturus in die iudicij iudicare uiuos & mortuos, sicut prophetæ locuti sunt, & futurum prædixerunt. Cum itaque diuinæ miserationis instinctu ad tam excelsum huius fidei gradum peruenissem, exui pallium falsitatis, & nudatus sum tunica iniquitatis, & baptizatus in sede Oscensis ciuitatis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, purificatus manibus Stephani gloriosi & legitimi eiusdem ciuitatis episcopi. Hora etiam baptismatis, præter ea quæ præmissa sunt, credidi beatos Apostolos & sanctam Ecclesiã catholicam. Hoc autem factum est anno à natiuitate Domini 1106, ætatis meæ anno 44, mense Iulio, die natalis Apostolorum Petri & Pauli. Vnde mihi ob uenerationem & memoriam eiusdem Apostoli, nomen quod est Petrus, imposui. Fuit autem pater meus spiritualis ALFVNSVS, gloriosus Hispaniæ Imperator, qui me de sacro fonte suscepit: quare nomen eius præfato nomini meo apponens, Petrus Alfunsi mihi nomen imposui. Honorius super 1. Psalmum inquit: Ecclesia primùm baptizãdos docet, diabolo & operibus eius ac pompis renunciare; deinde in Patrem & Filium & Spiritum sanctum credere, posthæc de corpore Christi edere.

Et certis ceremonijs quasi exorcisabantur & consecrabantur. Sic omnes baptizandos tam infantes quàm adultos crucis signo in fronte notari, Rupertus lib. 8. in Apocalypsi testatur.

Edebant etiam confessionem peccatorum suorum adulti ijsque iniungebatur pœnitentia. Quibuslibet infidelibus ad Baptismum confluentibus sufficit pœnitentia sola, sine aliqua satisfactione. Richardus de S. Victore libro de Verbo incarnato, capite 14.

Patrini etiam adhibiti sunt, quos in doctrina mediocriter instructos, & à pietate non alienos esse oportebat. Alienorę enim reginæ filiã apud Domum Frontem Achardus episcopus Abrincẽsis, & Robertus abbas de monte S. Michaelis, ex baptismo leuauerũt, anno 1162, ut Robertus ipse Chronicorum Sigeberti Continuator, qui ea de causa uirginem illam, suam appellat filiã, indicat. Hugo abbas S. Germani Parisiensis, patrinus Philippum Francorum regis filium super fontem baptismatis in ulnis suis tenuit. Herueus quoq; abbas S. Victoris, & Odo quondam abbas S. Geneuofæ patrini, Cõstantia soror regis Ludouici, & duæ uiduæ Parisienses matrinæ simul extiterũt, anno 1165. Annonius lib. 5. cap. 57. Nicetas Chonarũ episcopus, Nicetã, qui Constantinopolitanorũ Imperatorũ historiam contexuit, ex baptismo suscepit, ut ipse testatur li. 7. de gestis Manuelis. Patrinos, qui fideiussores corã Deo ꝑ baptizatis infantib. sint, monet Honorius Augustudonẽsis presbyter, ut eos symbolũ & orationẽ Dominicã doceãt. In speculo Ecclesię. Idẽ: Infantes, inquit, in baptismate fidẽ suã per patrinos pronũciant. In prolegomenis enarrationis Psalmorũ. Pomeranis Ottho Bãbergẽsis iniunxit, ut infantes suos in sabbato sancto Paschę & Pẽtecostes cũ cãdelis & cappa, quę dicitur uestis candida, & patrinis comitãtibus, ad Baptismũ deferant, eosq; ueste innocẽtię indutos, per singulos dies usq; in octauũ diem eiusdẽ sabbati, celebrationi diuini officij interesse sinant. Ac ne ipsi

ipsi parentes suorum liberorum testes sint, sed patrinos adhibeant, quibus eandem fidem amicitiamq́;, quam carnalib. parentibus debent, seruare studeant. Vrspergẽsis.

Iis tum nomina imponebantur, ut ex superioribus patet.

De more Romanorum, aqua consecrari seu benedici solebat. Die enim sacratissimi sabbati secundũ antiquæ misericordiæ Domini παράκλησιν, baptisma consecrabatur. Vrspergensis. Consecratio fontis, in nomine sanctæ Trinitatis, & maximè inuocatione Spiritus sancti, perficitur. Rupertus lib. 7. de Diuinis officijs, cap. 10.

Ter immergebãtur aquę, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Triduo Domino consepelimur, cum ter undis immersi, quasi terra operimur. Eamq́; immersionẽ in formam crucis fieri, Honorius in sermone de Paschate indicat. Si quis puerum, inquit Alexãder tertius, ter in aquã immerserit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen: & non dixerit, Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: nõ est puer baptizatus. lib. 3. Decretalium, tit. 42. c. 1. Si quis.

Baptizatos episcopus in capitis uertice chrismate signabat. Quotquot baptizãdi sunt, etiam corporaliter Ecclesia oleo materiali ungere cõsueuit. Bernhardus Serm. 44. super Cantica. Vt quid enim iam baptizatus inungitur, nisi ut iam collata, nõ conferenda baptizato per spiritum Dei peccatorũ remissio demonstretur. Hoc, quia semel factũ sufficit, quia semel remissa peccata simplex sacri chrismatis unctio ostẽdit, iterandum esse nulla ratio persuadet. Sed cur & illa, quę ab episcopis fit, cõfirmationis unctio nõ iteratur? Non iteratur planè hac ratione, quia semel Christianus post Baptismũ armis spiritus Dei per illã unctionẽ aduocati, cõtra Satanę mũdiq́; bella munitus, alio rursum spiritu, uel alijs armis illa simplici unctione muniri nõ posse mõstratur. Et potest quidẽ segnicie propria ab hoste his armis depositis uinci, potest & ijsdẽ resumptis iterũ hostẽ uincere: nec tamẽ ea de causa unica unctio iterãda est. quia quotiescunq; hostẽ superat, nõ per aliũ & aliũ spiritũ, sed per eundẽ Spiritũ sanctũ hoc fieri, simplicitate sua unctio sacra designat. Petrus Cluniacensis lib. 6. epist. 1.

Albis induebãtur uestibus, ut ex Vrspergensi uidere est. Ecclesia Baptismatis lauacro mũdatos, mox albis induere solet. Gerardus à Nazareth de cõuersatione seruorum Christi, cap. 13. Chrismate signati albis uestiuntur. Bernhardus.

Ii uerò, de quib. dubiũ est an baptisati fuerint, baptizantur, his uerbis præmissis: Si baptizatus es, non te rebaptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c. Alexander tertius lib. 3. Decretalium, tit. 40. cap. 2. De quibus.

Vt mulieres post puerperij tempus ad Ecclesiam ueniant, & benedictionem à sacerdote, sicut in Ecclesia moris est, accipiãt, Pomeranis præcepit Otto Bambergensis episcopus. Vrspergensis.

DE CONFIRMATIONE *& chrismate.*

Episcopi de Ecclesiæ facultatibus balsamum emebant, idque consecratum presbyteris dabant ad usum in Ecclesia. Die autem Cœnæ Dominicæ fiebat consecratio, ut Honorius & Rupertus libro quinto de Diuinis officijs, capite 15 & 18. indicant.

Chrismate inungere penes solos fuisse episcopos. Rupertus lib. 5. de Diuinis officijs, cap. 16. testatur, idq́; Ecclesiastica consuetudine & Apostolorũ exemplo probare nititur. Lectio, inquiens, actuum Apostolicorum asserit, quibusdam in nomine Domini IESV baptizatis, per impositionẽ manuum Pauli apostoli datum esse Spiritum sanctum. Item in alio loco scribitur, quòd Apostoli Ierosolymis Petrũ & Iohannẽ miserunt in Samariam, ut iam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Vbi apertè datur intelligi, solis pontificibus Apostolorum uicarijs deberi, ut consignent, & paracletum tradant.

Inungebantur autem tum adulti tum infantes post baptismum, ut ex Bernhardo constat.

Chrisma gratis conferendum, ex quadam Alexandri tertij patet epistola, ubi nũmos extorqueri uetat. Audiuimus quòd nummos pro chrismate ab Ecclesijs extorquent, quos nũc cathedraticum, aliquãdo paschalem, interdum episcopalem cõsuetudinem appellatis. Quia uerò cũ hoc Simonia esse cognoscitur, mandamus prætextu alicuius consuetudinis uel prælationis, præscriptos denarios nullatenus exigatis, pro certo scituri, quòd si hoc præsumpseritis, periculum ordinis & dignitatis nõ immeritò formidare. lib. 5. Decretalium, tit. 3. c. 16. Ea quæ.

Ceremoniæ erant publicæ, fiebat impositio manuum, & consignatio frontis per oleum chrismatis: adhibebantur etiam patrini, ut ad Baptismum. Qui testis in Baptismo factus est Spiritus, idem fit & tutor pupilli, ubi per impositionẽ manuum sacrique chrismatis unctionem secũdam, qui recreatus est, gratiam accipit. Rupertus libro secundo de Sapientia, capite 10.

Consta-

Constat ideo frontib. nostris ex ipso chrismate imprimi signum crucis Christi,ut exterminator diabolus in domibus animarū corporumq́; nostrorum ius nocendi nullū habeat. Idē lib.5.de Diuinis officijs,cap.17.

Casus circa baptismum.

1. Armenius quidam legatus,episcopus, coram Eugenio tertio Viterbij, ubi tum agebat,retulit,quòd in cōfinio Armeniæ essent quædā gentes,quæ fœtus suos fœtentes generarēt,eosq́; statim ad aquas Armeniorū lauandos transmitterēt. Quos cū illi baptismatis unda tingentes innatū eis fœtorē propellerent,mox tamē remissi, ad paganismi ritum & spurciciam redibāt. Otto Frising.lib.7.cap.32.

2. Quidā morbi diuturnitate confectus à sortilegis mulieribus remedium sanitatis expetiuit, quæ ut rebaptizaretur cōsuluerūt. Ille salutis spe accensus baptismum iterauit. Alexander 3. in Epistola quadam tom.2.Conciliorum.

RITVS CIRCA CLAVES.

DE CLAVE LIGANTE.

VTebantur claue ligante contra obstinatos & notoriè impios, ut cōtra hæreticos & blasphemos. Qui Iudæis cohabitare præsumpserint,excōmunicentur.Concilium Lateranense, cap.26. Hæreticos in Gasconia,Allegesio & partibus Tolosanis & alijs locis,quos alij Catharos,alij Patrinos,alij Publicanos, alij alijs appellāt nominibus, eorūq́; defensores & receptores anathemati subiacere decernimus: & sub anathemate ꝓhibemus,ne quis eos in domibus, uel in terra sua tenere uel fouere, uel negociationem cū eis exercere pręsumat.ibidem,cap.27. Heinricum Imperatorem hæreticorū caput,eiusq́; fautores, qui Ecclesiæ regnum auferre conati fuerūt, & in loco sancto Simonis idolum statuerunt, à principibus Dei sanctis Apostolis, eorūq́; uicarijs, de Ecclesiæ domo, Spiritus sancti iudicio expulsos esse, Paschalis secundus in epistola ad Flandrensium Comitē, quæ in 2.tomo Conciliorum extat,asserit.

Et contra manifestè facinorosos.Arnoldus quidam discordiæ inter Romanū pontificem & populum autor, excommunicatur:ut in uulgari quodā Germanico scribitur Chronico. Lothario Imperatori Fridericus & Conradus Sueuiæ duces rebellantes,ab Honorio anathematis feriuntur fulmine.Cuspinianus in uita Lotharij. Ferrū, ligna armaúe ad infideles & à Christiana religione alienos ferri,anathematis pœna Alexander tertius in Concilio Lateranensi uetuit:ut Platina in uita eius scribit. Guilhelmum Siciliæ regem ob rapta Ecclesiæ bona, Hadrianus quartus excommunicauit.idem. Landonem & Atenulphum Aquinenses Comites,in Casinensis cœnobij agros prædam agentes, & oppida eorum suo subijcientes iugo, ab eodem monachorum cœtu anathematis fulmine constringuntur.Chronicon Casinense lib.4. capite 34. Hector,Pandulfus,Gisulfus similem ob causam à Paschali pōtifice apud Casinenses excōmunicantur.Ibidē ca.59. Et Calixtus papa Casinensi abbati concedit,ut quosq́; bonorum monasterij raptores, secundò & tertiò commonitos, autoritate sedis Apostolicæ canonica excommunicatione compescat. ibidem, cap. 79. Thomas de Marla insignis latro, Landunensem clerum, ipsam urbem & Ecclesiā uastans,indicto Viennæ Francorum sacerdotum Concilio, cui & Romanæ sedis legatus interfuit, omni militiæ dignitate exuitur,atq; hominum communione indignus iudicatur:ut Robertus lib.6.de Francis annotat. Adolfus Holsatiæ comes ob rapta Ecclesiæ bona, ab Hartuico Bremensi anathematizatur,teste Cranzio lib.7. capite septimo in Saxonia. Bolestæ, cuius fraude Vuernerus Plocensis ecclesiæ episcopus interfectus fuerat,Petrus Gnesnensis archiepiscopus sacris interdixit: Boleslaus uerò Polonorum dux facti atrocitate,& archiepiscopi interdicto motus,eundem in Gnesnensi foro,extructo rogo cremari iussit:ut Chromerus libro sexto, de rebus Polonorum indicat. Illi, qui propter consanguinitatem coniungi prohibētur,& postea contra Ecclesiæ interdictum copulantur, excommunicationi debent subiacere.Alexander tertius in epistola ad Eberhardum Peduanum episcopum.Boamundus Antiochenus princeps, quòd dimissa coniuge pellicem aleret, anathemati subijcitur.Tyrius lib.22.cap.6.7.

Ac tales tum ab Ecclesiæ liminibus,tum communione, licet nondum solenni ritu essent indicati, arcebant. Calixtus enim papa Godfridum quendam comitem, qui sancti Petri monasterium Casinēsibus abalienauerat, à liminibus Ecclesiæ separauit. Chronicon Casinense libro quarto, capite octuagesimosecūdo. Alexāder tertius statuit manifestis usurarijs interdicendum Cœna & ecclesiastica sepultura. Decret.5.tit.19.cap.3.

Abusi tamen sunt interdum ea potestate uel in causis leuioribus. Innocentius in Synodo apud Lateranum, manus inijcientes homini Ecclesiastici ordinis sic anathematis maledicto astrinxit, ut pręter pontificē Romanū nemo habeat potestatē

absol-

absoluendi eum in uita. Cum uerò animã agere cœperit, eadẽ potestas & suæ diœcesis episcopo est concessa.17.q.4.cap. Si quis suadente. Simile decretum & Alexander tertius sanxit. Oderisius Casinẽsiũ abbas, cum gratia apud Romanum pontificẽ excidisset, Romam, licet bis terue uocatus esset, uenire detrectauit. Iratus ob id pontifex, depositionis in eum tulit sententiam ob hoc unicum crimen, quòd uocatus ad curiam comparere noluisset. Etsi enim, dicebat pontifex, in nullo alio culpandus est: eius tamen superbia damnari meretur, quia omnia peccata remittuntur humilibus (pontificem Romanum scilicet idoli loco uenerantibus) superbis autem Deus resistit. Sacro uerò palmarum die idem abbas in sua consedit cathedra, gestans manu pastoralem uirgam, ac suo, ut antè, munere per omnia fungens. Ea de causa indignatus pontifex, in die resurrectionis Domini ipsi Oderisio eiusq; fautoribus Ecclesiæ liminibus interdixit, ac omnes qui dicto nõ audientes fuerãt, cõmunione Ecclesiastica priuauit. Summi etiã Archimandritæ Casinensis cœnobij conuenientes, per archipresbyterum suum in eundem depositionis & excommunicationis promulgant sententiam. Chronicon Casinense lib.4.cap.90.

Alexander tertius, cum Fridericum Imperatorem, Octauianum quendam Romanum designasse pontificem comperisset, utrumq; anathematis fulmine ferijt, missis ad Christianæ reipublicæ principes populosque literis, quibus iure à se hoc factum probare nitebatur, ut Platina in uita eius scribit.

Paschalis secundus noluit Leodienses Heinrici quarti amicos ad unionem Ecclesiæ prius recipere, quàm Henrici corpus in cœnobio sepultum effoderent, & absq; omni sepulturæ honore in prophanũ quendam locũ deponerent, ut Robertus Barns testatur.

Vel contra innocentes. Danorum enim gentem, coniugia suis sacerdotibus decernentem, Romanus pontifex excommunicat, ut Saxo Grammaticus lib. 15. indicat. Presbyteros, diaconos, subdiaconos uxores habentes, nisi correxerint has immundicias, excõmunicandos censet Remense Concilium, ut Balæus annotat.

Et ad iusiurandum & fidem Magistratui debitam dissoluendam. Romanæ enim sedis legati in Moguntina Synodo, quæ circa annum Domini 1106. celebrata est, anathematis fulmen à tot sibi succedentibus Romanis pontificibus in Imperatorẽ promulgatum, denuò repetunt, eiusq; consuetudine cunctis Catholicis interdicũt uiris, ac omni regno Romano, ut Cranzius in Saxonia lib.5.cap.20. indicat. Apud Trecas in generali Concilio plurimi episcopi, eo q uel inuestituram à manu laica acceperant, uel contra Canonum decreta electos instituerant, anathematizantur: uel ab officio suspenduntur, ut Cranzius in Metropoli lib.5.cap.33. annotat. Hadrianus quartus, Guilhelmo Siciliæ rege ob rapta Ecclesiæ bona excommunicato, subditos omni sacramento liberat, quo facilius à rege, nullo iureiurando adstricti deficerent, teste Platina in uita eius.

In populum & locum simul ferri debere excommunicationis sententiam, uel propter Domini uel populi delictum, statuit Alexander tertius, ut Gigas annotat.

Ad exigendum debita. Ob pecuniæ enim exactionem personas suspendere uetat Alexander tertius in epistola ad Crotouensem episcopum. Verùm in alia quadam epistola cõtrarium tueri uidetur, cũ inquit: Ad aures nostras peruenisse noueris, quòd cum N. de Seneuilla propter pecuniã, quã debebat, uinculo fuisset excommunicationis adstrictus, creditoribus satisfecit: sed excõmunicatoribus decem libras pro absolutione exigentibus, non ualuit absolutionis beneficium obtinere. Quoniam igitur indignum est, & Ecclesiasticæ rationi cõtrarium, ut absolutionis beneficium redimatur, dignitati uestræ mandamus, quatenus si præfatus N. debitum soluit, ipsum gratis faciatis absolui, si excommunicatores id nõ fecerint requisiti. lib. 5. tit.3.c.24. Ad aures. A' parochianis de fœno, equitio, pomis, piris, apibus & omni fructu decimas Ecclesiastica districtione exigendas. idem ad Vuintoniensem episcopum.

Præcedebant autem, præsertim in peccatis non omnibus notis, admonitiones de pœnitentia, quibus frustrà factis, sequebatur excommunicatio. Nam in Lateranensi concilio Alexander uetuit, ne prælati, nisi Canonica cõmonitione præmissa, suspensionis uel excommunicationis sentẽtiam in aliquem proferant. cap. 6. Et ad Bononienses idem in hunc modum scribit: Nouerit discretio uestra, quòd nos suprà nominatum Octauianum, apostaticũ & schismaticum, in octauo die à cõsecratione nostra (hunc enim terminum ei resipiscẽdi, & ad unitatem matris Ecclesiæ redeũdi præfiximus) tanquam inobedientem & contumacem: & illos qui ei manus præsumerẽt, non dicimus consecrationis, sed execrationis imponere, & de cõmuni fratrum nostrorum episcoporum & cardinalium uoluntate atq; consilio, accensis candelis, &

cœtu

cœtu clericorum in ecclesia congregato, uinculo anathematis & excommunicationis astrinximus, & eos cum suo autore diabolo condemnauimus. Radeuicus lib. 4. capite 55. Bis terúe monasterij bonorum raptores moneri, antequam excommunicentur, uult Calixtus papa. Chronicon Casinése lib. 4. cap. 74. Item: Hactenus in sancta Ecclesia iusta est patientia, ut quisq; pro quolibet uitio usq; ad tertiā uicem uerbis corripiatur: & tunc demum, si non emendauerit, puniatur. Rupertus lib. 3. in Exodum, cap. 5. Cum homines in lege Deo se pertinaciter opponunt, timorem iudicij Dei eis incutere debent ministri: & si culpam suam non correxerint, ligaturam suam super eos extēdere. Hildegardis uisione sexta, lib. 2. Carnotensis episcopus Hubertum principem, qui Hildebertū Cenomanensem in uinculis tenebat, conueniens, primò blanditus est illi bestiæ: sed bestia rationem non admittit. Dehinc illum sacrilegij liberè arguit, obsecrauit opportunè, importunè increpauit. Postremò tradidit eū Satanæ in interitum carnis, anathematis uinculo, quo debuit, alligatum. Hildebertus in epistola ad uniuersos episcopos. Et ad Reginam quandam Angliæ, quæ temerario ausu cōiugem suum deseruerat, Rothomagensis scribit episcopus, ut resipiscat admonens: Hæc tibi pijssima regina & zelo Dei dicimus, & sincero charitatis affectu. parochiana enim nostra es, sicut & uir tuus. Non possumus deesse iusticię, uel redibis ad uirum tuum, uel iure canonico adstringimur & tenemur in te censuram Ecclesiasticam exercere: quod quidem inuiti dicimus, & nisi resipueris, cū dolore faciemus. Epist. 21.

In actu solenni intererant episcopi, sacerdotes, clerici & tota Ecclesia. Legatus Romani pontificis, habito cleri conuētu apud Francos, Philippo regi eorum, ob repudiatam Isenbergam uxorem, totiq; regno sacris & hominum communione interdixit. Sæuijt ob id Philippus in suos cuiuscunq; dignitatis sacerdotes, qui Romano consenserant legato, nec à ciuibus abstinuit: ut Robertus lib. 6. scribit. Alexander tertius Fridericum Imperatorem & Octauianum antipapam in conuentu Claremontensi excommunicat: ut Platina in uita eius indicat.

Cum excommunicatis familiariter conuersari non licebat, neq; Aue dicere, neque cibum capere, multò minus in rebus sacris participare: ut ex superioribus colligere licet. Heinricum enim quartum excommunicatum Paschalis ab omnibus uitari iussit: teste Cranzio in Metropoli lib. 5. cap. 31. Excommunicatos ab omnibus euitandos statuimus, cap. 9. concilij Lateranensis. Cū Andrea quodam, qui repudiata priori coniuge aliam duxerat, excommunicato familiariter conuersari, omnibus ut interdicatur, Alexander tertius ad Abbatē S. Eadmundi de Ramesia scribit.

Cantuariensi archiepiscopo idem mandat pontifex, ut Hospitalarijs præcipiat, si quos in excommunicatione defunctos in cœmiterijs ecclesiarum sepelierint, ut eos extra cœmiteria eijciāt. Quod si facere noluerint, ipse archiepiscopus exequatur. lib. 5. Decret. tit. 33. c. 5. Ad hæc.

DE CLAVE SOLuente.

Excommunicati aut notoriè scelerati, si pœnitentiam agebant, recipiebantur: ea tamen conditione, ut prius Ecclesiasticę disciplinæ satisfecissent. Heinricus Leo ab Halberstadensi episcopo excommunicatus, & ad se tandem reuersus, ad episcopi se prouoluit pedes, qui eum solenniter absoluit: ut Cranzius in Saxonia libro 6. cap. 39. scribit.

Recipiendi cogebantur sua sacerdoti rècensere & confiteri peccata, ut ex Honorij sermone de Natiuitate Domini constat, ubi inter cætera ait: Peccata publicè gesta, publica pœnitentia expianda: occulta uerò presbyteris, antequam ad corpus Domini accedatur, aperienda. Qui enim indignè accipit, cum Iuda mortis Domini reus erit. Et si nos huiuscemodi homini corpus Domini damus, quasi furenti gladium, quo cor transfigat, præbemus.

Solebant & accessuri ad sacram Cœnam prius confiteri. Pomeranos Otto Bambergensis episcopus instruit, ut dum sani sint, ad ecclesiæ sacerdotes ueniant, ijs sua confiteantur peccata, corpusq; Domini accipiant. Vrspergensis. Romanus pontifex Petrum Clareuallensem abbatem, cuius nomen toto penè orbe celebre tum erat, ad se uocat, eiq; cōfessus est peccata sua, ac de manu eius Eucharistiam accepit. Vincētius li. 29. cap. 32. Sine confessione & sacerdotis absolutione accedentes, iudicium sibi manducare & bibere, licet plurimùm de peccatis suis doleant, Ricardus de S. Victore asserit. Et Honorius in Sermone in die Cœnę Domini, monet suos auditores, ut ij qui in Quadragesima pœnitentiā de suis flagitijs agere neglexerunt, uel obscœna sua facta confiteri erubuerunt, hodie ad confessionem & pœnitentiæ lachrymas confugiant. Bauaros Sigebertus quidam, mortē ipsi intentantes orat, ut Christiano ritu prius peccatorum cōfessionem edere, & uiaticum sumere permittant. Quo facto, hominem opprimunt: ut Cranzius in Saxonia

libro quinto, capite decimosexto indicat.

Confessis & pœnitentibus sacerdotes pro suo arbitrio satisfactiones iniũgebant. Sic Alexander tertius Mediolanensi archiepiscopo consulit, ut secundum quod ipsi uisum fuerit, satisfactiones cuidam pœnitenti imponat. libro 5. Decretalium, tit. 38. c. 3. Significauit. Propter Thomæ Cantuariensis archiepiscopi necem, loco pœnitẽtiæ iniungitur à Romano pontifice Heinrico Anglorum regi, ut liberè subditis eius deinceps ad Romanam curiam appellare liceret: & neminem posthac Anglię regem fore, nisi à Romano pontifice prius rex appellatus fuerit. Blondus lib. 5. decad. 2. Et quòd ducentos milites Hierosolymam mittere, eosq; suis sumptibus per integrum annum alere, deniq; exercitum à se intra triẽnium, quàm posset maximum, conscriptum iri, ad reprimendas barbarorum incursiones, eidẽ promittere coactus fuit: ut Bergomensis & Æneas Syluius libro quinto in Blondi Decades testantur. Guidoni abbati, qui monachorum altari seruientium incuria, calicem uino uacuum consecrarat, pœnitentię loco Bernhardus Clareuallensis iniungit, ut ab eo die septem pœnitentes psalmos quotidie in terram septies prostratus decãtet, & septem disciplinas accipiat. In hunc modũ, inquit, satisfaciat & ille, qui tibi ad hanc Missam ministrauit. In epistola ad eundem. Pomeranos Otto Bambergensis episcopus docuit, ut de periurijs, adulterijs, homicidijs, & cæteris criminibus notorijs, secundum canonum instituta pœnitentiam agãt. Vrspergensis. Mulieri cuidam, quæ spontè filium paruulum occiderat, ut in monasterium aliquod secedat, consulit Alexander tertius, in quo peccata sua perpetua pœnitentia deploret. Si tamen repugnante carnis fragilitate ad hoc induci noluerit, in Domino nubat. Tutius est enim, inquit, in Domino nubere uni soli, quàm inhonestè multos admittere. lib. 5. Decretalium, tit. 10. c. 1. Veniens.

Circumstantias in pœnitentia imponenda considerandas, idem papa monet in epistola ad Exoniensem episcopum: Sanè cum uir discretus existas, plenius nosti, quòd in excessibus singulorum non solùm quantitas delicti, sed ætas, scientia, sexus atque conditio delinquentis sunt attendenda: & non solùm hęc, sed secundum locum & tempus, quo delictum committitur, unicuiq; pœnitentia debet indici, cum idem excessus magis sit in uno, quàm in alio puniendus, &c. libro quinto Decret. tit. 12. cap. 6. Sicut dignum.

Singulis festiuitatibus episcopos eleemosynarum distributione, pupillorum ac uiduarum consolatione, subiectorum correctione, atq; alijs sanctitatis operibus redimere dies, quos in curia insumpserunt, Petrus Blesensis epistola 43 testatur.

Boleslaus Polonorum dux, licet magnis in ornatum templorum, & in alimenta sacerdotum atque egenorum impendijs atq; donationibus, iugiq́ue precatione, lachrymis, & aspero tenuiq́ue uictu, ac cultu corporis, ægrotorumq́ue mendicorum pedes proprijs manibus abluendo, admissum in Sbigneum fratrem facinus, quem occiderat, sedulò expiaret: cum alijs satisfaceret, tamen ipse sibi satisfactum nunquam putabat, nisi & longinquæ alicuius peregrinationis molestias subiret. Peracto itaque in pane tantùm & aqua solenni Christianorum ieiunio Quadragesimali, exiguo sacerdotum & piorum comitatu stipatus, in Narbonensi prouincia, nudis pedibus magna ex parte confecto itinere, S. Ægidij inuisit sepulchrum, & Stephani in Vngaria, ac Gnesnæ Adelberti reliquias adijt: ut Cromerus libro quinto de Polonorum rebus annotat.

Michael patriarcha Atticus sua sede ultrò cessit, & in Oxiam insulam, in qua monachatum à puero amplexus fuerat, redijt, ibiq; in templi uestibulo humi prostratus, cuiuis monacho collum calcandum præbuit, quòd contra quàm sibi expediret, adamatam à primis annis quietem repudiasset, ac sublimiorem conscendisset thronum: ut Nicetas in Annalibus indicat.

Heinricus senior Anglorum rex, Christi imitatus exemplum, dorsum suum Cantuariensium monachorum flagellis subdidit. Quæ Christus propter nostra, ille pro suis pertulit delictis. O' hominum cæcitatem, & monachorum extremã peruersitatem. Continuator Sigeberti.

RITVS RECEPTIONIS *& Absolutionis.*

IN die natiuitatis Vuormaciæ, præsente Friderico Imperatore, Hermannus palatinus & multi alij ipsius partium comites, canes portare coguntur, sicq́ue ab Arnoldo ab excommunicationis uinculo eximuntur, anno 1155: ut in appendice Mariani Scoti scribitur.

In Constantinopolitana æde certum locum fuisse, in quem homicidæ, antequam ab Ecclesia reciperentur, conscendere, & ab ingredientibus & exeuntibus, suo facinore exposito, ueniam petere coacti sunt, ex annalibus Nicetæ apparet: qui Isaacium Angelum post interfectum à se Stephanum, eundem conscendisse locum narrat, sub Imperio Andronici Comneni.

Thomas Cantuariensis episcopus, cum approbasset

approbasset leges regias, & eas obseruare iuramento firmasset, ad se reuersus facti pœnituit, ab altaris officio se subtrahens, donec à Romano pontifice absolutus fuisset, anno 1162. Catalogus testium ueritatis. Romana ecclesia absolutionem sententiæ delegatorum iudicum nequaquam consueuit alijs delegare, nisi in literis commisionis contineatur expresse de sufficienti cautione præstanda ab his, qui solui debent, quòd iudicio Ecclesiæ debeant obedire. Vrbanus tertius ad Senonum episcopum, libro quinto, tit. 39. cap. 12. Ad hæc.

RITVS CIRca *Cœnam.*

AB episcopis, sacerdotibus & presbyteris cœna Domini administrabatur. Sacerdotes Christi ob tentationes, Sacramentis altaris non absterreantur, Bernhardus ait.

In templis, super altaribus aut mensis ad eam rem paratis. Sacramentorum altaris meminit Hildebertus epistola 8. Posthæc illibatum Dominici corporis Sacramentum, in altaris mensa sacrosancta percepturi sumus. Bernhardus sermone 1. in festiuitate omnium Sanctorum. In templis Dominicam tantùm Cœnam manducare liceat: Petrus Cluniacen. libro primo, epist. secunda.

IN VASIS METALLI*cis & consecratis.*

Diuina administrandi sacra ratio, licet assidui splendoris sit, cultus tamen exterior in uasis sacris, in apparatu altaris & ministrorum eius, semper quidem sancta, sed pro dierũ uel temporum diuersa ratione interdum splendidior est. Auro & argento, lapidibus preciosis pro posse fidelium, singulis in locis splendet festiua deuotio: quæ cum in secularibus ambitionis insignia sint, in Ecclesiasticis & diuinis rebus pietatis officia sunt. Rupertus lib. 2. de Diuinis officijs, cap. 23.

¶ Vel quotidie fuit distributa Cœna sacra. De die in diem ex collatę potestatis officio, consecratum Domini corpus & sanguinem à sacerdotibus exhiberi alijs, Bernhardus in sermone de cœna Domini ait.

Vtebantur pane azymo & uino aqua misto, ut Casinense Chronicon libro quarto, capite 40: & Rupertus libro secundo de Diuinis officijs, cap. 22. testantur. Sacramentum in triplici materia Deo offerendum, in pane, uino & aqua, idq; propter Trinitatis honorem. In uino enim intelligitur Pater, in pane Filius, in aqua Spiritus sanctus. Hildegardis libro secundo, uisione sexta. Azymos panes & uinum lymphatũ in Missa adhiberi, statuit Clemens tertius. Balæus. Testes sumus & nos temporis nostri, qui Romanam ecclesiam, & totam Latinam linguam offerre Deo salutare sacrificium azymi panis uidemus: cum Græca ecclesia, ac maxima Orientis pars, ac barbarę, sed Christianæ gentes sacrificare de fermentato dicãtur. Cum hoc ita sit, nec antiqui, nec moderni, propter tam celebres & famosas usuum dissonantias, à charitate mutua desciuerũt: quia nihil quod fidem uel charitatem læderet, in his omnibus inuenerunt. Petrus Cluniacensis libro quinto, epistola decimasexta.

In consecratione non tantùm uerbis institutionis, sed etiam alijs precationibus & cantionibus usi sunt. Orationis Dominicę meminerunt Vincentius libro 29. capite 24. & Antoninus. Sacerdos astante populo, panem & uinum in altari positum, eiusdem qua Christus passus est, crucis & passionis uerbo transuerberat. Rupertus Tuitiensis abbas lib. 7. cap. 7. in Ioannem.

Administratores erant induti uestibus ad eum usum factis. Ad altaris officium nemo accedit in ueste communi: sed quisquis accessurus est, albis induitur. Bernhardus sermone de resurrectione Domini.

Neque mutilam, sed integram Cœnam tam laicis quàm clericis distribuebant. Paschalis enim secũdus, cum in celebratione Missæ traderet Henrico Imperatori quinto corpus & sanguinem Domini nostri IESV Christi: Domine Imperator, inquit, hoc corpus Domini natum ex Maria uirgine, passum in cruce pro nobis, sicut sancta & apostolica tenet Ecclesia, damus tibi in confirmationem pacis inter me & te. idque factum anno 1111. idibus Aprilis, teste Sigeberto. Tundalus quidam homo impius, iam iam animam ex uulnere cœlitùs sibi inflicto efflaturus, communicare expetijt. Sumpto itaque corpore Domini, & hausto uino, dixit: O Deus, maior est misericordia tua, quàm iniquitas mea, licet magna sit nimis. Vincentius libro uigesimoseptimo, capite 88. Andronicus Imperator Constantinopolitanus & panem accepit, & ad calicem preciosi ac uiuifici sanguinis bibendum accedit: ut annales Nicetæ habent. Alexius Angelus argentea uasa corpori & sanguini Christi suscipiendo seruientia, sibi tradi postulat. Ibidem libro primo de gestis eius. Hildebertus episcopus Cenomanensis in quadam epistola reprehendit consuetudinem, ubi intinctus panis distribuebatur: & docet, utramque partem seorsim dandam esse, iuxta Christi institutionem.

Ieiuni utebantur Cœna. Rupertus inquit:

Officium Sacramenti à sacerdotibus in ieiunio uentris, & non in repletione eius celebrandum est, ne coagulatio escarum spirituale desiderium euacuet: quoniam etiam prius sumi debet spiritualis epulatio, & postea carnalis refectio, quia etiam spiritus honorandus, & caro refocillanda est. Nam hoc Sacramentum spirituali & non carnali cupiditate accipiendum est: & ideo in ieiunio, non super epulis percipi debet, nisi in hac necessitate, cum homo de mundo transiturus sit. Hildegardis libro secundo, uisione sexta. Nec cuiquam hæc diuina traduntur mysteria post cibum corporis, nisi urgeat ea quæ retardari non posset, instantis necessitas mortis. libro decimo de Diuinis officijs, capite decimonono.

Capitis iudicio damnatis Cœna quoq; dabatur. Sigehardo enim comiti securi percutiendo, post factam confessionem Cœna datur, circa annum Domini 1101. ut in Chronico quodam uulgari annotatur.

DE MISSA.

MAnsit quoq; theatricum Missæ spectaculum in frequentissimo usu, ac nouis subinde adauctũ est ritibus. Vide, inquit Petrus Cluniacẽsis abbas, quomodo in omni loco offertur Deo oblatio munda, uide extructas per uniuersum orbẽ Christi ecclesias, altaria in omni loco sacrata agnum Dei, quem in cruce peremisti Iudæe, in ijsdem ecclesijs super eadem altaria omnipotenti patri incessanter pro mundi salute offerri. lib. 2. contra Iudæos, cap. 3.

Extat apud Rupertum Tuitiensem abbatem libro 1. de Diuinis officijs, capite 28, & sequentibus aliquot, integra eius ratio, quã breuiter hic constringemus. Sacerdoti, inquit, ad sanctum altare accessuro, antiphona præcinitur ante introitum. Præcedunt autem sacerdotem ornatu sancto indutum flammantes cereoli. Hos subsequũtur duo ministri, quorum alter uetus, alter nouum designat (ô hominũ ineptias) Testamentũ. Post hos subdiaconus quidam Euangeliorum librum clausum deportat. Sacerdos ad altare iam assistens, thus accendit. Interim chorus concinit Kyrie eleyson, cum adiuncto angelorum hymno. His subiungit sacerdos aliquot preculas, seu collectas, ut uocant, ac legitur epistola. Post hæc uel Graduale, uel Alleluia, pro temporis ratione cantatur. Quo expedito, sacerdos missificans ex diaconis aliquem Euangelij lectionem recitare iubet. Quem ad pulpitum eũtem, ceroferarij cum thuribulo præcedunt. Lecto Euangelio, Symbolum canitur. Interim subdiaconus apertum Euangelij librũ, omnibus religioso osculo salutandum circumfert. Post Symbolum Offerenda cantatur, quæ Ecclesiæ cantus est, ab offerendo dictus, eo quòd sub ipso omnipotenti creatori incorruptum laudis offertur uel præparatur sacrificium: tũc enim panis & uinum in altari disponuntur. Post Offerendam cũctis silentium imponitur, & sacerdos submissa uoce suas preculas murmurando, conficit sacrificium. Quo peracto, chorus hymnum, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sebaoth, accinit, ac canon recitatur. Cõcionum uerò, ut uides, ratio nulla habetur. In canone tribus crucibus edicit sacerdos: Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas & uiuificas & benedicis. Ac remoto calicis operculo, trinum super calice crucis signaculum notat. Tandem fracto in tres particulas pane consecrato, unam, quæ filij personam notare dicitur, in uinum immergit. Quibus peractis, mutuo pacis osculo sese sacerdotes salutant gaudentes, & hoc commemorantes, quia reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, nosq; colligari debere osculo pacis. Cantus qui Communio dicitur, post cibum salutarem gratiarum actio est. Ac in festiuitatibus quidem solenne est cantoribus & omni psallentium choro, preciosum de sacrario capere uestitum, & magnis uocibus & amplificatis cantibus iucundum sacri sacrificij celebrare conuiuium. Hoc autem sacrosanctum altaris ministerium idcirco Missa dicitur, quia ad placationẽ & solutionem inimicitiarum, quæ erant inter Deum & homines, sola ualens & idonea missio seu legatio est. Rupertus lib. secundo de Diuinis officijs, capite uigesimosecundo & uigesimotertio. Et de Missa à Romano pontifice die Palmarum peragenda, idem ait: Papa Romanus, ut celebrem cum Maria Domino Cœnam exhibeat, sabbato ante palmas eleemosynam dat. libro quinto, capite sexto, de Diuinis officijs. Canonis missæ Vincentius lib. 29. cap. 31. meminit.

Clemens tertius azymos panes & uinum aqua mixtum in Missis adhiberi mandauit, teste Balæo.

Christianus Moguntinus archiepiscopus, cum in conflictu quodam contra Bononienses, quos obsidione cinxerat, superior extitisset, postero die extra urbis mœnia in quodam templo Missarum solennia celebrauit, cantantium choro trecentis satellitibus monachis apostatis, totidemq́ue ferè monialibus eiusdem Cisterciensis professionis astantibus. Qui de sanctis Thebeis martyribus sacrum cecinêre officium Missæ: Gaudeamus omnes in Domino, Euangelium cum audieritis, seditio. ut Cranzius

Cranzius in Metropoli libro sexto, capite 49: & in Saxonia libro sexto, capite uigesimooctauo narrat.

Quòd in natiuitatis Domini festo tres celebrantur Missæ, significat quòd homines per tria tempora, scilicet patriarchæ ante legem, & prophetæ sub lege, fideles sub gratia, per Christi natiuitatem saluantur. Honorius presbyter Augustod. in Specul. Ecclesiæ, serm. de Natiuitate.

In Missarum sacris peragendis amita, alba, stola & casula sacerdotes erant induti: ut Rupertus lib. primo de Diuinis officijs, capite decimonono & sequentibus indicat. Bernhardus Paderbornensis episcopus Romam cum Lothario Imperatore profectus, sibi & suis successoribus ab Innocentio secundo impetrauit usum Rationalis in Missa, Ecclesiarum dedicationibus, & Ecclesiasticis gradibus conferẽdis. Chron. Cosmidromij.

Missas uiuis & mortuis prodesse docuerunt. Sepulchrum Melesendis reginę Hierosolymorum uicinum habuit altare, ubi tam pro remedio animæ eius, quàm pro spiritibus omnium fidelium defunctorum acceptabiles creatori quotidie offeruntur hostiæ. Tyrius libro decimooctauo, capite trigesimosecundo. Malachias archiepiscopus Armachanus, pro mortuis Missas introduxit, & cum pro sorore defuncta quotidie celebraret, eius animam per Missas purgatam, puram, candidam, ac sole clariorem reddidit, & ad cœlos euolare fecit, quamuis eius carnalem uitam prius esset aspernatus: ut Balæus Cent. 14 Scriptorum Britanniæ, capite octuagesimoquinto ex Petro Equilino refert. Lotharius Imperator in expeditione constitutus, singulis diebus ternas audiji Missas, quarum ea quæ summo diluculo fiebat, pro defunctis cantabatur. Chronicon Casinense libro quarto, capite uigesimoquinto. Ludolpho sacerdote de Feule mortuo, oblata est hostia salutaris pro anima eius: teste Helmoldo in Sclauorum Chronico, capite 44. Petro abbati Clareuallensi, dum Missam pro Gerhardo è uiuis exempto celebrat, S. Bernhardus & Malachias olim defuncti apparent, eumque de beata cum angelis Gerhardi conuersatione docent: ut Vincentius nugatur. Berno Suerinensis episcopus, pro interfectis in expugnatiõe Mechelburgæ urbis salutarem Deo post quintum à cæde diem, in medio cadauerum, cũ luctu & tremore obtulit hostiam. Helmoldus libro 2. capite 3. Preciosum Christi corpus & sanguinem pro peccatis Christianorum mortuorum offerendum censet Petrus Cluniacensis lib. 1. epist. 2. Et de matris suæ obitu ad Cluniacenses monachos scribens, ait: Quæ quoniam dimissis omnibus, ad uos specialiter de seculi naufragio confugit, & in uobis totam spem salutis suæ reposuit, non solùm meis precibus, sed & ipsius deuotioni debetis, ut animæ illius ad ęternum translatę iudicium succurratis. Orat ergo & per filium mater, & pro matre filius, ut tricenarius Missarum ei per loca, ubi possibile fuerit, persoluatur, & duodecim pauperes reficiantur. Reliqui sacerdotes duas pro eius requie Missas decantent, absq; officio & Missas generali, quæ iuxta morem agitur. Idẽ lib. 3. epist. 16. Et ad Heinricum Vintoniensem episcopum: Sanctum beatę matris meę funus uobis commendo, & ut in abbatijs & alijs diœcesis uestræ congregationibus ei per uos tricenarius Missarũ persoluatur, & aliqui pauperes reficiantur, humiliter postulo. lib. 4. epist. 20.

Ad Missarum solennia, pallia aliosq; ornatus Romani pontifices suis miserunt mãcipijs. Malachię enim Armachano archiepiscopo Romanus pontifex cum manipulo stolam, quibus in Missa uteretur, concessit: ut Balæus annotat.

Missarum solennijs ac sacrificij secretis Romanus pontifex Armeniorum legatos adhibuit, ac ut diligenter, quæ ibi fierent, obseruarent, monuit: ut Ottho Frisingensis lib. 7. cap. 32. refert.

Et nullibi quàm in loco sacro Missas celebrare licebat, ac tempore antemeridiano. unde Rupertus inquit: Spiritus sanctus, qui huius & omnium Sacramentorum autor & uirtus est, cõgruè hora tertia dari dignatus est, ut tempus ostenderet, quo sua quoq; Sacramenta dari uel celebrari magis conueniret. Vnde rectè uniuersalis Ecclesiæ conuentus magis hac hora (nisi fortè dies ieiunij sit) congregari consueuit, & dicta hora tertia, quæ cæteris illustrior est, ob honorem eiusdem Spiritus sancti, solennia Missarum celebrari, astantibus choris, cum psallentio communi. de Diuinis officijs lib. 10. cap. 18.

Ac oportebat presbyteros Missas celebrãtes simul communicare. Bene & legitimè canonica censuit autoritas, ut nunquam sacerdos qui Missas celebrat, omittere audeat, quin ipse communicet. Rupertus lib. 1. in Leuiticum, cap. 32.

Lumina in Missarum celebratione accẽsa, ex Hildeberti epistola 16 ad reginam Angliæ apparet, cui pro candelabris missis gratias agit, eaque sibi ad altare Domini astanti, incitamento futura, ut pro ea preces faciat, pollicetur.

Nondum ordinato diacono Missam celebrare non licebat, ut patet ex Vrbani decreto, qui tale quid tentantem ad sacerdotis

officium nunquam promoueri posse, ait, & à diaconatu uel biennio uel triennio remouendum. lib. quinto, tit. 28. capitulo secundo: Ex literis.

In Missarum celebratione reges inungebantur. Nam post Missarum solennia, cum Paschalis pontifex Heinricum regem inungere detrectaret, ab armatis militibus captus abducitur. Chronicon Casinense libro 4. capite 40.

Pro bellatoribus quoque Missas celebrarunt. Lotharium Imperatorem, expeditione bellica occupatum, quotidie alteram Missam pro exercitus salute audire consueuisse, in Chronico Casinensi libro quarto, capite 25 scribitur. Heinricus Brunsuicensis abbas, Saxonum ducem Heinricum Leonem in terram sanctam contendentem comitatus, quotidie primo diluculo antequam castra mouerentur, cum pleno officio Missarum solennia celebrabat, & salutarem hostiam tam pro se, quàm pro omni exercitu offerebat: ut in Sclauorum Chronico libro secundo, capite septimo annotatur.

Non ubique eadem missificandi erat ratio. Armeniorum enim episcopi Romam uenientes itinere anni unius & sex mensium, ad Romanum pontificem referunt, inter Græcos & ipsos de ritu sacrificij quandam esse diuersitatem. Illos quidem pane, suo more, uti fermentato, sed uino aquam non admiscere. Ottho Frising. lib. septimo, capite 32.

Missam ab eo celebrari, qui genitalia excidit, uel per alios excindi curauit, uetuit Clemens tertius. Gigas.

Casus circa Cœnam.

1.

Perceptione corporis & sanguinis Domini, confirmatur pax inter Heinricum Imperatorem & Paschalem Romanorum pontificem. Sigebertus.

2.

Andronicus accepto pane, cum iam ad calicem bibendum accederet, manibus extentis, & uultu ad tristitiam composito, per ueneranda mysteria in frequentissimo astantium cœtu iurat, se non alia de causa Imperium accepisse, nisi ut Alexium Imperatorem & consobrinum iuuaret, eiusque stabiliret potentiam. Annales Nicetæ Choniatæ.

3.

Mulier quædam infamis, in solennitate Paschæ apud castrum, quod Mons aureus dicitur, cùm ore corpus Domini perciperet, non comedit illud, sed integrum domi suæ, arculæ inclusit. Quam cum fortè aliquanto pòst quidam eius amatorum aperuisset, hostiam (ut uocant) Dominici corporis in carnis & sanguinis effigiem transmutatam inuenit, anno Domini 1181. ut Sigeberti Continuator nugatur. Et apud Rosetum in Bria, in sacrificio altaris uinum in sanguinem, & panem in carnem conuersa, Antoninus narrat, circa annum Domini 1198.

4.

Aldenburgenses dum mutuis se intra sua mœnia conficiunt uulneribus, Phrisij inter missificandum effundunt calicem, & abripiunt. Cranzius libro sexto, cap. 48 in Metropoli.

5.

Quadam uice in die circumcisionis Domini, dum ad Missam solennem presbyter in Frisingẽsi ecclesia altari maiori adstaret, & iam sacri secreti ultimum resoluisset silẽtium, calix cum sanguine, sine ullius adminiculo manus, prorsus euersus & effusus est, ut ne una superesset guttula: ut Radeuicus libro quarto, capite decimotertio testatur.

6.

Dum presbyter quidam apud Aurelianos die Dominica Missam celebrat, rubeo colore panis, quem manu tenebat, suffunditur, & sanguis ex eo destillat, anno 1181. ut Vincentius libro uigesimonono, capite uigesimoquarto: & Erfordiensis indicant.

7.

Anno Domini 1192, Cyrillus eremita post decem papisticæ prædicationis annos ex Armenia ad Carmelum est reuersus, ubi statim oraculum ualde prodigiosum inter missandum habuit: de quo Mantuanus in quinto Fastorum libro, eius seculi mysterijs excæcatus, sic scribit, ut Balæus Centuria secunda Scriptorum Britannię, capite nonagesimoquarto in appendice testatur.

Cyrillus diuinus homo, cum sacra litaret
Manè sub auroram, sacra uestitus abolla,
(Res miranda) puer fulgenti splendidus ore
Astitit ante uirum, liquidis suspensus in auris:
Argentumq́; docens annorum fata sequentum,
Protulit, & manibus pronis dimisit in aram,
Adijciens: Deus ista tibi secreta reuelat,
Sancte pater, tu fac populis ea nota Latinis.
Continuò mutans Romanis Attica uerbis
Nomina, ad abbatem Siculum transmisit: & ille
Confestim in Latium, scholijs ad singula iunctis,
Quæ superant, & habentur adhuc, paßimq́; legũtur.

8.

Coloniæ quidam patre natus Iudæo, sed conuerso, cum in Paschali festiuitate corpus Domini percepisset, integrum illud ore, nescio ad quos usus, secum deferebat

rebat domum. At diuinitùs ille territus in cœmiterio, ipsum terræ mandat. Superuenit fortè sacerdos, ac quid agatur explorat, fossaque aperta, infantis formam reperit. Quem cum ad ecclesiam deportare festinaret sacerdos, in tenues abijt auras tenellus puer: ut Trithemius in Hirsaugiensi Chronico fabulatur.

9.

Guido abbas de Tribus fontibus, monachorum altari ministrantium negligentia, qui uinum calici non infuderant, uacuum illum consecrauit: uerùm cognito errore, mox uinum super consecratam panis particulam in calice infundit. Quod factum Bernhardus laudat: Quòd uinum, inquiens, fudisti in calicem super hostiæ sacratæ particulam, laudamus, nec sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arbitrantes liquorem, etsi non ex consecratione propria atque solenni in sanguinem Christi mutatum, Sacramentum fuisse ex contactu corporis sacri. Si idem mihi contigisset quod tibi, ad remedium mali unum ex duobus egissem, aut ipsum quod tu fecisti, aut certè ab illo loco, ubi dicitur, Simili modo postquam cœnatum est: uerba sancta iterassem, & sic quod de sacrificio restabat, compleuissem. Bernhardus in epistola ad Guidonem abbatem.

10.

Nobertum, cum post sumpta mysteria inter missificandum in oculos cuiusdam fœminæ cæcæ sufflasset, uisum ei restituisse, Sigeberti Continuator nugatur.

RITVS CIRCA

Orationes.

CErtis horis tum publicas tum priuatas preces fecerunt. Primo enim diluculo Fridericus Imperator pro more ante sanctorum reliquias, suas ad Deum faciebat preces. Radeuicus libro quarto, capite quadragesimo. Septies in die Christianos orare, Petrus Alfonsus in Dialogo titulo quinto scribit. Manè & uesperi, & omni quidem tempore Christianis orandum esse, Honorius presbyter in sermone de natiuitate Domini monet. Septem diei horas, quas uocant Canonicas, quibus Deo gratiæ agantur, obseruari censet Rupertus libro primo de Diuinis officijs, capite 1.

Et in locis ad eam rem destinatis. Ad magnam aram in æde diuæ Margarithæ sacra, in Demesiensi cœnobio, Almus à fratre Colomanno Vngarorum rege oculis priuatus, orare consueuit: teste Bonfinio libro quinto Decad. secundæ rerum Vngaricarum. Ante altare Domini Vicelinus orat, apud Helmoldum in Sclauorum Chronico, capite septuagesimosexto. Suessonici agri incolæ sacro igne accensi, ad D. Mariæ ædem intra Suessorum mœnia, eius petitum opem cateruatim confluunt, anno 1128. ut Sigeberti Continuator habet. Ludouicus Crassus cum ex morbo conualuisset, S. Dionysij cœnobium precum gratia inuisit: ut Robertus libro sexto de Francis annotat. Carolus Flandriæ comes inter preces ad altare à suis cõfoditur, anno 1127. ut in Mariani Scoti appendice habetur.

Interdum etiam ad statuas aut ad sepulchra orasse leguntur. Nam Petrus Cluniacensis inquit: Laudo in te amorem preciosorum martyrum Christi, ad quorum adoranda sepulchra fugisti: quæ ego etsi corpore absens, tamen spiritu præsens, toto mentis affectu colo, suspicio, adoro. libro tertio, epistol. 16. ad Pontium quendam religiosum. Ioannes Comnenus Constantinopoleos Imperator, cum suas phalanges cõtra Scythas pugnantes laborare uideret, imaginem Dei genitricis inuocat: ut Choniates libro primo de gestis eius indicat. Philippus Francorum rex, expeditionem Hierosolymitanam suscepturus, ad D. Dionysij sepulchrum preces facit. Inde post res feliciter gestas pedem referens, Romam religionis & uoti gratia abijt: ut Robertus libro sexto de Francis testatur. Idem & Ludouicum Crassum fecisse, apud eundem autorem uidere est. In Cantuariensi templo largas inter preces lachrymas ad B. Thomæ sepulchrum Heinricus senior Anglorum rex effudit. Sigeberti Continuator. Isaacius Angelus Dei genitricis imagines auro & gemmis ornatas, in ijs fanis, ubi frequentissimus erat hominum cõcursus adorandi causa, dedicauit: teste Niceta in annalibus.

Et ad crucem Christi. In Leodiensi ecclesia presbyter quidam, ad imaginem Christi de cruce pendentis orans, fulmine ictus expirauit, anno 1118. ut Sigeberti habet Continuator. Gerardus miles nobilissimus, & castri Charisiaci dominus, dum ad sacram Christi imaginem preces facit, à sicarijs occiditur, anno millesimo centesimo duodecimo. Sigebertus. Ante crucem Domini, Christiani Ascalonem oppugnantes se prostrauerunt, diuinum implorantes auxilium. Ibidem. Fridericus Imperator se suosque in periculo uersari intelligens, nudis pedibus tabernaculum ingressus, coram ligno crucis Domini precatur: teste Helmoldo in Sclauorum

Chronico, capite octuagesimosecundo. Oraturi ad crucem curramus, & intueamur in faciem eius, pro nobis ad similitudinem serpentis aenei, in cruce suspensi. Bernhardus in tractatu de passione Domini, capite quadragesimoquinto, tom. secundo. Ligneam se adorare solitum crucem, Rupertus libro duodecimo in Matthaeum, capite 26. testatur.

Ad loca remotiora, precum faciendarum gratia, ex superstitione nonnunquam profecti sunt. Plurimi enim diuersarum nationum homines, circa Domini annum 1100, Hierosolymam orationis causa contendentes, aeris corrupti contagio interierunt. Frisingensis libro septimo, capite septimo. Vuilhelmus Pictauiensis comes precandi gratia ad S. Iacobum in Galliciam proficiscitur, anno 1137. ut Sigeberti habet Continuator. Claudus quidam ex Turonensi agro, orationis gratia Garganum montem aditurus, in somnis noctu monetur à D. Benedicto, ut Casinum monasterium inuisat. Chronicon Casin. libro quarto, capite septuagesimosexto. Robertus quidam comes Quadragesimae tempore orandi causa Casinum uenit. Ibidē capite quinquagesimo. Expugnato Vitriaco castro à Ludouico Francorum rege, in ecclesia 1300 diuersi sexus & aetatis homines cremati sunt. Quo facto motus rex, terram sanctam poenitentię & precum causa adijt, ubi integrum substitit annum: ut Sigeberti Continuator refert. Idem rex anno 1155 S. Iacobum in Gallicia, exinde post annos quatuor montem S. Michaelis de periculo maris religionis ergò adijt. Ibidem. Heinricus Anglorum rex orationis causa ad Rocam Amatoris, qui locus in Cadulcensi pago solitarius erat, proficiscitur, anno 1171. iuxta Sigeberti Continuatorem. Eodem anno Stephanus comes de Sanceorre eadem de causa Hierosolymam abijt. Anno 1173, Heinricus Saxonum & Boiorum dux, magno stipatus comitatu, terram sanctam ingressus est. Et Territius Flandriae comes cum coniuge sua Mabiria, quae Heinrici Anglorum regis amita fuit, in terram sanctam perrexit, anno 1158. Philippus quoq; eiusdem terrę comes, magna militum cohorte sibi adiuncta, Hierosolymam abijt, anno 1177. Ludouicus Francorum rex pro se & filio Philippo rogaturus, in Angliam ad B. Thomam contendit, anno 1179. ut idem indicat. Secundus cruce signatorum exercitus, terrae sanctae suppetias laturus, secundis uentis in Hispaniam applicuit, ob diuinum cultum D. Iacobo prius exhibendum; ut Helmoldus in Sclauorum Chronico, capite sexagesimosecundo testatur. Heinricus Leo Saxonum dux, emensis tot ciuilium in Saxonia bellorum periculis, assumptisque itineris socijs Conrado Lubecensi episcopo, Heinrico Brunsuicensi, Bertholdo Luneburgico abbatibus, & Pribizlao Obotritorum regulo, Guncelino Suerinensi, & Sifrido de Blanckenburg comitibus, qui infinita satellitum multitudine stipati erant, pro suorum expiatione (ô ingentem humanarum mentium caecitatem) peccatorum terram sanctam inuisit: ut Arnoldus Chronici Sclauorum Continuator libro secūdo, capite secundo refert. Luipoldus Austriae dux, Clementis tertij temporibus, religionis ergò cum multis principibus terram sanctam, Christi plantis calcatam, ingreditur: ut Cuspinianus in Austria narrat. Conradus Henrici Boiorum reguli filius Hierosolymam supplicandi gratia abijt: teste Auentino libro sexto Annalium. Vuelpho, Fridericus de Vuittelsbach, Otto praefectus Reginoburgensis, Odagrius Sueuus uoti exoluendi causa Hierosolymam petiuēre. Verùm Odagrius in Vngaria mortuus est. Idem libro sexto. Honorius in sermone die Christo natali habito, monet auditores, ut pro ijs qui Hierosolymam, Romam, uel S. Iacobum, aut alia loca sancta uoti causa adiēre, preces facere uelint, quo salui ad suos redire possint.

Fit etiam gestuum & geniculationis mētio. Ioannes enim Comnenus, laborante sua contra Scythas phalange, imaginem Dei genitricis cum gemitu & mirabilibus gestibus intuens, amaras fundebat lachrymas. Choniates libro primo de gestis eius. Christiani cum Babylonijs ad Ascalonem conflicturi, flexis genibus diuinum prius implorant auxilium: ut Pisanus in epistola ad Romanum pontificem in appendice Mariani Scoti indicat.

Item eleuationis manuum. Fridericus enim Imperator manibus & oculis in coelum sublatis, genibus uerò humi flexis orauit. Nicetas. Disce orare Deum, disce leuare cor cum manibus, disce oculos supplices in coelum erigere, & patri misericordiarum miserabilem faciem repraesentare in omni necessitate tua. Bernhardus epistola 351. ad Hugonem.

Corporis in terram prostrati meminit Helmoldus in Sclauorum Chronico capite septuagesimosexto, ubi Vicelinum ad altare pronum in terra adorasse indicat. Ad moenia Ascalonis ciuitatis Palaestinae, Christiani orantes in terram se prostrauerunt,

runt. Sigeberti Continuator.

Signa tristitiæ erant saccus & cinis, uigiliæ, ieiunia. Inter has tribulationum angustias, Sclauis nimirum miserè Holsatiam uastantibus, Vicelinus sacerdos populum, ut in Deum spem suam constituant, litanias in ieiunio & cordis contritione agant, hortabatur. Helmoldus capite quinquagesimoseptimo.

Formulas orationis ex Capite de Doctrina petere licet.

Litaniarum quoque sæpius fit mentio, ut apud Helmoldum capite 57. Sacerdotes in monte cum litanijs à sepulchro Domini nudis procedẽtes pedibus, templum ingresi sunt: ut ex Hermanni eius loci presbyteri relatione Vrspergensis annotat. Moguntini dura obsidione ab Heinrico quinto presi, litanias agunt: teste Hedione tertia parte Chronicorum, & Chronico quodam uulgari Germanico.

Procesionum. Cœmiterium enim cum procesionibus circumiuit Isfridus Racesburgensis episcopus, ibique cæcum aspersa aqua benedicta curauit. Cranzius in Metropoli libro sexto, capite 40. Forma procesionis die Paschatis peractæ, extat apud Robertum libro septimo de Diuinis officijs, capite 24. Sterilitate & fame in diœcesi Leodina ingrauescente, Albertus eius nominis secundus episcopus, indicto ieiunio, tres sacras pompas ordinauit, post natalem Ioannis Baptistę obseruandas. Catalogus Leodiens. episcoporum.

RITVS CIRCA VOCAtionem & ordinationem ministrorum Ecclesiæ.

IVs eligendi & uocandi episcopos, sacerdotes, aliosque ministros erat penes totam Ecclesiam, hoc est, clerum & populum. Clerus Luxouiensis, populus & tota simul Ecclesia Arnulphum Sagiensem sibi in pontificem & pastorem elegit: ut scribit Petrus Cluniacensis libro quinto, epist. sexta. Daibertus Hierosolymitanus patriarcha in quadam epistola scribit, se à Boemundo Antiocheno principe, communi tam cleri ac plebis, quàm principum assensu, in eam locatum sedem. Tyrius libro decimo Belli sacri, capite quarto. Paschalis secundus Lugduni Galliæ egit concilium, ubi inter cæteros & hunc canonem ad incudem reuocauit, Quòd nimirum episcopus non debeat à solis eligi sacerdotibus, sed etiam à plebe eius loci: ut testis est Auentinus libro sexto. Ad eundem modum & Cranzius scribit in sua Metropoli, etiam Calixtum papam post Paschalem in quodam concilio decreuisse, ut electio coniunctim permittatur libera clericis atque laicis. Et Eugenius tertius in bulla quadam de archiepiscopo Magdeburgensi scripta (quæ apud Ottonem Frisingẽsem libro secundo, capite octauo, de Gestis Frider. extat) clarè testatur, cùm in electione, tum translatione alicuius episcopi ex una diœcesi in aliam, necessariò requiri consensum cleri & plebis. Mandat etiam in fine, ut Ecclesiæ Magdeburgensi, id est, clero & populo liberrima concedatur electio. Ciues de Faldera Holsatiæ pago, qui & Vuippendorf dicitur, Adelberonem Hamburgẽsem archiepiscopum de sacerdote sollicitantes, Vicelinum impetrant: ut Helmoldus in Sclauorum Chronico capite quadragesimooctauo indicat. Ascero Roskildensium episcopo decedente, super surrogando successore plebis à clero suffragia disidebant. Vualdemarus rex Daniæ urbem ingressus, Trinitatis ædem incolentium sacerdotum collegium intrauit, eorum de creando pontifice suffragia suo est prosecutus assensu. Quanquam autem ei ecclesia à maioribus condita ac dotata, iuris aliquid competere uideretur: nihil se tamen aduersus eam aut illicita affectione, aut insolita consuetudine præsumpturum dicebat, sacris siquidem legibus cautum nosse, ne clerus peculiare eligendi ius regali imperio obnoxium habeat. Itaque præsentiam suam haudquaquam impedimento futuram, quò minus electoribus libera suffragiorum arbitria maneant. Tunc clerus religiosam eius iusticiam summis gratiarum actionib. prosecutus, concilio excesit, delectum curiosius habiturus. Cumque tres spectatæ opinionis uiros, quibus quartus ob uirtutem Absolon adijciebatur, circumspexissent, ut ex eorum numero potisimus assumeretur, Vualdemarus tacita singulorum suffragia in unius tabulæ segregata uolumina referri iussit, syncerioris electionis habitum ratus, si uniuscuiusque uoluntas antè manu, quàm lingua proderetur: euenitque, ut omnium scripto in unam coeunte sententiam, honoris culmen Absoloni decerneretur. Saxo Grammaticus libro decimoquarto. Ad episcopi cuiusdam consecrationem à solo uulgo, repudiatis cleri suffragijs, electi, Hildebertus uenire recusat, epistola nona. Et epistola duodecima, ad eundem scribit electum: Si uera sunt quæ dicuntur, promotionem tuam canonica reijciunt & deijciunt instituta. Quippe non elegit te clerus, sed minæ populares intrusẽre. In electione enim populo minimè licet clerum præcedere, sed assensu prosequi eligẽtem.

Item

Item Petrus Blesensis ad quendam prælatum: Vocauit te Dominus & nobilis ecclesia Carnotensis, de subdito in prælatum. Eiusmodi pontificalibus uocibus dominati sunt.

In episcoporum tamen metropolitanorum & archiepiscoporum electione & uocatione, uicinorum episcoporum & magistratus requirebatur consensus. In reconciliatione enim, quę inter Heinricum quintum & Paschalem secundum facta est, ipso die Paschatis, Heinrico in Imperatorem iam coronato, post lectum Euangelium tradidit ei papa ante altare apostolorum Petri & Pauli, in oculis omnium principum, priuilegium de inuestitura episcopatuum uel abbatiarum tam per annulum, quàm per uirgam: scilicet ut regni eius episcopis uel abbatibus liberè præter uiolentiam & Simoniam electis, inuestituram uirgæ & annuli conferat: post inuestituram uerò canonicè consecrationem accipiat ab episcopo, ad quem peruenerit. Anno 1111, iuxta Sigebertum. Et Tyrius de sua uocatione testatur: Cum Tyrensis ecclesia septem uacasset mensibus continuis, consonante cleri & populi uoto, Regis quoque, ut moris est, conueniente assensu, ad regimen illius ecclesiæ uocati sumus. Libro uigesimoprimo Belli sacri historiæ, capite nono. Parthenopolitanæ ciuitatis archiepiscopo defuncto, cum clerici & ciues eiusdem urbis coram Imperatore Lothario ad eligendum archiepiscopum Spiræ conuenissent, nutu Gerardi Romanæ sedis legati, & Alberonis Metensis primicerij, Norbertum Præmonstratensis sectæ autorem, qui quorundam negociorum causa eò fortè uenerat, in pastorem eligunt, & regis accedente consensu, ad sacerdotium prędictæ urbis euehunt, anno 1127. Sigeberti Continuator. Mortuo Conrado Reginoburgensi episcopo, ciues, sacerdotes, autore Friderico procuratore mystarum, non expectato aduentu ducis, nec ulla eius habita ratione, sed citra eius consensum Heinricum comitem quendam designant episcopum. Ob sui igitur contemptum dux bellum Reginoburgensibus infert: ut Auentinus libro sexto annalium scribit. Ecclesia Bambergensis episcopo destituta, cunctus clerus populusque montem S. Michaelis conscendit, factisque ad Deum, ut salutarem largiatur pastorem, precibus, ad Heinricum Imperatorem ablegant nuncios, petitum sibi dari episcopum. Quibus Otthonem suæ aulæ diaconum concedit, dato ipsis præsentibus ei annulo & pastorali baculo. Is uerò mox de mādato Imperatoris Heinrici quarti, in festo purificationis Mariæ, Augustano & Herbipolensi episcopis, alijsque de curia Imperatoris illustribus uiris eum comitantibus, in ciuitatem Bambergensem deducitur, magno cleri & totius populi applausu: ut habet historia Bambergensis. Meingothus à Canonicorum Mersburgensium capitulo unanimiter electus episcopus, à Lothario Imperatore confirmationem impetrat, anno 1127. Cuius successor Eckelinus per eosdem uocatus, à Conrado confirmatur: quorum uterq; à Magdeburgensium episcopis, hic à Conrado, ille uerò à Norberto ordinationem accepit. Eadem ratio & cum sequentiū electione, seruata legitur in Mersburgensi Chronico. Idem Imperator Arnoldum cancellarium suum Coloniensem inuestit episcopum: ut Cuspinianus annotat. Rupertum Herbipolensem episcopum paribus sacerdotum & populi suffragijs electum, à Ruthardo Moguntino consecrari iubet Heinricus Imperator: teste Auentino libro quinto Annalium Boiorum. Heinricus quintus Moguntiæ in procerum conuentu Adelbertum suum cancellarium, per baculi & annuli traditionem Moguntinum designauit archiepiscopum. In electione Guidonis episcopi concorditer & uoluntariè uniuersa Rauennas conuenit Ecclesia, præsentibus uiris honestissimis, Hermanno Verdensi episcopo, & Iacintho cardinali: quorum ille Imperatoris, hic uerò Romani papæ agebat partes: ut Fridericus Imperator in epistola ad Romanum scribit pontificem, quæ extat apud Radeuicum libro quarto, capite decimosexto. Ordinatio Vicelini Aldenburgensis episcopi, quæ inscio Heinrico Leone Saxonum duce, à se inuestituram peti iubente, facta erat ab Hartuuigo Hamburgensi archiepiscopo, multarum extitit causa turbarum inter ducem & archiepiscopum: ut Helmoldus in Chronico Sclauorum capite septuagesimo ostendit. Vicelino mortuo, Geroldus concordi principis, cleri plebisque electione substituitur: ut idem capite 80 testatur. post cuius obitum ecclesia Lubecensis (eò enim Geroldi precibus Aldenburgo translata fuerat episcopi sedes) aliquandiu uacauit. Nam ducis expectabatur sententia, qui sub Imperatore apud Italos militabat. Reuersus ad suos dux, conuocato Lubecensi clero, dedit eis Conradum episcopum. Ibidem libro primo, capite nonagesimoquinto: & libro 2. capite 1.

Bernhardus Clareuallensis abbas, Senonēsem clerum pastore destitutū per epistolam

lam monet, ne quid in surrogando præsule præcipitanter agatur: sed indicto ieiunio episcopi suffraganei conuocentur, religiosorum, qui in episcopatu sunt, sentẽtiæ rogentur, sicq; commune negotium cõmuni consilio tractetur. epist. 202.

Leone Stippiota Constantinopoleos patriarcha mortuo, Manuel Comnenus de alio surrogando sententiam suam cum cognatis, senatoribus & sacerdotibus cõmunicat. Cum autem multi in Maximi pontificatus suffragijs nominarentur, eorũ sentẽtia uicit, cęteris ferè omnib. assentientibus, qui Michaelem monachum designabant. Nicetas.

Dositheum sede Hierosolymitana Constantinopolim ab Isaacio Angelo Imperatore, tam frequẽti & splendido apparatu trãslatum esse, ut regio triumpho haud absimilis uideretur, Nicetas lib.2. de Imperio Isaacij scribit.

Obiter & hoc loco monendus est Lector, quod Cranzius annotat, Imperatores hoc seculo sibi solis ius archiepiscopos ecclesijs præficiendi uendicasse. lib.5.cap.31. Metropolis. Et in eandem ferè sententiã in Bambergensi scribitur Chronico: Inoleuerat tũ hic mos, ut inuestituræ episcopatuum ab ipsis Imperatoribus, pręter consensum Romani pontificis, requirerentur. Quoties itaque episcopatus uacabat, illius loci clerus populusq; baculum pastoralem, unà cũ annulo ac mitra episcopali, Imperatori mittebat, simul dari sibi episcopum expetens. Id iuris & Heinricus Leo Saxonum dux, in sui territorij episcopatibus Imperatoris autoritate usurpare pręsumpsit: ut Helmoldus cap.70. in Sclauorum Chronico indicat. Verùm ea res inter Imperatorem & põtifices Romanos multarum calamitatũ & cædiũ, ut & superiori seculo, causa extitit.

Pro Philippo in Coloniensi cathedra post Rainoldum surrogando ad Bernhardũ Aduocatum, aliosq; in hunc modũ scribit Imperator: Quia non inuenimus ei similem in toto Imperio nostro, hunc solũ Philippum cancellarium nostrũ, quẽ in administratione Imperij & reipub. fidum cooperatorem cognouimus, hunc solum, & non alium uestra peruigili industria in Coloniensis episcopi dignitatem, & archicancellarij supereminentem gloriam sine mora sublimari, intimis uisceribus præoptamus, &c.

¶ Romani tamen pontifices nihilominus in electione & ordinatione quorundam confirmanda, supremam potestatem penes se manere, oblata qualicunque occasione, manibus pedibusq; laborarunt. Cum enim solus ferè Ottho Bambergensis episcopus inter tot Germaniæ episcopos, hoc seculo per literas Romanum pontificem de confirmatione sollicitaret, obuijs eas amplexus est ulnis, eumq; splendida promissione Romam uenire allexit. Quem etiam comparentem pontifex benignissimè excepit, & ipso Pentecostes die inter Missarum solennia, præmissa Spiritus sancti inuocatione, consecrauit episcopum, sine ulla iuramenti obligatione ut in Bambergẽsi scribitur Chronico. Ac ut Romanorum in ea re ambitionem & studium uideas, ex eãdem historia tum Otthonis tum Romani præsulis literas huc adscribere libuit.

Epistola Otthonis ad Romanum pontificem, qua Apostolicam petit benedictionem.

Domino ac patri suo Paschali, sanctæ Apostolicæ sedis uniuersali episcopo, Ottho Bambergensis ecclesiæ, id quod est tam deuotæ quàm debitæ subiectionis, orationes & seruitium. Quia totius Ecclesiasticæ dignitatis & religionis firmamentũ in Christo petra est, & in Petro eius discipulo, & eius successoribus: idcirco ab hac linea directionis, uirga regnorum, pontificatuum, & omnium potestatum in Ecclesia, insanum duxi aberrare. Vobis igitur, pater sanctissime, & sanctæ matri meæ Romanæ ecclesiæ collum submitto, & deuotæ sublimitatis auxilium & consilium de rebus meis flagito. In obsequio enim Domini mei Imperatoris per annos aliquot degens, & gratiam in oculis inueniens, suspectam habens de manu principis inuestituram, semel & iterum cum dare uellet, renui episcopatũ. Nunc uerò iam tertiò in Bambergensem episcopatum me ordinauit: in quo tamen minimè permanebo, nisi uestræ complaceat sanctitati per uos me inuestire & consecrare. Quicquid ergo placeat discretioni uestræ de me, per nuncios meos significate mihi seruo uestro, ne fortè in uacuum curram, si ad uos currere incipiam. Omnipotens Deus mihi propitiam incolumitatem uestram custodiat.

Responsio pontificis.

Paschalis seruus seruorum Dei, Otthoni dilecto fratri, Bambergensis ecclesiæ digno electo, salutem & Apostolicam benedictionem. Filius sapiens lætificat matrem suam. Opera tua & consilia tua uirum præferunt sensatum. Nos igitur honorare te, & profectus tuos iuuare congruum duximus. Nihil ergo de nostra beneuolentia dubitans, tuam nobis quanto tempore uoles præsentiam exhibeto.

Accepta aũt Romę cõsecratione à summo põtifice, has ad suam Ecclesiam Ottho pręmisit literas: Ottho Dei gratia Bãbergensis episcopus,

episcopus,Eberhardo præposito,Adalberto decano cæterisque fratribus omne bonum. Quantum ego noui & expertus sum charitatem uestram,scio,uos iam diu expectare euentum nostri laboris, ut de nostro successu(si quid bene)per misericordiã Dei gaudeatis. Ne autem diutius suspensi aut dubij sitis de nobis, aut si uisum est, sincerissimè gaudeatis:literis istis uobis insinuare decreuimus,quàm misericorditer Deus, more suo, post labores immensos & sudores plurimos nobiscum operatus sit in die sancti Pentecostes, qui ut aduẽtu sancti Spiritus sacratus,ita cunctis fidelibus iure solẽnis est.Illo,inquam, die,Deo sic adiuuante, in Anagnia Campaniæ ciuitate,quæ Romaniam diuidit & Apuliam,episcopalis benedictionis munus, quamuis indignus, Domino largiente,suscepi, uenerabili papa domino Paschali manum imponente,cæteris etiam pluribus cooperantibus:clero quoq; Romanæ ecclesiæ,cuius magna pars eo die in eãdẽ ciuitate conuenerat, astante & consentiente.& quod nulli à Romano pontifice consecrato nostris tẽporibus contigit,sine obligatione alicuius iuramẽti consecratus sum.Huius loci,huius diei,huius gratuitæ misericordiæ Dei semper memores esse debemus: & ut uos memores esse uelitis cũ gratiarum actione,obnixè precamur,præcipuè cum aliæ quàm plures uenerandę personæ, de magnis rebus apud apostolicam sedẽ agentes,infecto negotio redierint.His & ipse pontifex ad eãdem Ecclesiam suum adiunxit epistolium: Paschalis episcopus, seruus seruorum Dei,clero & populo Bambergẽsi salutem & apostolicam benedictionem. Quantæ affectionis debito Bambergensis ecclesia ab ipso suę cõstitutionis primordio, sedi apostolicæ constringatur,etsi uos latêret, literarum uestrarum significatio manifestat. Quod affectionis debitum uenerabilis uester Ottho,uestræ ecclesiæ electus, non inconstanter tenuisse ac tenere cognoscitur, cum per tot & tanta pericula ad apostolicæ sedis uisitationem tendere procurauit.Nos igitur eum debita benignitatis affectione suscepimus, & iuxta uestræ dilectionis desiderium,nostris tanquã beati Petri manibus,saluo metropolitani iure, uobis per Dei gratiã præsulẽ ordinauimus. Hunc igitur sub pręsentium literarum prosecutione ad ecclesiæ uestræ regimẽ remittẽtes,plena hortamur affectione diligi,plena humilitate uenerari. Confidimus enim eum disciplinæ ecclesiasticæ futurum esse custodem. & salutis uestræ sollicitum prouisorem.Huic ergo sedulis officijs obedite, & gratiam uobis conciliate cœlestem, integritatem catholicæ fidei firmam semper in omnibus seruate,sedi apostolicę semper deuotius adhærete, ut per eius consortium à contagijs omnibus liberi,ad æternę salutis portum feliciter peruenire, Domino largiente, mereamini.pax uobis. Histor. Bambergensis.

Subdiaconos nulli alij ordinare licere, præterquam Romano pontifici. Alexander tertius ad Bathoniensem scribit archiepiscopum.

Et Heinricus Anglorum rex, post multas demum cum Anselmo, Antichristi Romani ius defendente, contentiones,ecclesiarum inuestituras Deo & sancto Petro, hoc est, Romanæ ecclesiæ tradidit:ut Malmesburiensis lib.5.cap.24 indicat.Et Heinricus Imperator uictus tandem pontificio fulmine, inuestituras episcoporũ & aliorũ prælatorum,quæ fiebant per baculũ & annulum,Calixto papæ resignauit:& concessit per omne Imperium, in omnibus ecclesijs canonicam fieri electionẽ: ut Martinus Capellanus in Chronicis annotat.

Per ordinem graduum ecclesiasticorum promoueri solebant. Sic Hildebertus inquit:Quisquis in sacris nõ fuerit ordinibus inuentus, ad summum sacerdotium canonicis prohibetur accedere institutis. epist. duodecima.

Et ætatis habebatur ratio, ut apparet ex Hildeberti Cenomanensis episcopi literis ad quendam uicinum episcopum,cuius cõsecrationem ait sacris canonibus, qui integram summorum sacerdotum ætatem flagitent, & Ezechielis prophetæ ac Christi exemplis,qui circa trigesimum ætatis annum ad ministerium accesserunt,aduersari: epist.12. Et ut nullus episcopus eligatur ante trigesimum ætatis annum,cæteris uerò ordinibus annum uigesimumquintum sufficere,patres in Lateranensi concilio sub Alexandro tertio statuerunt.cap.3.Idẽ pontifex Conuentrensis episcopi factum,quòd decẽ annorũ pueros archidiaconos creet, in epistola ad Cãtuariẽsem ualde improbat, ac pœnas, ni desierit, ei denunciari uult.Et in alia quadam epistola ad eundem, eiusq; suffraganeos,in hunc modum scribit:Indecorum est,ut hi debeãt ecclesias regere,qui non nouerũt gubernare seipsos:cum ad ecclesiarum regimen tales personæ sint admittendæ, quæ discretione præemineant, & morũ fulgeant honestate. Nolentes itaq; sustinere,ut paruulis ecclesiæ regimẽ committatur,mandamus,quatenus nemini infra annum decimumquartum constituto, personatum cuiuslibet ecclesiæ concedere præsumatis: scituri pro certo,quòd si contraire præsumpseritis, quid inde feceritis irritabimus,& inobedientiam uestram grauiter

uiter puniemus. libro primo, titul. decimoquarto, cap. 3.

Infames non admisi sunt. Fratrem qui precio diaconatus dignitate potitus fuerat, Hildebertus submouendũ censet, epistola 14. Ex tenore tuarum literarũ accepimus, quòd clericus quidam adeò deliquit, quòd si peccatũ eius esset publicũ, degraderetur ab ordine quẽ suscepit, & amplius non posset ad superiores ordines ꝓmoueri. Verùm quemadmodum peccatũ fore occultũ dixisti, mandamus, quatenus pœnitentiã ei condignam imponas, & suadeas, ut parte pœnitentiæ peracta, ordine utatur, quo cõtentus existens, ad superiores amplius non ascendat. Veruntamen quia peccatum occultum est, si promoueri uoluerit, non debes aliqua ratione prohibere. lib. 1. tit. 11. cap. 4. Ex tenore. Item: Arctius inhibemus (ut idem ait pontifex) ne personis, quæ in Ecclesijs tui episcopatus ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipsis instituas, nec aliqua occasione, uel etiam literarum nostrarum obtentu institui patiaris, quæ scientia, moribus & ætate Concilij non congruant institutis, &c. lib. 1. tit. 14. cap. 4. Eam te decet.

Canonicum quendã Coloniensem, qui infeliciter ęgrotis medicinam adhibuerat, ad altiores dignitatum gradus promoueri uetat Clemens tertius, lib. 1. tit. 14. capite 7. Ad aures.

Sacerdotum filios nothos modò ꝓbat, modò improbat Alexander tertius ad sacros admitti ordines in ijs ecclesijs, quibus patres eorum seruierunt: lib. 1. tit. 17. c. 2. & sequentibus aliquot: & in epistola ad Turonensem. Spurios & seruos à sacris ordinibus prorsus excludit, ibidem tit. 18. ca. 5. Consuluit. At pontificum filios ex legitimo coniugio natos, ad sacros ordines ascendere, & in ijsdem ecclesijs, quibus uel præsunt uel præfuêre parentes, eorum beneficium obtinere permittit Clemens tertius in epistola ad Casselensem episcopũ, quæ extat lib. 1. Decretalium. tit. 17. cap. 12. Ad hæc. Quod tamen decretum intelligendum uidetur de ijs filijs, qui nati sunt antequam pater ad sacros ordines accitus fuit, ut ex subsequenti cap. 14. colligitur: ubi filios in sacerdotio etiam ex legitima coniuge genitos, propter paternam incontinentiam à sacris officijs reijci posse asserit.

Electi autem examinabantur. In sacris ordinibus, & ministerijs Ecclesiasticis, ætatis maturitas, & morum grauitas, & scientia literarum inquirenda est. cap. 3. Lateranensis concilij sub Alexandro tertio.

Chirographo promittebant ordinatori obedientiam & reuerentiam. Ioannes Optatus cum Orchadum insularum ab Heinrico Madurco consecraretur episcopus, obedientiæ promissum secundum solitam uerborum formulam fecit: ut Polydorus Vergilius libro duodecimo Angliæ historiæ testatur.

Ad sacerdotiũ ordinandis castitatis seruandæ iugũ Alexander imposuit. Balæus.

Deinde ordinabantur uel ab aliquo archiepiscopo. Luxouiensis ecclesia Arnulphum in pontificem electum, à Rotomagensi episcopo, ad quem iure canonico cõsecratio spectabat, consecrari more Ecclesiastico fecit. Petrus Cluniacens. lib. 5. epistol. 6. Vicelinum Aldenburgensium, & Emmehardum Mechelburgensium episcopos ordinat Hartuigus Hamburgensis: teste Helmoldo. Et Hildebertus Cenomanensis archipræsul ad consecrationem uicini cuiusdam episcopi, qui iustam nondum habebat ætatem, uenire detrectat: Petitio uestra, inquiens, qua uocamur ad electi uestri confirmationem, facilem apud nos inueniret assensum, si eam ratio tueretur. Epist. 9.

Vel Romano pontifice. Otthoni Bambergẽsi Paschalis manus imponit. Hist. Bãberg. Hadrianus, rogãte Heinrico Leone, Geroldum Aldenburgensibus consecrat episcopum. Helmoldus cap. 81.

Præsentibus etiam uicinorum locorum episcopis. Consecrationi Alberti Moguntini plures intersunt ecclesiarum præsules Coloniæ: Vrspergensi teste. Heinricus Brunouicanus abbas in Lubecensi ecclesia à Vvalone Halberstadensi, Bernone Megapolitano, & Euermodo Racesburgensi præsulibus ordinatur episcopus: ut Cranzius in Vandalia libro 5. capite 41. indicat. Vicinos aliquot episcopos ad consecrationem alicuius præsulis conuocari solitos, ex nona Hildeberti colligere licet epistola. Et epistola 13. inquit: Famá est, episcopos ad tui consecrationem conuenire.

De ordinatione metropolitani extat Lucij tertij decretum: Si archiepiscopus obierit, & alter fuerit ordinandus, omnes episcopi eiusdem prouinciæ ad sedem metropolitanam conueniant, ut ab omnibus ordinetur. Reliqui uerò conprouinciales episcopi cęteris cõsentientibus, à tribus iussu archiepiscopi poterũt ordinari. Sed melius est, si ipse cum omnibus eum qui dignus est elegerit, & cuncti pariter pontificem consecrauerint. libro 1. tit. 11. c. 6. Si archiepiscopus.

Vel regibus. Aquisgrani Fridericus Monasteriensis episcopus, & Fridericus Imperator uno & eodẽ die ab ijsdem cõsecrantur epi-

tur episcopis. Ottho Phrysingensis lib.2. de Friderici uita, cap.3.

Tempus. Decembri præsertim mense Paschalis secundus suas fecit ordinationes, ut Panuinius testatur. Ab eodem Ottho Bambergensis episcopus in die Pentecostes ordinatur. Historia Bambergensis. Solius Romani põtificis esse, subdiaconos in diebus Dominicis ordinare: nec cuiquã in sabbato Pentecostes sacros ordines cõferendos, eo quòd subsequentibus diebus acceptæ Spiritus sancti gratiæ memoria recolatur, Alexander tertius in epistola ad Bathoniensem episcopum censet. Idem ad Herfordiensem episcopum: Sanè super eo quod moris esse dixisti in ecclesijs quibusdam Scotiæ & Valliæ, in dedicationibus ecclesiarum & altarium extra ieiunia quatuor temporum, clericos ad sacros ordines promouere: significamus quòd consuetudo illa (utpote institutioni Ecclesiasticæ inimica) est penitùs improbanda: & nisi multitudo & antiqua consuetudo terræ esset, taliter ordinati non deberent permitti in susceptis ordinibus ministrare. Nam apud nos sic ordinati deponerentur, & ordinantes priuarentur autoritate ordinandi. libro 1. titul. 11. c. 2. Sanè. Item ad eundem: De eo autem quod quæsiuisti, an liceat extra ieiunia quatuor temporum aliquos in ostiarios, lectores, exorcistas, uel acolutos, aut etiam subdiaconos promouere: tibi respondemus, quòd licitum est episcopis Dominicis diebus unum aut duos ad maiores ordines promouere. Sed ad subdiaconatum nisi in quatuor temporibus, aut sabbato sancto, uel sabbato ante Dominicam de passione, nulli episcoporum, præterquàm Romano pontifici, licet aliquos ordinare. Ibidem capite tertio. Et Vrbanus tertius ad Pisanum archiepiscopum: Episcopum, qui die quo non debuit, ordines celebrauit, canonica disciplina corrigere, & ordinatos à susceptis ordinibus tamdiu reddere debes expertes, donec apud nos restitutionis gratiam consequantur. libro 1. tit. 11. c. 8. Cum quidam.

Iusiurandum præstitêre. Ottho Bambergensium à Romano pontifice consecratur episcopus sine ulla iuramenti obligatione, quod hactenus nulli Germanorum episcopo accidisse constat: ut Bambergensis historia testatur, quod suprà etiam annotauimus.

Impositæ sunt eis manus, ut ex epistola Otthonis Bambergensis episcopi, quam suprà ascripsimus, patet.

Traditus baculus & annulus. Ottho enim acceptis ab Imperatore annulo & baculo, Bambergensibus datur episcopus. Hist. Bambergensis. Canonicus per librũ, abbas per baculũ, episcopus uerò per baculum & annulum inuestitur. Bernhardus in sermone de Cœna Domini.

Manuum & capitis inunctio fiebat, ut ex Petri Cluniacensis epistola colligitur, ubi ait: Cur non iteratur & illa unctio, qua sacerdoti cœlestia sacrificia tractaturo & sacraturo, manus inungitur, illaq́; qua pontificis caput, dum ordinatur, largiore chrismatis inundatione perfunditur, &c. Lib. 6. epistola prima.

De electione noui in Romana sede pontificis, primũ Caput Lateranensis concilij, sub Alexandro tertio celebrati, agit: Statuimus, ut si fortè inimico homine superseminante zizania inter cardinales, de cõstituendo pontifice nõ potuerit cõcordia plena esse, & duabus partibus cõcordantibus, tertia pars noluerit cõcordare, aut sibi aliũ præsumpserit ordinare: ille Romanus pontifex habeatur, qui à duabus partibus fuerit electus & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confisus, quia rem non potest, sibi nomen episcopi usurparit: tam ipse, quàm qui eum receperint, excommunicationi subiaceant, & totius sacri ordinis mulctentur priuatione, ita ut uiatici eis etiam, nisi tantùm in ultimis, communio denegetur: & nisi resipuerint, cum Dathan & Abiron, quos terra uiuos absorbuit, accipiant portionem. Præterea si à paucioribus aliquis, quàm à duabus partibus fuerit electus ad apostolatus officium, nisi maior concordia intercesserit, nullatenus assumatur: & prædictæ pœnæ subiaceat, si humiliter noluerit abstinere.

Iiq; magno apparatu ordinati sunt, & propria nomina, quæ in baptismo acceperant, maiorum suorum exemplo mutarũt. Paschalis enim postquam diu reluctatus fuisset, tandem expetente populo, eligente clero, collaudante cardinaliũ senatu, pontificium munus suscepit, maximè uerò cũ ter acclamatum esset: Sanctus Petrus Rainerũ uirũ optimum pontificem elegit. cui postea primiscrinij & scribæ regionarij, Paschalis nomen indidêre. Indutus deinde coccineã chlamydem, tiaraq́; capiti eius imposita, comitante populo & clero, equo albo ad Lateranũ perducitur, maximè uerò ad eam porticũ, quę ad Austrũ uersa, in basilicam Saluatoris ducit, quam Constantinopolitanam uocant: ubi cum in sede ad eam rem de more parata aliquandiu quieuisset, atrium Lateranense conscendens, balteo succingitur, ubi septem claues, septem sigilla pendebant, ut intelligeret, se secundum septifariam sancti Spiritus gra-

tiam sanctarum Ecclesiarum, quibus Deo autore præerat, claudendi, sigillandi, aperiendi, recludendiq; rationem habere. Inuisit quoq; sceptrum pontificum manibus gerens, ea loca, quæ solis pontificibus sunt adiudicata. Sequentibus uerò diebus consecrationem accepturus, ad basilicam beati Petri proficiscitur: in qua eum chrismate inunxêre Oddo Hostiensis episcopus, Mauricius Portuẽsis, Gualterus Albanus, Bono Lauicanus, Nilo Prænestinus, Osso Neposinus. Oddoni Hostiensi primæ partes, quas adhuc retinet, obtigêre. Post unctionem uerò in urbem rediens, coronam de more accepit. Platina in uita eius. Et de sua ad Romanam cathedram surrogatione in hunc modum ipsemet Calixtus ad Albertum Moguntinum scribit: Dominus noster felicis memoriæ Gelasius à Vienna discedens, iniunxit mihi, ut ad eius præsentiam festinarem, postquam ipse Cluniacum peruenisset. Quod cum post dies aliquot implere satagerem, in itinere de eius obitu mihi nunciatum est. Ego, ut fratribus, qui cum domino eodem uenerant, prout ratio exigebat, solatium exhiberem, Cluniacum cum graui dolore perrexi. Dum autem super eorum consolatione attentius cogitarem, ipsi grauissimum mihi onus, & uires meas omnino transcendens imposuerunt. Congregati namque in unum, die altero post aduentum meum, episcopi, cardinales, & centum clerici & laici Romanorum, inuitum me penitùs renitentem in Romanæ ecclesiæ pontificem Calixtum unanimiter assumpserunt. Vrspergensis.

EXORCIZATIO.

Vicelinus sacerdos ab Imme quadam uirgine in templo magnis laboribus eiecit dæmonium, quod egressum in Daniam se iturum sacerdoti quærenti respondebat. Helmoldus capite 56. Sclauorum historiæ.

Norbertus apud Nigellam, puellã quandam à diabolo obsessam exorcizans, à dæmone irridetur, qui Cantica canticorum per os puellæ ab initio usq; ad finem recitauit, eaq; postea Latinè & Germanicè interpretatus est. Sed tandem acriter episcopo instante, expellitur, anno 1122. ut Sigeberti habet Continuator.

Mulierem quandam ab immundo spiritu exagitatam, Bruno Casinensis abbas aqua, unde manus ipse lauerat (uide superstitionem) mulieri in potum data, præmissis prius precibus curat. Chron. Cais. lib. 4. capite 43.

Mulier quædam in Nannetensi agro, incredibili à quodã petulante diabolo exercebatur libidine. Eò fortè Bernhardus Clareuallẽsis abbas, in Aquitaniam iturus, uenit. Qui re cognita, episcopo eius loci, ut die Dominica publico edicto cœtũ cogat frequentem, mandat. Cumq; præfixa die magnus populi ad ecclesiam conuenisset numerus, inter Missarũ solẽnia, comitantibus Gaufredo Carnotensi, & Briccio Nannetensi episcopis, ipse Bernhardus ambonem ascendit, & ut omnes qui in ecclesia erant, ardentes manibus faces teneant, edicit. Quas cum & ipse cæterique episcopi ac clerici tenerent, inauditam diaboli petulantiam cunctis aperit, fornicationis spiritum, omnium qui aderant fidelium comprobatione, anathematizat, & autoritate Christi tam ad illam, quàm aliam quamcumque mulierem accessu ipsi interdicit. Extinctis itaq; luminibus, omnis diaboli illius immundi uirtus simul interijt, nec deinceps mulieri molestus fuit. lib. 4. in uita Bernhardi.

In agro Furnensi diabolus, qui se Gerardum Bethaniæ ducem mentiebatur, multisque hominibus suis præstigijs molestus erat, à Radulpho diacono adiuratur, ut dæmonem se esse fateri cogeretur. Chronicon Flandr.

Ad monachum quendam nouicium à diabolo obsessum, aqua benedicta, crux & corpus Dominicum adferũtur: uerùm diabolo recedere detrectante, frater ille scutica cæditur (nota modum) sicq; tandem liberatur. Gerhardus à Nazareth cap. 20. de Conuersatione seruorum Dei.

RITUS CIRCA IEIUNIA.

Certis & statutis temporibus ieiunia obseruabantur: ut in Quadragesima. Nam ob ieiunium Quadragesimæ Imperator à Vvolfrathusij monasterij uastatione abstinet. Auentinus lib. 6 annalium. In Quadragesima ieiunium solenne est Christianis, quod dies quadraginta ante Paschalia seruant. ibidem. Ottho Bambergensis episcopus Pomeranos, ut sexta feria à carne & lacte, more cæterorum Christianorum abstineant, & sacrosanctam Quadragesimam ieiunijs, uigilijs, eleemosynis & orationib. diligẽtissimè obseruent, docuit: teste Vrspergensi. Calixtus papa quatuor temporũ instituit ieiuniũ, in Quadragesima, in Pentecoste, Septembri & Decẽbri mensibus: teste Antonino. In Quadragesima ab uxorum consortio & carnium esu abstinendum esse, Honorius docet. Tribus in hebdomade diebus ieiunandum, censet Rupertus, quarto nimirum, sexto & septimo, lib. 3. de Diuinis officijs, cap. 5.

Et in publicis calamitatib. propter orationes ieiunatū est. Apud Moguntinos enim, urbem quinto Heinrico oppugnante, ieiunia indicuntur: teste Hedione parte 3 Chronicorum. Christiani in terra sancta à Saracenis presſi, Niniuitarū exēplo utriq; sexui ieiunium indicunt: etiam lactentibus ac uniuerso pecori pabula negantur, anno 1124. Sigeberti Continuator.

RITVS CIRCA CIBOS.

Pomeranos Ottho Bambergensis episcopus docuit, ne quid immundum comedant, non morticinium, non suffocatum, neq; idolothytum, neq; sanguinē animalium: ut scribit Vrspergensis.

DE FESTIS.

Die Dominico feriabantur. Dies Dominica, dies scilicet resurrectionis, quæ suæ saluationis causa extitit, Christianorum sabbatum est. Petrus Alfonsus tit. 12. in dialogo. Sclauorum populi diebus Dominicis ad ecclesiam conuenire, & sacris mysterijs interesse solebant. Helmoldus capite 95. Ottho Bambergensis episcopus Pomeranos secundum sanctorum patrum instituta seruare docuit, ut Dominica die uacent ab omni opere malo, & ad ecclesiam diuinum audituri officium ueniant, ibique orationibus studiosè insistant, solennitates sanctorum cum uigilijs, uel secundum quod eis indicatum fuerit, cum omni diligentia obseruent. Vrspergensis.

Aduentum Domini ab uniuersa Ecclesia semel in anno celebrari, Bernhardus testatur.

Et diebus solennibus ferias agebant. Diem Christo natalem Heinricus quintus Moguntiæ festum agit, anno 1105. Vrspergensis. Eadem festiuitate post annos nouem nuptias Moguntiæ idem Imperator celebrat: ut Sigeberti habet Continuator. Conradus rex apud Magdeburgenses feriatur, anno 1146. ut ex Mariani Scoti appendice patet. Heinricus Anglorum rex Christi natalia cum coniuge regina Elienora apud Cæsarisburgum peragit, anno 1160. Sigeberti Continuator. Sueonum historia habet, quòd Suercherus Gothorum rex nocte, qua Christi natiuitas celebratur, à seruo stabulario trucidatus fuerit, dum ad uillam & ecclesiam Tolstada, nocturnam festiuitatem uisurus adiret. Ioannes Magnus libro 18. historiæ Gothorū, capite 19. Geroldus episcopus Brunsuigæ cum Heinrico Leone eandem festiuitatem peragit: qua expleta, episcopus ad suam ecclesiam Aldenburgum contendit, solennem Epiphaniæ diem in loco episcopali acturus. Helmoldus cap. 83. in Sclauorum Chronico.

Circumcisionis Domini meminit Radeuicus lib. 4. cap. 13.

Epiphanijs. Heinricus quintus in Dominicæ apparitionis festo, quod Epiphania Græci uocant, principum conuentum egit Ratisbonæ, teste Nauclero: anno 1110, iuxta Hedionem. Canutus Obotritorum regulus, à Magno Nicolai Danorum regis filio die Magorum occiditur: ut ex Hollatiensi patet Chronico.

Græci natiuitatem Domini Epiphaniæ continuantes, duas illas festiuitates unam faciunt. Ottho Frisingensis libro septimo, capite 32.

In media Quadragesima Beccensis ecclesia dedicata est: ut Sigeberti Continuator indicat. Quadragesimam Ottho Frisingensis uocat tempus pœnitentiale, lib. septimo, capite 34. Instabant Quadragesimæ religiosi dies. Cranzius in Vandalia libro 4. cap. 28. Quadragesimam ieiunijs, uigilijs, eleemosynis & orationibus obseruare, Pomeranos Ottho Bambergensis docuit. Vrspergensis. In Quadragesima Alleluia non canitur, & secreta sanctuarij in tēplis uelis teguntur: teste Honorio in Speculo Ecclesiæ.

Palmarū. Fridericus Imperator Mediolanensi urbe direpta & solo æquata, in Oliuarū festo, in basilica sancti Ambrosij, cum oliua triumphalem gestabat uictoriæ palmam: in Paschate uerò apud Ticinenses commoratur. Nauclerus generatione 39. Dominicæ palmarum Radeuicus lib. 4. capite 17. meminit.

Magna hebdomade, qua supplicij, quod Deus & homo pro nobis subijt, memoria colitur, Isaacius Imperator uiduas eleemosynis, pauperculas uirgines dote & nuptiarum sumptu iuuabat: ut Nicetas libro 3. de Imperio eius indicat.

Dominicæ Cœnæ. Raan Rachelis Thenensis comitis filius, in ipsa Cœnæ Dominicæ solennitate Casinum, Pascha ibidem celebraturus, uenit. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 49.

In Parasceue Heinricus Leo cū suis uenit prope Cōstantinopolim: ibiq; celebrantes Dominicā passionē & sabbatū sanctū, manè in die sanctæ resurrectionis, peractis solenniter mysterijs, & prandio facto, ascenderunt curiam regis. Continuator Chronici Sclauorum, cap. 4. Eâdem die altaria suis ornamentis spoliantur, & crux salutatur: teste Honorio in sermone die Cœnæ Domini habito.

In Paschatis festo Paschalis secundus Heinricum Imperij donat diademate: ut Sige-

Sigebertus autor est. Idem pontifex cum Imperatore Pascha Coloniæ Agrippinæ celebrauit, angelica Cluniacensium seruorum stipatus caterua: ut Vincentius lib.26.cap.3. narrat. Eiusdem festiuitatis sæpius Vrspergensis & Sigeberti meminère Continuator. Ob magnitudinem diei resurrectionis Christi tota hebdomada pro una die reputatur, ideoque quotidie, Hæc est dies, cantatur, & hora uespertina non solito more, sed Missæ officio inchoatur: quia est figura illius magni diei, qui nullo terminatur uespere. Honorius in sermone de Paschate.

¶ Quidam Hyberniæ populi arbitrantur, obsequium se præstare Deo, dum per anni circulum furto & rapina congererent, quod in Paschali solennitate profusissimis, tanquam ad honorem resurgentis Domini absumeretur conuiuijs: eratq; inter eos urgens concertatio, ne fortè quis ab alio immoderatissimis ferculorũ præparationibus uinceretur.

Ascensionis Historia Bambergensis & Sigeberti Continuator mentionem faciunt. Ad celebre festum eius diei, quo memoria reditus in cœlum unà cum assumpto corpore Domini & Dei & Seruatoris nostri celebratur, omnes aulici ad Imperatorem Constantinopolitanum conuenire iussi sunt: ut Annales Nicetæ habent. Eadẽ festiuitate, Ericus Sueciæ rex ab Heinrico Dano in Vpsalensi obruitur metropoli. Ioannes Magnus libro 19. Gothicæ historiæ, cap.75.

Pentecostes. In octauis Pentecostes Hugo Rothomagensis archiepiscopus, cum alijs quibusdam eiusdem farinæ hominibus, B.Firmati ossa è terra leuauit. Sigeberti Continuator. Heinricus quartus in ipsis Pentecostes ferijs mortem obijt, anno 1107. Hæc festiuitas per dies septem celebratur, quia in septem donis Spiritus sanctus colitur. Honorius in sermone de Pentecoste. Quinquagenalia Heinricum quintum Mersburgi celebrasse, Auentinus 5. Annalium indicat. Post Lotharij obitum ad Quinquagenales ferias à Germaniæ principibus comitia Moguntiacum indicuntur. Idem.

Antichristi feces resipit, quod Alexãder de festis quibusdam sancit, inquiens: De uespera in uesperam celebrabitis sabbata uestra: festorũ tamẽ principiũ & finis, iuxta eorũ qualitatẽ & diuersarũ regionum consuetudinẽ debet attendi, & sicut magnitudo dierũ exigit, prius incipere & terminari. Diebus autẽ Dominicis & alijs præcipuis festiuitatibus, siue inter Pascha & Pentecosten, genuũ flexio nequaquã debet fieri, nisi aliquis ex deuotione id uelit facere in secreto. In consecrationibus aũt episcoporum & clericorum ordinationibus, consecrãs & cõsecratus tamen genua flectere possunt, secundũ quod cõsecrationis modus requirit. Præterea festiuitas sanctæ Trinitatis, secundũ consuetudinem diuersarũ regionum, à quibusdam consueuit in octauis Pentecostes, ab alijs in Dominica prima ante Aduentum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, quòd in aliquo tempore huiusmodi celebret spiritualiter festiuitatem, cum singulis diebus Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & similia dicantur, ad laudem pertinẽtia Trinitatis. lib.2. Decretal. tit.9. c.2. Quoniam in parte.

Exaltationis crucis. Ob solennem sanctæ Crucis exaltationis festiuitatẽ Lotharius Imperator in S.Germani oppido commoratur: ut in Chronico Cassinensi libro quarto, cap.120 scribitur. Festiuitatis sanctæ Crucis post Pascha celebratæ, fit mentio in Saxoniæ Chronico, circa annum Christi 1181.

Michaelis. Londini Anselmus ad festum Michaelis concilium agit. Catalogus testium ueritatis. Anno 1156, Heinricus Anglorum rex circa Michaelis festiuitatem apud Vvincestrum regni sui procerum agit conuentum: ut Sigeberti annotat Continuator.

Natiuitatis Mariæ meminit Vincentius libro 26.cap.14. & Sigeberti Continuator. Ioannes Cremensis cardinalis solenne Cõcilium Londonijs ad natiuitatem B.Marię celebrauit. Catalogus testium ueritatis. Bruno Hildesheimensis episcopus primus natiuitatem uirginis gloriosæ cœpit cum octaua celebrem habere, cum sit eius ecclesiæ defensatrix. Cranzius in Metropoli libro 6.cap.41.

Purificationis beatæ Mariæ. Historia Bambergensis de Otthone episcopo. Anno 1157, Heinricus Anglorum rex in purificationis festo Rothomagi commoratur. Sigeberti Continuator. Diem purificationis Heinricus Leo Ratisbonæ cum optimatibus solenniter egit: ut ex capite 3. Continuatoris Chronici Sclauorum apparet. Die purificationis Christiani lumina manibus ideo ferunt, quia Simeon uerum gentium lumen ulnis suis complexus est: ut Honorius in sermone de ijsdem ferijs refert.

Assumptionis. Mos est Romanorum, festũ illud assumptionis matris Domini inter uniuersas anni festiuitates pręcipuo honore colere, speciali deuotione uenerari. Vnde est, quòd inter plura deuoti animi sui

erga præcelsam Virginem signa, cereos maximos faciunt, quos in Vigilia festiuitatis accendunt, &c. Petrus Cluniacensis libro secundo de Miraculis, capite 30. Theodorus Castamonita cum fastu & frequentissimo comitatu per forum in Patanassæ templum 15 die Augusti, ad festum assumptionis Dei genitricis celebrandum incedit. Annales Nicetæ libro tertio, de Imperio Isaacij Angeli. Paschalis pontifex duo de uigesimo calend. Septembris, quem diem celebrem Deiparæ uirgini, quando superos petiuit, habemus, in D. Petro sacra æde Beatricem Friderici Imperatoris coniugem consecrat, Augustamque appellat. Auentinus libro sexto Annalium. Dies assumptionis Mariç, inaugurationi Philippi Francorum regis tribuitur, apud Sigeberti Continuatorem. ¶ Octauam eiusdem festiuitatis sacram haberi, instituit Reinoldus superstitiosus Coloniensium præful.

Baptistæ. Anno 1158, circa festiuitatem Ioannis Baptistæ, Heinricus Anglorum rex magno apparatu bellico occupatus fuit. Sigeberti Continuator.

Diuisionis Apostolorum. Idibus Iulij, quæ Apostolorum diuisione celebres sunt, Fridericus Mediolanenses graui conflictu cōcīdit: ut Radeuicus libro quarto, capite 46 scribit.

Petri & Pauli apostolorum festiuitate, regalia Heinricus Saxoniæ dux Ratisbonæ coram regni proceribus inuitus deponit: ut Cuspinianus de Imperatoribus annotat.

Conuersionis Pauli. Proxima quæ celebritatem conuersionis Paulinæ secuta est die, Fridericus de Cremensibus felicem reportauit uictoriam: ut ipsius Imperatoris testatur epistola apud Radeuicum libro 4. capite 67.

Vinculorum Petri. Adelgotus Magdeburgensium episcopus cœnobium S. Petro sacrum, ad urbis Mersburgensis mœnia cōditum, calendis Augusti, festiuitate uinculorum Petri illustribus, consecrauit: ut in Mersburgensi Chronico scribitur.

Illucescente die, qua sanctorum Ioannis & Pauli passio ueneräda celebratur, naualis Sclauorū exercitus per Trauenæ ostiū Lubecam uenit, eamq; uino sepultam oppugnauit: Helmoldo in Sclauorum Chronico cap. 64 testante.

Simonis & Iudæ. Heinricus Leo, ipsa Simonis & Iudæ festiuitate, Bardeuicum amplissimam ciuitatem solo æquauit, anno 1188. ut in Holsatiensi Chronico annotatur.

Iacobi. Vincentius libro uigesimosexto, capite 41.

Thomæ. In profesto S. Thomę Ottho ex Pomerania ad Bambergenses redijt. Historia Bambergensis.

In Bartholomæi ferijs Lotharius rex eligitur. Chronicon uulgare lib. 7.

Marci. Vincentius libro uigesimosexto, capite 16.

Lucæ. In uigilia S. Lucæ Euangelistæ Anglorum rex in Hyberniam transijt. Sigeberti Continuator.

Barnabæ. Tertio idus Iunij apud castrum Marcel, in festiuitate B. Barnabæ apostoli, obijt Heinricus tertius iunior rex Anglorum, anno 1182. Continuator Sigeberti.

Et martyrum aliorumque sanctorum: ut Stephani, cuius festiuitas natali Christi ideo subijcitur, quia sacrum eius corpus eo die inuētum creditur. Honorius in sermone de Stephano.

Theodori. Alexius Comnenus Imperator in fundum Ryaceni egressus est, ad celebrandam Theodori martyris memoriam, septimo primi ieiuniorum. Annales Nicetæ.

Laurentij. Castellionem castrum natura & arte munitissimum, in Laurentij festiuitate Heinricus Anglorum rex expugnauit, anno 1162. ut Sigeberti annotat Cōtinuator.

Thomæ Cantuariensis. Alexander papa canonizato Thoma Cantuariorum episcopo, Anglis præsertim, ut natalis eius dies ab omnibus ageretur festus, præcepit. Idem.

D. Georgij festiuitatis fit mentio in Bambergensi Chronico.

Lamberto sacro die Conradus Imperator conuentum Herbipoli egit: ut in uulgari quodam Chronico Germanico lib. 7. indicatur.

Alexij festiuitate, Vlrico sacrum apud Augustanos cœnobium incendio conflagrauit, anno 1183. Chron. Germanicum.

Vlrici. Saladinus Vlrici festo terram sanctam in suum ius armata manu redegit. Chronicon Germanicum lib. 8.

Martini. Fridericus Imperator omnibus primarijs Italiæ uiris & ciuitatibus apud Roncalias, die Martino sacro cōuentum indixit. Radeuicus libro tertio, capite quadragesimosexto.

Mauritij. Lotharius Imperator & Innocentius Romanus, sancti Mauritij diem in beati Petri ecclesia festum peragunt: ut in Casinensi Chronico libro quarto, capite 126 scribitur.

Sixti. Die Sixto sacro Heinricus Leo Saxonum dux è rebus humanis excessit, anno 1196. teste Funccio in Chronologia.

Sacro

Sacro Eleutherio die, magna Romę inundatio fuit, anno 1126. teste Hedione.

Clementis. In festiuitate beati Clementis Anglorum & Francorum reges orationis gratia ad montem B. Archangeli uenerunt, anno 1159. ut Sigeberti habet Continuator.

Nicolai. Apud Padebornenses in festiuitate Nicolai, angelos Responsorium cantantes auditos fuisse, Beatus Nicolaus iam triumpho potitus: Helmoldus in Chronico Sclauorum cap. 43 nugatur. Sacra D. Nicolai festiuitas à Cranzio lib. 5. cap. 34 Vādaliæ annotatur.

Hieronymi. In sancto Hieronymi festo Alexander Senonas uenit. Vincentius lib. uigesimonono, capite decimoquarto. Anno Domini 1189, secundo calend. Octobris, in die S. Hieronymi, secundus Ottho Bambergensis episcopus in deorum numerum relatus est: ut in Bambergensi scribitur Chronico.

In appendice Mariani Scoti plurimarum festiuitatum fit mentio: nimirum, Rogationum, Vigiliarum ascensionis, Petri & Pauli, Assumptionis B. Mariæ, eiusdemq; natiuitatis, S. Galli, Vndecies mille uirginum, S. Gereonis, &c.

Vualpurgis. Fridericus Imperator ad diem Vualpurgi sacrum principes regni Halberstadiam conuenire iubet. Chronicon Germ. lib. 7.

Luminum festiuitatem in uilla Antumiaco Fridericus Imperator celebrauit: teste Radeuico lib. 4. cap. 27.

Trinitatis, Transfigurationis Domini, & Conceptionis Mariæ festa hoc seculo excogitata, ex Pothone colligi potest, reprehendente nouorum accessionem festorū. Ecce, inquit, uita monastica, quæ erat columna & firmamentum religionis, in qua uidelicet uiguit disciplinę censura, morum grauitas, maturitas consiliorum, autoritatis pōdus, antiquitatis insigne, in Ecclesiasticis officijs repentinis uisa est nouitatibus acquiescere, & quasi iuuenili passa est decolorari leuitate. Miramur ergo satis, quid uisum fuerit hoc tempore quibusdam monasterijs, mutare colorem optimum, nouas quasdam inducendo celebritates. Nunquid patribus doctiores aut deuotiores sumus? Superba mente præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præteriuit. Neque uerò nos in huiusmodi aliquid inuenire possumus, quod illorū quiuerit diligentiam præterijsse. Quæ igitur ratio hæc festa celebrāda nobis induxit? festū uidelicet sanctæ Trinitatis, festum transfigurationis Domini. Additur his à quibusdam, quod magis absurdum uidetur, festum quoque conceptionis S. Mariæ. Nos in his omnibus deuotioni fidelium minimè derogamus, dum rationem quęrimus, qua rationabile obsequium nostrum offerre Domino debemus, ne fortè à uia recta deuiantes, præsumptionis spiritu seducamur. libro 3 de Statu domus Dei.

Mariæ Magdalenæ festiuitatis, sexto calend. Augusti peragendæ, Alberonem Leodiēsem episcopum inuentorem narrat Catalogus eiusdem sedis antistitum.

Deuictis ad Lubecam urbem Ranis seu Rugianis gentilibus ab Heinrico Sclauorū duce, statutum est, ut singulis annis in rei gestæ memoriam calendæ Augusti sacrę haberentur: ut Helmoldus cap. 37. in Sclauorum narrat Chronico.

Benedicti. Monachi, episcopi, cardinales Gallici festum translationis S. Benedicti celebrant in Floriacensi monasterio. Chron. Casinense lib. 4. cap. 31. De S. Benedicto hymnum, qui in magno eius festo cantatur, mendacijs pluribus refertum, queritur Petrus Cluniacensis libro quinto, epistola uigesimanona.

Parta de Scythis uictoria, & insigni edita inter eos strage, Ioannes Constantinopolitanus Imperator uota Deo persoluit, quod festum Pazinacarum nostro tempore dicitur, in rei gestæ monumentum, & grati animi testimonium. Annales Nicetæ Choniatæ.

RITVS CIRCA NVPTIAS.

SPonsalia nuptias præcedebant. Fridericus Imperator filio suo eiusdem nominis, Vngariæ regis filiam desponsauit. Verùm morte præuentus, uxorem eam nō duxit: ut Vrspergensis annotat. Manuel Imperator Constantinopolitanus, per legatos suo filio Francorum regis filiæ nuptias petit, quibus & potitur: ut Sigeberti habet Continuator. Gauterij de Elincampo filius puellam sibi desponsauit, quæ conuenientibus parentibus solenniter ipsi tradita est: celebrata sunt cætera matrimonij sacramenta, pactumque est coniugium consensu uoluntatis. Hildebertus epistola 7.

Noui coniuges in ecclesia ritu solenni à sacerdote coniungebantur. Petrus enim Diaconus cardinalis Capuanus, sedis pontificiæ legatus, in Polonia constituit, ut prophani homines publicè in tēplis matrimonio iungerētur: ut Cromerus lib. 7. de rebus Polonorum indicat. A' nouis nuptis pro benedictione nihil uult exigi Alexander tertius, in Lateranensi Synodo capite septimo. Ex partibus Emmæ mulieris, nostris est auribus intimatum, quòd Andreas

sibi coram sacerdote quodam & diacono & alijs, pluribusque tam clericis quàm laicis ad hoc conuocatis, iuramentum præstiterit, quòd ipsam ab eo tempore pro coniuge teneret, & ei sicut uxori suæ fidem seruaret: ipsa quoque Andreæ præstito iuramento promisit, se illum pro marito habituram, & fidem ei tanquam proprio uiro seruaturam. secundo tom. Concil. Lateranensis concilij parte sexta, capite uigesimo quinto, de Sponsalibus & matrimonio. Alexander tertius ad S. Eadmundi abbatem in Ramesia. Vir autem & mulier ad bigamiam transiens, non debet à presbytero benedici: quia cum alia uice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet. Vrbanus tertius in epist. ad Vigorniēsem episcopum, lib. 4. tit. 21. cap. 3.

Sequebantur conuiuia. Heinricus quintus Imperator magnificas nuptias Moguntiæ apparauit cum Mechtilda Heinrici Anglorum regis filia: ut Auentinus lib. 6 Annalium testatur.

Et ut unusquisque una coniuge contentus sit, Pomeranos Ottho Bambergensis episcopus docuit: teste Vrspergensi.

Tempus etiam obseruabatur. Nam à Septuagesima usq; ad Pascha, à Rogationibus usque ad octauam Pentecostes, ab Aduentu usq; ad octauam Epiphaniæ, solenni pōpa, consecrationis gratia templum inuisere, noui coniuges Clementis edicto prohibebantur. Gigas.

Dos numerabatur sponsæ. Ludouicus iunior Francorum rex cum Elienora Vuilhelmi Pictauiensis comitis filia, Aquitaniæ comitatum dotis loco accepit. Sigeberti Continuator. Ferens sententiam diuortij, etiam dotem restituere iubeat. Clemens tertius libro 4. tit. 20. capite 3. De prudentia. Mulier ob adulterium à uiro repudiata, dote excidit. ibidē capite quarto: Plerunque.

CASVS CIRCA NVPTIAS.

1.

Petrus Diaconus cardinalis, Romanæ sedis legatus, in Polonia sacerdotibus imperauit, ut concubinas & uxores, quibus tū liberè utebantur, repudiarent: quod Poloni non grauatè amplexi sunt. Verùm cum idem apud Bohemos moliretur legatus ille, uix uitæ periculum euasit. Cromerus lib. 7. de rebus Polonorum.

2.

Ludouici Francorum regis coniunx repudiata, Heinrico Anglorum regi nupsit: ut ex Radeuici libro quarto, capite uigesimosexto uidere licet. Quæ res multarum dissensionum inter utrosque reges occasio fuit. Heinricus enim Aquitaniæ ducatu, quem Ludouicus etiam sibi arrogabat, dotis ratione potitus est: ut Sigeberti Continuator indicat.

RITVS VISITANDI *ægrotos.*

COmmune erat officium episcopis, presbyteris & diaconis, ægrotos inuisere. Diaconus quidam Ludolpho sacerdoti de Feule animam agenti, historiam passionis Domini prælegit: teste Helmoldo cap. 44. in Sclauorum Chronico. Complures episcopi morienti Francorum regi Ludouico Crasso adfuisse, Robertus indicat.

Edebant autem ægroti suas confessiones, & communicabant: ut patet ex epistola Petri Cluniacensis, qui Guillermum quēdam decumbentem, peccata sua confessum, semel atq; iterum sacri corporis uiaticum sumpsisse testatur, lib. 3. epist. 4. Et lib. 5. epist. 39. de quodam monacho idem scribit, quòd post peccatorum confessionem absolutionem acceperit, confessionemque fidei ediderit, cum orationis Dominicæ recitatione. Ottho Phrisingensis episcopus iam iam moriturus, se Catholicæ fidei assertorem, iuxta sanctæ Romanæ, imò & uniuersalis Ecclesiæ regulam professus est. Deinde multa prius cordis contritione & humili confessione reatū suum recognoscens, sumptis sacrosanctis mysterijs, in medio multitudinis sanctorum tam episcoporum quàm abbatum, Domino spiritum reddidit. Radeuicus lib. 4. cap. 11. Pomeranis iniunxit Ottho Bambergensis episcopus, ut in infirmitate constituti presbyteros ad se uocēt, quibus peccata sua confiteantur, corpusq; Domini accipiāt. Vrspergēsis. Gerardus Clareuallēsis abbas tribus uulneribus à monacho quodam inflictis, post confessionem, pœnitentiam & acceptum corpus Domini, post triduum occubuit. Sigeberti Continuator. Ludouicus Crassus, cum mortem sibi imminere uideret, compluribus accersitis episcopis, postquam confessionis sacramento conscientiam emūdasset, sacram sibi Eucharistiam conferri postulauit. Posthæc pauimentum tapete sterni iussit, ac super eum crucis ex cinere signum fieri, ubi & iaceret & moreretur. Decumbens igitur in tapete rex, defunctus est: ut Robertus de Francis lib. 6. indicat.

De unctione ægrotantium per oleum, à pontifice consecratum, Radeuicus lib. 4. cap. 11. scribit, quòd Ottho Frisingensis episcopus lecto decumbens, pro more, sacro olei liquore perunctus fuerit. Idem officiū & Guillermo cuidam à Viceliacensi abbate præstitum, narrat Petrus Cluniacensis.

sis. Iterari, prout mihi uidetur, necesse est infirmorum unctionem: quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam illa fit unctio, remissionem. Istud indicant & ipsa uerba hoc præcipientis Apostoli: Infirmatur quis in uobis, &c. Cum igitur certum sit, causam unctionis hanc esse, ut oratio fidei saluet infirmum, ut alleuet eum Dominus, ut si in peccatis sit, dimittantur ei: cur non iterabitur unctio, præcedente unctionis causa? Nam si æger post semel red ditam sanitatem, nunquam deinceps in morbum incideret, si nunquam post primam unctionem in peccata corrueret, fateor quòd nunquam deinceps unctionem iam dictam iterari fas esset. Quòd si rursum infirmatus fuerit, si rursum peccauerit, quæ ratio ut rursum alleuietur, ut rursum ei peccata dimittantur, denuò eum inungi prohibebit? &c. Idem libro sexto, epistola prima. Ad cuiusdam nobilis uiri coniugem ungendam, Malachiam accersitum, Antoninus tit. decimoseptimo, capite tertio indicat. Fratres Domus hospitalis Hierosolymæ, ægrotis uiaticum & extremam unctionem non negabant: ut Nauclerus annotat. Ludolfum sacerdotem de Feule in extremo agone constitutum, à sacrificulis unctum esse, Helmoldus in Sclauorum Chronico capite 44. indicat. Idem & de Tethmaro capite septuagesimoquarto, & de Geroldo Lubecēsi capite 95 scribit. Sacerdos uno præsente clerico, et etiam solus potest infirmum inungere. Alexander tertius in epistola ad Carnotensem episcopū, lib. 5. tit. 40. c. 14. Quæ.

In torneamentis occisum, si corpus Dominicum suscepit, & sacri olei fuerit unctione perunctus, Ecclesiastica sepultura nō priuandum, idem ad Anatenensem episcopum statuit.

RITVS SEPVLTVRAE.

Defunctos plangebāt. Statij enim nobilissimi Mediolanensium principis cædem tota ciuitas luxit, & regijs eum exequijs terræ mandari curauit. Radeuicus lib. 3. de rebus gestis Friderici, cap. 36. Tethmarus Bremensis ecclesiæ præpositus, multis ciuium lachrymis terræ mandatur: ut Helmoldus cap. 75 testatur. Populus Hyberniæ magnis clamoribus suos mortuos luxisse, ac si summi fuerint uiri, mulieres aliquot, quæ circa funus plangerent, conduxisse, Polydorus lib. decimotertio Anglicæ historiæ testatur. De Hispanorum lugendi ratione in hunc modū Petrus Cluniac. scribit: Vidi nuper ipse in Hispanijs cōstitutus, & admiratus sum, antiquum hunc morē ab Hispanis adhuc omnibus obseruari. Mortua quippe uxore maritus, mortuo marito coniunx, mortuis filijs patres, mortuis patribus filij, defunctis quibuslibet cognatis cognati, extinctis quolibet casu amicis amici, statim arma deponunt, sericas uestes, peregrinarum pellium tegmina abijciunt, totúque penitùs multicolorē ac preciosum habitum abdicantes, nigris tantùm uilibusq; indumentis se contegunt. Sic crinibus proprijs, sic iumentorum suorum caudis decurtatis, seq; & ipsa atro prorsus colore denigrāt. Talibus luctus dolorisúe insignibus, subtractos charissimos deflent, & integri ad minus spacium anni in tali mœrore publica lege consummant. Libro quinto, epistola decimasexta.

Exequias celebrabant. Senioreti enim Casinensis abbatis cadauer, post peractas exequias terræ mandatum fuisse, in Chronico Casinensi lib. 4. cap. 104 scribitur. Ad Gerardi monachi iam sepeliendi tumulū, sine lachrymis, quousq; cuncta exequiarum solennia peracta essent, Bernhardus se sacerdotalibus indutum adstitisse, solitasque in eum preces compleuisse, ac deniq; proprijs, pro more, manibus terram super dilecti corpus proiecisse, in sermone 26 super Cantica testatur. Matthæi Albanensis corpus exanime, toto die natalis Domini seruatum est, & psalmis ac Deo fusis precibus frequentatum. Sequenti die obtulit pro eius æterna requie Innocentius papa solenne Deo sacrificium, & deuotè supernam pietatem, pro pontificis laborum suorum conparticipis requie, implorauit. Fecerunt idem & episcopi, qui tunc aderant. Tandem circa horam diei sextam, præmissa ab omnibus Christianæ sepulturæ agenda, astante clero & populo ciuitatis penè uniuerso, ad sepulchrum delatus est. Petrus Cluniacensis libro secundo de Miraculis, cap. 23.

Nihil pro exequijs & defunctorum sepulturis expendi, uult Alexander tertius in Lateranensi concilio, cap. 7.

Cadauera lauabant, & aromatibus cōdiebant. Heinrici enim quinti cadauer, exectis intestinis, sale conspersum, & Vltraiecto Spiram delatum est, anno 1126. ut Sigeberti habet Continuator. Inferiarum & extremæ lotiōis meminit Nicetas lib. 1. de gestis Isaacij Angeli. Matthæi Albanensis episcopi corpus, ut habet communis mos, ablutum monachali cuculla uestitur, & psalmodia cantatur. Osculantur plurimi manus uel pedes iacentis, & se sanctificari tali contactu uel osculis, nō irrita fide confidunt. Petrus Cluniacensis libro secundo, de Miraculis, capite 23.

Feretris ad sepulchra ferebant. In sarcophago enim lapideo Heinrici Imperatoris corpus

corpus integrum quinquennium, antequã terræ mandaretur reseruatum, Cuspinianus indicat. Lectica, qua Philippi Francorum regis cadauer inclusa erat, pallijs & quocunque funebri ornatu tecta, seruorum humeris ad Benedicti cœnobium super Ligerim defertur, ubi erat terræ mandandum. Annonius lib. 5. cap. 50. de Francorum gestis.

Fiebant cantilenæ lugubres. Vigiliarum enim in funere Ludolphi sacerdotis decantatarum, Helmoldus in Sclauorum Chron. cap. 44. meminit. In funere Philippi regis, hymnis et precibus Deo commendatã defuncti animam, Annonius lib. 5. cap. 50. de gestis Francorum indicat.

Locus sepulturæ erant cœmiteria. Nam eorum Cranzius alijq; autores sæpius meminerunt. Adolphus comes præcepit Sclauis sibi subiectis, ut mortuorum cadauera deinceps in atriũ ecclesiæ Aldenburgensis tumulanda perferant: teste Helmoldo cap. 84. Sala presbyter iamdudum dedicare cœmiteria præsumpsit, quod episcopalis est dignitatis: ut Gerhardus de Nazareth in defensione contra Salam presbyterum scribit. Vlmenses cœmiterium ad omnes sanctos, alto cinxerunt muro: ut in Historia eorum annotatur. Ottho Bambergensis episcopus apud Pomeranos constituit, ut ipsi mortuos Christianos, non inter paganos in syluis aut campis, sed in cœmiterijs recõdãt, sicut mos est omnium Christianorum, nec fustes ad sepulchra eorum ponant: ut Vrspergensis refert. Philippus Francorum rex Parisijs locum quendam Innocentis sacello uicinum, quadratis lapidibus muniri fecit, eoq; humana tãtùm sepeliri iussit corpora. Gaguinus lib. 6. de gestis Francorum.

Eaq; tum extra, tum intra urbes. Calixtus enim Romanorum pontifex de suo nomine cœmiterium in uia Appia condidit: teste Polydoro lib. 5. cap. 6. de Inuentione rerum.

Aut templa. Egilbertus & Eberhardus & Ottho, quem Largum uocant, episcopi in Bambergensi ecclesia terræ mandantur. Historia Bambergensium. Adrianus papa in basilica D. Petri sepelitur: teste Radeuico lib. 4. cap. 47. Vuelphonum patris & filij sepulchrum, apud Steingaden Lycatiorum templum ostenditur. Auentinus lib. 6. Annal. Ottho de Rietenburg, Reginoburgi in uestibulo ædis D. Haimerani sepultus est. Idem lib. 7. Vuilhelmus Pictauiensis comes, qui in Galliciam ad S. Iacobum, precum faciendarum gratia, profectus fuerat, ibidem moritur, & ante altare eidem apostolo sacrum terræ mandatur: ut Sigeberti Continuator indicat. Geroldi episcopi cadauer, à Butzouu Lubecam delatum, in medio ecclesiæ sepelitur. Helmoldus in Sclauorum Chronico cap. 95. Adrianus papa in ecclesia D. Petri, præsentibus clero, senatu populoque Romano, honorificè tumulatus est. Radeuicus libro quarto, capite 47. Et Alexius Imperator funebrem Nicolai patriarchæ pompam magnificè honorauit. Cuspinianus de Imperatoribus. Heinrici quinti corpus Spiræ, frequentissimo nobilium, cleri ac populi cœtu cõcomitante, reconditur in templo iuxta maiorũ suorum cadauera: ut in Bambergensi Chronico scribitur.

Aut monasteria. Macolmus enim Scotorum rex Dunelmẽsi cœnobio, quod ipse suis restituerat sumptibus, solennem suę nationis regum sepulturam perpetuò esse sanxit: teste Balæo de Scriptoribus Britanniæ, Centuria secunda, capite sexagesimo. Lotharij Imperatoris corpus intestinis exemptis, Tridento in Saxoniam delatum, in monasterio, quod uulgò Regia Lotharij nuncupatur, reponitur, eiusque res gestæ æri incisæ ibidem conduntur: ut testantur Auentinus libro sexto, & Cuspinianus de Imperatoribus. In eodem cœnobio & Heinrici Boiorum ducis, generi Imperatoris ossa reponuntur: teste Frisingensi & Cuspiniano. Otthonis Boiorum ducis cadauer ad Scheum delatum est, iustisque interfuêre plurimi proceres. Auentinus libro septimo. Mortuo Bambergæ Conrado tertio Imperatore, intestina eius isthic iuxta Heinrici Imperatoris secundi sepulchrum deposita sunt, corpus in Eboracense cœnobium delatum. Ibidem & Gertrudi coniugi & Friderico filio sepulturæ locus fuit. Bruschius & Cuspinianus. Luipoldus Boiorum dux in ęde Cisterciensi, uiginti millia passuum à Vienna Noricorum distante, sepelitur. Auentinus libro sexto. Otthonis secundi & Heinrici octaui fratrum, ducum Boiorum cadauera in Altorfiensi cœnobio reconduntur. Ibidem. At Leopoldum eorundem ducem in S. crucis cœnobio sepultum, scribit Otto Frisingensis libro septimo, capite uigesimoquinto. Hugo Cestriensis episcopus in monachorum cœnobio humatur. Balæus. Ottho Bambergensis episcopus in cœnobio Montis monachorum ad altare S. Michaelis, & Hermannus eiusdem sedis antistes in monasterio Theodori ad altare maius reponuntur. ibidem. Norbertus archiepiscopus Parthenopolitanus, in cœnobio B. Virgini sacro terræ mandatur. Continuator Sigeberti. Manuelis Comneni Imperatoris tumulũ in monasterio Pantocratoris lapis tegit nigricans,

& mœstum aliquid præ se ferens, qui in septem assurgit uertices. Annales Nicetæ. Suercheri Gotthorum regis sepulchrum in monasterio Aluastra ostenditur, non procul à summo altari, sub lapide magno, testimonium regij funeris referente: ut Magnus lib. 18. cap. 19. Gotthicæ Historię scribit. Corpus Friderici primi Antiochiam delatū, ibidem sepulturæ monasticæ mandatum esse, ex Chronico ordinis Teuthonici Funccius refert. Heinricus secundns Austriæ dux Viennæ ad Scotos sepultus iacet: teste Cuspiniano. Ludouicus Ludouici iunioris Francorum regis frater, Parisijs in cœnobio Dionysij terræ mandatur: ut Sigeberti annotat Continuator. Erlungi Herbipoleos episcopi ossa, propter schisma inter Romanum pontificem & Imperatorem durans, non in ecclesiæ suæ, sed Suartzachiensi cœnobij atrio reconduntur: ut Hedio scribit.

Ad sepulchra lampades & lychni adhibebantur. Calixtus enim secundus Romanorum pontifex in priuilegio, quod Bambergensi ecclesiæ concessit, mandat, ut de singulis mansis unus denarius, pro anima Imperatoris Heinrici fundatoris ad continuanda luminaria conferatur. Hist. Bamberg.

Tumulis epitaphia inscripserunt. Conradi Imperatoris coniunx Gertrudis cum hoc epitaphio sepulta est: Hic iacet regina Gertrudis, uxor quondam Conradi regis Romanorum, huius cœnobij fundatoris, translata in hanc tumbam à uenerabili abbate Nicolao, anno 1169, quinto calendas Maij. Cuspinianus de Imperatoribus. Et Ludouici Crassi tale extat apud Robertum Gaguinum epitaphium:

Illustris genitor Ludouici, rex Ludouicus,
Vir clemens, Christi seruorum semper amicus,
Institui fecit pastorem Canonicorum
In cella ueteri trans flumen Parisiorum.
Hanc uir magnanimus, almi uictoris amore,
Auro, relliquijs ornauit, rebus, honore.
Sancte Dionysi, qui seruas corpus humatum,
Martyr & antistes, Ludouici solue reatum.

Tumulo Heinrici de Lechsmūd subsequētes uersiculi, teste Bruschio de Monasterijs, in Cæsariensi cœnobio inscripti sunt:

Hoc latet in tumulo almæ relligionis amator,
Cui de Lechesgmund stirps generosa fuit:
Illustris comes Heinricus, fundator & author
Ipse monasterij Cæsariensis erat.
Quas tibi clare comes grates persoluere dignas
Posset pro meritis muneribusq; tuis?
Te pater altitonans cœlesti munere donet,
Ipse tuis meritis præmia digna ferat.
Anno milleno, centeno, quadraq; geno,
Ac bino, ah uitam mors tibi dira rapit.
Te Deus extinctum, te det requiescere sanctum
Molliter, & regnis sidere det superis.
Ipse suam faciem faciet te uisere lætam,
Clare comes: faustè perpetuoq; uale.

Et Friderici Sueuorum ducis, Conradi Imperatoris filij tumulo, in eodem cœnobio hæc addita est epigraphe:

Hic dux Sueuorum Friderich, fotor monachorum,
Et Romanorum Regis natus iacet, horum
Author fundorum: Deus huic da regna bonorum.

Heinrici quinti suorumque maiorum monumenta, apud Spirenses in summa æde hoc uersiculo inscripta uidentur:

Filius hic, pater hic, auus hic, proauus iacet istbic.

Memorias mortuorum anniuersaria die cantionibus & orationibus repetebant. Anniuersarius Eberhardi Bambergensis episcopi dies, idibus Iulij peragitur: & postridie festiuitatis Philippi & Iacobi apostolorum, Otthonis Largi, eiusdem sedis præsulis, memoria recolitur. Hist. Bambergica. Harduicus Verdensis episcopus solenne festū, die anniuersario post suum obitum peragendum, instituit. Idem & Tithmarus eiusdem sedis episcopus fecit: ut Cranzius in Metropoli libro quinto, capite decimotertio & trigesimoquarto testatur. Anniuersario Oderisij Casinensis abbatis die, Girardus eiusdem conuentus abbas pro eo in sacello D. Sebastiani defunctorum officium post primam uigiliam canit, facto initio ab antiphona, Anima mea uiuet, &c. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 79. In anniuersario cuiusdam, cum ad uigilias responsorium, Credo quòd redemptor meus uiuit, &c. cantaretur, uidit Mechtildis animam defuncti (si credere fas est) Christum amplexantem. Mechtildis lib. 6. Sextum Psalmum ideo pro defunctis cantari Honorius asserit, ut anima pœnitentis ab inferno, ubi nemo Deum confitebitur, recipiatur. Septimum uerò ideo, ne leo diabolus animā de membris Christi rapiat. In eorundem Psalmorum expositione. Sed ista sunt contra uerbum Dei.

Magni nominis uiri, de Republica & Ecclesia bene meriti, inter diuos numerabantur: ut de Otthone secundo & Heinrico Bambergensibus episcopis, alijsq; suo loco dicetur. Et Bernhardus Hildesheimēsis episcopus Godehardū suū antecessorem miraculis præclarum, è tumba leuatum, diuorū numero adscribi fecit. Cranzius.

Eorumque sepulchra auro & argento colebantur. Thomæ enim Cantuariēsis sepulchrū, ob miracula quæ ibi edebātur, præter diuinum honorem, qui ipsi cadaueri exhibebatur, à superstitiosis hominibus, autoritate Alexandri tertij, qui diuorum catalogo

catalogo eũ inſcripſerat, ut Platina narrat, poſteritas etiam cenſus nomine auxit: & Mauſoleum, quod hodie princeps Angliæ ſpectaculum eſt, ubi omnis generis donariorum meſsis in ſingulos creſcit dies, extruxit: ut Polydorus lib. 17 Angliæ hiſtoriæ ſcribit. Vicelini ſacerdotis ſepulchrum, mulier quædã cæca per ipſum curata, uelo, quo operiatur, donauit: ut in Sclauorum Chronico Helmoldus cap. 79. annotat. Ludeuici iunioris Francorum regis ſepulchrum Azila coniunx multo auro, argẽto, gemmiſque ornauit. Gaguinus lib. 6. de Francis.

Offerri etiam aliquid ſolebat ab amicis & hæredibus eccleſijs, ubi ſepulti erant ſui. Pro remedio enim animæ Vicelini ſacerdotis quotidie eleemoſyna dari ſolebat: ut Helmoldus in Sclauorum Chronico capite 79. indicat. Sed contra uerbum Dei.

Pro mortuorum animabus preces fiebant. Calixtus enim papa in concilio Romæ habito, omnium epiſcoporum & archiepiſcoporum precibus Gerardi Caſsinenſis abbatis animam commendauit. Chronicon Caſsinenſe lib. 4. cap. 80. Vt pro defunctis, quos ſingulari aliquo amore proſecuti fuiſſent, preces faciant, ſuis auditorib. iniungit Honorius, in ſermone die Chriſto natali.

Septem annis exactis poſt Matthæi Albanenſis epiſcopi obitum, Petrus Cluniacẽſis ad ſepulchrum eius ſalutarẽ pro eo hoſtiam obtulit, & omnipotenti creatori & benigniſsimo redemptori precibus & fletib. commendauit: ut de ſeipſo Petrus teſtatur lib. 2. de Miraculis, cap. 23. Item: Non rogabunt fideles Chriſtiani pro defunctis in ſpe bona fidelibus Deum, ut eis nondum plenè laxata peccata remittantur. lib. 1. epiſt. 2. Et ad Theobaldum Pariſienſem epiſcopũ: Facite hoc non ſolùm ut monachus, ſed quod multo maius eſt, ut epiſcopus: id eſt, ut nõ ſolùm eos (defunctos Cluniaci monachos) proprijs precibus adiuuetis, ſed inſuper ſubditorum ueſtrorum orationibus eos omnipotentis miſericordię commendetis. lib. 5. epiſt. 37. Item: Cui iam affectum noſtrum oſtendere non poſſumus conridendo uel conlætando, oſtendamus orando, ſacrificando, ac piè pro anima eius corã Deo collachrymando, &c. Ibidem epiſt. 38 ad Odonem priorem & fratres S. Martini de Campis.

¶ Apud Leodienſes lex erat, quę Manus mortua dicebatur, qua unuſquiſq; uita defunctus pignore redimi iubebatur, aut equo aut boue magis præſtanti, aut ſupellectili precioſiori. Eam legem Albero abrogauit, qui circiter annũ 1122. huic eccleſiæ præſedit. Catalogus epiſcoporum Leod.

CASVS CIRCA DEFVNCTOrum ſepulturam.

1.

Heinricus Reginoburgenſis epiſcopus plumbea monumẽta, in ſepulchro Bertholdi præſulis inuenta, liquefecit. Auentinus 6 Annalium.

2.

Paſchalis ſecundus inſigne crudelitatis exemplum poſteris editurus, Leodienſes Heinrici quarti amicos, ad unionem Eccleſiæ recipere noluit, niſi prius Heinrici corpus in cœnobio ſepultum effoderent, & abſque omni ſepulturæ honore in prophanum locum deponerent. Inde corpus Heinrici Spiram delatum, ubi mãdante põtifice in lapideo buſto extra eccleſiam ad quinquennium ſtetit inhumatum: teſte Vrſpergenſi.

3.

Heinricus Leo corpus Adolphi comitis, in prælio contra Sclauos occiſi, in fruſta concidi, & aſſum pigmentarij opere condiri præcepit, quo facilius in patris monumentum deportari poſſet. Helmoldus lib. 2. cap. 7. in Sclauorũ Chronico.

4.

Heinrici quinti temporibus Schiſmaticorum corpora ex ſepulchris eruta, diſperſa ſunt: inter quos & Vuigbertus fuit, qui poſt ſextum ferè ſepulturæ annum denuò effoſſus eſt: ut Crãzius in Saxonia lib. 5. cap. 21 annotat.

5.

Richardus Angliæ rex mortem ſibi uicinam perſentiſcens, iuſsit corpus ſuum ad D. Ebrulphi cœnobium, ſed cor exciſum Romagi, reliqua uerò inteſtina uiliora in Pictonum terra recondi. Mortuo itaque ipſo, corpus trifariam diuiſum, prout ipſe præceperat, ſepulturæ traditum eſt: ut Polydorus lib. 14. Anglicæ hiſtoriæ teſtatur.

6.

Duorum Richardorũ patris & filij, Normannorum ducum oſſa è ſepulchris eruta, honeſtiori ad altare S. Trinitatis traduntur ſepulturæ, præſentibus Heinrico rege Anglorum, & Normanniæ epiſcopis, anno 1163. ut Sigeberti habet Continuator.

7.

Manuel Comnenus Conſtantinopolitanus Imperator moriturus, monaſtico ſe indui habitu poſtulauit, quod & impetrauit: ut Annales Nicetæ habent.

8.

Hugoni de S. Victore animam iam agenti, cum monachi Euchariſtiam, quam ipſe anxiè expetebat, ob continuum uomitum dare diu detrectaſſent, tandem non conſecratum

cratum panem ipsi inscio porrigunt. Quem cum æger intueretur, Misereatur, inquit, uestri Deus; cur mihi illudere uoluistis? Non est iste Dominus meus. Mox illi rubore perfusi, panem consecratum in medium protulerunt: sed eo tantùm uiso, mox expirauit Hugo. Ranulphus libro septimo, cap. 19 in Polychronico.

DE RELIQVIIS SANCTO*rum, earumq; translatione.*

ETHnica superstitio sanctorũ reliquias & ossa colligendi, effodiendi, transferendi, & religiosè colendi, in Ecclesijs Antichristi imperio subditis in usu admodũ frequenti hoc quoque seculo mansit. Nam de collectione & eleuatione, testimonia in historijs passim occurrunt. Anno 1157 in octauis Pentecostes, Hugo Rothomagensis archiepiscopus, & Rotrocus Eboracensis, Richardus Constantiẽsis, & Herbertus Abrincensis episcopi, apud Moretonium B. Firmati leuauerunt corpus: ut est apud Sigeberti Continuatoré. Circa idem ferè tempus tunica Christi inconsutilis, & subrufi coloris in monasterio quodam Galliæ Argentoilo ex diuina reuelatione inuenta est, quam ipsi mater, ut literæ insertæ loquebantur parauerat. Ibidem. Gothardi ossa apud Hildesianos, teste Crãzio in Metropoli li. 6. ca. 21, per Bernhardum eiusdem sedis præsulem. & Caroli Aquisgrani per Fridericũ, & Canuti apud Danos hoc seculo leuata, in Chronico quodam uulgari Germanico leguntur. S. Disibodi ossa Moguntiæ in ueteri monasterio reperta, præsentib. tribus abbatibus, & omni eiusdẽ ecclesiæ cœtu, effossa sunt per monachum quendã, anno 1138. ut Mariani Scoti appendix habet. Guiberti Gemblacensis cœnobij fundatoris ossa, generalis Synodi decreto, per Obertum Legiensem episcopum in frequenti hominum cœtu leuantur, anno 1110. ut Sigebertus annotat. Parisijs in quodam S. Stephani monasterio capilli S. Mariæ, brachium Andreę apostoli, & caput Dionysij martyris inuenta sunt, anno 1118. Sigeberti Continuator.

Et de trãslatione. In natiuitate enim Marię feretrum Carnotum deportatum est, cui episcopus cum uniuerso cleri cœtu obuiam processit. Vincentius lib. 26. ca. 14. Vladislaus Bohemus plurimas Roma in suam reportauit terram sanctorũ reliquias, interq; quas Salomonis fuit candelabrum, quo Pragense Vito sacrum donauit templum: ut ex Bohemorum Historia Æneas Syluius cap. 24. Bohemicę Historiæ refert. Luipoldus Austriæ dux ex terra sancta, quam religionis causa ingressus fuerat, sospes reuersus, particulam quandam de cruce Domini secum attulit, quam S. Crucis cœnobitis dedit: ut Cuspinianus in Austria sua annotat. Manuel Græcorum Imperator, fugato Solimano, magnam Iconio crucis sanctæ particulam uictor deportat: ut idem de Imperatoribus scribit. Trium Magorum ossa Mediolano Coloniam (iuxta Auentinum) à Rainaldo Coloniensium archiepiscopo transferuntur. anno 1162, ut in Bambergensi scribitur Historia, & appẽdice Mariani Scoti. Ottho Bambergensis episcopus contulit monasterio S. Michaëlis crucem auro gemmisq; distinctam, recõdito in eo salutari sanctæ crucis ligno, alijsq; sanctorum martyrum reliquijs, eãq; Saluatoris crucẽ appellari uoluit, additis execrationibus, ne deinceps ulla unquã necessitate à monasterio alienetur. Ibidem. Anno Domini 1103, nonis Nouembris, cũ S. Stephani dedicaretur ecclesia, hæ in eã repositæ sunt reliquiæ: De fascijs, quibus infans in hanc lucem uirgineo partu editus inuolutus fuerat, particula lapidis de ostio sepulchri Dominici, palma quã Christus asino insidens manu tenuit, cum Hierosolymã ingressus est: & de corporibus Matthæi, Matthię, Bartholomæi, Stephani protomartyris, Laurentij, Vincentij, Sebastiani, Cyriaci, Duodecim fratrum, Cosmæ & Damiani, Luciæ & Geminiani, Marij & Marthæ. Tiburtij & Valeriani, Georgij, Hippolyti, Martini Turonensis, Stephani, Calixti, Cornelij paparum, Cypriani, Priscę & Alberti. In eadem ecclesia, cum fortè Paulini & Augustini monachorum, qui D. Benedicti fuerant discipuli, corpora effoderentur, magna reuerẽtia in ædem Andreæ sacram ab Oderisio abbate translata sunt. Chronicon Casa. lib. 4. cap. 24. Anno 1150, Theodoricus Flandrię princeps, à sacro bello domũ rediens, portionem sacri cruoris Christi secum per Leonium abbatem Bertinicum in phiala cristallina deportauit, eamq; Brugis collocauit in ęde D. Basilij. Hoc sacrosanctũ passi Domini monumẽtum, pars est, ut tradunt, illius preciosissimi sanguinis, qui de Christi exanimi corpore, priusquam sepeliretur, fuit extersus. Chron. Flandrię. Felicis papæ caput, quod multos iam annos latuerat, ex nocturna eiusdem reuelatione Heinricus Breitenaugensis abbas è terra eruit, anno 1144. eiusq; particulam Hirsaugiensi cœnobio communicauit: ut Trithemius in Hirsaugiensi Chronico nugatur. Crasto Spãheimensis comes, suo cœnobio S. Irminæ caput acquisiuit: quod suo adhuc tempore in Spanheimensi extitisse cœnobio. idem autor testatur. Veneti ex insula Chio corpus B. Theodori martyris, & lapidem in quo Christus apud Tyrum resederat, Venetias transferunt; ut Platina in uita Calixti se-

cundi scribit. Mathildis Francorum regina ad patrem suum in Angliam reuersa, S. Iacobi brachium secum eò detulit, anno 1125. ut in appendice Mariani Scoti indicatur. Gertrudis Lotharij Saxonum ducis socrus, Treuerim reuersa, S. Autoris, quondam eius sedis episcopi corpus Brunsuigam secum aduexit: teste Cranzio in Saxonia lib. 5. cap. 35. Robertus Flandriæ comes Hierosolymis ad patrios lares, S. Georgij brachio onustus rediit, quod Aquicinensi donauit ecclesiæ, anno 1100. ut Sigebertus annotat. Nobertus Pręmonstratensis abbas unam de undecim millibus uirginum, & particulam corporis S. Gereonis à Coloniensibus impetrauit, anno 1123. ut idem testatur. De eadem uirginum multitudine Heinricus in Breitenauu abbas quatuor integra corpora à Coloniensi episcopo accepit: ut Trithemius in Hirsaugiensi Chronico narrat. Translatio S. Adelarij in Erfordia facta est, anno 1154. ut in Mariani Scoti appendice scribitur.

De ueneratione. Ante sanctorum reliquias Fridericus Imperator primo diluculo orationum suarum munia Deo persoluebat. Radeuicus lib. 4. cap. 40. Casinensis abbas acceptum à Beneuentanis B. Matthæi brachiū exosculatus est, ac fratribus Casinum deferendum tradidit. His monasterio appropinquātibus, cuncti regionis incolæ, ac monachi, sacris induti uestibus, cum lampadibus & thymiamatib. læti obuiā iuêre, idq; prostrati simul omnes humili deuotione adorarunt, & oscula ei fixerunt, ac tandem cum hymnis ad monasterium id comitati sunt: quod in argenteam capsam repositum, ad altare in argentea suspensum est trabe. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 75. Frequentem populum ad Thomę Cantuariensis sepulchrum uenerationis causa concurrisse, ob miracula quæ ibi fiebant, & ob id Alexandrum pontificem diuorum catalogo eum adiudicasse, Polydorus Vergilius lib. 13. Anglicę historię testatur. Cazimirus Polonorum dux, cum sibi per Egidiū Mutinensem episcopum à Lucio 3 Romano pręsule offerrētur Floriani reliquię, ad septem ferè milliaria à Cracouia, cum ingenti omnis generis hominum multitudine, obuiā processit: ut Cromerus lib. 6. testatur.

De solenni earum ostēsione. Ludouicus Francorum rex, contra Heinricum Imperatorem pugnam initurus, Sanctorum corpora, quę locis munitissimis recondita erant, in publicum suis proceribus & uniuersæ multitudini uisenda & colēda proferri iussit. Robertus Gaguinus lib. 6. de Francis.

Præferebantur & exercitui, in hostium, ut credebatur, terrorem. Christianis enim in terra sancta cū Sarracenis pugnaturis, patriarcha crucem Domini, Pontius quidam abbas lanceā, qua Christi latus transfossum dicebatur, episcopus Bethlehemitanus in pixide lac B. Virginis prętulerūt, anno 1124. ut Sigeberti refert Cōtinuator. Capta & igni tradita Halberstadia ab Heinrici Leonis militibus, Vlricus episcopus S. Stephani reliquias in sui præsidiū manu tenens, in quadam domo repertus est: teste Cranzio in Saxonia lib. 6. cap. 40. Et Ludouico Crasso Francorum regi, extremam Carnotensibus minitanti cladem, clerus cum interiore D. Mariæ tunica occurrit, sicq; rex placatur: ut Robertus Gaguinus lib. 6. de Francis scribit.

DE PEREGRINATIONE

ad loca sancta.

ALtissimas egerat radices in hominū superstitiosorum mentibus falsa illa persuasio, locum alium alio ad faciendas preces accommodatiorem, & numinū pręsentia feliciorem. Huius itaq; seculi homines, detestādo maiorum exemplo, hinc inde precū gratia uagati sunt, & ad idola hominū industria facta prociderunt, nescientes Dei ueri hāc esse proprietatē, ubiuis locorū præstò esse, & spiritu & fide rectè inuocari posse, uelle & debere. Sic Heinricū Leonē Hierosolymam montem Olíueti, Bethlehem, Nazareth, Iordanem, quæ loca Christus suis calcasset plantis, stulta superstitione, quæ cum impietate maxima coniuncta erat, abbatum, episcoporum, comitum, & infinita populi multitudine stipatum perlustrasse, in Chronico Sclauorum lib. 2. cap. 7 scribitur. Boleslaus Polonorum dux, expiandæ fraternę cædis causa, in Narbonensem prouinciam profectus D. Ægidij, apud Vngaros D. Stephani sepulchra, & Gnesnæ Adelberti reliquias inuisit: teste Cromero li6. rerum Polonicarum. Ericus Danorum rex ex uoto Hierosolymam profectus est: ut Helmoldus in Sclauorum Chronico ca. 50. testatur. Et Ludouicus Francorum rex, stipatus comitatu regio, Hierosolymá, ut uoto satisfaceret, abijt, anno 1146. Annonius lib. 5. cap. 53 de Francis. Luipoldus Virtuosus Austriæ dux, temporibus Clementis tertij loca sacra inuisit. Cuspin. Aust.

Obsessi porrò ad sacra loca & sanctorum reliquias ducebantur, spe liberationis. Dæmoniacus enim quidam in ędem S. Stephani in Casinensi agro fortè superueniens, dum quatuor monachorum corpora, quorum nomina ignota astantibus erant, effodiūtur, in has erupit uoces: Paulinus & Augustinus cum duobus socijs suis hinc me eijciunt. Hæc cum sæpius per miseri illius os diabolus interasset, cum sanguine tandē egressus est. O' ingentem hominum cęcitatem, qui diaboli nugas pro ueritate cœlesti amplectuntur,

amplectuntur,

amplectuntur. Chronicon Cass. li. 4. ca. 24.

Et ægrotos ab ijsdem sanari credebatur. Cũ enim Alexij Comneni Imperatoris mor bus inualesceret, adeò ut deficere uideretur, Saluatoris imagine uelatus est. Diuinũ enim peplũ in chalce, quod ad faciẽ Christi appositum accepimus, ad lectum in quo decũbebat extẽsum, ipsiusq; corpus eo inuolutum est. Vnde morbi uehemẽtia statim remissior facta est: ut Cuspinianus de Imperatoribus scribit.

DE MONACHATV, *eiusq; ritibus.*

ORdines monachorum hoc seculo uehementer adaucti sunt: omnia enim loca superstitionibus fuerunt refertissima. Recensebimus autẽ factiones siue sectas illas ex historijs, quãta fieri poterit breuitate.

ORDO CISTERCIENSIS.

Præclarũ in episcopatu Lingonẽsi, quod Molismus appellatur, cœnobium est, doctorum monachorum multitudine, & rerũ gulæ & uentri seruiẽtium copia olim insigne. At cum pietatis studium & prępostera uentris cura in una sede nõ facilè morentur, lasciuiores facti sunt monachi. Viginti igitur & unus ex illo conuentu fratres, unà cũ Roberto abbate (qui à Stephano Hardingo quodã Anglo peregrinationis duce, ut Volaterranus indicat, persuasus fuerat) dissolutę inter monachos uitæ pertæsi, pari consilio egressi, in locum quendam solitarium, & ab hominum consuetudine remotum, religionis ergò commigrarunt. Post multas tandem difficultates & molestias, quę ipsos à pio, ut iudicabant, proposito retrahere uidebãtur, exuperatas, Cistercium locum quendam horridum, & hominibus ob ueprium densitatem uix peruium, perueniunt, ibique, cùm suo uitę generi, quod durissimum expetebant, eum maximè con uenire arbitrarentur, suas figunt sedes. Horum uotis mox adstipulãtur Hugo Lugdunensis archiepiscopus, Vualtherius Cabilonensis episcopus, & Odo Burgundiæ dux, qui & potestatem & facultatem extruendi cœnobium cõcedunt, in quo Robertus abbatis munere aliquandiu functus est. Sigebertus annum Christi circiter 1098 hæc facta esse scribit, cui & Antoninus adstipulatur tit. 15. cap. 17. Post Robertũ successit Stephanus Hardingus, qui suam regulam scripto complexus est, quam Charitatis chartã fratres illi appellarunt, eiusq; Romanorum pontificem aliosq; abbates uiginti habuerunt approbatores & confirmatores, circa Salutis annum 1107. Sigebertus.

Sũma autem Chartę charitatis hæc erat: Abbas Cistercij & fratres eius nõ immemores sponsionis suę, regulam beati Benedicti in loco illo ordinatam unanimiter statuerunt tenere, reijcientes à se quicquid regulę refragabatur, froccos uidelicet & pelliceas & stamina, caputia quoq; & femoralia, pectinia, & coopertoria stramina lectorum, ac diuersa ciborum in refectorio fercula, sagimen etiam, & cætera omnia quæ puritati regulę aduersabantur. Sicque rectitudinem regulæ supra cunctum uitæ suæ tenorem ducentes, tam in Ecclesiasticis quàm cęteris obseruationib. regulę uestigijs sunt adæquati seu conformati. Exuti ergo ueterem hominem, nouum se induisse gaudebant. Et quia nec in regula, nec in uita S. Benedicti eundem doctorem legebant possedisse ecclesias, uel altaria, uel oblationes & sepulturas, uel decimas aliorum hominum, seu furnos, molendina, aut uillas, uel rusticos, nec etiam fœminas monasterium eius intrasse, nec mortuos ibidẽ, excepta sua sorore, sepelijsse: ideo hæc omnia abdicauerũt, dicentes: Vbi beatus pater Benedictus docet, ut monachus à secularibus actibus se faciat alienum, ibi liquidò testatur, hoc non debere uersari in actibus uel cordibus monachorũ, qui nominis sui etymologiam hæc fugiẽdo sectari debent. Decimas quoq; aiebant à sanctis patribus (qui organa erant Spiritus sancti, quorumq; statuta trãsgredi sacrilegium est committere) in quatuor partitiones distributas: unã scilicet episcopo, alteram presbytero, tertiã hospitibus, ad illam ecclesiam uenĩetibus, seu uiduis & orphanis, siue pauperibus aliũde uictũ non habentibus, quartam restaurationi ecclesiæ. Et quia in hoc computo personã monachi, qui terras suas possidet, unde & per se & p pecora sua laborãdo uiuat, nõ reperiebant: idcirco hęc ueluti aliorum ius iniustè sibi usurpare detrectabant. Ecce huius seculi diuitijs spretis, cœperũt noui milites Christi, cũ paupere Christo pauperes inter se tractare, quo ingenio, quo' ue artificio, seu quo exercitio in hac uita se, hospites & pauperes superueniẽtes, quos ut Christũ suscipere pręcipit regula, sustẽtarẽt. Tũc que definierũt, se cõuersos laicos barbatos, licentia episcopi sui, suscepturos, eosque in uita & morte, excepto monachatu, ut semetipsos tractaturos: & homines etiã mercenarios (quia sine adminiculo istorum nõ intelligebant se plenariè die noctéq; præcepta regulæ posse seruare) suscepturos. Quũque terras ab habitatione hominum remotas, & uineas, & prata, & syluas, aquasq; ad facienda molendina (ad proprios tamen usus) & ad piscationem, & equos, pecoraq; diuersa, necessitati hominum utilia, ad exercẽdas agriculturas instituisset, decreuerunt, ut prędicti conuersi domos illas regerent,

rent, non monachi: quia habitatio monachorum secundum regulam debet esse in claustro ipsorum. Quia etiam B. Benedictũ nõ in ciuitatibus, nec in castellis, aut in uillis, sed in locis à frequentia populi semotis cœnobia construxisse, sancti uiri illi sciebãt, idem se æmulari promittebant. Et sicut ille per duodenos monachos, monasteria constructa adiuncto patre disponebat, sic se facturos confirmabant. Sigeb. Antoninus.

Commẽdat & Petrus Blesensis ob disciplinæ rigorem hoc monasticæ uitæ genus in epistola quadam, in hunc modum: Ferrẽ patientius, si ad Cisterciensis ordinis obseruantiam te transferres. Si enim religionem in proposito habes, ibi probatissimæ religionis schola est, summus ibi modestiæ usus, morũ regularitas, fraternitatis affectio, pax animi, omnium communicatio, mutuũ obsequium, disciplinæ rigor, amor obediẽtiæ, uinculum charitatis, carnis seruitus, hospitalitatis exhibitio, legendi libertas, uigiliarum excubiæ, quies meditationis, deuotio psalmodiæ. Item in alia epistola ad Cistercienses monachos: Vna omniũ uox est, quia Cisterciensis ordinis professores tãto differentius præ cæteris triumphales sanctitatis titulos referunt, quanto expressius religionis apostolicis inhęserũt uestigijs, in tenuitate ciborum, in asperitate uestium, in uigilijs, in confessionibus, in disciplinis, in psalmis, in humilitate & hospitalitate, obedientia & charitate, & cæteris quibus fructus uitæ seminatur.

Et plerosq; sanctitatem in ijs monachis admiratos quidem esse, at propter uitæ austeritatẽ resilijsse plurimos, & ob id difficilia fuisse eius ordinis initia, in Bernhardi uita scribitur. Sub Innocẽtio uerò secũdo Cistercienſem & Præmonstratensem ordines magna accepisse incrementa, alij testantur.

Hac sanctitate, seu, ut uerius dicamus, hypocrisi, hominum animos plurimum sibi deuinciebant, qui largissimè eorum fouebant conuentus. Verùm illi temporis progressu, eleemosynarum collatione non contenti, contra regulam suam prædijs, uillis, molendinis, alijsque bonis inhiabant, & in suum ius redigebãt: ut ex Alexandri tertij epistola, quam subijcimus, ubi ea de causa illos reprehendit, patet.

Alexander tertius abbatibus Cisterciẽsibus, in capitulo Cisterciensi cõgregatis: Recolentes qualiter hæc plantatio sancta, hæc uitis fructifera, hæc denique uinea Domini Sabaoth sub primis ordinis patribus pullulauit, &c. Nunc autem aliqui ex uobis pristinæ institutionis obliti penitùs uel ignari, contra ordinis uestri gloriam & decorem uillas, molendina, ecclesias & altaria possident, fidelitates & hominia suscipiũt, rusticos & tributarios tenent, & omne studium adhibent, ut termini eorum dilatẽtur, quorum conuersatio esse debet in cœlis. Læditur hinc ordo penitùs, & mutatur. Ideoque sanctum & uenerabile collegium uestrum precibus & monitis, quibus possumus, exhortamur, quatenus domus illę, quæ in prima sui origine in ordine uestro sunt fundatæ, constitutis & ordinatis terminis sint cõtentæ, nec uelint ad ea manus extendere, quæ sine laboribus & periculis multis, & demum sine ordinis magna cõfusione minimè poterunt retinere. Si enim relictis originalibus ordinis statutis, ad communem uolueritis aliorum monasteriorum uiã diuertere, oportebit & uos communi iure cẽseri: quia dignum est, ut qui similem cum alijs suscipiunt uitam, similem sentiant in legibus disciplinam. Quoniam domus illæ, quæ de alijs institutionibus ad uestrum se ordinem transtulerunt, uestris omnino satagunt usibus cõformari: ut relictis uidelicet possessionibus uel mutatis, quas nostra institutio non recipit, sic se in omnibus uestrę religioni coaptent, ut quẽadmodum se gaudent in societatem ordinis, mutatione habitus & obseruatione regulari assumptos, sic etiam in parcitate tẽporalium rerum se lætentur institutionibus confirmatos. Sanè si super possessionibus ipsis, in aliquo de monasterijs uestris Apostolicæ sedis autoritas dispensauit, à nullo uestrũm sumẽdum est exemplũ: quia temerarium est penitùs, & absurdum, & indignum, aliquẽ sua sibi authoritate præsumere, quod Romana ecclesia alicui monasterio, certa ratione inspecta, singularibus uoluit beneficijs indulgere. Tom. 2 Conciliorum.

HOSPITALARIORVM.

Triplicem hoc seculo Hierosolymis monachorum cœpisse ordinem, Æmilius lib. 5 de gestis Francorũ indicat: quorũ primus fuit Hospitalariorum D. Ioãnis. Antequam enim sacri milites terram sanctam ex barbarorum faucibus armata iterum eruerẽt manu, mercatores Itali, qui Oriẽtem negotiationum causa petebant, ad Saluatoris sepulchrum potestatem ędificandi templũ, quod D. Virgini sacrum est, à gentilium Imperatoribus impetrarunt, ubi Latinorum ritu sacra fierent. Templo mox cœnobium uirorum, quo Latini hospites exciperentur, adiunctum fuit. Breui pòst tempore alterum uirginum cœnobium D. Marię Magdalenę iuxtà dedicatum, quod fœminas peregrinãtes exciperet, cui Agnes quædam primò præfuit.

Victitabat autem uterq; conuẽtus ex Latinorum eleemosynis & pietate. Additum

utrisq;

utrisq; & xenodochiũ, ualetudinariumq́; ac ędicula D. Ioanni sacra, ubi ex eorum numero castitatem obedientiamq́; monasticã profitentiũ, reliquis tamen muneribus exempti, peregrinorum & ægrotantium curã egerunt. Tyrius lib. 18. cap. 5. Et quoniam, inquit Iacobus de Vitriaco, Dominus erat cum eis, ab omnibus amabantur: unde factum est, quòd largitione principũ & eleemosynis fidelium modico tempore adeò ditati sunt, ut ab uniuersis Occidẽtalium prouincijs reditus copiosos colligentes, casalia sibi & oppida, tanquam terræ principes comparantes, ditioni suæ subiecerint. Lib. 1. de historia Hierosolymitana, cap. 30.

Hi à Patriarcha, tam uiri quàm mulieres, cruce alba ad dextram nigri quo utebantur pallij insigniti erant: Hospitalarij seu Iohannitæ uocati. Polyd. Iacobus de Vitr.

TEMPLARIORVM.

Alter templariorũ, haud longo interiecto spacio post priorem, circiter Salutis annum 1123, ut Antoninus ait, hac occasione ibidem cœpit: Recepta licet de barbaris Hierosolymorũ urbe, nusquam tamen tutũ erat Christianis, religionis gratia eam petẽtibus, ob Saracenorũ latrocinia, iter. Hugone de Paganis itaq;, & Ganfredo de S. Aldemaro, ut Tyrius ait, alijsq; septem Latinorum uiris primarijs, autoribus, cœtus quidam in porticu templi Salomonis (unde postea ordo iste nomen traxit) coijt, & ibi suas habuit sedes: qui armis cincti uias publicas ab hostiũ latrocinijs uindicare, ut Ioãnes de Opido narrat, ac Christiani nominis uiros illuc peregrè profectos, per templa ac cætera loca sacra, quo omnem terram sanctam tutò inuiserent, comitari solebant: ut Tyrius lib. 12. cap. 7: & Polydorus lib. 7. de Inuẽtione rerum testãtur. Amplectebãtur quidem canonicorum regularium instituta, ut idem Ioannes scribit: at nihil tenebant proprij, sed hospitum fouebantur liberalitate. Ranulphus lib. 7. cap. 16. in Polychronico.

Certam ipsis uitę normam Bernhardum Clareuallẽsem præscripsisse, uno ore ab autoribus traditur. Ac extat inter eius opera ad milites templi exhortatio quędam, Hugoni eius sectæ autori ab eodem inscripta, ubi inter cætera piam eorum conuersationem stringit: attamẽ regulæ ab ipso scriptæ nusquam facit mentionem. Et quia totius penè ordinis rationem ex Bernhardi relatione cognoscere licet, non ingratũ fore Lectoribus speramus, si ipsius uerba ex quarto & quinto exhortationis capitibus huc adscripserimus. Primò quidem (inquit Bernhardus) utrolibet disciplina nõ deest, obediẽtia nequaquã contẽnitur, itur & reditur ad nutũ eius qui præest, induitur quod ille donauerit, nec aliunde uestimentũ seu alimẽtũ pręsumitur. Et in uictu & uestitu cauetur omne superfluũ, soli necessitati consulitur. Viuitur planè in cõmuni iucunda & sobria conuersatione, absq; uxoribus & absq; liberis. Et ne quid desit ex Euangelica perfectione, absq; omni profectione, absq; omni proprio habitant, unius moris in domo una, soliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis. Dicas uniuersę multitudinis esse cor unum & animã unam, ita quisq; non omnino propriam sequi uoluntatẽ, sed magis obsequi satagit imperanti. Nullo tẽpore aut ociosi sedent, aut curiosi uagãtur: sed semper dum procedunt (quod quidem rarò contingit) ne gratis comedant panem, armorum seu uestimentorum uel scissa resarciunt, uel uetusta reficiunt, uel inordinata componunt, & quæq; postremò facienda magistri uoluntas & cõmunis indicit necessitas. Persona inter eos minimè accipitur, defertur meliori, non nobiliori. Honore se inuicem præueniunt: alterutrũ onera portãt, ut sic adimpleãt legem Christi. Verbum insolens, opus inutile, risus immoderatus, murmur uel tenue siue susurrium nequaquam ibi deprehenditur inemendatũ. Scacos & aleas detestantur, abhorrent uenationem, nec ludicra illa auium rapina (ut assolet) delectantur. Mimos & magos & fabulatores, scurrilesq; cantilenas, aut ludorũ spectacula tanquã uanitates & insanias falsas respuunt & abominãtur. Capillos tondent, scientes, iuxta Apostolũ, ignominiã esse uiro, si comam nutrierit. Nunquam compti, rarò loti: magis autem neglecto crine hispidi, puluere fœdi, lorica chaumate fusci. Porrò imminente bello, intus fide, foris ferro, non auro se muniunt, quatenus armati, & non ornati, hostibus metum incutiant, non prouocẽt auaritiam. Equos habere cupiũt fortes & ueloces, non tamen coloratos aut phaleratos: pugnam quippe, non pompã: uictoriã, sed non gloriã cogitantes, & studẽtes esse magis formidini, quàm admirationi. Deinde non turbulenti aut impetuosi, & quasi ex leuitate pręcipites: sed cõsultè, atq; cum omni cautela & omni prouidentia seipsos ordinantes & disponentes in aciem, iuxta quod de patribus scriptum est: Veri profectò Israelitæ procedunt ad bella pacifici. At uerò ubi uentum fuerit ad certamẽ, tum demum pristina lenitate postposita, tanquam si dicerent, Non'ne qui oderũt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? irruunt in aduersarios, hostes uelut oues reputant, nequaquam, etsi paucissimi, uel sæuam barbariem, uel numerosam multitudinẽ formidantes. Nouerunt siquidem non de suis præsumere uiribus, sed

de uirtute Domini Sabaoth sperare uictoriam: cui nimirum facile esse confidunt, iuxta sententiam Machabæi, concludi multos in manus paucorum, & non esse differentiã in conspectu Dei cœli liberare in multis. & in paucis: quia non in multitudine exercitus est uictoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Quod frequẽtissimè experti sunt, ita ut plerunq; quasi persecutus sit unus mille, & duo fugarint decem millia. Ita deniq; miro quodã & singulari modo cernũtur & agnis mitiores, & leonibus ferociores, ut penè dubitem, quid potius censeam appellãdos, monachos uidelicet, an milites: nisi quòd utrumq; forsan congruentius nominarim, quibus neutrũ deesse cognoscitur, nec monachi mansuetudo, nec militis fortitudo. De qua re quid dicendum, nisi quòd à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Tales sibi elegit Deus, & collegit à finibus terrę ministros ex fortissimis Israel, q uerè lectulũ Salomonis, sacrũ scilicet sepulchrũ, uigilãter & fideliter custodiãt, omnes tenẽtes gladios, & ad bella doctissimi.

Est uerò templum Hierosolymis, in quo pariter habitãt, antiquo & famosissimo illi Salomonis impar quidem structura, sed nõ inferius gloria. Siquidẽ uniuersa illius magnificentia in corruptibilib. auro & argẽto, in quadratura lapidũ & uarietate lignorum cõtinebatur: huius aũt omnis decor, & gratæ uenustatis ornatus, pia est habitantiũ religiositas, & ordinatissima conuersatio. Illud uarijs extitit spectaculum coloribus, hoc diuersis uirtutibus & sanctis actibus uenerandũ. Domũ quippe Dei decet sanctitudo, qui nõ tã politis marmoribus, quàm ornatis moribus delectatur, & puras magis diligit mẽtes, quàm superauratos parietes. Ornatur tamen huius quoq; facies templi, sed armis, non gẽmis: & pro antiqs coronis aureis, circũpendentibus clypeis paries operitur: pro candelabris, thuribulis atq; urceolis, domus undiq; frenis, sellis ac lanceis cõmunitur. Planè his omnibus liquidò demõstrãtibus, eodẽ pro domo Dei feruere milites zelo, quo ipse quõdam militũ dux uehemẽtissimè inflãmatus, armata illa sanctissima manu, nõ tamen ferro, sed flagello, quod fecerat de resticulis, introiuit in templũ, negociantes expulit, numulariorũ effudit ęs, & cathedras uẽdentiũ colũbas euertit, indignissimũ iudicãs, orationis domũ huiuscemodi forensibus infestari. Tali proinde sui regis permotus exemplo deuotus exercitus, multo sanè indignius, lõgeq; intolerabilius arbitrans, sancta pollui ab infidelibus, quàm à mercatorib. infestari, in domo sancta cũ equis & armis cõmoratur, tã ab ipsa quàm à cæteris sacris omni infidelitatis spurca & tyrãnica rabie propulsata, ipsi in ea die noctuq; tã honestis quã utilib. officijs occupantur. Honorãt certatim Dei tẽplum sedulis & sinceris obsequijs, iugi in eo deuotione immolãtes, non quidẽ ueterũ ritu, pecudũ carnes, sed uerè hostias pacificas, fraternã dilectionẽ, deuotã subiectionẽ, uoluntariã paupertatẽ. Hæc Hierosolymis actitãtur, & orbis excitatur. In alio tamen loco idem Bernhardus in põpas ac cupiditates eorundem grauiter inuehitur, dicens: Quis hic, ô milites, tam stupendus error & furor, tãtis sumptibus & laborib. militare, stipendijs uerò nullis, nisi aut mortis aut criminis? Operitis equos sericis, & pendulos nescio quos pãniculos loricis superinduitis. Depingitis hastas, clypeos & sellas, frena & calcaria auro & argẽto circũornatis, & cũ tanta põpa, pudendo furore & impudẽti stupore ad mortẽ properatis. Militaria sunt hæc insignia, an potius muliebria ornamẽta? Nũquid fortè hostis mucro reuerebitur aurũ, gẽmis parcet, serica penetrare nõ poterit? Deniq; ipsi sæpius certiusq; experimini tria esse pręcipuè necessaria pręliãti, ut scilicet strenuus industriusq; & circũspectus sit miles ad se seruandũ, expeditus ad discurrẽdũ, & prõptus ad feriendũ. Vos per contrariũ in oculorũ grauamen ritu fœmineo comã nutritis, lõgis ac profusis camisijs ꝓpria uobis uestimẽta obuoluitis, delicatas ac teneras manus amplis ac circũfluentib. manicis sepelitis. Nec aliud inter uos bella mouet, litesq; suscitat, nisi aut irrationalis iracũdię motus, aut inanis gloriæ appetitus, aut terrenę qualiscũq; possessionis cupiditas. Talibus certè ex causis neq; occidere, neq; occumbere tutum est. At uerò milites Christi securi præliantur prælia Domini sui, nequaquàm metuentes de hostiũ cęde peccatum, aut de sua nece periculum, quando quidem mors pro Christo ferẽda sit uel inferenda. Antoninus tit. 15. capite 20.

Cęterũ de mandato Honorij Romani, in quodam Gallię concilio Templi militibus uiuendi regulam præscriptã, & album uestitum adsignatum esse, autor Tyrius est li. 12. cap. 7. Concilij locum Trecas fuisse, Iacobus de Vitriaco testatur li. 1. de historia Hierosol. ca. 31. Porrò cãdido pallio Eugenius postea rubeã crucem affigi pręcepit, qua de suo officio monerẽtur: ut scilicet ꝓ Christo mori parati essent, & ut ipsi cõtra gẽtiles primi arma caperẽt. Nec fas erat eis terga dare, aut sine belli ducis iussu ad suos reuerti. Ioan. de Oppido, Iacob. de Vitriaco. Et de ijsdẽ Alexãder 3. Romanus põtifex scribit, qđ relictis suis Christũ sequãtur, & à paganorũ iniusto imperio Orientis Ecclesiam liberẽt, & Christiani nominis hostes expugnent: ac quòd

ac quòd pijs Hierosolymã euntib. uel inde pedem ad suos referentib. tutum parent iter. Omnes itaq; monet pontifex, ut sua liberalitate quisq; spontaneæ eorum subueniat inopiæ. 2. Tomo Conciliorum.

In bellis fortè capti à barbaris, solo cingulo & cultello redimebantur. Nam cum Saladinus pro redemptione sui nepotis Magistrum templi Christianis offerret, grauiter Magister ille contradixit, non, inquiẽs, esse consuetudinis militum templi, ut aliqua redemptio daretur pro eis, præter cingulum & cultellum. Et ita in uinculis mortuus est. Sigeberti Continuator.

Fuerunt huius ordinis initia quidẽ parua, sed maxima indies accessère incrementa. Fide enim & pietate erga peregrinos, in lõgè dissitis prouincijs sibi conciliarunt hominum fauorem: qui de illis uicissim bene mereri cupientes, amplissima in eos contulère beneficia, ut in immensum penè eorũ excreuerint opes: ut Bergomẽsis & Schedelius scribunt. Regibus ipsos ditiores effectos, ait Matthæus Parisiensis.

TEUTONICORUM.

His accessit ordo tertius, Teutonicorũ, ex utroq; priorũ mixtus. Nam & ipsi hospitio excipiebãt peregrinos, suę pręcipuè nationis homines, ac necessitate exigẽte, etiã armis pro religione pugnabãt. Initium autẽ fecère Teutones. Cũ enim Ptolomaidis obsidio lõgius protraheretur, multi militũ ex dysenteria laborare cœperunt, & nõ pauci eo morbo quotidie absumpti: multi quoq; hostiũ telis icti, sine aliorũ cura & cõmiseratione in castris uagati sunt. Lubecani itaq; & Bremenses, qui instructa classe Christianis cõtra Saracenos Ptolomaidẽ oppugnãtibus auxilio uenerant, miserorũ clade moti, extẽsis in terra nauiũ uelis, tuguriola cõstruebãt, ægros colligebãt milites, ijsq; ad sanitatẽ corporis recuperandã facietia largè suggerebãt. Cæteri Christianorũ principes, inter quos Fridericus Sueuiæ dux, & Heinricus Brabãtię primas tenebãt, horum pietatem considerantes, communi consilio de nouo aliquo ordine Germanorum militum, nobili stemmate prognatorum, instituendo cogitant. Ex Templariorum itaq; & Iohannitarum nuper confirmatis ordinibus, medius quidam tertius conflatur. Chronicon Coloniense. His Hierosolymorũ rex Domum hospitalem Hierosolymis cõcedit, quæ Mariæ sacra erat, à qua & ordini nomẽ fieri debebat, ut uidelicet milites Domus hospitalis S. Marię in Hierusalẽ appellarẽtur. Ac ne qd huic ordini deesset, statim mittũtur inde ad Imperatorem Heinricũ sextũ in Germaniã legati, eius cõfirmationẽ petitum. Imperator pijs, ut ipse arbitrabatur, uotis non solũ lubens annuit, sed simul ad Romanæ sedis pontificẽ suos Hierosolymitanis adiũgit legatos, ꝑ noui instituti approbatione intercessuros. Pontifex Celestinus tertius, qui paulo antè ad eũ dignitatis gradũ cõscenderat, ut tãtorum principũ gratiã aucuparetur, eorũ petitioni mox locũ dat, ordinẽ confirmat, quædã in uiuẽdi regula addit, quędã mitigat, pro ut suus ipsi superstitionũ spiritꝰ suggerebat.

Eiusdẽ põtificis autoritate, alba uestis cũ nigra cruce, qua ab alijs differrẽt, & clypeus albus nigra cruce tinctus ipsis conceditur, sanctiq; Augustini regulã sectari iubentur. Multas deniq; põtificias peccatorũ remissiones, & alias, ut uocant, gratias idẽ cõcessit illis, qui aut huius ordinis sacris initiarẽtur, aut suis eũ facultatib. iuuarent, ut Polydorus & alij ex Borussiaco Chro. annotãt.

Nemo autẽ nisi Teutonicus, & quidẽ illustribus ortus parẽtibus, in horũ adsciscebatur consortiũ, ea proposita cõditione, ut quouis tẽpore pro religione uitam in discrimen adducere, ac fortiter pugnare paratus sit: ut Æmylius li. 5. de gestis Frãcorũ, & Polydorus li. 7. de Inuẽtione rerũ, ca. 5. testãtur.

Cæterùm erant horum duo genera, alij sacris præerant, quibus solis barbam alere fas nõ erat. His summus imperabat Magister, penes quem solũ in delinquentes pro suo arbitrio animaduertendi ius erat. Pœna aũt clàm, cunctis ignorantib. infligebatur. Cæteri qui rei militari operam dabãt, à rasione sacrisq; ministerijs immunes erant, teste Polydoro: at singulis dieb. noctibusq; ducenties orationem Dominicã, Symbolum Apostolicum & Angelicã salutationẽ repetere, ac uilibus in somnis uti stragulis cogebantur. His per summum magistrum alius quidam præficiebatur, penes quẽ cõtumaces pro delicti ratione puniendi erat potestas: ut in Borussiaco annotatur Chrõ.

Aliquanto pòst huius ordinis milites, occupata denuò à Saracenis terra sancta, in Borussiã abière, quã belli iure subactam, ibi, teste Polydoro, suę religionis sedẽ statuerunt: ut suo loco nobis dicendum erit.

PRAEMONSTRATENSES, *seu Norbertini.*

Norbertus Lotharingus illustri familia natus, relictis seculi põpis, monasticẽ professus est, ubi diaconi & presbyteri gradib. ornatur. Monachorũ aũt contubernaliũ uita dissoluta motus, ipse in eremum quandã Leodiensis diœcesis egressus, arctius & cunctis priorib. seculis inauditũ monasticę uitæ genus, sub Augustini regula, cũ socijs tredecim undequaquã collectis arripit. Nudis ipse Norbertus pedib. in hyemis asperitate, prædicationis gratia, passim autoritate Ca

lixti pontifici oberrabat, circa Salutis annū 1119. ut Sigeberti annotat Continuator. Antoninus annum habet 1120. Extant in Chronico Martini de huius sectæ primordijs hi duo uersus:

Anno milleno, centeno, bis quoq; deno,
Sub patre Norberto, Præmonstrati uiget ordo.

Fingebant autem impostores illi, quo facilius auram captarent popularem, è cœlo suam sibi religionem traditam, ac locum uisionis Præmonstratum, seq; Præmonstratenses appellabant. Horum institutum Calixtus secundus autoritate pōtificia statim cōfirmauit, eosq;, ut Bruschius indicat, Canonicos regulares exemptos appellauit. Vestiuntur autem illius sectæ professores alba tunica cum linea toga sub candido pallio, quo potissimùm à Canonicis discernūtur: ut Polydorus li. 7. cap. 3. de Inuentione rerum indicat.

Fœcundus autem fuit hic error. Nam sub ipsum statim initium Syriam, Normanniā, Flandriā, Angliam, Vasconiam, Gothiā, Hispaniam, Burgundiam eius propagines recepisse, Sigeberti Continuator annotat.

Cæterùm habuit ordo iste hoc peculiare, ut ubi esset monachorum collegium, ibi puellarum etiam (scilicet haud stultè sapuerunt illi boni socij) non tantùm non procul abesset, sed contigua etiam esset habitatio: ut Bruschius indicat.

VVILHELMITARVM.

Vuilhelmus Aquitaniæ Galliarum prouinciæ dux, & Pictauiensis comes, B. Bernhardi discipulus, abiectis secularib. armis, eremū ex uana superstitione ingressus est: ac lorica ferrea super carne nuda indutus, crebris orationibus, uigilijs, ieiunijs alijsq; superstitionibus suū affligebat corpus. Tāti uiri hypocrisi multi secularium & religiosorum fascinati, sua posthabita uocatione, ipsi se cōiunxerunt, ac eremiticum uitæ genus, quod iam penè ob monachorum luxū esse desierat, cum eo amplexi sunt, & quasi restituerunt. Tanta aūt fide hoc uitæ genus ad pristinum apud Gallos reduxit statum, ut deinceps eius ordinis fratres non Augustiniani, sed Guilhelmitæ dicerentur. Anastasij uerò & Hadriani eius successoris, qui circa Salutis annum 1155 ad Romanæ ecclesiæ clauum sedêre, iussu, relicta iterum eremo, urbes incolere cœpit Guilhelmus ille eremiticæ uitæ restaurator, ac Parisijs sub médicitatis p̄textu prima iecit cœnobij cuiusdā fundaméta. Verū hoc nominis Innocētius quartus eis sequēti seculo ademit, ac solū Eremitarū S. Augustini nomine appellari uoluit. Bergomēsis li. 12. & Chrō. Colō.

MILITES D. IACOBI.

Milites diui Iacobi in Hispania sub titu D. Augustini. Alexandro tertio pōtifice, qui rem probauit, esse cœperunt, quorū primus fuit magister Petrus Ferdinandus. Polydorus lib. 7. de Inuentione rerum, cap. 5.

CALATRANENSES.

Sunt & Calatranenses à loco denominati, quorum militiæ autor fuit Sanctius rex, circiter annum Domini 1160. Nigrum uestitum cum rubra gestant cruce, ac Cisterciensium æmulantur regulam. Ibidem.

CARMELITARUM ordo.

De Carmelitarū origine Polydorus lib. 7. de Inuentione rerum, cap. 3. & Sabellicus Enneadis nonæ lib. 5. ijsdem uerbis in hūc scribunt modum: In hęc tēpora, Salutis nimirum annū circiter 1160. cōferunt quidam Carmelitanæ sectæ ortum. res haud dubiè à Carmelo monte Syriæ est, quod & nomen ipsum arguit. Est Carmelus cùm aliorum quorundā prophetarum, tum Heliç & Helisæi incolatu in Syria nobilis. id credo secuti Anachoritarum non pauci numero, locum tenuêre, qui demum Almerici Antiocheni antistitis opera in unum coiuêre, cū antea sparsim circa montem agitarent: tum primùm igitur & honesta præcipiendo, & parendo humiliter, sub uno aliquo agere cœperunt. Fuit fortè iuxta fontem, qui Haliæ dictus, uetustius Deiparæ phanum in eo monte: hîc prima cœnobij ratio illis inita, suntq; fortassis inde Carmelitanæ uirginis fratres nuncupati. Incidit prima hęc institutio in Alexandri tertij tempora. Verùm quia neq; uitæ instituto, neq; cultu, neque ceremonia ulla nitebatur nouus ille cœtus, abortus quidam, non res legitima instituta uisa est à principio. Veram itaq; originē arbitrati sunt quidam, quę anno pòst circiter quinquagesimo secuta est, Innocentij tertij pōtificatu. Albertus Hierosolymitanus antistes, Apostolicæ sedis legatus, his in eremo agentibus certam obseruationis dedit formam, ex Basilij instituto quædā mutuatus. Attributum est pallium uersicolor ex albo & canusino circulatū, quali dicitur Helias propheta olim usus. Creuit familia hęc breui, lateq; in multas diffusa est regiones, eratq; ubiq; gratus propheticus pallij habitus. Cæterùm quo magis luxuriosa erant incrementa, eo plus inuidiæ apud multos nouæ religioni cōflabatur, estq; ob id multifariam oppugnata. Honorius tertius pallij formam ademit, uelut religioni parum conuenientem, proq; circulato & uersicolore album est illis datum, ita ut sub eo canusinati essent: sic uterq; color retentus.

Huius ordinis initia Baleus, qui præ cęteris eum sibi notū esse profitetur, paulò aliter cōmemorat, cuius quoq; uerba lectori subijcien-

subijcienda cẽsuimus: Anno Domini, inqt, 1121 ex qbusdã supstitiosis eremi cultorib. monasterialis Carmelitarum ordo creatus primũ fuit, hoc modo: Ioãnes Hierosolymorum episcopus, B. Hieronymo coætaneus, in opere suo de Institutione primorũ monachorum ad Caprasium, & Iosephus Antiochenus in Speculo militiæ primitiuę Ecclesię ca.12. solitarios quosdã uiros Carmelũ Syrię Palęstinę montẽ, ob loci amœnitatẽ & famam incoluisse memorant: quorũ hic ab Elia illo propheta magno, alter ab Apostolorũ in Palęstina prædicatione eorũ deducit originẽ. Sed utcunq; se res habuerit, suo tamen semper arbitratu uiuebant liberè, nullis aut uotis aut ceremonijs adstricti, ut ad Eusebium Cyrillus presbyter scribit. At circa annum Domini 1090, Hierosolymitano episcopo in patriarchã eleuato, cœperũt sacra loca religionis ergò ab externis inuisi & coli. Ad hos postea solitarios extra sexennium uenit famigeratus ille Petrus Eremita, q preculas illas, earũ primus inuentor, dedit, & Mariæ psalteriũ docuit. Quum uerò cũ hoc essent ex aduentantiũ donarijs aliquãto pinguiores effecti, ac Helię sanctitatẽ cũ Deiparæ patronatu ex cuiusdã fictis uisionibus fortiter iactitassent, anno Domini, ut prius dictũ est, 1121 illuc accessit Almericus patriarcha Antiochenus, Romanæ sedis in illas partes legatus: qui undiq; per montẽ illum dispersos collegit, in ordineq́; disposuit, cœnobiũ ingens condidit, ordinationes fecit, pręfati Ioannis librũ, quem Græcè scriptũ illuc usq; seruauerant, in Latinũ sermonẽ trãstulit, ut deinceps esset ex Hebręis, Latinis & Gręcis, Latina religio. Generalẽ præsidẽ primum, Bertholdum Aquitanum, suũ nepotem, eis dedit, & illos sub eius obediẽtia colligauit. Super candelabrũ Romanę ecclesię (inquit Ioannes Paleonydorus, eorũ Chronographus) eos hic posuit, ut per uniuersam Europã lucerẽt. Balęus Cent.2. Scriptorum Britãniæ, cap.66. in appendice. Et Cent.3. in appendice capitis 41. idem testatur, quòd Brocardus Hierosolymitanus, secundus eorũ præses, circa Domini annum 1171 regulã eis cõposuerit, & ex Basilij dogmate quędã mutuatus sit: quã Hierosolymorum patriarcha anno 1199 correxit, confirmauit, ijsq; obseruandam tradidit.

Silentio, ieiunio, & horarum canonicarum obseruatione erãt constricti. Fratres uerò laici Petri Eremitæ preculis, & Mariæ psalterio recitando occupabantur. Nullis tamen hucusq; uotis astricti fuerunt, excepto unico obedientiæ uoto ad uniuersalẽ eorum præsidem. Et hanc clausulã in regula relictam habebant, ut de solo Saluatore salutem sperarent, & ambularent iuxta Dei uerbum in cæteris eorum factis.

ORDO GLADIATORVM.

Eodem ferè tempore, quo Teutonicum Hierosolymis ordinem exortũ scripsimus, Gladiatorum apud Liuonienses secta initium habuit.

Fuerunt autẽ illius farinæ monachi bellorum peritissimi. Vestibus ipsorum crux & duo gladij affixi erant, quibus pro focis & aris sibi pugnandũ esse monebantur. Ac perpetuum ipsis cum Lituanis, Liuoniam crebris irruptionibus molestantib. bellum fuit. Cognita autẽ Teutonicorum militum Hierosolymis fortitudine contra gentiles, de consilio Romanorum pontificum Liuonienses illis se adiunxerunt, factumq́; est utriusq; sectæ unum apud Liuonienses ouile: ut Munsterus in Cosmographia indicat.

HVMILIATORVM.

Origo horum talis fuit, apud Germanos primùm: multi mortales utriusq; sexus aut bello capti, aut quia fides eorum suspecta fuerat, ex Cisalpina Gallia ab Imperatore Friderico Barbarossa, sæpius eam terrã bellis petente, in Germaniã fuerãt traducti. Hi longiore exilij mora fracti, albis omnes uiri fœminæq; induti uestibus, & in conspectũ Imperatoris prodeuntes, ad genua eius sese abiecerũt, ac ueniã deprecati sunt. Imperator & lachrymis & uestitu supplicum motus, libertatem in suam redeundi terrã ipsis concessit. In patriã reuersi, ex uoto, ut credere par est, in eo uestitu perseuerarũt, lanificio & precationib. dediti. Amplectebãtur aũt in primis D. Benedicti regulam, ac fuêre uirorum mulierumq; distincti inter ipsos cœtus.

Hoc uitæ genus à modico principio ortum, adeò creuit, ut pleriq; Romanorũ pontificum suo id suffragio cõprobarint: inter quos Innocentius tertius non postremum tenebit locũ, qui uiuendi normã, teste Bergomẽsi, ex suo ipsis excogitauit cerebro.

Nomen autem eis inde putatur esse inditum, quòd ad Friderici pedes aliquãdo humiliter prostrati, libertatem impetrauerint. Sabellicus Enneadis nonæ lib.5. Et Polydorus de Inuentione rerum lib.7. cap.2. Antoninus.

GILBERTINVS ORDO.

Gilbertus de Semphringham, illustri apud Anglos loco natus, sed corpore deformis, studiorũ gratia in Gallias ꝓfectus est. Inde aliquanto pòst Lincolniã reuersus, tũ uirorum tum mulierum quosdã coegit cœtus, quibus monasteria extruxit, uiuẽdi normã ex Augustini & Benedicti cõsarcinauit decretis, anno 1140. ijq́; ab autore Gilbertini nominabãtur: ut ex Scropo & Capgrauo

Balęus

Balæus refert. Post hæc ad Romanũ pontificẽ, noui ordinis cõfirmãdi gratia, abijt, qđ beneficij facillimè impetrauit. De Gilberti norũ ordine sic scribit Nigellus, eius tẽporis poeta, in suo Brunello uel stultorũ speculo: ut idem annotat Centuria 3. Scrip. Britan. cap. 25. in appendice.

Quid de Sempringham, quantum uel qualia sumam,
Nescio: nam noua res me dubitare facit.
Hoc tamen ad præsens nulla ratione remittam,
Namq; necesse nimis fratribus esse reor:
Quòd nunquam, nisi clàm, nullaq; sciente sororum,
Cum quocunq; suo fratre manere licet. Item:
Canonici Missam tantùm, reliquumq; sorores
Explent officij debita iura sui.
Corpora, non uoces, murus disiungit: in unum
Psallunt, directo psalmatis absq; mero.
Et sequitur:
Harum sunt quædam steriles, quædam parientes:
Virgineoq; tamen nomine cuncta tegunt.
Quæ pastoralis baculi dotatur honore,
Illa quidem melius fertiliusq; parit.
Vix etiam quæuis sterilis reperitur in illis,
Donec eius ætas talia posse negat.

ROBERTINVS.

Robertum quendam eremitam Guaresburgi in agro Eboracensi nouum monachorũ ordinẽ excogitasse, anno 1137, cuius sectatores Robertini appellati sunt, ex Capgrauo refert Balæus, in appendice cap. 63. Centuria 2. de Scriptoribus Britanniæ.

FRATRVM MENDICantium Ordo.

Sub Friderico Imperatore Mendicantiũ fratrum ordo in lucem prodijt, qui perpetuum cœlibatum, obediẽtiam extremã, ac inopiã perpetuã iureiurando in ingressu promittere cogebãtur. Austria Cuspiniani.

Porrò hæc uirorum cœnobia hac ætate apud autores cõdita leguntur. In Germania: Anno 1106, Mombelgardense cœnobiũ initium sumpsit in agro Argentinensi. Trithemius in Chron. Hirsaug. Neoburgũ Austriæ anno 1114. & aliud S. Cruci dicatum per Leopoldum Austriacũ, & per comitem quendã de Magland Baumgartenbergius conuentus instituitur. Cuspinianus. Neumburgicum monachorum contubernium in agro Lutzenburgensi Heinricus quidam comes cõdit, anno 1128 Irenicus. Circa Otthonis Bambergẽsis episcopi tempora, Heinricus & filius eius Ernestus, comites à Kirchberg, arcem suam Mallerstorf, in inferiori Vindelicia iuxta Lauarum amnem sitam, in monachorum uertēre collegium. Eadem tempestate Berchtoldus ab Andechs & Diessen, in uertice Matronæ montis ædem Benedictinæ professionis cõdit. Otto & Berchtoldus duces, ambo ex Schira oriundi, in ripa Geloni fluminis, Eisenhouiæ in monte D. Petro dicato monachorum extruunt collegiũ. Verùm monachi paulo pòst inde Schiram commigrarunt. Nam id etiam castellũ iisdẽ ferè diebus, circa annũ Domini 1106, ut Trithemius scribit, in monachorum cõtubernium mutatum fuerat. Dietpoldus Vogburgẽsis præfectus Richopagum apud Nariscos, in ripa Rhegi, D. Benedicto sacrũ condidit cœnobium. Idem quintodecimo deinceps anno, Valdosassoniam amplissimam Nariscorum ædem monachis Cisterciensibus extruxit. Et Reginoburgi eodẽ tempore grande D. Iacobo & Gertrudi sacrum conditum est monachorũ collegium. Tum quoq; Cõradus Salisburgensis episcopus, apud Richẽhall in Norico collegiũ Augustinianis instituit monachis, Zenonis uocant. Circa Lotharij Imperatoris tempora sedecim cõtubernia monachorum, collegia mystarum in Boioaria instituta sunt, Schaumheubtẽ, Ror, Paring, Monachomonasterium olim ab Vngaris excisum, Piburgium, Cæsarea, Vualderbach, Vuindẽberg, Osterhofen, Asbach, Ensdorf apud Nariscos, Vndersdorf in meridionali Boioaria, Beiharting, Vinaria superioris Boioariæ pfectura, Chiminum, &c. Auẽt. 6. Annalium. Heinricus dux Boius, & Otto frater eius episcopus Fruxinensis in superiori Boioaria, de integro ædificant extra mœnia Fruxinẽsis oppidi, Præmonstratis Neostephotam, Silurnum, Schlechdorff: Scapulariam olim ante annos trecentos conditam, sed ab Vgris euersam, reficiunt. Diebus his quoque Vuelpho apud Lycatios Staingaden construit. Et Allerspach in ualle Villisina, Cisterciensium, & haud inde procul, propter Danubium, Osterhofen, Nordoberti sacris initiatur. In agro quoq; Burgusiano Rotẽhaslach, quod Iuuauus alluit, D. Bernhardi consecraneis conditur. Vualdobrumus de Rauchshouen Aichstadij suburbanum templũ Gerardo, cũ socijs Reginoburgo accito, cõdit. Emericus quoq; Herbipoleos episcopus, Macariũ quendã è Boioaria euocatum nouo in sua urbe donat cœnobio. Ab Ilsenbach Vindelicorũ uico D. Benedicti consecranei ad templum D. Viti, proxime Neuemarckt, cõmigrant. Conradus primus Aichstetensis pontifex, Rebdorff iuxta Aichstadiũ in ripa Alemanni, in pago Boioariæ Augustinianis extruit. Ibidem. Paring monasteriolum, & D. Magnum Reginoburgi, Heinricus Gebhardus & Conradus Raningenses monachi cõdidēre. Sub idẽ ferè tempus Heinricus & Otto fratres Rietẽburgẽses, reguli Alemanni, monasterium equitibus sacris, quos à templo Palæstino cognominant, dedicauēre. Auent. lib. 7. Annalium. Berengarius castellum suum Sultzbach in monacho-

monachorũ Benedictinæ professionis collegiũ conuertit, & Berchtoldsgaden apud Noricos Augustaliũ instituit conuentũ. Et Ottho quidã comes monasterium Allersbarch Cisterciensiũ monachorũ condit. Ibidé. Vuipertus Lusatiæ marchio Pegauiẽse monasteriũ in honoré Iacobi apostoli fundauit,& amplissimis reditibus ditauit. Eckhardus Mersburgæ episcopus Cellense & Portense amplissima monasteria condidit. Chron. Mersburg. D. Gothardo sacrũ Hildeshemiæ cœnobiũ anno 1126 extruitur: ut in Chron. Saxon. Germanico scribitur. Ballenstetẽse Halberstadianę diœceseos cœnobiũ, anno 1124 sub Heinrico 5. initiũ sumpsisse, Chronicõ Saxonię,& Trithemius de Hirsaugiensiũ rebus testãtur. Anno 1148 in Schima per comites de Halremõt. in honoré S. Viti martyris fundatum est monachorũ cõtubernium. Et sub finé imperij Conradi monachorũ conuẽtus in Lucka, sub Cisterciensium regula, per eosdé & Aldenburgenses comites initiũ sumpsit. Cranzius in Metropoli lib. 6. cap. 42. Et Vuerneri Monasteriensis episcopi ætate, Præmõstratensis ordinis cœnobiũ in Cappenberge extrui cœpit. ibid. cap. 45. Iisdem ferè temporib. cœnobiũ illud Calbę, Saxoniæ oppido ad Salá fluuium uicinũ,& à Dei fauore denominatum (Gottesgnad) extructũ est: ut in Saxon. Chron. scribitur. Circa annũ 1145. Riddabeshusense monachorũ collegium exortũ est, fundatore Ludolpho quodam principe uiro, qui inter eosdé flamines monasticen tandé professus est. Comites Hennenbergenses Frawenroth, Gotzaw,& Vueserũ cœnobia cõdidêre. Hugonis monasterium in Vogeso (Hugshofen) extructum est anno 1120. Marię Viridariũ (Marienwerdt) Præmonstratensium collegiũ in honoré B. Virginis cõditũ est anno 1128, ab Hermanno de Kinck, propter occisum Florentiũ Gelrię ducé. Irenicus lib. 11. & 12. exeg. Anno Lotharij Imperatoris secundo, qui fuit Salutis nostræ 1127, ingens illud Frãconię cœnobiũ Cisterciensis ordinis Eboracũ, condi cœptũ est à duobus fratrib. nobilibus Bernone & Richuuino: ut Cuspin. de Imperatorib. & Bruschius annotãt. Eodé anno abbatia in Vualkenrid initiũ sumpsit. Erfordensis. Ottho Bambergensis episcopus unũ & uiginti extruxisse cœnobia & oratoria monachorũ, in Bambergensi historia scribitur, cuius hęc sunt uerba: In episcopatu Herbipolẽsi duo cœnobia eleganti quidé & magnifica structura fundauit, quorũ uni nomen est Vraugia, sub patrocinio Laurẽtij martyris: alteri Vra, in honoré Petri apostoli cõstructo: quibus agros & prædia, unde monachi ociosè uiuerent, addidit. In Bãbergensi episcopatu tertiũ Michelsfeld. Et hęc quidẽ tria sub professione Cluniacẽsi. Quartũ, Langheim appellatũ, sub ordine Cisterciensi. Horũ aũt monasteriorũ duo, uidelicet Vragia & Michelsfeld, in patrimoniali fundo sita sunt: Lantheim uerò & Vra in aduentitio. Porrò in Ratisbonẽsi episcopatu sex monasteriorũ fuit egregius fundator. Quinq; de ordine & professione Cluniacensi: quorũ unũ Einsdorff nuncupatũ, in honoré Iacobi apostoli. Secundũ Prunlingen, sub patrocinio Georgij martyris. Ambo hęc in aduentitio. Tertiũ est cœnobiũ cognomento monasterium, quod cum adiacenti parochia eiusdé nominis ab Heinrico Bauarorũ duce & Dipoldo Mantuano emit. deinde cũ plena proprietate ecclesię Bambergensi cõtulit, eãq; rem regali priuilegio Lotharij Imperatoris cõmuniri procurauit. Quartũ Biburg, sub patrocinio beatæ Mariæ uirginis. Quintũ Madelhardestorf, in honoré Iohannis Euangelistæ. Et hęc quoq; duo in aduentitio collocauit. Sextũ in eodé episcopatu Ratisbonẽsi sub professione Clericorũ regulariũ instituit, quos Norbertinos uocant, ipsumq; in fundo aduentitio collocauit, Vuindéburg nuncupatũ. In Halberstadensi aũt episcopatu, sub professione Cluniacensi undecimã instituit monachorũ congregationé, sub patrocinio Ioannis Baptistæ, ubi abbatia erat Viteburg appellata: nunc aũt loco & nomine mutatis, Regenstorf nuncupatur. Hunc aũt locũ munificentia & liberalitate Heinrici Imperatoris iunioris cõsecutũ, ac regio prius priuilegio firmatũ, ecclesię suę Babẽbergensi subiecit. Auxit hoc monasteriũ reditu duplicato. Nam cũ illi tum essent subiecti sexaginta mãsi, totidé ipse addi curauit. In episcopatu Eistetensi sub ordine Cisterciensi & patrocinio B. Marię monachorum cõgregatio est, Halesprun uocata, quã ipse in abbatiã opulentissimã redegit, additis fundis & agris ingenti pecunia cõparatis. In episcopatu Batauiẽsi tertiamdecimã instituit cõgregationé in Altirsbach, ac quartamdecimã sub ordine Cluniacẽsi & patrocinio Andreę apostoli iuxta fluuiũ Anisum. Vltimã hãc à Lintboldo marchiõe cõdonatã cõsequutus est: de suo aũt quinquaginta marcas impẽdit, & uiginti mãsos addidit. In patriarchatu Aquileiẽsi arx erat Arnoldestein uocata, quę annuis quinq; & quadraginta mãsis ad se spectantib. ab ecclesia Babẽbergensi fuerat abalienata: qué cũ ipse locũ multo labore ac magnis impẽsis recuperasset, demolita prius molitione in abbatiã solẽné redegit, addiditq; mãsos sexaginta. Insuper quinq; monachorũ oratoria condidit: primũ in Asbarch Ratisbonẽsis diœcesis, in honorem Matthæi apostoli & euãgelistæ,

listæ. Secundum Bambergæ sub patrocinio Fidei uirginis, quod primū monialib. inhabitandum concessit: sed paulo pòst mutato consilio, septé eò collocauit monachos. Tertium Rothæ Herbipolensis diœceseos, in S. Georgij honorem. Quartum Vetzeræ sub professione Nortbertinorū in eadem diœcesi. Quæ duo oratoria progressu temporis ob uicinitatem in unū coiêre, Vetzera præualente. Quintū uerò in pago Tullefeld instituit in eodē episcopatu. Deniq; aliud quoddā in Tuchelhusen, ab alijs quidem cœptum, sed ob sumptuū inopiam imperfectum relictū, Ottho episcopus monasticæ superstitioni deditissimus absoluit. Hist. Bāberg. Elchingensem arcé apud Sueuos Cōradus Saxonū dux diuino cultui attribuit, eamq; in monasteriū cōmutauit. Historia Vlmensis. Embricho Herbipolensis episcopus in suo suburbio Scotis ædificandi monasterium dat potestatē: teste Trithemio in Hirsaug. Chron. Gedebaldus Traiectēsis episcopus haud procul à ciuitate in palustri quodā loco in honorē D. Laurētij monachorū fundauit collegiū, anno 1120, q. Osborch dicitur. Anno 1124. Meginhardus & Rudolphus Spanheimenses comites suā ecclesiam monachis inhabitandam cōcesserūt. Per Brunonē Treuirensem episcopū, eiusq; fratrem Popponē comitem de Bretheim, monachorū cœnobiū in Odenheim Spirensis diœceseos conditū est, anno 1123. Ibidem. Buggo Vuormaciensis episcopus haud procul à sua ciuitate cœnobiū Franckēthal Augustinianæ professionis monachis condidit, anno 1135. Franckenthal, inquit Irenicus, uno nomine duo monasteria complectūtur iuxta Vuormaciā, utriusq; sexus, quæ Erckenbertus camerarius Dalburgensis cōdidit, anno 1109, ductu Buggonis episcopi. Iren. lib. 11. Idē Buggo, quē diximus, aliud quoq; in suo territorio sub Cistertiensium regula fundauit. Schonaugiā propter nemorum circumiacentiū amœnitatē uocauit, ac ex Clareuallensi cœnobio accitis monachis repleuit. Trithemius. Eodē quoq; anno Theodoricus Sicensis episcopus magnis sumptib. monasteriū in colle, qui Bonouua dicitur, extruxit: teste Vrspergēsi. Lotharij Imperatoris iussu ad radices mōtis, quo arx Segeberg extructa est, conditur cœnobiū anno 1133. ut Holsatiēse habet Chronicon. Idē Imperator Luteram Halberstadiensis diœceseos monasteriū cōdidit monialib. sed ijs ob dissolutos mores pòst inde eiectis, monachis Benedictinæ professionis, Berga iuxta Magdeburgū accitis, repleuit, anno 1135. quod deinceps ab Imperatoris nomine Regia Lotharij dictū fuit: ut Trithemius in Hirsaugiēsi Chronico annotat.

Eodē anno, qui fuit Salutis 1135, Almersbornēse cœnobiū esse cœpit. Et Gertrudis marchionissa monachorū conuentū D. Egidio sacrū Brunsuigæ instituit, anno 1112. Sodebeke monasteriū cœpit anno 1141. ut in eodē Chronico scribitur. Lubecæ in honorē Ioānis cœnobiū extrui cœptum est anno 1177. Reinfeldense uerò monachorū collegiū ab Adolpho tertio Holsatorum comite anno 1186. fundatur. Chronicon Saxoniæ. Nono eiusdē Imperij anno abbatia Fossæ nouæ apud Campanos, & Amelingesbornēsis in Vuestphalia, & monasteriū de Prato sumpsêre initiū: ut idē testatur. Lorchense cœnobium Augustanæ diœceseos circa annū Domini 1108. cœpisse, Trithemius indicat. Ruthardus Mogūtinus præpositurā in Rinkaugia, in mōte qui ab episcopo nomē habet, condidit, quā successor eius in abbatiā mutauit, anno 1130. Ibid. Hasisiæ monasteriū in Breitenau à Vuernero comite fundatū anno 1117, ex Hirsaugiēsi cœtu monachis repletū fuit. Lacēse Benedictinæ professionis cœnobiū, in Treuerensi diœcesi sub annum Christi 1093. ab Henrico comite palatino Rheni extrui cœptū, à Siphrido priuigno eius anno 1112. perficitur. Idē. Sorethū Constantiensis diœcesis præclarū monachorū Præmonstratensiū collegiū, ex arce sua Berengarius & Cōradus barones de Schussenriedt in honorē Dei, & S. Mariæ, & Magni Cōfessoris cōdidêre, anno 1118. Spainshartum Ratisbonensis diœcesis, Præmōstratēsis ordinis cœnobiū, anno Domini 1145. ab Adelfolco de Reiffenberg, eiusq; cōiuge exordiū sumpsit. Vrsinensis monachorum Benedictini instituti cōuētus anno Salutis 1182. autor fuit Heinricus marchio de Runsperg, eiusq; filij Godefridus & Bartholdus & Irmengardis filia. Vrspergense magnificū Præmonstratensiū monachorū cœnobiū in Augustana diœcesi, cōditū est à Vuernhero comite de Schwabeck & Baltzhausen, anno 1125. Et extra Frisingenses muros eiusdē professionis contuberniū, quod Noua cella dicitur, in honorē Petri & Pauli apostolorum ab Otthone eiusdē sedis antistite anno Salutis 1141. conditū est. Bruschius. Manogoldus quidā Palatinus comes in pago Langenato, qui duobus ab Vlmēsi urbe abest lapidib. cœnobiū condidit: quod à filijs eius in Brentinā uallē Sueuiæ, quatuor ferè ab Vlma miliarib. q. maior ibi esset lignorū aquarūq; copia & ubertas, de consensu Eugenij tertij Romani pontificis translatū, & Anhusiū dici cœptum est, circa annū 1125. Albæ Augiæ monasteriū apud Sueuos, circa annū Salutis 1145. uel extructū, uel à desolatione uindicatū est. Cæsariense in syluis Sueuiæ cœnobiū sub Cisterciensiū regula Hein-

ricus

ricus comes de Lechſmund condidit, anno Domini 1133. Cellam Dei ſuperiorem Præmonſtratenſis inſtituti, infra Herbipolim ad Mœnum amnem, anno Domini 1128 extructam, idem narrat. Eichenbrunnum Benedictinæ profeſsionis collegium in Sueuia extra Gundelfingiacenſis oppidi mœnia, à Gunberto patre & Chunone filio dominis de Fachberg circa annum Salutis 1122 conditum eſt. Eichlingenſe cœnobium, à uicino querceto dictum, fundatum eſt anno Domini 1128, à Conrado Saxoniæ duce, & Lucia eius coniuge. Sancto Egidio ſacrum apud Norinbergenſes Benedictinæ profeſſionis cœnobium, Conradus Imperator tertius anno Chriſti 1140 extruxit. Ciſtercienſium ordinis monaſterium magnificentiſsimum in Heilsbrun, Ottho Bambergenſis, Rabatho & Conradus comites ab Abenberch condidêre, anno 1132. Heremitarum in Nariſcis cœnobium, ſub eiuſdem ſectæ regula, anno Chriſti 1133, ipſis calendis Octobris cœpit. Clariſsimi Benedictinorum cœnobij in Michelsfelds circa Pegneſum amnem fundator extitit Ottho Bambergenſis epiſcopus, Pomeranorum apoſtolus, anno 1119. ut idem refert. Lanckenheimium Bambergenſis diœceſeos in Sudetis montibus, haud procul à Mœno, anno Domini 1132 ſub Lothario Imperatore extrui cœptum eſt, ſed poſt uiginti demum annos abſolutum. Martaléſe, quod Danubius alluit, ex Canonicorum collegio in monachorum cœnobium conuerſum, & quaſi de nouo fundatum eſt, in honoré Petri & Pauli apoſtolorũ, anno 1171, ab Hugone tertio comite Palatino. Maulbrunnenſis cœnobij in ducatu Vuirtenbergico, autor extitit Gũtherus comes de Lyning, & Spirenſiũ epiſcopus, anno 1138. Rockenburgum, ſub Præmonſtratenſium regula, in Sueuia cœnobiũ præclarũ, anno Chriſti 1126 à Bertholdo, Sigfrido & Conrado fratribus germanis, comitibus à Bibergk extructum eſt. Rotum quoq; eodem anno conditum legitur, ab Hemma Heinrici baronis à Vuildenuuergk coniuge. Salemitanum cœnobium Ciſtercienſis ſectæ, haud procul ab Acronio lacu, Innocentij ſecundi temporibus à Guntheramo nobili barone de Adelreute extruitur. Bruſchius. Circa annum Domini 1170 inſigne Ciſtercienſium monachorum cœnobium in Dobran, haud intra Roſtochium & Vuiſmariam, in Mechelburgenſi ducatu, quod hodie eorundem ducum ſepulchris illuſtre habetur, à Pribislao Vandalorum principe, Bernonis Megapolitani epiſcopi inſtinctu, extruitur: ut Cranzius in Vandalia libro quinto, capite octauo indicat. Norbertus Præmonſtratenſis ſectæ inuentor & magiſter, Antuerpiæ ſuæ profeſſionis cœnobium extrui curauit, ſub annum Salutis 1120. Balæus Cent. ſecunda, capite 65. Bernhardus triginta ſex annis, quibus abbatiam ſuam adminiſtrauit, cētum & ſexaginta autor fuit cœnobiorum: ut Ranulphus lib. 7. cap. 20. in Polychronico, & Fuldéſis hiſtoria annotant.

In Italia: Padalironæ in agro Mantuano Benedictinis cœnobium condidit Vuelpho ſecundus Boiorum dux. Auentinus lib. 6. Annalium. Ad Aquas Saluias Innocentius Romanus monaſterium condi curauit, in honorem Anaſtaſij martyris: teſtibus Vincētio & Erfordenſi.

In Gallia: Clareuallis anno 1115. Sigeberti Continuator. Ad Bellum montem anno 1130 à Roberto Condenſi cœnobium conditur. Vincentius libro uigeſimoſeptimo, capite ſexto. Erfordenſis capite octuageſimooctauo. Simon Nouiomenſis præſul, Vrſicampi monachorum cœtum cōgregauit, anno 1129. Eius uerò cœtus primus abbas Voleramus, cœnobium S. Mariæ de Frigido monte fundauit, anno 1140. Sigeberti Continuator. Ludouici Groſsi, ſub quo Cluniacenſium ſecta magna accepit incrementa, opus fuit D. Victoris cœnobium in ſuburbio Pariſiano. Idem & Caroli locum pro Ciſtercienſibus in Syluanectenſi agro, & cœnobium Puteolanum in agro Vaſtinieſi condidit. Gaguinus lib. 6. de Francis.

In Lotharingia: Anno 1175 Simon Lotharingiæ dux Bellum pratum fundauit. Irenicus.

In Anglia: Ibracenſe Malachias Armachanus condidit monaſterium: teſte Balæo. Hēricus Anglorum rex in oppido Redungio Benedictinis cellas extruxit. Vuarinus Salapiæ comes duo Benedictinorum poſuit cœnobia: alterum in ſuburbio Salapię, alterum ad pagum Vuenelochum: hoc D. Milburgę, illud uerò Petri & Pauli demandauit tutelæ. Polydorus Vergilius libro undecimo. Gloceſtriæ, eiuſdem profeſsionis cœnobitis domicilium condidit Vigornienſis epiſcopus Aldredus. Idem libro duodecimo. Mathildis Heinrici Anglorum regis mater, in Calatenſi pago cœnobium erexit. Sigeberti Continuator. Fontanum monaſteriũ autore quodam Richardo initium ſumpſit, anno 1130. Balæus.

In Flandria: Anno 1125, Viſconienſe. 1139, Clari Mareſci. 1148, Camberonéſe. 1152, Laudis iuxta Inſulam. Chron. Flandriæ.

In Polonia: Cazimirus Polonorum dux Suleouiéſe in diœceſi Gneſnéſi, in Ruslai comitis uilla, qui ex hac uita diſcedens, Chriſtũ ſuorũ bonorũ fecerat hæredē: & Copriunicéſe pro Ciſterciéſibus extruxit cœnobia.

Ac sub eiusdē ducis principatu, Gediō Cracouię episcopus Vāchoscēse, Samborius uerò satrapa Oliuense Dantisco uicinum eiusdem professionis monachis condidère cœnobia. His Vitus Plocensis episcopus Buscēse in Cracouiana diœcesi, Vitouiense & Plocense partim pro uiris, partim pro puellis Præmonstratensis sectæ adiecit: ut Cromerus lib.6. de rebus Polonorum auctor est.

In Suecia: Superstitiosa Caroli Suetiæ regis solicitudine, in uilla Saba sub Bernhardi regula uiuentium monachorum extrui cœptum est cœnobium: ut Iohānes Magnus lib.19. Gothicæ historiæ, cap.7. indicat. Suercherus Gothorū rex senio cōfectus, duo cœnobia Alnastra apud Ostrogothos, & Vernhen apud Vuestgothos cōdidit, quorū utrūque monachis ex Claraualle accitis repleuit: ut idē lib.18. cap.19. Gothicæ hist. scribit.

¶ Et uirginum seu mulierum. In Bethania enim monialium contubernium condidit Melisendis Fulionis Hierosolymorum regis coniunx. Tyrius lib.15. cap.26. Gedebaldus Traiectensis episcopus, cœnobium Deo seruientium uirginum in Osborch instituit. Trithemius in Hirsaugiensi Chronico. Septimo Lotharij Imperatoris anno, de Stetterlingeborg Saxoniæ cœnobio, iussu Petronillæ comitissę, Renesburgū in Hollādiā translatæ legūtur moniales apud Erfordēsem cap. 88. Iaxa Gryphius Polonus, monialiū cœtū sub Præmonstratensium regula uiuentium, in suburbio Cracouiensi coegit: ut Cromerus lib.6. annotat. Vrspergēsis monialiū conuentus à tribus generis nobilitate insignibus uiris & fratribus germanis, Ruggero, Adelberto & Vualtero, dominis in Schelckingen, institutos esse, testatur: anno 1127, ut in Vlmensi scribitur historia. Isenaci D. Nicolao sacrū pro monialibus, Adelheidis Ludouici Lādgrauij cuiusdā filia extruxit cœnobium, quibus ipsa prima præfuit abbatissa, circa Domini annum 1154. ut in Chronico Isenacēsi annotatur. Frāckēthal monialiū collegiū in Vuormatiēsi agro Buggo episcopus fundauit, anno 1135. Eiusdē episcopi opera & impēsis, uirginū conuētus in Kreichau initium accepit: ut Trithemius in Hirsaugiensi Chron. scribit. Rothbertus de Arbreisel egregiū illud sanctimonialiū cœnobiū apud fontē Ebrardi cōstruxit. Malmesburiensis lib.5. cap.51 de gestis Anglorū. Præclarū ac magnificū S. Crucis uallis domiciliū pro sexaginta monialibus Cisterciēsis professionis, anno Salutis 1140 conditū est. Et magnificū quoddam monialiū cœnobiū in monte S. Nicolai Michelsfeldij, circa annum Christi 1135 inchoatum est: post annos uerò decem & quinq; aut circiter, Bambergam translatum, & quasi de nouo in S. Theodori honorem fundatum est à Gertrude palatinissa quadam: ut Bruschius indicat. Kubacense monialium Benedictinæ professionis conuenticulum cœpit anno 1108, fundatoribus comitibus de Vuitelsbach. Idem. Monialium in Haymersleuen Saxoniæ pago, instituitur à Reinhardo Halberstadiano præsule. Chronicon Saxoniæ. Hac etiam ætate Vualckenredense in Goslariensi agro, & aliud intra urbis mœnia, quod à nouis structuris nomen habet, exorta sunt cœnobia. Carolus Suetiæ rex in uilla Vreta, non longè à Lincopia, sub Bernhardi regula uirginibus condidit cœnobiū: ut Ioannes Magnus lib. 19 Gothicæ historiæ, cap.7. indicat. Est monialiū nobili genere natarum, celebre & magnificū sancti Spiritus cœnobium intra muros Lutzelburgēses, in sublimi & extremo penè montanę ciuitatis angulo sitū, ordinis olim Pœnitētiū sororū, fundatū & cōstructum, annū Christi circiter 1140, à ducissa quadā Luzelburgēsi: in quo postea ordo S. Claræ cœpit, ut Brusc. refert.

Quædam etiam uetustate collapsa reparata sunt. Macolmus Scotiæ rex, ex impulsu Turgoti Dunelmensis præsidis, cœnobiū ibidem reficit. Balæus Cent.2. Script. Britan. cap.60. Malachias Armachanus episcopus Branchorense reparauit. Cent.14. cap.85. Fridisuuidę à Rogerio Sarisberiensi episcopo reparatur cœnobiū, sub annum Salutis 1111. Cēt.10. cap.40. Adolphus secūdus Holsatiæ comes Segebergēse monasteriū, à Pribislao igne uastatū, restituit, anno 1139. Chrō. Holsatiense. Bruno Treuerorum archiepiscopus iuxta suæ urbis mœnia Eucharij cœnobium collapsum refecit, idq; Matthiæ consecrauit apostolo, repudiato Eucharij patrocinio. Ruthardus Moguntinus archiepiscopus Disiboldi cœnobium in Spāheimēsi comitatu restaurauit. Trithemius in Hirsaug. Chrō. Anno 1182 S. Iacobo sacrū apud Mogūtinos cōtuberniū monasticū reparatū esse, in Mariani Scoti appēdice scribitur. Leopoldus quartus Austriæ marchio cœnobiū, quod Cellas Marię appellāt, in ruinā & egestatē uersum resarcit, & Melicense crebris Vngarorum incursionibus desolatū reparat, ac cēsibus idem dux auget: ut Cuspinianus autor est. Chiminū in Norico ab Vngaris ad egestatem redactum, Conradus Iuuauēsis pōtifex restituit. Auentinus 6 Annaliū. Isaacius Angelus liberalitate in tēpla & monasteria superiores omnes supauit Imperatores. Ruinā enim minātia suffulciuit, uetustate uerò deformata incrustatiōib. & picturis illustrauit: ut Nicet. l.3. de gestis eius scribit.

Erant etiā cœnobia seu collegia Canonicorū. Leopoldus enim Austrię dux Neoburgēse cœnobiū canonicis secularib. inhabitādum

dum concesſit, uiris doctis & honeſtis: non ut liberioris eſſent uitæ, ut nunc: ſed ut ueluti in collegio honeſtam & tranquillam, non ſcurrilem agerent uitam. Vnde & eorum congregationes & templa Collegiatæ ſunt dictæ eccleſiæ. Cuſpinianus in Auſtria. Conradus Iuuauenſis pontifex ſibi ſubiectis ſacerdotibus, ut D. Auguſtini amplecterentur regulam, perſuaſit: teſte Auentino libro ſexto Annalium. Comes quidam de Linigen, cui Eunuchus nomen erat, fratrum canonicorum regulæ D. Auguſtini collegium in Heina ſeu Hegina Vuormacienſis diœceſeos fundauit, anno Domini 1141. quibus Hartungus primus fuit datus præpoſitus. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi. Mathildis Heinrici regis Anglorum mater duo canonicorum condidit monaſteria, alterum iuxta Cæſarisburgum, alterum uerò in ſylua de Gonfer: ut Sigeberti annotat Continuator. Ad Brentianum amnem Sueuiæ, Heerbertingum regularium canonicorum S. Auguſtini cœnobium potentiſsimum Sueuorum princeps Fridericus Barbaroſſa, qui poſtea ad Imperij culmen conſcendit, ædificauit, anno 1144. ut Bruſchius de monaſterijs Germaniæ indicat. Rebdorphum canonicorum regularium S. Auguſtini præclarum ſuper Eichſtadium contubernium anno Domini 1156, ſub Conrado Eichſtetenſi epiſcopo, à Beatrice ſecunda Barbaroſſæ coniuge extrui curatur: ut idem refert. Sanctæ Crucis cœnobium canonicorum regularium S. Auguſtini, Hamelbergo Auguſtam Vindelicorum per Vdalſchalcum eius loci epiſcopum translatum eſt, anno 1194. Idem. Eiuſdem profeſsionis monachorum collegiū, D. Georgio ſacrum, intra Auguſtæ mœnia fundatum legitur, anno Chriſti 1135. Vuengenſe Michaeli archangelo ſacrum regularium cœnobitarum, ſub Auguſtini regula uiuentium cœnobium, in monte Vlmenſi ciuitati uicino, anno Chriſti 1183, omnium primò à Vittigono comite de Albegke conſtructum eſt. Truttenhuſium eiuſdem farinæ monachorum ad altiſsimum S. Otiliæ montem in Alſatia, temporibus Lucij tertij Romanorum pontificis, & Barbaroſſæ, ab Herrade abbatiſſa & Gunthero germano eius fratre, domino de Vuinheim & Landsberg, conditum eſt. Vualdſehenſis præpoſituræ, quod regularium S. Auguſtini canonicorum cœnobium eſt, fundator fuit Fridericus Imperator, circa Salutis annum 1181. Bruſchius.

Et canoniſſarum mulierum, quibus in publicum prodire & nubere liberum erat. Edelſtenum canoniſſarum liberarum, & ab omni profeſsione ac regula immunium, in Sueuia pulcherrimum collegium, in quo omnibus uirginibus liberum eſt egredi uiciſsim, & nubere, ſoli uerò abbatiſſæ propter benedictionem, ut aiunt, integrum non eſt, fundatum & liberaliſsimè dotatum eſt, anno Chriſti 1126, à Giſala germana ſorore Vernheri Vrſpergenſis fundatoris, comitis de Schauuabegk & Baltzhuſen: Bruſchius autor eſt.

Monaſteria recens extructa conſecrari ſolebant. Cœnobium enim Neoburgenſe ab archiepiſcopo Conrado Salisburgenſi, Reginario Bataujenſi, & Romano Gurcenſi epiſcopis conſecratur, anno 1134. ut Cuſpinianus in Auſtria annotat. Hardouicus Reginoburgenſis epiſcopus cœnobium Mallerſtorfenſe ſacris D. Benedicti initiauit: teſte Auentino libro ſexto. Idem aliud cœnobium intra urbis mœnia Reginoburgi conditum, in D. Iacobi & Gertrudis honorem conſecrat, anno 1120. Ibidem. Pegauenſe monaſterium in honorem Iacobi apoſtoli à pluribus epiſcopis conſecratur: ut in Chronico Mersburgēſi ſcribitur. Sueſſionenſe Medardo Innocentius pontifex dicauit: teſte Vincentio lib. 27. cap. 6. Bernhardus Hildesheimenſis ſacro Gothardi ſui anteceſſoris nomini monaſterium conſecrat, teſte Cranzio lib. 6. cap. 21 Metropoleos. Cœnobium in Heina Buggo Vuormacienſis epiſcopus ſacris initiauit: ut Trithemius autor eſt in Hirſaugienſi Chronico.

Et autoritate pontificia confirmari. Romani pontifices, Innocentius ſecundus, Eugenius tertius, Vrbanus tertius, multis immunitatibus, priuilegijs & libertatibus Neoburgenſe cœnobium donarunt, & ſub anathematis pœna, ne huic cœnobio uis ulla inferatur, religioſiſsimè cauerunt: ut Cuſpinianus in Auſtria ſcribit. Idem uiris Calixtus & Innocentius omnibus monaſterijs, ab Octhone Bambergenſi epiſcopo conſtructis, conceſſerunt: ut ex eorum diplomatibus, quæ in Bambergenſi extant hiſtoria, uidere eſt. Elchingenſe Lucius ſecundus priuilegijs munijt: ut in Vlmenſi ſcribitur Chronico. Et Anhuſium Celeſtinus ſecundus eiuſmodi priuilegio & immunitatibus donauit: Celeſtinus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filijs, monachis S. Martini de Anshauſē, tam præſentibus, quàm futuris regulariter ſubſtituēdis, in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti. Deſiderium, quod ad religionis propoſitum & animarum ſalutem pertinere monſtratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſiderijs congruum impartire ſuffragium. Eapropter, dilecti in Domino filij, uenerabilis patris noſtri Gualteri epiſcopi precibus inclinati, ueſtris iuſtis poſtulationibus clemēter annuimus.

Præfatum monasterium, quod ab egregiæ recordationis uiro Manegolto palatino comite, eiusq; filijs, præfato uidelicet fratre nostro Gualtero, nunc Augustẽsi episcopo, Adalberto & Vdalrico in proprio allodio cõstructũ est, & B.Petro cũ omnib. ad ipsum pertinentibus oblatũ: sub eiusdẽ Apostolorum principis & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio cõmunimus: statuentes, ut quascũq; possesiões uel decimas, quęcunq; etiã bona id monasteriũ in pręsentiarum iustè & canonicè posidet, aut in futurũ cõcesione põtificũ, largitiõe regũ uel principũ, oblatione fideliũ, seu alijs iustis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma uobis uestrisq; succesoribus & illibata permaneat. Cõcãbium, eo quòd de loco, in quo ipsum monasteriũ sitũ est, cũ ecclesia S.Petri de Oetingẽ (ad cuius parochiã pertinebat) utriusq; partis assensu, rationabiliter factum est, authoritate Apostolica cõfirmamus. Liceat autem uobis communi consilio Aduocatum (quem ad defensionẽ eiusdem monasterij utilem esse cognoueritis) liberè eligere: ipsumque (si inutilis appa' ruerit) remouere, & alium, quem utiliorem prouideritis, substituere. Obeunte uerò abbate (qui pro tempore ibidem fuerit) nullus qualibet surreptionis astutia & uiolentia pręponatur: sed liceat uobis communi consilio, uel parti consilij sanioris, secundũ Dei timorem & S.Benedicti regulam, absq; ullius cõtradictione abbatẽ eligere. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi, à dioecesano suscipiantur episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem sedis Apostolicæ habuerit, & ea gratis & absque aliqua prauitate uobis uoluerit exhibere. Alioqui liceat uobis catholicum, quemcunque uolueritis, adire antistitem, nimirum qui nostra fultus autoritate, quod postulatur indulgeat. Sepulturam quoq; illius loci liberam esse concedimus, ut quicunq; se illic sepelire deliberauerint, ni fortè excommunicati sunt, nullus obsistat: salua tamẽ iustitia matris Ecclesiæ. Ad indicium autem huius à sede Apostolica perceptæ libertatis, aureũ nnum nobis nostrisq; successoribus, annis singulis persoluetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatũ monasterium perturbare, aut eius possesiones auferre, uel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus uexationib. inquietare: sed omnia integra cõseruentur, eorũ, pro quorũ gubernatione & sustẽtatione concessa sunt, omnibus usibus profutura, salua dioecesani episcopi canonica iusticia. Si qua igitur in futurũ Ecclesiastica secularisúe persona hãc nostræ cõstitutionis paginã infringere, aut sciens cõtra eã temerè uenire tẽtauerit, secundò tertioúe admonita se non satisfactione congrua emendauerit, potestatis dignitatisque suæ honore careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetua iniquitate cognoscat, & à sacrosanctisimo corpore & sanguine Dei, & diuini redemptoris nostri I E S V Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta faciẽtibus, sit pax Domini nostri I E S V Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem pręmia æternę pacis inueniant, Amen. Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ. Eichenbrunnum Sueuiæ coenobium Calixtus secundus anno 1122 confirmauit: utidem indicat.

Vel Imperatorum & regum. Monasterium in Odenheim Heinricus quintus confirmauit: teste Trithemio in Hirsaugiensi Chronico. Gerlacus quartus heremitarum in Nariscis abbas, sui monasterij priuilegia à Conrado Imperatore anno 1138 Moguntiæ impetrauit. Cuius successor Daniel ab Alexandro tertio, Lucio tertio pontificibus, & Heinrico sexto Imperatore insignia consecutus est eiusdem coenobij priuilegia: ut refert Bruschius.

Aut etiam aliorum episcoporũ. Heinricus comes de Lechsmũd cõfirmationẽ Cæsariẽsis coenobij in Sueuia à Vualthero Augustano episcopo impetrauit, anno 1135. Brusch.

Inter monasteria & abbates ordo quidam fuit: alius enim alio superior habebatur. Pontius enim Cluniacensis abbas, in synodo Romana Abbatum Abbatem se iactitabat. Sed quia regulam à Casinẽsibus acceperant, ideo hisce potius id nominis adscribitur. Chron. Casin. libro quarto, capite sexagesimosecundo. Fuldensis abbas dum sinistrũ Imperatoris latus, quod Coloniẽsis iã occuparat episcopus, ambiret, conuentũ Mogũtiæ turbat: ut Cranzius in Saxonia lib.6.cap.46. indicat. Bercholdus Fuldẽsium abbas omnium primus ab Innocentio pontifice annulo & infula donatus est. quibus honorũ insignibus in huncusq; diẽ præ multis alijs Fuldẽses excellunt: ut Muntzerus in Chronographia annotat.

Magno utebantur in profectionibus comitatu. Mentior, inquit Bernhardus, si non uidi abbatem sexaginta equos & eo amplius in suo ducere comitatu. Dicas, si uideas eos trãseuntes, nõ patres esse monasteriorum, sed dominos castellorũ: non rectores animarũ, sed principes prouinciarũ. Tũ deinde gestari iubentur mappulæ, scyphi, bacini,

bacini, candelabra, & manticæ suffarcinatę, non ex stramentis, sed ornamentis lectulorum. Vix deniq; quatuor leucis à sua quispiam domo recedit, nisi cum tota supellectili sua, tanquam sit uel iturus ad exercitũ, uel transiturus per desertum, ubi non ualeant inueniri necessaria. In Apologia ad Guilhelmum abbatem. Prior quidam de Stollo quadraginta stipatus equitibus incedere cõsueuerat: sed ob id à Vuilhelmo Cluniacẽsi ab officio remouetur, sub annũ Salutis 1180. Sigeberti Continuator.

In quibusdam locis uirginum & monachorum cœnobia haud procul à se inuicem aberant. Monachorũ collegio in Osborch Gedebaldus Traiectensis episcopus aliud monialium cõiunxit: ut Trithemius in Hirsaugiensi Chronico scribit. Et in nouæ Rinckaugiensis præposituræ ambitu Ruthardus archiepiscopus cœnobium pro sacris uirginibus construxit, quæ cum monachis uni parẽrent præposito. Ibidem. Elchingenses monachi uicinum habebant monialium quoque conuentum. Solenne enim his temporibus erat, ad conuentus uirorum, sub Benedicti regula degentium, adiungi eiusdem professionis mulierum cœtus. Quamdiu enim domini bene uiuebant, tã diu moniales sanctæ erant: ut in Vlmẽsi scribitur historia. Cœnobio Franckenthal Buggo Vuormatiensis episcopus moníaliũ collegium adiunxit. Trithemius in Hirsaugiensi Chronico.

Quædam cœnobia certos reditus habebant, unde fratres uictitabant. Ottho enim Bambergensis episcopus monachis, in contubernio extra urbis mœnia à se extructo habitantibus, Abudiacum uicum cæteraq; prædia, quæ D. Heinricus Bambergensi ecclesiæ olim donarat, tribuit: teste Auentino lib. 6. Annalium. Monachorum conuentui Reginoburgi in ęde D. Iacobi & Gertrudis, comites de Labar & Ritenburg prædia apud Nariscos tribuunt, & Bertha uineas in Austria donauit. Ibidem. Ludouicus Francorum rex annuatim monachis, B. Thomæ in Cantuariensi cœnobio ministrantibus, cẽtum uini modios pẽdi sanxit, anno 1179. ut Sigeberti narrat Cõtinuator. Gedebaldus Traiectẽsis episcopus duobus in Osborch à se extructis, pro utroq; sexu, cœnobijs de superflua prospexit sustentatione: teste Hirsaugiensi Chronico Trithemij. Lorchense cœnobiũ Fridericus Sueuorum dux, Friderici Imperatoris pater, amplissimis bonis, quibus alerentur ociosi illi homines, & fruges cõsumere nati, donauit. Ibidẽ. Heinricus Leo monachos, D. Virginis ædem apud Stadẽses incolẽtes, aliquot pagis & sylua uicina donat. Sed Ditmarsi paulo pòst in suũ usum uerterunt: ut Chronicõ Holsatiẽse habet. Elchingense apud Sueuos cœnobiũ in nigra sylua, uillas, prędia & possessiones nõ paucas tenebat: ut historia Vlmensis testatur. Vrspergensis cœnobij fundatores monialibus de reditibus, decimis alijsq; possessionibus largè prospiciũt. Ibidẽ. Leopoldus Austrię marchio, cognomẽto Largus, S. Crucis cœnobiũ, quod pater eius condi curarat, reditibus auxit, adijciendo uillas, fundos, prata, prædia, flumina: opemq; haud uulgarẽ Gotuicensi monasterio, bellicis uastato tumultibus, præstitit. Heinricus quoq; secũdus Austriæ dux, Leopoldi frater, duas uillas, Michendorf & Sigenfeld, S. Crucis cœnobio adiecit. Sub id ferè tempus Hadmarus de Chuenring, consentiente coniuge, omne suum patrimonium (liberis enim carebat) Zuuetlensi donauit cœnobio, anno 1138. ut Cuspinianus in Austria scribit. Sauinus Dalmata duos argenteos scyphos, nouem circiter librarum, Casinensi donauit monachorum conuẽtui: ut historia Casinensis lib. quarto, cap. 82. habet. Ottho Bãbergensis episcopus S. Michaelis cœnobiũ plurimis donauit muneribus: duabus nempo argenteis peluibus, aurifrigio, & casula admodum preciosa. Chronicon Bambergense. Alexius Constantinopolitanus Imperator Casinensibus purpureum pallium misit, ex quo Otto abbas pluuiale aureis fimbrijs ornatum fecit. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 29.

Seditiosi Veselai ciues, qui Pinconi abbati, sub cuius dominio erant, molesti fuerant, iussu Ludouici iunioris Francorum regis, compensandi damnum gratia, monasterio septuagies mille solidos pendere coguntur. Robertus libro sexto de Francis. Lotharius Imperator in Vuormatiẽsi agro Limburgum castellum & monachorũ templũ, quod Fridericus comes à Bogen firmissimo præsidio tenebat, fame ad deditionem iam coegisset, nisi Vlricus Homingensis Sueuus socios, deditionem faciendam consultantes, confirmasset, satis superq; annonæ superare: nimirum satius esse, dictitans, uentribus crassis monachorum pasci, quàm castrum tam turpiter in manus hostium tradere. Quod ubi monachi accepẽre, abundè commeatum præsidio militari largiuntur. Auentinus lib. 6. Annalium Boiorum. Otto Frisingensis lib. 7. cap. ultimo.

Manuel Comnenus, cum in Ponti faucibus, loco qui Catascepe dicitur, Michaeli archangelo sacrum condidisset cœnobium, celeberrimos quosque & præstantissimos monachos eò collocauit, ea ratione, ut solitariam & quietam uitam sine ulla solicitudine possent degere. Cum e-

nim monachos possessionibus & negotijs turbatos, & tranquillitate animi & Dei cultu excidere intelligeret, nullas ei uineas, nullos agros, nullas possessiones, quas nec eorum professio admittit, assignauit: sed ex fisco tantum pendi iussit, quantum ad uictum & cultum opus esset. Videtur nimirum immodicam cupiditatem struendi monasteria improbasse, & exemplum prodere posteris uoluisse, quo pacto templa condenda, & quæ uiuendi ratio eremitis pauperibus, & à terrenis rebus se abstrahentibus proponenda sit. Tantum autem abfuit ut eorum institutum laudaret, qui monasticam uitam professi, & opibus affluunt, & multitudine curarum magis distrahuntur, quàm qui huius uitæ delicijs occupantur: ut sanctionem Nicephori Phocæ, fortissimi & cordatissimi Imperatoris, olim abolitam, de non augendis monasteriorum latifundijs, quasi postliminiò reuocarit, neque patrem, auum, cæterosque cognatos suos omnes, qui monasterijs amplissima prædia donarant, incusare destiterit, non quòd de suis opibus aliquid Deo consecrassent, sed quòd rem bonam malè administrassent. Nam cum monachis habitationes in abditis & desertis locis, in antris & montium cacuminibus assignandæ essent, & Constantinopoli tanquam Syrenum cantus uitanda, gloriola ductos, incrustata sua sepulchra, & uario marmore exornata, ijs qui templa ingrediantur, spectanda proposuisse: & mortuos quoque coronari se, & hilari splendidoque uultu conspici uoluisse: & in foro ac triuijs monasteria ædificasse, & alibi, nullo cum delectu uirtutis, uelut in cauea conclusisse eos, qui monachos non ultra tonsum capillum, & mutatum habitum, promissamque barbam exprimerent. His igitur de causis, siue ut monasticam sanctimoniam nutantem, ac potius humi ferè prostratam fulciret: siue metuens, ne ea ipse facere diceretur, quæ reprehenderet, rationē à suis maiorib. diuersam est secutus. Annales Nicetæ Choniatæ lib. 7. rerum à Manuele Comneno gestarū.

Erant autem monasteria quasi scholæ, in quibus artes dicendi & philosophia tradebantur. Rupertus Tuitiensis abbas in monasterio quodam S. Laurentij, iuxta Leodium, literarum elementa didicit: ut in uita eius scribitur.

Ex monachis quidam ad Ecclesiarum gubernationem eligebantur. Conradus enim abbas in Rittershausen, Lubecensis fit episcopus, anno 1162. Quo mortuo Heinricus Brunsuicensis abbas successit. Chronicon Holsatiense. Heinricus, Ludouici Francorum regis frater germanus, abbas Clareuallensis, ad Beluagicæ urbis episcopatum conscendit, anno 1149. ut Sigeberti habet Continuator. Cuno Sigebergensis abbas Ratisponensi potitur sede: teste Ruperto in præfatione Commentariorum in Matthæum. Paschalis Romanus pontifex monachus fuit: ut Simoneta lib. 5. cap. 70. testatur.

In monasterijs etiam præpositi, presbyteri, diaconi, subdiaconi ordinabantur. Archipresbyteri enim monasterij Cassinensis fit mentio lib. 4. cap. 90 in Chron. Cassinensi: Diaconi lib. eodem, cap. 109. Et Manerius Salmuriensis sacrista abbas factus est: teste Sigeberti Continuatore.

Monasterijs præerant abbates. Ordo noster est, sub magistro, sub abbate, sub regula, sub disciplina esse. Bernhardus in epistola ad Alpenses monachos. Extát eiusdem ad diuersorum abbates monasteriorum epistolæ plurimæ.

Quidam abbates non unius, sed plurium etiam cœnobiorum egerunt inspectores. Burchardus enim iussu Ruthardi archiepiscopi Mogūtini, S. Iacobi cœnobio extra urbis mœnia sito, & alteri Disibodo sacro in Spanheimēsi comitatu, simul præest: ut Trithemius indicat. Ruthardus Mogūtinus præpositurā Rinckaugiēsem à se extructā, S. Albani abbati subesse uoluit. Ibidē. Adamo Ebracēsi abbati aliæ decē Cisterciēsis instituti abbatiæ, eodē ferè tēpore in diuersis Germaniæ prouincijs erectæ, tanquam primario monasticæ uitæ ac disciplinæ inspectori cōmendatæ sunt: ut Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ indicat.

In alijs plures, in alijs pauciores degebant monachi. Bernhardus enim triginta stipatus socijs, Cisterciense ingressus est monasterium sub abbate Stephano: ut Martinus in Chronico annotat. Ex Hirsaugiensi cœnobio à Brunone Treuerorum episcopo duodecim monachi in nouum Ordenheimēse monasterium introducti sunt, ex quibus Euerhardus abbas cæteris datur: Trithemius in Hirsaugiensi Chronico. Vno die Quadragesimæ, sub Bernhardo Clareuallensi abbate centū uiri monasticis initiati sunt sacris: ut Sigeberti habet Continuator. S. Honofrij cœnobium, quod Girardus Fundanus extruxit consul, sedecim inhabitarunt monachi. Chronicon Cassinēse lib. 4. cap. 55. In Sueuiæ monasterio Roto ultrà 200 monachi, & sorores quamplurimæ alebantur. Bruschius.

Interdum & episcopi abbatijs simul præerant: ut in Capite de Politia dicemus.

Eligebātur autē & constituebantur abbates uel à monachis. Sic Celestinus secundus Anbusianis id iuris concedit, ut ipsi communi

muni consilio, decedente aliquo abbate, successorem eligant: ut habet priuilegium, quod paulo antè adscripsimus.

Aut à pontificibus, archiepiscopis & episcopis. Nam Laudunensibus monachis in æde D.Ioãni sacra, Drogo à Bartholomæo episcopo primus datus abbas, anno 1128. ut Sigeberti habet Continuator.

Cõsecratio aũt abbatis per episcopum aliquẽ fiebat, ut patet ex epistola Alexandri tertij ad Cisterciẽses monachos: Statuimus prętereа, ut si quis episcopus tertiò cũ humilitate ac deuotione, sicut cõuenit, requisitus, substitutos abbates uestros benedicere fortè renuerit, ijsdẽ monachis liceat pprios monachos benedicere, & alia quæ ad huiusmodi officiũ pertinent, exercere, donec ipsi episcopi suam duritiẽ recogitẽt, & abbates benedicere nõ recusent. libro 1. Decretal. tit. 10. c. 6. Statuimus.

Abbatũ quoq; munus erat, suo exẽplo alijs prælucere, & quæ contra regulam fiebant emendare, ut ex lib. 4. cap. 125. Chronici Cassinensis apparet: ubi Imperatorem Lotharium, abbatis uel decani more, omnes monachorum cellas inuisisse, numque monachi Benedictini insisterent præceptis, explorasse scribitur. Item: Abbas supra regulã nõ est, cui semel & ipse spontanea se professione submisit. Super fratrũ sanè trãsgressiones, nõ super patrũ traditiones cõstituitur, qui abbas eligitur, mandatorũ cultor, & ultor uitiorũ. Bernhardus in tractatu de præcepto & dispẽsatione. Oportet eũ qui præest (de abbate loquitur) nõ frena laxare suæ uoluntati super subditos: sed præfixam ex regula sibi scire mensuram, & sic demum sua imperia moderari circa id solùm, quod rectum esse constiterit. ibidem.

Delinquentes castigare. Monachi cum pro aliquo excessu fuerint corrigẽdi, cõtra regularẽ prælati sui & capituli disciplinam appellare nõ pręsumant: sed humiliter & deuotè suscipiãt, quod pro salute sua utiliter eis fuerit iniunctũ. cap. 6. concilij Lateranẽsis sub Alexandro tertio. Monachi & canonici regulares, quocunq; modo se in claustro percusserint, secundũ prouidentiã sui abbatis disciplinę subdãtur: & si discretio abbatis nõ sufficit ad eorũ correctionẽ, est prouidentia diœcesani episcopi adhibẽda. Lib. 5. tit. 39. c. 2. Monachi.

Recipiẽdi in monachorũ consortiũ promittebãt obedientiã, iuxta pręscriptam suę professionis regulã. Nil me prælatus prohibeat eorum quę promisi, nec plus exigat quàm promisi. Vota mea nec augeat sine mea uoluntate, nec minuat sine certa necessitate. Bernhardus in tractatu de præcepto & dispensatione. Quisq; professus in quouis genere salutiferæ uitæ (de monastica loquitur) nec ultra obediẽtiæ legem cogẽdus, nec citra est inhibendus, quàm sua ipsius uidetur cõplecti professio. Itẽ: Subiectus huiuscemodi obedientiã, quæ uoti finib. cohibetur, nouerit imperfectam. Et: Regula tradit, ut nihil agat monachus, nisi quod cõmunis monasterij regula, uel maiorum cohortantur exempla. ibidem.

Cõmentarios in sacra Biblia scribere. Rupertus Tuitiensis monasterij abbas, in plures sacræ Scripturæ libros Cõmentarios edidit: ut suo loco fusius dicetur.

Aedificiorũ sui monasterij curã gerere. Ruggerus enim Fuldensiũ monachorũ abbas, chorũ templi in monte D.Virgini sacro maximis sumptibus illustrauit: ut Valentinus Muntzer in Chronographia scribit. Et quidem hoc labore magis occupabãtur, quàm librorũ uel lectione, uel scriptione.

Priores etiam gubernationis partem in monasterijs sustinebant. Ad priorem enim S.Crucis extat fragmentum epistolæ Vrbani tertij, lib. 3. tit. 32. c. 9. Ex parte.

Abbatem S.Remigij, pro fortuita cæde pueri impuberis centum solidos exigentem, malè facere Alexander ad Hermonẽsem episcopum scribit, lib. 5. Decret. tit. 23. c. 2. Referente.

Librorũ curã gerere. Nam Ruggerus Fuldensis abbas libros, qui monachorum cantui seruiebant, scribi curauit: teste Muntzero in Chronographia.

Fungebãtur interdũ legationib. tũ abbates, tũ monachi. A' Ludouico enim Crasso Sigerus S. Dionysij abbas Burdegalã ablegatur cũ filio regio Ludouico, qui ibidẽ in frequenti procerũ cõsessu Elienorã Aquitaniæ hæredẽ uxorẽ accepit: ut Gaguinus lib. 6. de Francis indicat.

Ioannes quidam Cassinẽsis monachus Romanæ ecclesię cancellarius fuit. Chron. Cassinens. lib. 4. cap. 44.

Richardi Anglorũ regis iussu ex Normãnia, ubi dũ agebat rex, in Angliã uenit Cadoniẽsis abbas, exacturus à pfectis administratæ prouinciæ rationes: sed uita cũ morte Lundonijs cõmutata, regio ipse mandato non satisfecit. Neubrigens. lib. 5. cap. 17.

Bellis & conflictibus etiam intererant. Abbatẽ enim Cassinẽsem Sussannã terrã igni & ferro uastasse, eo q̃, Richardi Aquilani uxor in monasterij sui bona prędas egisset, in Chronico Cassinẽsi lib. 4. cap. 56 scribitur. Guibaldũ Stabulensem abbatẽ Lotharius Imperator cũ classe aduersus Salernum misit. Ibidem lib. 4. cap. 118.

Erant pleraque monasteria episcopis subiecta, à quibus etiam uisitari & corrigi

ſolebant,ſi quid minus piè & rectè ageretur,ut patet ex Alexandri tertij epiſtola ad Londonenſem epiſcopum: Relatum eſt, quòd monachi de N.ſeculariter uiuunt, & alios ſuo exemplo corrũpunt.Ideoq; mandamus,quatenus eos ad obſeruantiam regulæ compellas: uel ſi tibi reſtiterint auſu temerario,eis eiectis,fratres alterius ordinis(ſi non poteſt præſcriptum monaſteriũ in ſuo ordine reformari) in illud inducas, ut labores impiorum iuſti edant,& illi tandem rubore perfuſi, ad ſui ordinis obſeruantiam reuertantur.lib.3.Decretal.tit. 50. c.7.Relatum. Si tamen epiſcopi abbatibus præter debitam obedientiam, contra libertatem ordinis à prædeceſſoribus noſtris & à nobis indultam,exigunt, liberum ſit abbatibus autoritate Apoſtolica, quod petitur denegare. Idem lib.5.tit.31. c. 5.Sanè. Monachi Conuentriæ ſceleratè & luxurioſè uiuentes,ab Hugone Nouanto.Ceſtrienſi epiſcopo non tantùm non reformari uolebant, uerùm etiam in ſummo templo ad altare magnum graue uulnus inflixerunt:quos tandem è ſuo cœnobio eiecit epiſcopus, anno Domini 1191. ut Balæus Centuria 13 Scriptorum Britanniæ, capite 31.annotat.

Fuerunt & politici monaſticæ uitæ cenſores. Lauduni enim ex eccleſia D. Ioannis,cõſilio regis & principum, ob uitę turpitudinem moniales eijciuntur,anno 1128. ut Sigeberti annotat Continuator. Et Luteram cœnobiũ Imperator Lotharius, exturbatis peſsimæ uitę monialibus, monachis inhabitandũ conceſsit:teſte Trithemio in Hirſaugienſi Chronico.

Non licebat abbatibus aliquid de bonis cœnobij perdere. Volelmus Fuldenſium abbas, ob bonorum cœnobij profuſionem dignitate exuitur: ut Munzerus in Chronologia annotat.

Erant etiam monaſteria quaſi carceres & exiliorum loca, in quæ facinoroſi & ſeditioſi, aut magiſtratu deiecti, uel ſua dignitate exuti,ſolebãt abdi.Burdinus enim pſeudopapa,cum Romam euntes & redeuntes ſæpius Sutrij deprædatus eſſet, tandem capitur, & in monachum tondetur, anno 1121.ut Sigeberti habet Continuator. Alexius nothus Manuelis filius, qui conſiliorum Andronici Imperium affectantis conſcius habebatur, in monaſteriũ quoddam Papicij montis truditur. Cumq; Papicium montem monaſticis ſacris initiandus conſcenderet, ſubtriſtior ijs, qui eum comitabantur, uiſus eſt. Ex quibus Nicetas,horum Annalium,ex quibus hæc recitamus,autor,triſticiæ cauſam rogauit. Cui ille reſpondit: Non habitum, uir amiciſsime,horreo (quid enim ueſtis mutatio periculi habeat?) ſed promiſsiones,quas ſecum fert habitus,reformido, & illud quòd ad cœleſte regnum nullo modo aptus eſt is,qui manum ad aratrum ſemel admotam retraxerit per inſaniam. His & alijs id genus dictis(ut erat homo facundus,& in ſacris literis uerſatus) Chriſtianum pallium inuitus induit, & precibus, quæ ſuper eo peragebantur,ne ſummis quidem auribus admiſsis,tantùm radi ſe,& Athanaſium appellari paſſus eſt. Nicetas lib. 3. de Imperio Iſaacij Angeli. Andronicus Lapardas,prius oculis exculptis, in Pantepopti monaſterio latitare cogitur. Ibidem. Quidam impoſtor,Heinricum Imperatorem ſe eſſe ſimulando, multarum cædium author extiterat: ſed fraude detecta, in Cluniacenſem monachum tondetur, anno 1138.ut Sigeberti habet Continuator. Cauenſes Theodoricum pontificem creatum loco cedere,ac inter Anachoritas pœnitere cogũt. Simoneta lib.5.cap.70. Almus Colomanni Vngarorum regis frater,cum filio oculis orbatus in Demeſienſe cœnobium includitur. Bonfinius lib.5.Decad. 2. rerum Vngaricarum.

Principum uirorum uiduæ,& ſenio confectæ in monaſteria quoq; recipiebantur uirginum. Gertrudis Palatiniſſa, defuncto marito ſuo, monaſterium Theodoro ſacrum apud Bambergenſes ingreſſa eſt, eiuſq; conuentus prima extitit abbatiſſa: teſte Bruſchio.

Epiſcopi quoq; ſponte ſua gubernatione ſe abdicantes, inter monachos locum ſortiebantur. Conradus Salisburgenſis epiſcopus ob iniurias ab Imperatore acceptas, eo quòd Alexandri Romani præſulis partium eſſet, in cœnobium Admontenſe ſe contulit, ubi morbo correptus, uitam cum morte commutauit: ut Cuſpinianus in Auſtria ſcribit. Bartholomæus Laudunenſis epiſcopus, trigeſimooctauo ſui epiſcopatus anno,ſeculi moleſtiarum pertæſus,monaſticen amplexus eſt,anno 1150.ut Sigeberti Continuator refert.

Et politici gubernatores, regni moleſtiarum pertæſi,uel tranquillitatis uel ſuperſtitionis ergò monaſteria ingreſsi ſunt. Manuel enim Græcorum Imperator, poſt trigintaocto principatus annos monaſticen profeſſus eſt:ut Iacobus de Strada in Theſauro antiquitatum teſtatur. Comitem quendam Murienſem Carthuſanum factũ eſſe, in Faſciculo temporũ ſcribitur. Vuipertus Luſatiæ marchio, conſilio Adelgothi archiepiſcopi Magdeburgenſis, Arnoldi Mersburgenſis & Theodorici epiſcoporum,tradito prius filię eiuſdem cum patre no-

tre nominis regni ſceptro, apud Pegauienſes in æde D. Iacobo ſacra monaſticen amplexus eſt: ut in Mersburgẽſi Chronico ſcribitur. Robertus Nouiburgi dominus morbo correptus, Becci monaſteriũ ingreſſus eſt, anno 1160. ut Sigeberti habet Cont.

Statuta multa & uaria cõdita legũtur. Eugenius enim decreta de monachis hæc tuliſſe, apud Robertum Barns ſcribitur:

Ne monachus lucri cauſa cœnobium relinqueret.

Ne monachus uel puerum baptiſmo ut teſtis leuaret, uel baptizaret.

Ne monachus pœnitentiã daret, ne infirmos inuiſeret, & ne in mortui funere eſſet.

Ne monachus Eccleſiam ſecularem gubernaret.

Ne coniuges uitam monaſticam profiterentur, ſine conſenſu ſui epiſcopi.

Matrimonij ius non debere ſolui inter eos coniuges, quorũ alter tantùm uult monaſticam uitam amplecti.

Monachos nõ debere ſe implicare ullis negocijs: ſed ſedere debere in ſua monaſtica ſolitudine.

Carthuſiẽſes ſingulis diebus Miſſam nõ faciunt. Petrus Bleſenſis epiſtola 40.

Vitæ aſperitate, rigore ordinis, lege obedientiæ, ſolitudinis terrore, & maximè diſciplinæ auſteritate, multos à monaſticę religionis ſtudio abſtrahi, Petrus Bleſenſis epiſtola 40 indicat.

Ordo noſter abiectio eſt, humilitas eſt, uoluntaria pauptas eſt, obediẽtia, pax, gaudiũ in Spiritu S. Ordo noſter eſt eſſe ſub magiſtro, ſub abbate, ſub regula, ſub diſciplina. Ordo noſter eſt ſtudere ſilẽtio, exerceri ieiunijs, uigilijs, orationibus, opere manuũ, & ſuper omnia excellentiorẽ uiam tenere, quę eſt charitas. Porrò in his omnib. proficere de die in diem, & in ipſis perſeuerare uſq; ad ultimum diem. Bernhardus epiſtola 141. ad Alpenſes monachos.

Nulla liceat occaſione monacho locũ, cui profeſſus eſt, citra ſuam mortem deſerere, ſuo duntaxat arbitrio: alioquin præuaricator eſt, damnationem habens, quia primam fidem irritam facit. Idem in tractatu de præcepto & diſpenſatione.

Monacho publicè prædicare nõ conuenit. Idem ſermone 64 ſuper Cantica.

Et in Lateranenſi ſynodo ſub Alexãdro tertio, iſte de monachis canon factus eſt: Monachi non precio recipiantur in monaſterium, non peculiũ permittantur habere, non ſinguli per uillas & oppida, ſeu ad quaſcunq; parochiales ponãtur Eccleſias: ſed in maiori conuentu, aut cum aliquibus fratrib. maneant, nec ſoli inter ſeculares homines ſpiritualiũ hoſtiũ conflictionem expectent, Salomone dicente: Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſubleuantem. Si quis autem exactus pro ſua receptione aliquid dederit, ad ſacros ordines non aſcendat. Is autem qui acceperit, officij ſui priuatione mulctetur. Si uerò peculiũ habuerit, niſi ei ab abbate pro iniuncta fuerit adminiſtratione permiſſum, de communione remoueatur altaris: & qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat ſepulturam. Quod etiam de diuerſis religioſis præcipimus obſeruari. Abbas etiam, qui iſta diligenter non curauerit, officij ſui iacturam ſe nouerit incurſurum. Prioratus quoq; ſiue Obedientiæ, precij datione nulli tradantur: alioqui & dantes & accipientes à miniſterio fiant Eccleſiaſtico alieni. Priores uerò cum in conuentualibus Eccleſijs fuerint conſtituti, niſi pro manifeſta cauſa & rationabili nõ mutẽtur: uidelicet ſi fuerint dilapidatores, nec cõtinenter uixerint, aut aliquid tale egerint, pro quo amouẽdi meritò uidebantur. Aut ſi etiã pro neceſsitate maioris officij, de cõſilio fratrũ fuerint transferendi. cap. 10. Tom. 2 Conciliorum.

Vt ſecularium hominum conſortia uitẽt monachi, Petrus Bleſenſis ſubiecta hac ratione monet: Qui enim picem tangit, inficitur ea. epiſtola 60.

Monachorũ officiũ eſſe, pro peccatis ſecularium orare, Rupertus Tuitienſis abbas libro 2. de Sapientia, cap. 10. teſtatur.

Monachi in Osburgẽſi cœnobio Traiectẽſis diœceſeos tanto ſuæ regulæ conſtringebantur rigore, ut locus ille & eſſet & diceretur Religionis carcer. Ac monachi, quorũ petulantia nulla alia frangi poterat ratione, ex longè diſsitis cœnobijs pœnitẽtię cauſa eò mittebantur: ut Trithemius in Hirſaugienſi Chronico annotat.

Monachorũ quidam ad perpetuũ ſilentiũ erant adſtricti, ut apparet ex Petri Cluniacẽſis epiſtola ad Carthuſienſes, ubi inquit: Salutat uos totus cõuentus noſter deuoto corde, & quidam, quibus loqui licet, corde ſimul & ore. lib. 3. epiſt. 24.

Sine abbatis uenia monachis cœnobio exire nõ permittebatur. Nam in bene ordinatis monaſterijs nullus profeſſorũ, ne arctioris quidẽ uitæ deſiderio, ſine licẽtia ſui ſenioris egredietur. Bernhardus in tractatu de præcepto & diſpenſatione.

Abbates geſtare mitram, aliaque epiſcoporum ornamenta, improbat Petrus Bleſenſis: Sunt enim, inquit, mitra, annulus & ſandalia in monachis quædam ſuperba elatio, & præſumptuoſa oſtentatio libertatis. epiſtola 34.

Petrus Cluniacenſis ſui ordinis regulam

lam cum Ciſtercienſibus conferens, ſtatuta quædam utriuſq; ſectæ recitat: Cluniacenſes, inquit, & Ciſtercienſes nō niſi poſt annum nouitio aditum clauſtri aperiunt.

Ciſtercienſes duabus tunicis & duabus cucullis, uel eiuſdem generis paucis additis ueſtibus, contenti ſunt. Cluniacenſes uſum mediocrium pelliciorum admittunt, ne debiles, infirmi aut delicati à propoſito recedant.

Ciſtercienſes non niſi tertiò fugitiuos reuertentes recipiunt: quia & ipſa regulæ uerba conſeruare, & à frequenti fuga ſtultos uel inſtabiles monachos, negato demum reuerſionis aditu, deterrere ſtudent. Cluniacenſes plus quàm tertiò redeuntem monachum recipiunt: quia timent ne uenia denegata, expoſitus hoſtibus pereat, & ouē uagabundā lupus, qui & clauſas rapere ac diſperge ſolet, interimat.

Ciſtercienſes abſq; exceptione aliqua, regularia ieiunia tam æſtatis, quàm hyemis obſeruant, iuxta regulæ ſuę rigorē. Sed Cluniacenſes dies octo natalis Domini, Epiphaniam, & Purificationis feſtum, qui uere per omnia dies Dominici ſunt, & omnem autenticam duodecim lectionum ſolennitatem, & regularium ieiuniorū conſuetudinem excipiunt.

Ciſtercienſes ſecundum regulæ præceptum, & operas manuum faciunt. At Cluniacenſes manuum opus poſtpoſuerunt, cum per promiſcuā utriuſq; ſexus multitudinem, abſq; aliquo uel plurimo periculo conuerſari non liceat.

Ciſtercienſes in omnibus aduenientibus uel diſcedentibus hoſpitibus, inclinato capite, uel proſtrato omni corpore in terrā, Chriſtū adorant, eiſq; uniuerſis pedes abluunt. Verùm Cluniacenſes ſuperſtitioſa illa humilitate omiſſa, hoſpitibus neceſſaria pro uiribus exhibent, & omni quo poſſunt honore proſequuntur.

Ciſtercienſes menſam abbatis cum hoſpitibus & peregrinis ſemper eſſe uolunt. Cluniacenſes uerò mēſam abbatis nō ſemper cum hoſpitibus, ſed ſemper cum fratribus eſſe decernunt.

Ciſtercienſes monaſtici ordinis plurima detrimenta, morumq; ruinas in multis monaſterijs reparare laborant, & delicatis magis quàm neceſſarijs condeſcenſionib. exploſis, ad antiqui & primi feruoris morem horum temporum lepōrem reuocare contendunt. Sed Cluniacenſes ita & regulę & ordinis mandata moderantur, ut ſecundū eiuſdem regulę uerba ſit & quod fortes cupiant, & infirmi non refugiant: ut qui pane non poteſt, ſaltem lacte, ne uitam perdat, alatur: & qui anhelis curſibus propoſitum brauium comprehendere non ualet, lento ſaltem pede ad illud pertingere doceatur: quia non minus patriæ inhabitator dicitur, qui ad eam poſt annum, quàm qui poſt menſem reuertitur. Lib. 5. epiſt. 16.

Et de Carthuſiēſibus idem in literas retulit: Carthuſiani ueſtes uiliſsimas, ac ſuper omne religionis propoſitū abiectiſsimas, ipſoq; uiſu horrendas aſſumpſerunt. Quantitate enim breues & anguſtæ, qualitate ut uix aſpici poſsint, hirſutæ & ſordidæ fuerunt. Auariciæ inſuper uitandæ gratia, certis terminis, iuxta locorū fertilitatem aut ſterilitatem, in circuitu cellarum ſuarū, uel maioribus, uel minoribus contenti, extra quos, etiamſi totus mundus eis offerretur, nec ſaltem quantum pes humanus occupat, terræ ſpacium accipiunt. Cæterùm etiam pecorum, boum ſcilicet, aſinorum, ouium, caprarum, hircorum, conſtituēre numerum, quem tranſgredi fas non erat. Eāq; ob cauſam duodecim tantùm monachos cum priore, qui decimustertius erat, ac decem & octo conuerſis, paucisq; mercenarijs in ſui ordinis monaſterijs eſſe perpetuò decreuerunt. Cæterùm ad edomandā carnem, duris eam cilicijs ſemper exaſperant, continuatis penè acribus ieiunijs corpora affligunt, extenuant & deſiccant. Pane utuntur furfureo, uino aqua diluto. Ab omni carnis eſu tam ſani quàm ęgri in perpetuum abſtinent. Piſces nunquam emūt, attamen gratis oblatos accipiunt. Die Dominico & quinta feria tantùm caſeis uel ouis ueſcuntur. Tertia feria ac ſabbato aut legumine, aut olere cocto utuntur. Omni ſecunda, quarta & ſexta feria ſolo pane & aqua contenti ſunt, ac ſibi quiſq; ſuum parat cibum. Semel in die tantùm commedunt. At octo diebus natalis Domini, totidemq; Paſchæ & Pentecoſtes ferijs, Epiphania Domini, purificatione Marię & annūciatione Domini, aſcēſione eiuſdem, aſſumptione & natiuitate Mariæ, & duodecim Apoſtolorū, Baptiſtæ, Michaelis, Martini & omnium Sanctorum feſtiuitatibus, & bis & in communi menſa cibū capiunt. Singuli ſuas tenent cellas, ubi ſilentio, oratione, lectione, atq; manuum operis, maximè uerò in ſcribendis libris occupantur. In ijſdem debitum regularium horarū, hoc eſt, primam, tertiam, ſextam, nonam, cōpletorium, ſigno eccleſiæ cōmoniti Deo perſoluunt. Ad ueſperas & matutinas in templis conueniunt, Miſſaſq; celebrāt, ijs diebus, quibus bis eos comedere diximus. Libro ſecundo de Miraculis, cap. 28.

Proceſsiones etiam apud monachos in uſu fuēre. Lothario enim Imperatore Caſſinenſe monaſterium in ſuam tradi poteſtatem

ſtatem

ſtatem poſtulante,omnes monachi humo proſtrati tundentes in pauimento capita, miſericordiam Domini cum luctu cordisq; gemitibus implorabant, ut locum iſtũ reſpicere ac tueri dignaretur. Inde ad patrẽ Benedictum conuerſi, quaſi præſentẽ cernerent, dicebant: Eia pater honeſtiſsime atq; ſanctiſsime,tu præſentiorem te diſcipulis fore (Nota idololatriam) poſt carnis exceſſum, quàm ſi uiueres, pollicitus es. Adeſto igitur nobis per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum:te adiuramus, protege alumnos tuos, & locum iſtum ab omni aduerſitate defende. Poſt hæc ſumpto crucis uiuificæ ligno, & brachio ſancti euangeliſtæ Matthæi, ſanctique confeſſoris Chriſti Mauri, fratres letanias agere per monaſterij eccleſias cœperunt. Cumq; in eccleſia B.Martini uota Domino perſoluerent ſupplicationis & laudis, finitis ſuffragijs egreſsi,ad eccleſiam S.Stephani diuerterunt:eam autem clauſam offenderũt.Fratre autem,qui crucẽ baiulabat,leniter ſeras tangente,diuinitùs apertæ ſunt.Ibi cum omni deuotione & contritione cordis peractis letaniæ ſuffragijs,ad patris Benedicti eccleſiam reuerſi ſunt: ſicque ipſius diei Miſſam cum gemitu & luctu peregerunt. Chronicon Caſsinenſe libro 4.cap.101. Item:Quia feſtiuam hodie, & nos ipſi præter cæterarum conſuetudinem ſolennitatum, acturi ſumus proceſsionem, non inutile arbitror, modum ipſius & ordinem diligentius intueri. Proceſſuri ſumus bini & bini, candelas habentes in manibus, ipſas quoque ſuccenſas, nec quolibet igne, ſed qui prius in eccleſia ſacerdotali benedictione fuerit conſecratus. Ad hæc futuri ſunt in proceſsione noſtra nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi, & cantabimus in uijs Domini, Quoniam magna eſt gloria Domini. Meritò ſanè bini & bini procedimus: ſic enim ob commendationem fraternæ charitatis & ſocialis uitæ, miſſos à Saluatore diſcipulos,Euãgelia ſacra teſtantur. Turbat proceſsionẽ, ſi quis ſolitarius incedere curat,nec ſibi ſoli nocet, ſed etiam cæteris eſt moleſtus. Bernhardus in ſermone die purificat.Marię habito. Item: In feſtiuitatibus omnes nos monachi in albis ſtare uel procedere ſolemus,qua ueſte noua ſanctorum deſignatur uita:ſicq; conuenienter in albis procedentes, ſimul etiã omnes tam ſenes,quàm iuniores,manipulos portamus: quia in illa uita propriam unuſquiſq; mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem, & uenientes uenient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Rupertus libro tertio de Diuinis officijs, capite 23. Rectè & laudabiliter à noſtris, id eſt, monaſtici ordinis maioribus traditum eſt, quod hactenus pro lege fixum atque inconuulſum conſeruatur, ut in huiuſmodi proceſsionibus, cunctis per annum Dominicis,beatæ Dei genitricis memoriam prima ſtatione uiſitemus, decantando quodlibet, quod eis proprium ſit: eaque ſalutata,& oratione dicta', tunc demum proceſsionẽ ordine ſupradicto peragamus. Idem libro 7 de Diuinis officijs, capite 25.

De tonſura eorum inquit Bernhardus: Puer Cluniacum ducitur, tondetur, raditur,lauatur,exuitur ruſticanis,uetuſtis,ſordidis, induitur precioſis, nouis ac nitidis, & ita in conuentum ſuſcipitur. In epiſtola ad Robertum nepotem. Item: Raſuram,quam coronam nominamus,nullo ornamento contegimus. Ideo autem raſi ſumus,quia in Caluariæ loco Chriſtus crucifixus eſt,& Heliſæus caluus fuit. Vocamus autem coronam, hoc eſt, uictoriam, quia fidelis illa Domini decaluatio, cuius hæc raſura ſignum eſt, proculdubio uictoria, triumphus,honor & gloria noſtra eſt. Rupertus libro ſecundo de Diuinis officijs, capite 25.

Singuli diſtributas operas habebant, ac quidam ex ijs artificia manuaria calluerunt: ut ex cap.35. libri 7 Otthonis Friſingenſis apparet. Et chartularij,bibliothecarij ac ſcriniarij in Caſsinenſium conuentu,ſit mentio libro quarto,capite 109 Chronici Caſsinenſis. Ramenſes monachos de ſuis laboribus, quos proprijs manibus uel ſumptibus excolant, nullas teneri pẽdere decimas,Alexander tertius in epiſtola ad eoſdem teſtatur. Galterius S.Vuandregiſili ſubcellarius fuit:ut habet Sigeberti Continuator.

Quidam codices & miſſalia deſcribebant. Ruggerus enim Fuldenſium abbas, miſſalia per monachos ſcribi curauit ſplendidiſsimè: ut Valẽtinus Muntzer annotat.

Legum & ſtatutorum quorundam monialium meminit Petrus Bleſenſis, epiſtola 23 ad uirginem quandam monialem: Si nunc eſſes in ſeculo,cuncta ad uotum tibi cederẽt.At iam clauſtrali anguſtiæ mancipata es,ubi omnis euagandi licentia præciſa eſt, omnis ubi riſus, omnis laſciuia,omneſque ſeculi uoluptates & mundi deſideria relegantur, ubi funereæ ueſtes, ubi continuatæ uigiliæ, ubi eſt potus atque uini confuſio, cibus uerò legumina & panis auſterior.

Initiandis monialibus crines amputabantur:ut patet ex epiſtola Petri Cluniacẽſis decimaſeptima libri tertij ad germanos fratres.

In monasterio apud Fontem Ebrardi, ad perpetuam taciturnitatis regulam moniales obstrictas esse, Malmesburiensis lib. 5. cap.51. testatur.

De castitate monachorum & monialiũ Cranzius inquit: Sacram communionem monialibus per fenestram, fortè ne suspicioni illicitæ uirorum consuetudinis occasio esset, datam, ex Vandalia lib. 5. cap. 41. apparet. Mathildis Edgari Scotorum regis soror, quæ monasticis initiata fuerat sacris, cùm inuita Heinrico Anglorum regi nubere cogeretur, omnibus precibus prolem, si qua ex ea crearetur, execrata est: teste Polydoro Vergilio lib. 11 hist. Anglicæ.

At libidines & auariciam Cisterciensium monachorum quidam Syluester Giraldus publico scripto reprehendit: ut Balęus Centuria 3 Scriptorum Britanniæ, cap. 40. testatur.

De perdita monachorum uita ad Lugdunensem archiepiscopum Petrus Cluniacensis scribens, ait: Hoc planè ferè de uniuersis prouinciæ tibi à Deo commissę monachis ac monasterijs loquor, qui (ut salua gratia bonorum, qui inter eos commorantur, dixerim) se dicunt monachos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ. Quid enim illi sibi de monacho præter nomen & habitum uendicant? ubi enim in eis uel est, uel apparet monachi humilitas? ubi charitas? ubi illa quæ beatos facit paupertas? Ideo autem dixi, Quæ beatos facit: quia ea paupertate quæ miseros facit, cum summopere ditescere cupiãt, magnopere laborant. Dicunt huiusmodi homines, se monachos, hoc est, singulares & unicos in mundo esse, cum turbis & tumultibus hominum corde & opere misceãtur. Lib. 4. epistola secunda.

Quidam ex monachis Nigromantię dediti fuêre. Erlolfum Fuldensium abbatem magiæ peritum fuisse, Munzerus in Chronographia indicat.

Monachi quidam uaticinabantur, non antè moriturum Alexium Comnenũ Gręcorum Imperatorem, quàm Hierosolymã profectus sepulchrum Christi adoraret, ibiq; regium deponeret diadema. quibus Imperator fidem habuit: sed monachorum præstigijs deceptus, paulo pòst in uiuis esse desijt: ut Cuspinianus de Imperatoribus refert.

Vestitus eorum erant cuculla, cappa, toga linea uel lanea, caputium: ut Otto Frisingensis lib. 7. cap. 35. indicat. Et Rupertus: Cappas, inquit, in maioribus festiuitatibus induimus, quæ ab interiori parte bene patulæ sunt, & omnino præter solam necessariam fibulam inconsutæ: quia profectò immutata iam & immortalia corpora nullis animam occludent angustijs, corda nõ contegent, nec obsistent internæ Trinitatis contemplationi. Fimbrijs quoq; subter ornatæ sunt, quia nil nostrę tunc deerit perfectioni: sed tũc ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus, cognoscemus, sicut & cogniti sumus, quia facie ad faciem uidebimus. lib. 2. de Diuinis officijs, cap. 24.

De sui seculi monachis Bernhardus queritur, quòd non uestitum, sed ornatũ: quòd nõ utilius ad induendum, sed subtilius: nõ quod frigus repellat, sed quod superbiæ & luxui seruiat: nõ deniq; iuxta regulã quòd uilius, sed quòd uenustius, imò uanius ostentari queat. Ac uix, inquit, in prouincijs nostris inuenimus, quo uestiri dignamur. Alborum & nigrorum monachorum Alexander tertius in epistola ad Terraconensem episcopum meminit, quæ habetur in Decretis lib. 3. tit. 30. c. 10. Ex parte. Alij alba, alij nigra ueste induũtur, teste Otthone Frisingensi, cuius trigesimumquintum caput libri septimi, de uarijs monachorum sectis, eorumq; diuerso habitu, hic adscribemus: Diuersa sunt, inquit, sanctorum agmina, qui proprijs desiderijs, facultatibus, parentibus, iuxta mandatum Euangelicum abrenunciantes, crucemq; mortificationis in carne iugiter portantes, cœlesti desiderio pleni, Christum sequũtur. Quorum alij in urbibus, castellis, & uicis, & agris commorantes, proximis normam rectè uiuendi uerbo & exemplo tribuunt: alij quidem commanentiam hominum aspernantes, & quieti suę amplius prouidẽtes, frequentiam fugiunt, soliq; Deo uacantes, ad syluarum abditorumq; locorum latibula se conferunt. Illi lucem suam lucere coram hominibus ad gloriam Dei, nõ abnuunt: isti mortuos se mundo cognoscentes, uitam suam cũ Christo in Deo in præsenti abscondunt, gloriamq; suam, donec Christus uita eorum gloriosus appareat, enitescere non cupiunt. Æquè tamen omnes uitæ & conscientiæ puritate, ac sanctimonia cœlesti etiam angelica in terris uita degunt. Commanent autem cor unum & animam unam habentes, in unum in cœnobijs, uel ecclesijs, somnum simul capiũt, unanimiter ad orationem surgunt, in una domo reficiũtur, pariter orationi & lectioni, operiq; die noctuq; ita indefessa incumbunt uigilantia, ut excepto illo, quo lassa quieti membra uilibus & uimineis stramẽtis, seu sago tradunt, momento, aliquod horarum spaciũ sine diuina occupatione nefas arbitrẽtur effluere, in tantum, ut in ipsa naturali refectione diuinæ Scripturæ iugiter intenti, spiritum malint saginare quàm corpus.

corpus. Abstinent uerò omnes communiter à carnibus. Alij autem ab omnibus delicatioribus cibis uinoq; se cohibentes, legumine interdum, interdum cum pane utuntur & aqua. Quid de cœlibatu ipsorum dicam? cum ita communem & indultam humano generi nuptiarum legem trãscenderint, ut quidã ex eis non solùm interna, sed & externa claustra tanta cum diligẽtia obseruent, quòd nulli unquã qualibet de causa, sed nec orationis obtẽtu introeundi aditus pateat fœminarum. Omnibus enim diuersorum opificum officinis, id est, pistorum, fabrorum, textorum, aliorumq;, ne foràs ullus eorum euagandi occasionẽ habeat, intrò positis, his studiosissimè septis, porta in exteriori atrio posita est. Vbi religiosus & timoratus frater iugiter manens, omnes superuenientes hospites, peregrinos, pauperes alacriter & benignè tanquã Christum ipsum suscipiens, primò ad oratorium ductis, in cellam hospitalem, lotis antè eorum pedibus, ac deinde omnibus humanitatis officijs deuotè exhibitis, collocat. At fœmina, si exhortationis seu alterius officij causa superuenerit, extrà dimittitur: eam monasterij pater, uel aliquis ex fratribus, non in domo, nec solus, sed sub diuali & patenti loco, solum & rarum tectum propter pluuias habẽti, alloquitur. Alij uerò, etsi eas orationis gratia ab oratorio non secludant, ad interiora tamen fratrum receptacula introire non permittunt. Porrò seipsos tãta sollicitudine custodiũt, ut nõ solùm maiora delicta abhorreant, sed & à minimis ac leuissimis, & quæ nobis ex ipso usu uiluerũt, ita sensus suos cohibeant, ut rarissimè nisi soli Deo, patriq; congregationis colloquentes, nutibus magis ac signis, quàm lingua, ea quæ necessaria sunt, ab inuicem requirãt. Si uerò in aliquibus uel minutissimis, ex humana infirmitate, negligẽtia, uel surreptione quis eorum offenderit, ad locum ad hoc deputatum circa primam uel tertiam horam concurrunt, ibique diuino prius adiutorio inuocato, culpas suas humiliter recognoscunt, ac cũ charitate mutuò se corrigunt. Ibi sedens senior, mansueta seueritate, sine ira & disceptatione eos iudicat, frequenterque diuinarum Scripturarum sereno uultu, mellifluo ore informans eloquijs, ita defęcatos, & ad unguem purificatos, ad cœlestis militię cõtubernium dignos tyrones in pręsentis uitę stadio pręparat. Sed quia in ipso uestibulo speciosa domus agnoscitur, qualiter interior eorum homo coram discretore cordium Deo intus fulgeat, habitus exterior apud homines foris declarat. Sicut enim intus uarijs rutilant uirtutum fulgoribus, ita foris diuersorum utuntur colorum uestibus, iuxta illud Psalmographi: Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta uarietate. Alij quippe Apostolicam uitam ducentes, in ipsoq; habitu innocentiæ puritatem prætendentes, munda & linea toga utuntur. Alij eiusdem ordinis uiri, ob mortificationem carnis tunica lanea asperius uestiuntur. Alij omnibus exterioribus occupationibus liberi, angelicã uitam in ueste prætendentes, eius suauitatem forma potius ipsa, quàm sui mollitie typicè figurant. Ponunt ad carnem tunicas asperrimas, superq; eas alias cum caputijs latiores, ex senis partibus, tãquam totidem alis, ad instar Seraphin cõstantes. E quibus duabus, id est, caputio caput tegentes: duabus, id est, manicis omnem actionem suam uelut manus ad Deum dirigendo, ad superna uolantes: duabus reliquum corpus antè & retrò uelantes, diuina se gratia præueniente & subsequente, contra omnia sæua tẽtatoris iacula se munitos ostendunt. Differunt autem in hoc, quòd alij ob contemptũ mundi exprimendum, eandem uestem nigram tantùm gerũt: alij uerò de colore uel grossitudine nihil causantes, albã, uel griseam, aliamue abiectam tãtùm & asperam ferre consueuerunt. Taliter intus & foris instructi, ac per totum terrarum ambitum fertili copiosaq; propagine, merito & numero in immensum in breui multiplicati signis radiant, uirtutibus coruscant, diuina reuelatione sępius subleuantur, angelica & Dominica uisione in exitu uitę crebrò consolantur. Infirmos curant, dæmones fugãt, cœlestisq; patriæ dulcedinem, quantum in præsenti licet, per contemplationem interdum prægustant: atq; ob hoc quamuis laboribus attriti, uigilijs exinaniti, ieiunijs attenuati sint, more cicadarum, quæ famelicæ plus grillire solent, totam penè noctem in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus peruigilem ducunt. Manent autem, sicut & olim in Ægypto, sic & nunc in Galliæ Germaniæq; partibus abundantius: ut in hoc haud mireris potentiæ seu sapientię ab Oriente ad Occidentem translationem, cum de religione itidem factũ eniteat. Est præterea diuersis in locis ad singulare certamen specialiter instructum anachoretarũ & solitariorum in genere optimo pugnæ sanctum collegium, in numero quidem rarius, uitæ uerò austeritate superioribus uel æquale, uel eminentius. Quorum alij sub priore degentes, in remotis & abditis locis singuli singulas cellas uelut sepulchra inhabitant. Operibus manuum sustentãtur, modico contenti pabulo, annonam totius hebdomadæ sabbato accipiũt, ac omnimodę

humanæ consolationis expertes, à colloquijs tantùm diuinis & oratione non recedunt. Dominicis solùm diebus ad oratorium, quod in communi positum est, concurrunt, ac uerbo sanctæ cohortationis à senio re irrigati, Deificis salubriter refecti mysterijs, cum omni alacritate reuertuntur. Alij uitæ suæ solum Deum testem habere cupientes, antris, speluncis, parietibus se includunt, tantoq; ardentius cœlo suspensi, sabbatisare creduntur, quanto amplius omnis humanæ societatis extorres inueniuntur. Sunt etiam qui squalores solitudinum requirant, bestiale ferarum consortium non pertimescant, herba pascantur, pelle carnis pro operimento utentes, algore noctis, & calore solis in modum Æthiopū denigrati, uelut tympanum obrigescāt, atq; terreno habitaculo in terra positi includi dedignantes, tectoq; cœli tantùm utentes, non se tam homines quàm cœlestis curiæ contubernales esse demonstrant. Hæc Frisingensis. Sectam quandam monachorum, genuinam crucem rubram in uestibus gerentium, & sub Augustini regula uiuētium, Iaxa quidam Gryphius Poloniæ princeps in suam patriam Hierosolymis deduxit: ut Cromerus lib. sexto de rebus Polonorum indicat.

Monialium uestitus. Heinrici Anglorum regis coniunx duobus partubus contenta, ad monasterium, quod à teneris annis incoluerat, redijt, & sub regio uestitu cilicio induta fuit, nudisq; pedibus tempore Quadragesimę ecclesiam intrare consueuit. Malmesburiensis li. 5. cap. 29 de gestis Anglorū.

Cibus. Bernhardus primus Clareuallensis abbas, olerum loco fagi frondibus uescebatur, ac pane hordeaceo, admixto milio & uicia, utebatur. Fuitq; talis apud religiosos uictus ratio multis seculis in usu. Sed ubi possessionibus aucti, prouentibus ditati sunt, apud successores illorum uirtus & Dei pietas elanguit, ita ut in luxū parsimonia, in superfluas opes paupertas, in fastum humilitas, in lasciuiam continentia, in confusionem omnis ferè ordo nunc uersus, parui habeatur. Robertus Gaguinus lib. 6. de Francis. Iubinensis cœnobij monachi modum uiuendi tam sublimē assumpserunt, ut non solùm carne & sanguine penitùs abstinerent, sed & ouis ac lacte, tribusq; hebdomadæ diebus solo pane & aqua uescerentur. Reliquis diebus olera cocta seu legumina sumere licitum erat. Piscibus rarò, uino rarisimè utebantur. Sua cuiq; cellula. Gerhardus à Nazareth de Cōuersatione seruorum Dei, capite 18.

De prandendi ratione intra monachos quodā ūsitata, Bernhardus scribit: O quātum distamus ab his, qui in Antonij diebus extitēre monachi? Nobis conuenientibus, nihil de scripturis, nihil de salute agitur animarum: sed nugæ, & risus, & uana proferuntur in uentum. Inter prandendum quātum fauces dapibus, tātum aures pascuntur rumoribus, quibus totus intentus, modū nescias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponūtur, & pro solis carnibus, à quibus abstinetur, grandis piscium corpora duplicantur. Cumq; prioribus fueris satiatus, si secūdos attigeris, uideberis tibi necdum gustasse pisces. Tanta quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinq; ferculis deuoratis, prima non impediāt nouissima, nec satietas minuat appetitum. Palatum quippe dum nouellis seducitur condimentis, paulatim disluescere cognita, & ad succos extraneos, ueluti adhuc ieiunum, auidè renouatur in desideria. Venter quidem dum nescit, oneratur: sed uarietas tollit fastidium. Quia enim puras (ut eas natura creauit) epulas fastidimus, dum aliæ alijs multifariè permiscentur, & spretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula prouocatur saporibus: transitur nimirum meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur. Quis enim dicere sufficit, quot modis (ut cætera taceam) sola oua uersantur & uexantur, quanto studio euertuntur, subuertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur, & nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc mixtim, nunc singillatim apponuntur? Vt quid autem hæc omnia, nisi ut soli fastidio consulatur? Ipsa deinde qualitas rerum talis deforis apparere curatur, ut non minus aspectus quàm gustus delectetur: & cum iam stomachus crebris ructibus repletum se indicet, necdum tamen curiositas satiatur. Sed dū oculi coloribus, palatū saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur, quàm reficitur. Iam uerò de aquæ potu quid dicam, quādo ne ullo quidem pacto uinum aquatum admittitur? Videas uno in prandio ter uel quater semiplenum calicem reportari, quatenus diuersis uinis magis odoratis, quàm potatis: nec tam haustis, quàm attactis, sagaci probatione & celeri cognitione, unum tandem è pluribus, quod fortius sit, eligatur. Quale est autem illud, quod nonnulla monasteria ex more obseruare dicuntur, in magnis uidelicet festis uina delibuta melle, pigmentorum respersa pulueribus in conuentu bibere? Nunquid & hoc fieri dicemus propter infirmitatem stomachi? Ego uerò ad nihil illud ualere uideo, nisi

ut uel amplius bibatur, uel delectabilius. Sed cum uenæ fuerint uino ingurgitatæ, toto in capite palpitantes, sic surgenti à mensa, quid aliud libet nisi dormire? Si autem ad uigilias surgere indigestum cogis, non cantum, sed planctum potius extorquebis. Cum uerò ad lectum deuenero, requisitus incommodum, plango, non crapulę peccatum, sed quòd manducare non possum. Ridiculum uerò (si tamen uerum est) quod relatū est mihi à pluribus, qui hæc se pro certo scire dicebant, reticendum non arbitror. In apologia ad Guilhelmū abbatem. Ibidem & de alijs quorundam cœtuum monasticorum turpi uita queritur: Miror, inquiens, unde inter monachos tanta intemperantia in comessationibus & potationibus, in uestimentis, in lectisternijs, & equitaturis, & construendis ædificijs inolescere potuit, quatenus ubi hæc studiosius, uoluptuosius atq; effusius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur religio. Ecce enim, parcitas putatur auaricia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. Econtrà remissio discretio dicitur, effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities uestimētorum & equorum fastus honestas, lectorum superfluus cultus munditia. Cumque hæc alterutrum impendimus, charitas appellatur. Ibidem.

Et Petrum Cluniacensem, de sui ordinis monachorum delicijs scribentem, audiamus: Relatum est mihi, & hoc non à uilibus uel leuibus personis (quod non absque intimo cordis mœrore dico) nullam iam distantiam esse, quantum ad esum carnium pertinet, inter fratres nostros & laicos, inter seculares & religiosos, imò ut expressius loquar, inter scurras & monachos. Dixi nullam distātiam esse inter hos & illos, sed multa, heu, peruerso ordine est. Abstinent causa Dei ipsi mimi uel lixæ à carnibus omni sabbato, abstinent insuper plerique omni quarta, abstinent quidam ex ipsis etiam omni secunda feria. At fratres nostri, sancti ordinis, cœlestis propositi monachi, & hoc Cluniacenses, spreto Deo, abiecto pudore, totum (ut dicitur) annum, nulla pręter sextam excepta feria, in absumendis carnibus continuant: nec hoc saltem occultè, sed palàm & publicè facientes, peccatum suum, iuxta Prophetam, quasi Sodoma prędicant. Discurrunt de locis ad loca, & ut milui aut uultures, ubi uel fumum coquinarum uiderint, uel nidorem assæ uel ustæ carnis naribus hauserint, celeriter aduolant. Et quia ab ista uidentibus, prauo eorum exemplo, sacer ordo blasphematur, ore illorum nomen Domini ipsi blasphemant. Vę, ait Scriptura sancta, his per quos nomē Domini blasphematur. Deridetur iam à talibus, si quis timore Dei ductus, à tali esu abstinere uoluerit: & hypocrita, simulator ac prophanus uocatur: reputatur ab eis sicut ethnicus & publicanus, cauendum esse ab illo, sicut ab hoste publico, prædicant. Faba, caseus, oua, ipsi etiam pisces iam in nauseam uersi sunt. Solæ ollæ Ægyptiorum placent. Assus aut elixus porcus, iuuenca pinguis, cirogrillus & lepus, anser ex anserum grege electus, gallinæ, & prorsus omne quadrupes aut uolatile domesticū, sanctorū monachorū mensas operiunt. Sed uiluerūt iam & ista. Assiduitas multa fastidiū ingessit. Ad regales & peregrinas delicias trāsitus factus est. Satur monachus iam nō nisi caprea, ceruo, apro uel urso agresti uesci potest. Lustranda sunt nemora, uenatoribus opus est, aucupum arte fasiani, perdices, turtures capiendi sunt, ne seruus Dei fame pereat. Prouidendum sollicitè, ut quia aliter uiuere non potest, eius omnino desiderijs satisfiat. Quid ergo restat? quandoquidem nō nisi sexta feria per omnem hebdomadam ab his epulis excipitur, addatur & ipsa, nec illa Christianorum Quadragesima conuiuia continuata interpolet. Abscedant de medio ueris, æstatis, autumni & hyemis ieiunia. Totus annus epulis & gaudijs cōtinuetur, ne fortè talium hominum Deus offendatur, de quo & de quibus Apostolus ait: Quorum uenter Deus est, & gloria in confusionem ipsorum. libro sexto, epistola 17.

¶ De monachorum hypocrisi Potho inquit: Omnis gloria eorum ab intus: nos uerò interius uacui uirtutibus, exterius imaginem quandam sanctitatis nobis depingimus, cum in exterioribus obseruantijs instituendis, commutandis, renouandis, inquietis semper distētionibus animos ab intimæ theoriæ dulcedine alienatos occupamus. Ecce gloriam nostram in ore hominū ponimus, & gloriam ueram, quæ testimonio conscientiæ commēdatur, minimè habemus. Hinc est quòd in his tēporibus periculosis inopia nos eò angustat spiritualiū, cum exuberat copia rerum temporaliū. Ecclesia enim in hoc tempore diuitijs maior, uirtutibus minor facta est. Vnde refrigescēte iam in multis charitate, cœleste in nobis euanescit desiderium, atq; omne uirtutum studium ad appetitum conuertitur rerum transeuntium. Quocirca de statu temporis nostri, in quos fines seculorum deuenerūt, Ecclesia in uerbis Cantici lamentando conqueritur: Ecce, inquit, in pace amaritudo mea amarissima. In prioribus seculis, quando persecutionis sæuicia catholicam fidem

oppugnabat, amara erat amaritudo Ecclesiæ. Deinde amarior, cùm hæretica prauitas doctrinam ueritatis peruersis dogmatibus corrũpere conabatur. Nunc uerò quando pax esse uidetur, quando nec persecutor manifestus sequit, neq; hæreticus in uerba maliciæ prorumpit, amaritudo amarissima sentitur. Est enim molestissimum hypocritarum genus intra domesticos parietes inclusum, cum amicis & domesticis Dei habitans, solo habitu exteriore mundi contemptum præferens, monasticæ conuersationi se ingerens: quod eo acrius membris Christi nocet, quo minus uitari potest. Et reuerà hæc est amaritudo amarissima, quãdo pax quidem est à persecutoribus & hæreticis, qui apertè sæuiunt: sed nõ est pax à domesticis, qui intus sunt, qui religiosorũ quidem numero admixti sunt, sed uerá religionem execrantes, dolosè agunt in conspectu Domini, ut inueniatur iniquitas eorum ad odium. Cum enim omni uirtute interius sint destituti, sola imagine sanctitatis exterius nitidi, intuentium oculos fallunt: quia nimirum gloriam, quæ ab hominibus est, quærunt. Iam mysterium iniquitatis in his operatur, donec caput illorum Antichristus adueniat, cuius aduentus est secũdum operationem satanæ, qui quasi meridianus fulgor apparebit in omnibus signis & prodigijs mendacibus, seducẽs corda illorum, qui charitatem ueritatis non receperunt, ut salui fierent. Libro tertio de Statu domus Dei.

Canonibus sacris etiam monachos subiectos fuisse, idem testatur: Neque regula Benedicti, inquiẽs, neque ullæ maiorum traditiones, quæ correctionem morum docent, & honestæ uitæ formam demonstrãt, his qui in monasterijs uersantur, imminuere uel infirmare ullo modo possunt sacrorum Canonum autoritatem: quorum uidelicet obseruantia cum generaliter omnibus Ecclesiæ filijs indicta sit, monachi soli non excipiuntur. Ibidem.

Taxat & noua monachorum statuta, cum inquit: Prælati nostri non contenti terminis, quos posuerunt patres nostri, quibusdam diuerticulis, quæ ad regiam charitatis uiam minimè conducunt, subiectos suos aberrare faciunt. Sed nihil in his magis est inordinatum, quàm res bene ordinatas, noua quadam ordinatione, imò præsumptione, nulla cogente necessitate destruere. Illi quidem, qui nunc domui Dei præsunt, in labores patrum præcedentium introierũt: sed dum labores illorum pro sui officij debito custodire negligunt, neglecta spiritus quiete, quæ sola necessaria est ad uacandum & fruendum Deo, in plantando & euellendo, in ædificando & destruendo superfluo labore desudant. Sed ut asserunt, hanc idcirco sibi occupationem sumunt, ne uel ocio torpeant, uel à bono opere cessare uideantur. Frustra hæc ad excusandas excusationes prætendere solent. Nunquam enim minus ociosi essent, quàm si illi ocio dediti essent, in quo sapientia scribitur, quam nemo, nisi qui minoratur actu, percipere meretur. Vita namque monastica non practicæ curis, sed theoricæ studijs dedicatur. Attamen corporalis exercitatio ad modicum utilis, quæ ex regulari autoritate in monasterijs obseruatur, in usum contemplationis sumitur. Ad hoc namque quotidiani operis exercitium prodesse uidetur, ut labore ac fatigatione corporis excitata mens, ardentius aspiret ad amorem intimæ quietis.

Reprehendit & exteriora exercitia: Reuerà respicimus ad amplius, cum intentionis nostræ oculum in eo defigimus, ut in obseruantijs exterioribus ampliorem nobis laborem indicamus: sed factum est minus, quia nimirum in spiritualibus animæ profectibus ualde imminuti sumus. Seminamus quoque multum, qui corporalis exercitatiõis labores quasi semina terrę mãdamus: sed inferimus parum, quia uidelicet fructum spiritus permodicum de semine laboris nostri colligimus, ac minimam exinde animæ nostræ refectionem præparamus. Cùm ergo continuè psalmodiæ uocibus cum quodam tædio, quo dormitat anima, prostrepimus, cùm exercitijs corporalibus immoderatius incumbimus, quid aliud facimus, quàm sicut turba in Euangelio, Dominum comprimimus, nec tamen curam salutis inde consequimur? plus enim aliquid mulier fecisse uidetur, quæ solam fimbriam uestimenti eius tetigit, & continuò remedium quod quæsiuit, se inuenisse gauisa est. Quocirca cantãdi usus apud nos cum sit continuus, & uix aliquando ad momentum intermitti soleat, cætera uitæ spiritalis exercitia, hoc est, legendi, meditandi & operandi studia, quibus & corpus exerceri, & mens multùm proficere posset, nobis quasi interdicta esse uidentur. Cum enim in uno assiduè moramur, reliqua exequi præpedimur. Sed sancti præceptoris nostri Benedicti institutio, sic per uices horarum ad eleuandum fastidium, psallendi, legendi & operandi tempora distribuit, ut obseruatores regulæ illius sub tantæ discretionis moderamine nullam prorsus querelam mouerent.

Monasticæ præterea superstitiones multæ recensentur: ut adoratio imaginum. Rupertus Tuitiensium abbas lib. 12. cap. 26 in

Matthæum

Matthæum testatur, se crucem ligneam in sinu fouere & adorare, ipsiq; plurima oscula figere consueuisse.

Fiducia suorum operum. Mortuos esse monachos mundo & parentibus, & similitudini mortis Christi implātatos, eorumq; uitam cum Christo in Deo absconditam. Non igitur seculo iterum uiuendum, & uictoriæ arma inimico reddenda. Petrus Blesensis epistola 60.

Collectio reliquiarum, earum prędicatio & cultus. Nobertus Præmonstratēsis abbas unam undecies mille uirginum, & particulam de S. Geronis ossibus à Coloniensibus impetrat, anno 1123. ut Sigebertus testatur.

Suum uitæ genus baptismo sine ulla frōte par esse prædicarunt, ut Bernhardus facit in tractatu de præcepto & dispensatione: Audire, inquiens, & hoc uultis à me, unde inter cætera pœnitentiæ instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, ut secundum baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi obrenunciationem, ac singularem excellentiam uitæ spiritualis, qua præeminens uniuersis uitæ humanæ generibus huiuscemodi conuersatio, professores & amatores suos angelis similes, dissimiles hominibus facit: imò diuinam in homine reformat imaginem, cōfigurans nos Christo instar baptismi. Et quasi deniq; secundò baptizamur, dum per id quòd mortificamus membra nostra, quę sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuò similitudini mortis eius. Sed & quomodo in baptismo eruimur de potestate tenebrarum, & in regnū transferimur claritatis æternę: ita & in sancti huius secunda quadam regeneratione propositi, de tenebris æquè non unius originalis, sed multorum actualium delictorū in lumen uirtutū euadimus, reaptantes nobis illud Apostoli: Nox præcessit, dies autē appropinquauit.

Missificatio. Petrus Blesensis epistola 40. Et nocturnæ monachorum Cassinensium synaxeos, fit mentio in Chron. Cass. lib. 4. cap. 81 & 102.

Abstinebant à carnibus. Pro carnibus, quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Et paulo pòst: Carniū esus uix ægrotis duntaxat, & omnino debilibus monachis ex regulę discretione pro uirium reparatione cōceditur. Bernhardus in apologia ad Guilhelmum abbatem. Et Cluniacēsium habet regula: Carnium quadrupedū omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles & ęgrotos. Itē: Carnium esus infirmis, quotiens expedit, offeratur. At ubi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant. Petrus Cluniacensis libro 6. epist. decimaseptima.

A' uino. Macarius enim primus Scotorū in Herbipolensi suburbio abbas, à uino penitùs abstinebat: & cum aliquando in conuiuio aqua destitueretur, signo crucis uinū in eam conuertit. Trithemius in Hirsaugiensi Chronico.

Certas hymnorum, cantionum & festorum formas obseruabant. Officium nonarum à monialibus obseruatum, Cranzius lib. 5. cap. 41 in Vandalia indicat. Furente Lotharij Imperatoris cancellario contra Cassinenses, statuit abbas, ut triduo Domini omnipotētis implorarent clementiam, pacemq; Cassinēsi cœnobio perpetuis precibus peterent monachi. Et quia silentium illis diebus, tumultus causa seruare non poterāt, decreuerūt, ut tribus diebus tria psalteria post completorium in ecclesia psallerent. Prius uerò quàm eam tridui obseruationē inchoarent, abbas ex monasterij consuetudine in capitulo surgens, ueniā petijt, confessionem de suis excessibus fecit. Similiter & fratres post illū omnes in Benedicti patris regula se deliquisse confessi sunt. Sicq; eos abbas ab omni sententia excōmunicationis, si quam incurrissent, absoluit, indulgentiamq; concessit. Chronicon Cassinense libro 4. cap. 101. Idem abbas ex reuelatione Benedicti statuit, ut Dominicis alijsq; festis diebus, ad introitum ecclesiæ dicantur antiphonæ B. Benedicti & Mauri. Ibidem cap. 102. Mos est Cluniacensiū monachorum, natiuitatem Saluatoris cæteris solennitatibus singulari affectu deuotius agere, & cantuum melodijs, lectionum prolixitatibus, cereorum multipliciū accensionibus, & quod longè præstantius est, speciali deuotione, multaq; lachrymarū profusione cum angelicis spiritibus alacriter solēnizare. Petrus Cluniacensis lib. 1. de Miraculis. cap. 15.

Iurare per Euangeliū, aut per D. Benedicti regulā, sibi fas non esse, Cassinenses monachi Romano respondent pontifici. lib. 4. cap. 109 in Chron. Cass.

Abbates diuersorū monasteriorū inter se coniuncti erāt, cōsensu regulæ, mutuis precibus & officijs. Cistercensiū professionis archiepiscopos, episcopos, abbates, & monachorū infinitū penè numerū in Cistercięnsi cœnobio singulis annis conciliū pro Ecclesiæ statu celebrasse, Helmoldus cap. 91 in Sclauorum Chronico testatur. Suam operā coniungit Cassinēsis abbas cum S. Mauri in Granafolio, cuius bona comes quidā infestabat. Chron. Cass. lib. 4. ca. 78. Cū Cluniacensi, Dusensi & Viceliacensi ecclesijs, habemus, inquit Robertus Montis abbas, spiritualem societatē, multum nobis & illis

placentē. Et Petrus Cluniacensis Carthusianis quibusdā monachis libros mittit, & ab ijsdē alios uicissim sibi cōmunicari petit. Libris & crucē cū Saluatoris imagine addidit: Vt eū, inqēs, crucifixū, uos in hoc mūdo crucifixi, cōtēplātes, cū illū ꝓ uestra multorūq; salute deprecamini, mei quoq; in sacris precibus uestris nō obliuiscamini. li. 3. epist. 24.

CASVS CIRCA MONASTICEN.

1.

Constātia Guilhelmi secūdi Siciliæ & Apuliæ regis filia, ne filiū regni destructorē, ut in fatis erat, progigneret, in monasteriū D. Claræ Panormi detruditur. Sed à Celestino tertio soluta, Heinrico sexto penè anus desponsata est, ex quo Fridericum peperit: ut Iacobus de Strada in Thesauro antiquitatum, & Simoneta lib. 5. cap. 85 annotant.

2.

Matthæus quidā Poloniæ comes Mariā Ramesiensis cœnobij abbatissam, Stephani Anglorū regis filiā, rege ipso & magnatibus consentientibus, in uxorē duxit, nihil obstāte uoto: ut ex Matthæo Parisio Balæus Cēt. 2. Scriptorū Britāniæ in appēdice capitis 94. refert. Sigeberti Cōtinuator hunc Matthæum Flandriæ comitem fuisse tradit.

DE EREMITIS.

PLurimùm degenerasse ob luxū monachos, suprà indicauimus: eaq; de causa multi, quibus fictæ religionis studiū cordi erat, in eremū ingressi sunt. Quæ res postea nouos excogitandi ordines occasio fuit: ut in Cisterciēsibus, Præmōstratensibus, Vuilhelmitanis, alijsq; uidere est.

Bernhardus Tirunēsis abbas, relicto amplissimarum opum cœnobio, desertum quēdam locū in sylua cū paucis socijs petijt. O stultam hominis persuasionem. Malmesburiensis l b 5 cap. 51.

Vuulfricū quēdā annis ferè uiginti & nouē in solitudine uixisse, narrat Matth. Parif.

Gerhardus à Nazareth, notū sibi quendā & uita & habitu monachū fuisse, qui in septētrionali latere montis Thabor in specu latuerit, soloq; pane & aqua, pomis herbisque crudis uixerit, ac quotidie totū Psalterium stando recitarit, capite 3. de Conuersatione seruorum Dei indicat.

Et Caloioannes Cōstantinopoleos Imperator eremitas, in Syriæ prouincia, quorū grādis ibi copia existit, degentes, ex cellulis suis eduxit, & crudelissimè tractauit: ut Frisingensis lib. 7. cap. 28 testatur.

Bethlehemiticū episcopum, comitāte eū Alberto quodā eremita, ad Romanā synodū profectum, narrat Tyrius lib. 21. cap. 26.

MORES CHRISTIANORVM.

OCcurrunt in historia huius seculi & uirtutū & uitiorū exempla, sed maxima ex parte superstitione eius seculi diluta: quorum tamen aliqua annotabimus.

EXEMPLA VIRTVTVM

primæ tabulæ.

Studiū religionis. Mechtildis enim Heinrici Leonis coniunx frequentissimè Missis, quas plurimas decātari ficta religione instituerat, interesse solebat: ut in Sclauorum Chronico lib. 2. ca. 1. scribitur. Richiza Lotharij Imperatoris coniunx, per literas à Casinēsibus flagitat, ut pro felici Imperatoris regimine in ecclesia preces fiant. Chron. Cas. lib. 4. cap. 108. Fridericus Imperator tantā diuinis officijs uenerationē præbuit, ut omnē horā, qua corā ipso Deo psallitur, competēti ueneretur silentio, nec ullus interim eum audeat de quolibet sollicitare negotio. Peractis uotis, & post Missarum solennia diuinis consignatus reliquijs, mane reliquum curæ administrandi deputat. Radeuicus lib. 4. cap. ultimo. Angliæ quādam reginam Hildebertus ob pietatis studium commēdat, quòd diuinis sæpius intersit Sacramentis, & uasa diuinis cultibus apta subministret: epistola 16.

Oratio & gratiarum actio. Bela rex Vngarorum, deuicto Stephani antecessoris sui adulterino filio, Deo gratias agit, apud omnes aras rē sacram facit, ac supplicationes oppidatim ex edicto celebratæ sunt. Bonfinius libro sexto Decad. 2. rerum Vngaricarum. Omnes Christiani incolumes à Saracenis reuersi, summum & dulce epinicium reboant Deo in excelsis. Continuator Sigeberti.

Reuerētia erga ministros ecclesiæ. Adolphus secundus Nordalbingiæ comes erga clerū admodū liberalis fuit, ac fidele eorū contra maleuolos egit patrociniū. Helmoldus cap. 61. Otthonē ad Pomeranos prædicandi gratia euntē, Bambergenses multis lachrymis comitantur. Redeuntē uerò tanquam numen quoddam amplectuntur: ut in Germanico quodā scribitur Chronico. Eundem episcopum cū socijs, clerus ac cuiusq; ciuitatis incolæ apud Polonos obuijs quasi ulnis excipiunt & uenerātur, sæpius occinentes: Ciues Apostolorum, & Dei domestici hodie aduenerunt. ut Bambergēsis habet historia. Fridericus Imperator bellū initurus, episcopos prius consulere solebat: ut Radeuicus lib. 3. ca. 14 indicat. Arnulphus prædicator, clericorum Romanorum lasciuiam, libidinem, pompam & diuitias liberè pro concione taxans, gratus erat Romanæ nobilitati, & ueluti Christi discipulus & propheta summus colebatur: ut Simoneta lib. 5. cap. 73 indicat.

SECVNDAE TABVLAE.

φιλοστοργία, studium & cura parentum in filios,

filios. Expugnato Vinsburgo Guelforum urbe ad Neccarum fluuium, Conradus Imperator omnes uiros capere iussit: solis uerò mulieribus discedendi facultatem, & quátum humeris gestare possent, liberè secum auferendi permisit. Mulieres suorum coniugum salutem cunctis thesauris præferentes, humeris eos impositos urbe efferũt. Tanta mulierum in maritos pietate motus Imperator (licet multi ex satellitibus reclamarent, non de maritis, sed thesauris Imperatorium edictum accipiendum) mulieres sui uoti compotes fecit: ac non solùm maritos, quos capi & uinculis constringi iusserat, libertate donauit, sed & ipsam urbem cunctasq; incolis reddidit opes: ut Nauclerus scribit. Guidonis coniunx sicariorum ictus, quibus maritus petebatur, suo corpore excipere non est uerita: ut Robertus lib. 6. de Francis scribit. Mechtildis Heinrici Leonis coniunx, liberos à primis annis pietatem docuit: ut in Sclauorum Chronico lib. 2. cap. 2. scribitur.

Gerebant & ipsi Christiani magistratũ. Huius enim seculi Imperatores non solùm religioni Christianæ addicti erant, sed etiã contra hostes bellico neruo eius fidele egerunt patrociniũ. Archonenses Ericus Danorũ rex fidẽ Christianã amplecti armis coegit: teste Saxone lib. 14. Danicæ historię.

Diligentia magistratus in administratione reipublicę. Heinricus enim primus Anglorũ rex, bonas leges & cõsuetudines regis Eduardi prædecessoris & cognati sui restaurauit, & prout ei uidebatur, sua sapientia & autoritate emẽdatas ac roboratas, in regno suo rigidè & cõstanter tam à diuitibus, quã à pauperibus obseruari pręcepit: ut testatur Ricardus Hagulstadiensis prior. Extat apud Radeuicũ pia & grauis Friderici Imperatoris, pro tribunali sedentis, oratio, in qua de suo officio in hunc modum disserit: Cũ placitum sit ordinatiõi diuinę, ex qua omnis potestas in cœlo & in terra, Romani nos Imperij gubernacula tenere, non immeritò quæ ad statum eius dignitatis pertinere noscuntur, quãtum Deo propitio ualeamus, prosequimur. Cumq; Imperialis maiestatis hoc esse nõ ignoremus officium, ut studio nostræ uigilantię, ac pœnarũ metu improbi & inquieti coerceãtur, boni subleuẽtur, atq; in pacis trãquillitate foueantur: ita nouimus quid iuris, quid honoris tam diuinarũ quã humanarum legũ sanctio culmini regalis excellẽtiæ accõmodauerit. Nos tamen regiũ nomen habẽtes, desideramus potius legitimũ tenere Imperium, pro conseruanda sua cuiq; libertate & iure, quàm, ut dicitur, omnia impunè facere, hoc est, regem esse, per licentiam insolescere, & imperandi officiũ in superbiã dominationẽq; cõuertere. Deo fauẽte, mores nõ mutabimus cum fortuna: quibus initio partũ est, his artib. retinere curabimus Imperiũ. Sed nec per nostrã desidiã quenquã eius gloriã & excellentiã imminuere patiemur. Quia ergo uel bello uel pace clarũ fieri licet, nec refert, utrũ melius sit, patriã armis tutari, seu legibus gubernare, altero alterius auxilio indigẽte: bellorum motibus propitia diuinitate sedatis, ad leges pacis negotia transferamus. Nostis aũt quòd iura ciuilia, nostris beneficijs in summũ prouecta, firmata, ac moribus utentium approbata, satis habẽt roboris: regnorum leges, in quibus quod antè obtinebat, postea desuetudine inumbratum est, ab Imperiali remedio uestraq; prouidentia necesse habẽt illuminari. Siue ergo ius nostrũ, siue uestrũ in scriptũ redigatur, in eius cõstitutione cõsiderandũ est, ut sit honestũ, iustũ, possibile, necessariũ, utile, loco tẽporiq; conueniens. Ideoq; tam nobis, quã uobis, dum ius cõdimus, cautius præuidendũ est: quia cũ leges institutæ fuerint, non erit liberũ iudicari de eis, sed oportebit iudicare secundum ipsas. Radeuicus lib. 4. ca. 3. Et Ludouicus Fráncorum rex iam moriturus, filiũ hac oratione compellat: Ego, inquit, Ludouice, regnum quod ipse malè administraui, tibi cõmitto, tuere quoad per te fieri poterit Dei ministros, inopes foue, uiduis atq; orphanis subsidium ferto. Gaguinus lib. 6. Heinricus quintus in Lotharingia sibi rebelles modò minis, modò blanditijs, modò ui, modò satisfactione placat: ut Sigeberti habet Continuator. Quidam comites Anglię incolas exactionib. & rapinis prementes, ab Heinrico rege cohercẽtur. ibid. Ericus Danię rex quęsitã armis pacẽ iusticię quoq; laude ornare cõtendens, à maiorib. conditas leges, quę iam inter arma ferè cõticuerant, ad pristini uigoris habitũ reuocauit, & ut fortitudine iustitiaq; insignis haberetur, elaborauit sedulò. Irrogatas minorib. iniurias, superiorum supplicijs pensabat, nihilq; familiaritati aut necessitudini parcens, aut ferro aut laqueo inconsultam maiorum iniuriam & auariciam cohercebat. Saxo lib. 14. Danicæ historiæ.

Fridericum Imperatorem scripturas & antiquorum gesta sedulò perquisiuisse, Radeuicus lib. 4. cap. 80. testatur. Et ipse Imperator ad Ottonem Frisingensem episcopũ, suum patruũ, in hunc modum scribit: Chronica, quæ tua sapientia digessit, uel desuetudine inumbrata in luculentam erexit cõsonantiam, à dilectione tua nobis promissa & trãsmissa, cũ ingenti gaudio suscepimus, & post bellicos sudores interdum delectari

in his, & permagnifica gesta Imperatorum ad uirtutes informari præoptamus.

Magistratui subiecti erant Christiani, eiq; parebant. Sic Itali querelas ad magistratum delaturi, crucem manibus præferebant: teste Radeuico lib. 4. cap. 5. de gestis Friderici.

Iustitia in puniẽdis sceleratis. Philippus Francorum rex post acceptum diadema regium memoria recolens, quàm impiè pleriq; per Franciam deierarent, & execrabili Deum blasphemia prouocarent, legem tulit, si quis eius impietatis reus compertus esset, in fluuium aut paludem citra necem demitteretur. Robertus lib. 6. de Frãcis. Boleslaus Polonorum princeps Bolestam, cuius iussu Vuernerus Plocẽsis episcopus interfectus erat, in Gnesnẽsi foro cremari iussit. Cromerus lib. 6. de rebus Polonorũ. Canutus Danorum rex, cum aliquando latrones quosdam suspendi iussisset, unus ex ijs hac ratione liberum se fore autumans, regio se natum stẽmate proclamauit. cui Canutus respondit: Turpe est, nobis sanguine iunctum uulgariũ more plecti: regij nostri muneris est, aliquid honoris præ cæteris ei exhibere. Itaq; de nautica pinu eum suspendi fecit: ut Helmoldus in Sclauorum Chronico cap. 50. annotat. Heinricus Anglorum rex Guilhelmum de Notinguehã, quòd uenenum Ranulpho Cestriæ comiti propinasset, proscripsit. Sigeberti Cõtinuator. Interfectores Guidonis nobilis uiri, horrendis supplicijs iussu Ludouici Francorum regis puniuntur. Expugnata enim arce, qua per uim, trucidato Guidone, ipsi potiti fuerant, milites laniãtur, euulsis quorundam intestinis: alij per fenestras præcipitati, quos foris astantes lanceis mucronibusq; excipiebant. Guillermo cædis autori cor & intestina execta sunt. Deniq; occisorum cadauera ligneis cratibus imposita, in Sequanam amnem proiecta sunt, ut secundo flumine Rothomagum delata, digna suo flagitio pœnas luisse, testimonium Normannis (ipse enim Guilhelmus Normannus erat) darent: ut Robertus lib. 6. de Francis scribit.

Sese contra latrones & fidei Christianæ hostes egregiè tutabãtur. Dani duce Christophoro, Daniæ regis ex concubina filio, de Sclauis, crebris incursionibus terrã suã uastantibus, pœnas sumpturi, in omnem Aldenburgensem agrum prædas egerunt, saluis ecclesiæ & episcopi solummodo bonis. Chronicon Sclauorũ lib. 2. cap. 10. In Syria gemino prælio cũ Saracenis feliciter conflixerunt Christiani, circa Domini annum 1127. ut Sigeberti refert Cõtinuator. Conradus Imperator septuagies mille equites, infinitamq; peditum multitudinem Turcis opposuit: ut Munzerus in Chronographia annotat.

Et disciplinæ ciuilis custodes erant. Cõtra incẽdiarios enim & alios sceleratos, in cõuentu Nurnbergensi ab Imperatore Friderico lex lata est, anno 1187, quę integrè in Vrspergẽsi extat. Cazimirus Polonorũ princeps initio principatus sui uectigalia, labores, cæteraq; onera, quibus instituendis & exigẽdis Miecislaus (antecessor eius) suos offenderat, sustulit, iudicia correxit, magistratuũ licentiã coercuit, infinitamq; potestatẽ circumscripsit, calumniatores uel exilio mulctauit, uel inusta fronte aut facie notauit. Ad maiora deinde animũ intẽdit. Inoleuerat superiorũ negligẽtia & cõniuentia prauus & barbarus mos apud proceres & equites Poloniæ, ut iter facientes, quotiescunq; & ubicunq; collibitũ esset, agros ac prata agrestiũ & oppidanorũ depascerent, ac nõ modò pabulũ, sed etiã uictũ omnem ipsis imperarent, siue adeò ipsi, effractis horreis atq; cellis, per uim auferrent: neq; contenti quãtum libuisset assumpsisse, reliquũ etiam malitiosè profundebant, dissipabãt & corrumpebant, iumenta è pascuis & stabulis, atq; etiam iuncta curribus & aratris utenda, uel potius ad cursum abutenda abducebãt, eaq; uel fatigata uel enecta dimittebant, uel si fortè placuissent, retinebant & usurpabant. Ad hæc in possessiones & facultates morientium episcoporum & cæterorum sacerdotum inuadebant, easq; diripiebant. Quin & præfecti principis idem faciebant, & principis horrea, prædia, fiscumq; facultatibus, quæ cultus diuini administris & egentibus dedicatæ erant, augebant. Hæc quamuis iniqua, iniusta, crudelia & impia, quamuis acerba miseris hominibus & intolerabilia: tamen quia longa consuetudine inueterauerant, legisque uim propemodum obtinebant, & à proceribus, quibus erant utilia, defendebantur, perdifficilè erat abrogare. Sed tamen anno Christi 1180. comicijs apud Lenciciam habitis, omni cura studioq; contendit & perfecit Cazimirus, & legem pertulit, qua barbari illi & indigni Christiano populo mores & abusus omnino sublati sunt. Cromerus lib. 6. de rebus Polonorum.

Milites quoq; Imperatores certis legib. constringebant, ut ex Radeuico, Frisingensis Continuatore, apparet: Conuentum, inquit, principum cogens Imperator, leges pacis in exercitu cõseruandas tales statuit: Statuimus, & firmiter obseruari uolumus, ut nec miles nec seruiens litem audeat mouere. Quòd si alter cum altero rixatus fuerit, neuter debet uociferari signa castrorum, ne inde sui concitentur ad pugnam.

Quòd

Quòd si lis mota fuerit, nemo debet accurrere cum armis, gladio scilicet, lancea, uel sagittis: sed indutus lorica, scuto, galea, ad litem non portet nisi fustem, quo dirimat litem. Nemo uociferabitur signa castrorũ, nisi quærendo hospitium suum. Sed si miles uociferatione signi litem commouerit, auferetur ei omne suum harnascha, & eijcietur de exercitu. Si seruus fecerit, tondebitur, uerberabitur, & in maxilla comburetur, uel dominus suus redimat eum cum omni suo harnascha. Qui aliquem uulnerauerit, & hoc se fecisse negauerit, tunc si uulneratus per duos ueraces testes, non consanguineos suos, illum conuincere potest, manus ei abscindatur. Quòd si testes defuerint, & ille iuramento se expurgare uoluerit, accusator, si uult, potest iuramentum refutare, & illum duello impetere. Si quis homicidium fecerit, & à propinquo occisi, uel amico, uel socio per duos ueraces testes, non consanguineos occisi, conuictus fuerit, capitalem sententiam subibit. Verùm si testes defuerint, & homicida de iuramento expurgare uoluerit, amicus propinquus occisi duello eum potest impetere. Si extraneus miles pacificè ad castra accesserit, sedẽs in palefrido sine scuto & armis, si quis eum læserit, pacis uiolator iudicabitur: si autem sedens in dextrario, & habens scutum in collo, lanceam in manu, ad castra accesserit, si quis eum læserit, pacem non uiolauit. Miles qui mercatorẽ spoliauerit, dupliciter reddet ablata, & iurabit quòd nesciuit illum mercatorem: si seruus, tondebitur, & in maxilla comburetur, uel dominus suus reddet pro eo rapinam. Quicunq; aliquam spoliare ecclesiam uel forum uiderit, prohibere debet, tamen sine lite: si prohibere non potest, reum accusare debet in curia. Nemo aliquam mulierem habeat in hospitio: qui uerò habere præsumpserit, auferetur ei omne suum harnasch, & excommunicatus habebitur, & mulieri nasus abscindetur. Nemo impugnabit castrum, quod à curia defensionem habet. Si seruus furtum fecerit, & in furto fuerit deprehensus, si prius fur non erat, non ideo suspendetur: sed tondebitur, uerberabitur, & in maxilla comburetur, & eijcietur de exercitu, nisi dominus redimat eum cum omni suo harnasch. Si prius fur erat, suspendetur. Si seruus aliquis culpatus, non in furto fuerit deprehensus, sequenti die expurgabit se iudicio igniti ferri, uel dominus iuramentum pro eo præstabit. Actor uerò iurabit, quòd aliam ob causam eum non interpellat de furto, nisi quòd putat culpabilem. Si quis inuenerit equum alterius, non tondebit eum, nec ignotum faciet: sed dicet marschalco, & tenebit non furtiuè, & imponet ei onus suum. Quòd si ille qui amisit equum, in uia deprehenderit oneratum, non deijciet onus illius: sed sequens ad hospitium, recipiet equum suum. Si quis uerò uillam uel domum incenderit, tondebitur, uerberabitur, & in maxilla comburetur. Faber non comburet carbones in uilla, sed portabit ligna ad hospitium suum, & ibi comburet. Quod si in uilla fecerit, tondebitur, uerberabitur, & in maxillis comburetur. Si quis aliquem læserit, imponens ei quòd pacem non iurauerit, non erit reus uiolatæ pacis, nisi ille probare possit duobus idoneis testibus, quòd pacem iurauerit. Nemo recipiet seruum, qui sine domino est: quod si fecerit, reddet in duplo quicquid ille abstulerit. Quicunque foueam inuenerit, liberè fruatur ea. Quòd si ablata fuerit ei, non reddet malum pro malo, non ulciscetur iniuriam suam: sed conqueretur marschalco, iusticiam accepturus. Sed si mercator Teutonicus ciuitatem intrauerit, & emerit mercatum, & portauerit ad exercitum, & carius uendiderit in exercitu, camerarius auferet ei omne forum suum, & uerberabit eum, & tondebit, & comburet in maxillam. Nullus Teutonicus habeat socium Latinum, nisi sciat Teutonicum: sed si habuerit, auferetur quicquid habet. Si miles militi conuicia dixerit, negare potest iuramento: si non negauerit, componet ei decem libras monetæ, quæ tunc erit in exercitu. Si quis inuenerit uasa plena uini, uinum inde extrahat tam cautè, ne uasa confringat, uel ligamina incidat uasorum, ne ad damnum exercitus totum uinum effundatur. Si castrum aliquod captum fuerit, bona quæ intus sunt auferantur: sed non incendatur, nisi fortè hoc marschalcus faciat. Si quis uenatus fuerit cum canibus uenaticis, feram quam inuenerit, & canibus agitauerit, sine alicuius impedimento habebit. Si quis per canes leporarios feram fugauerit, non erit necessariò sua, sed erit occupantis. Si quis lancea uel gladio feram percusserit, & antequam manu leuauerit, alter occupauerit, non occupantis erit: sed qui occiderit eam, sine contradictione obtinebit. Si quis birsando feram balista uel arcu occiderit, eius erit. Hanc treugam archiepiscopi, episcopi, abbates, datis pro se dextris, firmauerunt, & uiolatores pacis pontificalis officij seueritate coercendos promiserunt. lib. 3. cap. 26.

Fides. Sueno Danorũ rex à socero Vualdemarum, quem adducebat in suo comitatu, uinculis cõstringi postulans, hoc respõsi

accepit,

accepit, Dedecere, se senem, quod iuuenis fugisset, admittere. Nempe deforme uetulo esse, de integritatis duce perfidiæ fautorem euadere, notamq́;, quã eatenus cauerit, sub ultimum tempus sibi consciscere. Malle igitur se generum filiamq́;, cum nepote ex ea suscepto, cruci subfixos uidere, quã fidei & synceritatis opinionem tot annis seruatã, extremæ ętatis infamia corrũpere, alienęq́; fraudis propositũ, impijssimi fauoris prosequi nutrimento. Tum demum affuturum se, subsidiaq́; laturũ, si gener omissa fraude, palã, quos metuat, impetat. Saxo Grã.li.14.

Fortitudo in bello. Fridericus Imperator dimissurus exercitum, gratias ijs pro beneuolentia & fidelitate, quam sibi præstitissent, egit. Laudabat etiã in unoquoq; bonos mores, & fortitudinem, quam præliãdo in magnis multisq́; periculis monstrasset, quòd eos neq; hostium multitudo, nec magnitudines ciuitatum, uel audacia incõsulta & immanitates efferæ aduersantium à consueta animi uirtute terruissent. Radeuicus lib.4.cap.79.

Mansuetudo & misericordia. Mediolanẽsibus pacem à Friderico, quẽ ipsi multis bellis antea lacessiuerant, petentib. Imperator respõdit, Gratum sibi esse, uisu & auditu iucundum, ciuitatem adeò illustrem, tantũq́; populum diuino instinctu pacem potius quàm bellum petere. Sibi uerò iustã hostibus resistendi necessitatem nunc adimi. Se enim deuotis & uolentibus quàm coactis imperitare malle. Ac si idẽ ipsis prius fuisset animus, mala, quæ iam perpessi essent, facillimè caueri potuissent. Tandem benignè eos in gratiam recepit. Radeuicus lib. 3. cap.42. Heinricus rex Barbarossæ filius, Brisacum Austriæ oppidum in pauperum refugium, uelut misericordiæ asylum, ædificare cœpit. Otto Frisingensis lib.7.cap.ultimo. Danici piratæ quoscunq; Christianos in barbarorum nauibus offenderũt, ad suos remisere. Tanta eis in conterraneos humanitas erat. Saxo Gram.lib.14.Danicæ historiæ.

Concordiæ studium. Manuel ad Constãtinopolitani regni fastigiũ euectus, per legatos amplissima munera Conrado Imperatori simul offerẽtes, exemplo patris sui, qui idem fecerat, fœdus cum eo renouauit: ut Otto Frisingensis lib.7.cap.28.indicat.

Liberalitas in egenos & pauperes. Misericordiæ loca plurima, ad eleemosynas clã & apertè pauperibus erogandas, in urbe & extrà instituẽre Bergomẽses ciues, circa annum Domini 1135. quæ in hunc usq; diem adeò excreuerunt, ut in orbe Christiano locus aliquis huic similis uix inueniatur. Bergomensis lib.12. Leopoldus Austriæ dux instituit, ut quotannis in eius memoriam, quicunq; pauperum Neoburgense cœnobium piè ingrediuntur, pane, carne, uino alantur, atq; obolo donetur: teste Cuspiniano in Austria. Magna hebdomade Isaacius Angelus Imperator uiduas eleemosynis, pauperculas uirgines dote & sumptu nuptiarum iuuabat. Nicetas lib.3.de Imperio eius. Fridericus Imperator eleemosynas pauperibus plerunq; ipse sua manu distribuit, pecuniarum suarum decimas ecclesijs & monasterijs fideliter elargitus. Radeuicus lib.4.cap. 80. Mathildis Imperatrix morbo pressa, ecclesijs, monasterijs & pauperibus donauit thesaurum: ut Sigeberti Continuator indicat. Isaacius Angelus plures, in quibus pauperes alantur, Constantinopoli construxit ædes. Et cum urbis pars Septentrionalis conflagrasset, eos qui uel ædium, uel bonorum iacturam fecerãt, distributione pecuniæ subleuauit. Imperio potitus, quinque auri centenarios ciuibus diuisit. Neq; uerò singulos duntaxat homines, domos, familias munificentia sua recreabat, sed interdum urbibus integris tributum remittebat. Vt paucis complectar, ita propensus erat ad misericordiam, beneficentiam, & inopum subleuationem, ut quicquid undecunq; per uim & iniuriam partũ acceperat, id rursus utraq; manu effunderet. Eaq́; de causa, etsi pecunia à pauperib. exigebatur, in eo errore uersabatur, ut se non peccare persuasum haberet, quòd hoc modo ijsdem restitueretur. Nicetas libro 3. de Imperio eius. Flandriam fame affligente, tanta fuit Caroli principis erga calamitosos commiseratio ac liberalitas, ut uno quodam die Hypris septem millia & octingentos panes distribueret. Chronic. Flandriæ.

Conseruatio ordinũ & dignitatũ. Heinricus & Fridericus, Imperatoris Friderici filij, in frequẽti procerũ cõuentu Mogũti patris autoritate gladios accinxerũt. Vrsperg.

Hospitalitas. De Sclauorũ hospitalitate in hunc modum Helmoldus cap.83. scribit: Nulla gens honestior Sclauis in hospitalitatis gratia. In colligendis enim hospitibus omnes quasi ex sentẽtia alacres sunt, ut nec hospitiũ quẽquã postulare necesse sit. Quicquid enim agricultura, piscationib. seu uenatione cõquirunt, totũ in largitatis opus cõferunt, eo fortiorẽ quenq; quo profusiorem iactitantes: cuius ostentationis affectatio multos eorum ad furta uel latrocinia propellit. quæ utiq; uiciorũ apud eos quidẽ uenialia sunt: excusantur enim hospitalitatis palliatione. Sclauorũ enim legib. accedens, quod nocte furatus fueris, crastina hospitibus disperties. Si quis uerò; quod ra-

rissimum

rissimum est, peregrinū hospitio remouisse deprehensus fuerit, huius domū uel facultates incendio consumere licitū est: atq; in id omnium uota pariter conspirant, illū inglorium, illum uilem & ab omnibus exibilandum dicentes, qui hospiti partem negare non timuisset.

EXEMPLA VITIORVM CONTRA *primam tabulam.*

Idololatria, & deorum alienorum inuocatio. Isaacius enim Angelus tanta ueneratione B. Mariam coluit, ut ad eius imaginē animo penè linqueretur: ideo plurimas eius effigies, adorandi causa, in diuersis tēplis dedicauit: teste Niceta lib. 3. de gestis eius. Suessonici sacro igne accensi, B. Marię opē implorant: ut Sigeberti Cōtinuator habet. Ludouicus Francorum rex, superato Heinrico Germanorum Imperatore, ad Dionysij cœnobium gratias Deo sanctisq; persoluit martyribus: ut Robertus lib. 6. de Francis indicat.

Superstitio. Philippus Francorum rex morbo correptus, monachum induit. Malmesburiensis lib. 5. cap. 14. Marchio quidā monasterium, regno posthabito, ingressus, à monachis porcorum curæ præesse iubetur, anno 1126. O' iustū Dei in hominis superstitionem iudicium. Chronicon Saxon.

Defectiones. Ioannes Comnenus à patruo Ioanne Cōneno Imperatore deficiēs, ad Sultanū accessit, nec multo pòst abnegata Christianorū religione, Iconiensis Persæ filiā uxorem duxit: teste Niceta in Annalib.

Fiducia auxilij Sanctorū. Vngari D. Magdalenæ ope freti, uictoriam ab hostibus reportarunt: ut Bonfinius lib. 6. Decad. 2. rerum Vngaricarum scribit.

Hypocrisis. Ericus Danorū rex iam iam efflaturus animam, spiritui cōsulere cupiebat: regiā itaq; uestē cuculla permutat. Creditum enim est (ut inquit Saxo) & à sacrorū peritis traditum, nihil abolēdis piaculis pœnitentiæ religione ualētius reperiri. lib. 14. Danicæ historiæ. Heinricum Anglorū regem, pro suorum peccatorum uenia impetranda, cuidam monialium cōuentui beneficium singulis annis pendendū concessisse, Turonensis episcopus ad Honorium Romanum scribit pontificem.

Artes magicæ. Russi, quamuis Christiani, sagis, magis & aruspicibus dediti sunt. Cromerus lib. 6. de rebus Polonorum. Solos eos impostores, qui ex pelui diuinant, & qui astrorum positus rimantur, superstites fuisse: & Andronicum totum se ijs, qui futura ex aquis conijciunt, & imagines futurarum rerum ueluti ex umbra solarium radiorum consectantur, permisisse, Nicetas in Annalibus prodit.

Manuel Comnenus Imperator scire se affirmabat, quatuordecim uitæ annos adhuc restare: idq; ad ipsum patriarchā Theodosium dixit, à quo monebatur, ut pro paterna pietate reipublicæ curā, integris adhuc sensibus, maturè susciperet, & curatorē fidelem filij successoris impuberis adhuc, & Imperatricis quęreret. Sed pestilentes impostores astrologi, Imperatorē paulo pòst ex morbo recreatum, uacaturum esse amoribus, & barbaricas urbes euersurū, impudenter asserebāt: & quod incredibilius est, homines præcipiti lingua, & assueti mendacijs, motum uniuersi orbis, & maximorum syderum congressus & concursus, uentorum procellas ingentes, & uniuersitatis rerum penè mutationem prædicebant, engastrimyti potius quàm astrologi. Neq; uerò annos duntaxat & menses & hebdomadas numerabant, sed dies etiā & horæ punctum designare non uerebantur, quæ suæ potestati reseruauit Pater, & Seruator discipulos suos percontantes castigauit. Proinde non ipse modò Imperator speluncas & meatus subterraneos contra uentorū impetum inquirebat, & ad habitandum præparabat, & palatiorum fastigia demoliebatur, ut minus impetu uentorum læderētur: sed & ministri & cognati & adulatores eius ijsdem rebus intenti, partim terram, formicarum instar, effodiebant, partim tentoria tripliciter consuebant, & uectes cubitales, quo minus tabernacula concuterentur, acuebant. Sed morbo ingrauescente, paulo pòst extinctus est: ut Nicetas in Annalib. de gestis eius indicat. Quidam longa ægritudine confectus, à sortilegis mulieribus, si suæ saluti cōsultum uellet, rebaptizari iussus est. Quarum consilium etiā secutus scribitur in epistola Alexandri tertij.

Arrogantia. Cum ob rapinas bonorum ecclesiæ redargueretur Isaacius Angelus Imperator, respondit, licere Imperatoribus omnia: & inter Deū & regem, quod ad terrenarum rerum gubernationem attineret, non esse eam repugnantiam, quæ sit inter affirmationem & negationem, contendit. Nicetas de Imperio eius lib. 3.

Periuria. Andronicus Comnenus Alexium puerum quindecim annorum clàm interfecit, pręter iurisiurandi fidem, quam usu Cœnę Dominicæ in frequenti cœtu cōfirmarat: ut Nicetas in Annalibus, & Cuspinianus indicant. Vulgare Francis hac ætate scelus fuisse, peierare, Robertus lib. 6. de Francis testatur.

Contēptus ministerij & persecutio. Heinricus rex Anglorū Thomam Cātuariēsem, libertatē & immunitatē Ecclesiasticā defendentem, trucidat. Hector Boethius lib. 13. de

gestis

gestis Scotorum. Gedeonem Cracouiensem episcopum Miecislaus Polonorũ dux, cum ob iniustas subditorum exactiones & tyrannidẽ ab eo redargueretur, malè excepit: ut sua nimirũ episcopus curaret, illa ad ipsum nihil pertinere. Addiditq; præterea princeps, non ad cuiuscunq; præscriptum, sed suo arbitratu se gesturum esse principatum. Cromerus lib. 6. de Polonis.

Sabbati profanatio. Forum Plunense singulis diebus Dominicis à Sclauis & Saxonibus frequentabatur, neglecto diuino cultu: quod Geroldus episcopus uerbo Dei prohibuit. Helmoldus in Sclauorũ Chronico cap. 95. Natales Saluatoris Angli tripudijs diabolicis, cantib. impudicis post splẽdida conuiuia peragunt. Ioãnes Maior lib. 3. de gestis Scotorũ, cap. 16. Magnus Danorum rex, cum præter sacerdotum monita, qui differri rem petebãt, in die Pentecostes cum hoste cõflixisset, occubuit. Helmoldus cap. 52. In parochia Gemlacensi, cum quidã paterfamiliàs frumentum moleret, farina ardere cœpit, anno 1126. ut Sigeberti indicat Continuator.

CONTRA SECVNDAM TABVLAM.

Magistratus negligentia in administranda iustitia. In Ecclesia Anglorũ, damnosa omnibus, & omnino damnanda cõsuetudo inualuit, quæ nisi per industriam uestrã fuerit sublata de medio, in enorme totius cleri dispendium uehementer excrescet. Si uiduus aut uilissimus laicorum occiditur, statim supplicio mortis occisor addicitur. Si quis uerò sacerdotem uel clericũ maioris siue minoris status occidit, sola Ecclesiastica excommunicatione cõtenta, aut uerius loquar, contempta, materialis opem gladij non requiret. Petrus Blesensis epist. 55.

Disciplinæ neglectus. Sueno perinde ac bellorũ metu solutus, in superbiã lapsus, patrios mores, quòd parum sibi uiderẽtur exculti, tãquã agrestes & incõditos, petita à finitimis urbanitate, mutauit, spretoq; Danico ritu, Germanicũ æmulatus est. Nã & cultũ Saxonicum sumpsit, & ne eo inuidiosius uteretur, militũ studia ad similẽ uestis usum adduxit, rustici moris tędio cõptioris famulitij grege palatiũ instruens. Quin etiã epulandi rusticitate depulsa, externas mẽsis comitates adsciuit, comessationũq; ritus cultiore ministerio gerendos instituit. Non solùm cultũ nouauit, sed etiã edendi bibendiq; facetias tradidit. Idẽ studij in nouanda clientela, asciscendisq; satellitib. gessit. Honores quippe nobilib. demptos, histrionib. deferebat: magnisq; & illustrib. uiris à latere suo sepositis, in eorũ locũ turpiũ & effœminatorum familiam subrogabat, ut abiectu maiorũ, minorumq; prouectu prorsus eximias potentiæ suæ uires ostenderet, ditatiq; fortunam suã beneficio regis, nõ generis imputarent. Nec insolentiæ eius auaricia defuit. Siquidẽ lucrosã sibi illorũ fata, quorũ bona auxisset, cõstituit, pupillorũq; parẽtibus emortuis, expilator euasit. Neq; nefas duxit, eorum liberos egestati subigere, quorũ opera regni opes ipse susceperit. Ipsos quoque milites prius à se locupletatos, ad uilẽ paupertatis statum, beneficij sui pœnitentia adductus, reiecit. Quin etiã ingentis clientelæ uoracitate cõpulsus, prouincialia ministeria impensasq; ab agrestib. arctius exigere cœpit. Itaq; dũ militũ luxui consulit, plebis fauorem amittit. Præterea controuersiarum iura eatenus, sacramenti religione subnixa, ad palæstras & palmas athleticas relegauit, iudiciũq; rationis speculationi debitũ, in sola corporum exercitatione cõstituit. Et ne quid fastui deesset, in cõmunibus suggestis cõcionari fastigio suo indignum ducebat. Quã ob rem æqua uulgarium alloquia contemnendo, æditioribus locis occupatis, suppositę plebi superne ius dicere cõsueuit. Saxo Grammaticus lib. 14. historiæ Danicæ.

Leuitas. Accidit aliquando, ut Cazimirus Sendomiriẽsium dux cum aulico quodam suo equite luderet, animi oblectandi gratia. Incensum aũt utrunq; uincendi studio, in profundam noctem ludum produxisse: pertæsos deinde ludi & uigiliarum, uno iactu summã reliqui lusisse, uincentemq; Cazimirum, & quod lucratus erat argentũ non modicũ auferentẽ, palma manus in faciẽ ab equite ictum esse: illumq; noctis beneficio elapsum, postridie ad Cazimirũ adductũ. Clamantibus autem omnib. eum capitis pœnam cõmeruisse, qui principis maiestatem minuisset: Minimè gentiũ, inquit Cazimirus, eum occidi oportere, qui dolore grandis iacturæ incogitãs deliquisset, & cũ fortunam, à qua damno affectus erat, ulcisci non posset, in se fortunæ alumnum cõmotus esset. Se magis in culpa esse, qui conditionis suæ & dignitatis oblitus, eũ ad ludendũ prouocasset. Non modò illũ se absoluere, uerùm etiam gratias ipsi agere, quòd se ictu illo admonuisset, ne quid indignum principe in se admitteret, neu se ludo, aut alij rei leui ac inhonestæ deinceps daret. Cromerus lib. 6. de rebus Polon.

Parentum contemptus. Conradus Heinrici quarti filius, patri rebellis, moritur anno 1101. At Heinricus eiusdẽ Imperatoris filius, q̃ indignè cõtra ius naturæ & fas legũ, ut Sigebertus loquitur, patrẽ tractarit, ex epistola, quã ad Francorũ regẽ pater scripsit, uidere licet, cuius initiũ admodũ patheticum extat apud Ottonẽ Frisingẽsem lib. 7.

cap.

cap.12. quæ, ut idem ait, saxeas mentes ad mutabilium rerum ærumnas contemplandas ac deplorãdas emollire posset. Scribit præterea Martinus Polonus in suo Chronico, filium patrem suum Imperatorem captum perpetuo mancipasse carceri. Res sanè horrenda auditu. Sed quicquid ea in re à filio peccatum est, sanctorum, si dijs placet, pontificum & episcoporum consilio & autoritate factum est.

Contemptus magistratus. Cremonenses, Mediolanensium & Brixianorum subsidio freti, Friderico Imperatori parêre magno fastu respuerũt. Quin & mulieres eorũ choreas ducentes, Imperatori cantionibus famosis insultabant: ut Hedio parte tertia Chronicorum testatur.

Seditiones. Moguntiæ Heinricus quintus Imperator à ciuibus per tumultum obruitur, & in eorum uerba iurare impellitur: ut idem annotat. Saraceni Christianorum principum seditionibus freti, liberè Hierosolymitanos depopulantur agros. Simoneta lib.5.cap.81.

Ἀστοργία. Guilhelmus Normannus exuto omni paterno affectu, generum suum cum filia coniuge per sicarios, dũ sacris interest, occidi curat, modò ut arce eius amplissima potiri posset. Robertus lib.6.de Francis. Heinricum sextum Romanorum Imperatorem, per uenenatum potum à coniuge interemptum esse anno 1197, in Saxoniæ scribitur Chronico. Gillechristus Angusianus apud Scotos uxorẽ suam, quæ Vuilhelmi regis soror erat, ob adulterij suspicionẽ laqueo suspendit. Boethius lib.13.de Scotis.

Ingratitudo. Isaacius Angelus, cum fratrem suum Alexium minorem, à Turcis captum, magno redemisset ære, dolo ab eo homine ingratissimo circumuentus, oculis priuatur, & carceri traditur. Cuspinianus de Imperatoribus.

Temeritas. Haraldus Danus sæpe inter nauigandum puppi exiliens, in proram per exerta remorũ capita decurrit, indeq; cursu in aliud nauigij latus reflexo, per reliquos remorũ ordines locũ quo excesserat repetiuit. Saxo Gram.lib.14.historiæ Danicæ. Heinricus secundus Austriæ marchio, dum uoluptatis gratia in glacie obequitat, ex equi lapsu occubuit, anno 1172. ut Cuspinianus scribit.

Cædes & parricidia. Magnus instinctu matris Canutum patruelẽ suum, ob suspicionem quòd regnum affectaret, per insidias trucidauit, ac mẽbratim eius cadauer discerpsit: ut Helmoldus in Sclauorũ Chronico, cap.51. scribit. Heinrico cuidam duci Quedlinburgi in solenni principum conuentu uenenatum porrigitur poculum, quo expirauit. Chronicon Saxoniæ.

Crudelitas. Colomannus Vngarorum rex Almum fratrem & Belam nepotẽ oculis priuauit, ac ne spes propagandæ prolis esset, huic & uirilia amputari præcepit. Sed carnifex diuinam ultionem ueritus, catuli testiculos regi exhibet, sicq; Colomannum crudelem delusit: ut Bonfinius lib.5.decad. 2.testatur. Manuel Constantinopolitanus Imperator farinæ gypsum miscuit, ex quo Conradi exercitus miserè deperijt. Nicetas in Annalibus. Tanta crudelitate Cremonẽses & Papienses in Mediolanum sæuiunt, quanta nec in barbaros deceret. Vineta, ficeta, oliueta euellunt, excidunt, & corticibus exuũt, captiuos eorũ spiculis cõfigunt. Hi uicissim, ne fortè crudelitate inferiores uideãtur, Cremonensiũ captiuos in frusta secãt, & hostibus spectãda obijciunt. Radeuicus lib. 3. de uita Friderici Imperatoris, capite 39.

Libidines. Conradus Sueuorum dux, homo impurus & libidinib. deditissimus fuit: ut Hedio testatur.

Incæstus. Karolo Hollandiæ præfecto prouinciam egresso, coniugem eius sororẽque uiduam Suerconis filius Ioannes, excellentis earum pulchritudinis opinione corruptus, ad libidinis cõmerciũ raptas in Sueciã usq; deuexit. Quibus tã contumeliosè usus proditur, ut eas in stupri uices noctibus euocaret alternis, ingenuæ pudicitię fœminas obscœnissima fœditate ꝓculcãs, neq; aut huius matronalẽ thorũ, aut illius cœlibẽ castimoniã, quo minus uoluptatã suarũ ignib. indulgeret, reueritus. Ad ultimũ patria & populo tantæ temeritatis facinus execrante, utrãq; remisit. Saxo Grã. lib. 14. Danicæ hist. Eudocia, defuncto marito, nefaria consuetudine Andronici nõ clàm, sed palàm usa est. Andronicus uerò quoties ob incæstũ reprehendebatur, hãc defensionẽ per iocũ in promptu habebat, solere subditos principũ mores imitari, & aquã ex eodẽ fonte petitã, eundem saporem referre. Quibus uerbis Imperatorẽ Manuelem perstringebat, ut ijsdem, aut etiam deterioribus affectibus obnoxiũ, qui cũ fratris filia rẽ haberet, quũ ipse patruelis duntaxat filiam complecteretur. In Annalibus Nicetæ lib.3. rerum à Manuele Comneno gestarũ.

Diuortium. Heinricus Leo Saxonum dux Clementiam uxorem, postquam filiã ex ea suscepisset, sanguinis prætextu repudiauit. Chron. Sclauorũ lib.2.cap.10. Et Ludouicus Francorũ rex Elienorã coniugem eandẽ ob causam dimisit: ut Sig. habet Cõtinuator. Raimundũ Antiochiæ principẽ Ludouico cõiugẽ, licet eã unicè amaret, cognationẽ prætendẽdo abalienasse, Robertus

tus lib.6.de Francis prodit.Mabiria, quę cũ coniuge Terricio Flandriæ comite in terrá sanctam profecta fuerat, in monasterio Bethaniæ Lazaro sacro, præter mariti uolũtaté remansit: ut Sigeberti habet Cõtinuator. Philippus Francorum rex Ingebergã Dalmatarum regis filiam, paucis post nuptias diebus repudiat. Robertus lib.6.de Frãcis. Fridericus quoq; Imperator cum filia marchionis de Vogburg diuortium fecit: teste Schedelio ætate 6.

Furta. Sclaui, licet ueriori religioni colla sua submiserant: tamen à prędis, quod uitium à maioribus hæreditario quasi iure trahebant, cohiberi non potuerũt. Helmoldus cap.84.

Sacrilegia. Ea fuit audacia Isaacij Angeli Imperatoris, ut sacra uasa profanaret, & téplis auulsa mẽsis suis adhiberet. In comessationibus quoq; ex gẽmis preciosis ac solido auro calicũ instar facta donaria, quæ super Imperatorũ monimẽta pendebãt, manibus uersabat: & peluib. insuperabilis elegantię, quibus se leuitę & sacerdotes, cũ sacra mysteria tractant, mundare solent, pro malluuijs utebatur. Nicetas de Isaacij Imperio lib.3. Ditmarsi Stadensem abbatem, de suis in ipsorũ territorio pagis reditus colligenté, interficiunt: & mutatis pagorum nominibus, in suã eos redegerũt potestaté: ut Holsatiẽse habet Chron. Vulgus Constantinopolitanũ, Isaacio per tumultũ in Imperatoré designato, in tẽpla palatij prædas agit, & sacras imagines suis spoliat ornatibus: ut Nicetæ Annales referunt sub Imperio Andronici.

Abusus bonorum. Episcopi nostri hodie domos nõ impares ecclesijs magnitudine cõstruunt, pictos delectãtur habere thalamos: pauper auté sine uestibus incedit, & uacuo uẽtre clamat ad ostiũ. O' mira delectatio, Troianos gestat paries pictus, purpura & auro uestitur, & Christianis negantur ueteres panni. Hectori clypeus datur auro splẽdens, pauperi uerò ad ianuã clamitanti nõ porrigitur panis. Et ut uerũ fatear, spoliantur pauperes sæpe, ut uestiãtur lapides & ligna: ut Vincẽtius lib. 27.cap. 18. ex primo lib. Hugonis Parisiẽsis de Claustro animæ refert.

Iniustæ exactiones. Miecislaus Polonorũ dux ad gubernacula accitus, initio principatus asperitate & auaricia, subditorũ animos à se auertit. Noua enim onera, noua uectigalia, uariasq; exactiones equitibus ac plebeis imponebat, & leui de causa bonorum confiscatione quosuis mulctabat: præfectos suos in aliorum facultates grassari iubebat, afflictorum querimonias inclementioribus dictis retundebat: teste Cromero libro sexto de rebus Polonorum.

Mendacia. Quidam impostor Heinricum Imperatorem se esse mentiens, plurimos seduxit, multarumque cædium autor fuit. Sed fraude detecta, ipse Cluniaci in monachum tondetur, anno 1138. ut Sigeberti Continuator testatur. Ericus Daniæ rex rerum à se gestarum uirtutem tantis laudibus prosequi consueuerat, ut ueri interdũ fidem excederet. Saxo libro decimoquarto Danicæ historiæ.

Perfidia. Sclaui à cruce signatorum exercitu uicti, subiectionem & uitæ emẽdationem promiserunt. Sed paulo pòst soluto exercitu, in deterius lapsi sunt, & baptismo antea abluti, ad uolutabrum rediêre. Et licet omnes quos in uinculis tenebant Danos, se dimissuros fidem dederant, senes tãtùm, retentis ijs quorum opera ipsis usui esse poterat, dimiserunt. Helmoldus cap.66. Valenses contra fidem Heinrico Anglorũ regi datam, in terras ipsius prædas agunt: ut Sigeberti refert Continuator. Archonẽses bellica manu coacti ab Erico Danorum rege, Christianam amplectuntur religionẽ. Sed post uictoris discessum, abiecta religione, ad sua rediêre idola: ut Saxo Grammaticus lib.14. Danicæ historiæ scribit.

Fraudes & doli. Cum Blachi à defectione ab Imperatore Isaacio Angelo, ad quã à Petro & Asane fratribus inducebantur, rei difficultate territi abhorrerent: fratres, ut popularibus suis eum metum adimerent, ædem nomine præclari martyris Demetrij ædificarunt, in eamq; multos dæmoniacos utriusque sexus coegerunt, qui cruentis & peruersis pupillis, effusisq; crinibus, cætera omnia exquisitè exprimebant, quæ id genus hominum propria habet: eosq; docebant in furore proloqui, Deo uisum esse, ut gens Bulgarorum & Blachorum, diuturno iugo excusso, libertatem sequatur: eaq; de causa Christi martyrem Demetrium, relicta metropoli Thessalonica & ęde, Romanorumq; consuetudine, ad ipsos peruenisse, adiuturũ id opus. Igitur uecordes isti homines paulũ morati, & subitò maiore spiritu collecto rursus alienati exagitabantur, & clàm uoce quasi numine afflati clamabãt, Nõ amplius desidiæ esse locũ, sed arreptis armis Romanos inuadẽdos esse: & qui in bello caperẽtur, nõ conseruãdos aut uendendos, sed inclemẽter occidẽdos esse, & prece & precio repudiatis, neq; magis ulla obtestatione moueri oportere, quàm adamantem. Tota igitur gens à talibus uatib. concitata, ad arma concurrit, & ut initia defectionis auspicata fuerũt, magis etiã credidêre Deũ libertati fauere. Annales Nicetæ Choniatæ sub imperio Isaacij Angeli, lib.1.

RITVS CIRCA IVSIVrandum.

EXtat apud Radeuicum forma quædã iuramenti, qua episcopi & pleræq; Italiæ ciuitates fidelitatem Imperatori promittere coacti fuêre, quam adscribimus: Ego iuro, quòd amodò in antea ero fidelis domino meo Friderico Imperatori Romanorum, contra omnes homines, sicut iure debeo domino & Imperatori: & adiuuabo eum retinere coronam Imperij, & omnem honorem eius in Italia, nominatim & specialiter ciuitatem illam, & quicquid in ea iuris habere debet, uel in omni uirtute comitatus uel episcopatus N. regalia sua ei nõ auferam ibidem, nec alibi: & si fuerint ablata, bona fide recuperare & retinere adiuuabo. Neq; in consilio ero, neq; in facto, quòd uitã, membrum uel honorem suum perdat, uel mala captione teneatur. Omne mandatũ eius, quod ipse mihi fecerit per se, uel epistolã suam, aut per legatum suum, de facienda iustitia, fideliter obseruabo, & illud audire, uel recipere, uel complere, nullo malo ingenio euitabo. Hæc omnia obseruabo bona fide, sine fraude, sic me Deus adiuuet, & hæc sancta quatuor Euangelia. lib. 3. capite 19.

Andronicus, cum cœlesti pane percepto, ad calicem preciosi & uiuifici sanguinis bibendum accederet, manibus tanquam ad poculum prehendendum extentis, & uultu ad tristitiam composito, per ueneranda mysteria, ferè omnibus ijs astantibus & audientibus, qui in sacro adyto erant, iurat, se non alia de causa Imperiũ accepisse, nisi ut Alexiũ Imperatorem & consobrinum iuuaret, eiusq; potentiam stabiliret. Annales Nicetæ sub imperio Alexij Comneni.

Moris esse refert Nicetas, ut fœdus icturis magnatibus in pectore uena incidatur, & suum alter alteri sanguinem propinet. lib. 2. de gestis Isaacij Angeli.

Multi principes & comites Guibaldo Casinensi abbati super Euangelia lignũq; Domini sanctorumq; reliquias, præsidente Imperatore Lothario, fidem & obedientiã promittunt. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 125.

Vsque hodie à Christianis iurando dicitur, cum aliquid, quod facere nolunt, rogantur: Iudæus sim ego, si faciam: ut Petrus Alfonsus titulo 2 Dialogi indicat.

RITVS DEMONSTRANDI innocentiam.

FLandris Philippus comes eiusmodi legem pro declaranda innocentia tulit, anno 1164: Si quis uulnus in nocte acceptũ alij imputauerit, si Scabinis dignũ uidetur, ferro candẽti se excusabit accusatus: si aufugerit, manũ perdet. Itẽ: Si fur uocatus accusatus fuerit, ferro cãdenti se excusabit: si culpabilis permanserit, suspendetur. Chrõ. Flandr.

Sclauis, postquã terã ipsi amplexi sunt religionẽ, in arboribus, fontibus & lapidibus iurare interdictũ fuit: sed de criminibus suspectos sacerdoti uel ferro uel uomere examinãdos offerebant. Helmoldus cap. 84. Et Saxo Gram. lib. 14. Danicę historiæ, exẽplũ probatę in hunc modũ pudicitiæ annotat: Ad igniti ferri contrectationẽ puellam quandã, illæsam pudicitiã probandi causa, deductã, ex Hildeberti Cenomanẽsis epist. 17. ad archidiaconum quendam apparet.

RITVS ELIGENDI INAVGVrandiq; Imperatores.

HEinricus quintus primùm à patre, deinde ab uniuersis Germaniæ principibus in regem iam secundò electus, ab Apostolicis quoq; legatis per manus impositionem catholicè confirmatus, acceptis tã ab episcopis, quàm à laicis principibus, iuxta morem regni, sacramentis, regnare cœpit. Cranzius in Saxonia lib. 5. cap. 31. Ab ipso autem, Romam pontificię inaugurationis petendæ gratia appropinquãte, Paschalis pontifex per nuncios saluum conductũ expetebat. Cæsar obsidibus datis receptisque, iureiurando pontifici uitæ incolumitatem promisit, ac nominatim de Apulia, Calabria, Sicilia, Capuanoq; principatu restituẽdis ei spẽ fecit, ac deniq;, quod omne Romanæ ecclesię ius inuiolatum sit relicturus. Posthæc pontifex obuiam ei misit in montẽ Gaudij, qui & Marij dicitur, baiulos cereostatarios, staurophoros, aquiliferos, leoniferos, lupiferos, draconarios, candiatos, defensores, stratores, populiq; infinitã multitudinẽ cum floribus atq; arborum ramis & palmis. Duo ex more iuramẽta, unũ iuxta ponticulũ, alterũ ante porticus portã populo fecit. Ante portã à Iudæis, in porta à Græcis canẽtibus exceptus est. Illic omnis Romanæ urbis clerus ex pontificis præcepto conuenerat, qui eum equo delapsum ad S. Petri gradus cũ laudibus deduxerũt. Cum uerò superiores gradus euasisset, illic dominus papa cũ episcopis pluribus, cardinalibus, presbyteris, diaconis, subdiaconis, & omni cantorũ schola & ministris interfuit. Quẽ Imperator ut uidit, ad eius uestigia corruit, exurgẽsq; in nomine Trinitatis, in ore, frõte, oculis ei pacis osculũ dedit, stratorisq; impleuit officiũ. Moxq; dextrã põtificis tenẽs, magno cum populi gaudio magnisq; clamoribus ad portã argẽteã uenit. Ibi ex libro professionẽ Imperatoriã fecit, & à põtifice Imperator designatus est: rursumq; osculato pontifice, orationẽ primã

continuò super eũ Lauicanus episcopus dedit ex more. Post basilicæ ingressum, cũ in arcẽ porphyreticã peruenissent, positis sedibus uterq; consedit. Ibi põtifex Ecclesię suum ius & cætera, quæ in cõuentionis charta scripta erant, restitui postulauit. Verùm Imperatoris familiares eũ, ne cõsentiret, dehortabãtur. Sicq; ad uesperã ferè disceptatũ est. Tandem cũ põtifex regẽ prorsus inungere detrectaret, ab armatis Imperatoris militibus unà cum cardinalibus capitur, captiuusq; abducitur: ut in Chronico Casinensi lib. 4. cap. 40. scribitur. Sed ijs reconciliatis, idibus Aprilis, octauo post Pascha die Heinricus à senatu populoq; Romano magno gaudio in templum Petri deducitur, à Paschali sacro chrismate inunctus, Imperij ornatur diademate, & Augustus salutatur: teste Vrspergensi.

Fridericus paribus procerum suffragijs electus rex Aquisgrani, in frequentissima principum & episcoporum corona, ab Arnoldo Coloniensi archiepiscopo consecratur, & sedem regis Francorum, quæ in eadem ecclesia à Carolo Magno posita est, conscendere iubetur: ut Frisingensis libro secundo, capite tertio de uita eius testatur. Nec multo pòst, pontificiæ inaugurationis gratia, Romam cum omni exercitu profectus est: ibique ad ecclesiæ limina honorificè à papa, magno cardinalium numero stipato, excipitur, & ingressi simul templum, solenni ritu consecrationis opus peregerunt. Porrò armatæ Imperatoris cohortes, foris circumquaque templum cingentes, præstolabantur. Inuitis enim Romanis, ut Auentinus testatur, Augustus salutabatur Fridericus à pontifice. Helmoldus in Sclauorum Chronico cap. 81.

ET REGES.

Balduinus iunior Hierosolymorum rex, in ferijs Pentecostes per legatum Romanũ publicè inungitur: ut Hedio parte 3 Chronicorum scribit.

Anno superiore quàm Ludouicus Francorum rex mortem obiret, filium Philippum regni consortem assumpsit. Quare Remos perductum, magna pompa adolescentem sacrare iubet, decimumquartum uix annum agentem. Cui rei Guillermus nouelli regis auunculus, eiusdem urbis primas, & S. Sabinæ cardinalis, Romanus legatus, & Heinricus Angliæ rex interfuère: ut Robertus lib. 6. de Francis scribit.

RITVS ADORANDI *Antichristum.*

HEinricus quintus Imperator ad uestigia Paschalis Romani pontificis corruit, exurgẽnsq; in nomine Trinitatis, in ore, in fronte, oculis, pacis osculum ei fixit, stratorisq; impleuit officium: moxque dexteram pontificis apprehendens, ad templum simul iuère. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 41.

SVPPLICANDI RITVS.

LOtharius Saxonum dux Moguntiæ in celebri principum corona nudis pedibus, & discinctus ad pedes Heinrici Imperatoris procumbens, ueniam petijt, & impetrauit. Auentinus lib. 6. Annalium.

Mediolanenses cum Imperatore Friderico in gratiam redituri, ipsum in curia accedunt. In primis clerus omnis, & quiq; fuerant Ecclesiastici ordinis ministri, cum archiepiscopo suo, prælatis crucibus, nudis pedibus, humili habitu: deinde consules & maiores ciuitatis, item abiecta ueste, pedibus nudis, exertos super ceruices gladios ferentes. Radeuicus lib. 3. cap. 42.

Ciues in Nicea urbe obsessi ab Andronico, cum res ad extremum casum perducta esset, monente & præeunte Nicolao pontifice, sacra ueste induto, & Euãgeliorum uolumen manibus gestante, cũ sacerdotibus & uniuersa multitudine, ne mulieribus quidem & pueris exceptis, sine ullis armis, sed supplices frondes manibus præferentes, apertis capitibus, nudisq; pedibus, submissa uoce misericordiam expetebant: ut Nicetas sub imperio Andronici scribit.

Andronicus impetrata per legatos à Manuele Imperatore delictorum uenia & publica fide, aliquanto pòst in urbem reuersus est, graui catena collo circumligata, & sub ueste ad pedes usq; demissa, ne à quoquam astantiũ uideri posset. Cũq; in Imperatoris uenisset conspectũ, humi, quãtus erat, prostratus, catena prolata, & largis lachrymis offensarum ueniam magna contentione, supplici & miserabili gestu flagitauit. Quo uiso, ipse Imperator in lachrymas erupit, eumq; leuari iussit: ut Annales Nicetæ habent.

RITVS TRIVMPHANDI.

IOannes Constantinopolitanus Imperator, deuictis Persis, triumphum indicit. Cumq; dies supplicationis adesset, omnis generis tapetes, auro & purpura intexti, uicos exornabãt, nec deerat Christi & sanctorũ effigies in ijs ad uiuum expressæ. Quadrigę à quatuor equis, niue candidioribus, trahebantur. Imperator uerò currum non conscendit: sed Dei genitricis imaginem in eo collocauit, ob quam lætitia exultabat, & animo penè linquebatur, cui uictorias, ut collegæ Imperij inuictæ, acceptas ferebat. Habenas uiris potẽtissimis moderãdas, & cognatis suis currũ curãdũ dedit: ipse crucẽ in manu gessit, pedes antecessit, & Dei sapientiæ templum ingressus, atque in conspectu

conspectu omnis populi ob successus gratijs Deo actis, in palatium abijt. Annales Nicetæ Choniatæ.

CAPVT VII.

DE POLITIA ET GVBERNATIONE Ecclesiæ.

FORMA gubernatiõis Ecclesiasticæ eadem fuit, quæ in superioribus seculis, nisi quòd põtifices subinde superstitiosos cultus auxerunt, & more Antichristi potẽter dominati sunt: id uerò ex historia planum faciemus.

DE PERSONIS.

ECclesiæ ministros elegerunt, uocarũt ac confirmarunt tum policiti, tum Ecclesiastici homines, ut:

Imperatores. Maguntinis enim Albertum, Coloniensibus Fridericum Henricus quintus dedit episcopos: iuxta Ottonem Frisingensem & Auentinum. Quamuis hoc priuilegij Saxones à Romano pontifice impetrasse narrat Hedio, ut defuncto aliquo episcopo, clerus & populus, repudiato prorsus Imperatoris suffragio, successorem substituant.

Clerus & populus. Clerus Luxoniensis & populus, & tota simul (ut audiui) Ecclesia, destituta morte episcopi sui, dominum Arnulphum Sagiensem archidiaconum sibi in pontificem & pastorem elegit. Petrus Cluniacensis lib.5.epist.6.

Salamantinus episcopus apud Hispanos ab omni clero, ab omni populo canonicè, pacificè, communiter, accedente & regis uoto, ad S.Iacobi ecclesiam, quæ reliquarum caput est, euehitur. Petrus Cluniacensis lib.5.epist.8.

Alij fraudibus & magia sese ingesserũt. Robertus Atrebatensis & Tornacensis simul episcopus, familiaris cuiusdam dæmonis ope ad tantos honorum gradus ascendisse creditur. Antoninus tit.17.cap.1.§.11. Henricum monachum per dolum ab Eugenio papa Eboraci constitutum episcopũ, ait Math.Parisiensis. Perfidia & pecuniæ in cardinales erogatione Arnoldus Moguntina sede potitur. Chron.Mogunt. Camaterus Basilius, cum dato scripto se obligasset Andronico, se quicquid ipsi cordi esset, quã tumuis illicitum, facturum, pontificatum Constantinopolitanum adipiscitur. Nicetas sub imperio Alexij Comneni Porphyrogeniti. Et Petrus Blesensis queritur: O cura hominum, inquiens, ô quantum est in rebus inane, ô inanis gloria & ambitio cæca, ô terreni honoris inexplebilis fames, ô tinea cordium, animarum subuersio, cũpiditas dignitatum, unde obrepsit hæc pestis, unde inualuit hæc execranda pręsumptio, ut indigni dignitates ambiant? Et quanto minus meruerunt adscendere ad honores, tanto importunius honoribus se importent? Hodie per fas & nefas in animæ corporisque discrimen currunt infelices ad cathedram pastoralem, nec attendunt quòd sit eis cathedra pestilentiæ, dũ sibi & alijs occasio sunt ruinæ. In gregibus & armentis aries & taurus corpore & animositate præstantior alios antecedit: homo uerò bestijs alijs bestialior, tanto indiscretius & audacius præesse præsumit, quã to minus de uirtutum titulis aut conscientiæ sinceritate confidit. Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent, nec populi iniquitates suis excessibus congregarent. Epistola duodecima. Item: Irrumpunt laici in sancta sanctorum, sanctuarij uerò lapides disperguntur in capite omnium prælatorum. Conuertuntur claustra in fora, religiosi in mechanicos, pastores in lupos, lilium in spinas, &c. epistola decimasexta.

Ipsæ autem personæ delectæ sunt, & cooptatæ in numerum episcoporum & abbatum:

Ex nobilibus. Albertum Lotharingum, comitem à Sarbruck, cancellarium Heinricus quintus Moguntinum designat pontificem. Otto Frisingensis libro septimo, capite decimoquarto.

Ex monachis. Paschalis è monacho pontifex factus est. Simoneta lib.5.cap.70. Vvilhelmus Rhedingensis Angliæ monachus ab Heinrico Anglorum rege, post certas in Gallijs legationes, archiepiscopatum Burdegalensem in præmium accepit. Balęus Cent.13. capite septuagesimosexto. Eugenius tertius monachus fuit. Platina. Tẽporibus Rogerij Beccensis abbatis apud Normannos, duodecim inde monachi ad abbatias, & postea ad ecclesiarum regimẽ conscenderunt. Sigeberti Continuator. Heinricus Ludouici Francorum regis frater germanus, ex monacho Clareuallensi ad episcopatum Beluacensem euehitur, anno 1149. Idem. Helias S.Sulpitij abbas, Aurelianensibus datur episcopus. Petrus Cluniacensis lib.tertio, epistola 11.

Ex sacerdotibus. Richardus Anglus sacerdotalis ordinis, à Guilhelmo Siciliæ rege Syracusanus creatur episcopus. Balæus Cent.13.cap.74. Richardus ex archidiacono fit Abrincatensis episcopus. Sigeberti Continuator. Milo archidiaconus, Morinorum designatur episcopus, anno 1159. Chronicon Flandriæ.

Ex laicis. Ex laico Cantuarienſem epiſcopum factum Thomam, annotant Matthæus Pariſienſis, & Balæus Cent. 2. capite 96 in appendice.

DE GRADIBVS PERſonarum.

MAnſerunt hac ætate in uſu Eccleſiaſticorum uirorum magnifici tituli. Nam Cardinalium, quorum magnum ſanè numerum pontifices Romani procrearũt, Martinus in Chronico, Sigeberti Cõtinuator & Platina mentionem faciunt.

Patriarchæ. Rectorem & patriarchã Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, quæ omnium Eccleſiarũ ſingularis ſit mater & gentiũ domina, ſe uocat Daibertus in quadam epiſtola apud Tyrium libro 10 Belli ſacri, capite 4.

Pontifex. Maximus Armeniorum pontifex, catholicus dicitur apud Tyrium lib. 15. capite 18. Pontificis de Ripa meminit Helmoldus.

Archiepiſcopi. Tyrenſis meminit Vuilhelmus Tyrius lib. 13. cap. 23. Archiepiſcopũ Hamburgẽſem uocat Helmoldus cap. 70. Eſtq́; archiepiſcoporum & epiſcoporũ appellatio uſitata ſcriptoribus.

Malachiam Hyberniæ metropolitanum uocat Schedelius.

Epiſcoporum, quos uocant ſuffraganeos, meminit Helmoldus cap. 70. Ad Cantuarienſem archiepiſcopum & eiuſdem ſuffraganeos, Alexandri tertij epiſtola tomo 2 Conciliorum uidetur.

Magiſtrum nominatiſsimum Laudunicæ ciuitatis, Anſelmum, Continuator Sigeberti uocat.

Canonicus. Sigeberti Continuator.

Senior. Chronicon Caſs. lib. 4. cap. 39.

Decanus. Tethmarus apud Bremenſes decanus fuit, teſte Helmoldo.

Archidiaconi. Quos Alexander tertius ſine licentia & mandato epiſcopi nemini animarum curam poſſe committere ait. libro 1. tit. 23. c. 4. Cum ſatis. Philippus Caroli Craſsi filius, Pariſienſis archidiaconus fuit. Ganguinus.

Diaconi. Conſtantinus Meſopotamitanus, ſupremus aulæ Conſtantinopoleos ſub Alexio Angelo ex lectore diaconus creatur per patriarcham. Nicetas lib. 2. de geſtis Alexij.

Vicarius. Duas ſimul eccleſias tenere Vicarium Alexander tertius prohibet, lib. 1. tit. 28. c. 2. Adhæc.

Presbyter. Platina, Vrſpergenſis.

Primicerius. Adalbero Metenſis primicerius fit Treuirenſis archiepiſcopus. Sigeberti Continuator.

Cantoris Tyrius meminit lib. 11. cap. 12.

Lector. Dyſipatus Georgius magni templi lector fuit Conſtantinopoli, ſub Andronico Imperatore, teſte Niceta.

Sacriſtæ. Manerius Salmurienſis ſacriſta fuit, anno 1177. Sigeberti Continuator.

¶ Extat apud Tyriũ li. 14. de Sacro bello, cap. 12. catalogus ſedium epiſcopaliũ, quæ Antiocheno patriarchæ ſubiectæ erant, quẽ hic inſerere uiſum eſt: Certum eſt, inquit, quòd inter tredecim archiepiſcopos, qui à diebus Apoſtolorum ſedi Antiochenæ ſubditi fuerunt, Tyrenſis quidem primum locum obtinuit, ita ut mortuo patriarcha Antiocheno, Protothronos Tyrenſis appellaretur, ſicuti in Catalogo pontificum ſuffraganeorum, qui ad eccleſiam Antiochenam reſpiciunt, continetur. In quo ſic legitur:

Sedes prima Tyrus, ſub qua ſede ſunt epiſcopatus XIIII.

Porphyreon.
Archis.
Ptolemais.
Sydon.
Sarepta.
Byblium.
Botrion.
Ortoſia.
Arados.
Antarados.
Paneas.
Maraclea Araclia.
Tripolis.

Sedes ſecunda Tharſus. Sub hac ſede ſunt epiſcopatus quinq́.

Sebaſtia.
Mallos.
Thina.
Choricos.
Poderados.

Sedes tertia Ediſſa. Sub hac ſede ſunt epiſcopatus X.

Virchi.
Conſtantia.
Capron.
Marcopolis.
Varnon.
Cedmaron.
Himeria.
Querquenſia.
Tapſaron.
Celimeos.

Sedes quarta Apamia, ſub qua ſede ſunt epiſcopatus VII.

Epiphania.
Seleuconuilla.
Lariſſa.
Valanea.
Mariania.
Ruphania.

Arethu-

Arethusa.

Sedes quinta Hierapolis, sub qua sunt episcopatus VIII.

Zeuma.
Surron.
Varnalis.
Neocæsaria.
Perri.
Ormion.
Dolichi.
Europi.

Sedes sexta Bostra, sub qua sede sunt episcopatus XIX.

Cerasson.
Philadelphia.
Adraon.
Midanon.
Anstamidon.
Belmindon.
Zoroyma.
Herry.
Iceny.
Eutimij.
Constantia.
Paramboli.
Dionysia.
Conohaton.
Maximopolis.
Philippolis.
Chrisopolis.
Heylon.
Lorea.

Sedes septima Anauarza, sub qua sede sunt episcopatus IX.

Epiphania.
Alexandris.
Hieronopolis.
Cambrisopolis.
Flauias.
Rossas.
Castraualet.
Egnas.
Sysia.

Sedes octaua Seleucia. Sub hac sede sunt episcopatus XXIIII.

Claudiopolis.
Diocæsarea.
Oropi.
Dalysanidos.
Seriula.
Celenderis.
Anemory.
Tyropolis.
Lamosy.
Antiochia parua.
Nephelia.
Ristra.
Selinuntis.
Hioropy.
Philadelphia parua.
Hermopolis.
Germanicopolis.
Mosoda.
Demenopolis.
Sbydi.
Synopolis.
Adrasson.
Myim.
Neapolis.

Sedes nona Damascus. Sub hac sede sunt episcopatus XI.

Ably.
Palimpon.
Laodicia.
Euria.
Renocora.
Hiabanda.
Danabi.
Carathea.
Hardam.
Surra.
Quini.

Sedes decima Amida. Sub hac sunt episcopatus VII.

Hynilon.
Valentium.
Arsamosata.
Sophin.
Caytaris.
Ryphi.
Zeuma.

Sedes undecima Sergiopolis. Sub hac sede sunt episcopatus IIII.

Bizanonias.
Marcopolis.
Venethal.
Ermenia.

Sedes duodecima Theodosiopolis, sub qua sunt episcopatus VII.

Oricos.
Maznimi.
Mauriocastron.
Agymaria.
Axieri.
Tarosia.
Palitinios.

Sedes decimatertia Emissa. Sub hac sede sunt episcopatus IIII.

Arqui.
Orisson.
Herigem.
Oragison.

Metropolitani per se sustinentes VIII.

Piericus.

Heliopolis.
Laodicia.
Samosata.
Cyros.
Pompeiopolis.
Mopsphestia.
Adama.

Archiepiscopi tredecim.

Verea.
Calquis.
Gabula.
Seleucia.
Piperia.
Anasar.
Phon.
Paltos.
Germanicia.
Salamias.
Varcosos.
Fassos.
Ananagarthon.

At iuxta traditiones ueterum, & quædã etiam scripta,quę auctoritatem habent nõ modicã apud Palęstinos, & maximè Græcos,Hierosolymitana ecclesia usq; ad tempora Iustiniani sanctæ recordationis Augusti,episcopum habuit, nulla uel modica dignitatis prærogatiua gaudentem.Tempore uerò prædicti Deo dilecti principis, congregata est Synodus generalis apud Constantinopolim,tempore domini Vigilij papæ,Eutychij Constantinopolitani , Apolinarij Alexandrini, Pauli Antiocheni, Eustochij Hierosolymitani patriarcharum, super tribus capitulis : uidelicet scriptis Theodoreti Cyri, item scriptis Theodori Mopsphestiæ episcoporum, & epistola Hyberæ ad Marim Persam. In qua Synodo post alias Ecclesiæ Dei necessarias institutiones, quas pro tempore promulgandas decreuerat sanctorum patrum,qui ad eam conuenerant,autoritas,prædictam Deo amabilem honorare ecclesiam,& eius episcopo locum inter patriarchas dare,cõmuni sanxit uoluntate, reuerentiam exhibens sanctæ Resurrectioni.Et quoniã prędicta Dei cultrix ciuitas, quasi in limite Alexandrini & Antiocheni patriarchatuum erat,nec haberet unde illi urbes ordinaret suffraganeas,nisi utriq; patriarchæ aliquid detraherent,uisum est expedire, ab utroq; aliquid decerpere,ut eidem iuxta formam aliorum patriarchatuum ordinarent subiectos.Subtraxerunt ergo Antiocheno Cæsariensem & Scytopolitanum metropolitanos:Alexandrino uerò, Rabensem & Berythensem,item metropolitanos. Et quoniã iterũ eundẽ patriarcham oportebat habere,præter supradictos metropolitanos, familiares suffraganeos,quos Græci cãcellos uocat, subtraxerunt prędictis metropolitanis quosdam episcopos,& quosdam de nouo creauerunt,usq; ad uigesimumquintum,quorum urbium numerum & nomina subiunximus, computatis prius metropolitanis, & eorum suffraganeis.Est autem ordo talis:

Sedes prima Cæsarea maritima.Sub hac sede sunt episcopatus xx.

Dora.
Antipatrida.
Iamnias.
Nicopolis.
Onus.
Sorutis.
Raphias.
Regium Apatos.
Regium Hierico.
Regium Liuas.
Regium Gadaron.
Azolus.
Hiaralias.
Azotus.
Hyppum.
Estomason.
Triconias.
Taxus.
Saltum.
Constantinianum.

Sedes secunda Scythopolis.Sub hac sede sunt episcopatus ix.

Capitoliados.
Miru.
Gadaron.
Pelon.
Philippus.
Terraconias.
Clima.
Gallanis.
Comanas.

Sedes tertia Rubba Moabitis.Sub hac sede sunt episcopatus xii.

Augustopolis.
Arnidilla.
Carah.
Hierapolis.
Memsidos.
Eluris.
Zora.
Virossam.
Pentacomia.
Mamapson.
Mitrotomias.
Saltum Hieraticon.

Sedes quarta Becerra Arabiæ.Sub hac sunt episcopatus xxxv.

Adrasson.
Dias.
Medauon.
Hierasson.

Nein.

Nein.
Philadelphia.
Hierapolis.
Esuos.
Neapolis.
Phenustus.
Philopopolis.
Dionysius.
Constantianis.
Pentacomias.
Tricomias.
Conafados.
Saltu Vocaneos.
Hexacomias.
Euacomias.
Comogannas.
Comogeros.
Comostanis.
Comis.
Mahederon.
Comocoreatos.
Comis Copion.
Comis Iulianos.
Comis Pygmarethon.
Comis Petius.
Comis Anathon.
Comis Neotis
Clima Anatolis queuisinon.
Comis Anochis.
Comis Traliconos.
Comis Nephdomos.

Suffraganeæ.

Lidda.
Ioppe.
Ascalon.
Gaza.
Mennas.
Diocletianopolis.
Bergrobin.
Neapolis.
Sebastea.
Hiericuntos.
Tyberiadis.
Diocæsarea.
Legionum.
Capitolina.
Mauronensis.
Gedera.
Nazareth.
Thabor.
Caraca,uel Petra.
Hadroga.
Aphra.
Helem.
Faran.
Helenopolis.
Mons Syna.

DISTINCTIO COETVS *Ecclesiastici.*

Porrò ipse pisciũ numerus(de quo Iohã. 21.)talis diuinitùs prouisus est, qui non in uno limite cõtentus,sed tribus cõtinuis limitibus,scilicet centenis,deceno,& singulari dispositus sit.Quæ uidelicet dispositio arithmeticis nota est. Cur hoc,nisi quia homines,quos isti pisces significãt,nõ omnes in eodem ordine uel proposito: sed diuersis ordinibus,licet in eadem fide, distincti sunt? Alij namque coniugati,alij uidui uel continentes sunt,alij uitam uirgineam ducunt. Et in laxiori quidem ordine uel proposito plures,sed minus ualentes:in arctiori pauciores,sed preciosiores sunt. Nam & iuxta parabolam seminantis, centesimus fructus paucioru̅m,id est,uirginum est: tricenarius plurium,id est,coniugatorum: sexagesimus mediorum,id est, continentiũ, siue uiduarum. Rupertus Tuitiensis lib. 4 in Iohannem,cap.21.

Et Petrus Blesensis inquit: Nobis diaconis cõsecratio illius Saluatoris committitur,non ut conficiamus, sed ut conficientibus deuotè & humiliter assistamus. Et quæ absurditas est,si diaconi,& maximè archidiaconi in suo ordine perseuerent?non hunc ordinem archidiaconis Ecclesiastica censura præscribit, & episcopatui presbyteratus annexus est? Sic & archidiaconatũ diaconatus ordo quadam conscientia inseparabili comitatur. Ideo simplices diaconi, urgente necessitate uel utilitatis instantia,iuxta Carthaginense concilium ad eminentiores ordines possunt cogi : sed quod ad hoc de iure coarctari possit archidiaconus,nusquam legitur. Et paulo pòst: Porrò turbato dignitatis ordine, archidiaconi hodie sacerdotib.præeminent, & in eos uim & potestatem exercent suæ iurisdictionis.Ea propter archidiaconum presbyterum promoueri,non est honorem augeri,sed minui.epistola 114.

DE RATIONE GVbernationis.

TRadiderunt doctrinã. Egregium uerbi Dei seminatorem,Gaufredũ Burdegalensem antistitem uocat Hildebertus in epistola. Theodoricus Cicẽsis episcopus contra schismata,quæ suis temporib.nonnunquã pullulabant, propugnator catholicus,& in omni pastorali sollicitudine commissę sibi Ecclesię desudãs utilitatibus. Vrsperg. Hermãnus noui monasterij præpositus, in prędicatione Euangelij Ludolphũ Segebergẽsem & Brunonẽ Aldenburgensem fideliter iuuit apud uicinos barbaros. Helmoldus cap.94. Gislebertus Pictauorũ antistes epistolas Pauli & psalmos enarrat. Petrus de Riga Remis scripturam explicat.Trithemius,Pantaleon. Vuernerũ Mersburgensem episcopũ Vandalos, quos Sorabos

Sorabos uocant, sacra religione imbuisse, Chronicon Mersburgense tradit. Michaelis Thessalonicēsis concionatoris meminit Nicetas lib.7.de gestis Manuelis.

Falsa dogmata confutarunt. Oportet, inquit Petrus Cluniacensis, aduersus multiformes luporum insidias pastoralem oculum uigilare, & ne in aliquo grex Dominicus lædatur, irrequieto studio satagere. Libro 1.epist.2.ad quosdam prouinciales episcopos. Cum legatio Caloioannis Imperatoris Græcorum ad Innocentium pontificem, Græcum quendam philosophū haberet sanè acutum, is ostentandi ingenij gratia Romanæ ecclesiæ uiros arguebat, haud religiose facere, quòd cum semel in Niceno concilio declaratum esset, Spiritū sanctum à patre duntaxat procedere, ipsi à patre & filio dicerent. Cui Petrus Diaconus cardinalis acutissimi ingenij occurrēs: Si, inquit, Romani damnandi sunt, qui addiderūt, Spiritum sanctum à filio quoque procedere, multo iustius tui Græci accusandi sunt, qui id fieri à solo patre dicūt, quum eodem conuentu disertè pronunciatum esset, à patre procedere: & non à solo patre, ut uos ineptè asseritis. Ille tempestiuo Diaconi occursu sic elusus, obticuit. Cuspinianus de Imperatoribus.

Peregrinationes ad loca sancta in epistola quadam Hildebertus Cenomanensis reijcit.

Libros composuerunt. Otto Frisingensis episcopus historiam à condito mundo ad sua usque tempora scripsit. Et Fridericus Imperator eidē res suas per quinquennium gestas breuiter descriptas misit, petēs, ut eas more historico dilatatas memoriæ posteritatis tradat. Imperatoris epistola libris de uita eius scriptis præfixa habetur. Petrus Lombardus Parisiensis episcopus libros sententiarum comportauit. Et Ludouico rege petente, Hugo Parisiensis, S.Victoris canonicus, S. Dionysij Hierarchiam, multis obscuritatibus refertam, explicuit. Sigeberti Continuator. Ad obiectionem de superfluo scribendi labore, eleganter respondet Rupertus Tuitiensis abbas in prologo enarrationi Apocalypsis præfixo: Sed dicet aliquis, Iam satis est, quod alij meliores & sanctiores, nihilominus & doctiores inuenerunt atq; scripserunt. Illicitum est, temerarium est, adijcere quippiam ad ea, quæ à nominatis catholicisq; patribus dicta sunt, atq; ita fastidium legentibus facere, augendo multitudines commentariorum. Ad hæc inquam: Nimirum sanctarum spaciosus ager Scripturarū omnibus Christi confessoribus communis est, & tractandi illas nulli iure negari potest licētia, dummodo salua fide, quod sentit, dicat aut scribat. Quis namq; rectè indignetur, eo quòd in eadem possessione post unum aut duos puteos, quos foderūt patres precedētes, plures proprio fodiāt labore filij succedētes? Deniq; Isaac & alios puteos fodit, præter illos quos foderāt serui patris sui Abrahā, quos illo mortuo olim obstruxerāt Philistijm. Nam postquā & illos rursum fodit, appellauitq; eos eisdem nominibus, quibus antè pater uocauerat, sequitur Scriptura, & dicit: Foderūt in torrente, & repererunt aquam uiuam. Item foderunt & alium. Ac deinceps: Profectus inde fodit alium puteum. Itaq; iuxta hanc regulam nobis quoq; concedant, post illos puteos quos foderunt, id est, post illos tractatus quos tractauerunt patres & priores nostri, & alios fodere puteos proprij uomere ingenij, dummodo uiuam & nos aquam reperire possimus, quæ nulli noceat bibenti, nulli scandalum uel errorem faciat legenti.

Ad bonos mores hortati sunt. Malcolmum Scotorum regem graui oratione de ducenda coniuge monet Arnoldus episcopus Andreæ in procerum quodam cōuentu. Hector Boethius lib. 13. de Scotis. Ad uitæ nouitatem quendam hortatur Hildebertus per epistolā. Petrus Blesensis quendam amicum ebrietati deditum reprehendit, & grauissimis rationibus, ex dictis & exemplis sacræ Scripturę desumptis, quàm graue sit peccatum, ostendit, epistola sexta.

Vitia & peccata grauiter & liberè arguebant. Forum Plunense, quod singulis diebus Dominicis frequentabatur à Sclauis & à Saxonibus, in uerbo Domini Geroldus Aldenburgensis episcopus prohibuit, eo quòd populus Christianus, deserto cultu ecclesiæ & missarum solennijs, mercationibus tantùm operam daret. Hanc ergo permaximam idololatriam præter multorum opinionem animi constantia destruxit, præcipiens sub anathematis districtione, ne quis decæterò suscitaret ruinas eius. Et conuenerunt populi decæterò ad ecclesias, audire uerbum Dei, & interesse sacris mysterijs. Helmoldus cap.95. Petrus Blesensis regis Francorum reprehendit consiliarium quendam, quòd impijs cōtra Ecclesiam regis conatibus non resisteret, docens, quòd si regem non monuerit de peccatis, Deum ab ipsius manu requisiturum regium sanguinem. epistola 8.

Confessiones audiebant. Ludolphus sacerdos de Feule, summæ sanctitatis uir magnusq; confessor, frequentabatur à populis regionis confitentium peccata sua, & remedio pœnitentiæ uenturā iram declinare

clinare cupientium. Helmoldus in Chronico Sclauorum, cap. 44.

Baptiſabant. Heinricus quidam cardinalis Elienoræ reginæ Anglorũ filiam baptiſat. Sigeberti Continuator.

Orabant pro Eccleſia. Inter ſacra mysteria Vicelinus pronus adorauit in terra, coram altari Domini, rogãs fortiſsimum Dominum, ut cultus ipſius propagaretur tam in eo loco, Buzouij ſcilicet, quàm in uniuerſa latitudine Sclauiæ. Multotiens autem hominibus transmigrationis inter exhortatoria uerba præſagiebat, cultum domus Dei ſublimem in breui futurum in Sclauia, & ne deficerent animis, habentes duram patientiam ob ſpem meliorũ. Helmoldus capite 76 in Sclauorum Chronico. Et Sclauis Holſatiam uaſtantibus, idem hortabatur populũ in Deo ſpem ſuã conſtituere, agere litanias in ieiunio & attritione cordis, eo quòd dies mali instarent. Idem cap. 57.

In publicis calamitatibus ſuos ſolabantur. Sic Euſtathius Theſſalonicenſis epiſcopus, capta à Siculis urbe, ciues ſuos monuit, ut Dei uerbera, tanquam benigni patris caſtigationem, æquis animis ferant, & ab eodem medicinam expectent. Nam ſi ſæpe, ut ait, percutere, at ſæpiſsimè etiam mederi conſueuit, præſertim ſi quis leniter & cũ gratiarum actione moleſtias perfert, neque ob acerbitatem earum eum à quo proficiſcuntur, odio perſequitur, nec cum prouidentia expoſtulat, nec iudicij diuini profunditate reiecta, in ſecundis duntaxat rebus & proſpero fortunæ flatu bonum ſe præbere didicit. Nicetas libro 1. de geſtis Andronici.

Miniſtros examinabant & ordinabant. Tyrijs Vuilhelmum Guarimundus Hieroſolymitanus conſecrat epiſcopum. Tyrius libro decimotertio, capite 23. Optatum Orcadum inſularum epiſcopum ordinauit Heinricus Eboracenſis epiſcopus. Polydorus libro 12.

Ad alias gentes mittebant doctores. Ad Sclauos Hartuuicus Hamburgenſis Vicelinum & Emmehardum miſit epiſcopos: ut teſtatur Helmoldus cap. 47. & 70. Ottho Bambergenſis epiſcopus ad Pomeranos iturus, impetrata à Romano Calixto uenia, ab Imperatore quoq;, ut ipſius conſenſu ab Eccleſia ſibi abeſſe liceat, petit. Cranzius lib. 5. cap. 44. Saxoniæ.

Pauperum curam habebant. Vicelinus, Ludolphus, Eppo, Luthmũdus, Volckvvardus, alijq; plures ſacris apud Sclauos connexi fœderibus, ſtatuerũt amplecti cœlibatum uitæ, perdurare in oratione & ieiunio, exerceri in opera pietatis, uiſitare infirmos, alere egentes, tam propriã quàm proximorũ ſalutẽ curare. Super omnia uerò pro Sclauorũ uocatione ſolliciti orabant Dominum, oſtiũ fidei quãtocyus aperiri. Helmoldus cap. 48.

Coniuges initiabant. Americus Antiochenus patriarcha Theodoram Balduino Hieroſolymorum regi copulauit. Tyrius lib. 18. cap. 22.

Cauſas matrimoniales dijudicabant. Nã ad Genuenſem archiepiſcopum Alexander tertius ſcribit: Illud quoq; nobis innotuit, quòd cum libera mulier per decẽ annos & ultrà cuidam ſeruo ſcienter cohabitârit, & ab eo fuerit carnaliter cognita, nũc ipſum aſſerit ſuum non eſſe maritum. Verùm uir eam uendicans in uxorem, oſtendit publicum inſtrumentum, in quo ſeſe coniuges nominant, & per quod ipſum ei donationem propter nuptias feciſſe apparet: mulier uerò inſtrumentum illud aſſerens uitioſum, ut ſeruo dominus fraudaretur, plures teſtes produxit, quòd ille ab amicis eius ſæpe rogatus, ut eã deſpõſaret, nec deſpõſaſſe, nec deſponſaturũ ſe ipſam firmiter aſſerebat. Vir aũt nõ niſi prædicto inſtrumento & quibuſdã teſtibus, qui uiderant eam annulos deferentẽ, ipſam probauit uxorẽ: ſed mulier de more illarũ quę panes uendunt, ſe annulos detuliſſe dicebat. Verùm quia in eiuſmodi dubietate fama uiciniç magis debet attendi, ſi fama loci habet, quòd ipſam in lecto & in menſa ſicut uxorem tenuerit (cum matrimoniũ ſit maris & fœminæ coniunctio, indiuiduam uitæ conſuetudinem retinens) cogenda eſt mulier, ut eidem uiro affectu ſeruiat coniugali: præſertim ſi præſcriptum inſtrumẽtum ab eo conditum fuerit, qui officium ſuum fideliter adimpleuit. Lib. 2. titulo 23. c. 11. Item: Literis fraternitatis tuæ receptis, nobis innotuit, quòd cum P. ab A. muliere, quam in uxorem acceperat, peteret ſeparari, accuſatores matrimonij produxerũt teſtes firmiter aſſerentes, quòd poſtquam mulier cum prædicto uiro contraxerat matrimonium, conſanguineum uiri eiuſdem, ſolum cum ſola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentem, ea (ut credebant) intentione, ut eam cognoſceret carnaliter, uiderunt multis locis ſecretis, & latebris ad hoc commodis, & horis electis, &c. reſpondemus, quòd ex huiuſmodi uiolenta & certa ſuſpicione fornicationis poteſt ſententia diuortij promulgari, ita quidem, ut uir licentiam habeat, mortua illa ducendi aliam, muliere ſine ſpe coniugij remanente. Ibidem capite duodecimo. Et ad Noruicenſem epiſcopum: Lator præſentium ſua nobis

nobis insinuatione monstrauit, quòd cum quádam mulierem legitimè desponsasset, & carnalis esset copula subsecuta, inter eos scandalum est subortum, cuius occasione debitum ei subtraxit. Consanguinei uerò mulieris hoc molestum habentes, quæstionem mouerunt, proponẽtes, quòd mulierem inuitam & renitentem, nec ætatis aptæ matrimonio existentem duxisset uxorem: & quoniam idem cupiebat uitam agere dissolutam, demum utriusq; studio interueniente, fuerunt minus rationabiliter separati. Nolentes igitur matrimonia canonicè contracta, leuitate quadam dissolui, mandamus, quatenus si uobis constiterit, eos per iudicium Ecclesiæ non fuisse legitimè separatos, Ecclesiamque deceptam, ipsos faciatis sicut uirum & uxorem in simul permanere. lib.2.tit.27.cap.7. Virum uxorem sine iudicio Ecclesiæ dimittere nõ posse nec debere, Alexander tertius statuit, lib.4.tit.19. c.3. Porrò. Otto Bambergensis Pomeranis interdixit, ne quis cognatam suam usque in sextam & septimam generationem uxorem ducat. Vrspergensis.

Monasteria, templa, scholas gubernabãt & uisitabant. Anno 1101 Ioannes Morinorum episcopus per omnia laudabilis, sacerdotes ambitiosos & auaros propter eorũ simoniam atque alia uicia expulit ex oppido Hyprensi, rogatuq; ciuium Gerhardum quendam spectatæ uitæ sacerdotem, diuorum Martini & Petri ecclesijs præposuit: qui statim extructo in pratis cœnobio, sodales sibi asciuit, qui iuxta regulã diui Augustini uiuerent, doctrinisque Euangelicis populum imbuerent. Chronicon Flandriç. Idem episcopus, adiuuantibus eum Bertiniacensi abbate, & Balduino principe Flandrorum, Blandiniense monasterium reformauit, anno 1117. Et Alexander ac Hadrianus Romani pontifices, in Milonis Morinorum episcopi eiusq; successorum potestatem tradiderunt omnia monasteria collegiaq; sacerdotum suæ diœcesis. Ibidem. Parochiæ suæ Ecclesias Vicelinum Aldenburgensem episcopum uisitasse, Helmoldus cap.70. de Sclauis indicat. Idem & Geroldus magna fide præstitit. Idem cap. 95. Ex archidiaconatus uisitatione sibi redeunti, in monasterio Vuallengefort denegatum hospitium, queritur Petrus Blesensis epistola 22.

Bono exemplo præibant. Andeganẽsem enim episcopum Hildebertus, in quadam epistola exemplar Christianæ religionis uocat.

In delinquentes sacerdotes, in terrorem alijs, grauius nonnunquam animaduertebant. Nam in episcopos, qui suum transgresßi sunt iuramentum, tanto grauius uindicandũ esse statuit Vrbanus tertius, quanto maiori præeminent dignitate, & eorum exemplo facilius alij poterant ad similia prouocari. In epistola ad archiepiscopũ Pisanum lib.2.tit.24.c.12. Cum quidam. Clericum in quocunq; ordine constitutũ, furto, homicidio, periurio, seu alio crimine infamem, ab Ecclesiastico iudice deponendum: si incorrigibilis fuerit, excõmunicandum: deniq; si contumax fuerit, per politicum magistratum uel exilio, uel alia legitima pœna cohercendum, statuit Celestinus tertius lib.2.tit.1. c. 10. Cum non ab homine. Presbyterum ebriosum, non pręmissa dormitione, Missam celebrantem, suo officio priuandum censet Alexander tertius libro 5. Decretalium, tit.1. c. 12. Si constiterit.

Principes sui officij commonefaciebant. Terræ sanctæ principes ad concordiã mutuò alendam hortatur Vrbanus tertius põtifex. Stella. Imperator Manuel Comnenus à Theodosio patriarcha monebatur, ut pro paterna pietate reipublicæ curam, integris adhuc sensibus, maturè susciperet, & curatorem fidelem filij successoris impuberis adhuc, & Imperatricis quæreret. Nicetas lib. 7. rerum à Manuele gestarum.

Ab iniustis conatibus eos dehortabantur. Inter Bohemundum Antiochenum principem, & Ioscelinum Edissanum comitem, ad arma conclamantes, medium se cũ Balduino rege interponit Bernhardus Antiochenus patriarcha, pacemq; sancit. Tyrius lib. 13. cap. 22. Fulcherus patriarcha Hierosolymitanus Balduinum regem, ne matri malum inferat, dehortatur grauiter. Tyrius lib.17. cap.14. Heinricum secundum Angliæ regem, sacerdotes minus idoneos Ecclesijs præficientem, omnemq; sacerdotalis ordinis dignitatem frangentẽ, amicè primùm conuenit: sed cum minus perficeret, publicè redarguit. Thomas Cantuariensis, Polydorus Vergilius libro 13. de Anglis. Gedeon Cracouiensis episcopus, mixtis cum grauitate blanditijs Miecislaũ orat, ut omissa tyrannide, more maiorum suorum regnet. Cromerus lib. 6. Petrus Blesensis Anglorum regis filium, ne quid temerè contra patrem moueat, hortatur, epistola 20. & ipsi reginæ, ut ad regem, quẽ deseruerat, redeat, autor est, epistola 21.

Iniustis postulatis & monitionibus resistebant. Theodosius Constantinopolitanus patriarcha, & Eustathius Thessalonicæ archiepiscopus, grauiter Manueli Imperatori, pro Mahumeto decreta condenti, re-

ti, refragantur: ut Nicetas lib.7. de gestis Manuelis annotat.

Coronabāt reges. Daibertus enim Hierosolymitanus patriarcha, Balduinum regē in Bethlehemitica ecclesia, astantib. clero & populo ecclesiarūq; prælatis, cōsecrat. Tyrius lib.10. cap.9. de Bello sacro. Balduinū tertiū Hierosolymis inaugurat Vuilhelmus. Ibidem lib. 16. cap. 3. A' Niceta Chonarum episcopo Manuel Comnenus diademate Chonis redimitur, & archangeli ædem ibi ingressus, faustam ab eo comprecationem accipit. Nicetas lib. 7. de rebus Manuelis. Ludouicū, Ludouici Franci regis filium pium & modestum, Remis Innocentius secundus regē consecrat: teste Annonio lib.5.cap.52. de Francis. Heinricus Normannorū dux, anno 1155, 13 calēd. Decembris Vuestmonasterij in regē Angliæ ungitur à Theobaldo Cantuariensi. Adfuerunt huic actioni omnes totius Anglici regni archiepiscopi & episcopi. Huius filium Heinricum anno 1171 Rogerius Eboracensis consecrat. Sigeberti Continuator. Philippum Ludouici filiū inungit Remis Vuilhelmus archiepiscopus, suffraganeis astantibus, anno 1180. Idem.

Pacem inter dissidentes tentabant. Pisanos enim & Genuenses Innocentius cōciliat. Platina. Tarentasiensem archiepiscopum apud Caluum montem, qui est in confinio Franciæ & Normanniæ, inter Angliæ & Franciæ reges lites cōposuisse, narrat Vincētius lib.29.cap.13. Pacis mediatores inter Fridericum primum & Mediolanenses delecti sunt Leopoldus Austriæ dux, Fridericus Coloniensis, Eberhardus Bambergensis episcopi, Otto comes palatinus, Reinaldus cancellarius: horum procerum tractatu & compositione Mediolanenses iussi sunt colla sua Imperatori submittere. Historia Bambergensis. Sbigneus fratri Boleslao, Polonorū principi, per Balduinum Cracouiensem episcopum & Russorum ducem reconciliatur. Cromerus libro 5. de Polonis. Fridericum & Conradum duces, Bambergæ Lotharius Imperator, intercedente Bernhardo Clareuallensi, in gratiam recipit. Otto Frisingensis lib.7.cap.19. Ano 1144, mediante eodem abbate, simultas, quæ inter Ludouicum regem & Theobaldum comitem erat, sopitur. Sigeberti Continuator. Autoritate Theodosij Constantinopolitani patriarchæ, pax inter Cæsarissam & Protosebastū post longam disceptationem restituitur. Nicetas.

Coniuges erant. Tempore enim Heinrici secundi regis Anglorum, plures erant eruditi sacerdotes in Anglia, qui uxores & proles habebant. In Deuoniæ prouincia Elphegus Plyntonius Ceddam filium in suo sacerdotio Plimuthi successorem reliquit. Alnodus Dunprestus in eadem prouincia Robertum filium habuit, & Robertus Guilhelmum, qui in eadem functione inuicē successerunt. In Nordoualgia Vuulkerellus presbyter Guilhelmo filio, ut legitimo hæredi, sacerdotium de Dyssa reliquit. Hugo Houuetus Saresburiensis, Iohannes Excestriensis, & Oliuerius de Notingham genitoribus suis, Alexandro tertio Romano pontifice consentiente, in sacerdotijs etiam successerunt. Balæus Scriptorum Britanniæ Centuria tertia, cap.10. in appendice.

Ricardus abbas opulentissimi cœnobij cuiusdam in insula Ely, consentientibus Heinrico rege & Lincolniensi episcopo, in sedem episcopalem illud commutauit, eique Cantabrigensem comitatum acquisiuit. Quod factum Paschalis secundus Romana autoritate comprobauit. Polydorus Vergilius libro undecimo de Rebus gestis Anglorum.

PECCATA GVBERNATORUM *Ecclesiæ.*

Ex una sede in aliam commigrabant. Conradus enim Saltzburgensis, cupiditate fortè maioris dignitatis, ad Moguntinam sedem transit. Vrspergensis. Vuilhelmus archiepiscopus Senonensis, & episcopus Carnotensis, anno 1177 Remensem archiepiscopatum conscendit. Sigeberti Continuator.

Negligebant officium docendi. Prælatorum enim Leodiensium feruor regularis, tempore Alberonis episcopi cœpit tepescere, & similiter deuotio subditorum, & studebant omnes auaritiæ. Vnde ciues copulabant filias suas clericis matrimoniali fœdere, sicut & laicis: ut in Catalogo Tungrensiū episcoporum scribitur. Hartuicus Reginoburgensis episcopus æs Ecclesiasticum dilapidare, canes, equos, uenatores alere, pauperum curam nullam habere, populum non docere, neque literis operam dare, adulteros, assentatores, propinquos ditare solebat. Auentinus libro 6. Et Hugo de S. Victore ita de clericorum perditissima uita scribit: Clerici nostris temporibus legem nesciunt, neq; discunt, sed uanitates: ocio, comessationibus, ebrietatibus student, terrena capiunt: assiduè in plateis, rarò in ecclesijs: tardi ad inuestigandum culpā peccatorū, parati ad insequēda uestigia leporū: ueslociores sunt ad congregandum canes, quàm ad conuocandum pauperes: citius porrigunt panem canibus, quàm pauperibus: citius extendunt

dunt manum ad taxillum, quàm ad Missæ librum. Ii sunt, quorum thalamus ornatior quàm altaria, scyphus pulchrior calice, equus carior quàm Missale, mappa pulchrior casula, camisia delicatior quàm alba: imò quod horrendum est dicere & nefarium, femoralia pulchriora quàm corporalia. Item Augustinus: Plus placet Deo latratus canũ, & rugitus boum, grunnitus pecorum, quàm clericorum cantus, lasciuè & luxuriosè cantantium, ut placeant amasijs suis. Videte quam iniuriam faciunt hi in templo Dei. Faciunt enim ex eo tabernam & domum tripudij, ubi solent lasciui cantus exerceri. Item: Restat ut prædicatio eius contemnatur, cuius uita despicitur. Catalogus testium ueritatis. Item: Multæ sunt turbæ in Christum credentium, multi cœtus in cœnobijs, siue xenodochijs, sub sacra professione degentium: sed in multitudine horum pauci sunt qui operantur, id est, qui ad illum peruenerint profectum, ut eis securè cura uel prouidentia committi possit infirmorum. Rupertus Tuitiensis libro octauo in Matth. cap. 9. Et ad quendam prælatum Petrus Blesensis scribit: Certissimè noueritis, domino papæ fuisse suggestum, quòd neglecta uobis commissi populi cura, & abiecta omni grauitate pontificis, uitam uestram canum uenationi totam impenditis, nec temperat in uobis senectus maturior delicatæ pruriginem leuitatis. Non decet, amantissime pater, uirum octogenarium talibus se immiscere. epistola 65. Idem clericos accipitres & falcones alẽtes grauiter redarguit, cum non auium, sed ouium curam susceperint. epistola 67.

Curiosis aut impijs studijs erant dediti. Petrus Tyri episcopus lignum regio præfert exercitui ad prælium eunti. Tyrius libro 18. capite 21. Thetmarus relicto, quod in Bremensi sustinebat ecclesia, officio (decanus enim erat) in Falderensi cœnobio sanctitatis quadam opinione, monachum induit. Helmoldus capite 59 in Sclauorum Chronico. Fridericus Imperator Italico bello implicitus, regni administrationem interea Eberhardo Bambergensi demandauit, qui, ut Radeuicus loquitur, uenientes & negocia habentes audiret, causasque eorum diligenti examine terminaret. libro 4. capite 33. Malachias Armachanus aqua lustrali prodigia multa fecit, & nouam religionem plantauit, propagauit, fouit, monachos ordinauit, mulieres unxit, & curiosa ædificia illis posuit. In Missa suum diaconum pollutum nouit, ac super caput crucifixi columbam candidam uidit. Cœmiterium Patricij per noctem circumiuit: sed ægrè ferebat, metropolis pallio ad mortem usque se caruisse. Promittit tamen, post suam mortem futurum se esse pro Cisterciensibus monachis aduocatum. Intolerabiles in his sunt blasphemiæ. Hæc omnia D. Bernhardus collegit, ab abbate Congano, & alijs Hyberniæ monachis edoctus. Balæus Centuria 14. capite 85 in appendice. Thomas Cantuariensis Mariam inuocabat, ut integritati fauere uideretur, & Thomam Apostolum: quia in eius die in lucem primùm prodierat. Matth. Parisiensis. Anno 1147, tertio idus Iulij corpus sancti Heinrici Eberhardus Bambergensis episcopus transtulit, magna adhibita solennitate, Eberhardo archiepiscopo Saltzburgensi, & Hermanno episcopo Brixiense præsentibus, suamque autoritatem interponentibus. Historia Bambergensis. Ad Coloniensem episcopum in hunc modum scribit Ecbertus Treuerensis monachus: Multi sapientes secundum carnem, multi nobiles, multi potentes in cathedra illa te antecesserunt: sed non in pluribus eorum beneplacitum erat Domino. Erant enim homines amantes seipsos, & non apposuerunt cor suum, ut iuxta debitum officij sui magnificarent coram hominibus eum, à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Indulgere autem carni, deliciosè ociari, pompaticè incedere, quæstui intendere, magnificare parentes: hoc illis erat episcopari. Monumenta sui quidem ex eis, ne nihil fecisse uiderentur, reliquerunt in rupibus, siue in turribus ad ocium electis, structuras lapidum modicæ utilitatis, aut concupiscibiles formas celijs & penicillis curiosè laborantes. Beatius autem illis erat, ab ijs lapidibus, qui ædificio congruunt supernæ ciuitatis, testimonium sibi conquisisse pietatis & religionis, ut cum defecissent, recipere eos possent in æterna tabernacula. Melius, melius episcópari te opto, ô inclyte dierum istorum. feliciter, ut dicunt, incedis, utinam bene. Non enim omne quod feliciter, bene. Felicitas mundi porrexit manum tibi, & amplexata est te, & inijsti fœdus cum ea. Catalogus testium ueritatis.

Ceremonijs nimium uacabant. Altaria enim consecrant Albertus Moguntinus, Siphardus Blasensis, alijque: ut ex Mariani Scoti appendice liquet. Plures episcopi ad consecrationem cœnobij Pegouiensis confluunt: ut in Chronico Mersburgensi cap. 18 annotatur. Sed de his alibi diximus.

Superstitiones augebant. S. Iohannis mona-

monasterium extruxit, & Benedictinis monachis repleuit Heinricus Lubecensis episcopus. Chronicon Holsatiæ. Ottho Bambergensis sancti Michaelis cœnobium cum paradiso, ac uniuersis claustri ædificijs, cum uicina basilica, & sancti Bartholomæi oratorio condidit, & muro uestiuit. Chronicon Bambergense. Ac testatur eius autor, sępe obiectum esse Otthoni, multa templa & monasteria extruenti, quòd tanto monasteriorum numero, quæ fucis, ignauo pecore, referta essent, nimium grauentur laici. Ac Hugo Turonensis in itinere Romano morbo correptus adeò, ut de uita periclitaretur, ex superstitione monachum induit. Cum uerò conualuisset, ad Ecclesiæ suæ regimen deposita cuculla prius redire noluit, quàm Romanus Innocentius consentiret. Petrus Cluniacensis libro 5. epistola 9. Præterea cœnobia passim uel ab episcopis ipsis, uel eorum impulsu ab alijs extructa, tantùm superstitionum officinæ extiterunt.

Monasteria, templa consecrabant. Nouumburgum cœnobium, anno 1134 ab archiepiscopo Cunrado Salisburgensi, Reginario Batauiensi, & Romano Gurcensi episcopis consecratum, Lothario imperante: quod dehinc pontifices Romani, Innocentius secundus anno Christi 1132, Eugenius tertius anno 1140, Vrbanus tertius anno 1187 multis immunitatibus, priuilegijs & libertatibus donarunt, & sub anathematis pœna, ne huic cœnobio uis ulla inferatur, religiosissimè cauerunt. Iohannes Cuspinianus in Austria. Ottho Frisingensis & Albertus Misinensis sacellum quoddam, à Conrado Imperatore extructum non procul à Colonia, sacris initiarunt. Otto Frisingensis libro primo, capite 62 de gestis Friderici. Rothrodus archiepiscopus Rothomagensis, Heinricus Baiocensis, Richardus Abrincensis, Egidius Ebroicensis, Becci ecclesiam dedicarunt, anno 1178. Sigeberti Continuator. Ottho Bambergicus in Vvesero cœnobio aram sacris initiauit, anno 1138, 19 calend. Nouembris. Irenicus libro tertio Exeg. capite 114. Vuormaciensem ecclesiam à Brunone Treuerensi, Eberhardo Eichstatensi, Albuino Mersburgico, & Bugone Vuormaciensi sacrificulis consecratur, anno 1118, 3 idus Iulij. Irenicus. Templum Bergensis cœnobi apud Flandros à Milone Morinensi, Aluiso Atrebatensi, Simone Nouiomagensi consecratur. Chron. Flandriæ.

Vitam monasticam nimium prædicabant & magnificiebant. Nam Petrus Blesensis in epistola, qua amicum hortatur, ut claustrum intret, ait: Rogo te frater, aggredere & ingredere uiam uitæ, qui per uias mortis hactenus ambulasti. Vides quia non est nisi contritio & infelicitas in uijs nostris, & quicquid est sub sole, labor est & afflictio: spiritus uitæ præsentis excursus, fumus & uapor est ad modicum apparens. Scio quia parentes tui te retrahunt à proposito meliori. Non differat quæso, non euacuet propositum tuum proditoria & seductrix affectio parentelæ: noli eos diligere contra Christum, quos teneris odio habere pro Christo. Multi pro parentibus suis animas perdiderunt, quorum occasione mundus, qui in eis aruerat, denuò reuixit, atque diuitias & cætera impedimenta salutis, quibus se exonerauerant, affectant, &c. Impius est, qui animæ suæ pro suis parentibus est crudelis, maioremque temeritatem nemo habet, ut animam suam ita periculosè ponat quis pro amicis suis. Tu qui elegisti habitare humilis, abiectus esse in domo Domini, quomodo iterum in his, quæ in æternæ confusionis uergunt præiudicium, gloriaris? Gloria mundi fallax est & seductoria, decipit amatores suos. Quicquid enim uel in futurum promittit, uel in præsenti prætendit, totum ad nihilum deueniet, tanquam aqua decurrens. Non consentias carni fatuæ, quæ & te pariter trahit in laqueum gehennalem. epistola 9.

Visiones etiam & somnia magnifaciebant. Rupertus Tuitiensis libro duodecimo in Matthæum, capite 26 aliquot uisiones & somnia recenset, ex quibus tum ineffabilem suauitatis gustum perceperit, tum ad scribendi ministerium excitatum, deque uitæ curriculo, quod sibi supersit, admonitum.

Reliquias nimium uenerabantur. Bernhardus Antiochenus ligno crucis milites contra hostes armat. Quod Cæsariensis archiepiscopus Hierosolymam iterum deferens, magno cleri & populi tripudio excipitur. Tyrius libro duodecimo, capite duodecimo. Bethlehemitanus episcopus sacris militibus lac B. uirginis Mariæ in pixide præfert. Sigeberti Continuator. Mauricius Parisiorum pontifex particulam sacræ spineæ coronæ & sacrum clauum ad corpus Ludouici trimuli, Francorum regis filij grauiter decumbentis, admouet, quorum beneficio pristinæ sanitati restitutus creditur. Aemylius libro sexto de Francis. Magorum corpora à Reinaldo archiepiscopo Coloniam translata esse, anno 1162, in Bambergensi Chronico scribitur: de quibus ipse archiepi-

ſcopus præpoſito, decano & uniuerſo clero eiuſmodi ex Italia ſcribit literas: Benigna domini noſtri sereniſsimi Imperatoris accepta licentia, cum gratia & dilectionis eius plenitudine ab ipſo gaudenter dimiſsi, & egregijs ac tantis donis, quorum nulla in terrenis eſſe poteſt æſtimatio excellentior, ſumus honorati. Inter cætera enim liberalitatis ſuæ beneficia, quæ in nos affluentiſsimè contulit, nunc tria nobis munera donauit precioſiſsima, uidelicet corpora inſignia beatiſsimorum trium magorum ac regum, qui primitiæ gentium in typum ac præſagium futuræ ex gentibus Eccleſiæ, iacenti adhuc Chriſto in præſepi munera precioſa obtulerunt: quorum uidelicet nobiliſsima corpora, omnique ueneratione digniſsima, Mediolani in eccleſia beati Euſtorgij confeſſoris atque pontificis ſolenniter & glorioſè fuêre recondita. Inſuper etiam, Domino præduce, ad uos perferemus corpora ſanctiſsimorum martyrum Naboris & Felicis, ut inæſtimabili & incomparabili hoc theſauro ſuper aurum omnemque lapidem precioſum diligendo, ſanctiſsima eccleſia ciuitasque Colonienſis feliciſsimè ditetur, ac perpetualiter decoretur. Nos ſiquidem, quia nobis ſuſpecta eſt uia per inimicos ueſtros ac noſtros, iter noſtrum per Burgundiam ac Gallias uſque ad uos diſpoſuimus, præſentemque nuncium à Vercellenſi ciuitate ſecundo idus Iunij præmiſimus, eo die uerſus Taurinum & uerſus alpes montis Ciniſij cum prædictis ſanctiſsimis & uenerabilibus reliquijs celerrimè procedentes. Ideoque ſynceriſsimam ueſtram dilectionem intimè rogamus & commonemus in Domino, quatenus ad condignam tantorum munerum ſuſceptionem ea quæ noſtis, & ea quam de uobis confidimus, deuotione ac ſolennitate præparemini.

Veras ſententias damnabant. Circa annum Domini 1120 Tanchelinus quidam Antuerpiæ & alibi prædicabat, ſacerdotium papiſticum nihil eſſe, neque eorum ſacrificia cuiquam prodeſſe. Ei tunc reſtitit Scripturis miſerè detortis Norbertus Præmonſtratenſium magiſter, cœnobiumque in eadem urbe condidit, ut illinc ſemper adeſſent, qui illam doctrinam ſuo more profligarent. Balæus Scriptorum Britanniæ Centuria ſecunda, capite quinquageſimoſexto in appendice. Plura eius rei exempla quintum caput ſuppeditat.

Ad fidem homines ui cogebant. Liuonienſes enim Bertholdum epiſcopum, cùm armis religionem ipſis implantare uellet, occidunt. Cranzius.

Miſsificabant. Facta enim tranſactione inter Heinricum quintum & Calixtum papam, Oſtienſis epiſcopus Miſſam celebrat. Hedio. Vicelinum ſacerdotem Buzouij nouiſsimum Domino ſacrificium obtuliſſe, narrat Helmoldus capite ſeptuageſimoſexto.

Excommunicatione uariè abutebantur. Aut uindictæ gratia eam uſurpabant. Nam Paſchalis Romana ſede potitus, non ſolùm ipſe excommunicationis fulmen in Heinricum quartum, anteceſſorum exemplo miſit: ſed cũctis ſuo ſubiectis dominio epiſcopis, ut idem faciant, autor fuit. Helmoldus capite trigeſimoſecundo. Idem pontifex & Heinricum quintum, cum ipſi ſubeſſe detrectaret, eodem fulmine petit: ut apud eundem capite quadrageſimoprimo uidere eſt. Annacletum antipapam Innocentius bis terúe excommunicat. Platina, Sigeberti Continuator, Otto Friſingenſis libro ſeptimo capite uigeſimotertio. In Oderiſium Caſsinenſem abbatem, cum Romam à papa Honorio uocatus uenire recuſaret, eo quòd ipſum contra ſe commotum ſciret, quinta Quadrageſimæ hedomade depoſitionis ſententia promulgatur: at cum dignitate abdicare ſe nollet, excommunicatur à pontifice. Chrõ. Caſs. libro quarto, capite nonageſimo. Alexander tertius Fridericum Imperatorem, qui Octauianũ antipapam deſignaſſet, excommunicatione ferit, ac per uniuerſum orbem literis miſsis hoc publicat. Syluius. Hildebertus Cenomanenſis epiſcopus autor eſt Sagienſi epiſcopo, ut ſuum perſecutorem anathemate feriat. In epiſtola.

Aut innocẽtes excommunicabant. Quicunque enim à laicali manu epiſcopatum aut aliam Eccleſiaſtici iuris inueſtituram accipiebant, excommunicabantur. Sigebertus ſub anno 1111. Matthæo Theodorici principis Flandriæ filio propter Mariam abbatiſſam Rummeſienſis cœnobij, Stephani Anglorum regis filiam, in uxorem ductam, aqua & igni interdicitur à Samſone Remorum præſule: ſed Maria in monaſterium, poſtquam duas ex ea progenuiſſet filias, remiſſa, interdictum ceſſauit, & aperta ob hoc quæ clauſa erãt templa. Chronicon Flandr.

Matrimonia pro arbitrio diſſoluebant aut iungebant. Indulgentia enim Romani Paſchalis Boleslauus Polonus Michaelis Kiouienſium principis filiam uxorem duxit, ne propter intercedentem cognationem inceſtæ eæ eſſent nuptiæ. Cromerus lib. 5. Galliæ quidã epiſcopi Ludouicum & Elienoram, poſtquam duas ex coniugio ſuſcepiſſent filias, improbè diuellunt.

Aemylius

Aemylius libro quinto. Fridericus Barbarossa cum Adila, iudicio Constantiensis ecclesiæ, ob sanguinis propinquitatem diuortium facere cogitur. Iacobus de Strada. Anno 1142 Radulphus comes uxorem suam dimittit, & sororem reginæ Petronillam ducit. Propter quod instantia comitis Theobaldi mittitur Romanę sedis Iuo legatus, qui & Radulphum comitem excommunicauit, & episcopos, Laudunensem Bartholomæum, Nouiomensem Simonem, & Petrum Siluanectensem, qui diuortium illud fecerant, suspendit. Continuator Sigeberti. In casu matrimoniali, quem Andronicus concilio Constantinopolitano proposuerat, maiorem partem in sententiæ promulgatione uicisse meliorem, incæstasque nuptias comprobasse, testatur Nicetas sub imperio Alexij Comneni. Amalricus patriarcha Hierosolymitanus, cum Iohanne cardinale Romano legato, Amalricum regem inungendum coniugem suam, ex qua geminam iam susceperat prolem, deserere cogunt, quòd quarto sanguinis gradu ei cohabitare prohiberetur. Tyrius lib. decimonono, cap. 4.

Cœlibatum urserunt. Nam præter coniugis legitimæ consuetudinem, etiam concubinarum usum sub anathematis pœna clericis interdixit Alexander tertius, libro tertio, tit. 2. cap. 3. 4. 5. 6. Diaconum & subdiaconum matrimonium contrahere idem uetat, in epistola ad Remensem archiepiscopum: De diacono, inquiens, qui in sabbato sancto alium diaconum uulnerauit, & uxorem accepit, hoc prudentiæ tuæ respondeo, quòd si contrito & humiliato corde ad ecclesiam redire uoluerit, dimissa illa, quam accepit uxorem, & absolutione obtenta, iniuncta sibi pœnitentia de utroque excessu, post eam peractam dispensatiuè poteris ei diaconatus officium reddere: & si perfectæ uitæ & conuersationis fuerit, eum in presbyterum ordinare. Subdiaconum autem siue hominem interfecerit, siue non, matrimonium non posse contrahere, sacrorum Canonũ censura demonstrat. libro quarto, titulo sexto, capitulo primo: De diacono. Et ad Cenomanensem episcopum: Ex literarum tuarum tenore accepimus, quòd lator præsentium in subdiaconatus officio constitutus, quandam sibi coniugem copulauit: quam eundem abiurare fecisti. Super quo prudentiam tuam in Domino commendamus, mandantes, quatenus si ad monasticum ordinem transire uoluerit, & tibi post laudabilem conuersationem ipsius uisum fuerit, eum ad maiores ordines promoueri concedas: quòd si ad religionem se transferre noluerit, eum neque in subdiaconatu ministrare, neque ad ulteriores permittas ordines promoueri: in minoribus tamen ordinibus poterit ministrare. Ibidem capite secundo: Ex literarum. Et capite tertio ad Vigorniensem episcopum scribit: Si quisquam qui se religioni deuouit, & habitu suscepto professionem fecit, post modum sibi aliquam copulauerit, est cogendus ab ea recedere: & ad ecclesiam, cui se contulit, sine cõtradictione transire. En Romanum pontificem, ipsissimum Antichristum, coniugium prohibentem.

Iurisdictionem politicam administrabant, & in facinorosos ciuiliter animaduertebant, ut ex tertij Alexandri epistola ad Panormitanum archiepiscopum uidere est: In archiepiscopatu tuo, quanquam Saraceni mulieres Christianas & pueros rapiunt, & eis abuti præsumunt, & quosdam etiam interdum occidere non uerentur: cum autem excessus huiusmodi rex Siciliæ tibi & alijs episcopis commiserit puniendos, consulimus t. t. r. quòd tales in iurisdictione tua existentes, pecuniaria poteris pœna mulctare, & etiam flagellis afficere: ea moderatione adhibita, quòd flagella in uindictam sanguinis transire minimè uideantur. Si uerò ita fuerit grauis excessus, quòd mortem uel detruncationem membrorum debeant sustinere, uindictam reserues regiæ potestati. lib. 5. Decretaliũ, tit. decimoseptimo, capite quarto: In archiepiscopatu. Hildebertus Cenomanensis episcopum quendam obiurgat, quòd furem supplicio affecerat iuxta curiæ censuram. Non enim ad Ecclesiasticam disciplinam hoc pertinere, asserit in epistola trigesima. Et ad quendam episcopum in hunc modum Petrus Blesensis scribit: Tuæ opinionis nomen enormiter grauas, quòd causas sanguinis agis, quòd abiecta Ecclesiarum solicitudine, negocijs secularibus te totum occupas & inuoluis. Veruntamen tui professio ordinis nec seculi curas, nec sæuitiam gladij materialis admittit. epistola septuagesimasecunda. Orientalis Franciæ ducatum antiqua regũ cõstitutione Vuirtzburgẽsi episcopo competere, Vrspergensis testatur. Heinricum Saxonem in comitijs Reginoburgi celebratis, præter politicos uiros, infinitus ferè episcoporum numerus læsæ maiestatis rerum damnant. Auentinus libro sexto Annalium. Fridericus Imperator exercitum suum in Saxoniam ducens, contra Heinricum Leonem Philippo Coloniensi archiepiscopo Brunsuicum tutandum commisit. Cranzius li-

bro sexto, capite quadragesimosecũdo Saxoniæ. Otto Boiorum dux, qui obijt anno 1183, filio Ludouico puerulo Conradum Salisburgensem atque Moguntinum, fratres suos ex testamento tutores dedit, qui summa prudentia Boioariam administrarũt. Idem lib. 7. Heinricus sextus Ottocaro Bohemo, quòd Alberto à Bogen auxiliũ tulisset, ducatu submoto, Bohemiam Bizetislao siue Heinrico Pragensi pontifici cõmittit. Ibidem, Syluius Bohemicæ historiæ cap. 26. Gualterus Rotomagensis, Ricardo Angliæ rege in Palęstina commorante, primus fit iustitiariorum, ut uocant, & cancellarius. Balæus Centuria 3. cap. 41. Idem rex de regni statu confirmando prouidere magnopere curans, præfecit parti Angliæ, quæ ad Scotiam pertinet, Hugonem Dunelmensem episcopum. Reliquam partem regni administrandam commisit Guilhelmo Longeshampe Elyensi antistiti, quem regni concellarium fecerat. Polydorus Vergilius libro decimoquarto historiæ Anglicæ. Mortuo apud Polonos Cazimiro, filius Fulconis Cracouiensis pręsulis autoritate Lesco regnum defertur: ipse cum fratre palatino Cracouiensi tutor & gubernator principis adhuc pueri & matris eius Helenæ ordinatur. Cromerus libro septimo de rebus Polonorum. Rotrocus Ebroicensis episcopus & Rayualdus de S. Valerico in Normanniam missi sunt, ut iussu regis per episcopatus, regales reditus & consuetudines ad regem & ad barones pertinentes explorent, anno 1164. Continuator Sigeberti. Inter Milonem episcopum Remorum, & Theodoricum principem Flandriæ conuenisse lego, ut ex Flandricis, qui cis Fossam nouam incolebant, nemo Taruannam ad episcopi tribunal in ius uocaretur, dummodo decanorum suorum stare uellet decretis. Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ.

Sequebantur aulas. Non est equidem nouum, inquit Petrus Blesensis, quòd regum consilijs intersunt episcopi. Sicut enim honestate & sapientia cæteros antecedunt, sic expeditiores & efficaciores in Reipublicæ administratione cẽsentur. Scriptum est: Beata terra cuius rex senex est, & cuius principes uescuntur tempore suo. In quo notatur, eos consilio regum debere insistere, qui sciant, & uelint, & possint patientibus compati, parati terræ & populi saluti prospicere, ad iusticiam erudire reges, imminentibus occursare periculis, uitæ maturioris exemplis informare subditos, & quadam autoritate potestatiua præsumptionem malignantium prohibere. Et paulo pòst: Vnum noueritis, quia nisi familiares & consiliarij regis essent præfati episcopi, supra dorsum Ecclesiæ fabricarent peccatores, immaniter & intolerabiliter opprimeret clerum præsumptio laicalis. Nunc autem si quid in Ecclesiæ attentatur iniuriam, autoritate pontificali corripitur. Aut si adhuc Ecclesiastica censura non sufficit, spiritualis gladij defectus ciuili impletur, ad eorum arbitriũ principalis animaduersio exercetur. Si quãdoq;, ut fieri solet, aduersus insontes regis indignatio uehementius excandescit, episcoporum precibus temperatur, istis mediantibus mansuescit circa simplices iudiciarius rigor, admittitur clamor pauperum, Ecclesiarum dignitas erigitur, releuatur pauperum indigẽtia, firmatur in clero libertas, pax in populis, in monasterijs quies, iusticia liberè exercetur, superbia deprimitur, augetur laicorũ deuotio, religio fouetur, dirigũtur iudicia, leges seruantur, decreta Romana uim obtinẽt, & possessiones Ecclesiasticæ dilatãtur. Isti singulis pręcipuis solẽnitatibus suis intersunt ecclesijs, ubi eleemosynarum largitione, cõsolatione pupillorum ac uiduarũ, subiectorũ correctione, atq; alijs operibus sanctitatis redimunt dies quos in curia cõsumpserunt. Porrò archiepiscopi & episcopi, qui in curia regis Siciliæ cõuersantur, per septẽniũ uel decẽniũ de curia nõ recedũt: nec refert, ueniãt, an discesserint, quantũ ad Ecclesiarũ possessionũ custodiã, uel quantũ ad regimẽ animarũ. Ab hac equidem curialitate nostros quãdoq; uoluimus episcopos cohibere: sed cõsilio & prudẽtibus uiris uisa est expediẽs eorũ cohabitatio circa regẽ: quos si extraheremus à familiaritate illius, subtraheremus quietẽ populis, oppressis solatiũ, monasterijs libertatẽ, uidelicet propter incõmoditates, quas uarias ibi sustinẽt, ut desiderio desiderẽt egredi: publicæ tamen utilitatis obtentu communi fratrum nostrorum consilio non solùm in hac uita castrensi tolerari, sed ad eam trahi debuerant, & compelli. epistola quadragesimatertia ad Romanũ papam. Herbertum Nordouicensem & Robertum Lichefeldensem episcopos Heinricus rex in consilio habebat. Polydorus Vergilius libro undecimo Anglicæ historiæ. Plures archiepiscopos & episcopos recenset Radeuicus lib. 4. capite tertio de gestis Friderici, qui conuentui ad Roncaliam Italiæ ciuitatem interfuerunt.

Fidem Imperatoribus non seruabant, ac contra eosdem non rarò seditiosi erant, ac deniq; omnis politici magistratus fastuosi erãt cõtẽptores & oppressores. Eius rei infinita

finita ferè suppeditant historiæ exempla. Heinricus quartus Moguntinum, Coloniensem & Vuormatiensem episcopos, cum ad se uenirent non petitum, sed per uim ut auferant regalia, in faciem redarguit, quòd beneficiorum, fidei & iuramenti immemores sint: ut ex 32 capite Helmoldi patet. Albertus Moguntinus autor est conspirationis contra Heinricum quintum: ut idem capite quadragesimoprimo indicat. Eiusdem præsulis apud Vrspergensem extat encomium, Romani antichristi mãcipio haud indignum, quòd adscribimus: Longum est, inquit, præsulis Moguntini machinamenta contra regis fideles, eorumque aduersus illum insidiosas discursiones enarrare, seditiones nonnullorum urbanorum describere, ciuitates aliquas suis præsulibus per has pestes obortas, munitiones locis insolitis constructas, castella quamplurima inuicem destructa, regiones præda flammaque uastatas, congressiones & cædes mutuas, ab utriusque partis equitibus factas, oppresiones pauperum & peregrinorum, atque captiuitates more barbarico à Christianis in Christianos exercitas, multaque id genus literis tradere. Nam neque pax Dei, cæteraque Sacramentis firmata pacta custodiuntur: sed uniuscuiusque conditionis & ætatis, præter solos Ecclesiasticæ professionis homines, quibus iam penè nihil præter miseram restat animam, cæteri, inquã, hoc tempore beluino furore bacchantur. Et de Vuilhelmo Cantuariensi & Rogero Salisberiensi episcopis Ioãnes Maior inquit: Sanè instabiles & improbos hos sacerdotes censeo, qui regis Anglorum ex sorore nepotem, eius propriæ filiæ Mathildi, in cuius etiam fidem ipsi iurauerant, præferebant, hoc sine particulari commodo non attentassent, quocirca iurisiurandi præstiti inutiles uiolatores erant. lib. 3. de gestis Scotorum, capite 1. Thomas Cantuariensis cum concessisset leges regias, & eas obseruare iuramento firmasset, ad se reuersus facti pœnituit, ab altaris officio se subtrahens, donec à pontifice Romano absolutus fuisset. Matthæus Parisiensis. Vuichmannus Magdeburgicus & Hermannus Hildeshemensis episcopi cum alijs principibus contra Heinricum Leonem cõspirant. Helmoldus lib. 2. in Chronico Sclauorum, cap. 7. Eskyllus Roschildensis antistes contra Ericum Danorum regem seditionem mouet: Sialãdenses ab eodem instigati, extra suos terminos Regem propellunt. Sed cum classe reuersus, episcopum subactum, furca dignum, uicenis auri talentis mulctauit. Saxo Grammaticus libro 14. Saltzburgensis episcopus studio & fauorẽ erga Alexandrum Romanum, sæpius ab Imperatore uocatus ad concilia uenire detrectauit: ut epistolæ Imperatoris ad contumacem illum sacrificum scriptæ testantur, ubi inter cætera hoc ipsi non perpetuò impunè fore, minatur Imperator. Et ut quædam habet epistola: Non solùm, inquit, præsentiam tuam admodum necessariam Imperio subtraxisti, uerùm nos & omnes principes & fideles nostros, secus quàm decet honestatem tuam, immoderatis uerbis cum offensione aggrauasti.

Bella gerebant episcopi. Reginerus enim episcopus Halberstadensis cruento illi prælio ad Vuelffesholtz interest. Helmoldus, Vrspergẽsis. Deuicto per Ericum Magno Danorum regis filio, Petrus Roschildensis & Heinricus Sueticarum partium pontifices, omnesque Iutiæ, præter unum, antistites eodem prælio oppresi dicuntur. Saxo lib. 13. Contra Mediolanenses Friderico Imperatori militant Fridericus Coloniensis, Arnoldus Moguntinus, Hellinus Treuirensis archiepiscopi, Conradus Eistetensis, Daniel Pragensis, Hermannus Verdensis, Gebhardus Herbipolensis episcopi. Radeuicus libro tertio, capite uigesimoquinto de gestis Friderici. Obertus Cremonensis episcopus, triginta millia armatorum in eadem expeditione ducit. Vrspergensis. Vuelphonem, qui Hugoni comiti de Tubingen bellum indixerat, tres episcopi suis copijs iuuant, Nemetum, Vangionum & Augustanus. Auentinus libro sexto. Fridericum Imperatorem cõtra barbaros exercitum ducentem, iussu Clemẽtis tertij multi archiepiscopi & episcopi (Batauensem, Herbipolensem, Monasteriẽsem, Ossenburgensem, Misnensem nominat Cuspinianus in Austria) comitantur: ut Syluius libro sexto in Blondi decades scribit. Venetæ classi archiepiscopus Rauennas, Pisanæ Pisanus præerat episcopus. Platina in uita Clementis tertij, Ioannes de Oppido. Petrus Apamensis archiepiscopus Rogerij Antiocheni castra sectatur. Tyrius libro 12. capite 10. Guarimundus Hierosolymitanus patriarcha regias agit in Tyrensi bello partes. Idem libro 13. capite 6. Ascalonam urbem obsidere iuuant Fulcherus Hierosolymorum patriarcha, Petrus Tyri, Balduinus Cæsareę, Robertus Nazarethanus archiepiscopi, Fridericus Acconẽsis, Gerhardus Bethlehemitarũ episcopi, & abbates nonnulli. Testis est Tyrius lib. 17. capite 21. Elegantem hic de bellatore episcopo historiam ex Matthæi Parisij Chronicis adijcimus: Cum Iohannes Anglorum regis frater cum Mar-

chadeo principe agrum Beluacensem infestaret, Philippus eius urbis episcopus plus armis, quàm diuinis intentus studijs, armata stipatus cohorte, magno animo occurrit prædatoribus: sed cæso milite, episcopus capitur, & Anglorum regi traditus carceri mancipatur. Sæpius enim ipse cum suis damna eidem regi intulerat. Mox canonici Beluacenses ad Romanum papam sui præsulis calamitatem deferunt. Is datis ad regem literis, ut benignè suos fratres & filios tractaret, hortatur. Rex continuò pontificis arma & loricas per eundem tabellarium ad papam ferri curauit, ut cognosceret, num istæ suorum filiorum sint tunicæ, an non. At papa subridens, respondit: Verè tunicæ non sunt nec fratris, nec filij: sed potius filiorum Martis. dimisitque eos ad Regis uoluntatem. Hæc ad annum 1196. refert idem autor.

Monachi. Templariorum quidam magister ad Ptolemaidem à barbaris trucidatur. Platina in uita Clementis tertij. Fuldensis & Augiensis abbates expeditioni contra Mediolanenses intersunt. Radeuicus libro tertio, capite 25 de gestis Friderici. Fridericū Imperatorem contra Heinricum Leonem bellum gerentem, Fuldensis, Corbeianus & Hersfeldenses abbates sequuntur. libro sexto, capite 42 Saxoniæ Cranzij.

Bonis ecclesiæ abutebantur. Arnulphus enim Hierosolymorum patriarcha, nepti suæ elocatæ Ecclesiastici patrimonij optimas portiones dotis loco contulit. Tyrius libro undecimo, cap. 15. Arnoldus Mersburgensis episcopus urbium munitionibus occupatus scribitur in Mersburgensi Chronico: quos sumptus ex ecclesiæ reditibus ablatos fuisse, quis diffitebitur? Et Ecbertus quidam Benedictinæ professionis monachus in Treuerensi diœcesi, in quadam epistola ad Coloniensem archiepiscopum ita de bonorum Ecclesiasticorum profusione scribit: Sed nondum, mi domine, intra uiscera Ecclesiæ pax uestra recepta est, adhuc mater passionis quasi torsiones intrinsecus sentiens, in hunc modum gemebunda congeminat: Ventrem meum doleo, uentrem meum doleo, foris pax, intra prædatio. Pacem negociatores habent, sed nondum super filios pacis pax requieuit. Ecce enim penè ubique ministri ecclesiæ debita se consolatione priuari cōqueruntur. Sicut enim ipse nosti, ita à Domino ab initio ordinatum est, ut de altari uiuerent, qui altari deseruirent. Et ut rata esset hæc ordinatio, per manus regum ac principum locupletem fecit ecclesiam, ut absq; solicitudine corporalis nutrimēti, milites Christi orationi ac lectioni Scripturarū intenderent. Sed ecce, in his temporibus ordinatio ista usquequaq; euacuari cernitur, maximè per dispensatores ac dispensatrices ecclesiarum, qui constituti sunt super familiam Domini, ut dent illis cibum in tempore. Hi enim dum quæ sua sunt, quærunt, bona ecclesiarū aut per iniuriam negligunt, aut in suis uoluptatibus consumunt, aut in laicas manus pro seculari fauore aut obsequio conferunt: atque ita de absconditis filiorum adimplent uentres alienorum. Si quis autem filiorum petierit panem, pro pane lapidem, aut scorpionem, aut serpentem illi porrigunt, dum aut duram obiurgationem, aut præurgentem læsionem ingerunt, aut uersutam excusationem prætendunt. Vnde fit, ut ministros ecclesiæ aut proprijs stipendijs militare, aut si hæc non habent, aliena impudenter mendicare, aut siccis faucibus mœstas Deo laudes concrepare oporteat. Atq; hac occasione per omnes penè ecclesias diuinæ laudis organa suspenduntur, & nemo considerat: uix in unaquaque ecclesia tribus aut quatuor ministrantibus continuè, alijs urgente necessitate ad cognatos & notos, siue ad negociationes suas discurrentibus. Catalogus testium ueritatis.

Monachos & nonnas consecrabant. Hugonem S. Dionysij abbatem Parisijs à fratribus electum, & à rege confirmatum, Meldensis & Syluanectensis episcopus consecrant. Nam hi duo ex antiqua Romanorū paparum constitutione tenentur ecclesiæ beati Dionysij in altarium consecratione, & monachorū inauguratione seruire. Vincentius lib. 29. cap. 39.

Petrus Blesensis grauissimè uituperat tum uitam moresq; spiritualium, tum neglectionem officij, tum deniq; & impium abusum clauium. In quadam epistola ad quendam officialem (ut uocant) episcopi, monet eum, ut quamprimùm ab ea functione recedat. Hortatur quoque, ut exeat ab illa Babylone. Dici sanè uix satis potest, quàm horribilibus uerbis describat episcoporum impiam tyrannidem, quàm illi miserabiliter & nefariè per suas infernales harpyias, id est officiales, Ecclesiam Christi, turbato omni humano ac diuino iure, uexent, deglubant, lacerent & discerpant, dum opes coaceruare student, quas postea turpissimè per luxum & libidinem profundant. Quam epistolam totam hic apponemus: Quia te affectuosissimè diligo in uisceribus IESV Christi, proposui te salutaribus monitionib. adhortari, ut de Vr Chaldæorum, & de medio Babylonis tempestiuè

stiuè exeas: ut ministerium damnatissimæ uillicationis omittas. Scio quia munerum cupiditas subuertit cor tuum, ut fieres officialis episcopi. Cumque legeras, sed fortasse negligebas uerbum illud Iob: Ignis deuorabit corpora eorum, qui libenter accipiunt munera. Igitur beatus est, qui excutit manum suam ab omni munere. Credo hominum officiales non ab officio nomine, sed ab officio uerbo mutuasse uocabulum.

Nam genus est hominum, quod dicitur officiperda.
Officit, est uerbum crudele nimis & acerbum,
Dictio plena malis: hinc dicitur officialis.

Tota enim intentio officialis, est ad opes episcopi suę iurisdictioni cōmissas, ut miser rimas oues quasi uice illius tondeat, emungat & excoriet. Isti enim sunt episcoporum sanguisugę, euomentes alienum sanguiné, quem biberunt. Diuitias quas congregauit impius euomet, & de uentre eius extrahet illas Deus. Isti sunt quasi spongia in manu prementis, quasi quædam collatoria diuitias suis dominis influentia, & execrandis acquisitionibus nihil sibi præter peccati sordem & fœtulentiam retinentes. Quod enim aggregat per oppresionem pauperum, episcopis cedit quidem ad delicias, officialibus autem ad tormentum.

Sic uos non uobis mellificatis apes.
Sic uos non uobis accumulatis opes.

Isti sunt secretiora hostiola, per quæ minister Belis sacrificia, quæ super mensam ponebantur à Rege, clanculum asportabat. Sic episcopus longa manu bona aliena diripit, & notam criminis à se remouens, suis officialibus culpæ & diffamiæ discrimen impingit. Ideo quasi sub umbra episcopi, & obtentu iusticiæ palliatæ subditos opprimunt, ecclesias grauant, redditus alienos uiolenter inuadunt, oculos habent ad munera, pupillo & uiduæ non intendunt. Verba sunt filij Syrach: Concupiscentia spadonis deuirginauit iuuenculam. Ita & qui facit per uim iudicium iniustum, spado uirginem opprimit: & prolem in oppresione non quærens, corrumpit, non gignit. Sic pręlatus iracundię aut auariciæ suæ satisfaciens, nec fructum iusticiæ quærens, corrumpit, non corrigit: exasperat, non emendat. Quod enim fit prætextu fucatæ religionis ac simulatæ iusticiæ, non fructificat ad uitam, non ædificat ad salutem. Parcit Saul optimis gregibus Amalech, quasi sanctificaturus ea Deo, & incurrit in diuinam offensam. Gedeon quidem de præda Madianitarum fecit Ephod, & hoc sibi & domui suæ uersum est in ruinam. Hanc administrationem, quam tibi damnabiliter usurpasti, patientius ferrem, si in sacrarum literarum scientia non præemineres. Causæ & iudicia, quibus te imprudenter, ne dicam impudenter, immisces, potius consuetudinario & seculari uiro destinantur. Virum literatum & Ecclesiasticum, non sic decebat secularibus negocijs implicari. Apostolus ad Corinthios scribens, ait: Secularia negocia si habueritis, eos qui contemptibiliores sunt inter uos, constituite ad iudicandum. Officium officialium, quorum te numero aggregasti, hodie est iura confundere, suscitare lites, transactiones rescindere, innectere dilationes, supprimere ueritatem, fouere mendacium, quæstum sequi, æquitatem uendere, inhiare exactionibus, uersutias continuare. Isti sunt qui hospites suos grauant superflua electione & multitudine clientelæ. Quærunt delicatos & superfluos cibos, cum scriptum sit: Comedentes & bibentes quæ apud illos sunt. De alieno enim prodigi, de proprio sunt auari: uerborum insidiatores, & aucupes syllabarum, tendunt laqueos & pedicas in capturam pecuniæ, iura interpretantur ad libitum, & ea pro uoluntate sua nunc abdicant, nunc admittunt: bene dicta deturpant, prudenter allegata peruertunt, rumpunt fœdera, nutriunt simultates, fornicationes dissimulant, matrimonia distrahunt, adulteria fouent, penetrant domus, & mulierculas oneratas peccatis captiuas ducunt: diffamant innoxias, & nocentes absoluunt. Et ut multa sub uerborum paucitate concludam, dum omnia uenaliter agunt, filij Mammonæ, se diabolo uenales exponunt. Dominus in Euangelio dicit: Gratis accepistis, gratis date. Et Salomon in Parabolis: Veritatem eme, & noli uendere sapientiam, iusticiam & doctrinam. Vereor ne rapiat te spiritus elationis & dominandi cupido ad uanitates & insanias falsas. utinam attenderes uerba sapientiæ talia comminantis: O' uos qui complacetis uobis in turbis, data est uobis potestas à Deo, qui interrogabit opera & cogitationes uestras, qui cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis. Horrendè autem apparebit, & iudicium durissimum his qui præsunt, fiet: at fortioribus fortior instat cruciatus. Amice, in arena huius seculi periculosissimè pugnas: mors te sequitur, uita fugit, caro palpat, mundus allicit, leo rugiens & quærens quem deuoret, circuit, cucurrit. Omnis qui in agone contendit, ab omnibus

omnibus se abstinet. Vtinam ab omnibus seculi huius noxijs abstineres, ut in te quod suum est, non inueniat princeps huius mūdi: & in palęstra, qua curritur ad brauium, nihil haberet aduersarius, quo te caperet aut teneret, aut à brauio retardaret. Si mihi credis, imò si credis in Deum, relinque maturius officialis officium, ministerium damnationis, rotam malorum, spiritum uertiginis, qui te ad inania circumuoluit. Miserere animæ tuæ, placens Deo, cui placere non potes cum isto damnationis officio. Clerum sæpe alioqui nominat Syriam, Edom, uitulos Bethel, idola Aegypti, pingues Samariæ, sacerdotes Baal, iudices qui condunt leges iniquas, & multo plura. Episcopi domo (inquit) ut cum familia Dominum comprehendam, nihil est damnabilius ad meritum, nihil inhonestius ad mores, nihil sordidius ad conscientiam, nihil culpabilius ad famam, nihil perniciosius ad exemplum. Aufer Domine de domo tua idolum, & confringe cornua peccatoris. Munera Romæ omnia peruertunt, & omnia monachis licere permittunt: imò ad omnes carnis illecebras, quas annua redimunt pensione. Cantantur eorum turpitudines in tentorijs Geth, & in compitis Ascalonis. Sic factus est princeps Sodomorum, discipulis post eum in cathedra pestilentiæ sedentibus. Catalogus testium ueritatis. ¶ Petrus Flandriæ comes, & ad episcopatum Cameracensem electus, relicta spirituali militia, seculi miles factus est. Sigeberti Continuator.

Clericum quendam negociationibus deditum grauiter reprehendit Blesensis, inquiens: Si tuæ professionis ordinem & gratiam diuinæ uocationis attenderes, te potius lectione quàm negociatione, artibus quàm mercibus occupares. Periculosum est siquidem laico, sed perniciosum in clerico, negociationibus augeri peculium, atque rerum ambitiosa uenalitate seipsum uenalem diabolo exponere. Clericus, qui leuiori cōparat precio, ut uēdat carius, filius est auariciæ, idololatra pecuniæ, seruus mammonæ, & uenundatus sub peccato. Epistola 131.

Non uulgare Constantinopolitanorum sacerdotum peccatum est, quòd Andronicum hominem impijssimum & perfidum à iureiurando, quod Imperatori Manueli & eius filio Alexio dederat, soluerunt, affixis publicè literis, quibus impunitatem scelerum perfidis concesserunt, contra illud Christi, canibus & porcis sanctum projici prohibentis, ne illi conuersi dirumpant nos: quod illis ipsis sacerdotibus accidit. Nam Andronicus pontificibus illis iurisiurandi solutoribus quàm egregiam gratiam retulit. Ea fuit, ut quædam leuicula eorum postulata fierent: maximus uerò is honor fuit, ut subsellijs ad solium Imperatoris collocatis, ei assiderent: qui cum paucos dies durasset, umbra potius honoris quàm uerus honos, materiam eos ridendi præbuit, pristina consuetudine reuocata, instar ui curuati ligni, quod laxatum ad suam naturam reuertitur. Imò ea res dignitatem eorum multùm imminuit. Nam Andronicus, ne omnium mortalium leuissimus, & in actis suis parum constare sibi uideretur, pontifices illos in splendido solio sedens non facilè admittebat. Ita qui paulo antè Imperatorio consessu gloriabantur, idque sibi præmium ut fidelibus ministris datum, uerbis Dauidicis iactarant: tum inuolutis capitibus recedentes, sese miserabantur, quòd ijs solutis, quæ soluenda non essent, à Deo defecissent, & derisorem Andronicum frustra coluissent. Nicetas sub Imperio Andronici libro 1.

De eorundem sacerdotum & monachorum alto silentio, in reprehendēdo Alexio Angelo Imperatore, qui fratre trucidato Imperium sumpserat, licet pœnæ diuinæ omnium oculis obuersarentur, queritur Nicetas, inquiens: Hanc numinis indignationem & nostri destitutionem, nemo ex summis & honoratissimis sacerdotibus, nemo ex religiosissimis monachis considerauit, ulloúe modo placare docuit, aut liberius apud Imperatorem disserendo, quicquam Romanis salutare conatus est: sed quasi omnes à uia deerrantes & inutiles facti, quid rei esset non animaduerterunt, quodammodo flagellis Dei aduersantes. Ibidem lib. 1. de Gestis fratricidæ Alexij Angeli.

De extremo denique Ecclesiasticorum officiorum abusu Potho queritur, inquiens: Ecce in hac amaritudine sua amarissima, Ecclesia gemit, dolens: quia uidet fictæ religionis hominibus altaris Christi Sacramenta committi, & eorum usui seruire stipendia ecclesiarum, quæ utique sunt patrimonia pauperum, precia animarum. Ordinis Ecclesiastici dignitates non uitæ meritis, ipsæq; sedes episcopales, abbatiæ, præpositurae: sed negocio illi, quod perambulat in tenebris, tribuūtur. Præsentis temporis felicitas, totaque transeuntis felicitatis iocunditas, conspicua in auro & argento, in apparatu armorum, in numero militum, in illecebris conuiuiorum, in frequentia ministrantium, in lautissimis

tißimis dapibus, & preciosis poculis, in equitatus ornatu, in sellis & frenis deauratis, in uenationibus, in canibus & accipitribus, omnisque seculi pompa arridet illi negocio, quod perambulat in tenebris. Omnia hæc illis famulantur, quibus uel ficta sanctitas, uel generis nobilitas suffragatur. Propter hæc esse cupiunt episcopi & ecclesiarum prælati, ut his bonis fruantur, ut delicijs affluant, ut Ecclesiæ Dei magis præsint quàm prosint, ut familiam ecclesiæ subiectam habeant, ut domini rerum sint, ut quanto ecclesiæ sunt ditiores, tanto ipsi fiant clariores. Cum ergo in his regnet ambitio, quomodo doctrinam Christi, uerbo & exemplo in omnibus ornare possunt? Quæ nam illis inest uirtus ueræ religionis, quorum corda deserit splẽdor diuinæ illuminationis? Ministri Christi appellantur, dispensatores mysteriorum Dei existimantur: & tamen sacramentorum lumen in semetipsis extinguere, indignè uiuendo non uerentur. Nam in Sacramentis quidem offerendis, exterius Deo seruire uidentur: sed interius luce charitatis, quæ est effectiua Sacramentorum uirtus, priuantur. Hinc profectò liquidò monstratur, quomodo isti, qui ad altiorem Ecclesiasticæ dignitatis gradum promoti sunt, & qui sanctæ religionis propositum tenent, negocio illi quod perambulat in tenebris, seruiãt. libro tertio de Statu domus Dei.

DE DONIS.

Miraculorũ dona habuêre nonnulli, ut de Bernhardo & Malachia Armachano dicemus.

Futura prędixerunt. Nicetas Chonarum episcopus eunuchus, futurarum rerum ita præscius fuit, ut inter maximos uates haberetur. Nicetas libro septimo de gestis Manuelis. Dositheus quidam Studiensis monachus, Isaacio Angelo priuato adhuc Imperium prædixit. Idem libro secundo de Imperio Isaacij. Paschali & pontificatum & gubernationis annos prædixisse Albertum Alatrinum episcopum, narrat Platina.

DE SYNODIS PRI-*uatis.*

Synodos celebrabant, ut ex Tyrij libro decimooctauo, capite uigesimo patet. Octo Poloniæ episcopi synodum celebrarunt, Alexandro tertio Romanam cathedram gubernante. Cromerus libro sexto. Hartuicus secundus, Bremensis episcopus, habito suorum concilio, sacris interdixit Adolpho Holsatorum comiti. Cranzius libro septimo, capite septimo Saxoniæ.

Causas tractarunt uarias: ut de uocatione personarum. Mortuo enim Fulchero Hierosolymorum patriarcha, ecclesiarum prælati conuocantur, ut de substituendo tantæ sedis antistite secundum Canonum statuta tractaretur. Tyrius libro decimooctauo, capite uigesimo. Anno 1177 Dolenses canonici Rollandum quendam sibi elegerunt archipræsulem, cuius electioni interfuêre Heinricus Boiocensis & Richardus Abrincensis episcopi, Robertus de Monte, & multi uiri religiosi. Continuator Sigeberti.

De depositione quorundam. In Londinensi synodo aliqui de religione malè meriti, aut qui contra ius fasque sacerdotia consecuti fuerant, uel desecrantur, uel ipsis sacerdotijs prorsus priuantur. Polydorus lib. 11. de Anglis.

De restitutione. In concilio Leodiensi Otto Halberstadianus episcopus restituitur, cum ante triennium simoniæ reus inde per Honorium, ut habet Chronicon Saxoniæ, remotus fuisset. Cranzius libro sexto, capite secundo. Chronicon German.

De dogmatibus. Petri Abelardi doctrina in Senonensi synodo excutitur. Remis Gilbertum Bernhardus abbas refutat. Antoninus.

DE BONIS ECCLE-*siasticis.*

Principes quædam contulêre. Heinricus enim Polaborum comes, Racesburgensi episcopo trecentos mansos, & uniuersæ terræ suæ decimas, totidem mansos & Adolphus Holsatiensis eidem attribuit. Helmoldus capite septuagesimooctauo. Plurium comitum, qui amplissima Cassinensi contubernio bona obtulêre, meminit Chrõ. Casinense lib. 4. cap. 22. 23. 25. 26. 29. Reinhardus Mersburgicus episcopus, ex suo patrimonio ecclesiæ suæ contulit unum atq; alterum prædium cum triginta duobus mansis. Chronicon Mersburgẽse. Præsules ecclesiarum ac seculi principes spontè terras, prata, nemora, & cætera quæ monasterijs necessaria uidebantur, obtulisse, narrat Sigeberti Continuator.

Ex legatis. Ludouicus enim rex Francorum, ob amorem & honorem Dei, & B. Thomæ, monachis in Cantuariensi ecclesia iugiter Deo famulantibus, 100 modios uini singulis annis accipiendos dedit. Continuator Sigeb. Osbertus de Hosa constabularius Heinrici regis Anglorum, ante octauum diẽ mortis suæ factus canonicus, permißione domini regis abbatiæ de uoto dedit trigintaduas marcas auri, & centum libras Cenomanenses, ad augẽdas possessiones

possessiones eiusdem abbatiæ. Dedit etiam eidem abbatiæ 60 marcas argenti in plata, & totidem in uasis. Idem. Guilhelmus Hyprensis duas aureas cruces, alterá Locnsi, alteram Bertinico monasterio legauit. Chron. Fland. Theodoricus Beuernensis Dismudæ dominus, moriens cœnobio Dunensi sexies mille, sexcentas, sexaginta sex libras annuos reditus assignauit. ibidē.

¶ Ac data sunt, Villę ut, Bedar, Zeophir, Caicapham Balduinus rex Bethlehemiticæ ecclesiæ attribuit. Tyrius lib. 11. cap. 12. Villarum, domorum, molendinorum, uinearum, syluarum, fluminum, aliorumq; bonorum Casinensibus oblatorum fit mentio in Chronico Casinensi lib. 4. capite 22. & 23.

Decimæ. De omnibus enim prædiorum fructibus ab agricolis decimas Ecclesiastica censura exigendas, censet Clemens tertius lib. 3. tit. 30. cap. 21. Ex parte. Idē & Celestinus tertius fieri præcipit. Ibidem cap. 22. Non est. Heinricus dux Boiorum, consensu Vuulphildę coniugis, decimas de Rameshouen D. Pancratij altari attribuit, anno 1125. Auentinus lib. 6. Annalium. Saxoniæ dux Leo, & Holsatus, prædia, reditus & decimas Lubecensi contulēre ecclesiæ. Helmoldus cap. 94. Decimas Aldenburgēsi episcopo soluendas imperat idem dux, Geroldo episcopo eum instigante. Idem cap. 92. Decimarum Verdensis ecclesiæ meminit Cranzius libro 6. capite 19. & 29. Metropolis.

Annuam decimam Ecclesiasticorum bonorum, consentiētibus sacerdotib. in bellū sacrum conuertit Francorum rex, quæ postea Salahadini decima nuncupata est. Gaguinus lib. 6. de Francis.

Tributa, uectigalia sacra ad bellorum apparatus, reclamante clero, Philippus cōuertit. Ibidem.

¶ Vsus bonorū Ecclesiasticorum fuit: Sustentatio episcoporum & aliorum ministrorum. Sic Clemens tertius constituit, Sacerdoti lepra percusso iuxta ecclesiæ facultates necessaria ministrentur, quamdiu uixerit. lib. 3. tit. 6. c. 4. Tua nos.

Ecclesias ædificare & sustentare. De reditibus ecclesiæ, si qui supersint, partem aliquam ædificijs impendi uult Alexander tertius, libro 3. Decretal. tit. 48. capite quarto. De his.

DE BIBLIOTHECIS.

APud Italos bibliothecas extitisse cōstat. Nam Lotharius Imperator libros ciuilis iuris Romani, in bibliothecis Italiæ repertos, à Vuernero iussit in scholis exponi, & secundum leges à diuo Iustiniano emendatas iudicari. Theodorus Bibliander in Chronologia. In Anglia Gualterus quidá, ad Albani fanum bibliothecarius, ex omnibus ueterū ac nouorum autorū eiusdem cœnobij monumentis insignem bibliothecam congessit. Balæus Centuria 10. cap. 59. Ex incendio Haunoniensis ecclesiæ sola bibliotheca seruatur, anno 1123. Sigeberti Continuator. Fuldensis abbas Ruggerus, qui claruit sub annum Salutis 1177, bibliothecam construxit, eamq; optimorū autorum insignibus decorauit monumentis. Bruschius.

DE SCHOLIS.

EPiscoporum certè non postrema cura de scholis esse debebat. Verùm ij secularibus negocijs, quæ ad dignitatem & reditus augendos faciebant, impliciti, nec ecclesiarū nec scholarū iustá habuerūt rationē. Eugenius itaq; pōtifex, nescimus sanè quo religionis studio afflatus, mandauit episcopis, ut curarēt scholas erigi, & doctos præceptores iuuētuti præfici, qui liberales artes docerent. Dist. 37. Cęterùm an ij dicto audientes fuerint, non satis constat. Diuersum sanè res ipsa non obscurè comprobat. Scholarum enim hoc seculo rarissima est apud Scriptores mentio. Fuēre tamen aliquę. Nam Nicephorum Basilacen Paulinas epistolas interpretatum, & lumine eloquētiæ, Apostolicorum scriptorum obscuritatem altissimo spiritu refertam illustrasse, scribit Nicetas libro septimo de gestis Manuelis.

Alexius Comnenus, filius Isaacij Imperatoris, orphanis & senibus multum afficiebatur, quibus etiam Orphanotrophiō extruxit, & Museon: in altero pueros puellasq; parentibus orbos alendos, in altero erudiendos curauit, sumptusq; his ex regio uectigali dedit. Iacobus de Strada.

Legum in Bononiensi ciuitate doctorū meminit Radeuicus libro 4. cap. 5. Ad Ticinensem scholam amore literarum Vuelphonem secundum Austriæ ducem profectum, tradit Auentinus.

Francicarum scholarum meminit Helmoldus, inquiens: Vicelinus, assumpto secum discipulo suo Thethmaro, perrexit in Franciam, maiorum gratiá studiorum, adijtq; scholas uenerabilium magistrorum Rodolphi & Anselmi, qui in explanatione diuinæ paginæ fuerant eo tempore præcipui. cap. 46. de Sclauis. Laudunicæ ciuitatis magister Anselmus est, anno 1117. Sigeberti Continuator.

Parisiense gymnasium Cuspinianus in Austria prædicat.

In Cantabrigiensi uniuersitate Heinricus primus Angliæ rex uixit: teste Balæo. Haimo Glocestrius scholarum rector & ma

gister ibidem fuit. Et Oxonij florentiſsimũ Angliæ gymnaſium hoc ſeculo extitiſſe, idem annotat.

Librum Decretorum, à Gratiano monacho collectorum, Eugenius papa in publicis gymnaſijs legendũ cõceſsit. Schedelius.

Padebornæ ſtudia literarũ, in primis uerò ſub nobili magiſtro Hartmãno, ſuo floruiſſe ſeculo, Helmoldus teſtatur in Chronico Sclauorum, cap. 43. Et Geroldus Brunſuicenſis ſcholę gubernator, apud eundem celebris eſt, cap. 80.

Ad Coloniam Agrippinẽſem, & inde ad Claram uallem Conradum filium ab Heinrico 8. Boiorum regulo ſtudiorũ gratia miſſum, teſtatur Auentinus 6. Annalium.

Herbipoli Scotigena quidam ſcholaſticis laboribus præfuit, Heinrici quinti temporibus. Cranzius lib. 5. cap. 31 Saxoniæ. Dauidem uocat Auentinus illum Scotum.

Mogunti. Adelgerus abbas Spanheimenſis, antequam monachum indueret, multo tempore ſcholæ publicæ apud Moguntinos præfuit, & multos inſignes diſcipulos poſt ſe reliquit. Chronicon Hirſaugienſe Trithemij.

DE CONSOCIATIONE
Eccleſiarum in una prouincia.

IN una prouincia epiſcopi certa ratione erant conſociati. Acconenſis enim, Sydonienſis & Berythenſis epiſcopi, Tyrenſi parent archiepiſcopo ſeu metropolitano. Tyrius libro 4. cap. 13. Secundæ Arabiæ metropolitanus fuit Petracenſis epiſcopus. Idem lib. 20. cap. 3. Piſano & Genuenſi, archiepiſcopali dignitate donatis, Innocentius ſecundus ternos iubet ſubeſſe Corſicæ epiſcopos. Platina, Bergomenſis. Piſanum totius Sardiniæ primatem creatum, Martinus, quem uocant Capellanum, in Chronico ſuo annotat.

Cauebant hęreſes. Nam de damnatione Petri Abailardi, Remenſis archiepiſcopus, Ioſcelinus Sueſsionis, Guilhelmus Catalaunenſis & Atrebatenſis epiſcopi, ex ſua ſynodo ad Innocentium Romanũ literas mittunt: teſte Friſingenſi lib. 1. cap. 48 de geſtis Friderici. Guilhelmus Ebredunenſis, Huldricus Dienſis, Guilhelmus Vuapincenſis epiſcopi, coniunctis operis cõtra Petrobruſianos pugnant: ut teſtatur Petrus Cluniacenſis lib. 1. epiſt. 2.

Iuuabant excommunicationes. Patriarchæ enim Antiocheno reliqui eius iuriſdictioni ſubiecti epiſcopi, in excõmunicatione Antiocheni principis, ob diuortiũ facta, conſentiunt, unde & calamitatũ participes fiunt. Tyrius lib. 22. cap. 7. Petrus Gneſnẽſis epiſcopus ob cædem Vuerneri Plocenſis epiſcopi, Boleſtæ fraude perpetratam, de conſilio & uoluntate cæterorum epiſcoporum toti prouinciæ ſuæ ſacris interdicit. Cromerus lib. 6. de rebus Polonorum.

Epiſcopos aut presbyteros ordinabant. Antaratenſibus, Tripolitanis & Biblienſibus, captis eorum urbibus à Chriſtianis, epiſcopos conſecrauit Antiochenus patriarcha. Tyrius libro 14. cap. 14. Berithenſibus Vuilhelmus Tyrius Otthonem quendam, ſuæ eccleſiæ archidiaconum, ordinat epiſcopum: ut ipſe lib. 22. cap. 7. teſtatur. Magdeburgici archiepiſcopi Mersburgẽſes pręſules conſecrarunt: ut in Mersburgẽſi Chronico ſcribitur. Ad conſecrationem Cãtuarienſis cuiuſdam electi plures epiſcopos conueniſſe, Sigeberti refert Continuator. Eberhardus Saltzburgenſis, Artuuicus Bremenſis, Hillinus Treuerẽſis archiepiſcopi, Eberhardus Bãbergenſis, Hermannus Conſtantienſis, Heinricus Ratiſponenſis, Otto Friſingenſis, Conradus Patauiẽſis, Daniel Pragenſis, Anſelmus Hauelbergẽſis, & Burchardus Eiſtetenſis epiſcopi, pro Guicmãno in Magdeburgenſem cathedram locando ad Eugenium ſcripſerunt: ut ex eius reſponſo, quod apud Friſingenſem lib. 2. cap. 8. extat, uidere eſt.

Cauebant, ne bona Eccleſiaſtica abalienarentur. Claremontẽſis enim & Podienſis prouincię epiſcopi & abbates, Ludouici Frãcorum regis opem contra Eccleſiæ bonorũ raptores implorant. Annonius lib. 5. cap. 56 de geſtis Francorum.

Synodos celebrabant. Totius enim Franciæ epiſcopi, habito concilio, Thomam de Marla, Laudunenſem clerum moleſtãtem, omni exuunt militari dignitate, & hominũ communione interdicunt. Gaguinus lib. 6 de Francis. Richardus Cãtuarienſis, & Bartholomæus Turonenſis, cum epiſcopis Britanniæ Rhedonis concilia habuerũt, anno 1176. Sigeberti Continuator. Londini uniuerſo ſacerdotum cœtu coacto, Anſelmus ſynodum celebrat. Polydorus lib. 11. Et Petrus Cluniacenſis ad Romanum põtificem ſcribit: Nuper in partibus noſtris cõcilium egimus contra ſacerdotum perſecutores. lib. 3. epiſtola 17.

Aut mittebant legatos. Ad Nazarethanũ enim concilium quotquot uenire non potuère epiſcopi, literas excuſatorias miſerũt: ut epiſtola ex ſynodo ad Romanũ Alexandrum miſſa teſtatur.

Seſe mutuò in rebus dubijs conſuluerunt. Nam Petrus Bleſenſis cuidam epiſcopo, qui deſerta ſua prouincia ocio ſe dare conſtituerat, & Petri de ea re, num ſalua conſcientia liceat, iudicium petierat, reſpondet, ac omnino, ne id faciat, diſſuadet: ſed potius collegam; qui onus

suum simul sustineat, assumat.

Alter alterum de suo commonefaciebat officio. Ea de re insignis extat epistola Petri Cluniacensis ad Petrum Lugdunensem episcopum: Magna, inquit, & uerè præcelsa, totaq; cœlestis est dignitas episcopalis officij: nec minus magna, & uerè timenda, totaque terribilis formido episcopalis periculi. Tibi enim, ut bene recolit pastoralis solicitudo tua, per Ezechielē dicitur à Domino: Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, &c. & per Hieremiam: Ecce constitui te hodie super gentes & regna, ut euellas & destruas. Quorsum hæc omnia? ut excitetur pastoralis solicitudo tua ad subueniendum Ecclesię Dei, sub tua cura laboranti, maximè hoc tempore, quando instāt tempora periculosa, antè ab Apostolo prædicta: quando omnes quę sua sunt quærūt, non quę IESV Christi: quando inter multos mercenarios uix aliquis pastor inuenitur: quando salute gregis contempta, absq; labore pastorali pastoralibus mercedibus inhiant. Ad hoc autem te credo tali tempore in sublimi Ecclesiæ specula à Deo constitutum, ut alijs tacentibus, tu penè solus quæ Dei sunt mundo inclames: ad hoc inter duces spiritualis prælij constitutum, ut alijs fugientibus, tu cum paucis hostem deuincas: ad hoc non tātùm episcopi, sed primatis uel patriarchæ nomine insignitū, ut non tantùm populo te maiorem, sed etiam ipsorum principum te principem agnoscas, & uniuersis magis prodesse, quàm præesse studeas. Accingere igitur gladio super femur tuum potentissimè, accendatur uelut ignis zelus tuus, &c. Post hæc commemorat, quæ peccata maximè in sua diœcesi grassentur, nempe præter uulgariū hominum atrocia scelera, clericorum & monachorum extrema morum licentia. ac subijcit: Pudeat generositatem sanctæ animæ tuæ, prouinciam tibi commissam Ecclesiastica dignitate omnibus Gallicanis ecclesijs superiorē, & religione esse inferiorem. Deniq; cōcludit: Hortor, supplico, moneo, & per omnipotētis IESV Christi misericordiam obtestor, ut tam bonum, tam Deo placens, tam salutiferum studium nullæ à corde tuo pellere ualeant curæ, &c. lib. 4. epist. 2.

DE CONSOCIATIONE ECclesiarum *in pluribus prouincijs.*

Plures etiam prouinciæ fuerunt certa quadam ratione & ordine inter se coniunctæ. Erant enim archiepiscopi, quorum sedes sunt:

In Germania. Saltzburgensis enim archiepiscopus suffraganeos habuit Frisingēsem, Brixinensem, Gurcensem episcopos: ut ex Friderici Imperatoris epistola uidere est apud Radeuicum libro quarto, cap. 73. Magdeburgum, Colonia, Moguntia, Brema, archiepiscoporum sedes fuêre: ut ex historijs patet.

In Italia & Gallia, quos superioribus seculis recensuimus, archiepiscopos mansisse dubium non est.

Quatuor in Hybernia sunt sedes archiepiscopales, sicut sunt quatuor illæ prouinciæ, quæ illis correspondeant: Armachana, Dublinensis, Cassellensis, & Tuamensis. Quarum Armachana 15 habet episcopatus. Dubliensis 5. Cassellensis 13. & Tuamensis 10. Et hanc ordinationem fecit Eugenius tertius pontifex Romanus, anno Domini 1152. per legatum à suo latere, Ioannem Papirionē, tituli S. Laurentij in Damaso presbyterum cardinalem. Baleus Cent. 13. ca. 97 in appendice.

In Anglia. Ad Cātuariensem archiepiscopum eiusq; suffraganeos scribit Alexāder 3. lib. 3. tit. 7. ca. 3. Ex frequentibus. Eboracēsi archiepiscopo Alexander tertius literas misit, quarum fragmentum extat libro 3. tit. 8. c. 3. Relatum est.

Patriarchę in Oriente. Hierosolymis. Nā Alexandri tertij epistola ad eundem habetur in Decretis li. 3. tit. 10. c. 4. 5. Antiochię, ut ex Tyrio uidere est.

¶ Tituli horum erant: Primates. Norbertus Præmonstratensis sectæ inuentor, post Magdeburgicus factus archiepiscopus, Imperatorem inde Romam uersus secutus cū plurimis alijs Germaniæ episcopis & archiepiscopis, cum ipse ibi & oratione & eloquentiæ uiribus authoritatem sibi ingentem conciliaret, qua præ cæteris omnibus episcopis excellens, schisma pontificium præclarè ac feliciter tolleret, titulum Primatus meruit, ac ecclesiæ suæ Magdeburgensi consecutus est, cum ab Innocentio secundo, tum uerò ab Imperatore etiam Lothario, cui Norbertus iste longè erat charissimus. Bruschius de Monasterijs.

Archiepiscopi constituebantur à Romano pontifice. Genuensem enim & Pisanam urbes, sedes archiepiscopales concreat Innocentius secundus: teste Platina. Adrianus quartus Gradensem ecclesiam primatum super omnes ducatus Venetiarum, Histriæ & Liburnorum ecclesias obtinere declarauit. Syluius in Blondi decades, libro quinto.

Lugdunensem archiepiscopum in duos præterea archiepiscopatus dominium habere, scribit Sigeberti Continuator, Rothomagensem nēpe & Turonensem. Et quendam Gerardum Cestrensem, Coneitensem & Licifeldēsem episcopatus apud Anglos simul tenuisse, idem refert.

Iniurias

Iniurias alicui illatas cōmuni studio uindicabant. Coloniensis enim archiepiscopus Bremensem Hartuicum hortatur, ut data occasione, damna ab Heinrico Leone irrogata ulciscatur: suamq; simul ipsi pollicetur operam. Cranzius lib.5.cap.9 Vandaliç. Helmoldus lib.2.cap.8. Philippus Coloniensis, Conradus Moguntinus, & Vuolmarus Treuerensis rem indignissimam rati, quòd omnium pontificū mobilia post mortem confiscarentur ab Imperatore, duodecim illis episcopi subscripsere. Cranzius libro 6.cap.50 Saxoniæ. Hierosolymorū patriarcha Heraclius, rege sic uolente, cum alijs uiris Antiochiam profectus, Bohemundum principem, suum patriarcham, episcopos aliosq; Ecclesiæ seruiētes grauiter molestantem, ac eorum bona diripientem, placare studet. Tyrius lib.22.cap.7.

Non legitimè ministerium obeuntes admonebant officij. Sic Petrus Blesensis episcopum quendam octogenarium uenationi deditum, & clericos accipitres & falcones fouentes, grauiter reprehēdit, eosq; ut suum officiū legitimè exequātur, hortatur.

Sibi inuicem dona quædam miserunt. Annulum enim aureum Petrus Cluniacensis Petro Lugdunensi archiepiscopo mittit, cui gemma sanguinis fluxum exiccare ualens inserta fuit, quē amoris sui erga ipsum signum esse uult lib.13. epist. 8.

Inaugurabant Imperatores & reges. Rogerius enim Eboracensis, Gilbertus Londinensis, & Ioscelinus Sarisberiensis, Heinricum iuniorem Angliç regem inungunt. Polydorus lib.13. de Anglis.

Ciuilibus negocijs se ingerebant. Saxoniæ episcopi cōiuncti principib. alijs, Heinrico quinto bellum faciunt, inter quos primas tenuit Halberstadianus. Cranzius. Archiepiscoporum & episcoporū Germaniæ cōsilio, Heinricus Leo exilio mulctatur ab Imperatore. Sigeberti Continuator.

De consensu Bernhardi Antiocheni, Daberto Ierosolymitano exulanti S. Georgij ecclesia infra Antiochiam cum prædijs & certis reditib. confertur. Tyrius lib.10.ca.25.

DE ROMANORVM PONTIficum *principatu & tyrannide, item de operibus Antichristi in regimine Ecclesiastico.*

DOMINATIO SVPER *Ecclesias orbis.*

PRincipatum super alias Ecclesias omnes, efferunt papæ Romani etiam hoc seculo. Per Gualtonem enim Beluacensem episcopū, Paschalis Romanus duos Gnesnensis prouinciæ episcopos suis sedibus eiecit: quorum alterū Duglossus Ciaslaum fuisse opinatur, qui Cracouiēsem sedē, permittente Boleslao duce, sine autoritate pōtificis usurpauerat. Cromerus lib.5. Tyrensi episcopo, ut Hierosolymitano pareat patriarchæ, mandat Innocētius secundus, cum olim ea ecclesia Antiocheno subiecta fuisset, ac inter cunctos suffraganeos primum tenuisset locū. Tyrius lib.14.ca.12. Ad Heinricum Anglorum regem pro inuestituris in hunc modū scribit Paschalis: Graue nobis est, quia id à nobis uideris expetere, quod præstare omnino non possumus. Si enim consentiamus, aut patiamur inuestituras à tua excellentia fieri, & nostrum proculdubio, & tuum erit immane periculum. Quare contemplari te uolumus, quid aut non faciendo perdas, aut faciendo conquiras. Nos enim in prohibitione hac nihil amplius obedientiç, nihil liberalitatis per Ecclesias nanciscimur, nec tibi debitç potestatis aut iuris subtrahere quicquam nitimur, nisi ut erga te ira Dei minuatur, & sic tibi prospera cuncta contingant. Ait enim Dominus: Honorificantes me, honorificabo. Qui autem contemnūt me, erunt ignobiles. Dices itaq;, Mei hoc iuris est. Nō utiq;, nō est Imperatorium, non regium, sed diuinum. Solius illius est, qui dicit: Ego sum ostium. Vnde per ipsum te rogo, cuius hoc munus est, ut reddas hoc ipsi. Ipsi dimittas, cuius amori etiā quæ tua sunt debes. Nos autem cur tuæ obniteremur uoluntati, cur obsisteremus gratiæ, nisi Dei in huius negocij cōsensu sciremus nos uoluntati obuiare, gratiam amittere? Cur tibi quicquam negaremus, quod cuiquam esset mortalium concedendum, cum beneficia de te ampliora sumpserimus? Malmesburiensis lib.5. cap. 25. De Romanæ ecclesiæ primatu ad canonicos Bononienses, legum doctores, & magistros, Adriani quoq; subijcere uisum est epistolæ cuiusdam fragmentum: Aeterna & incommutabilis prouidentia conditoris sanctam & immaculatam Ecclesiam à suæ fundationis exordio ea ratione & ordine uoluit gubernari, ut unus eiusdem pastor & institutor existeret, cui uniuersi ecclesiarum prælati absq; repugnantia subijcerent, & membra tāquam suo capiti cohærentia, ei se quadam mirabili unitate coniungerent, & ab ipso nullatenus dissiderēt. Qui uerò Apostolis suis pro eorum fidei firmitate promisit, dicens, Ecce ego uobiscū sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi: ille proculdubio Ecclesiam suam, cuius ipsi Apostoli magisteriū assumpserunt, sua promissione fraudari nullo modo patietur: sed eam in suo statu & ordine, licet ad instar nauiculæ Petri fluctuare uideatur, perpetuò faciet permanere, &c. Et solius papç esse, translationem episcopo-

episcoporum ab uno aliquo loco in alium facere, testatur Petrus Cluniacensis in epistola ad Innocentium. Cum Guilhelmo Siciliæ rege ea lege pacem Hadrianus sancit, ut ipsi maneat saluum ius in uniuerso regno ipsius consecrandi episcopos. Continuator Sigeberti. Idem pontifex Gradésem episcopum primatum super omnes ducatus Venetiarum, atque etiam Histriæ & Liburnorum Ecclesias tenere declarauit. Blondus lib.5. Decad.2. Confirmationem episcoporum Germanis Calixtus secundus abstulit. Pantaleon.

Sibi postremum & summum iudicium de quauis doctrina arrogãt. Paschalis enim secundus Florentinum antistitem affirmantem, Antichristum esse natum, & hoc publicè prædicantem (teste Sabellico) anno 1102 in concilio Romæ repressit. Balæus, Bibliander.

Suas censuras alijs Ecclesijs omnib. obtrudunt, tali appendice, ne cuiquam fas sit dissentire. Nam pro autoritate Apostolica Hierosolymitano patriarchæ Alexander tertius prohibet, sine consilio fratrum abbates, abbatissas, & alias Ecclesiasticas personas uel instituere uel destituere. Nos enim, inquit, tales institutiones & destitutiones carere decernimus robore firmitatis. Item: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in concessionibus & confirmationibus, & alijs Ecclesiæ tuæ negocijs fratres tuos requiras, & cum eorum concilio & errata corrigas, & euellenda dissipes & euellas. libro tertio, titulo 10. c. 4. Nouit. Et c.5. Quanto.

Nolunt ullum concilium haberi, ubi uel ipsi papæ, uel à se missi non præsiderent. Diuionem ad concilium uenire non uult Alexander tertius, eo quòd à se illud indictum non fuisset. Barnus.

Iactant sine fine incredibiles prærogatiuas, quas prę alijs doctoribus habeant. Calixtus enim omnibus episcopis scribẽs, ait: Non decet à capite membra discedere: sed iuxta Scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur. Nulli uerò dubium, quòd Apostolica ecclesia mater sit omnium ecclesiarum, à cuius regulis nullatenus uos conuenit deuiare. Et sicut filius Dei uenit facere uoluntatem patris: sic & uos implete uoluntatem matris uestræ, quæ est Ecclesia, cuius caput est Romana ecclesia. Antoninus tit.17. capite 1.§.2. Sicut Romana ecclesia omniũ ecclesiarum, disponẽte Domino, mater est: ita etiam nos, qui eidem ecclesiæ, licet immeriti, supernæ dispositionis prouidẽtia prę sidemus, & prout Dominus nobis ministrauerit, consultationibus singulorum cogimur respondere, & quæ uidentur dubia, Apostolicæ circumspectionis prouidentia declarare. Alexander tertius in epistola ad Senonum archiepiscopũ, Tomo secundo conciliorum.

Legatos suos ueluti dromedarios quosdam, semper huc illuc mittunt, & mandata scribunt. Paschalis Gibelinum Arelatensem episcopum Ierosolyma mittit, pro cognoscenda Daiberti & Ebremari causa. Tyrius libro undecimo, capite quarto. Per Egidium Tusculanum Antiocheno patriarchę satis pro imperio Honorius mandat, ut Tyrensi suos restituat suffraganeos. Ibidem libro 13. capite 23. Idem papa pro Iohanne cardinali, suo ad Anglos legato, ad clerum Anglicanum scribit, rogans, monens atque præcipiens eis, ut hunc Iohannem tanquã sancti Petri uicarium (Sardanapali potius) reuerenter suscipiant, humiliter audiãt, & ad ipsius uocationem synodales cum eo conuentus solenniter celebrent, & ad eius placitum uiuant. Et pro eodem ad Dauidem Scotorum regem literas mittit, cui rogando mandat, ut hunc suum dilectum filium, cui uices suas in partibus illis cõmiserit, reuerenter suscipiat honoretque. Episcopos etiam terræ suæ, cum ab eo fuerint uocati, ad concilium suum faciat conuenire. Balæus libro quinto de Romanorum pontificum actis, in uita Honorij. Hugonẽ cardinalem Alexander tertius in Angliam Scotiamque pro reformandis Ecclesijs misit. Hector Boetius libro decimotertio de Scotis. Brunonem Coloniensem & Albertum Treuirensem episcopos Vuilhelmus Prænestinus, papæ legatus, consecrat, anno 1132. Appendix Mariani Scoti. Nicolaus, qui postea Romanus pontifex factus, Hadrianus dictus fuit, Eugenij tertij nomine legatione functus, apud Noruegianos archiepiscopalem erexit sedem. Gothicæ historiæ libro decimooctauo, capite decimooctauo. Albericus Hostiensis episcopus autoritate & legatione Apostolica ad Oriẽtis partes proficiscitur, exigẽte id populi Christiani utilitate: ut testatur Petrus Cluniacẽsis lib.4. epist.48.

Distribuũt episcopatus, ueluti Cęsar ducatus & prouincias. Statuit enim tertius Clemens, solum papam posse episcopos ad alium locum aut altiorem dignitatem trãsferre: & episcopos principibus dignitate præire decreuit. Decret. 1.tit.1.c.4. Celestinus tertius ciuitatis nomẽ Viterbio dedit, ecclesiamque ibidem cathedralem fecit, Tuscanensem & Centumcellensem ita in eandem trãsferens, ut unus episcopus omnibus præesset. Baleus. Paschalis centũ episcopos creasse dicitur. Platina.

Quosdam archiepiscopos uolunt suo nomine

nomine perpetuo legationum officio fungi ad uicinas gentes. Ad Guidonem Viennensem, Apostolicæ sedis legatum, extat Paschalis secundi epistola, c.14.q.2. Arnoldus Moguntinus Apostolicam legationem apud Adrianum promeruit: ut in appendice Mariani Scoti uidere est. Cãtuariensem archiepiscopum suis suffraganeis non tantũ metropoleos, sed & legationis iure præesse, scribit Alexander tertius in epistola ad eosdem, lib. primo, tit.3.c.1. Cum non ignoretis. Theobaldus ex abbate Beccensi Cantuariensis antistes creatus, Romam protinus perrexit: ubi accepto de more pallio, legatus ab Innocentio secundo factus est: in quo muneris genere religionem plurimũ iuuit. Manauit id munus postea ad omnes Cantuarienses archiepiscopos, qui legati nati dicti sunt. Polydorus Vergilius libro decimotertio historię Anglicę. Idem papa Gaufredum Carnotẽsium præsulem, Aquitaniæ legatum creauit: ut in uita Bernhardi libro secundo, capite primo scribitur. Malachiam Armachanum episcopum, legatũ suum per Hyberniam constituit Romanus pontifex. Bernhardus in uita eius. Heinrici presbyteri cardinalis, & Romanæ ecclesiæ legati, meminit Sigeberti Continuator.

Casus quosdam sibi reseruant. Si ex odio scholares uel seculares clerici se percusserint, pro sua absolutione debent ad Apostolicam sedem uenire. Alexander tertius libro quinto Decret. tit.39.c.1. Super. Hi qui uiolentas manus in clericos, canonicos, aut cuiuslibet religionis conuersos inijciunt, excommunicationis sententiam incurrunt, nec nisi in articulo mortis sine Romano pontifice possunt absolutionis beneficium impetrare. libro quinto Decretal. tit.39. c.5. Non dubium. Idem & sequentibus aliquot capitibus asserit. Constituit etiam Innocentius, excommunicandum esse, qui unctum sacrificum aut clericum rasum percusserit: nec absoluendum esse, nisi ab ipso papa. Causa decimaseptima, q.4. Si quis. Et Ecclesiam non esse committendam conductitijs sacrificulis. c.21. q.3. Præcipimus.

Volunt esse irreprehensibiles in terris, quicquid tandem sentiant aut designent. Rolandus enim Romanorum pontifex, cũ ab Imperatore ad Synodum uocaretur, Papiam uenire detrectauit, respondit q́; Cum ipse omnes debeat iudicare, se à nullo uelle iudicari: ut habet epistola Friderici Imperatoris ad Saltzburgẽsem episcopum, apud Radeuicum libro 4. capite 73. Successores suos Romanos pontifices à nemine iudicari posse aut debere, statuit Gelasius secundus. Balæus.

Alexander tertius Papiensem episcopũ pallij & ferendæ crucis dignitate priuauit, quòd ex parte Friderici Imperatoris staret. Platina. Chron. Bamberg.

Vt Cæsares duces, ita ipsi cardinales & archiepiscopos creant, qui suæ dominationi assistant. Nam ferè quadringentos cardinales à Romanis pontificib. hac ætate creatos, Onuphrius recenset.

Episcopos ordinãt in uniuersum orbem terrarum, siue ueniant in ea loca, quorum titulum ipsis imponunt, siue non. Noberto cuidam Gelasius secundus licentiã in uniuerso terrarum orbe prædicandi concessit. Sigebertus.

Venalia habẽt: Episcopatus. Sic cardinales duo corrupti pecunia, Heinricum præsulem Moguntinum sede deponi, Arnoldũ uerò quendam malitiosum substitui, apud papã obtinent. sed paulo pòst ambo miserabili morte interière. Pantaleon.

Abbatias: Abbates Vlmẽses magnis sumptibus à sede Apostolica præter monasticas dignitates impetrauerunt & pontificalia insignia: contra quod tamen S. Bernhardus multa scripsit. Chronicon Vlmense.

Pallia: Nam non posse ullius archiepiscopi pallium alij communicari, sed quemlibet cum eo sepeliendum, statuit Celestinus tertius, ne quid scilicet Romanorum luxui decederet, lib. primo. tit. octauo. c.2. Ad hoc. Et Alexander tertius statuit, ne quis archiepiscoporum reciperet pallium, nisi prius obedientiæ iuramentum papæ præstitisset. Pantaleon, Balæus. Coloniensis, quòd pallium nondum redemisset, Conrado tertio regium diadema imponere prohibetur. Cuspinianus.

Et Hadrianus antequam pontifex crearetur, solitus est dicere: Benè dicitur non tam nuncupatiuè, quàm etiam substantiuè summus pontifex seruus seruorum. Seruiat enim seruis auariciæ, hoc est Romanis, necesse est adeò, ut nisi seruierit, fiat aut expontifex aut exromanus. Vincentius libro 29. cap.3.

Vixit hoc seculo quidam Bernhardus Cluniacensis, qui scripsit ad Petrum Cluniacensem abbatem tres quasi Satyras dactylo carmine, in quarum duabus posterioribus acriter clerum insectatur: reprehendit eorum multiplicia flagitia, libidines, auariciam, superbiam, ambitionem: reprehendit & simoniam, item & officij neglectionem. Queritur, indignissimos ad summa officia in Ecclesia promoueri, atque ita miserè negligi & perdi oues Christi. Ante omnia autem uehementissimè Romanam curiam insectatur: ubi queritur, omnia auro argento q́; uendi, etiam ipsam iusticiã. Sed adscribamus pauca quædam inde:

tius dominabatur, missos, ut inter cętera sacrificij formam iuxta eius consuetudinem addiscerent, Romanus pontifex gratanter suscipiens, Missarum solennijs, ac sacrificij decretis adhibuit, diligenterq; ea quæ fiebant ibidem, eos animaduertere monuit. Quod dum facerent, intentiq; sacro altari astarent, unus ex eis pontificali dignitate præditus, sicut postmodum in plena curia retulit, in beati Martini octaua, quādo dedicatio ecclesiæ beati Petri celebrari solet, summo pontifice diuina mysteria agente, splendido fulgore radium solis super caput eius coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes & descendentes uidit. Cumque diligentius hac illacque oculos circumferret, nullumq; aditum, per quem lux illa transfunderetur, inueniret, deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ sedis amplius accensus, cunctis quæ uiderat aperuit. At uenerabilis pater non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius fide cœlitùs hoc sibi monstratum affirmabat, ut uidelicet Ecclesia, à qua ipse missus fuerat, sacramentorum uirtutem, ueritatis luce perfusam, cognosceret, ac deinceps quali ea reuerentia & forma tractare deberet, addisceret. Ottho Frisingensis libro septimo, capite trigesimosecundo. Ioannes quidam cardinalis Constantinopolim missus est, ut Ecclesiam Græcorum ad instituta & subiectionem Romanorum reuocaret: uerùm ibidē occiditur, anno 1182. Sigeberti Continuator.

Idololatriam confirmant & exercent. Canonizationes enim sanctorum mortuorum à solo papa fieri posse, decreuit Alexander tertius, & illis solis diuinum honorem exhiberi iussit. Pantaleō, Baleus. Thomam Cantuariensem, quem Baleus regis & regni Anglorum proditorem uocat, diuorum catalogo idem adscripsit, & ut natalis eius festiuus celebraretur, maximè uerò ab Anglis, mandauit. Sigeberti Continuator, Boethius libro decimotertio de Scotis. Eiusdem autoritate, per Stephanum Vpsalensem archiepiscopum Helena de Schedui apud Suecos in diuorum recipitur contubernium. Gothicæ historiæ libro decimonono, capite septimo. Idem Bernhardum Clareuallensem inter Diuos locum capere iussit, festum eius mandans celebrari die obitus sui. Antoninus. Eugenio tertio iubente, ad deorum papisticorum consortium Heinricus secundus Imperator transuolat. Per Clementem Otto Bambergensis eò quidem etiam commigrare iubetur: uerùm an id factum fuerit, meritò dubitatur. Chronicon Bambergense. Ac ut Romanorum pontificū uanitatē uideas, literarū exēplar inde adscribimus: Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, uenerabili fratri Egelberto episcopo, & dilectis filijs, canonicis Bambergensis ecclesię, salutem & Apostolicā benedictionem. Sicut per literas & nuncios uestros uobis mandasse meminimus, uenerabiles fratres nostros, N. Sanctæ Ruffinæ episcopum, & N. presbyterum cardinalem pro diuersis negotijs ad partes illas de nostro laterē delegauimus, eisq; uiua uoce iniunximus, ut ad ecclesiam uestram accederent, atque de uita & miraculis Heinrici regis, rei ueritatem diligenter inquirerent, & literis suis nobis significarent. Nunc autem eorundem fratrum nostrorum, & multorum religiosorum, & discretorum uirorum attestatione, de castitate ipsius, de fundatione Bambergensis ecclesiæ & multarum aliarum, quarundam quoque episcopalium sedium reparatione, & multiplici eleemosynarum largitione, de conuersione regis Stephani & totius Vngariæ, Domino cooperante, per eum facta. De glorioso etiam ipsius obitu, pluribusque miraculis post eius obitum, ad ipsius corporis præsentiam diuinitùs ostensis, multa cognouimus. Inter quæ illud præcipuum & memorabile plurimùm attendentes, quod cum diadema sceptrumque Imperij suscepisset, non imperialiter, sed spiritualiter uixit. In thoro etiam legitimo positus, (quod paucorum fuisse legitur) integritatem castimoniæ usque in finem uitæ conseruauit. Quæ quidem nos omnia simul perpendentes, atque deuotionem uestram & ecclesiæ Bambergensis, quæ sanctæ Romanæ ecclesiæ soli subesse dinoscitur, diligenter considerantes: tametsi huiusmodi petitio nisi in generalibus concilijs admitti non soleat, auctoritate tamen sanctæ Romanæ ecclesiæ, quæ omnium conciliorum firmamentum est, petitionibus uestris acquiescimus, atque eiusdem memorabilis uiri, cuius exaltationem requiritis, fratrum nostrorum archiepiscoporum, episcoporum, qui præsentes aderant, communicato consilio, memoriam inter sanctos decæterò fieri censemus, & anniuersarium ipsius diem solenniter celebrari constituimus. Vestra itaque interest, sic in sanctæ Romanæ ecclesiæ obedientia & fidelitate persistere, & ei dignè deuotionis obsequijs respondere, ut ampliori beati Petri & nostra gratia digni inueniamini. Datum Transtyberini 2. idus Martij. Itē: Clemens episcopus seruus seruorum Dei, uenerabilib. fratrib. Merseburgēsi & Eistetēsi episcopis, & dilectis filijs S. Emmerani Ratisbonensis, & Swartzēsi abbatib. decano &

no & scholastico Vuirtzburgēsi, salutē & Apostolicā benedictionem. Ad audientiā nostram & quarundam seriis literarum, & relatione multorum peruenit, quòd diuina potentia per merita & interuētum beati Ottonis Bambergensis multorum est operata salutem, præcipuè in gente Pomeranica, ad quam fuit sub Apostolica sede transmissus, & in ea quàm pluribus miraculis donauit illi Dominus coruscare. Quoniam igitur, iuxta diuinæ Scripturę testimoniū, lucerna non sub modio, sed supra candelabrum est ponenda: discretioni uestræ per Apostolica scripta mandamus, quāta de uita ipsius & miraculis diligentius inquiratis, quæ nobis fuerunt per multorum literas indicata: & si non inueneritis aliquid quod obsistat, ipsum canonizatū, autoritate freti Apostolica, solēniter & publicè annuncietis, anniuersarium diem sui transitus facientes, & publicè annunciantes, ad honorem Dei & ipsius beati uiri memoriā solennem haberi. Datum Laterani 3. calēd. Maij, pontificatus nostri anno secundo. Eiusdem ferè tenoris epistolam ad Bambergensem clerum scribit.

Missas stabiliunt. Innocentius enim secundus, ut quilibet Missam celebrans communicet, & ut pontifex Romanus sedēs sacra peragat, ac à diacono Eucharistiam sumat, statuit. Gygas. Missam de S. Maria singulis diebus in insulana ecclesia celebrādam, Alexander tertius confirmat libro 3. tit. 5. ca. 11. Significatum. Petri & Pauli die, Missam Adriano papa celebrante, Fridericus Imperator coronatur. Ac tradunt, Romanum ibi pontificem inter Missarum solennia cunctos, qui fortasse in conflictu cū Romanis habito sanguinem fuderant, absoluisse: allegationibus usum, eo quòd miles proprio principi militans, eiusq; obedientiæ astrictus contra hostem Imperij dimicans, sanguinem fundens, iure tam poli quàm fori non homicida, sed uindex affirmetur. Otto Frisingensis lib. 2. cap. 23. de gestis Friderici.

Superstitiones augent & imponunt. Superstitionib. enim plenissima Calixti quædam de Turcis bulla est, cuius summam hic inserimus. Primùm hortatur & mandat, quatenus omnes & singuli sacerdotes, quacunq; dignitate præfulgeant Ecclesiastica, secularium & regularium ordinum quorumcunq;, exemptorum & non exemptorum, cum eos celebrare contigerit, commemorationem faciant, & orationem dicant contra paganos institutam, uidelicet, Omnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omniū potestates, &c. Quibus celebrātibus, & huiusmodi orationem dicentibus, relaxat centū dies de iniunctis eis pœnitētijs. Deinde, ut omnis populus cuiuscunq; generis aut sexus, orationum & indulgentiarum participes esse possint, præcipit & mandat, ut in singulis ciuitatibus, terris, castris & uillis siue locis, inter Nonas & Vesperas, uidelicet ante pulsationem Vesperarum per interuallum mediæ horæ, singulis diebus tribus uicibus una campana sonorosa, ut bene audiatur, pulsetur, quēadmodum pro Angelica salutatione pulsatur: & tum quilibet orationem Dominicā dicere debeat, & Angelicam salutationē, Aue Maria, &c. Quibus semel, quadraginta tribus autem uicibus dicentibus, flexis genibus, centum dies indulgentiarum misericorditer elargitur. Mandat etiam atque præcipit, quatenus in singulis ciuitatibus, terris, castris & uillis siue locis, omnibus primis Dominicis diebus singulorum mēsium, processiones generales fiant, ad quas omnis populus conueniat, & clerici siue seculares siue regulares, mendicantes & non mendicantes, exempti & nō exempti, qui extrà aut intra mœnia urbium, ciuitatum, terrarum, castrorum, uillarum siue locorum existant. Religiosi uerò qui in solitudine degunt, quiq; ad huiusmodi processiones, quando in ciuitatibus, terris, castris & uillis siue locis fieri solent, conuenire non consueuerunt, non compellantur: sed ijsdem diebus ipsi intra claustra monasteriorum suorum, aut in circuitu eorum, aut ad aliquam proximam basilicam se conferentes, prout eis maior deuotio fuerit, processiones faciant. Moniales autem intra mœnia urbium habitantes seu extrà, prędictas processiones intra claustrum faciant, septem Psalmos pœnitentiales cum litanijs decātantes. Si uerò in Dominicis diebus aliquod legitimum impedimentum superuenerit, quo minus processiones generales deuotè atque pacificè fieri possunt, mandat, ut unaquæque parochia siue monasterium, & quæuis alia ecclesia, intra ambitum ecclesiarum siue claustrorum eas faciant. Orationes autem siue cantus, cæteræq; ceremoniæ in prædictis processionibus fiant, sicut in quibuslibet ciuitatibus, terris, castris & uillis siue locis consuetum est, aut sicut ipsi præsidentes pro re tam pia tamque necessaria deuotius ordinandum putauerint. Ita tamen ut Missa solennis in prædictis processionibus dicatur, quæ in Ecclesia contra paganos ordinata est. Mandat præterea, ut in ciuitatibus, terris, castris & uillis siue locis, in quibus prędicator quisq; uerbi Dei haberi possit, in solēnitate processionis per illū sermo fiat ad populū: in quo primò studebit fidē confirma-

confirmare, eosq; patientes in huiusmodi tribulationibus retinere, doceatq; quomodo probatio fidei patientiam operatur, & patientia opus perfectum habet. Sicut largam indulgentiam, corporalem opem contra Turcam ferentibus concessit: ita etiam ijs qui opem tulerint spiritualem. Omnib. itaque uerè pœnitentibus & confessis, qui ad prædictas processiones conuenerint, septem annos & tot quadragenas de uera indulgentia impertitur. Illis qui pia emiserint uota, eaq; compleuerint, aut orationũ, aut peregrinationum, aut largitionum eleemosynarum, ut omnipotens Deus ad auxilium Christianorum respicere pro sua pietate dignetur, duos annos & totidem quadragenas de uera pœnitentia indulget. Præmissæ indulgentiæ tamdiu durant, quamdiu huiusmodi persecutio durabit, & de cœlo uictoria dabitur contra perfidum Turcam. Et Alexander tertius Venetiis ad S. Marci templum in Ascensione Domini, indulgentias plenarias perpetuò duraturas concessit. Baleus.

Ordinem Teutonicorum militum Celestinus tertius, Iohannitarum Clemens tertius confirmarunt. Chronicon Prutenicum. Carthusanos comprobauit Alexander tertius cum subscriptione omnium cardinalium, suscipiens eos sub protectionem S. Petri & suorum priuilegiorum. Fasciculus temporum. Calixtus Hildebrandi statutum de abdicandis ministrorum coniugibus renouauit, ac ieiunia quatuor temporum instituit: edixitq;, à Romana ecclesia non licere in aliquo dissentire, hanc addens rationem: Quia (inquit) ut filius Christus uenit facere uoluntatem patris, ita Christianos oportet facere uoluntatem matris Romanæ ecclesiæ. Baleus Centuria 2. cap. 65 Scriptorum Britanniæ, in appendice. Dist. 76. c. Ieiunium. Distinct. 12. c. Non decet.

Profectiones Romanas adorationis & religionis gratia confirmant. Burdinum Antipapam, negociationis ac religionis causa Romam commeantes spoliatem, Calixtus secundus capit. Platina. Idem eos qui Romipetas, uel ad alia sanctorum loca euntes spoliant, uel qualicunq; iniuria afficiunt, excommunicationis reos pronunciat. 24. q. 3. Si quis. Venientis ad nos Romam narratione accepimus, quòd in puerili ætate constitutus Hierosolymam disposuit proficisci: cuidam quoque, qui sepulchrum Dominicum proposuerat uisitare, fidem dedit, & suam recepit ab eo, quòd sibi inuicem in uia socij fideles existerent. Nos autem ipsum à uoto, quod in ætate tenera facilitate potius quàm ex arbitrio discretionis promisit, absoluimus: ita tamen, quòd idem uotum eleemosynis redimat, & iuxta consilium nostrum toto uitæ suæ tempore uni pauperum Christi (dummodo ad hoc suæ facultates sufficiant) debeat prouidere. lib. 3. Decretalium, tit. 34. capite 2. Venientis.

Gregorius octauus pœnarum æternarũ relaxationem promittit sacris militibus. Iohannes de Oppido.

REGNA HVIVS MVNDI, *& gloria eorum, seu,*

PAPA CAESAREATVS.

Regna huius mundi tenent ipsi pontifices Romani. Sic Rupertus Tuitiensis inquit: Etenim terreno Imperio potentius factum est in gentibus cœleste imperium, in tantum, ut feros principes & barbaras nationes, quas Imperatorum gladius non attingeret, sacerdotum lingua liget: & latius Romanæ ecclesiæ pontifices, quàm Romani Imperij dominentur Imperatores. Quamuis enim multis aucta uictorijs Roma, ius Imperij sui terra mariq; protulerit, minus tamen est quod illi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit. Rupertus Tuitiensis lib. 7. in Genesin, capite 10.

Vrbes. Vrbis Romanæ dominium Romano pontifici traditum, Innocentius secundus contendit: ut ex Frising. lib. 7. cap. 27. constat. Paschalis à religione ad arma conuersus, urbem Castellanam & Beneuẽtum ab hostibus recipit, & Cauas pontificiæ dignitatis oppidum à Petro Columna præpotente Romano ciue armis iterũ extorsit, imò Zagorolum & Columnam paternæ hæreditatis oppida ei abstulit. Platina in uita eius, Sabellicus. Anathematis fulmine consules Romanos magistratu se abdicare coegit Hadrianus quartus, relicta ipsi administrandæ urbis libera facultate. Platina in uita eius. Lucius secundus senatum Romanum, quòd consulum loco patricium designassent, armato milite in curia oppressurus, lapidum ictu adeò pulsatur, ut breui sit mortuus. Baleus. Salernitanos suo dominio subiectos uult esse Romanus papa, contra Lotharij Imperatoris uoluntatem. Chron. Cass. libro 4. capite 118.

Romam per Venetorum & Guilhelmi Siculi triremes deductus Alexander, ea lege Romanos in gratiam recipit, ut à populo electi consules non prius magistratum inirent, quàm pontifici iurarent, se ecclesiæ Romanæ fore fideles, & nihil unquam molituros, quod dignitati pontificiæ obesset. Penitùs enim consules tolli difficile erat. Nauclerus, Blondus decadis secundæ libro sexto.

Arces. Ad S. Christinæ lacum multas arces Adrianus quartus cōdit, & Rodicophanum arce & uallo munitißimum reddit. Platina.

Regna. Nam Adrianus quartus Guilhelmo Sicilię regnum, Apuliæ ducatum & Capuanum principatum pontificia concesśit autoritate, anno 1157. Sigeberti Continuator. Guilhelmo uerò mortuo, regnum eius ad Romanam ecclesiam recidebat, nullo legitimo hærede relicto: licet insulæ proceres Tancredum statim suffecerint, ex Rogerio Normanno & pellice quadam genitum. Repetiturus itaque sua iura Clemens pontifex, copias eò celeriter misit, quibus dum Tancredus resistit, rapinis & cædibus omnia repleta sunt. Platina.

Deuicto Rogerio per Lotharium, Innocentius pōtifex Reginaldo Cæsareani exercitus duci Apuliæ donauit ducatū, ac quicquid in Italia Rogerius tenebat. Hinc contentio inter pontificem & Imperatorē orta est, cum uterque sibi id iuris arrogaret. Et cum neuter alteri totum ius cederet, hac lege sedata est controuersia, ut uterque uexillo nouo duci tribuendo manū admoueret: quo declararetur, utriq; ius esse cōferendi istū ducatū. Ottho Frising. li. 7. ca. 20.

Idem papa in Angliam duos cardinales ablegauit, qui de nece Thomæ Cantuariensis accuratius inquirerent. Heinrici enim regis legatis, quos sui purgandi causa miserat, fidē adhibere noluit. Ac licet factam à se cædem constanter, interposito etiam iuramento, Heinricus negaret: tamē cùm suo in episcopum odio, alijs perpetrādi cædem occasionem se dedisse fateretur, pœnitentię modus ab Apostolica sede iniūctus est: quā cum promptè acciperet, regni Anglici titulum in se atq; in hæredes suos trāsferri meruit. Hinc, inquit Platina, obseruatum est, ut omnes Anglici reges à Romano pontifice regni iura recognoscant. Et Blondus ait, Neminem posthac Angliæ regem fore, qui à Romano pontifice Rex appellatus non esset. li. 5. decad. 1. Sed in Anglicis annalib. hoc reperiri negat Polydorus, nec etiā reges subsequētes obseruasse. li. 13.

Gaufredo Andegauensi comiti tres erant filij, Heinricus, Gaufredus & Vuilhelmus. Morti uicinus pater testamento constituit, ut, Heinrico regnum Angliæ assecuto, Andegauensis comitatus Gaufredo cederet. Testes autem episcopos iurare coēgit, nō se passuros defuncti corpus terrę mādari, antequam filij imperata patris se facturos promitterent. Iurant quidē in uerba episcoporum filij: sed Heinricus post adeptum regnum Anglię, maiori habendi cupiditate incensus, ab Hadriano quarto ea promissi obligatione absoluitur. Ab æquitate, à lege, à iure recedendi licentiam consecutus, fratrem comitatu suo expoliat. Polydorus Vergilius li. 13 Anglicæ historiæ sub Heinrico secundo.

Ethruriæ cuidam oppido, ciuitatis nomē dedit Celestinus, anno 1193 Bergomensis. Viterbio idem iuris Celestinus tertius cōfert, & cathedralem sedem ibi constituit. Platina.

De patrimonio Petri in immensum iactitant. Anno 1115 Mathildis egregia fœmina, sed miserè à papa Gregorio decepta, papæ & ecclesiæ Romanæ regiones tradidit, à Pissia & S. Quirico agri Senensis & Ceperanum, quicquid in medio iacet inter alpes & mare, quod patrimonium S. Petri uocatur. Syluius in decades Blondi lib. 4: Platina in uita Paschalis, Nauclerus, Auentinus libro 6. Ab eo etiam tempore, quo Rogerium regem designauit Innocentius secundus, regnum Siciliæ patrimonium S. Petri scriptum est. Quod Conradus & successores sui ratum non habuerunt, secutaque sunt inde multa mala. Nauclerus uolumine secundo, generatione 38.

Episcopos etiam à se creatos sinunt regna, id est, arces, urbes, oppida tenere. Omnes principes terræ & cæteros homines episcopis obedire, beatus Petrus præcipiebat, teste Clemente tertio, lib. primo, tit. trigesimotertio, c. 4: Omnes principes.

Pręterea episcopos dignitate pręire principibus, uoluit Clemens tertius. Pantaleō.

Abbates quoque agros, pagos, oppida possidere, more politicorum, sinunt: ut ex Chronico Casinensi satis superque liquet.

Iurisdictionem politicam, in causis ciuilibus dirimendis, & puniendis facinorosis gladio, usurpant. Clericos, qui regium sigillū corruperant, hac ratione puniēdos consuluit Vrbanus tertius, ut suis dignitatib. exuātur, & stigma aliquod ipsis inuratur, & denique in exilium mittantur. lib. 5. tit. 20. c. 3. Suspectos de aliquo facinore quęstionibus subijcere, & uinculis detinere iubet Alexander tertius in Decretis, libro tertio, tit. 16. c. 1. Grauis

Clericorum causas iuxta ius Canonicum decidendas esse, uult Celestinus libro secundo, titulo secundo, c. 9. Quod clericus. Eugenius secundus autoritatem summam attribuit decreto Gratiani, ut secundum illius Canones ius dicatur in consistorijs papisticis. Bibliander.

Bella gerunt Romani pontifices. Multorum enim principum copijs stipatus Paschalis Romam ingredi parat. Imò totum uitæ suæ cursum in bellis gerendis absoluit,

uit, Rogerij comitis auxiliaribus copijs confisus, bona sub Heinrico Romanæ sedi adempta recuperat, & multa præterea aduersarijs eripit, suisque addit. Platina, Barnus. Eundem papam bellicosissimum, principibus aduersarium & superbum uocat Bibliander. Armis Rogerio Apuliam adimere tentat Innocentius secundus, quòd Guilhelmo duce mortuo, hæredes deficerent. Platina.

Et episcopi ipsorum creaturæ. Bernhardus Antiochenorum, Daibertus Hierosolymorum patriarchæ, & Benedictus Edessenorum archiepiscopus, Carram Mesopotamiæ urbem cum alijs obsident. Tyrius libro decimo, capite 29. Ebremarus Hierosolymitanus crucis ligno munitus, unà cũ rege cõtra Ægyptios præliatur: ut idem libro undecimo, capite tertio testatur. Arnulphus eiusdem sedis patriarcha, in acie cum Balduino conspicitur. Ibidem capite decimonono. Vniuersi Saxoniæ episcopi, principibus secularibus coniuncti, Obotritos & Luticios maximo hominum cruce signatorum exercitu petunt, Christicolis illata damna ulturi. Helmoldus cap. 63. Temporibus Alexandri tertij Gerardus episcopus Lemonicensis cum populo terræ duo millia Scotarellorum, qui obtentu regis Angliæ Aquitaniam deuastabant, in castro, quod Belum dicebatur, peremit. Ioannes de Oppido. Et Lucij temporibus Ebrãdus episcopus & uicecomes Lemonicensis cũ populo terræ, die Paschæ, cum populus sacrum mysterium percepisset, sex millia barbarorum, qui pro rege Angliæ Aquitaniam deuastabant, peremit. Idem.

Et abbates. Hector enim, Pandulfus & Gisulfus castrum Casinensis monasterij, quod Cominum dicitur, furtiuè surripiũt, terrasque contiguas uexare cœperunt. Abbas autem coacto milite, illorum omnia ferro igneque consumpsit. Chronicon Casi. libro quarto, capite quinquagesimonono. Roberto Capuano principe suppetias ferente, Bruno abbas Casinensis Therame castrum, quod Aquinenses comites monasterio ademerant, ui & armis recuperat. Abbas pro officio, Capuano ducentas tradit libras. Chronicon Casinense libro 4. capite 34.

Castra Imperatorum & regum sequuntur, ac prælijs intersunt. Heinricum enim ducem, à Lothario socero Imperatore in Campaniam missum cum ualido exercitu, Innocentius papa comitatur: Casinense monasterium omnium primũ oppugnant, & ad deditionem cogunt. Deinde in Rabonem Capuanum mouent, eumq; imperata facere perpellunt. Beneuentum, Troiam Apuliæ oppidum, Garganum ac Sipontiũ eadem opera subijciunt. Chronicon Casi. lib. 4. cap. 106.

Papę Romani ius creandi Imperatorem sibi uendicant, nec ullum pro Cæsare Augusto haberi uolunt, nisi quem ipsi coronarint: qua de re ex Hadriani quarti epistola fragmentum hic adscribemus, quod apud Auentinum extat: Romanum Imperium à Græcis translatum est ad Alemannos, ut rex Teutonicorum non antè, quàm ab Apostolico coronaretur, Imperator uocaretur. Ante consecrationem Rex, pòst Imperator. Vnde igitur habet imperiũ, nisi à nobis? Ex electione principum suorum habet nomen regis, ex consecratione nostra habet nomen Imperatoris, & Augusti, & Cæsaris. Ergo per nos imperat. Recolite antiqua. Zacharias promouit Carolum, fecit ei nomen grande, ut esset Imperator: & ut posthac perpetuò rex Teutonicus esset Imperator, & aduocatus sedis Apostolicæ: ut Romano episcopo Apulia, per eum pacata, esset subiecta: quæ nostra cum urbe Romana est, non Imperatoris: Romæ nostra sedes est, Imperatoris est Aquis in Arduenna, quæ est sylua Galliæ. Imperator quod habet, totum habet à nobis. Sicut Zacharias transtulit Imperium à Græcis ad Teutonicos, ita nos possumus ab Alemãnis transferre ad Græcos. Ecce in potestate nostra est, ut demus illud cui uolumus, propterea constituti à Deo super gentes & regna, ut destruamus, & euellamus, & ædificemus, & plantemus, &c. Deinde Germanos imbelles uocat, imbecillitatem illis obijcit, qui Rogerium Italia pellere, Danos, Frisios perdomitare nunquam uoluerint. Libro 6. Annalium. Extat & eiusdem pontificis apud Naucleium arrogantiæ plenissima epistola, quam in Hirsaugiensi cœnobio se reperisse ait: Adrianus episcopus, seruus seruorum Dei, Friderico Romanorum Imperatori salutem & Apostolicam benedictionem. Lex diuina sicut parentes honorantibus longæuitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri, sententiam mortis intendit. Veritatis autem uoce docemur, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: quapropter dilecte in Domino fili, super prudentia tua non mediocriter admiramur, quòd B. Petro & sanctæ Romanæ ecclesiæ non quantam deberes reuerentiam exhibere uideris. In literis enim ad nos missis nomen tuum nostro præponis, in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris. quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis à te promissa & iurata, quomodo eam obseruas, cum ab his qui Dei sunt, & filij excelsi omnes,

omnes, episcopis uidelicet, homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum sacratas manibus tuis innectis; & manifestè nobis factus contrarius, cardinalibus è latere nostro directis, non solùm ecclesias, sed & ciuitates regni tui claudis? resipisce ergo, resipisce, tibi consulimus: quia dum à nobis consecrationem & coronam merueris, dum inconcessa captas, ne concessa perdas, nobilitati tuæ timemus. Volumine secundo, generatione 39. Conradus tertius Confluentiæ à principibus Imperij in Romanum regẽ eligitur, præsente Theodorico cardinale legato Apostolico, & põtificis Romani assensum promittente. Cuspinianus.

Imperatores cogunt in sua uerba iurare. Heinrico enim quinto, in Paschalis uerba iurare detrectanti, quòd nimirum in catholicæ fidei obseruantia integer, in Apostolicę sedis reuerentia promptus, in Ecclesiarum defensione sollicitus semper sit futurus, coronatio denegatur. Helmoldus cap. 40. Fridericus Imperator non modò in põtificis Alexandri uerba iurat apud Venetos, sed & humi prostratus superbissimo nebuloni collũ calcandũ, omnibus spectãtibus, præbet. Nauclerus. Ea conditione Celestinus tertius Heinricum sextum diademate Romę ornat, ut Thusculũ ipsi tradat. Chronicon Bambergense.

Sumunt sibi potestatem deponendi Imperatores & Reges, ut patet ex epistola Hadriani, quã paulo antè ex Nauclero adscripsimus. Ait enim: Resipisce, resipisce, tibi consulimus, ne dum inconcessa captas, concessa perdas. Celestinus tertius Heinricũ sextum coronauit in Imperatorem sub hac forma: in primis recepto ab eodem iuramẽto ante gradus ecclesiæ Romanæ, quòd Ecclesiam Dei defenderet, eius iura conseruaret, rectãm iusticiam teneret, patrimonium Petri, si quid ablatum fuerit, pro posse reuocaret. Econtrà dominus papa in cathedra sedens, coronamq; Imperialem manibus tenens inclinato capiti Imperatoris imposuit: quam tamen statim pede in terram excussit, designans per hoc, quòd ipse papa haberet potestatem creandi Imperatorem, si meruerit: & deijciendi, si demeruerit. Ranulphus libro 7. capite 26. in Polychronico. Guilhelmum Siciliæ regem, cum Romanę ecclesiæ urbes quasdam surripuisset, Adrianus excommunicatum regni titulo priuat. Syluius in Blondi decades, lib. 5.

Excommunicant reges suis uoluntatib. aduersantes. Paschalis enim Heinrici Imperatoris excommunicationem iterauit. Helmoldus cap. 32. Otto Frisingensis libro 7. capite 11. Fridericum Imperatorem Alexander Ecclesiastico ferit anathemate; quòd Victoris, ut annotat Platina, sectaretur partes. Nauclerus, Vrspergensis. Cum passim ciuitates Italiæ defectionem meditarentur, studerentq; se ab imperatore Friderico ad libertatem adserere, Imperatorq; eos cogeret armis parẽre sępius: abductis tamẽ copijs, rursus rebellionem parabant. Ligurinus & Iohannes de Cremona scribunt, eã rebellionem fouisse Romanum põtificem, qui pertinaciter oderat Imperatorẽ, quòd pontificios legatos arceret à sui Imperij finibus, & quòd iuramenta ab episcopis sumeret, uideretur q; Hadrianum non habere in tanto honore Imperator, in quanto honore ambitiosi ac superbi põtifices in uniuerso orbe haberi uolebãt. Et quia uiderat, Mediolanenses cum primis feruere odio Imperatoris, mittit legatos suos ad eos, qui defectionem rursus suadeant. Mediolanẽses, quibus non erat ingratum, quod pontifex suadet, cupiunt rebellionis prętextum: hoc est, ut Imperator excõmunicetur, ut habeant ansam meliorẽ rursus deficiendi ab Imperatore. Fit itaq; conspiratio contra Imperatorem, inter Hadrianum, maximam partem cardinalium, Vuilhelmum Siciliæ regem, & inter nobiles Italiæ. Ciuitates penè omnes totius Italiæ sibi adiungunt. Immẽsa pecuniæ summa datur pontifici, ut Imperatorem excommunicaret. Conspiratio iuramento firmatur cum his legibus, ex socijs conspirationis factæ neminem cum Imperatore debere redire in gratiam, nisi omnes pariter suffragarentur, pontificeq; mortuo, cardinalem ex conspiratorum albo tantũ creandum esse pontificem, ut sic conspirationis fœdera semper manerent integra. Põtifex Hadrianus cõtra Imperatorem excõmunicationẽ denunciat apud Anagniam. Rob. Barnus in uita Hadriani quarti.

Excitant omnes reliquos Ecclesię præsules, ut secũ exequantur excõmunicationes cõtra Imperatores & reges. Paschalis Heinricũ Imperatorẽ ab omnib. episcopis, cunctisq; Ecclesiæ catholicæ cultorib. excõmunicatum haberi præcepit. Helmoldus cap. 32. Cranzius lib. 5. cap. 3. Metropolis. De Friderico excõmunicato Alexander ad Saltzburgensem episcopũ eiusq; suffraganeos scribit: Sanè nos ipsius Imperatoris immensam iniquitatẽ, & tantã perfidiã attẽdẽtes, cõmunicato fratrũ nostrorũ episcoporum & cardinaliũ & aliorũ religiosorũ consilio, tam ipsum Fridericũ, non iam Imperatoris officiũ, sed quę tyrãni sunt exercentẽ, quàm prędictum Octauianũ schismaticũ, & Ottonẽ comitẽ palatinũ, atq; omnes principales fautores eorũ, in Cœna Dñi, cœtu clericorũ & multorũ uirorũ nobiliũ in ecclesia cõgregato,

gregato, accensis candelis publicè excōmunicauimus, & tradidimus huiusmodi sathanæ in interitum carnis, ut spiritus eorū salui sint in die Domini. De communi etiam fratrum nostrorum cōsilio atq; uoluntate, uos omnes specialiter & cōmuniter uniuersos à fidelitate, quam ei fecistis, & ab omni debito Imperij, ex parte Dei omnipotentis & beatorū apostolorū Petri & Pauli, autoritate apostolicæ sedis absoluimus, ita quòd in nullo ei decæterò teneamini obedire: sed potius in remißioné uobis iniungimus delictorum, ut contra eos, quos ipse per tyrannidem suam sibi subiugare, opprimere & uastare uoluerit, nullum ei consilium uel auxilium ministretis.

Ricone Lundensi pontifice per Olaum quendam trucidato, Romanus antistes acerbißima aduersus eum excommunicatione usus, cæteris per Europam pontificibus similiter in ipsum pronunciandi detulit potestatem. Mandatum quoque ad uniuersos Iutiæ episcopos dedit, ut sententias aduersus sacrilegam eius impietatem debita animaduersione destringendas curarent, indignum usu sacrorum existimans, qui celebrem eorum ministrum oppresserit. Saxo Grammaticus lib. 14.

Gladio se opponunt Imperatoribus & regibus. Mediolanensibus autor fuisse creditur Hadrianus pontifex, ut Imperatori rebellent. Radeuicus lib. 4. de gestis Friderici Imperatoris, cap. 18.

Excitant politicos magistratus, ut iuxta sua placita persequantur, quos papa execratur: cuius rei certum testimonium ex epistola Burchardi, Friderici Imperatoris notarij, ad Sigebergensem abbatem adseribimus, de Rollando seu Alexandro tertio: Notum sit prẹterea uniuersaliter, quoniam timore inuictißimi Imperatoris Friderici omnes cæteri terrarum reges contremiscunt, ut qui semper inimicitijs inter se bacchari consueuerunt, nunc mutua pace & fide firmata conueniunt in unum aduersus dominum suum Romanum Imperatorem, animis non prælijs, fraudibus non uiribus, & sciatis quòd in hoc anno quinque regum nuncij propter huiusmodi fœdus faciendum in uno loco conuenerant. Græcus cum Vngaro treugam fecit per quinquennium. Scripsit etiam regibus Turciæ, Babyloniæ, Persidis & Comaniæ, nuncians illis, quòd Romanus Imperator terram suam & illorum occupare intendat, si de Mediolano finem faciat. Idem timent reges Hispanus, Barcilonensis, Francigena & Daciæ. Sic enim scripserunt Rollandus & pseudocardinales illius per totum orbem, excitantes odium Imperatori. Vnde & omnes reguli timore & odio magis Imperatoris, quàm intuitu iusticiæ illum in papam suscipere præsumūt. Nec prætereundum, quòd miser ille Rollandus quasi in agone laborans, & undique etiam ridicula quærens auxilia, scripsit Constantinopolitano, promittens ei uanitates uanitatum, quas ipse non attendit. Vngaro etiam priuilegium contulit, ut ipse pallia archiepiscopis Vngariæ concedat, & det quoties eliguntur: & episcopi & clerici illi, nisi pro sua uoluntate & per se, cum Romanis agere non habeant. Sunt autem hæc solatia nostra in Domino. Ecclesia Leodiēsis ad papam Paschalem secundum scribens, malitiæ & crudelitatis eum accusat, quòd ferro & igne illam uastandam Roberto comiti Flandrensi dedisset, ob præstitam Imperatori Heinrico suo domino fidelitatem. Acriterque illum increpabant, quòd omnium peccatorum remißionem carnificibus esset pollicitus, ob atrocem persecutionem hominum Christianorum, & Romam rectè Babylonem dici conclamabant. Epistolam in capite de Schismatibus uidere licet. Hadrianus quartus & Alexander tertius, Heinrico secundo Anglorum regi Hyberniæ dominatum bullis confirmarunt, ut eosdem Hybernos sacerdotum coniugia approbantes, tanquam suæ sedi rebelles & hæreticos opprimeret: ut ex Triueto & Hardingo Balæus refert Cēturia 14. capite 84.

Subditos ab obedientia erga magistratus dissoluunt pro suis cupiditatibus. Hadrianus quartus Guilhelmum Siciliæ ducem, quòd Romanæ ecclesiæ bona inuasisset, non solùm anathemate ferijt: sed ei subiectos omni sacramento liberat, quo facilius ab ipso deficerent, nullo iureiurando adstricti. Blondus, Platina, Nauclerus, Syluius, Simoneta lib. 5. cap. 79.

Pacta non seruant. Paschalis enim priuilegium de inuestiendis ecclesiarum episcopis Heinrico quinto concessum, in synodo Romana reuocat: ut alibi dicetur. Et Vuilhelmus Siciliæ tyrannus, cardinales à Romano Alexandro ad se missos, in hæc uerba dimisisse dicitur: Vos ad nos misßi estis pro contumelia Imperatoris Romani, & econuersò alij duo misßi sunt ad Imperatorem, ut & pacem & gratiam eius quærant, & nostro honori insidientur. Recedite à nobis quanto citius, alioquin tanquam proditores uos puniemus. Considerate charißime domine, quid Dominus nobiscum operetur, & in quali statu uestrum Imperium esse uult: & nullius unquā consilio aut dilectione cardinales, qui ad

uos ueniunt, in plenã gratiã suscipiatis, &c. Arnoldus cancellarius & Otto palatinus in epistola ad Fridericum Imperatorem.

Perpetua memoria dignũ existimamus, quòd Auentinus de Paschali annotat: Priores, inquiẽs, pontifices Romani ad diplomata, epistolas, libellos omnes hactenus Imperatoris annos addiderunt: primus Paschalis hisce tacitis, suæ potestatis numerũ adscripsit: huncq; primum immunitate donasse collegia, licet ab alijs extructa, reperio. lib. 6. Annalium Boiorum.

MERETRIX BABYlonica.

Honorius Augustodunensis in quodam Dialogo de Prædestinatione & libero arbitrio non obscurè indicat, papam & clerum eius, esse ipsissimam Babylonem Apocalypticam. Verba eius hæc sunt: Verte te ad clerum, & uidebis in eis Bestiæ tentorium, Dei seruitium negligunt, terrenis lucris inseruiunt, sacerdotium per immunditiam polluunt, populum per simulationem seducunt, Deum per mala opera abnegant, omnes scripturas ad salutem pertinentes abdicant, omnibus modis laqueos ad ruinam populo substernunt, quem cæcum ipsi cæci ad interitum præeunt. Contemplare & monachorum conciliabula, & uidebis in eis Bestiæ tabernacula, per fictam professionem Deum irridentes, iram eius prouocant, normam regularem moribus & uita calcant, per habitum seculum fallunt, multos deceptos decepti ipsi decipiunt, secularibus negocijs impliciti sunt, in seruitio Dei desides existunt, plerique illorum gulæ & illecebris dediti sunt, quidam in immundiciæ sorde computrescunt. Aspice etiam habitacula monialium, & cernes in eis Bestiæ præparatum thalamum. Hæ à tenera ætate impudicitiam discunt, complices sibi plurimas ad cumulum suæ damnationis adsciscunt, uel se operire festinant, quò magis frena luxuriæ laxare queant: omnibus fornicarijs peius prosternuntur, & ut insatiabilis charybdis, nunquam stercore immundiciæ replebuntur. Hæ animas iuuenum illaqueant, & gaudent si plures illaqueant: & hæc uult palmam uictoriæ, quæ alijs præualet in scelere. Catalogus testium ueritatis.

Libidinibus usque ad ima tartara noti sunt pontifices & episcopi. Heinricus Romanorum Imperator Arnulphum capellanum habuit, qui quandam adamauit Domicellam: cuius cum quadam nocte uteretur amplexibus, & hoc auribus Imperatoris instillaretur, iussit die sequenti Imperator, ut accedens ad altere ei legeret Euangelium. At ille, ut quem de nocturna culpa morderet conscientia, fingebat se infirmum. At ipse instabat imperiose, minis iubens, ut legeret. Ipse autem præcise contradicens, ait: Domine decollari possum, antequam flectar, ut præcepto uestro obsecundem. Et cum nihil proficeret minis aut blanditijs, ait: Nunc cognoui certissimè, quòd Deum plus quàm me, ut iustum est, diligas & formides. Tales digni sunt honore pastorali. Noui quæ causa à lectione Euangelij te subtraxerit, & ab altari. Extunc ipsum familiariorem habuit, & ad præsulatum Rauennæ promouit, anno 1126. Matthæus Parisiensis.

Cardinales. Ioannes enim Cremensis cardinalis tituli sancti Chrysogoni, in Londinensi concilio sacerdotum concubinas & sacerdotes concubinarios damnauit. Tandem uerò in eodem uitio ipse legatus in delicijs crapulatus cecidit, & deprehensus atque compeditus non minimum in Ecclesia scandalum suscitauit, anno 1125. Matthæus Parisius, Ranulphus in Polychronico libro septimo, capite decimosexto: Polydorus Vergilius lib. 11. historię Anglicæ. A' cardinalibus Romanis Arnulphus quidam, quòd libidines & fastum ipsorum taxarit, noctu captus, & clàm occisus est. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, Simoneta.

Monachi. Erant in Anglia his temporibus alij adhuc prolifici abbates, episcopi & monachi. Nam Robertus Bloet monachus de Euesham, & episcopus Lincolniensis, filium genuerat Simonem, quem fecit eiusdem ecclesiæ decanum. Robertus Peche episcopus Cestriensis, genuit Ricardum Peche archidiaconum Conuentrensem. Eastanus monachus Vuigorniensis ex Vulgena monacha genuit S. Vuolstanũ episcopum eiusdem ecclesiæ. Ethelvvoldus Vvintoniensis præsul, Vvolstanum monachum. Osvvaldus Vvigorniensis episcopus, Olvvaldum monachum. Thomas Eboracensis archiepiscopus, Thomam iuniorem archiepiscopum: & alij alios, qui tamen proscripserant nuptias. Balæus Scriptorum Britanniæ Centuria secunda, cap. 62. in Appendice. De profligata monasteriorum pudicitia ad Coloniẽsem archiepiscopũ Ecbertus monachus scribit: Verti me aliò, & apposui cor meũ, ut huius tam generalis ruinę causas intelligerem. Inspexi clericorũ ecclesias, ac reperi in eis enormitates grandes & innumeras. Vidi claustra uirginum, quorum alia rectius uiscarium, id est, aucupium satanę appellauerim: & ecce ignis alienus cuncta uastauerat, lilia castitatis aruerant, & deplorandus uniuerso

uerso orbi animarum interitus ubique apparuit. Omnia ergo considerans, & præfatæ ruinæ causas intellexi, & Domini patientiam uehementer admiratus sum. Circumspexi autem & sustinui, qui simul mecũ cõtristaretur super omnibus malis his, & uix unũ de mille reperi, qui dignus haberetur inscriptione TAV. Si itaque in his diebus suscitauit nobis Deus Machabęum, qui à finibus nostris gladium coherceat, utinam & patriarcham nobis suscitet, qui à sanctificatis Domino alienarum auium rostra prohibeat. Vtinam & Phineam nobis suscitet, qui & enormitates & contaminationes tabernaculorum Domini, districti iudicij pugione confodiat. Catalogus testium ueritatis.

Sacerdotes. Gallos sacerdotes, non ita integrè, ut decebat, uitam ducẽtes, Paschalis secundus in Trecensi concilio correxit. Platina in uita eius. Et Rupertus Tuitiensis inquit: An'non illi doctrinæ, Nicolaitarum uidelicet, uicinum hoc est, quòd isti, sacerdotes putat, non uolentes habere cõiugium, utpote legibus Ecclesiasticis interdictum, ut sint sancti, & mundentur, quia portãt uasa Domini: nihilominus incontinentes sunt, imò deterius eò proruunt, imitantes connubia quoties uolunt: & qui nullum habent thorum licitũ, dum sic euagantur, nullum confidunt rupisse cõiugij uinculum? fornicantur autem cum illis, & initiantur Beelphegor, quicunque exemplo talium ad incæsta uel adulteria audaciores fiunt. Et tunc quidem miraculum fuit, quòd aperuit Dominus os subiugalis muti, & animal hominis uoce loquens, redarguit prophetæ insipientiam, qui huiusmodi consilium dedit: sed & nũc penè illi simile fit, quando turba plebeia rectores Ecclesię clamoribus suis coarguit atque obiurgat, eo quòd talis pestilentia, tanta in sacros ordines macula, ex ipsorum acciderit auaricia. libro 2 in Apocalypsin, capite 2.

Coniugium sacerdotum damnarũt. Anglorum enim regi Heinrico mandat Hadrianus Romanus, ut Hybernos, quos hæreseos ipse damnat, eo quòd clero legitima sacerdotũ cõiugia damnanti aduersentur, & rebelles existant, opprimeret. Balęus Cent. 2. cap. 94 in appendice. Danorum plebem, suis sacerdotibus coniugia decernentem, Clemens tertius excõmunicat. Saxo libro 15. Anno 1197 Petrus Diaconus cardinalis Capuanus, legatus à pontifice maximo Celestino, eius nominis tertio, in Polonia sacerdotibus cõiugium, quo tum temporis liberè utebantur, interdixit. Cromerus lib. 7.

Porrò plerique pontifices Romani ea sellam conscendunt, aut:

Corruptelis simoniacis. Anacletus enim antipapa partim auro ex templis surrepto, partim ui pontificatũ obtinet. Platina, Antoninus. Erfordiensis ait: Anacletus hostiliter fecit aggredi domos aduersariorum, in quas se Innocentius cum cardinalibus receperat: sed cum nihil sic proficeret, ecclesiam B. Petri ui & armis expugnat, spoliat. Quo thesauro cum penè omnes Romanos corrupisset, Innocentius papa nullum ferè in urbe subsidium inuenit.

Vi iniusta. Pontificia excommunicatione fractus quintus Heinricus, Calixti electionem ratam habet, etiam uiuente adhuc Gregorio, quem ipse pontificem Romanum salutauerat. Barnus, Balæus. Alexandrum tertium Sicilię rex in thronum militari apparatu collocat: contra quem Barbarossa Calixtum quendam introducturus, Romanum agrum cæde, ferro, flamma uastat, Romanos ausos conferre pedẽ, ad internecionẽ delet: octo millia Romanorum cæsa, tria capta esse, in fastos relatũ est. Vrbem deinceps Barbarossa capit, incendit, Alexandro fuga sibi consulente. Templum diui Petri, quòd hostes munierant, præsidio firmarant, deinde inuadit, munimenta solo æquat, effractis portis ædem aperit, Paschalem ui introducit. Auentinus libro 6. Annalium, Helmoldus libro 2. cap. 10. de Sclauis.

Armatis copijs suam dignitatem tuetur Paschalis secundus contra Gibertum: ut testatur Platina in uita eius.

Se inuicem deposuerunt & apposuerunt crudelissimè. Hadrianus enim ante acceptum pontificatum solitus est dicere, ambire Romanum pontificatum, esse succedere Romulo in parricidijs, non Petro in pascendis ouibus: cum nunquam ea sedes sine fraterno sanguine acquiratur. Vincentius, Balæus. Sutrio expugnato, antipapam Gregorium Calixtus omnibus ludibrio exponit. Antoninus. Innocentius à Petro Leonis suo antagonista sacris ordinibus initiatos, degradandos, nec ultrà ad sacros ordines promouendos, statuit. Sigeberti Continuator.

Denique ut extremam Romanorum paparum impudentiam, & stupendam impietatem uideas, non pigebit eorum decreta, pro blasphema in Deum gente Iudæorum lata, adscribere. Iudæos, inquit Alexander tertius, de nouo construere synagogas, ubi non habuerint, pati non debes. Verùm si antiquæ corruerint, uel ruinam minantur, ut eas reædificent, potest æquanimiter tolerari: non autem ut eas

exaltent, aut ampliores aut preciosiores faciant, quàm antea fuisse noscuntur. Qui utique hoc pro magno habere debent, quòd in ueteribus synagogis & suis obseruantijs tolerantur. libro quinto Decretaliũ, tit. 6. c. 7. Christianos tamen cum ijs habitantes, ni discesserint, excommunicandos: denique cunctis eorum consuetudine ac consortio grauiter interdicendum, statuit: Quoniam, inquit hypocrita ille insignis, Iudæorum mores & nostri in nullo concordant, & ipsi de facili, ob continuam conuersationem & assiduam familiaritatem, ad suam superstitionem & perfidiam, simplicium animos inclinarent. Item generaliter Iudæis prohibendum, ne ostia uel fenestras in die Parasceues apertas habeant, sed tota die clausas teneant. Ibidem cap. 4. 5. 8. Et Clemens tertius ijsdem satis æquus est: Statuimus, inquiens, ut nullus inuitos uel nolentes Iudæos ad baptismum uenire compellat. Si quis autem ad Christianos causa fidei confugerit: postquam uoluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia efficiatur: quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed inuitus cogitur peruenire. Nullus etiam Christianus eorum quemlibet sine iudicio terrenæ potestatis uel occidere, uel uulnerare, uel suas pecunias auferre præsumat, aut bonas quas hactenus habuerint, consuetudines immutare: præsertim in festiuitatum suarum celebratione quisquam fustibus uel lapidibus eos nullatenus perturbet: neque aliquis ab eis coacta seruitia exigat, nisi quæ ipsi tempore præterito facere consueuerunt. Ad hoc malorum hominum prauitati & auariciæ obuiantes, decernimus, ut nemo cœmiterium Iudæorum mutilare aut inuadere audeat, siue obtentu pecuniæ corpora humana effodere. Si quis autem huiusmodi decreti tenore cognito (quod absit) contraire præsumpserit, honoris & officij sui periculum patiatur, aut excommunicationis sententia plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit. Ibidem capite 9. Statuimus.

CONFIRMATORES DOminationis istius.

HAnc paparum Romanorum superioritatem & eminentiam confirmarũt & auxerunt:

ECCLESIASTICI.

Rupertus Tuitiensis ait: Calculus donum est Spiritus sancti, quo peccata comburuntur in Christum credentium: illud in manu erat Seraphim, id est, in potestate Petri apostoli præ cæteris: illi namq; Christus claues regni cœlorum specialiter tradidit. quem tulerat forcipe de altari: id est, quem promeruerat à Christo solido tenore fidei. Primus enim dixit: Tu es Christus filius Dei uiui. Habet igitur primus in manu calculum, id est, Spiritus sancti donum, in potestate uel ministerio conferendæ remissionis peccatorum. libro secundo in Esaiam prophetam, capite uigesimonono. Item: Quorũ remiseritis peccata, &c. Potestas quidem communis omnium, sed unum & singulare unius est Petri priuilegium, cui prius & singulariter dictum est, Tibi dabo claues regni cœlorum. Idem lib. 1 in quatuor Euangelistas, capite 25. Et: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, &c. Tu es Petrus, & super hanc petram. Item: Simon, diligis me, pasce oues meas. Tali & tanta præeunte Euangelicæ ueritatis autoritate, Christianissimi Imperatores post multa tempora, omnesque Ecclesiarum principes hoc censuerunt, & lege perpetua firmauerunt, ut sicut Imperatori omnes præfecti uel iudices: sic beato Petro, & secundum dignitatem eius excellenti Romano pontifici cæteri subiecti sint ecclesiarum pontifices. libro secundo de Sapientia, capite 28. Item: Filius Dei credentibus in se per multas & differẽtes donationes secundum beneplacitum suum distribuit, alij dans sermones sapientiæ, alij sermonem scientiæ, &c. Harum diuisiones gratiarum inuisibiles imitatur uisibiliter, utpote Christi uicarius, catholicus pontifex, per sacrorum diuisiones ordinum ponens quosdam in Ecclesia sacerdotes, alios diaconos, & cæteros sacri altaris officiales. Idem lib. 1. de Officijs diuinis, capite 25. Præterea pontificem Romanum uocat episcoporum patrem, & eorum concilij principẽ. Apostoli per uniuersum mundum dispersi, singulis ciuitatibus præsidentes, tam ipsi quàm successores eorum misêre per contiguas suis sedibus prouincias prædicatores, quos & episcopos ordinauerunt: ut omnia Christianitatis sacramenta peragerent, & ut per urbes comprouinciales episcopos ordinarent. Et aliorum quidem Apostolorum successores patriarchæ sunt dicti. Petri autem successor pro excellentia principis Apostolorum, Apostolicus nominatur. Qui autem ab eis per prouincias missi sunt, tam ipsi quàm successores eorum archiepiscopi uocantur: & qui ab his per urbes comprouinciales ordinati sunt, & qui illis succedunt, usque hodie simpliciter episcopi nominantur. Initium ergo fidei habentes ab Aposto-

Apoſtolica ſede, regulam hanc metropolitanæ obſeruant eccleſiæ, ut neminem habeant pontificem, niſi ab eadem ſede miſſum, à qua primus illis prædicator fidei miſſus eſt. Illa autem miſsio, pallij largitio eſt, quod à collo dependens humilitatem Domini ſignificat. Ibidem autem eos metropolitanos conſtituit, Remenſem, Treuerenſem, Moguntinum, Traiectenſem, Colonienſem & Cantuarienſem. Ibidem capite 27. Eccleſiam Romanam uocat matrem eccleſiarum. lib. 1. de Scientia, cap. 18. Et: Tantæ ſynceritatis ſemper fuit Romana eccleſia, ut cui deeſt Scripturarum noticia, uel argumentandi facultas, ſola illi de azymo contra Græcos ſufficere debeat eius autoritas. Nam Conſtantinopolitana non ſolùm hæreticos, ſed & hæreſiarchas protulit multos. Romana uerò eccleſia, ſuper Apoſtolicæ fidei petram altius fundata, firmiter ſtetit, & tam Græciæ quàm totius orbis hæreticos ſemper confutauit, & de excelſo fidei tribunali data ſententia iudicauit. Et paulo pòſt: Duo illi à mõte Oliuarũ miſsi à Domino ad ſoluendam aſinam in typum omnium prædicatorum, in his duobus, uidelicet Petro & Paulo, repræſentari uidentur, qui caput mundi Romam, Domini Chriſti regis æterni uehiculum & habitaculum, currum atque thronum effecerunt. libro 3. de Officijs diuinis, cap. 1. Petro primò poſt Chriſtum Eccleſiæ ſummũ collatum eſt pontificium, primusque princeps ſacras in Eccleſia celebrauit ordinationes, cuius uice maximè fungitur Romanus pontifex, cum Eccleſiæ ſanctæ miniſtros, & ouibus Chriſti paſtores ordinat neceſſarios. Ibidem cap. 10. Item: Et uidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium datũ eſt illis. Apocalypſis 20. Iſtæ nãq; ſedes Eccleſiaſticæ ſunt dignitates, uidelicet põtificum catholicorum, & inferioris quoq; ordinis ſacerdotum ſiue prælatorum, quorum poteſtas nimirum tanta eſt, ut rectè ſit uel dici debuerit, quia datum eſt illis iudicium: autoritate namque eius (cui pater dedit omne iudicium) hoc illis datum eſt, ut quæcunque alligant ſuper terram, ligata ſint in cœlo: & quæcunque ſoluunt ſuper terram, ſoluta ſint in cœlo. Summum iudicij huius tribunal in eccleſia paratum eſt Romana, ubi ſedes Apoſtolica beati Petri & nomine & corpore fundata eſt, cui ſpecialiter dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et: Tibi dabo claues regni cœlorũ. Ex illius ſanctæ ſedis religioſa & uenerabili traditione, memoriæ martyrum Chriſti ſic celebres & ſplendidæ factæ ſunt, ut omni honore ſolennizentur per mundum uniuerſi natalicij dies illorum, & ſuper ſacra illorum corpora celebrentur ſolennia Miſſarum. libro 11. in Apocalyp. capite 20. Item: Roma eo quòd beati Petri principis Apoſtolorum ſedes facta eſt, eiuſdem & conſortis eius Pauli, ſicut prædicatione illuſtrata, ita & martyrio coronata, cunctis eccleſijs caput altius extulit, latiusque denominatur per omnes gentes, ſacra pontificum eius lingua, quàm dominata fuit Cæſarum ſiue Auguſtorum purpura. Bene ergo & hoc myſterio congruit, quod rex Niniues dixit: Homines & iumenta non guſtent quicquam, &c. Sicut enim tunc iuxta edictum regis Niniues fieri oportuit, ita ſecundum fidem & traditionem beatorum Petri & Pauli, qui ſunt uel eſſe debent os & lingua Romanæ ſedis, ordinem Eccleſiaſticum oportet obſeruari, &c. libro ſecundo in Ionam prophetam, capite tertio.

Confirmationis petitione in ſua uocatione. Omnes enim penè huius ſeculi patriarchæ Hieroſolymitani, à Romanis monſtris confirmationem & pallia, multa interueniente munificentia, ut Tyrius libro 18. cap. 20 loquitur, impetrarunt. Et Ottho Bambergenſibus ab Imperatore datus epiſcopus, mox ſuos nuncios ad Romanum Paſchalem mittit, eius petitum conſecrationem & confirmationem, quam ſi ei denegaret, epiſcopatui ſe præeſſe nolle. Hiſtoria Bambergenſis. Milo Morinorum epiſcopus Romæ conſecratur, anno 1169. Chronicon Flandriæ. Arnulphi Luxouienſis epiſcopi electionem, ab Innocentio ratam haberi petit Petrus Cluniacenſis libro 5. epiſt. 6. Et Heliam Aurelianenſem ab Innocentio confirmari idem petit lib. 3. epiſtola 11.

Palliorum emptione. Theobaldus Cantuarienſis à Romano antichriſto pallium accipit. Polydorus libro decimotertio. Pallij dignitate, hoc eſt, ut ipſe Honorius ait, plenitudine pontificalis officij donatur Vuilhelmus primus Tyri epiſcopus ab Honorio. Tyrius libro decimotertio, cap. 23. Idem de ſucceſſore Vuilhelmi annotatur, lib. 14. cap. 11.

Priuilegiorum poſtulatione. Hermannus Verdenſis ab Eugenio tertio ſingulare accepit priuilegium. Cranzius lib. 6. capite 29. Metropolis.

Ab Eugenio põtifice Bernhardus Clareuallenſis Tornacenſem eccleſiam à Nouiomagenſis epiſcopi iuriſdictione eximi, & proprio epiſcopo donari impetrat. Chronicon Flandriæ.

Appellatione ad ipſos. Daibertus patriarcha Hieroſolymis à Balduino rege eie-

ctus, ad Romanum fugit pontificem, eiusque opem implorat. Post impetratas literas, cum pedem referret, in itinere obijt. Tyrius lib. 11. cap. 1. 4. Fulcherus eiusdem loci patriarcha, cū hospitalarijs decimarum gratia altercans, assumptis aliquot episcopis, ad Hadrianum Romanum abijt. Idem lib. 18. cap. 6.

Armenij episcopi legatos ad Romanum pontificem mittunt, pręter subiectionem, eius sententiam de controuersia, quæ inter ipsos & Græcos intercesserat, petitum, ac simul ut formam sacrificij iuxta consuetudinem Romanæ ecclesiæ addiscerent. Otto Frisingensis lib. 7. capite 32: Nauclerus. Thomas Cantuaria pulsus, ad Romanum Alexandrum præsidij causa fugit. Polydorus lib. 13. Et ad Eugenium papam Petrus Cluniacensis scribens, ait: Vestrum est, totius Ecclesiæ Dei, in hac ualle lachrymarū peregrinantis, causas audire, auditas discutere, discussas iudicio Apostolico diffinire. Et licet persona uestra constituta sit super gentes & regna, ut euellat, & destruat, & disperdat, & dissipet, & ædificet, & plantet: tamen potestis falli, potestis ab his, qui ea quæ non IESV Christi, sed quæ sua sunt quærunt, decipi. lib. 6. epist. 14.

Adulatione & laude immodica. Burgundiam & Gallias perlustrans Paschalis secundus, ab uniuersis ecclesijs, ut uerè Christi discipulus & Apostolorum uicarius ingenti honore suscipitur, digna reuerentia tractatur, non aliter quàm legifer de cœlo missus auditur. Romam reuersus tantis & cleri & populi Romani tripudijs suscipiebatur, ac si de mortuis rediuiuus crederetur. Vrspergensis. Eberhardus Bambergensis episcopus ad Hadrianum pontificem scribit: Ipse (Imperator) filius uester, dominus noster est: uos autem quomodo Christus, magister & dominus. Nemo nostrûm audet dicere hinc uel inde, cur hoc facitis uel dicitis. Radeuicus lib. 4. cap. 24. de gestis Friderici. Assentationis plenam eiusdem ad Hadrianum orationem uidere est & apud Helmoldum: Papam, inquit, ab Imperatore in tentorium ductum, Bambergensis episcopus nomine regis & principum sic alloquitur: Honorabilem sanctitatis tuæ præsentiam, Apostolice pontifex, sicut iamdudum sitienter desiderauimus, ita nunc lætanter suscipimus, gratias agentes omnium bonorum largitori Deo, qui nos deduxit & adduxit in hunc locum, & sanctissima uisitatione tua dignos fecit. Notum tibi ergo cupimus, reuerende pater, quia omnis hæc Ecclesia de finibus orbis, propter honorem regni collecta, adduxerunt principem suum ad tuam beatitudinem, prouehendum ad culmen Imperialis honoris. In Chronico Sclauorum, capite 81. Anno Domini 1164, cum Thomas Cantuariensis assentiens patriæ legibus, in regis uerba Clarendonæ iurasset, facti ipsum pœnituit, quòd in eo iuramento non addidisset, Saluo ordine meo, & honore sanctæ matris Ecclesiæ. Ab altaris officio se ideo subtraxit, donec esset à pontifice absolutus. Balæus scriptorum Britanniæ Centuria secunda, cap. 96. in appendice, ex 5 lib. Matthæi Parisij. Deposito Oderisio Casinensi abbate, Romanus papa Gregorium cardinalem, Casinum mittit, & mandat, ut Senioretum, Capuani monasterij præpositum, abbatem fratres eligerent. Fratres autem iniquum & indignum iudicarunt, electionem in alterius potestatem transire. Tunc cardinalis dixit: Ego huc neque pro papæ Honorij lucro, neq; pro Romanæ ecclesiæ honore, sed ꝓ salute animarum uestrarum adueni. Romana enim ecclesia uestro auxilio & laude non indiget, quæ præconium laudis in Petro ex ore ipsius redemptoris emeruit. Quæ'nam autem ecclesia uel monasteriū, à Romanæ ecclesiæ non disponatur arbitrio, cuius imperio cœlum ipsum aperitur & clauditur? Omnes quippe ecclesię à pontificibus, Imperatoribus, regibus, uel quibusque fidelibus conditæ sunt: Romanam uerò sedem solus fundauit Dei filius, & super Petri apostoli erexit fidē, cui etiā terreni simul & cœlestis Imperij iura cōmisit: & illud Verbum, quod condidit cœlū & terrā, Romanam fundauit ecclesiam. Et sicut Apostolorum princeps Petrus & Paulus Romanam ecclesiam suo sanguine consecrarunt: ita Casinēse cœnobiū per B. Benedictum, qui Romę doctus fuerat, & per ciues Romanos Mauritiū & Placidū habuit fundamentū. Chronicon Casinense lib. 4. ca. 91. Et Petrus Blesensis ad Romanū pontificē scribens, uocat eū crucifixi uicariū, successorē Petri, sacerdotē Christi, & christum Domini, eūq; supra regna & gentes à Deo constitutum ait. epistola 29. Item: Domus Dei, quę in lapide adiutorij super fundamētū Apostolorū & prophetarū stabilita est, à Petro & successoribus suis formā semper eruditionis, & statum sublimitatis accepit. Quod enim stipiti rami, quod capiti membra, quod soli radij, quod fonti riuuli: hoc Apostolicę sedis eminētię debēt omnes Ecclesię, quas ubiq; terrarū religio Christiana fundauit. epist. 45. ad Romanum papam.

Monendo alios, ut Romano pontifici colla submittant. Quoscunque mihi, inquit Petrus Cluniacensis, & Cluniacensi ecclesiæ qualibet amicitia iunctos, re-

gen

ges & principes, nobiles & ignobiles, magnos & pusillos agnoui, hos maiestatis uestræ pedibus subdere per me ipsum, siue per alios loquendo, scribendo, mandando, terrendo, mulcendo pro posse non distuli. lib.4.epist.3.ad Innocētium papam. Et Maiestatis Apostolicæ appellatio, cum de Romanis papis sermo est, sæpius apud eundem occurrit.

Ioachimus Calaber libros suos, quos scripsit plures, Romano pontifici emendādos obtulisse dicitur. Schedelius.

. Poloniæ episcopi post celebratam synodū, ad Alexandrū tertiū legatos mittūt, pro suorū statutorū confirmatione. Cromerus lib.6. De prouinciali quodā Galliæ concilio, contra sacerdotum percussores coacto, ad Innocentium papam Petrus Cluniacensis scribit: Confirmet, si placet, Apostolica autoritas, quod ab episcopis ibidem bene est actum: suppleat, si quid minus seuerè decretum est, ut & impij debita ultione puniantur, & ab eorum imitatione cæteri deterreantur. lib.3.epist.17.

Nomine Turonensis ecclesiæ Innocentio Romano supplicat Petrus Cluniaci abbas, ut ipsius uoluntate, Hugoni episcopo, qui ob morbum desperatum monachum induerat, ad suam ecclesiam, anxiè eius reditum expetentem, redire liceat. Ipse enim Hugo, quantúsquantus erat, ex solius pontificis Romani arbitrio pēdebat. libro quinto, epistola nona. Thomas Cantuariensis monachorū habitū à papa suscepit. Matth. Parisiensis.

POLITICI.

Petentes à Romanis inaugurationem. Heinricū quintum pro inauguratione Romam profectum, Paschalis secundi pedes osculatum, scribunt Martinus Capellanus & Platina. Helmoldus cap.40. cruentū prælium, & pontificis captiuitatem pluribus describit, quibus tandem coronam & priuilegium super omnibus, quæ anima eius desiderauerat, ut idem autor loquitur, extorsit. Ludouicum iuniorem Franciæ regē Innocentius 2. inunxit: ut patet ex Petri Cluniacensis epistola ad eundem pontificē, ubi inter cætera his uerbis pontificius adulator utitur: Non solùm Rex est, non solū magnificus Rector Christiani populi est: sed etiam opus manuum uestrarum est, quē ad regnū prouexistis, quem sacris manibus uestris inunxistis, quem Gallis nostris potentiorem patribus regem designastis. libro quinto, epist. secunda. Emanuel Orientis Imperator ab Alexandro pontifice, non ignarus inimicitiarū eius cū Friderico Barbarossa, magnis pollicitationibus ac donis Occidentis Imperiū ambiebat. Platina. Meminit eius rei & Aeneas Syluius, inquiens: Emanuel Græcus Imperator missis legatis Romam, obtulit se cum omni ecclesia Orientali, uelle pontificē Romanum orbis Christiani caput recognoscere, easq; copias in Italiam mittere, per quas facilè Fridericus expelli posset Italia: pecuniasq; ingentes promisit, si ad Imperium Occidētis uniuersaléq; monarchiā redintegraretur. Ad quam rem exploratius intelligendam, Hadrianus quartus pontifex, anno sui regiminis septimo, legatos Constantinopolim misit. Epitome Aeneæ Syluij in decades Blondi, lib.5. Idem obnixè ab Alexandro petijt, ut mortuo Guilhelmo Siciliæ rege, Imperiū antea diuisum sibi restituatur integrum. Platina in uita eius. Rogerius ab Innocentio, quem captiuum tenebat, cum regio nomine Apuliā & Calabriā extorquet. Otto Frisingensis lib. 7. cap. 24. Platina in uita eius.

Petentes ab ipsis doctores. Paschali secūdo Vngarorum rex episcoporum & aliorū prælatorum inuestituras restituit. Nam ad id usq; tempus penes ipsos reges ea fuerat potestas. Martinus Capellanus in Chronicis. Quanto cum Romani pontificis, eiusq; mancipiorū tripudio inuestituris Vuormaciæ, traditis utrinq; ea de re literis, renūciarit quintus Heinricus, suo loco dicemus. Et anno 1157, Guilhelmus Siculus Romano papæ episcoporum consecrationes in uniuerso suo regno concessit. Sigeberti Continuator. Petrus Cluniacensis rogatus ab Hispaniarū rege, quē idē magnum Christiani populi principem, & deuotum maiestatis pōtificiæ filiū uocat, ad Innocentiū scribit, & Salamantini episcopi translationem ad S.Iacobi archiepiscopatum, ab omni clero, ab omni populo, canonicè, pacificè, communiter factam, confirmari obnixè rogat. lib.5.epistola 8.

Armeni odio Græcorum, Lucio tertio pōtifici atq; eius institutis papisticis se subiecerūt, ut Iohānes Paleonydorus in tertio suorū Chronicorū libro refert: Extunc (inquit) suasione Cyrilli Carmelitæ Græci, rex Armeniæ cum omnibus episcopis & regni subditis, anno Domini 1181, Lucio tertio papæ se subiecit. Balæus Scriptorū Britanniæ Centuria secunda, cap.94. in appendice.

Petentes ab ipsis confirmationes monasteriorum & templorum. Balduinus secundus Hierosolymorum rex, à Paschali secūdo Bethlehemitanam ecclesiam cathedralem fieri petit, suique fit uoti compos. Tyrius lib.11. cap.12. Et ab eodem pontifice per legatos idem postulat, ut quascūq; subigeret urbes, eæ Hierosolymitanę ecclesię, ipsius autoritate, subsint. Ibidem capite 28.

Ottho Bambergensis ab Innocentio monasteriorum à se conditorum confirmationem consequitur:ut ex Chronico Bambergensi constat.

Anno 1179 Cazimirus rex Poloniæ quatuor prouincias Rufsiæ occupat. Hic legibus Rempublicam ornat,quæ à papa Alexandro 3.sunt confirmatę.Fuccius in Chronologia.

Reijcientes controuersias ad ipsos.Heinricus enim quintus & Albertus Moguntinus disidentes, controuersiam ad Romanum reijciunt præsulem, ut indicto per autoritatem Apostolicam generali concilio, quæcunq; humano non possent, Spiritus sancti iudicio terminarentur: ut loquitur Cranzius lib.5.cap.41.Saxon.

Leone Bertinico abbate agente, Theodoricus comes Flandriæ & uxor Sybilla, Milo episcopus Morinorum, Philippus & Milo archidiaconi, Guilhelmus præfectus Audomarensium,eorumq; successores,Bertinianæ domus tutores ac perpetui protectores ab Innocẽtio põtifice Romano sunt instituti.Iacob Meyer in Chronico Flãdriæ anno 1137.

Ad Gelasium Roma ob aduentum Heinrici Imperatoris fugientem,& Caietæ commorantem, Guilhelmus Apuliæ dux, Robertus Capuæ princeps, & Richardus de Aquila uenerunt,nouumq; fidelitatis iuramentum ei præstitêre. Epitome Aeneæ Syluij in Decades Blondi,lib.4.

Mandata paparum nimis promptè exequentes. Heinricus quintus,consilio & ministerio Rotardi archiepiscopi Moguntini, totam Saxoniam in Romanæ ecclesiæ reduxit communionem.Erant autem ad hoc constituti à sede Apostolica commissarij, idem Moguntinus & Cõstantiensis episcopi.Cranzius lib.5.cap.31.Metropolis:& lib.5.cap.17.Saxoniæ.

Dona nimis multa eis tribuẽtes.Mathildis enim potentissima Italiæ domina,quæ Paschalis secundi temporibus rebus humanis excessit,testamento legat Romanæ ecclesiæ quicquid est à Pisia amne sancto Quirino agri Senensis,usq; ad Ceperanum inter Appeninum & mare.Addita est etiam Ferraria, quæ in huncusq; diem Romanæ ecclesiæ uectigalis est.Barnus. Heinricus Noricorum dux Beneuentum captum Romanæ cathedræ, quam tum Innocentius tenebat,restituit. Otto Frisingensis lib.7. capite 19.

Papas nimium uenerantes. Calixtum pontificem creatum,& Beneuenti commorantem Guilhelmus Apuliæ dux,Iordanus Campaniæ, Arnulphus Ariola, Robertus Lorotelli comites salutandi gratia adiêre, & iuramento interposito, se in pontificis potestate semper futuros promiserunt.Platina. Ad Eugenium tertium obedientiæ gratia legatos mittit Macolmus Scotorum rex, Vuilhelmum Morauiensem episcopũ, & Nicolaum,qui regi à secretis erat.Hector Boetius lib.13.Scoticæ historiæ. Eadem de causa Vuilhelmus successor Ioannem S.Andreæ episcopum,& Reginaldum abbatem de Abbroth, ad Alexandrum tertium misit.Ibidem.Et Philippus Imperator de Romani pontificis eminentia in hunc modũ ad Emanuelem Constantinopolitanum scribit:Sicut ille rex regũ,à quo omnis potestas, Romanum Imperium caput totius mundi constituit:ita etiam sedem Romanæ ecclesiæ omnium ecclesiarum unicam matrem,dominam magistramq́ue ordinauit,quod utique duorum numero gladiorum significauit, quos dixit orbi sufficere, ipse autor fidei Christianæ:quapropter tuam prudentiam commonemus, quatenus nobis & Romano Imperio honorem debitum recognoscas,& summo pontifici, quẽ nomine sanctum appellas, debitam exhibeas obedientiam & honorem. Saxonia Cranzij libro quinto,capite trigesimoseptimo. Ac quàm turpiter Venetijs suum collũ pontifici calcandum publicè obiecerit idẽ Imperator,suo loco dicetur.

Anno Domini 1155 Heinricus Angliæ rex solennes nuncios Romam misit ad Hadrianũ papã quartũ, ut sibi liceret sine scandalo læsionis fidei Christianæ, Hyberniæ insulam intrare, & terram illam, locum uidelicet horroris & uastæ solitudinis, utpote limbum mundi, sibi & Dei cultui subiugare, hominesq; illos bestiales ad fidem & uiam reducere ueritatis, atque obedientiam ecclesiæ Romanæ.Annuit ei pontifex, iure ecclesiarum illibato & integro permanente,& salua beato Petro de singulis domibus annua pensione. Balæus Centuria secunda,capite 90 Scriptorum Britanniæ,in appendice.Idem rex,qui anno Domini 1168 à se & toto regno excusserat Romani pontificis iugum, iam anno Domini 1172 in sua purgatione super cæde archiepiscopi Thomæ idem denuò resumpsit. Inde cassabat leges & consuetudines contra clerum factas, quarum hæc una fuit, quòd debuissent clericorum crimina per Magistratum puniri. Nec non permisit appellationes antea prohibitas, ad papam iterum liberè fieri, seque suumq́ue regnum rursus illius submisit arbitrio:quo sibi illinc arrogabat bestia, confirmandorum Angliæ regum ius. Atque ita Antichristo in maiorem subiectionem uenerunt tunc Angli, quàm aliàs unquam. Et

ut hæc mundo magis innotescerent, ad regis opprobrium ac dedecus, cleri uerò gloriam confictis aliquot prodigijs, canonizatione solenni sanctum designabat proditorem episcopum, iussitq; eius festũ ubiq; celebrari in signum perpetui triumphi aduersus eundem regem. Regi uerò, ut æquiori animo infamiam toleraret, & ut eam regionem (inquit Nicolaus Triuetus) tributariam sibi faceret, Hyberniæ dominatum confirmauit pontifex Alexander tertius, episcopis illic ei ad tempus parère iussis. Idem Centuria tertia, capite quarto, in appendice. Et ad Alexandrum inter cætera idem Rex scribit: Patrum meorum approbans & sequens deuotionem, quia uestram electionem ueritate credo subnixã. Vos in patrem & dominum, uos in summũ pontificem & catholicum, cum uniuersis tam clero quàm populo meæ potestati à Domino commissis, in uestris legatis recepi, solennitate debita & ueneratione. Vos ergo clementissimè rogo, & cum omni humilitate obsecro, ut me in proprium & spiritualem filium recipiatis, & in meis petitionibus me, si uobis placet, exaudiatis: latorem præsentium fratrem R. in cuius ore mea negocia posui, plenius uobis exponenda benignè suscipiatis, & his quæ uobis ex parte mea dixerit, assensum & effectum adhibeatis. Ego ad uestram uoluntatem sum paratus, & me & mea uobis expono, arbitrio uestro penitùs exponenda.

Balduinus rex Theodoram sponsam nec regio diademate insigniri, nec nuptiarum solennia peragi uult per Amalricum Hierosolymorum patriarcham, cuius nuncij Romam pro confirmatione missi nondũ redierant: sed Antiocheno interim id muneris delegatur. Tyrius libro decimooctauo, capite 22.

QVI SE OPPOSVERINT *tyrannidi Antichristi, Romanorum pontificum.*

IMPERATORES.

Insignis apud Nauclerum extat Friderici epistola, qua Romani pontificis Hadriani quarti, ad quem scripta est, arrogantiam & fastum, ac cardinalium sceleratos mores depingit, lectione certè dignissima, quæ sic habet: Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, Adriano Ecclesiæ catholicæ pontifici omnibus illis adhærere, quæ cœpit Iesus facere & docere. Lex iusticiæ unicuiq; quod suum est restituit. Non enim parentibus nostris derogamus, quibus in hoc regno nostro debitum exhibemus honorem, à quibus uidelicet progenitoribus nostris & regni dignitatem suscepimus & coronam. Nunquid tempore Constantini Syluester regalis aliquid habuisse dinoscitur? Sed eius pietatis concessione libertas concessa est Ecclesiæ, pax restituta. Et quicquid regalis papatus uester habere dinoscitur, largitione principum obtinet. Vnde cum Romani pontifici scribimus, iure & ex antiquo nomen præponimus, & ad iusticiæ normam eidem nobis scribenti concedimus. Reuoluite annales, & si lectum neglexistis, quod asserimus, illic inuenitur. Ab his autem qui Dei sunt per adoptionem, & regalia nostra tenent, cur homagium & regalia sacramenta non exigamus, cum ille noster & uester institutor, ab homine rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus cõferens, qui pro se & Petro censum Cæsari persoluit, & exemplum uobis dedit, ut ita faciatis, doceat uos, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde? Aut igitur regalia nobis dimittant, aut si hæc utilia iudicauerint, quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari persoluant. Cardinalibus utiq; uestris clausæ sunt ecclesiæ, & non patent ciuitates: quia non uidemus eos prædicatores, sed prædatores: non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrosores. Cum autem uiderimus eos quales requirit Ecclesia, portantes pacem, illuminantes patriam, assistentes causæ humilium in æquitate, necessarijs eos stipendijs & commeatu sustentare non differemus. Humilitatis autem, quæ est custos uirtutum, & mãsuetudinis uestræ non minimam notam incurritis, cum huiusmodi quæstiones, religioni non multum conferentes, secularibus personis proponitis. Prouideat itaque paternitas uestra, ne dum talia mouet quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis, qui uelut ad imbrem serotinum ori uestro aures suas arrigere festinant. non enim non possumus respondere auditis, cũ superbiæ detestabilem bestiam usq; ad sedem Petri reptasse uidemus. Paci Ecclesiæ bene semper prouidentes, bene semper ualete. Volumine 2. generatione trigesimanona.

Deposuerunt nõ legitimè electos, & substituerũt alios. Paschali Gelasius Romę succedit. At Heinricus quintus, qui electioni non interfuerat, Burdinum quendam Hispanum pontificem constituit. Sigeberti Continuator. Contra Petrum Leonis, Lotharius Imperator Innocentium pontificẽ esse iubet: ut referunt Sigeberti Cont. & Dodechi-

Dodechinus. Guido Cremẽsis Octauiano defuncto, Imperatoris Friderici iussu anno 1164 in papatu est suffectus. Phrygio.

Synodos contra eos congregarunt. Alexander enim tertius à Siciliæ rege in pestilentię cathedram locatus, ad Imperatorem Fridericum Cremonam tum obsidentem, legatos mittit, ut ille sua autoritate schisma tolleret, & institutionem sui ratam haberet. Fridericus Imperator dissidium sublaturus iustis rationibus, ne temerè res satis exulceratæ magis turbarentur: respondit legatis, oportere ut uterque designatorum ad se uenirent Papiam, eoque se uenturum spopondit, & concilium conuocaturũ, ut cognosceret causam dissensionis, & cognita, litem dirimeret. Alexandro uerò cõparere detrectante, Imperator audita diligenter tota causa, cum patriarcha Aquileiensi, Cremonensi episcopo, & cum alijs multis episcopis, ex iure pronunciat Victorem esse Romanum pontificem, non Alexandrum. Et ut omnibus fieret manifestum, concilium pro Victore pronunciasse, & electionem eius comprobasse, Victorem de more cum equo per urbem deducit, significationem ut præberet, Victorem uerum Romanum episcopum esse. Robertus Barns in uita Alexandri, Platina, Balæus.

Decreta pontificum Romanorum non sunt executi. Vuilhelmus Scotorum rex Hugoni cardinali, pontificia autoritate uniuersos Scotiæ episcopos Eboracensi apud Anglos archipræsuli parêre mandanti, grauiter contradicit, adeò ut re infecta inde discedere cogeretur. Boetius libro decimotertio de Scotis. Bernhardo & Gregorio cardinalibus, autoritate papali in Magdeburgensem archiepiscopum & quosdã alios sententiam laturis, contradixit Fridericus Imperator, & ad propria redire iussit. Otto Frisingensis libro secundo, capite nono.

Iohannes Sarisburiensis libro octauo, capite 22 Polycratici refert, quòd Theobaldus Cantuariensis archiepiscopus Roma quasdam leges papisticas in Angliam attulerit: sed eas ut reipublicæ nociuas, rex Stephanus perpetuo parlimenti decreto damnauit, deleuit, incendi fecit. Balæus Scriptorum Britanniæ Cent. 2. capite 80. in appendice.

Dederunt ipsi episcopos & doctores. Heinricum Magdeburgicis, & Robertum Herbipolensi, Conradum Iuuauensi ecclesijs episcopos præfecit Heinricus quintus Imperator. Appendix Mariani Scoti. Cum de coronatione & iure electiuo in creandis pontifice & episcopis cum Paschali ageret idem Imperator, consensit ultrò episcopus Romanus, ut hanc sibi prærogatiuam usurparent Cæsares, ne quis uel pontifex uel episcopus citra eorum suffragationem designaretur. Iacobus de Strada. Heinricus quintus annos quinque primos accepti in paterna morte regni Germaniæ, illo confirmando totos adhibuit: nec pontifici Romano Paschali secundo ea ratione aliter molestus fuit, quàm quòd & ipse episcopos, aliosq; Ecclesiasticos, qui sunt passi, ausus est iniussu pontificis inuestire. Blondus decad. 2. lib. 4. Et Lotharius Imperator, ut Nauclerus habet, priuilegium Heinrico Cęsari ademptum de prælatorum inuestitura, repetere constituerat: sed ne illud faceret, D. Bernhardus dissuasit, qui eo tempore in admiratione fuit. Balæus Scriptorum Britanniæ Cent. 2. cap. 64. in appendice. Et ad Otthonem Frisingensem suum patruũ Fridericus Imperator scribit: Cicensem episcopum Vuicmannum ad archiepiscopatum Magdeburgensem transtulimus. Et quanquam multæ lites & cõtrouersiæ inter nos & Romanam ecclesiam inde fuissent: ad ultimum tamen quod à nobis laudabiliter factum fuit, autoritas Apostolica confirmauit. Epistola libris de rebus à Friderico gestis præfixa est.

PRINCIPES ET REGES.

Tempore Paschalis secundi fuerunt reges Sicilię Rogerus & Boëmundus fratres. Miserat tunc Paschalis archiepiscopo Panormitano pallium, & simul fidelitatem exegerat. Ea res ut planè noua, ualde offendit non tantùm ipsum archiepiscopum, sed & reges ac optimates totius regni: dicebant enim, rem esse tum nouam, tum habere speciem tyrannidis in Ecclesia constituendæ. Opposuerunt item, in nulla unquam synodo esse constitutum aut decretum, ut episcopi aut archiepiscopi iuramento sese Romano pontifici obstringãt. Verùm pontifex destitutus iure, uictusque rationibus, respondit, sic utilitatem suæ Ecclesiæ postulare, seque synodos aut concilia (ut quæ omnia sint infra suam autoritatem) non morari. Appendix Catalogi testium ueritatis.

Delegerunt episcopos & doctores. Anno 1136 Stephanus Angliæ rex inuestituras prælatorum sibi reseruat. Matthæus Parisiẽsis. Anno 1176 pace inter Scotum & Anglum reges sancita, Anglo hoc iuris inter reliqua est concessum, ut episcopatus, abbatias, aliosque honorum gradus pro libitu distribueret. Continuator Sigeberti.

Mandata pontificum Romanorum non executi sunt, & contempserunt. Heinricus enim secũdus Anglorũ rex, legatos Romani pontificis nequaquã prius regni fines in-

gredi

gredi passus est, quàm iureiurando promitterent, nihil se contra consuetudines quascunq; regni præscripturos. Id quod illi seu metu seu muneribus adducti fecerunt. Polydorus Vergilius libro decimotertio Anglicæ historiæ.

Sceleratos episcopos, sacerdotes, monachos puniuerunt. Rogerium Eboracensem archiepiscopum, Romanæ sedis legatum, quòd publicè ob auariciam malè audiret, Scotia prohibuit Malcolmus rex. Indignũ enim existimabat, regis aulã regnumúe flagiciosis hominibus, quãtumuis magnos illi gererẽt honores, patẽre. Hector Boethius lib. 13. de Scotis.

Tempore Lotharij Imperatoris ciues Romani contra Innocentium Romanum senatum restituere summis uiribus conati sunt, teste Iohanne de Oppido. Ac pòst instinctu Arnoldi cuiusdam, missis per legatos literis ad Conradum Imperatorem, eius ea in re opem expetiuerunt. Literarum exẽplar apud Frisingensem lib. 1. cap. 28. habetur, ubi inter cætera de pontifice scribunt, quòd à Siculo multam pecuniam pro detrimẽto Imperatoris & Romani Imperij acceperit.

ECCLESIASTICI.

Resistentes iniquis postulationibus & decretis. Calixto papę, qui coniugium Germanis & Anglis sacerdotibus extorserat, multi contradixerunt boni uiri, quorũ uetusta carmina, suppressis nominibus hodie extant, quæ adscribere libet.

O' bone Calixte, mundus totus perodit te.
Quondam presbyteri poterant uxoribus uti:
Hoc destruxisti, postquam tu papa fuisti.

Item:

Prisciani regula penitus cassatur,
Sacerdos per hic & hæc olim declinatur:
Sed per hic solummodo nunc articulatur,
Cum per nostrum præsulem hæc amoueatur.
Ita quidam presbyter cœpit allegare,
Peccat criminaliter qui uult separare,
Quod Deus coniunxerat, fœminam amare:
Tales dignum duximus fures appellare.
O' quàm dolor anxius, quàm tormentum graue,
Nobis est dimittere, quoniam suaue.
O' Romane pontifex, statuisti prauè,
Ne in tanto crimine moriatis caue.
Non est Innocentius, imò Nocens uerè,
Qui quod facto docuit, uerbo uult delere:
Et quod olim iuuenis uoluit habere,
Modò uetus pontifex studet prohibere.
Gignere nos præcipit uetus Testamentum:
Nouum quod non retinet, nusquam est inuentum.
Præsul qui contrarium donat documentum,
Nullum necessarium bis dat argumentum.
Dedit enim Dominus maledictionem
Viro, qui non fecerit generationem.
Ergo tibi consulo per hanc rationem,
Gignere, ut habeas benedictionem.
Non'ne de militibus milites procedunt,
Et reges à regibus, qui sibi succedunt?
Per locum à simili, omnes iura lædunt
Clericos, qui gignere crimen esse credunt.
Nobis adhuc præcipit uetus Testamentum,
Quod nostræ iam legis est uerax fundamentum,
Vt mares & fœminæ sciant instrumentum
Tale, per quod habeant prolis incrementum.
Zacharias habuit prolem & uxorem,
Per uirum quem genuit adeptus honorem,
Baptizauit etiam nostrum Saluatorem.
Pereat qui teneat nouum hunc errorem.
Paulus cœlos rapitur ad superiores,
Vbi multas didicit res secretiores:
Ad nos tandem rediens, instruensq; mores,
Suas (inquit) habeant quilibet uxores.
Propter hæc & alia dogmata doctorum,
Reor esse melius, & magis decorum,
Quisq; suam habeat, & non proximorum,
Ne incurrat odium, uel iram eorum.
Proximorum fœminas, filias & neptes,
Violare nefas est, quasi nil deceptes:
Verè tuam habeas, & in hac delectes,
Diem ut sic ultimum tutius expectes.
Ecce iam pro clericis multum allegaui,
Nec non pro presbyteris multa comprobaui.
Pater noster nunc pro me, quoniam peccaui,
Dicat quisq; presbyter, cum suaui.

Antichristi tyrannidem animaduerterũt & strinxerunt, Leodiensis ecclesia, Paschalem secundum malitiæ & crudelitatis reũ agens: & Sigebertus Gemblacensis monachus, qui Heinricum quartum Imperatorẽ contra Gregorium septimum & Paschalẽ secundum scriptis defendit, in quibus asseruit papam non habere utrumq; gladium, neciuris aliquid super ipsum Imperatorẽ, docuitq; detestabilẽ hæresin esse in papa, politicorũ dominorum subditos iuramẽtis absoluere. Balæus Cent. 2. cap. 60. in appendice. Arnoldus Moguntinus & Eberhardus Iuuauensis Romanos sacerdotes, cardinales, archiepiscopos, episcopos, presbyteros, diaconos (ita enim uocant) literis admonent: pertinaciam, fastum, superbiam coarguunt: auariciam, perfidiam, aliaq; facinora, quibus pauperes cõpilent, & Imperiũ cõturbẽt, cõmemorant: obtestãtur ultimò, ut Hadrianũ ad pacẽ seruandã cohortẽtur: Imperatorem id quod bonum æquumque fuerit, facturũ referunt. Auentinus lib. 6. Analiũ Boiorũ. Iohannes Sarisburiẽsis & episcopus Carnotẽsis solitus est duriter insectari scelera papæ & totius cleri. Et in suo Polycratico inter cætera sic scribit: Sedent in ecclesia Romana scribæ & pharisæi, ponentes onera importabilia in humeros hominum. Pontifex magnus, omnibus grauis ac penè intolerabilis est. Ita debacchan-

debacchantur eius legati, acsi ad Ecclesiã flagellandam egressus sit satan à facie Domini. Nocent sæpius, & in eo sunt diabolo persimiles. Apud eos iudicium nihil est, nisi publica merces. Quæstum omnem reputant pietatem. Iustificant pro muneribus impium, afflictas grauant conscientias, argento & auro mensas ornant, & exultant in rebus pessimis. Siquidem peccata populi comedunt, eis uestiuntur, & in eis multipliciter luxuriãtur, dum ueri adoratores in spiritu adorant patrem. Qui ab eorum dissentit doctrina, aut hæreticus iudicatur, aut schismaticus. Manifestet ergo seipsum Christus, & palàm faciat uiam, qua nobis est incedendum. Testatur Petrus Parisiensis Cantor in suo Abbreuiato uerbo, eũ à Lateranensi concilio papæ & episcopis, uolentibus nescimus quas nouas traditiones condere, restitisse, ac dixisse, Adeò non esse nouas traditiones condendas, ut etiã de ueteribus aliquid potius diminuendũ sit, etiam si essent utiles. Nam & illarum utilium traditionum numero ac copia nimium Christianos onerari. Illudq; potius agẽdum esse, ut uerbum Christi seruetur. Iam enim uerè Christianis obijci posse, quod propter hominum traditiones, Dei mandatum irritum fecerint. Inuenimus in quodã manuscripto libello, cui titulus est, de Vita & honestate clericorum, quòd hic Iohannes Romam ex Anglia ueniens, Hadriano quarto, cui familiaris amicusq; fuit, interroganti, quid sui homines de papa Romanaque curia sentirent ac loquerentur? responderit, Eos dicere, non posse illum expleri omnibus totius Ecclesiæ opibus, quin semper plura expetat, queraturq; se egere. Balæus Scriptorum Britanniæ Centuria 3. ca. 1. in appendice, Catalogus testium ueritatis. Anno Domini 1191, dum rex Ricardus adhuc in Palæstina esset, Ioachimum abbatem Calabrum aduocabat, interrogans illum de Antichristo. Qui respondit, Romæ iamdiu fuisse natum, ac tunc maximè regnare, exaltareq; se super omne quod dicitur Deus: propter ea quæ tunc fiebant Friderico Cæsari Barbarossæ per Alexandrũ tertium, & in coronatione Heinrici sexti per Celestinum tertium. Balæus Cent. 3. cap. 35. in appendice. Hildebertus Honorium pontificem Romanum monet, ne temerariè quasuis appellationes accipiens, uim iudiciorum, & episcoporum autoritatem imminuat. Ac inter cætera ait: Bonam spem gero in sinu meo, quia scribens pro iusticia, patris gratiam non amittam. Quaslibet igitur appellationes in Romana uigere uel suscipi ecclesia, cis Alpes auditum non est, nec ex sacris traditum institutis.

Quòd si fortè huiusmodi emerserit nouitas, ut placeat omnem indifferenter admittere appellationem, pontificalis censura peribit, & omnino contereretur robur Ecclesiasticæ disciplinæ. Quis enim raptorum ad solam anathematis comminationem non statim appellabit? Quis clericus aut presbyter frustratoriæ appellationis refugio non putrebit, aut etiam sepelietur in stercore suo? Quis episcopus habebit in promptu, non omnem dico, sed aliquam ulcisci inobedientiam? Eius uirgam quæuis appellatio quassabit, soluet constantiam, seueritatem emolliet, adducens & illi silentium, & reis impunitatem delictorum. Sic fiet, ut sacrilegia ac rapinæ, fornicationes & adulteria, pernicioso inundent incremento, cum præsul ad superfluas appellationes clauserit ora, & desierit persequi piorum persecutores, & punire manifestam sacerdotum immundiciam, & uiduarum iniurias ulcisci & orphanorum. Dilatione nimirùm censuræ facinora fouebuntur, & uenient in profundum iniquitatis impunè delinquẽtes. Et Elizabeth uirgo Germana inter alia prælatos in uisione à Deo accepta sic alloquitur: Caput Ecclesię clamat, & membra eius mortua sunt: quoniam sedes Apostolica obsessa est à superbia, & colitur auaricia, & repleta est iniquitate & impietate, & scandalizant oues meas, & errare eas faciunt, quas custodire & regere debuerunt, &c. Et paulo pòst: Hæc dicit Dominus magnis prælatis ecclesiæ: Recordamini quam rationem reddituri estis in tremendo iudicio meo de ouibus meis, quas suscepistis regere & custodire, quando appreciati estis dona spiritualia populi mei precio infidelitatis, &c. Et paulo pòst: Ego delebo memoriam uestram de terra uiuentium. Item hisce quoque uerbis eosdem accusat: Hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam angelum meũ, ut annunciet uobis, qui in sublimi potestate irritatores estis. Dico autem uobis, quòd iniquitates terræ, quas abscõditis propter aurum & argentum, ascendãt coram me, sicut fumus de igne. Nunquid non animæ sunt plus quàm aurum & argẽtum, quas suffocatis in ignem ęternum propter auariciam uestrã? Idcirco accusat uos religio uestra coram me. Ecce enim fœtere fecistis sanctificationem meam in conspectu populi, & uersa est in abominationem mihi. Occupastis principatum sanctorum meorum, & nesciui. Maculastis stratum meum, & silui. Quid mihi & uobis, exasperatores mansuetudinis meæ? Vnde ascendistis turbare ouile meum, & aggrauare cor meum super filios meos, quos genui in amaritudine animę meæ, in die laboris & angu-

stiarum mearum? Et adiecit iterum loqui ad me, dicés: Nō'ne pastores mei quasi in graui somno obdurati sunt?& quomodo euigilare eos faciam super greges meos, qui disperguntur? Catalogus testium ueritatis.

Arnoldus Brixiensis episcopus damnauit ciuilem administrationem in clero, seu quòd sibi ius temporalis gladij usurparent clerici: atq; ob eam causam est ab Hadriano quarto hæreseos damnatus. Floruit circa 1150 annum. Baleus, Catalogus testium ueritatis. Ecbertus monachus Treuerésis de schismate Romanorum pontificum scribit ad Coloniensem: Mouentur montes, qui stillare debuerant dulcedinem: & quomodo non cōmouebitur subiacens terra? Ecce enim effusa est contemptio super principes principalis Ecclesiæ, quæ omniū mater est, & sciderūt unitaté summi sacerdotij, ruperunt uinculum pacis Ecclesiasticæ, ita ut inuicem mordeant, inuicem se interficiát, anathematizando alterutrum. Est tamen incertum, quæ duarum partium percutiat in gladio Petri, cum nec possit in partes diuidi, nec indiuisus sibi aduersari: unde fit, ut non iam correctionis dulcedinem, sed dissensionis amaritudinem amarissimam propinent omnibus terris. Et omnes, inquit, colles turbati sunt. Ecce enim ex illorum uesano motu nō modica turbatio deriuata est in omnes subditos illis Ecclesiarum patres, qui cui parti magis assentiendum sit ignorantes, ipsi quoq; sibi inuicem malitiosè aduersantur, alterutrum se abominantur, odijsque & detrectationibus se inuicem persequuntur. Catalogus testium ueritatis.

DE OFFICIIS POLITICI MAgistratus *in iuuanda gubernatione, & conseruanda disciplina Ecclesiastica.*

IMperatores episcopos Romanos eligebant & confirmabant. Victorem concilij sententia comprobatum, Fridericus, qui cōcilio unà intererat, Papia Romam deduxit.

Principes & reges episcopos constituebant. Magdeburgensi enim clero in electione episcopi dissidente, Guicmannum Cicensem ipsis, licet inuitis, ut in Saxoniæ habetur Chronico, Fridericus Imperator dedit episcopum. Otto Frisingensis lib.2. cap. 6. de gestis Friderici. Habita Moguntiæ Imperiali curia, Heinricus quintus Adelbertum suum cancellarium, ad eam cathedrá dudum electum, baculo & annulo inuestiuit, iuxta facultatem à summis pontificibus haud sine uiolentia ac potentia Imperatoribus concessam. Historia Bambergensis. Heinricus Leo, missa ad Fridericum Imperatorem legatione, impetrauit ab eo ius constituendorum episcoporum per terras, quas belli iure teneret. Cranzius lib.4. cap. 36 Vandaliç, Chronicon Saxoniæ.

Restituebant iniustè pulsos. Heinricus quintus expeditionem ducens in Vuormacienses, qui pontificem à Cæsare institutū eiecerant, suumq; quem ipsi uolebant reposuerant, urbem obsidione cinxit, Rhenumq; suprà & infrà communiuit, ne quid importaretur. Crebræ sub mœnibus pugnæ, multis utrinq; cæsis captisq;: sed fames effecit, ut post aliquot dies urbici quinque millibus talentorum mulctati, ad arbitrium Imperatoris de episcopo fieri paterentur. Cranzius lib.5. cap.45 Saxoniæ. Monasterienses Lotharius Saxoniæ dux, multis belli malis perdomitos episcopū suū, quē insigni quadam iniuria affectū urbe eiecerant, recipere coegit. Ibidem cap. 41. Heinricus primus rex Anglorum regno potitus, ab initio sacerdotalis ordinis dignitatem, quam frater maximè corruperat, restituendam, simulq; Rempublicam subleuandam, conseruandam, tuendam sibi constituit. Itaque Anselmum antistitem Cantuariensem ab exilio reuocat, episcopatum Vintoniensem miserabiliter uastatum Guilhelmō Gyffardio uiro graui dat, ac cœnobijs, quæ diu uacauerant, probatos monachos præficiendos curat, uectigalia publica noua ac grauia aufert, & Ranulphum Dunelmensem episcopum, hominem ad quodcunque flagitium promptum, illius rei ac aliarum rapinarum præcipuum suasorem impulsoremque, in carcerem conijcit. Polydorus Vergilius libro undecimo Angliç historiæ.

Monebant eos sui officij. Ad contumacem Saltzburgensem episcopum, ad concilium uenire, & auxiliares copias Imperatori in Italiam mittere recusantem, Fridericus scribit Imperator: Quòd si animum prudentiæ tuç ab his auerteris, & omnino nolueris uenire, indubitanter scire te uolumus, quòd nos, fauente & semper præcedēte Dei clementia, cum consilio principum & religiosorū ita de Saltzburgensi ecclesia ordinabimus, ut & honor Dei & religio nō minuatur, & debitum seruitium Imperio decæterò rationabiliter exoluatur.

. Puniebant facinorosos, seditiosos, contumaces. Sacerdotes in Londinensi concilio fornicationis conuictos, patrum autoritate argento emunxit Anglorum rex. Ranulphus libro septimo, capite decimoseptimo, in Polychronico. Anno 1162 Heinricus Anglorum rex decretum fecit, clericos in publico flagitio deprehensos, præsente regis iusticiario per episcopos suos exautorandos, & manui laicali, ut puniantur, committendos.

mittendos. Huic autem decreto occasionem dedit Philippus quidam canonicus Bedfordiēsis, qui tractus in iudicium propter homicidium, uerba contumeliosa in Iusticiarium protulit. Matth. Parisius.

Synodos congregabant. Synodum Papię indixit Fridericus Imperator, eiq; praesedit: ubi Rolandus reprobatur, Octauianus uerò concilij sententia pontifex creatur. Radeuicus libro quarto, cap. 68. 69. Saltzburgensem episcopum, quòd bis ad concilium per Imperatorem uocatus, non comparuerit, grauiter scriptis literis obiurgat Fridericus Imperator, ac ut Cremonensi aduentui adsit, iubet: Mandamus, inquit, itaque tuae discretioni, monentes & studio sius te rogantes, ut remota omni occasione & dilatione, tuam ipsius praesentiā in proxima natiuitate sanctae Dei genitricis Mariae nobis & curiae nostrae exhibere non differas Cremonę, assumpto tecum fideli nostro uenerabili episcopo Brixiense.

Episcopatus constituebant & transferebāt. Anno 1110 Balduinus Hierosolymorū rex Bethlehem episcopatum constituit. Tyrius lib. 11. cap. 12. Anno 1135 Carlioli Heinricus primus Anglorum rex nouam episcopi sedem ordinauit. Polydorus lib. 11. Anglicae historiae. Dauid Scotiae rex nouem episcopatus constituit. Iohannes Maior lib. 3. cap. 12. Heinricus Leo anno 1163, ut Crāzius annotat lib. 4. cap. 37 Vandaliae, Aldenburgensem episcopatū Lubecā transtulit. Helmoldus cap. 90. Idem dux aliquāto pòst & Mechelburga cathedralem sedem Suerinum collocauit, teste Heinrico Erfordensi, & Cranzio lib. 6. cap. 36 Vandaliae, Chronicō Saxo. Rex Portugalensis Hispaniae Vlisbonam sedem cathedralem fecit. Cōtinuator Sigeberti. Heinricus Anglorum rex Heliēse monasterium in episcopatum mutauit. Malmesburiensis lib. 5. cap. 55.

Monasteria, templa extruebant, ijsq; priuilegia dabant, ut ex Capite sexto uidere licet. Leopoldus dux Austriae fratres Hierosolymitanos ex Accaron, postquā à Friderico Imperatore in Imperiū assumpti, & magnis libertatibus sunt insigniti, etiam in Austriam uoluit implantare, multisq; reditib. & annuis censib. locupletauit. Austria Cuspiniani. Anglorum regis priuilegiū ecclesijs cōcessum hic adscribimus: Ego Stephanus Dei gratia assensu cleri & populi in regem Angliae electus, & à Guilhelmo Cātuariensi archiepiscopo & sanctę Romanae ecclesię legato, & ab Innocentio secundo Romanae sedis antistite confirmatus, respectu & amore Dei, sanctam Ecclesiam liberā esse concedo, & debitam reuerentiam illi confirmo. Nihil enim in Ecclesia uel rebus Ecclesiasticis simoniacè acturum uel permissurum promitto. Ecclesiasticarum personarum & omnium clericorum & rerum eorū iusticiam & potestatem, & distributionem bonorū Ecclesiasticorum in manu episcoporum esse perhibe & confirmo. Dignitates ecclesiarum priuuegijs confirmatas, & consuetudines earum antiquo tenore habitas, inuiolatas manere statuo & concedo.

Bona Ecclesiastica defendebāt, & ablata restituebant. Anno 1109, suscepto bello in eos qui sacerdotū & ecclesiarum fundos possesionesq; inuaserāt, in Parisijs Bochardus à monte Morentij, in Bellouacis Drocus Mōtiacus, in Remis Elbo Rosiacus, in Aurelianis Leonetus Magdunēsis, alijq; locis alijs, à filio Franci regis Ludouico, & Roberto Flandrensi comite uicti subactiq; sunt, atq; ecclesijs suae cuiq; res restitutę. Iacob. Meyer in Chronico Fland. Hugonem Burgundū, qui ecclesias & monasteria spoliārat, Philippus Franciae rex tricies mille auri libris ecclesijs soluendis mulctat. Robertus Gaguinus lib. 6 de Francis. Idem & Guilhelmum Podiensem comitē, & Claromontensem principem ecclesias depopulantes, bello superatos uinculis constringit. Et Cabilonēsem comitem, qui Cluniacenses spoliarat, Cabilone & monte S. Vincentij urbibus exuit. Ibidem. Ecclesijs ab Ottone in Pomerania constitutis, Vratislauus dux praedia, unde sacerdotes uiuerēt, donat. Historia Bābergensis. Conradus Imperator Ottonem de Vuittelsbach cū uxore & liberis (quod praedia sacerdotū, à quibus curatione templorum motus erat, diriperet) apud Kelhaim (ciuitas & regia est inferioris Boiarię, prima ad cōfluentes Danubij & Alemani sita) circūsidet, ad deditionē cogit: Ottonē filium maximū natu obsidē dare, tutela sacrarum aediū se abdicare cogit. Auēt. li. 6. Annal. Theodoricus Flādriae princeps Taruānensem arcē, aduersus sacerdotū libertatē extructā, funditùs delet, anno 1142. Chronicon Flādriae. Philippus Bergensi monasterio bona possesionesq; confirmauit. Et Cameracensis episcopus eidē ecclesiae suae patrocinium demandauit, ipsiq; eo nomine certum frumenti numerū in annos singulos attribuit. Ibidem.

Episcoporū opera in legationib. utebātur. Aitardus enim Nazarenus episcopus, pro petēda cōiuge Balduino regi Hierosolymitano, Cōstantinopolim ablegatur. Tyrius li. 18. ca. 16. Per Embriconē Herbipoleos episcopū Cōradus Imperator cōiugis suę sororē, spōsam Manueli Cōstātinopolitano mittit, foedusq; innouat. Cusp. Tyri episcopus Vuilhelmus à rege Hierosolymitano Constātinopolim mittitur, ut ipse testatur li. 20.

cap.

cap.4. Hilinus Treuirensis & Eberhardus Bambergensis Romam ire iubentur, ut Pōtifici Friderici ad Imperij culmen surrogationem significent. Otto Frisingensis lib.2. cap.4. de gestis Friderici. Idem Imperator Anshelmum Hauelbergensem ad Græcorum Imperatorem ablegat. Ibidem lib.2. capite 11. Dauid Leucestriæ comes pro liberādo fratre Vuilhelmo Scotorū rege, Richardum S. Andreæ episcopum ad Heinricum Anglum in Normanniam mittit. Boethius lib.13. Papiēsem episcopum Fridericus Imperator ad conciliandos Francorum & Angliæ reges misit, ut ipse testatur in epistola quadam ad Saltzburgensem episcopum.

Idololatriam abrogabant. Vualdemarus enim Daniæ rex, opera ducum Pomeraniæ & principis Obotritorū, deuicta terra Rugianorum, simulachrum illud antiquissimū Zuanteuit cōtriuit, destruxit fanum cū omni religione sua, & ærarium locuples diripuit: præcepit etiam ut discederent ab erroribus suis, in quibus nati fuerant, & assumerēt cultū Dei ueri. Dedit præterea sumptus in ædificia ecclesiarum, & erectæ sunt duodecim ecclesiæ in terra Rugianorum, & constituti sunt sacerdotes, qui gererent populi curam in his quæ Dei sunt. Helmoldus lib.1. ca.12. de Sclauis. Misericordia Dei & Lotharij Cæsaris uirtute factū est seminarium nouellæ plātationis inter Sclauos, ut idem autor testatur lib.1. cap.55.

Reformationes & bonas leges promulgabant. Vuernerus enim iurecōsultus, rogāte & iubente Mathilda, Vuelphonis secundi ducis Boiorum uxore, leges Romani populi, à Iustiniano Imperatore inuulgatas, hactenusq; neglectas, situ & carie obsoletas, cum tineis & blattis depugnantes recognouit atq; publicauit, continenti scriptura expositas, in libros capitaq; diuisit: sentētiā paucis summatim præscripsit, legendo, commentando, interpretādo easdem etiā cæteris notas fecit, parū adhuc diuulgatas diligētius retractauit. Auētinus. li. 6. Lotharij Imperatoris iussu hoc laboris Vuernerū subijsse, prodit Bibliāder. Vuelpho Heinrici rectoris Boiorū patruus, Imperatoris auūculus, suę ditionis prouinciā plustrat, apud diuū Genesium conuentus agit, legatis responsa dedit, ius dicit, leges parēdi præscribit, mandata dat, septem præfecturas cum signis, uti mos est, proceribus suis in fidem atq; tutelam commendat. Auentinus.

Exules recipiebant & fouebant. Bohemundus Antiochiæ princeps benignè suscepit Daibertum Hierosolymis pulsum, eique Antiochiæ ædem cum amplissimis reditibus, unde uiueret, attribuit. Tyrius libro 10. capite 25.

QVAE A VIRIS POLITICIS *contra suum officium, & Ecclesiæ utilitatem gesta sint.*

INdoctos & ineptos intrudebant ad Ecclesię functiones. Sic Heinricus secūdus Angliæ rex à Thoma Cantuariensi reprehēditur, quòd sacerdotes minus idoneos ad episcopale munus euehat, eoq; omnem sacerdotalis ordinis autoritatem dignitatēq; frangat. Polydorus Vergil. lib.13. de Anglis. Queritur & Rupertus Tuitiensis de potentum temeritate, inquiens: Non'ne Balaam sacerdotum uenalium hypocrisin in semet ipso præpingit intolerabilem? An non hodieq; taliū sacrilegorū intestina peste omnia plena sunt? Mittit uiolenta manus secu lariū, & hoc seculū diligentiū, & in hoc seculo potentium, secundū nomē Balach: interpretatur enim lingens siue elidens, lingens scilicet seculi delicias, & elidens pudicas, quoad potest, sibi non cōsentiētes animas. Mittit inquam trans Iordanem, & euocat quempiam sacri baptismi transgressorem, & statuit sibi pontificem pronum in auariciā, uanitates obseruantē secundum nomen Balaā: Balaam quippe populus uanus interpretatur. Reges quoq; & Imperatores, qui se Christianos dicunt, uanitatem huiusmodi sectati sunt, & contra Aaron pōtificem, Balaam ariolum: cōtra Petrum, Simonem Magum: contra quempiam legitimum Romanæ sedis antistitem, adulterū quemlibet nonnunquā intruserunt ad maledicendum. Veruntamen de uniuerso loquamur Balaam: id est, de omnibus qui ubiuis terrarum sub nomine uel officio sacerdotij sectantur auariciam, & mercedes iniquitatis amāt. Quisquis ergo ille est, qui taliter accedit ad sacerdotiū, adductus quidem est ad maledicendū, & animo detestatur Israel: quia diligit uitia, & odit uirtutes: sed in publico detestari non audet, palàm uoce maledicere non audet, ita ut aliter doceat in Ecclesia, quàm regula fidei sese habeat. In Apocalypsin lib.2. cap.2.

Heinricus primus rex Angliæ rerū felicitate elatus, tantū sibi sumere cœpit, ut sua dūtaxat autoritate & episcopos faceret, & factis episcopatuum possessionē daret. Polydorus lib.11. Anglicæ historiæ. Et de Frācorum rege queritur Blesensis in epistola ad quendam regium consiliarium: Diu, inquiens, rumor insonuit, & publicè iam crebrescit, quòd dominus rex Francorū Siculus, salutis suę & paternæ traditionis oblitus, cū comite Lotorelli in ruinā & desolationē Aggentinēsis ecclesię cōiurauit. Intendit episcopare fratrē comitis, & ipsum reclamante populo ui intrudit. Tu uerò cum scias, ipsum esse statuam & truncum

inutilem, miror quòd te non opponis murum pro domo Israel. Epist. 8.

Falsam doctrinam defendebant. Anathemata in Mahometi deū ex catecheticis tabulis expunxit Manuel Comnenus Imperator, ab ipsa magnæ ecclesiæ tabula auspicatus. Nicetas lib. 7. de gestis Manuelis.

Iudicium de doctrina sibi solis rapiebāt. Pleriq; Romanorum Imperatores imperare, aurum gestare, communibus ut priuatis uti, eaq; suo arbitratu, quibus uolunt, donare, nō contenti: nisi sapientes, forma dijs, robore heroibus similes, & ut Salomon diuinitùs edocti, & doctores diuinitatis & normę rectissimę, deniq; diuinarū humanarūq; rerū interpretes uerissimi habeantur, iniuriā sibi fieri censent. Vnde fit, ut cum immodestiores & audaciores, qui noua dogmata in Ecclesiam introducunt, cohercere, aut id munus ijs qui Theologiæ scientiam profitentur, mandare deberēt: nec in hac parte ullo inferiores esse uolentes, ijdem dogmatum & autores & arbitri ac disceptatores existant, sæpe etiam dissentientes mulctēt. Hic quidā Imperator Manuel Cōnenus natura facundus, & suauis sermonis affluentia ornatus, non elegantes tantū epistolas scribebat: sed & religionis institutiōes parturiebat, ac publicè declamabat. Tandem etiam de diuinis dogmatibus & ipso Deo differebat, sæpe etiam dubitationem pręse ferēs, quęstiones è Scripturis proponebat, earumq; solutiones, eruditis omnib. conuocatis, requirebat: quanquam in his etiā laudari potuisset, nisi curiositate ingenij eas etiā quæstiones agitasset, quæ attingi se nullo modo patiuntur: aut saltem omissa pertinacia, Scripturarū sententiam in multis ad suam opinionem nouis interpretationib. nō accommodasset, ueris declarationibus ueterum repudiatis, quasi ipse totum Christum comprehendisset, & ab ipso de natura eius dilucidius ac diuinius edoctus esset. Nicetas lib. 7. rerum à Manuele Comnenǫ gestarum.

Andronicus Constātinopolitanus Imperator, homo perdidissimus, receptā cōsuetudinem de diuinis dogmatibus disputandi adeò improbauit, deq; Deo noui aliquid uel dicere uel audire noluit, ut nouarū Patrarum episcopum Euthymiū, & Cinamū Ioannem, ad Lopadium de illo Christi dicto (Pater maior me est) in suo tabernaculo differentes obiurgarit, & in Rhindacū amnem abiecturum minatus sit. Nicetas lib. 2. de Andronico.

Nimis multa templa & monasteria ædificabant. Quindecim enim cœnobia solus Dauid Scotorū rex in suo regno extruxit: ut Hector Boethius li. 12. Scoticę histor. indicat.

Nimis multa bona ecclesijs aut monasterijs dabant. Sexies enim uicena millia Fràcicorum nūmorum Dauid Scotiæ rex monasterijs distribuit. Iohannes Maior lib. 3. cap. 12. de Scotis. Infinitus penè urbiū, prędiorū, fluminum, aliarumq; rerum Casinensibus oblatarum catalogus in Chronico Casinēsi recensetur, lib. 4.

Bona Ecclesiastica sibi rapiebant. Captis enim Romæ Paschali & cardinalib. eorum bona militibus prædæ fuerunt, concedente Imperatore. Bonfinius lib. 5. decad. 2. Vacante per quinquennium Cantuariensi archiepiscopatu, Heinricus primus rex uectigalia reditusq; alios interim intercepit. Polydorus Verg. lib. 11. Cùm Philippo Fràciæ, & Ricardo Angliæ regibus pecunia ad continuum bellum gerendum deesset, & populis partim suis sumptibus bellando propè ad inopiam redactis, grande æs alienū multiplicatū esset: uisum est non indignū esse, si adhuc sacerdotibus, quibus cum religionis causa hactenus esset mitius actū, ex ijsq; nullus haberetur delectus, nouum tributū imponeretur: ac ut honesta causa rem minus æquā tegerent, prædicandum cōstituerunt, se eam pecuniam facere, ut in stipendium darent illis qui in Syria rem Christianā armis tuerentur: quanquā illud minimè omniū cogitarant. Itaq; Ricardus in Turones profectus, primò à cœtu Turonensi, deinde ab alijs sacerdotibus, qui in principatu eius Gallicano erant, grandem pecuniæ uim exegit. Philippus itidem, sed acerbius multò, intolerabiles sacerdotiorū decimas indixit, cōfestim suis quęstorib. soluendas: qui extra pecunias imperatas colligendo, suo etiā priuato cōpendio seruientes, duriter miseros sacerdotes facultatib. spoliauēre. Polydorus Vergil. lib. 14. Heinricus quintus ira succensus, ducatum Orientalis Fràciæ, qui Vuirtzburgensi episcopio antiqua regūm successione competebat, Conrado sororis suæ filio commisit. Vrspergensis. De bonorum ecclesiæ suæ abalienatione Iuuauēsis episcopus Friderico Imperatori queritur, inquiens: Non negamus, prædecessores nostros ditatos & honoratos multis & magnis beneficijs, scilicet à uestris prædecessoribus: sed non omnia peruenerunt usque ad nos, sed abalienata sunt, & translata sunt à nobis, uiolentia & inuasione uicinorum ante annos plurimos, apud nos tātum remanentibus chartulis & priuilegijs, cum nonnullis possessionibus. Et Petrus Blesensis ait: Sancta religio, quæ monachorum mater est, datur hodie in conculcationem, possessiones illius trahuntur ad direptionem & prædā: quę olim deuota principū munificentia cōtulit, modernorū auaricia,

ricia,non sine magno fauoris dispendio reuocare & auferre præsumit.Epist.22.

Stulta supstitione politici magistratus fiebát monachi. Leopoldus enim dux Styriæ monachũ induit,ac summa religiõe monastica uitá finijt, anno 1193. Austria Cuspin.

¶ Heinricus Bitislaus Bohemiæ dux,põtificatum unà gessit cũ ducatu annis 15,cœlibatum ex more Romano implens in põtificatu. Cranzius lib.6.cap.6 Vandaliæ.

CAPVT VIII.

DE SCHISMATIBVS ET *dissidijs sub Heinrico* IIII.

ANTIPAPALE SCHISMA IN*ter Vrbanum* II. *& Vuicbertum,* DE CVLMINE.

COntẽtio ambitiosa de culmine Romanæ sedis inter Vrbanum secũdum & Vuicbertũ morte utriusq; sublata est,anno Domini 1100. Sigebertus, Otto Frisingensis lib.7.cap.7.

ANTIPAPALE SCHISMA *tempore Paschalis* II. DE CVLMINE.

TEmpore Christi nemo Apostolatum ultrò ambiebat. Causa in promptu erat:quia id uitæ genus nullas diuitias,nullam potentiam,nullas uoluptates adferebat:sed labores tantùm,& dolores. Christo aũt in cœlum sublato, & extinctis Apostolis,cũ Romanus pontificatus ingẽtes opes conquisiuisset ac teneret, ad põtificale culmen plurimi aspirabant, quia reditus amplos pariter & honores gignebat. Ideoque insidijs, pecunia, gladijs crebrò expetebatur. Sic hac etiam ætate legimus, pontificatũ Romanæ ecclesiæ semper plurimos habuisse procos,qui fraudib.magia, largitionibus,ui,gladijs,hastis, & quacunq; tandẽ ratione conati sunt eam quæstuosam prçfecturam obtinere. De Apostolico autẽ munere,hoc est, officio currendi per orbem,& conuertendi gentes impias ad Christi fidẽ, paucos solicitos fuisse,palàm est.

Ad eum igitur modum Romanũ prçsulẽ, ut fieret potens Draco,necesse fuit alios serpentes multos deuorare. Electo enim Paschali secundo,primũ eum Vuicbertus seu Guibertus excipit,quem Heinricus 4. tempore Hildebrãdi pontificem designarat, & hactenus antipapa extiterat. In eum autem mouentur arma militaria, sicut decet pastores Apostolicos & Romanos, non obstãte quòd pauper Christus eiusmodi dominationem politicã suis Apostolis prohibuisset. In auxilium uerò Rogerius Siciliæ comes euocatur:is & pecuniã & armatos adducit. Vuicbertus uiribus impar, in tutiorẽ se locum recipit,relictaq; Alba, in Aquilanorũ mõtana fugiẽs, ibi subitanea morte,fortè offula Italica recreatus, oppetijt. His gestis exurgũt antipapæ alij tres, ueluti ex hydra Lernęa multa capita. Primũ quidẽ Albertus Atellanus erat à Richardo, q partiũ Vuicberti fuerat,creatus põtifex: is captus, & carceri inclusus, cogitur mori. Deinde Theodoricus abbas Forfensis cœnobij, à Cauẽsibus Prænestini agri incolis eligitur: is simili ratiõe è uiuis tollitur. Succedit tertius Maginulphus, seu Adulphus,ut alij habẽt:is captus,atq; in exiliũ actus, rebus humanis exẽptus est. Durarunt aũt ista schismata annos 18. ex qua quidem re coniectura non leuis capitur, non defuisse, qui Paschalis electionẽ nõ ratã habuerint. Causas uerò ex turbis,quas iste papa dedit,nõ difficile est diuinare. Platina,Antoninus,Martinus Capel. Onuphrius.

SCHISMA INTER REGEM HIE*rosolymitanum & patriarcham,* DE ARCE SION.

SIcut prçlati Ecclesiastici hoc seculo turpissima metamorphosi regnũ Christi spirituale in politicum transferebant: ita quoq; magis bonis tẽporalib. accipiendis, rapiendis & defensandis, quàm traditioni aut propagationi doctrinæ salutaris incũbebant. Ad illud aũt aucupiũ utebantur falsis cultibus & deprauatione doctrinę cœlestis. Fascinabãt enim miseros homines, anxios qualicũq; suorũ peccatorũ agnitione, & de salute sua solicitos, quasi donatione suorũ bonorũ, & collocupletatione ministrorum uerbi Dei sibi Dei fauorẽ atq; salutẽ uitę ęternæ mercari possent. Simili artificio Dabertus Hierosolymitanus patriarcha Godefridũ regẽ dementarat, ut is arcẽ Dauid & ciuitatẽ Hierosolymitanorũ in potestatẽ patriarchæ traderet, regesq; ibi quasi hospites uersarentur, ac patronorum seu tutorũ tantummodo officium gererent.

Rebus igitur humanis sublato Godefrido, Garnerus de Grez Balduino comiti Edessano,qui in regno successurus erat, scribit,ut quàm citissimè aduolet, arcẽq; occupet,ne patriarcha, sicuti moliebatur,eã inuaderet. Dabertus autẽ ægerrimè ferens, se de ista præda periclitari, mox principẽ Antiochenorũ literis missis obsecrat, ut festinus in suum auxiliũ ueniat, ne hæc arx in regis noui potestatem cedat. Vides Christũ in Euangelio fugientem coronã regiã. At iste Dabertus Antichristum se gerẽs, ipsam regiam sedẽ affectat,cœlumq; terrę, ni potiatur ista præda,turbat.

Balduinus igitur ueniẽs Hierosolymã, à clero & populo uniuerso recipitur,atq; sa

luctatur rex, & anno Domini 1101 fit inter patriarcham & regem quædam reconciliatio. Tyrius Bel. sac. lib. 10. ca. 3. 4. 7. 9.

Porrò anno Domini 1103 recrudescunt inimicitiæ inter Dabertũ & regem Balduinum, haud dubiè quòd ille arcẽ Dauid gestiebat ascendere, ut ibi locum & regnũ teneret: rex uerò tãtum esset titulotenus rex, perinde ut sacerdotes Romani Romã, regni Romani sedẽ, astu & ui Romanis Cæsarib. contra ipsius Christi præmonitionẽ, Reges gentium dominantur, uos aũt non sic: eripuerunt, atque Cæsares à loco isto sæpe cruentis armis prohibuerunt, uixq; illis, si clementem experti sunt papã, licitum fuit primum limen Cæsareæ sedis attingere.

Arnulpho autem cuidam Tyrius in primis causam dissidij imputat, quasi iste culmen patriarchatus affectarit. Patriarcha itaque Dabertus, cum sui auari uoti compos esse non posset, uel impatientia, uel mala consciẽtia stimulatus, fugam capessens, ad Boamundum Antiochenorum principem se cõfert: qui sicut ipsum ad eam dignitatẽ euexerat, ita uicissim eum recipit, atq; attributis prædijs ac reditibus, eum honestè habet. Mox autem Ebremarus à rege patriarcha constituitur: id quod illum profugum pessimè ussit. idem cap. 25. 26.

Sed uide quid acciderit. Dabertus inquieto animo præditus (quia hic nullus est patientiæ locus, ubi de arcibus & dignitatib. agitur scilicet) Romam currit ad papã: cui quidẽ non Deus, sed antitheos potestatẽ illam supra Ecclesias & regna omnia dedit. Matth. 4.

Papa aũt Paschalis cũ suis solus de mundanis istis controuersijs decernens, datis literis ad regem pro sua crista, quã ipse Christus sibi nunquã arrogauit, regi demandat, ut isti Daberto & prædam tribuat, & pristino loco restituat. Sed uix Messanam in Sicilia sitam uenit Dabertus: ubi, quia non pactus fuerat cum morte de longiori uita, ad suos patres commigrat.

Stolidus uerò Ebremarus (Tyrius eum simplicem uocat, nimirum qui Romani Antipetri artes non tenebat) audiens Dabertũ à papa literas restitutionis adepturum: & ipse non uocatus per mare, per terras eò cõtendit, licet in itinere de obitu Daberti cognouerat. Eò cum uenit, sese excusando, quòd inuitus pertractus esset ad hoc munus, & petendo ut confirmaretur, nihil obtinet. Nam quid accipitres illi Romani spectarint, ipse euentus declarabit.

Additur aũt Ebremaro legatus Gibelinus Arelatensis archiepiscopus. Is ueniens Hierosolymam, episcoporum conuentum pro autoritate papacæsaris Romani agitat. Neq; hic in uitio ponitur ἀλλοτριεπισκοπεῖν. Cum his igitur consultat, causamq; ab eis cognoscit, nimirum cum una tantùm parte agit, & cum addictis papacæsari, & qui Daberto fauebant, non ignarus quòd coruus coruo, ut uulgò dicitur, oculum non effodere soleret. Nihil enim hic audis, regẽ quoq; uel ut reum, uel tanquam actorẽ adhibitũ esse. Res tandem tali pacto decernitur, ut Ebremarus, qui multæ religionis & miræ simplicitatis uir fuit, ut inquit Tyrius (hoc est, non fuit ita subdolus, nafer, ambitiosus, ut reliqui) fit depositus: ac ut saltem aliquam portiunculam, longè priori aridiorem, retineret, ad Cæsariensem ecclesiam, quæ tũc uacabat, detruditur: nec dimicat Ebremarus de illa eminentia. Gibelinus uerò ille Romanus, omnibus Romanarum harpyiarum artibus instructissimus, sic omnia sursum ac deorsum uoluit agitatq;, ut ipse in locum eiecti se collocet. Hoc scilicet uoluit uultur ille Romanus, hic fuit scopus. Arnulphus autem alijq; facilius consensere: tum quia Gorgoneo aspectu papacæsarum Romanorum territabãtur, tum quia homo senex esset ille Gibelinus, ac breui successionẽ alij relicturus. Hæc facta sunt anno 1107. Idem lib. 11. cap. 1. 4.

SCHISMA ANTIOCHENI *& papæ Romani,*

DE DIGNITATIBUS.

Gibelinus, qui pulso Ebremaro, Hierosolymitanum patriarchatum inuaserat, suis Romanis artibus Balduinum regẽ òbcæcarat & coegerat, ut ei polliceretur, quascũq; prouincias suis sudorib. bellicis uitæq; periculis acquisiuisset, omnes ditioni & regimini Hierosolymitanæ ecclesiæ se uelle subijcere. Instigat itaq; Balduinum, ut de hac sua uolũtate ad pontificẽ Romanum referat. Paschalis Gibelini, sui accipitris aut falconis, quẽ in eam regionẽ emiserat ad capiendã sibi prædã, mẽtẽ probè intelligens, mox ad regẽ epistolã mittit, eãq; rem pro sua põtificali eminentia mandat & cõfirmat. Eius uerò scripti exemplar apponemus, ut totus mundus uocem Christo contrariã cognoscat: Paschalis seruus seruorum Dei, glorioso Hierosolymitano regi Balduino salutẽ & Apostolicã benedictionẽ. Ecclesiarũ, quę in uestris partib. fuerunt, uel sunt, terminos atq; possessiones diuturna infideliũ possessio tyrannisq; confudit: cũ itaq; certos eius fines assignare deliberatione nequeamus, tuis precibus non immeritò duximus annuendũ: ut quia pro Hierosolymitanæ ecclesiæ sublimatione personam tuã extremis periculis exponere deuouisti, quascunq; infideliũ urbes ceperis, uel cepisti, eiusdẽ ecclesię regimini subiaceãt.

Porrò

Porrò earũdum ciuitatum episcopi patriarchę, tanquã metropolitano, obedientiã exhibere procurẽt, quatenus & ipse illorũ fultus suffragijs, & ipsi adinuicem ipsius unanimitatis auxilio uegetati, sic in Hierosolymitanæ ecclesiæ exaltatione proficiant, ut de illorum profectibus omnipotens Deus glorietur. Data Laterani 5. idus Iunij.

Ista re cognita, Antiochenus patriarcha Bernhardus, æmulus Hierosolymitani, indignissimè istam concessionem papæ fert, eo quòd suæ dignitati, potentiæ & amplitudini aliquid uideretur decedere. Grauẽ igitur expostulationem ad papam mittit: sed Paschalis eum placat lenibus uerbis, ac significat, se nihil uelle ecclesiæ Antiochenę detractum: id quod etiam Balduino indicat. Et hac quidẽ arte in præsentia suspiciosa Antiocheni ambitio restinguitur. Tyrius lib. 11. cap. 28.

SCHISMA INTER REGEM *Angliæ Heinricum I. & Anselmum Cantuariensem.*

DE INVESTITVRIS.

PApa Romanus, instinctu sui spiritꝰ, passim toto orbe quos poterat antistites ecclesiarũ concitabat ad inobedientiã erga magistratus legitimos, ac ad seditiões cruẽtas cõcitandas. Sic papæ artibus Anselmus Cãtuariensis prę́sul instructus, impugnabat acerrimè inuestituras episcoporum & abbatũ, quas reges Anglię priuilegio multorũ seculorũ obtinuerãt: nolebatq; illis, qui sic inuestiti essent more recepto, communicare. Ea uerò res plurimas turbas toto regno, damnaq; innumera peperit. Simon Dunelmensis, Matthæus Parisiensis.

Girardus tamen Eboracensis, regi non pertinaciter obsistens, episcopos à rege renunciatos cõprobabat: id quod cęteri papi colæ ęgerrimè ferebant. Anselmus igitur totus insaniẽs cõtra regẽ, adhortationibus ac minis eò rem tãdem redigit, ut promittere cogatur rex, se omnẽ controuersiã iudicio Paschalis Romani subijcere. Hoc scilicet erat ouẽ lupo, gallum uulpeculæ cõmittere. Mittuntur igitur Romã oratores regij, Herbertus Nordouicensis, & Robertus Lichtefeldensis episcopi. Venit eò & Anselmus, Girardus Eboracensis, & Guilhelmus Vintoniensis: quos quidem omnes benignè accipit atq; audit papa. Sed sententiam contra se nequaquam pronunciat, uerùm mandata ebuccinat, ne in posterum uel rex uel quisquam alius eiusmodi ius sibi uindicaret. His peractis, Anselmum cũ magnis muneribus, scilicet pontificalibus, & Girardum pallio ornatum, hoc est, ad suam fidem obstrictos, dimisit.

Isti igitur Ecclesiastici, uictoria illa papali superbi, & in Angliam regressi, regi decreta Romani papacæsaris obtrudunt: sed ille diu recusans accipere, obtunditur tandẽ atq; expugnatur rationibus, in quibus minæ cristarum pontificiarum proculdubiò potissimùm habuerunt pondus.

Londini postea ista celebri conuentu publicantur. Verũ his de rebus autores uariãt, ut ipse Polydorus libro 11 Anglicæ historiæ scribit. Sunt autem suprà in fine Vndecimæ Centuriæ quædam hac de re annotata.

TVRBATIO ECCLESIAE, *ex Heinrici quarti Imperatoris & filij dissensione,*

DE EPISCOPIS.

REuersus Heinricus 5 à Rheno, Herbipoli eum, quem Capitulum canonicè delegerat, restituit, Erlõgo, quem pater intruserat, eiecto: pater uerò mox subsequẽs, iterum suum Erlongum inthronisat. Ratisbonæ porrò eædem uices accidunt. Crant. Saxo. lib. 5. cap. 18. 19.

SCHISMA INTER LEO-*diensem & Paschalem,*

DE OBEDIENTIA ERGA *Imperatorem Heinricum 4.*

LEodienses ecclesiastici debitam obedientiam Imperatori iuxta Dei mandatum exhibebant, & excommunicationi pontificiæ subscribere detrectabãt. Paschalis itaq; secundus non auditos unquam nõ solùm proscribit, sed etiam Roberto Flandrensi mãdat, ut gladio in ipsos sæuiat: qua quidem de re extat plena solidaq; Apologia in 2. Tomo Conciliorum, quam operæprecium est integram inserere, ut totus mũdus uideat summam pontificum Romanorum tyrannidem atq; immanitatẽ sub prætextu clauium. Etsi enim Leodienses autoritate illius Romani fascinati erant, tamen in tenebris ueritas lucet. Acciderunt autẽ ista circa annum Domini 1107. Sed Lector ipsam epistolam, dignissimam cognitione & consideratione, expendat.

Epistola Leodiensium aduersus Paschalem 2. papam.

Omnibus bonæ uoluntatis hominibus Leodiensis ecclesia, ueritatem fidei & catholicam unanimitatem inconcussè tenens. Stupendo & gemendo exclamo cum Esaia, qui onus deserti maris exaggerans, exclamat: Sicut turbines ab Africo ueniũt, de deserto uenit, de terra horribili uisio dura nunciata est mihi. Qui incredulus est, infideliter agit: & qui depopulator est, uastat. Qui hactenus non intelligebat loquendo, quid sit desertum mare, nunc intelligat uidendo, quid per desertum mare significetur: non solùm Babylonia, sed etiam mundus & Ecclesia. Quamuis enim ut mare un-

dis, ſic mundus & Eccleſia afflu*it populis: tamen iure uocantur deſertum mare, quia mundus uidetur eſſe deſertus à ſapientium principum gubernaculo Eccleſia gemit ſe deſertam à ſano præſulum conſilio. Quæ enim maior olim confuſio fuit in Babylonia, quã hodie eſt in Eccleſia? In Babylone confuſæ ſunt linguæ gentium, in Eccleſia diuidũtur linguę & mentes credẽtium. Ait Petrus in epiſtola ſua: Salutat uos Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta. Hactenus interpretabar, ideo uoluiſſe Petrum per Babylonem ſignare Romam, quia tunc temporis Roma cõfuſa erat idololatria & omni ſpurcitia. At nunc dolor meus mihi interpretatur, quòd Petrus prophetico ſpiritu dicens Eccleſiam in Babylone collectam, præuidit confuſionem diſſenſionis, qua hodie ſcinditur Eccleſia. Nam quãuis Eccleſia ſit in Babylone mundi, tamen debet eſſe collecta per fraternam unanimitatem. Qui ſint turbines ab Africo, diſcimus patiendo magis quàm legendo. De terra horribili, à Romana ſcilicet eccleſia uiſio dura nunciata eſt mihi: inde turbo, ut tẽpeſtas, uenit ab Africo. Romanus enim præſul, pater omnium eccleſiarum, literas contra nos mittit Roberto Flandrẽſium comiti, quale exemplar tale eſt:

Paſchalis epiſcopus, ſeruus ſeruorũ Dei, dilecto filio Roberto Flandrenſium comiti ſalutẽ & Apoſtolicam benedictionẽ. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui in te uirtutis ſuæ efficatiã operatur, quo reuerſus ab Hieruſalẽ Syrię, in cœlorum Hieruſalem iuſtę militiæ operibus ire cõtendis. Hoc eſt legitimi militis, ut ſui regis hoſtes inſtantius perſequatur. Gratias ergo prudentiæ tuæ agimus, quòd præceptum noſtrum in Cameracenſiũ parochia executus es. Idipſum de Leodienſibus excommunicatis pſeudo clericis præcipimus. Iuſtum enim eſt, ut qui ſemetipſos à catholica Eccleſia ſegregàrũt, per catholicos ab Eccleſiæ beneficijs ſegregentur. Nec in hac tantùm parte, ſed ubicũque poteris, Heinricũ hæreticorum caput & eius fautores pro uiribus perſequaris. Nullum profectò gratius Deo ſacrificium offerre poteris, quàm ſi eum impugnes, qui ſe contra Deum erexit, qui Eccleſiæ Dei regnum auferre conatur, qui in loco ſancto Simonis idolum ſtatuit, qui à principibus Dei ſanctis Apoſtolis, eorumq; uicarijs, de Eccleſię domo ſancti Spiritus iudicio expulſus eſt. Hoc tibi ac militibus tuis in peccatorum remiſsionem, & Apoſtolicę ſedis familiaritatem præcipimus, ut his laboribus & triumphis ad cœleſtem Hieruſalem, Domino præſtante, peruenias. Datum Albani 12 kalendas Februarij.

Super his literis cuius lumbi non repleantur dolore? Super his me obſtupefecerũt tenebræ, nec tantum pro horrore periculi, quantum pro horrenda nouitate rei, quòd tam lachrymabiles literæ potuerunt ſcribi à matre contra filias ſuas quamuis peccantes. In iudicio Salomonis expreſſa eſt magnitudo maternæ pietatis, quando iudicãte Salomone, ut infans, pro quo contendebatur, gladio diuiderent, maluit mater filiũ ſuũ ſub aliena muliere uiuere, quàm gladio iudicis diuidi. Dicit Eſaias: Babylõ dilecta mea, uerſa eſt mihi in miraculum. At ego dico: Roma dilecta mea mater, uerſa eſt mihi in miraculũ. Quid enim tam mirabile, imò quid tam miſerabile? Vidit olim Dauid angelum Domini ſtantem extento gladio ſuper Hieruſalem: nos filiæ Romanę eccleſiæ, ecce uidemus Romanum præſulem, qui eſt angelus Domini, extento gladio ſuper Eccleſiam. Dauid orabat, ne populus occideretur: angelus noſter porrigens Roberto gladium, orat ut occidamur. Vnde iſte gladius angelo noſtro? Iubente IESV diſcipulis, ut uendita tunica, emant ſibi gladium, dicunt diſcipuli: Domine, ecce duo gladij hic. Et IESVS, Satis eſt. Vt ex patrum dictis colligimus, eſt unus gladius ſpiritus, quod eſt uerbum Dei. De quo IESVS ait: Non ueni pacem mittere, ſed gladium. Et Propheta: Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine. Hunc gladium diſtringit magis IESVS contra carnales affectus, quàm contra mundi aſſultus. Eſt & alter gladius ſpiritualis, quo mortificatis uitijs carnis, emitur corona martyrij. Cum ergo tantũ duos gladios à Domino Apoſtoli habeant, unde iſte tertius Apoſtolico gladius, quem in nos porrigit Roberto armigero ſuo? Fortè recurrit Apoſtolicus ad Ezechielem prophetam, ut de manu eius tertium arripiẽs gladium, uadat ad dexteram ſiue ſiniſtram, cædendo bonos & malos. Dicit enim Deus Ezechieli prophetæ, Vt duplicetur gladius, & triplicetur gladius interfectorum. Puto, non dabit Propheta tertium gladium Apoſtolico. Propheta namq; duos Euangelij gladios oſtendens, per duos unius gladij uſus, gladium Apoſtolico dãdum duplicat, dicens: Gladius exacutus eſt, & limatus. Exacutus, ut cædat uictimas: limatus, ut ſplendeat. Exacutus eſt, quia (ut ait Hieronymus) qui malos percutit, in eo quod mali ſunt, & habet gladium interfectionis, ut occidat peſſimos, miniſter Domini eſt. Limatus eſt, ut ſincerè prædicet uerbum Domini. Triplicato gladio armat Propheta interfectores, quia (ut ait Paulus) nõ ſine cauſa iudex gladium portat. Hic eſt gladius interfectionis magnæ, qui me cum Ezechiele obſtupeſcere facit.

re facit. Quem enim non faciat corde tabescere, quòd Apostolicus ad uiuificandum unctus, accingitur in nos tertio gladio interfectorum? O utinam placatus dicat Deus etiam angelo percutienti: Sufficit nunc, contine manum tuam. Nihil dico in christum Domini, sed uicem nostram doleo. Sed nisi christus Domini, ueniens ad caulas ouium, intrasset in speluncam purgare uentrem, non pręcidisset Dauid orā chlamydis eius. Si quis est Dauid, inueniens hūc christum Domini dormientem, omnesq; milites eius dormientes, nō mittat manum in christum Domini: sed tamen tollat hastā eius, & scyphum aquę, qui est ad caput eius dormientis. Hanc hastam, quam cōtra nos erexit, ostendo cūctis: hunc scyphum aquę, qui est ad caput eius dormientis, porrigo cunctis ad gustandum, ut sapiant omnes, quàm insipida sit authoritas legis eius, qua distrinxit gladios laicorum in ceruices clericorum. Si liceret dicere (salua Apostolicæ dignitatis reuerentia) ipse nobis uidetur dormiuisse. Dormiuerunt cum eo omnes consiliarij eius, quando conduxit sibi uastatorem Ecclesiarum Dei. Pręcepit Paulus, ut uerbum episcopi sit sanum & irreprehensibile. Nos ergo non infirmamus aut reprehendimus uerbum episcoporum episcopi: sed quia Apostolicus non debet deuiare ab Apostolo, quærimus humiliter per singula, utrum hæc Apostolici uerba sint per omnia grauitate Apostolicæ authoritatis sana & irreprehensibilia? Ecce ut pater dilecto filio salutem mittit, & Apostolicam benedictionem promitit: sed ut multis uidetur, non illi ea opera indicit, quibus salutem & benedictionem à Deo promereri possit. Benedicit Deum, qui in eo efficaciam suæ uirtutis operatur, quòd Ecclesiā Dei debellat & depopulatur: ac per hoc cœlestis Hierusalem aditum ei pollicetur. Num recta uia filium dilectum dirigat, ipse pater nobiscum uideat. Vt utamur uerbis Augustini summatim collectis, Deus qui dixit, Ego Deus faciens pacem, & creans malum: sicut cętera suauiter disponit, ita hoc etiam disponit, ut bonum pacis per bonos faciat, malū uerò belli per malos creet. Vtens enim Deus animis hominum pro uoluntatibus & meritis eorum, digna dignis opera imponit, ut digna dignis præmia rependat, bonis bona pro bonis, malis mala pro malis. Quis unquam populum Dei, quis unquam Ecclesiam Dei impunè persecutus est? Quoties peccabant filij Israel, suscitabat Deus hostes, qui contererent peccantes. Castigabat Deus quos amabat, & damnabat illos, qui uitio suo tales erant, ut per eos mala malis inferret. Dicit Deus per Prophetam: Vocabo ab Aquilone seruum meum Nabuchodonosor, qui faciet omnem uoluntatem meam. Quam uoluntatem, nisi ut peccantes disperdat? Hunc seruum suum Deus pro merito seruitutis in bouem conuertit. Peccanti Dauid inquit Deus: Ecce ego inducam malum super te de domo tua. Hoc malum executus Absalon, fugato patre suo, inuasit Hierusalem. Nunquid per hoc meruit cœlestem Hierusalem? Per Esaiam dicit Deus: Væ Assur. Virga & baculus furoris mei ipse. In manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam illum, & ad populum furoris mei. Mandabo illi, ut auferat prædam, & diripiat spolia: & reliqua. Cur Deus intentat uæ Assur, qui mala quæ fecit, eo mandante fecit? Væ mundo ab scandalis, dicit Dominus. Necesse est ut ueniāt scandala: uæ tamen illi, per quem scandalū uenit. Hoc Hieronymus sic exponit: Cum necesse sit quidem ut ueniant scandala, uæ tamen homini, qui, quod necesse est ut in mūdo fiat, facit suo uitio ut per se fiat. Quid multis opus? Ecce opera iustæ militiæ, quibus pater filium, papa cœlestis regis militem imbuit, per quæ possit contendere ad cœlestem Hierusalem, impugnādo scilicet Ecclesiam Dei. Gratias, inquit, prudētię tuę agimus, quòd præceptum nostrum in Cameracensi parochia executus es. Qualis & quanta sit uastitas & contritio Cameracensis ecclesiæ, quis recolit sine dolore? Ego quidem filia Romanæ ecclesiæ, condolebā Cameracensibus pro affectu germanitatis: nunc uerò audiens hæc mala inferri præcepto Apostolicæ authoritatis, iam amplius doleo, quia timeo matri meæ, ne in eam redundet illud quod Deus dicit per os Esaię: Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniusticiam scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, & uim facerent causæ humilium populi mei, ut essent uiduæ præda eorum, & pupillos diriperēt. Et reliqua. Tantam Ecclesiæ desolationem, tātam pauperum & uiduarum oppressionem, tātam prædarum & rapinarum immanitatem, & quod his grauius est, promiscuā bonorum & malorum occisionem, hæc & peiora his Apostolici præcepto facta esse, quis crederet, nisi ipse suo se ore prodidisset? Taceo Cameracensem episcopatum in duos esse diuisum iudicio Romanæ ecclesiæ: taceo Vualcherum, qui Apostolici consensu & authoritate probatus, & prior ordinatus fuit, subitò exordinatum, excommunicatum, & alium ei subordinatum. Hæc iusta sint, necne, in Dei pendet sentētia. Non inuehimur in christum Domini, ad quem pertinet sollicitudo omnium Ecclesiarum. Sed quia A-

postolicus

postolicus hęc mala sibi adscribit, & Ecclesiæ uastatori per gratiarum actionem applaudit, super his mirandum, an magis sit dolendum, nescio. Cui hoc magis sit periculosum, iubenti, an obedienti: cui hoc magis sit damnosum, facienti, an patienti, quis homo discernet? Nos attoniti hac nouitate rerum, quærimus unde sit hoc nouum exemplum, ut prædicator pacis, suo ore & alterius manu inferat Ecclesię bellum. Contra barbarorum & inimicorum assultus cōcedūt Canones etiā clericis arma ad defensionem urbis & Ecclesiæ. Bella uerò indici Ecclesiæ per autoritatem canonicam, nusquam scripturarum legimus. Quæro, quod nescio: dico, quod scio. Pacem IESVS, pacē Apostoli, pacem Apostolici uiri prædicant, peccantes arguunt, obsecrant, increpant in omni patientia & doctrina. Inobedientes iubet Paulus durè increpari. Quomodo durè increpentur inobedientes, dicit IESVS: Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum primò solum solus, secundò cum duobus aut tribus testibus, tertiò cum Ecclesia. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Hinc ait Augustinus: Illud quod ait IESVS, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: grauius est, quàm si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subijceretur. Nam ibi quoq; IESVS subiūxit, Amē dico uobis, quę ligaueritis in terra, ligata erūt & in cœlo: ut intelligeretur, quod grauius sit punitus, qui uelut relictus est impunitus. Sic sententia ueritatis exposita ab Augustino, quis diuinę uindictæ humanā uindictam superponat? Qui illum persequitur, quem Deus percussit, & super dolorem uulnerum Dei addit, uideat quid illi imprecetur Deus, qui iniquitates & dolores nostros in persona Dominici hominis portauit: Appone iniquitatē super iniquitatē illorū, & reliqua. Si quis pro Apostolico dicat, meritò depopulandā esse Ecclesiam, cui incūbat excōmunicatus episcopus: audiat exemplum, in quo causa causæ, & persona personæ respondet. Tempore primi Gregorij papę, defuncto Solitanæ urbis episcopo, cùm decreuisset Gregorius, ut pro eo episcopus ordinaretur Honoratus: Maximus quidam auxilio militaris manus inuadens episcopatum Salonitanum, & ab episcopis consecratus, à Gregorio excommunicatus est: & tamē Missas celebrare præsumebat. Hunc Gregorius non alijs, quàm sacerdotalibus armis debellās, non superordinauit ei Honoratum, nō immisit ecclesiæ uastatorem: sed tādiu peccātem arguit, donec septimo excommunicationis eius anno, tandem ad ueniam petendam attraheret; eumq; resipiscentem non exordinauit, non reordinauit: sed ei in gratiam suam recepto, quod deerat, dato archiepiscopali pallio suppleuit. Cum ergo Salonitanæ causę sit similis causa Cameracensis, cur censura Romanæ ecclesiæ in simili causa nititur dissimili sententia? Martinus Turonensis posset Apostolico sufficere ad exemplum, ut desistat ab oppressione innocentum. Priscillanum episcopum, à Damaso papa pro hæresi damnatum, Maximus Imperator, accusante Itachio episcopo, occidit, & ut omnes sequaces eius ubiq; occiderentur, edixit. Martinus ergo, alijq; episcopi Itachium communione Ecclesiæ priuauerunt, criminantes eum, quòd eius accusatione qualiscunq; homo occisus sit. Maximus agebat cum Martino, ut Itachio cōmunicaret: & Martinus agebat cum Maximo, ut sequaces Priscillani non occiderentur, ne etiā catholici cū eis perirent. Quod petebat Martinus, nullo modo impetrasset, nisi ad tempus Itachio communicasset. Sic quodammodo anathema factus pro fratribus suis, retraxit ab eorum ceruicibus gladium Imperatoris. Qui damnauit accusatorem Itachium pro morte hæretici, si adhuc uiueret, non lauderet & istum, cuius præcepto tot occiduntur pro causa Cameracensium. Qui etiam cum periculo animæ suæ liberauit hæreticos à morte, quàm grauiter ferret innocentes pro aliena culpa opprimi? Nos res rebus conferimus, causis causas exponimus. At Cameracēses afflicti malis, clamāt ad Paschalem, sicut filij Israel afflicti malis, clamāt ad Mosen: Videat Deus, & iudicet, quomodo fœtere fecisti odorem nostrum coram Pharaone, & præbuisti ei gladium, ut occideret nos. Idipsum de Leodiensibus excommunicatis pseudoclericis præcipimus. Iustum est enim, ut qui semetipsos à catholica Ecclesia segregarunt, per catholicos ab Ecclesiæ beneficijs segregentur. Hic uerò me inuasit angustia, quasi parturiētis. Vnde exclamare cōpellor, quia omnes parturientis dolores hic meus dolor uincit. Filios enim genui, hosq; lacte alui fidei, hosq; pane ueritatis cōfirmaui, & in uirile robur prouexi. Ipsa me beatificabā, quia eis in regis curia & in Ecclesia Dei florentibus nihil deesse credebam, quod uel ad corporis pertineret decorem, uel ad animę spectaret ualorē. Sed quid est ab omni parte beatum? Ecce mater mea sancta Romana ecclesia uult infligere eis notam excōmunicationis, & insuper erexit super eos gladium occisionis. Super his ego quidem materno dolore torqueor: ipsi ętatem habent, loquātur pro se. Idipsum (inquit) de Leodiēsibus excommunicatis pseudoclericis pręcipimus. Statera dolosa non est bona, ait sapientia.

pientia. Quis confert causam nostrã causæ Cameracensiũ,ut & nos patiamur,quod patiũtur Cameracẽses? Nos quidẽ Cameracẽsib. cõpatimur,nobis nihil tale uerebamur. Cameracenses quia causę causam,personæ personã supposuerũt, gladium bicipitẽ sibi supposuerũt: nos uerò Leodiẽses quare excõmunicati dicimur? quare gladius nobis superponitur? Quid dignũ morte aut excõmunicatione fecimus cõtra Canonicã regulã Ecclesię? In uno spiritu nos omnes in unũ corpus baptisati sumus, nos unius moris Deus in domo sua habitare facit. Obsecrat nos Paulus per nomẽ Domini,ut nõ sint in nobis schismata. Quãdo significatũ est Romanæ ecclesiæ,quòd contentiones fuerint inter nos? Idipsum in Christo sapimus,idipsum dicimus. Nõ dicimus, Ego sum Pauli, ego Cephę,ego autẽ Christi. Nunquid pro hac unanimitate excõmunicati dicimur? Vt præcipit Paulus, obedimus & subiacemus prępositis nostris,qui uigilãt pro animabus nostris. Nobis legẽ Dei tenentib. obijciunt, quòd trãsgrediamur eorũ nouas traditiões. At illis dicit Deus: Quare uos trãgredimini mãdatũ Dei ꝓpter traditiões uestras? Iubet Deus,ut quę sunt Cęsaris,reddamus Cęsari,& quæ sunt Dei,Deo. In hãc sententiã Petrus & Paulus pedibus eunt. Petrus inquit, Deũ timete,regẽ honorificate. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantũ bonis & modestis,sed etiã dyscolis. Hęc est enim gratia. Paulus: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui hoc omni animæ pręcipit,quẽ à subiectione terrenæ potestatis excipit? Quia ergo regẽ honoramus,quia dominis nostris nõ ad oculũ,sed in simplicitate cordis seruimus,ideo excõmunicati dicimur? Sed Simoniaci sumus. Simoniacos, quantũ ad nos,uitamus: & quos uitare nequimus, ꝓ loco & tẽpore toleramus, certi quòd ipse IESVS, facto flagello de resticulis peccatorũ,cathedras uendentiũ colũbas euertit,& nummulariorum effundit æs. Vitamus,inquam,Simoniacos, nec minus uitamus illos, qui notã auariciæ honesto nomine prætexentes, quod gratis se iactant dare, uendunt sub charitatis nomine,& sicut Montanistæ sub nomine oblationũ,artificiosius accipiũt munera. Oh dolẽdo miramur, cur excõmunicati dicamur, quãdo,à quo,& quare excõmunicati simus. Nõ ab episcopo nostro, nõ ab archiepiscopo,cui episcopus noster suffragatur,nos excommunicatos esse scimus. Sed nec à papa Romano nos esse excõmunicatos credim9, quia scimus eũ nõ ignorare,quod ait Nicodemus: Lex nostra nõ iudicat quenquã,nisi audierit ab ipso prius. Nec Sodomitas dãnasset Deus,nisi descẽdisset ad ipsos uidere, utrũ clamorẽ qui uenerat ad eũ,opere compleuissent. Qui nihil à nobis audiuit, quem nõ episcopus, nõ archiepiscopus aliquãdo cõtra nos interpellauit,quis crederet,quòd nos excommunicauerit? Per scalã ad cœlos usq; ꝑtingentẽ uidet Iacob ascẽdẽtes & descẽdẽtes angelos. Et IESVS ait discipulis: Amẽ amẽ dico uobis, uidebitis cœlũ apertũ, & angelos Dei ascẽdẽtes & descẽdẽtes sup filiũ hominis,nõ'ne filios hominis,id est Adę, in sua exprimit ꝑsona? In apto Ecclesiæ cœlo & boni & mali intrãt. Vos pręsules Ecclesię,q estis angeli Dei,gradatim ad nos descẽdere debetis,gradatim & nos ad uos ascẽdere debemus. Quot gradib. ad uos ascẽdimus,tot ad nos descendere debetis. Est primus gradus nobis ad episcopũ, secũdus ad archiepiscopũ, per quos ascẽdere debemus ad gradũ tertiũ,id est ad papã Romanũ. Sup filiũ hominis descẽditis,cũ humilib. cõpatiendo cõdescẽditis. Super filiũ hominis ascẽditis,cũ uerbo & exẽplo humiles ad cœlum sustollitis. Credo, dicetis nos ideo haberi excõmunicatos, qa fauemus episcopo nostro, fauẽti partibus dñi sui Imperatoris. In hac re sunt initia dolorũ, ꝓ hac re erubescũt causæ malorũ,quia satanas solutus terrã ꝑambulãs,iã diuidit regnum & sacerdotium. Quia ergo diabolus uenit ad nos, habens iram magnã, patrem nostrũ qui est in cœlis, oramus pro hoc specialiter, ne nos inducat in tentationem hanc,sed liberet nos à malo huius tentationis. Nobis dormientibus,inimicus superseminauit zizania in agro Ecclesiæ. Expectamus, donec angeli messores Dei alligẽt zizaniorũ fasciculos ad cõburẽdum. Nũ ideo dicimur excommunicati? O quot manipulos tritici eradicauit,qui ante tempus zizania à tritico discernere festinat. Quis iure reprehẽdet, quòd episcopus partibus Domini sui fauet, cui promissam cum iuramẽto fidelitatẽ debet? periurium nemo dubitat esse grande peccatum. Deus solus iurat, & non pœnitet eum, quia sapientia custodit præcepta iuramenti Dei. Sed nos, quos iurasse sæpe pœnitet, iurare prohibemur. Si iurat homo, iubet Deus,ut reddat domino iuramentum suum. Hoc nec ignorant illi, qui regnum & sacerdotium scindẽtes nouello schismate,& nouellis (ut quibusdam placet) traditionibus, illosqui regi periurant,se à culpa periurij absoluere promittunt, non attendentes, quòd Ezechiel ex ore Dei dicat de Sedechia,qui periurauit domino suo regi Nabuchodonosor: Qui soluit,inquit,pactum,nũquid effugiet? Hoc Hieronymus sic exponit: Ex hoc etiã discimus,inter hostes seruandam fidẽ,& nõ considerãdum cui, sed per quem iuraueris.

Multo

Multo enim melior inuētus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, & deceptus est, quàm tu, qui per occasionem diuinę maiestatis hosti tuo, imò iam amico, molitus es insidias. Quid laboramus in colligendis exemplis uitandi periurij? Tertium Decalogi mádatum, de corde & ore Dei prolatum, eiusq; digito scriptum, hoc est: Nō assumes nomen Dei tui in uanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini sui frustra. Cùm tria prima Decalogi mandata ad cultum Dei pertineant, diligenter inspicientibus uidetur, quòd in hoc tertio Decalogi mandato cætera mandata pendeant: quia cum fit quod Deus fieri præcepit, uel non fit quod Deus fieri prohibet, ideo utiq; fit uel nō fit, ut nomen præcipientis uel prohibentis Dei non assumatur in uanum. Quis magis assumit nomen Dei in uanum, quàm ille qui uiolat hoc, quòd per nomen Dei iurat? Deus iubet, ne per cœlum, ne per terram, ne per caput meum iurem, ne fortè periurem. Si culpa est periurare per creaturam Dei, quá grauius peccat, qui per creatorem Deum peierat? Hinc omnes perpenditis, quòd sit reus capitis, qui non reddit Cæsari, quæ sunt Cæsaris, secundum decretū Dei: uel qui regem inhonorat, contra decretum Apostoli: uel peierando assumit nomen Dei in uanū, per quod iurauit regi fidelitatem. Ecce quare excommunicati dicimur. Sed quare pseudoclerici uocamur, qui canonicè uiuentes, operibus meremur ut clerici uocemur? Nō est, non est, inquam, de sorte Dei, qui uult nos excludere à sorte Dei. Non tales, ô mater Ecclesia, nutriuisti, ut meritò uocemur pseudoclerici. Quia enim nos uolūtati nostræ non dimisisti, non cōfundemus te matrem nostram. Mirum est de domino Paschasio, quomodo si conuicia uenalia inuenit, bona mercatione uidetur ea accepisse, quę tāta in nos profundit facilitate. Modò enim nos excōmunicatos nominat, modò pseudoclericos ex motu animi uocat. Eructauit cor Dauid regis uerbum bonum, euomuit cor domini Paschasij uile conuicium, prout uetulæ & textrices faciūt. Petrus apostolus docet: Non dominantes in clero, sed forma facti gregis. Paulus apostolus ad Galatas delinquentes ait: Filioli, quos iterum parturio in Domino. Hos igitur attendat dominus Paschasius pios admonitores, non impios conuiciatores. Maledictum excōmunicationis dominus Paschasius nobis improperat: sed illud ante omnia timemus, quod Spiritus sanctus per os Psalmistæ dicit: Maledicti omnes, qui declinant à mandatis tuis. Maledictum excommunicationis, quod ex nouella traditione Hildebrádus, Odardus, & iste tertius indiscretè protulerunt, omnino abijcimus, & priores sanctos patres usq; nūc ueneramur & tenemus: quia dictante Spiritu sancto, nō animi motu, in maioribus & minoribus potestatibus grauiter delinquentibus quædá dissimulauerunt, quædam correxerunt, quædá tolerauerunt. Dominus noster episcopus cōmunicat regi & Imperatori suo, cui ex regalibus eius acceptis fidelitaté iurauit. Nimiū effluxit tépus, quo hæc cōsuetudo incœpit, & sub hac consuetudine migrauerūt à seculo sancti & reuerétes episcopi, reddétes Cęsari quę erát Cęsaris, & Deo quæ erant Dei. Sed quod dicit Ambrosius super Lucá: Si Christus (inquit) non habuit imaginē Cęsaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, sed reddidit mūdo quod erat mūdi. Et tu, si nō uis esse obnoxius Cęsari, noli habere quæ mūdi sunt. Sed si habeas diuitias, obnoxius es Cęsari. Si igitur uis nihil debere regi terreno, dimitte omnia, & sequere Christū. Itē Augustinus super Iohannem: Apostolus uoluit seruiri regibus, uoluit honorari reges, & dixit: Regē reueremini. Nolite dicere: Quid mihi & regi? Quid ergo tibi & possessioni? Per iura regū possidentur possessiones: per Imperatores & reges seculi, Deus iura humana distribuit generi humano. Igitur ex uerbis istorū & aliorū sanctorum patrū consulant sibi episcopi, regibus & Imperatoribus obnoxij ex eorū regalib. acceptis, ne ꝓprio gladio, id est, eorū beneficijs eos interficiát. Si quis deniq; respectu sancti Spiritus uetus & nouū Testamentū, gestaq; reuoluerit, patenter inueniet, qđ aut minimè aut difficilè possunt reges & Imperatores excommunicari, secundū etymologiá nominū illorū, & iuxta determinationé excōmunicationis: & adhuc sub iudice lis est. Admoneri quidé possunt, increpari, argui à timoratis & discretis uiris: quia quos Christus in terris rex regū uice sua cōstituit, dánandos & saluandos suo iudicio reliquit. Ecce quare excommunicati uocamur, eo quòd sanctos & moderatos & antiquos patres tenemus, & pro posse imitamur. Episcopū, archiepiscopum nostrū prouincialem, & cōprouincialem synodum ex antiqua traditiōe tenemus: & quicquid ibi de Scripturis sanctis definitū fuerit, Romá non refertur usque ad grauiora negocia, de qbus non inuenitur in Scripturis sanctis auctoritas. Illos uerò legatos, à latere Romani episcopi exeūtes, & ad ditáda marsupia discurrentes, omnino refutamus, sicut téporibus Zosimi, Celestini, Bonifacij concilia Africana probauerūt. Etenim ut à fructibus eorū cognoscamus eos, nō morū correctio, non uitæ emendatio: sed inde hominū cædes,

des, & Ecclesiarum Dei proueniunt deprędationes. Quia igitur antiquæ regulæ inhæremus, & non omni uento doctrinæ circũferimur, ecce unde excõmunicati dicimur. Verùm dominus Paschasius cur pseudoclericos nos uocat? Pseudoapostoli adulterabant uerbum Dei, quos damnat Paulus in epistolis suis: nos nõ adulteramus, sed fidẽ catholicã per gratiã Dei tenemus, fidei catholicæ opera in Deo exequimur. Regulam canonicã ex patrũ traditione habemus, & reueremur, secundum illam uiuimus, dijudicamur, satisfacimus, absoluimur. Concilijs regũ aut Imperatorũ, aut in isto, aut in illo non intersumus: quia nostræ superiores potestates tale negocium habent inter manus, qui ex uestigijs antecessorũ prudenter tractabunt. Cur ergo dominus Paschasius uult, ut exoluamus quod nõ rapuimus, ut pseudoclerici uocemur, ubi rectã lineã tenemus? Potius deposito spiritu pręsumptionis, cũ suis consiliarijs solerter recolligat, quomodo à beato Syluestro usq; ad Hildebrandũ sedem Romanã papę obtinuerint, & quot & quanta inaudita ex ambitione illius sedis perpetrata sint, & quomodo per reges & Imperatores diffinita sint, & pseudopapę damnati & abdicati sint, & ibi plus ualuit uirtus Imperialis, ꝗ excõmunicatio Hildebrandi, Odardi, Paschasij. Dñs in Euãgelio dicit: Si malè locutus sum, testimoniũ perhibe de malo. Et Paulus apostolus in faciẽ Petro principi Apostolorum restitit. Ergo remoto Romanæ ambitionis typo, cur de grauibus & manifestis non reprehendãtur & corrigantur Romani episcopi? Qui reprehendi & corrigi non uult, pseudo est, siue episcopus siue clericus. Nos uerò per misericordiam Dei iuxta regulam obedientes & corrigibiles sumus, & schisma, & simoniã, & excõmunicationẽ per omnia, dictante ratione & Spiritu sancto, uitare uolumus. Ex uerbis beati Augustini, reges & Imperatores ex legib. promulgatis, nihil ab hęreticis in hoc mundo possideri uoluerunt. Igitur cũ non simus hęretici, & hoc sit ius regũ & Imperatorũ, quare dñs Paschasius solo contentus spirituali gladio, immittit Robertum armigerum suũ ad deuastandos fundos & uillas ecclesiarũ? Quę, etsi deuastanda essent, edicto regum & Imperatorũ deuastari deberent, qui non sine causa gladium portant. Ecce solutus est Satanas, habens iram magnã, quẽ exterreat ualida manus Dei. Quòd excõmunicati dicimur, nõ grauius iusto feras: quia (ut credimus) nos ab excõmunicatione excipiet saltẽ ipsa Romanorum authoritas. Hildebrandus papa, qui author est huius nouelli schismatis, & primus leuauit sacerdotalem lanceam cõtra diadema regni, primò indiscretè Heinrico fauentes excõmunicauit: sed reprehendens se intemperantiæ, excepit ab excõmunicatione illos, qui Imperatori adhęrebant necessaria & debita subiectione, nõ uoluntate faciendi uel cõciliandi malũ, & hoc ꝑ decreto scripsit: Nec in parte tantũ, sed ubicunq; poteris, Heinricũ hæreticorũ caput & eius fautores persequaris. Nullũ profectò Deo gratius sacrificium offerre poteris, quã si eum impugnes, qui se contra Deum erexit, qui Ecclesiæ Dei regnũ auferre conatur, qui in loco sancto, Simonis idolũ statuit, qui à principibus Dei sanctis Apostolis eorumq; uicarijs, de Ecclesiæ domo sancti Spiritus iudicio expulsus est. Cum Alaricus rex Gotthorum iret ad capiendam Romã, monitus à quodam seruo Dei, ut ab his malis cessaret: Non uolẽs, inquit, uado Romam. Vir enim quidã me quotidie torquẽs urget, ut eã ad destruendam Romã. Hoc exemplo urget Apostolicus armigerũ suũ, ut totũ depopuletur regnũ, quod non potest fieri sine cęde & sanguine, & Ecclesiarũ Dei depopulatione. Alaricus quidẽ in hoc mitior fuit, qui capta Roma, Ecclesijs Dei pepercit, & à cæde hominum abstinuit. Nunc nihil excepto, immittitur Robertus ab Apostolico, ut non solùm in Cameracenses & nos Leodienses, sed totus feratur ad dispergendos omnes. Quis clamabit modò cum Esaia: Quàm pulchri super montes pedes prædicantis & annunciantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutẽ? Eum qui debet esse prædicator pacis, zelus Dei adeò comedit, ut etiã in amicos pacis distringat gladiũ belli. Qualẽ enim zelũ habuit Petrus in amputãdã auricula Malchi, qui rex interpretatur: talẽ zelũ habet modò uicarius Petri in amputanda auricula regis hæretici, in quẽ omnimodis inuehitur. Dũ enim hæreticorũ caput, Dei rebellem, regni inuasorem, simoniaci idoli adoratorẽ, ab Apostolis & Apostolicis excõmunicatum uocat, quasi tot ictus ictib. addit, & tot uulnera animæ eius infligit, ut si infirmus in fide esset, desperare posset. Sed qui in feriendo Petrũ imitatur, etiam in recondẽdo gladio Petrũ imitetur. Qui enim sanauit auriculã Malchi, potest etiam sanare auriculã regis hęretici. Si talis est (quod absit) & pro nobis dolemus, & ipsi dño nostro condolemus. Nihil modò pro Imperatore nostro dicimus, sed hoc dicimus, quòd etiam si talis esset, tamen eum principari nobis pateremur: quia ut talis nobis principetur, peccando meremur. Esto, concedimus uobis inuiti, eum talem esse, qualem dicitis. Nec talis à nobis repellendus esset armis contra eũ sumptis, sed pre-

cibus ad Deum fusis. Contra Pharaonem, cuius cor contra Deum indurauit, Moses ranam, muscam, locustam, gradinemq; induxerat: has tamen plagas, non nisi orãdo, extentis in cœlum manib. auertere potuit. Et Paulus: Obsecro, inquit, primò omnium fieri orationes pro regibus, & pro omnib. qui in sublimitate sunt constituti. Reges illius temporis, pro quibus Paulus orari obsecrabat, non catholici, non Christiani erãt. Baruch quoq; ex ore Hieremiæ scribit Iudæis à rege Babylonis captiuatis: Orate pro uita Nabuchodonosor regis, & Balthasar filij eius, ut sint dies ipsorum sicut dies cœli super terram, & det Dominus uirtutẽ nobis, & illuminet oculos nostros, ut uiuamus sub umbra Nabuchodonosor regis Babylonis, & Balthasar filij eius, ut seruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam in conspectu eorum. Cur pro malis regibus orari debeat, Paulus dicit: scilicet, ut tranquillam uitam agamus. Esset Apostolicum, imitari Apostolum: esset propheticum, imitari prophetas. Sed peccatis nostris merentibus Apostolicus, qui etiã modò orare deberet pro rege quamuis peccatore, ut tranquillam & quietam uitam agamus, agit bellando, ne tranquillam & quietã uitã agamus. Cum ita sibi consonent Apostolica & prophetica uerba, quæro ego filia humiliter à matre mea sancta Romana ecclesia, unde hæc authoritas Apostolico, ut præter spiritualem gladium, exerat in subiectos alterum occisionis gladium? Non ago pro rege, sed pro Ecclesiarum matre, cuius parti timemus nos eius filiæ. Si enim Dauid non meruit ædificare templum Dei, quia uir sanguinum erat: summus põtifex, si uel stilla sanguinis uestem eius tetigerit, quomodo in sancta sanctorum introibit cũ sanguine Christi, quem offerat pro sua & pro populi ignorantia? O' utinam non cum Pilato lauet tantùm manus suas, dicens: Mundus ego sum à sanguine innocentum. sed etiam cum Petro dicat: Domine, laua non tantũ pedes meos, sed & manus & caput. Iudæi nõ excusauerunt manus suas à sanguine Christi, quẽ ipsi hora tertia linguis suis, hora sexta manibus Romanorum crucifixerunt. Apostolicus uerò se excusans, dicit cũ Paulo: Mundus ego sum à sanguine omniũ uestrûm. Quis pontificum Romanorum suis unquam decretis authorizauit, ut debeat pontifex gladio belli in peccantes uti? Gregorius primus huius nominis papa, quid omnes ante se papæ super hoc senserint, & quid omnes post se sentire debeant, ostendit, scribens Sabino diacono: Vnũ est, quod humiliter suggeras serenissimis dominis nostris: quia si ego seruus eorum in mortẽ uel Longobardorũ me miscere uoluissem, hodie Longobardorũ gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atq; in summa confusione esset. Sed quia Deum timeo, in mortẽ cuiuslibet hominis me miscere formido. Hoc exemplo omnes à primo Gregorio contenti, utebantur solo gladio spirituali, usq; ad ultimũ Gregorium, id est, ad Hildebrandum, qui primus se, & suo exemplo alios pontifices contra Imperatorẽ accinxit gladio belli. Quis posit regẽ arguere, melius nobis intellexit Heliu, qui in libro Iob de Deo ait: Qui uocat duces impios, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Quod Gregorius exponẽs: Nullus, inquit, qui talem rectorem patitur, eum quem patitur accuset: quia nimirũ sui fuit meriti, peruersi rectoris subiacere ditioni. Culpam ergo proprij magis accuset operis, quàm iniusticiam gubernantis. Scriptum namq; est: Dabo tibi reges in furore meo. Quid ergo illos nobis præesse despicimus, quorum super nos regimina ex Domini furore suscepimus? Sic ergo secundũ merita subditorum, tribuuntur personæ regentium, ut sæpe qui uidentur boni, accepto mox regimine permutẽtur, sicut Saul, qui cor cum dignitate mutauit. Sic ergo pro qualitatibus subditorum, disponuntur acta regentium, ut sæpe pro malo gregis etiam uera boni rectoris uita delinquat. Certum uerò est, quòd ita sibi inuicem & rectorum & plebiũ merita connectantur, ut sæpe ex culpa rectorũ, deterior fiat uita plebiũ: & sæpe ex merito plebiũ, mutetur uita rectorũ. Sed quia rectores habent iudicẽ Deum, magna cautela subditorum est, non temerè iudicare uitam regentiũ. Hęc Gregorij uerba agunt pro nobis, quòd uos Deo iudicium suũ tollatis, nec attẽdatis quod dicit Amos propheta: Væ desiderantibus diẽ Dñi. Diẽ Dñi desiderat, q iniustè uel importunè uel intempestiuè de subiectis iudicat, uel uoto cordis iudiciũ Dei pręoptat. Non dicimus Imperatorẽ nostrũ esse hypocritã: sed uos, qui eum habetis pro hypocrita, miramur, quòd non attẽdatis, qua causa Deus faciat regnare hypocritam. Si enim cessarit causa peccati, cessabit & pœna peccati. Quid de eo dicimus, quòd Heinricũ ab Apostolis & Apostolicis uiris excõmunicatũ sancti Spiritus iudicio dicit? Nimis illũ detestatur, quẽ nec regis, nec Imperatoris nomine dignatur. Quis poterit discernere causam regni à causa sacerdotij? Nisi pax Dei, quę exuperat omnẽ sensum, copulet regnũ & sacerdotiũ uno angulari lapide cõcordiæ, uacillabit structura Ecclesię super fidei fundamentum. Vt potestatẽ regni probat uel improbat causa modusq; regendi: sic potestatem

sacerdo-

sacerdotij probat uel improbat causa modusq; ligãdi & soluendi. Nam Clemẽs scribit, dixisse Petrum: Ligabis quod oportet ligari, & solues quod expedit solui. Qui pręest cæteris, oportet agere uicem medici, nõ bestiali furore cõmoueri. Qui ergo debet agere uicem medici, audiat etiam cõsiliũ sapientiæ: Omnis, inquit, potestatis breuis est uita. Languor prolixior grauat medicũ. Breuem languorem præcidit medicus. Sic & rex hodie est, & cras morietur. Cum ab omnibus indicatur prælato uirtus discretionis, quare Apostolici succedẽtes sibi inuicem, quasi hæreditario bello excommunicandi indiscretè in regem cõsurgunt, cui pro regali dignitate ipsi etiam subijci iubẽtur? Qui excommunicatus Spiritus sancti iudicio, utiq; repellendus est à domo Dei. Quotiescunq; autem aliquis excommunicatur aut ex causæ aut personæ præiudicio, quis dicat hunc excõmunicatum esse sancti Spiritus iudicio? Dicitis cum Gregorio: Quoquo modo liget pastor, timeat grex uinculum pastoris. Dicimus & nos cũ Gregorio: Ligandi & soluendi potestate se priuat, qui subiectos pro suo uelle, & non ꝓ eorũ merito ligat & soluit. Dicitis: Quoquo modo excõmunicatus, si morte pręuenitur, dãnatur. Hic nobis succurrit Romanæ ecclesiæ authoritas. Gregorius enim scripto & facto exauthorizauit, quòd potest Romanus præsul absoluere excõmunicatum iniustè ab aliquo. Si hoc potest Romanus præsul, quis neget, etiã Deum posse absoluere, si quem Romanus pręsul iniustè excõmunicauerit? Nemo enim lædi potest ab alio, nisi prius lædatur à semetipso. Nullum profectò, inquit, gratius Deo sacrificiũ offerre poteris. Qualiter hoc sacrificio nihil sit gratius Deo, quęro à te, ô mater mea Romana ecclesia. Deo enim non placet sacrificium, nisi sit mundum & immaculatum. Ideo enim lex in Pascha offerebat Deo agnũ immaculatum, ut etiam offerentes essent immaculati. Quomodo ergo tam gratum est Deo hoc bellandi sacrificium, quòd nõ potest fieri sine macula culparum? Dicit enim Malachias: Si offeras Deo pecus claudum, cæcum, languidum, non'ne malũ est? Apostolicus, qui hoc sacrificium belli indicit Roberto filio suo, uellet, puto, redire ad zelũ Phinees, uellet facere quod fecit Moses, ut manus Leuitarum consecret in sanguine fratrum suorum. Perierunt filij Aarõ offerentes ignem alienum. Vtinam non pereat hic qui etiam modò offert Deo ignem alienum, & non illum ignem, quem uenit Iesus mittere in terram, & uult ut ardeat. Quomodo, inquam, gratum est Deo sacrificium, quod non uidetur esse mundum & immaculatum? sacrificium de rapinis pauperum erit gratum illi, qui odit rapinam in holocaustum? Nec sacrificio de lachrymis uiduarum & pupillorum delectabitur Deus, ut ait Iesus filius Syrach. Non despiciet Deus gemitum pupilli & uiduæ. Non'ne lachrymæ uiduæ ad maxillam descendũt, & à maxilla ascendunt usque ad cœlum? Et Dominus exauditor non delectabitur in illis? Sacrificium de oppressionibus Ecclesiarum, quomodo gratè accipiet ille, qui dixit: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Hac calamitate Apostolici belli quot sunt oppressi, de quibus Deus dicit: Qui tangit uos, tangit pupillam oculi mei? Sacrificium humano sanguine inquinatum, miror, si placebit illi, qui dixit: De manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, sanguinem hominis requirã. Quod per modos sacrificandi IESVS in Euangelio tribus penè uerbis concludit: Omnis sacrificans igne salietur, & omnis uictima sale salietur. Quàm planè hoc est conclusum, quis gratè Deo sacrificet, uel quod sit gratum Deo sacrificium? Si sacrificans igne Spiritus sancti salietur, uictima quoq; sacrificantis sale sapientiæ salietur. Et penetrans IESVS altius ad intentiones cordis, addit: Bonũ est sal. Quòd si sal insulsum fuerit, in quo condietis illud? Habete in uobis salem, & pacem habete inter uos. Tenorem huius Euangelici capituli quis melius exponet, quàm rei & præsentis tẽporis consequentia? Non possumus habere pacem inter nos, nisi habeamus salem in nobis. Sed salem non habemus in nobis, ideo non habemus pacem inter nos. Hoc (inquit) tibi & militibus in peccatorum remissionem, & Apostolicæ sedis familiaritatem præcipimus, ut his laboribus & triumphis ad cœlestem Hierusalem peruenias. Hactenus Euangelicis, Apostolicis & propheticis testimonijs innitebamur, & quod minus habebat materia, augebat exemplorum copia: hîc uerò quid dicam, nescio: quò me uertam, non uideo. Si enim utriusque legis totam bibliothecam, si omnes totius bibliothecæ ueteres expositores reuoluam, exemplum huius Apostolici præcepti non inueniam. Solus Hildebrandus papa ultimam manum sacris Canonibus imposuit, quem legimus præcepisse Mathildi marchionissæ, in remissionem peccatorum suorum, ut debellaret Heinricum Imperatorem. Quod iustè, nec ne, ipse uel alij fecerint, nulla authoritate discimus: Hoc solùm discimus, quia non potest aliquis aliquem indiscretè soluere uel ligare. Ad hoc occurrit nobis ex Euan-

gelio exemplum: IESVS Christus, totum hominem sine peccato agens, resuscitaturus Lazarum, uidens alios pro illo plorãtes, fremuit spiritu, turbauit semetipsum, lachrymatus est. Rursum fremuit in semetipso, iussit tolli lapidem mortuo superpositum, eleuatis oculis orauit, uoce magna clamauit: Lazare, ueni foras. Quo prodeunte, ligatis manibus ac pedibus institis, & sudario facie ligata, dixit IESVS discipulis, ut soluerent eum. Ecce in Lazaro peccatorem, in IESV uideo prædicatorem. Quot affectus ostendit IESVS in Lazaro suscitãdo, tot affectus ostẽdit prædicator in peccatore suscitando. Si peccator, uel pro peccatore prædicator turbauerit seipsum pœnitendo, si lachrymatus fuerit, si clamauerit, Veni foras, confitendo peccata, si tulerit lapidem de duro corde peccantis, tandem ad iussum Dei soluat institas excommunicationis: tollat etiam à facie eius laboriosum pœnitentiæ sudarium, & sic liberum sinat abire. Hinc Gregorius ait: Mortificat non morientem, qui iustum damnat: nititur uiuificare non uicturum, qui reum supplicio soluere conatur. Vera est absolutio præsidentis, cùm sequitur arbitrium æterni iudicis. Sic discipuli Lazarum iam uiuentem soluunt, quem IESVS suscitauerat mortuum. Si enim mortuum soluerent, fœtorem magis ostenderent, quàm uirtutem. Hæc Gregorius. Hunc morem discretè ligandi & soluendi hactenus tenebas, & nobis tenendum mandabas, ô sancta mater Romana ecclesia. Vnde ergo hæc noua authoritas, per quam reis sine confessione & pœnitentia offertur præteritorum peccatorum impunitas, & futurorum libertas? Quantam fenestram malitiæ per hoc patefecisti hominibus? Te ô mater, liberet Deus ab omni malo. Sit IESVS tibi ostium, sit ostiarius. Nullus in te introeat, nisi cui ostiarius aperuerit. Te, inquam, tuumq; præsulem liberet Deus & ab his, qui (ut ait Micheas propheta) seducunt populum Dei, qui mordent dentibus suis, & prædicãt pacem. Et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum bellum.

Postea uerò Leodiensis episcopus cæterique clerici, extincto Heinrico quarto, ea conditione ad pœnitentiam recipiuntur, ut cadauer Imperatoris excommunicati, à se pridiè in monasterio tumulatum, effoderent, & in locum non consecratum reponerent: idque archiepiscopi atq; episcopi in exercitu Heinrici quinti urgebant in fauorem papæ, eaque ratione *στοργὰς* ipsas in filij pectore boni, scilicet spirituales patres extinguebant, illo pontificali principio adducti, quibus Ecclesia non communicat uiuis, eis nec mortuis communicari posse. Vrspergensis. Quis uerò Lectorum non cohorrescit ad tam immania pontificis & episcoporum facinora, omniũ ethnicorum feritatem & tyrannidem longè superantia?

SVB HEINRICO V.

SHISMA INTER HEINRICVM V. *Imperatorem, & Paschalem* II. DE INVESTITVRA.

EPiscopos & abbates ad suum regnum pertinentes, Heinricus quintus inuestire solebat, more maiorũ, inde usq; à Carolo Magno per successores accepto atque cõseruato: id uerò Paschalem secundũ, Romanum præsulem, pessimè habebat, ut qui Hildebrãdi & Vrbani suorum antecessorũ spiritũ penitùs imbibisset: sicut Antoninus clarè scribit, à Gregorio septimo hanc causam cœptam & exagitatam à successoribus, atq; omnium maximè à Paschali. Et addit porrò: Imperator enim uti uolens consuetudine & autoritate prædecessorum suorũ, insistebat ac petebat sibi concedi seu seruari ea, quæ priuilegijs magnis Carolo Magno iam per trecentos annos & amplius concessa & obseruata fuerant, sub summis pontificibus illius temporis. Ex quibus priuilegijs licitè per inuestiturã annuli & uirgæ episcopatus & abbatias conferebant. Et hoc esse suum ius, allegabat. Tit. 17. cap. 1. Idem quoq; Vincentius commemorat. Synodis itaq; præsul Romanus contra eã Imperatoris libertatem studiosè uota colligebat, ac fulmina excommunicationis cudebat, atq; in Imperatorem confidenter eiaculabatur. Imperator autem per legatos inducias petit, ne contra priuilegia suis maioribus cõcessa, iniuria afficiatur: ac pollicetur, se rationem factorum redditurum, modò pontifex in Germania rem dignaretur cognoscere. At pontifex superbè respondet tanquã pantocrator, non esse sibi fas de re tanta in Germania disceptare: uixq; tandẽ adduci potest multis precibus, ut concedat inducias, donec ipsemet Imperator in Italiam ueniret.

Quónam autem ea omnia essent euasura, non obscurè cernit Imperator. Vt igitur tranquillitati Imperij Romani maturè consuleret, atq; cum ipso pontifice transigeret, habita graui cum suis deliberatione, in Italiam expeditionem Cæsare dignam suscipit. Accedebat porrò & altera causa, quòd coronationem à pontifice Romano eadem opera accipere constituisset. Hæc facta sunt anno Domini 1111. Sigebertus, Pet. Diac. in Chron. Cas.

Pontifex uerò non tantũ sacrorum suorũ

habens

habens curam, cognito Imperatoris proposito, ipsemet passim ad principes, duces, comites circũuolitat, fœderaq; aduersus Imperatorem cũ ipsis init. Reuersus inde Romam, omnes proceres cõtra Imperatorem simili sibi sacramento obstringit: ut apertè narrat Petrus in Continuatione Chronici Casinensis. Fuit enim Paschalis toto uitæ suæ tempore melior præliator, quàm concionator aut episcopus.

Aduentanti Imperatori pontifex pro sua papacæsareana elatione animi, leges & pacta, priusquàm in ciuitatem admitteretur, dictare nititur. Non quidem recusat ipsi cõfirmare Imperium solenni more, uerùm ea lege atque omine, ut suo priuilegio de inuestitura episcoporum & abbatum prorsus & ante omnem actionem renunciet. sibiq; & ecclesię Romanæ & bonis Ecclesiasticis omnibus libertatem, securitatem, honorẽ atq; augmenta polliceatur.

Conditiones istæ in medium proiectæ, disputãtur utrinq; acerrimè. Imperator cũ de suis priuilegijs se coram pontifice acturum ultrò promitteret, securitatem ipsi, ac libertatem Ecclesiæ sponte sua cùm literis tum obsidibus confirmat: cumq; potentiá Imperatoris in conspectu haberent Romani, deniq; concesserunt uel inuiti, ut pacificè in urbem intraret Imperator.

Ingredienti autem Imperatori urbẽ, obuiam procedunt populus & clerus magno gaudio & honore. Pontifex ante basilicam S. Petri eum post fœtidorũ pedum exosculationem excipiens, per argenteam portá ducit: & cum in arce porphyretica cõsedissent, ut Diaconus nominat, de rebus controuersis inter se locuti sunt.

Cum autem multa iniqua à præsule Romano sine omni fronte postulata essent, & in dilatione periculum fore prospiceret Imperator, fraudum Romanatum non ignarus, innuit armatis suis, ut pontificem eiusque complices cingerent, nec paterentur eos dilabi. Narrat Auentinus & alij, pontificem concessisse Imperatori, ut inuestitura renunciata, ipse Ecclesiasticorum ducatus, præfecturas, tetrarchias, uectigalia, prætoria, tributa, prædia stipendiaria, agros, uicos regios, arces, urbes, castella, ius cudendæ monetæ, Imperij Cæsarisq; beneficia, regia munia, aliaque ad politicos magistratus pertinentia, ueluti neruum Reipublicæ reciperet, tantũq; Ecclesiastici suis studijs & institutioni hominum studerent, ne spinæ istæ quicquam ipsis negocij facerent. Verùm in templo publicaq; actione episcopos plerosq; restitisse, & prohibuisse ne id confirmaret pontifex, Ecclesiamq; à tantis dignitatib. à maiorib. donatis expoliaret. Extractis igitur hisce rebus usq; ad noctẽ, põtifex apud Imperatorẽ reseruatur.

Hæc conspicati Iohannes Thusculanus, & Leo Hostiensis episcopi, mox se subripiunt, atq; ad arma classicum passim in urbe canunt. Protinus omnes Germani, qui religionis aut aliorum negotiorum gratia Romam uenerant, promiscuè trucidantur ea ipsa nocte. Manè exercitus cõtra Imperatorem, ducibus Ecclesiasticis uiris, dirigũtur: plurimũ sanguinis funditur, nec procul aberat, quin ipsum Imperatorem nefariè trucidassent. Ottonẽ Mediolanensem comitem, qui corpus suum pro Imperatore interposuerat, capiũt, ac uinctũ in urbe minutatim concidunt, proiectis frustis in medias plateas ante canes. Quis uerò neget, Petrinos istos hoc tantũ facinus ausos esse ad exemplũ Petri illius, qui in Olivueto pro Christo gladium stringebat?

Imperator ab istis latronibus discedens, pontificem secũ ducit, quem multò mitius & honorificentius tractat, quàm eiusmodi Imperij Romani turbator, & magistratus legitimi conculcator merebatur. Non autẽ desinunt Romani turbatores uellicare exercitum Imperatoris, sed frustra. Detinetur igitur papa in exercitu Cæsaris, ab idibus Februarij usq; ad 5. calend. Maij.

Tandem Deo pro ordinario magistratu præliante, ac seditiosis pontificiorum turbis ac machinationib. oppressis, factis trãsactionib. Paschalis papa, consentientib. ac præsentibus cardinalib. episcopis ac principibus, priuilegiũ Cæsari publica uoce cõcessit ac confirmauit. de quo sic Vincentius scribit lib. 26. cap. 10: Post lectũ Euangelium tradidit ei papa ante altare beatorum apostolorũ Petri & Pauli, in oculis omniũ principum. priuilegiũ de inuestitura episcopatuum uel abbatiarũ tam per annulũ, quàm per uirgam, scilicet, ut regni eius episcopis uel abbatib. liberè prẹter uiolentiá & simoniam electis, & inuestiturá uirgæ & annuli conferat. Post inuestituram uerò canonicè consecrationem acciperent ab episcopo, ad quẽ pertinuerit. Postea uerò & coronationem illustrem adiunxit.

Hanc transactionẽ Missa & porrectionẽ Cœnæ sacræ ipse pontifex corroborat, ista uoce addita: Domine Imperator, hoc corpus Domini, natum ex Maria uirgine, passũ in cruce pro nobis, sicut sancta & Apostolica tenet Ecclesia, damus in confirmationẽ ueræ pacis inter me & te. Et sicut pars ista uiuifici corporis diuisa est (ná hostia fracta, ipse partem sumpsit, alterá Heinrico dedit) ita diuisus sit à regno Christi & Domini, q PACTVM ISTVD rumpere ac uiolare tentarit. Hoc anathemate pronunciato, omnes

subiunxêre, Amé. Sigebertus, Chron. Cass. Vrspergensis, Vincentius, Antoninus, Heinric. Erford. Mart.

Cæterũ non dissimulandum est, historiographos autoritate Romani pontificis fascinatos, in hac historia mirè sudare, ut Paschalem excusent. Heinricũ uerò deforment. Sed nihilominus ueritas elucet. Vrspergensis paucis significauit, quæ tutò effari non licuit, pontificem non aliter detentum ab Imperatore, quàm angelũ à Iacob. Non dimittam, inquit, te, nisi mihi benedixeris. Petrus Diaconus ait, noctu scriptum esse priuilegiũ de inuestitura, & inuitũ pontificem subscripsisse: scilicet præter uoluntatem bona agere coactus est.

Vide autem fidem pontificis, in quã Ecclesia Christi ferebatur extructa. Vbi Imperator in Germaniã uenisset, papa mox conuocatis suis, in Laterano retractat omnia, quæ tam sanctè, accepto etiã in eius rei obsignatione corpore & sanguine Domini, & addita anathematizatione in fœdifragũ, tantus pontifex promiserat & ebuccinauerat: atq; in magistratũ supremum excõmunicationẽ diram edit. Hac scelerata perfidia papæ irritatus Cæsar, in Italiam denuò proficiscitur maximis sumptibus, de perfidis sumpturus supplicium, & Imperij maiestatem in pristinam dignitatem restituturus. Verùm priusquã Romam uenit, Paschalis, fortè stimulis conscientiæ ictus, expirat, atq; ad suos antecessores colligitur. Iterum uerò ibi coronationem suscipit Cæsar.

Vngariæ reges quoq;, ut hoc coronidis uice addamus, usq; ad hęc tempora inuestituras facere cõsueuisse, Martinus Capel. testatur in uita Paschalis secundi.

SCHISMA INTER HEINRIcum regem & archiepiscopũ Coloniensem,

DE BONIS MERCATORIbus ereptis.

Mercatoribus quibusdam de Duysborg seu Deudschburg, trãseuntib. per diœcesin, nec soluentibus usitata uectigalia, archiepiscopus Coloniensis Philippus pœnę loco bona eripuerat. Hi querelã de sui spoliatione ad Heinricũ regem deferunt. Is misso nũcio mãdat archiepiscopo, ut spolia sine mora restituat. Archiepiscopus uetera iura prætendit. Sed redeunt secundò & tertiò tabellarij, mandata de restitutione adferentes. Tum archiepiscopus ira commotus, in ea uerba erumpit: Nõ est bonũ, inquit, duos regnare. Neminem posse duobus dominis seruire. Hæ uoces ad regem delatæ, indignissimè accipiuntur. Vocatur igitur archiepiscopus in aulã ad iudiciũ. Sed uocatus primò ac secundò, nõ cõparet. Deniq; citatus tertiò Maguntiã, imperium detrectare diutius non audebat. Amicorum itaq; consilio usus eò proficiscitur, sed magna suorum manu, ut à ui tutus esse posset stipatus. Heinricus nobiles in comitatu archiepiscopi singillatim euocans, à quolibet exigit sacramenta obedientiæ erga Romanum Imperiũ, dissimulata caussa archiepiscopi. Sed archiepiscopus, cũ esset emunctę naris, olfaciebat facilè, quónã res euasura esset: amicis igitur submissis deprecatur culpã, prætẽdens, uerba illa ex subito animi feruore sibi euolasse: moxq; muneris loco pecunia oblata, reconciliatur regi, licet ei suspectus etiam deinceps maneret. Nam reuersus domum archiepiscopus, Coloniam uallo maximo & turribus firmissimis cõmunit, quemadmodum Apostolicum episcopum decebat scilicet. Crantz. Saxo. lib. 6. cap. 48.

MONASTICVM SCHISma in Casinensi cœnobio,

DE VICTV.

OTto abbas Casinensis cœnobij tenacior paulò, monachis nõ satis alimẽti aliarumq; rerũ necessariarũ præbuit. Monitus à fratribus, ut meminisset, sese eadem in Oderisio suo antecessore reprehendisse: falsè respondit, se dolere quòd hoc fecerit, & hortatus est, ut potius regnũ Dei quàm corporalia expeterent. Cum autem fratres intelligerent, se surdo, quod dicitur, fabulã narrare, clàm ad pontificem Romanum Paschalem 2. causam referunt. Hisce clandestinis accusationib. cognitis, Otto reos è monasterio pellit. Pontifex uerò profugos illos exaduersò receptat. Quærenti autẽ papę, an canonicè omnium cõsensu iuxta Benedicti instituta abbas electus esset: respondent, ita factum esse. Iubet igitur eos reuerti ad monasterium, se ibi uel coràm, uel per nuncios cõtrouersiam diremptură. Chron. Casin. lib. 4. cap. 31.

DISSIDIVM INTER PASCHAlem secundum & Brunonem abbatem Casinensem,

DE PERFIDIA & periurio.

BRuno abbas Casinensis, adiuncto sibi Guala Regino episcopo, & Roberto Parisiensi, summis uiribus Paschali 2. persuadere conatus est, ut nõ habita ratione periurij, omnia priuilegia data Imperatori retractaret, quia contra Canones, libertatẽ & dignitatem Ecclesiæ ea pugnarẽt: laicis omnino nullã esse potestatẽ disponẽdę aut cõstituẽdę Ecclesię. Sed erant alij, qui grauissimis argumẽtis eã ruptionẽ fœderis, & priuilegiorũ retractationẽ dissuadebãt. Põtifex ipse initiò animi dubius, clarè inqt: Nisi istũ à monasterij administratiõe remouero, ipse suis

suis argumentis Ecclesię mihi regimen tollet. Literas igitur in cœnobium mittit, quibus imperat, ne fratres isti abbati diutius obedientiam præstent: ac tandé cogit eum huic dignitati renunciare.

Bruno hac re percepta, ultrò fratribus suadet, ut alium, quem ipse cupiebat euehere, recepteut. Eum uerò cum recusarent, sanctissimus pater milites in monasterium ex improuiso immittit, quibus fratres cogat. Verùm illi uiriliter atque animosè eos repellunt. Cum hæc fraus non successisset, abbas insignia sua deponit in altare, ac pacificè ab ipsis in suum episcopatum discedit. Chronicon Casinense libro quarto, capite 44.

SCHISMA INTER REGEM
Vngariæ & Paschalem papam,
DE INVESTITVRA.

TEmpore Paschalis papæ, rex Vngariæ literis grauiter scriptis renunciauit põtifici inuestituras episcoporum & aliorum prælatorum. Vtinam uerò regiæ literæ extarent. Martin. Capel.

ANTIPAPALE SCHIS-
ma tempore Gelasij,
DE CVLMINE.

DEsignato pontifice Gelasio sine consensu Imperatoris, Cincius alijq; ex familia patricia Frangepanum id ferunt indignissimè. Cupiebant enim hac in parte tũ autoritatem Imperatoris conseruare, sicuti fidem ei dedissent, tũ Ecclesiæ patriæq; suæ saluti cõsulere. Cum autem monitionibus precibusque nullus daretur locus, impetu in conuenticulum cardinalium facto, qui erat in Palladij monasterio, ui abstrahunt pontificem, prohibituri ne sedem ascendat, donec Imperator ea de re certior factus esset. Sed uulgus indomitum atque in contraria nitens, ab Ecclesiasticis, uti moris erat, instigatum, auxilio in primis Normannorum, ui iterum liberat pontificem, atq; in Lateranum ducit. Æneas Syluius. Bonfinius inuidiam mouet Frangepanibus, quasi furore pleni fuissent, quia ex sua familia nõ esset nominatus pontifex.

Appropinquante autem Heinrico Imperatore, suis rebus diffidens papa fugam arripit. Imperator mox Mauritium Burdinum Hispanum, archiepiscopum Bracarensem (Fasciculus temporum nominat Benedictum) publicè denunciat Romanum pontificem, Gelasio, tanquam nõ legitimè electo & profugo, repudiato. Eum uerò familiæ Frangepanum commendat tuendum. Onuphrius quidem narrat, eum noluisse inuestituram prælatorum Heinrico confirmare, ideo sede deiectum. Verũ Martinus Polonus istam uerosimiliorẽ grauissimamq; causam allegat, quia neglecto Imperatore creatus pontifex esset.

Imperatore auté digresso, Gelasius clàm caulam, ueluti canis culiná, reuisit, factusq; audacior, in æde Praxedis sacra instituit agere. Sed à Frangepanibus obseruatus, ęgrè euadit. Animaduertens igitur pontifex, se imparem ijs, quos Cæsar iusserat Burdini partes defendere, graui concitata seditione, quasi fœtore suo relicto, ipse iterum in fugam dilabitur, uiaq; Hostiensi desperabundus in Galliam sese confert, ubi in Cluniacensi cœnobio pleurisi paulo pòst moritur, cum nondum uno anno integro papale fastigium obtinuisset. Platina, Mart. Polonus, Bonfinius. Antoninus.

ANTIPAPALE SCHIS-
ma tempore Calixti,
DE CVLMINE.

CAlixto secundo à profugis cardinalibus in monasterio Cluniacensi in põtificé creato, in uiuis adhuc erat Burdinus, quem Heinricus Imperator designauerat, ac Georgium octauum nominarat. Contra eum igitur non prius capit arma, quàm Cęsarem sua excommunicatione compulisset, ut sibi præberet suffragium, & extorsisset inuesturæ episcoporũ priuilegium. Cum igitur uotis omnibus compos factus esset Calixtus, conspiratione suorum fretus, more Romuleo, & non Petrino, maximas copias mittit Sutrium, ubi Burdinus se continebat, addito duce Iohanne Cremensi, sancti Chrysogoni presbytero cardinali, milite (ut decebat Ecclesiasticum uirũ) strenuo, ad oppugnandam ciuitatem. Ipse pontifex, ad uisitationem scilicet Ecclesiasticam, præmisso exercitu cum gladijs, lanceis & torméntis, pedetétim subsequitur. Causam ineuitabilem scriptores hanc allegant, quia Burdinus adhuc sibi pontificium nomen arrogabat, quod electione habebat: Romanos incursionibus infestabat, ut quĩ sine fine latrocinia contra se exercebant: peregrinos religionis & suorum negociorum causa cum turgida crumena Romam aduentátes, pecunijs spoliabat, quas papa, cardinales & sacrifici auidè expectabant. Quid fit? Sutrium expugnatione Petrinorũ capitur, Burdinus in potestatem Calixti uenit. Iá attende, quanta clemétia mitissimus papa erga hunc suũ riualem usus sit. Burdinum imponit camelo, capite ad caudá uerso, omnibusq; deridendum & conspuendũ propinat: eoq; triumpho Romam cum exercitu redit, tandemque Cauensi monasterio eum, táquam in carcerem, intrudit. Plat. Antonin. tit. 17. cap. 1. Ottho tamen Frisingensis eum apud Clauá custodiæ mancipatum esse tradit, lib. 7. cap. 16.

SCHISMA LEODIENSE, DE SEDE.

IN Leodiensem episcopũ electus Fridericus, aduersariũ habuit Alexandrũ quendã archidiaconũ, qui temerè insignia episcopi usurpans, personatũ agebat episcopũ. Vterq; aũt magnatum cohorte armatus, suá quisq; dignitaté tueri conabatur. Friderico enim studebat Gottfridus Namurcensis comes, Gosuinus dominus in Valkenburg, tũ abbates atq; canonici, tũ ipse Leodiensiũ magistratus. Alexandri uerò partes sectabãtur Gotfridus Louaniensis comes, Gisbertus comes Durassi, Lãbertus comes Mõtis acuti, & Renerus militię Leodinę primicerius. Huius sectatores Alexandrinos, illius uerò Fridericios uocitabant. Cumq; res ad cruentũ spectaret bellũ, Romano fulmine cohercetur Alexãder, eiusq; fautores ex eo boatu terrifico perculsi recedũt: pòst Fridericus in concilio Remẽsi consecratur, anno 1119. Catalogus Tungrẽsium episcoporum.

SCHISMA INTER HEINricum 5. Imp. & Calixtum 2.

DE INVESTITVRA.

MAiorum suorum spiritum nactus Calixtus, sine mora Heinricum Imperatorem excommunicat, idq; suadente Adelberto Moguntino, Friderico Coloniensi, & Cunrado Iuuauensi: ut Otto Frisingẽsis narrat li. 7. ca. 15. Scopus erat, quò id fulmẽ dirigebatur, primùm ut electionẽ sui absq; Imperatoris scitu factam cõprobaret: deinde, ut inuestituram episcoporum totam põtificię dominationi adscriberet. Coloniæ autẽ excõmunicatio publicatur. Heinricus uerò petit dilationẽ. Triburiæ postea idẽ definitur. Nã Ecclesiastici de suis dignitatibus & opibus, tãquã ꝓ aris & focis, dimicabãt. Vix autẽ impetrat Cæsar, ut ad ordines Imperij sibi eam controuersiam referre liceret. Sed quia omnes ad dirum fulmen, quod exhalabat Romanus præsul, penè exanimarẽtur metu, suadent ad unũ omnes, ut omnia potius tã truculento Raptori, pastori debebamus dicere, concederet Cæsar, quã Romanum Imperiũ prorsus conculcari atq; excindi pateretur. Tali igitur arte & ui Romanus pontifex aufert inuestituræ episcoporũ licentiã. Literę porrò Cęsaris, in præclarũ huius uictoriæ triũphũ & perpetuã rei memoriã, in basilicã Lateranensem publicè suspẽdũtur. De his autẽ cõtrouersijs in Capite de Cõcilijs plura. Vrsperg. Naucl. Auent. lib. 6.

EPISCOPALE SCHISma in Anglia,

DE DIGNITATE.

THrustinus Eboracẽsis archiepiscopus creatus, sine mora cũ Cantuariensi Rudolpho de autoritate incipit altercari. Rex hortatur ambitiosum Eboracẽsem, ut ijs esset cõtentus, quibus antecessores ipsius. Verũ ille minimè acquiescebat. Habito postea cõcilio de politicis rebus, Ecclesiam quoq; suę trãquillitati uoluit restituere rex, ac diligẽter cũ Thrustino egit, ut ꝑpter totius regni pacẽ cõtẽtiones suas de authoritate abijceret. Id uerò cũ ille pertinaciter detrectaret, rex iratus iussit aut parẽre decreto huius cõcilij, aut se abdicare episcopatu. Verũ homo superbus neutrũ fecit, atq; à Calixto 2. Romano pręsule est defensus, donec in extrema senecta spõtè in monasteriũ, desperationi sese dedẽs, abiret. Alij tradunt, post octauũ annũ Thrustinum cum rege & Cantuariensi in gratiã redijsse. Et hic pręclaram addit Polydorus sentẽtiã, obseruatione dignissimam: Hinc cernere (inquit) licet, iam tum episcopos cœpisse delirare, cupiditate ac ambitione cæcos, qui non uiderint suum officium esse, spretis omnibus quæ uulgus miratur, hominum animarum saluti tantummodo consulere. Polydorus Verg. Angl. historiæ lib. 11. de Heinrico 2.

DISSIDIVM INTER CAPVAnum & monachum Casinensem,

DE ECCLESIIS.

CApuanus archiepiscopus Otto questus est, tres sibi ecclesias à Casinensibus monachis abalienatas esse, nimirũ S. Benedicti, S. Angeli, & S. Rufi. Res ad pontificẽ relata est. Casinẽses tũ instrumẽta, tũ ꝑscriptionẽ protulerunt. Cũ autẽ Capuanus ista refutare non posset, pontifex pro Casinẽsib. sententiã tulit. Chron. Casinense li. 4. ca. 71.

DISSIDIVM INTER CASInenses & Rainulphum comitem,

DE ECCLESIIS.

RAinulphus comes ecclesiam S. Mariæ in Cingla, cuius potestatem sibi uendicabant Casinenses, S. Marię de Capua subijciebat. Casinẽses re ad pontificem delata, efficiunt, ut abbatissa S. Mariæ de Capua citetur Romam ad causæ cognitionem. Verùm ea citationem unam atq; alteram contemnit. Tandem uerò, cum pontifex maiori seueritate significaret, ut aut appareret in iudicio die præfinito, aut iure suo caderet, Rainulphum, ut pro se intercedat, multis precibus ipsa rogat. Is autem non solùm literas, uerùm etiam grandem pecuniam, ut habet autor, papę mittit, ad effodiẽdos nimirũ põtifici oculos: eaq; ratione impetrat dilationem. Munera enim placãt hominesque deosq;. Tandem uerò improbitas Casinensium uicit, ut papa tertiò iudicij diẽ destinaret: quo cũ abbatissa non uenisset, nec suo nomine misisset quenquam, papa pro Casinensib. determinat, literasq; ad mulierem mittit, ut intra dies uiginti faceret restitutionem.

restitutionem. Ipsa uerò libros, & quicquid in Cinglensi cella reperit, asportat. Papa factus certior de hac contumacia, iubet restituere omnia: quod cum detrectaret, sacra prohibet in ipsius cœnobio, ipsamq; dignitate exuit & excōmunicat unà cum fautoribus. Rainulpho deniq; hoc datur negotij, ut Cinglensem ecclesiam restituat Casinensibus: quod ni facturus esset, fulmini execrationis ipse quoq; subiaceret. Territus istis minis comes, uisis literis cœnobij Casinensis, quibus ius suum demonstrabant, papæ uoluntatem executus est. Chron. Casinense lib. 4. cap. 72.

DISSIDIVM INTER MOnachos & clerum Capuanos, DE CAPPA.

AEgrotū cappa moniali monachi Capuani induerant, quasi hac ueste Deo gratior (qui scilicet iuxta uestes solet iudicare) futurus. Clerici id suis reditibus, quos ex suis lamentationibus defunctorum, ueluti corui hiantes ad cadauera, percipere solebant, damnosum fore rati, facto agmine ui in defunctum cappatū irruunt, uestemq; detractam in plateam abijciunt, calcandam pedibus in luto. O' facinus indignū in cappam. Monachi igitur istam enormem iniuriam papæ Calixto querulantur: is terrificis uerbis Capuano archiepiscopo mandat, ut istam temeritatem cleri puniat, ac deinceps sinat monachos liberè suas cappas morientibus aut defunctis induere. Chron. Casin. lib. 4. cap. 74.

INIMICITIA INTER EPIscopum & monachos, DE HOSPITIO.

POstulabat Lambertus Hostiensis episcopus, ut in cœnobio S. Mariæ sibi hospitium concederetur, ut Leoni suo antecessori factū erat. Verùm monachi, ne quid iuris sibi arrogaret episcopus, id denegant. Hinc inimicitiæ inter sacratos ortę. Chron. Casin. lib. 4. cap. 83.

SCHISMA INTER IL Herbipolenses episcopos, uter Induperator.

CVm Herbipolensis cōuentus propter Imperatoris absentiā difflueret, Gebhardus homo iuuenis, indoctus, sed nobilis, ab Imperatore introductus, ciuibus sibi conciliatis, in alterum corriualem suū, quē compererat non procul inde cum suis auxilijs esse, impetum hostilem, pro episcoporū officio, iuxta Pauli descriptionē scilicet, facit. Illi pręmoniti arte militari aciem instruunt. Congrediuntur non pēnis scriptorijs, sed lanceis & gladijs: fit cædes magna. Nox deniq; dirimit prælium, Gebhardo iterum in ciuitatem proficiscente, altero foris exulante. Captat tamen ille exul quoq; suā prędam. Nam prædijs ad Neccarum fluuiū fruitur. Crant. Saxonia lib. 5. cap. 42. Ruggerus autem ab altera parte electus episcopus, à legatis papæ est confirmatus in cœnobio Schuuartzachensi. Hedio 3 parte Chronic.

SCHISMA INTER MOnasterienses & suum episcopum, DE EPISCOPO.

MOnasterienses graues suo episcopo erāt, sub annum Domini 1121. eumq; eijciebant. fortè id ipsius peccatis urgentibus. Sed ipse ad hastatos confugiens, principum Saxoniæ opē implorat. Luderus itaq; Saxoniæ dux ingenti exercitu collecto, bellum Monasteriensibus infert. Multis autem hominibus trucidatis, & maximis damnis ultrò citroq; datis atq; acceptis, Monasterienses suum coguntur recipere episcopum, ac de iniurijs illatis satisfacere. Crantzij Saxonia lib. 5. cap. 41.

SCHISMA INTER IMperatorem & Maguntiam.

FAx erat dissensionis Maguntia, siue potius archiepiscopus illius. Quare de eius ultione Imperator cōsilia capiebat. Colligit igitur in Alsatia exercitum. Sed archiepiscopus in Saxonia non impigrius excitat principes, qui sine cunctatione exercitum exercitui Imperatoris ante Maguntiam opponunt. Tam enim potentes erāt episcopi, tamq; politici, ut magis in excitādis tumultibus, in castris cruentisq; prælijs conspicerentur, quàm in bibliotheca. Erat enim nouum genus episcoporum, non tam simile Christo aut Apostolis, quàm pontifici Annæ, Cayphæ, & similibus, qui tum Ecclesiastici, tum politici erant. Intercipitur autem congressus ille hostilis, Imperatoris & Saxonicorum ducum prudentum consilijs & intercessionibus, reiq; summa duodecim primatibus utrinq; denominatis permittitur. Herbipoli postea fit compositio: ut in Capite de Synodis narratur. Crantzij Saxonia li. 5. cap. 41.

THVRONENSE SCHISma inter laicos & clerum.

NArrat Sigeberti Cōtinuator, anno 1123 dissidium quoddam inter laicos & clerum Thuroni incidisse: causam non addit. Ecclesiam autem Martini penitùs arsisse addit.

TVMVLTVS TRAIECTAnus inter Imperatoris milites & episcoporum ministros.

ANno 1123 Imperator Traiecti celebrat natalem Christi. Ibi inter milites Imperatoris & ministros episcopi, res ex iurgijs ad uerbera & ad prælium uenit. Nam episcopi ministri discurrētes per ciuitatem, ad arma

ad arma clamāt, & pro libertate fortiter dimicandū dictitant. Fit horribilis laniena, uixq; seditio compesci poterat. Authores postea pœnas luunt. Episcopus ipse in ferrum ponitur, nec dimittitur, nisi prius immēsa pecuniæ summa numerata, intercedēte Coloniensi, quia conscius eius conspirationis habebatur. Crant. Saxon. lib 5. ca. 43.

SCHISMA INTER ABBATEM *Limpurgensem, & Arnoldum episcopum Spirensem,* DE VICTVS RIGORE.

ANno Domini 1124 Rupertus primùm monachus, deinde abbas factus est Limpurgēsis in diœcesi Spirensi. Is uerò nō uulgariter eruditus fuit, utpote qui Parisijs aliquandiu operam bonis literis dedisset. rigorem autem in uictu multò maiorē instituit, quàm regula Benedicti complecteretur. Ab omnibus enim quæ uitam habuissent, uoluit abstinere suos monachos, nimirum nō solum à carnibus, sed etiam à piscibus, & ab ouis lacticinijsq;. Tātùm uerò pisa, fabas & legumina permisit. Vinū quoque interdixit penitùs, præterquàm in infirmitate. Hæc tam stricta uiuendi ratio multos monachos adigebat eò, ut ex monasterio profugerent. Cumq; non omnes pariter ista temperantia contenti esse possent (different enim naturæ hominum) præsertim cum omnibus cœnobitis suis parem legem statueret: res tādem propter nouitatem, & eam quidē crudeliter superstitiosam, ad Arnoldum Spirēsem episcopū delata est, etiā quorundā politicorum cōsilio & impulsu.

Vocatus Spiram Rupertus comparet, & interrogatus, qua nam autoritate mutaret statuta cœnobij Benedictini, citra episcopi sui consilium ac suffragationem? animosè respondet, se id facere authoritate diuina, qua de temperantia & sobrietate præcipiatur. Deinde se à patribus hoc accipere, qui eadē ratione, imò adhuc tenuius uixerint, cœlestis regni gratia: ut ab Antonio, Paulo, Macario, Mose, Bambone, Onuphrio, Martino, & alijs. Tertiò exemplo Danielis se eā uiuendi rationem suscipere. Quartò se ex reuelationibus id institutū sequi, quas quidem peculiari libro notauerat, & publicè recitauit. Signo autem iussus probare reuelationes, dixit, episcopum, quia illas suas reuelationes non crederet, breui tempore uicturum (sic nimirum autor superstitionis simul & homicida est Ioh. 8.) Postea & Cœnam Domini sumit cū terribili sui execratione: qua quidem re suis enthusiasticis reuelationibus fidem conciliare uoluit. Vt autem uideat Lector pertinacem illā superstitionē, uerba adscribere libet. Est enim spiritus ille mendax extrema impudentia præditus. Cum enim ei præberetur Christi corpus, sic inquit: Ego Rupertus, Dei gratia Limpurgensis ecclesiæ abbas, dico, affirmo & iuro coram omnipotente Deo, omnibus Sanctis eius, & uobis domine episcope Arnolde, in animam meam, super hoc corpus & sanguinem Domini nostri IESV Christi uerum, quod natum est ex uirgine Maria, passum & immolatum in ara crucis pro nobis, quòd reuelationes istæ, quas scripsi, in parte & in toto non sunt fictæ, non falsæ, nō phantasticæ, non diabolicæ, non excogitatæ ab homine, non deceptoriæ, neque per humanam industriam adinuentæ: sed mihi diuinitùs reuelatæ, ueræ, sobriæ, angelicæ ac diuinæ: sic me Deus & hoc corpus Domini nostri IESV Christi, quod in manibus meis teneo, nunc & in extrema hora mortis meæ, ac nouissimo die iudicij adiuuet, saluet & suscipiat. Ac si aliter est quàm dixi & iuraui, tunc hoc Domini nostri IESV Christi uenerabile corpus non pertranseat guttur meum, sed hæreat in faucibus meis, strāgulet me, suffocet me, ac interficiat me statim in momento: & non sit mihi locus in cœlo cum electis Dei, sed sit mihi portio cum Dathan & Abiron in inferno, & Iuda traditore, cum Herode & Pilato, qui Dominum crucifixerūt, & cum diabolo & angelis eius in centro gehennæ, statim ab hinc nunc & semper sine fine in æternum, Amen.

Animaduertit tamen episcopus postea, sine illusionibus ac præstigijs dæmonum (Parisijs enim de nigromantia non parum uidetur hic abbas didicisse) ista non fieri, accuratiusq; de singulis inquirendum censuit. Sed uincit superstitio & impudentia effrenis abbatis, qui nihil aliud quàm mandata Dei ex suis illis enthusiasticis reuelationibus crepabat, ac subinde ad episcopū sonabat: Ecce, mittit ad te mandata sua Deus. Postremò, cum episcopus nollet assentiri, iratus Rupertus efflat homicidiale illud uaticinium: Tu hoc anno morieris, & sic uisiones & hoc uitæ genus confirmabitur. idq; sic accidit. Licet autem uel ex hoc unico facinore conijcere, qualis spiritus superstitiosæ illius uitæ autor fuerit, nempe homicidialis. Alterum uerò argumentum spiritus est, quòd disertè fatetur abbas, se suosque conuictores pro suis peccatis eam abstinentiam obseruare: id quod cōtra uerbum Dei est. Vnus enim Christus pro peccatis mundi satisfecit, iamq; uult nos ex sua plenitudine per fidem haurire gratiam pro gratia. Iohan. 1.

Porrò à successore Arnoldi Sigefrido Rupertus in Breitau relegatus, sua singularitate superstitiosa istic quoque turbas dat, alijsq;

alijsq; suam scabiem, quod dicitur, affricat. Rogant igitur illi cœnobitę episcopum obnixe, ut iubeat Limpurgensem abbatem in suum locum reuerti, ne alios quoq; conuẽtus inficiat atque euertat. Sic in suam quasi speluncam regressus, ibi suo uixit ingenio & more cum quibusdam suis, donec in eum locum abiret, ubi monachi defuncti cógregantur. Tritenhem. Chron. Hirsaug.

ANTIPAPALE SCHISMA
tempore Honorij 2.

DE CVLMINE.

QVoties nouus papa creandus erat, toties ferè nouum schisma Ecclesiam affligebat: quia plures cupidissimè eos honores affectabant. Non enim Christus, non Ecclesia, non sudores: sed eminentia, imperium super Cæsares & reges, & simul super ecclesias omnes, & reditus amplissimi quæ rebantur: scilicet pro Apostolorum Christi consuetudine, & iuxta formam episcoporum, quam Paulus præscribit. Sic Honorius 2. non sine fraude, non sine motibus cathedram conscendit. Nam Calixto secũdo ad patres suos collecto, Leo Frangepanis (Robertus, habet Onuphrius) id omni arte & ui agebat, ut Lambertum Hostiẽsem episcopum obtruderet pontificem. Mandat autem cardinalibus, ne præcipitent electionem, ac iuxta Canones sollicitè procedant. Dum uerò ipse suffragia astutè colligit, cardinales Theobaldum, S. Anastasiæ presbyterum cardinalem, designant pontificem, eumq; uocabant Celestinum secũdũ. Populus Saxonem S. Stephani cardinalem optant pontificem. Quidam Rauennatẽsem archiepiscopum cupiebant. Sed perrupit Leo suo rugitu, publicè Lambertum suum proclamans. Populus potentis uiri uoluntatem sequitur, & cardinales necessitati cedunt. Platina. Theobaldum spontè, quia scilicet coactus est de suo iure cessisse, testis est Onuphrius. Hæc facta sunt anno Domini 1124.

SCHISMA INTER CASI-
nensem abbatem & Honorium papam.

HOnorius, cum ui atq; armis suam sibi eminentiam tutãdam sciret, undiq; corradit neruos belli. Scribit igitur tum ad alios, tum ad Casinensem quoq; abbatem, ut sibi periclitanti Plutonicam opem mittat. Abbas insuauem mittit expostulationem, se, quia opem suam pecuniariam imploret, electioni quoq; interesse debuisse. Interrogatus porrò à suis fratribus, cuius esset filius recens creatus pontifex, & cuius meriti? respondit: Id uerò ego ignoro: hoc tamen scio, eum plenum esse literis à capite usq; ad pedes. Istæ uoces offensionem papę concitarunt, sed quæ data pecunia tolli & expiari potuit. Chronicon Casinense lib. 4. capite 85.

SCHISMA INTER HIERO-
solymitanum patriarcham & episcopum Bethlehemitam,

DE EPISCOPO.

CApta Ascalone anno Domini 1154 à rege Balduino, patriarcha Hierosolymitanus ibi episcopum Absalonem constituit, Dominici sepulchri canonicum regularẽ. Canonicos quoq; eò reponit, additis stipendijs. Eos uerò conatus Gerhardus Bethleemitanus episcopus indignissimè tulit, dictitans, ad se pertinere illius loci prouisionem. Res ad Romanum præsulem reijcitur, qui pro Bethleemita decernit: is uerò mox Absalonem profligat, aliumq; subrogat. Tyrius lib. 17. cap. 30.

SCHISMA INTER PATRI-
archam Hierosolymitanum & Tyri archiepiscopum,

DE PALLIO.

VVilhelmus Tyri archiepiscopus à patriarcha Hierosolymitano consecratus, anno Domini 1128 pallium à Romano Hadriano uoluit petere: id quod ille patriarcha conatus est prohibere. Sed ipso inuito, nihilominus eò se contulit, ac facilè ab Honorio pallium redemit: qui & Antiocheno patriarchæ, Vuilhelmi suffraganeos detinenti, pro Romana excellẽtia præcipit, ut eos intra quadraginta dies liberos dimittat: quod si facturus non esset, fore ut ab officio suspenderetur. Tyrius li. 13. ca. 23. Idem uerò & Hierosolymitano scribit Honorius, eam coronidem in sua epistola adijciens: Quocirca autoritate Apostolica mandando præcipimus, sicut eiusdem matris suæ pijs optas studijs atq; solatijs confoueri, sicut in tuis necessitatibus eius patrocinijs desideras adiuuari, iam dictum archiepiscopũ diligas & honores, & in nullo perturbare præsumas: quin potius de omnibus, de quibus apud te querimoniam deposuerit, sibi plenam iusticiam intra quadraginta dies, postquam præsentia scripta susceperis, exhibere non differas, nec aliquid in subditos suos contra statuta Canonum præsumas. Alioquin timendum tibi erit, ne tam ipsum quàm suffraganeos suos à tua obedientia subtrahamus, eosq; intra manus nostras retineamus. Idem lib. 14. cap. 11.

SCHISMA INTER RE-
gem Hierosolymitanum & patriarcham,

DE REGNIS HV-
ius mundi.

STephanus patriarcha Hierosolymitanus sub annum Domini 1129, mox cum in eam

in eam dignitatem subuectus esset, superciliosè contra regem sese efferens, mouit controuersias:

Primùm, Ioppensem ciuitatem ad ius suum & ecclesiæ Dominicæ resurrectionis pertinere, contendit.

Deinde, captam Ascalonem eodem iure ad eam pertinere.

Sic scilicet putarunt sibi fas esse, sanguinem tot hominum, qui propter occupationes istorum locorum trucidati sunt, haurire. Et hoc illud est, quod ille dicebat, alieno labore parta ad se transferre. Grauissimæ igitur offensiones inter regem & patriarcham exortæ sunt, quæ Stephano debitum naturæ exoluente, nonnihil conticuerunt. Tyrius lib. 13. cap. 25.

SCHISMA IN ECclesia Antiochena, DE ELECTIOne patriarchæ.

Bernhardo patriarcha Antiocheno defuncto, suffraganei patriarchatus, archiepiscopi & episcopi undiq; ad electionẽ nouam confluũt. Dum uerò in palatio in eam curam incumbunt, Radulphus quidam Manustanus archiepiscopus, uir militaris, magnificus & liberalis, plebi & equestri ordini acceptus, à populo eligitur patriarcha: fortè quia contra fas & ęquũ Ecclesiasticę personæ sibi solis potestatem creandi archiepiscopum sumebant, exclusa plebe. Nõ expectatis igitur suffragijs eorum, qui in palatio se cõcluserant, eum in cathedram collocant, pallioq; induunt, non prius data ingẽti pecuniæ summa Romano dorophago: id quod scelus omniũ maximũ, magnoq; ære diluendum postea habitum est. Nam hoc erat pallium à Romano pastore mercari, nẽpe maximam pecuniæ uim in eius fauces conijcere. Consultores itaque, ea re cognita, iterum dispersi sunt, suamque obedientiam ipsi detrectarunt. Postea tamen Radulphus de suffraganeis quosdam in suam pertraxit partem. Insolentior autem factus, ut ipse Tyrius narrat, propter opulentiam, quosdam in ecclesia præcipuos uiros partim eiecit, quosdam uerò carceri mancipauit. Verùm occasio non satis expressè indicatur. Fortè enim ipsi nimis superbè & seditiosè erga ipsum & ecclesiam sese gesserunt. Nominantur autem Arnulphus quidam, & Lambertus ecclesiæ archidiaconus, istarum turbarum autores & duces. Tyrius lib. 4. cap. 10. Hæc autem acciderunt circa annum Domini 1130.

Postea Radulphus decipiens, si uera narrat Tyrius, Boamundi uiduam, quasi uocatus Raymũdus Pictauiensis comes eam esset ducturus in coniugem, impetrat ab ipsa defensionem contra clericos sese infestãtes & persequentes. Verùm eam fallens, aduenienti Raymundo Cõstãtiam filiam Boamundi dat uxorem, cum quidem adhuc esset infra nubiles annos. Id uerò priusquam faceret, exegit à Raymundo iuramentũ fidelitatis: quę res postea Raymũdo causa odiorum in patriarcham fuit. Tyrius libro 14. capite 20.

Consusurrantes autem princeps & canonici contra patriarcham, quorum duces & choragi erant Arnulphus & Lambertus, insatiabili odio erga Radulphum flagrantes: hi Romam, incitãte principe Antiocheno, properant, excussionem patriarchæ machinaturi. Vrgetur autem similiter à principe patriarcha, ut ipse quoq; eò, tanquã summo iudicio sese sistat. Arnulphus autẽ præcurrens, Rogerium Apuliæ ducem instigat, ut patriarcham se subsequentem capiat, maleq; tractet. Libet autem uerba ex Tyrio adscribere. Sic inquit Arnulphus ad Rogerium: Ecce, princeps egregie, in manus tibi optatò, sed & gratis datur hostium tuorum immanissimus, Antiochenorũ patriarcha, qui tibi & hęredibus tuis in perpetuum Antiochiã abstulit, sublimato in ea uiro ignoto, contra iuris ordinem. Ecce, eum obtulit tibi Dominus, & consummata eius peccata dederunt præsentem. Eia expergiscere, tracta quomodo eum habeas: certus, quia per eum ad hæreditatem, iure tibi legitimo successionis debitam, iterũ tibi patẽre poterit introitus, qui tibi per eundem negatus est indebitè. lib. 15. cap. 12. Ex hac immani cupiditatis uindicta, iam istius canonici spiritũ æstima. Accẽsus autem istis flãmis homicidialibus, quas afflauerat Arnulphus, dux Rogerius aduentantẽ patriarcham, mox ut in portum uenit, capit, ipsiq; Arnulpho traditur uinctus, qui eum summa crudelitate tractat, Rogerioque, uelut latro sanguinem sui patriarchæ spirans, exhibet. Sed Rogerius audiens uirum, animaduertit Arnulphum aliosq; calumnijs interitum patriarchæ moliri. Itaq; dimisit eum honorificè, restitutis omnibus quæ attulerat.

Interea uerò Arnulphus Romam præcesserat, suis criminationibus apud omnes summam patriarchæ inuidiam conflãs. Istæ enim sunt artes inuidorum & crudeliũ hominum. Romam igitur accedẽs patriarcha Antiochenus, ab accessione pontificis ac reliquorũ autoritate excellentiũ propudiosè arcetur. Nã calumnia uelocibus alis antecurrens, & diris criminationibus utrãq; aurẽ præoccupãs, eiusmodi rumorẽ cõcitarat, quasi ipse PRIMATVM Romanæ sedis uoluerit imminuere, suamq; Antiochenã pari uellet honore & eminẽtia coli, quia utraq; esset

esset ipsius Petri cathedra, & Antiochena quidem primogenituræ prærogatiua insignis. Hoc scilicet erat illud peccatum, hoc scelvs, quod nulla ratione ferendum erat. Potius hic mundus duos soles, quàm parem primatum Romanæ ecclesiæ pontifices cum suis mancipijs ferrent. Tyrius lib 15. cap. 12.

Sed amicorum, quos sine dubio grandi pecunia expugnauit, redemit, sibique recōciliauit, usus officio, uix tandem pontificem adeundi potestatem consequitur. Curia autem papali solenniter conuocata, intromittitur, summaq; magnificentia excipitur. Id cum semel atq; iterū factum esset, aduersarij libellis accusatorijs adornatis, suum patriarcham iuris rigore adoriri instituunt. Sed tota curia re ponderata cognoscit, accusatores non satis instructos esse, ut papæ & assessoribus de criminibus obiectis plenam fidem faciant. Erant enim iam inuncti isti assessores maximis largitionibus, ideo molliusculè pronunciant. Tandē fertur iudicium, papam legatum missurum esse Antiochiam, ubi testes examinari, & copia instrumentorum haberi queat. Sic criminatorum artes eluduntur. Patriarcha cōciliatis sibi animis pecunia, palliū, quod uisus fuerat spontè contrectasse, deponit. Sed mox aliud concessione papę (numerata tamen prius sufficiente pecunia. Gratis enim nemini confertur) traditur. Sic tandem cum plenitudine Romanæ gratię Roma dimittitur.

In itinere ad Rogerium rursum diuertens, honorificè excipitur, & insuper galeas ad iter accipit: quæ res nouam carpendi maleuolis ansam prębet. Idem lib. 15. cap. 13. Arnulphus calumniarum & turbarum fax, iterum celeri cursu Antiochiam currit, principiq; persuadet, Radulphum patriarcham cum Rogerio infensissimo ipsius hoste familiarissimè uixisse, pactūq; contra ipsum inijsse, atq; in eius rei confirmationem datas esse galeas. Facilè credit dux, & uehementer ira contra patriarchā accensus est. Veniens itaq; in Cœlesyriam patriarcha, Ecclesiæ suæ scribit, ut honorifica processione sibi obuiam ueniant. Sed Arnulphus eū cunctis inuisum effecerat, & rex ipse negat se eum in ciuitatem intromissurum. Hac exclusione patriarcha in montana, quæ Nigra uocantur, in monasterium diuertit.

Comes autem Edessanus patriarcham ad se inuitat, omniaque humanitatis officia liberaliter defert: & erant episcopi eius loci Radulpho fauentes. Excipiunt igitur aduenientem Edessanus, Hierapolitanus & Coriciensis archiepiscopi summa reuerentia. Princeps autem Antiochenus indignationem papæ metuens, eum iubet reuerti. Redit igitur Antiochiam, magnoque honore introducitur. Idem libro 15. capite 14.

Interea legatus pontificius Petrus Lugdunensis archiepiscopus, ab Innocentio papa missus, uenit in Syriā: sed priusquàm Antiochiam accederet, uitam efflat, non sine suspicione præbitæ potionis. Aduersarij itaq; patriarchæ magna spe deiecti, & suorum laborum pertæsi, ueniam à patriarcha precantur. Lambertus igitur suo archidiaconatui restituitur. Sed Arnulphus gratiam consequi non potuit: quæ res exitium patriarchæ attulit.

Romam igitur in tanta desperatione Arnulphus denuò currit, atq; Acheronta cōmouet. Nam suis diris obtrectationibus papam inflammans eò perpellit, ut alium legatum, Albericum nempe Hostiensem episcopum, in Syriam dirigat.

Hic igitur cum uenisset, synodum Antiochiæ indicit: in quam cum semel, bis, ter Radulphus uenire detrectaret, quia fortè absolutioni pontificis semel datæ acquiescere uoluit, tandem deponitur, ac principi traditur: qui eum catenis ligatum in monasterium S. Simeonis, loco excelso situm, custodiendum ablegat. Sed ex uinculis elapsus, Romā iter facit denuò: ubi recuperata gratia papæ, cum reuerti in suum locum properaret, ueneno ab aduersarijs composito de medio est sublatus. Idem libro 15. capite 16. 17. Synodum hac de re suo loco exponemus.

SCHISMA DE TREVIrensi culmine.

DVo simul in ecclesia Treuirensi discordantibus suffragijs deliguntur episcopi. Volmarus quidem canonicè à saniori parte nominatur, Rodolphus uerò à minori. Volmarus igitur mox ad papā Romanum, Rodolphus autem ad Cæsarem se recipit. Hinc factiones exurgūt, uter culmen obtineat. Nec cessat Volmarus papam incitare, ut Rodolphum ad dicendam causam citet. Imperator igitur die præfinito Rodolphum, iureconsultis quatuor adiunctis, qui iura proferrēt, ablegat. Sed neuter cedere uolebat. Interim Heinricus rex canonicos Confluentianos, fauentes Volmaro, malè tractat: quibus quidem iniurijs papa magis irritatur, ut de Volmaro extollendo consilia agitaret. Verùm Imperator suadet, ne id faciat: certum enim esse, eam rem principum concordiam uehementissimè turbaturam esse. Suspendit igitur suam determinationē papa: sed tandem in Imperatoris odium Volmarum confirmat. Crantz. Saxon. lib. 6. cap. 47. & 50.

SVB LOTHARIO.

SCHISMA INTER HONORIum papam & Casinensem abbatem.

Comes Adenulphus Oderisium abbatem ad papam Honorium, quasi aduersantem sibi defert. Is mox eum deponit, ac Romam ad dicendam causam euocat semel, bis, ter. Cum autem Oderisius ad offensum papam metueret proficisci, quid fit? Damnat eum papa ob nullum aliud crimen, nisi ob contumaciam absentiæ. Ipse uerò à quibusdam seductus, die palmarum sua dignitate atq; officio nihilominus fungitur. Quare accensus papa, eum cum sequacibus excommunicat. Hinc inter monachos & ciuitatem discordia exoritur. Oderisius fugiens, armatos conquirit: nec suis partibus desunt ciues. Tandem autem fratres ui adiguntur, ut alium abbatem creent. Et licet Oderisius aliquandiu recalcitraret, Batranq; arcem teneret, tamen postremò se dedit pontifici Romano. Chronicon Casinense libro quarto, cap. 90. 91. 94.

ANTIPAPALE SCHISMA tempore Innocentij 2.

DE CVLMINE.

Sententijs cardinales in sufficiendo pontificem post obitum Honorij discordant, anno Domini 1130. Minor quidē pars cardinalium Innocentio, maior uerò pars Petro, Petri Leonis potētissimi ciuis filio, calculos suos tribuit: qui etiam S. Petri arcem occupat. Hæc est materia litis. Innocētius, quia aliquot horis antè delectus esset, præcedit, & ut se episcopum armatum declararet, mox in Apuliæ ducem exercitum mouet. Sed capitur cum cardinalibus in exercitu, multis miseris hominibus à pontifice ad mactationem, ut fieri in conflictibus bellicis solet, adductis. Ea fama Romā perlata, Petrus ille, qui Anacletus 2. dicebatur, ut nunquam suo iuri ualedixerat, ita nunc magis pontificatus officio sese effert, largitionibusq;, quas aiunt ipsum è spolijs templorum habuisse, omnium uoluntates sibi conciliat. Redit autem Innocentius post liberationem suam Romam. Sed uidēs antipapæ potentiam usqueadeò creuisse, ut eam infringere nulla ui posse cōfideret, neque tutus in eo loco manere posse uideretur, in fugam se dedit. Quemadmodum autem struthiocameli inter fugiendum lapides in sequentes eijciunt: ita Innocentius quocunq; uenit, concilia uocat, atq; aduersarium suum omni genere execrationum atq; excommunicationum ferit: primùm quidem in Claro monte, deinde Remis, tertiò Placentiæ. Ad eum modum circumcurrens, cœlumq; terræ iratus miscens, in itinere Belgico Heinricum Angliæ regem adoritur, hortans ut in Saracenos arma capiat, seseq; una opera restituat. Volitat deinde ad Imperatorem Lotharium, quem Leodij inuenit, cuiidem persuadet, mira & magna pollicens.

Tandem Imperator accensus ab isto pastore Romano, in Italiam maximis impensis traducto exercitu, Romam non sine sanguine uenit, Innocentium in cathedrā reducit. Is uicissim eum scalpens, coronā imponit. Anacletus interea nusquam cōparet.

Cæsare iterum digresso, quasi ex mortuis reuiuiscit alterum Romanæ ecclesiæ caput, Rogerio alijsq; adiuuantibus.

Reuocatur iterum Cęsar, qui aduentum accelerans, urbem paci restituit, oppressis factiosis. Anacletus uerò non deponit cornua prius, quàm cū mors atra eum uoraret. Habitus est enim quoad uixit pro pōtifice, annos 7. mēses nouē, dies 10. ut Onuphrius annotat. Eo autē in ambitiosa contētione defuncto, Victor quartus subrogatur. Innocentius uulpeculæ caudam sumēs, corruptis fautoribus Victoris magna pecunia, tandem adigit miserum Victorē, qui Victus potius dici merebatur, ut Innocentio sese dedat, imperiumq; Ecclesiasticopoliticum ipsi uni relinquat. Sigeberti Continuator, Platina, Onuphrius, Stella, Bonfinius lib. 6. Decad. 2. In hoc schismate componendo Bernhardum septennium laborasse, scribit Fasciculus temporum. Meminit eius & Vincentius lib. 21. cap. 6.

SCHISMA INTER TYRIVM archiepiscopum, & patriarchas Hierosolymitanum & Antiochenum,

DE EMINENTIA ET BONIS.

Vtriq; patriarchæ, tam Antiochenus quàm Hierosolymitanus, ecclesias Tyrensi archiepiscopo cōpetentes uellicabant, sibiq; eas uēdicabant. Hierosolymitanus autē in primis eo iuris prætextu utebatur, quòd rex Balduinus ex decreto pōtificis Romani recepisset, quascunq; ciuitates occupasset, eas se ecclesiæ & ditioni Hierosolymitanę consecraturū. Meritò igitur causam istorum dissidiorum & rapinarum in ipsum Romanum pontificē reijcit Tyrius.

Sed Innocētius tandē Tyrēsem archiepiscopatū suæ dignitati restituēs, è manibus utriusq; patriarchæ, literis magnificè cristatis ꝑ autoritate, iterū extorquet ecclesias, & Tyrēsi subijcit. Tyrius l. 14. cap. 12. 13. 14.

SCHISMA DE CONIVGIO SAcerdotum in Hybernia.

Ad hancusque ætatem sacerdotes in Hybernia in coniugio piè & sanctè uixerunt.

xerunt. Verùm Malachias à Romano Antichristo fascinatus, contra Pauli doctrinam, qui prohibitionem cõiugij appellat doctrinam dæmoniorum, 1. Timoth. 4. non sine magnis certaminibus & summa uiolentia, sacerdotum coniugium abolebat. Mulieres etiam sanctæ contra hanc tyrannidem archiepiscopi insurgentes, eum uocabant hypocritam, uti erat, & alienæ rei inuasorem. Nam sicut erat Malachias Antichristi Romani mancipium, episcoporum coniugiũ uocaratius prauum, morem pessimum, execrãdam successionem, morte puniendã iniuriam, generationem malam & adulteram, Ecclesiasticæ disciplinæ dissolutionẽ, censuræ eneruationem, religionis euacuationem, sæuam barbariem, & paganismũ inductum sub nomine Christiano. Hæc acciderunt anno 1132. Paulo pòst autem ciuitas conflagrauit. Balæus Cent. 14. in uita Malachiæ.

SCHISMA IN GALLIIS *inter episcopos,*

DE ROMANIS PAPIS.

DIstrahebatur in factiones Burdegalensis ecclesia propter antipapas Romanos, anno Domini 1135. Gerardus enim Engolismensis episcopus, principem Aquitaniæ in suas pertraxerat partes. Significat igitur Petro Leoni papæ, ut sibi legatum mitteret, cui ipse & alij obediẽtiam solẽni ritu præstarent, ac principem terræ sibi obstringeret. Papa confestim Gilonem Thusculanum cardinalem episcopum amãdat, qui cuncta perficit. Hi itaq; duo socij confœderati Guillerum episcopum Pictauiensem, cum Innocentio sentientem, gradu suo deijciunt, aliumq; pro arbitrio substituunt. Lemouicensi ecclesiæ similiter Ranulphum obtrudunt, qui lapsus ex equo ceruicem frangit. Carnotensis episcopus, hisce cognitis, Bernhardum accersit, qui Innocẽtij dignitatem tutaretur. Ille quidem principem Aquitaniæ primùm in suam retrahit sententiam, deinde episcopos à legato Leonis inthronisatos, iterum profligat: & notat quidem Vincentius, plerosque breui extinctos. Gerardum mortuum, atque à suis humatum, Gaufridus Carnotensis episcopus è sepulchro extraxit, atq; aliò proiecit. O' mansuetudinem erga mortuos. Sed hæc obumbrat solus pro papa zelus. Vincentius lib. 27. cap. 13. 14.

Germaniæ quoq; episcopos fauisse Innocentio, Petrumq; excommunicasse, Vincẽtius & Sigeberti Cõtinuator testes sunt.

SCHISMA MONASTICVM,

DE ABBATE.

MOrtuo Senioreto Casinẽsi abbate, fratres usitato more electuri abbatẽ, à Cazolino Capuano uicario prohibentur, ac iubentur expectare regis definitionem. Sed paucis diebus peractis, rem aggrediũtur, inq; partes diuersas scinduntur. Alij enim Reinaldum Calamentanum, alij uerò Reinaldum Hetruriensem suis calculis deligunt. Cùm eam disceptationem ad arbitrum Romanum pontificem nonnulli reijciendam arbitrarentur, alter Reinaldus Calamentanus in sedem Benedicti positus, solenni ritu consecratur. Qui ista indignè ferebant, ad Imperatorem missis Bertulpho & Adenulpho querelas deferunt. Sed Reinaldus ille Gazolini animum sibi iungit. Postea & Heinricus dux, gener Imperatoris, accepto aureo calice & quadringentis libris, abbatem ex Imperatoris parte confirmat. Deinde & Imperator partes istius abbatis suscipit. Papa autem Innocentius, ut suum erga magistratum politicum odiũ pro sua natura ostẽderet, quanta potest morositate sese opponit, tantùm ut suam tyrãnidem stabiliret. Hinc igitur schisma pestilens exurgit.

Imperator cedens superbo episcopo Romano, uix sua humilitate impetrat, ut causa disputatione uentiletur, duoq; constituantur, alter qui papæ, alter qui monachorũ partes tueretur. Adscribemus autem integrum illum conflictum, ex quo Romanorum ambitionem liceat cognoscere & æstimare.

In nomine Domini & saluatoris nostri IESV Christi, anno ab incarnatione eius 1138, indictione prima, septimo idus Iulij, anno Imperij domini Lotharij Cęsaris septimo, residente eodem inuictissimo principe ad Aquas pensiles, consedente etiam Peregrino patriarcha Aquilegiense cum archiepiscopis, abbatibus quàm pluribus, causidicus pro Romana ecclesia directus est Girardus cardinalis titulo sanctæ Crucis, & Guido cardinalis, qui ambo postea Romani fuère pontifices: Aimericus cancellarius & diaconus cardinalis presbyter, Balduinus cardinalis, qui pòst Pisanus archiepiscopus fuit, & Robertus Clareuallensis abbas, & alij plurimi Romanæ urbis nobiles. Ex parte Casinensis ecclesiæ auditores fuère Heinricus dux, Imperatoris gener: Cõradus dux, qui pòst Imperij sceptra tenuit: Otto Imperatoris cõsobrinus, Fridericus marchio Anconitanus, Malaspina marchio Liguriæ, Heinricus episcopus Ratisponẽsis, Hanno episcopus Basiliensis, Hanno abbas Luneburgẽsis: Gulfridus palatinus Romani Imperij iudex. Facto itaque silentio, Imperator dixit: Non modò præsentiũ & tẽporaliũ, uerùm futurarũ æternarũq; rerum in hoc conuentu discussio erit.

Cóstat enim, sanctos patres, dum unius rei gratia cócilia sæpe celebrarét, plurima uni us occasione definijsse. Ita & hic Romanæ quidé & Casinésis ecclesiæ causa cũ specia liter agi uideatur, uariæ tamé, agente Deo, soluentur quæstiones, fietq; unius ecclesiæ causa salus omniũ per orbé cóstitutarũ. Nos quoq; uestigia prædecessorũ nostrorum se quétes, dignũ duximus huic interesse cócilio, & eorũ quæ dicétur librare monuméta. Defensores utriusq; disceptátiũ partis magnificos à nostro latere dedimus uiros, qui uiolétiá omné prohibeát. Igitur in Domini nomine sedeát, quibus Romanæ nõ displicent leges, taciteq; rerũ exitũ expectét, ne dũ omnes cófusè uel dicũt, uel obstrepũt, ueritas obnubiletur. Hæc & alia plura dũ præfatus esset Augustus, Córadus dux ab Impatore defensor datus, inquit: Copia Imperialiũ uerborũ me fecit fandi inopé, cum tá profundè, tá plenè, tantaq; ratione Imperialis sit præfata maiestas, ut nõ humano ore, sed diuino ꝓdisse uideátur. Ducibus tamé atq; comitibus, mecũ defensoribus datis, uisum est primo apparatu hodiernæ sessionis proferri, quæ sint pro utraq; parte disceptaturæ ꝑsonæ, uel si cui permittitur disceptandi licentia, nisi his tantùm quibus fuerit concessa. Omnis enim, maximeq; diuina cóuentus causa, ordinatè fieri ac rationabiliter debet: quippe cũ nil perfectè definiri posit, ubi confunditur ordo loquédi. Placuit omnibus sentétia ducis, & quis pro utraq; parte responderet, inquiritur, quináue interpretes, & quis esset disputantibus locus. Eligitur Gerardus cardinalis sanctæ Crucis, qui pro Romana: & Petrus Diaconus, qui ꝓ Casinési respóderet ecclesia. Interpretes dati sunt Bertulfus Imperatoris cancellarius, Anfredus uestiarius, & Bertulfus mansionarius. Traditur autem Girardo locus ante Imperatoris faciem. Ad pedes uerò eius constituitur Petrus Diaconus. Renuit Girardus monachum ad suos sedere pedes, dicens, nequaquam oportere siue licere excommunicatum cum filio sedere Ecclesiæ. At Imperator finem litigio imponens, Petrum Diaconum extũc & deinceps sedere ad pedes suos iussit. Tũ taliter Girardus cardinalis loqui orsũs est: Sancta & uniuersalis Ecclesia, inuictissime Imperator, quæ & nos & prædecessores nostros orbis totius dominatores effecit, mirari nõ desinit, cur excómunicatos, & à liminibus Ecclesiæ separatos, receperitis. Ad hæc Imperator: Imperij quidé nostri nos ab Apostolica sede gaudemus accepisse coroná, excómunicatos nullo pacto suscepisse putamus: hoc tamé ex cóflictu uestro constabit. Pádulfus Theanésis episcopus, & Casinésis monachus, dixit: Quomodo Romanę ecclesię cardinalis Casinéses monachos excommunicatos asserat, uidere nõ possumus. Girardus cardinalis dixit: Quid mihi & tibi bone uir? Alienus nobis es. O' mirũ, ô nouũ inauditũq; prodigiũ, ut truncus ramis præcisis, & à radicibus euulsus, nouas cótra Ecclesiá erigat machinas. Adhæc Imperator: Cesset, inquit, omnis uiolétia: hic enim nõ inferendæ uel referédæ iniuriæ, sed ferédæ potius æquanimiter sunt. Quocirca statuimus, ut neutra pars utatur in alterá contumelijs, ne quod ad laudé Domini & posterorũ utilitaté statuatur, in litigiũ rixáq; uertatur. Tunc Girardus resumpto sermone, sic ait: Decreuit sancta & uniuersalis Ecclesia, ut Casinensis cœnobij monachi uolũtaté domini nostri Innocétij, pij & uniuersalis papę, se in omnibus impleturos sacraméto cófirmét. Iam enim Innocentius ipse hos Casinenses monachos dispergere per diuersa loca statuerat, nisi Lotharius clemétissimus Imperator, nolés Casinésem ecclesiá destrui, pro ipsa ecclesia cótra papę uoluntaté se obiecisset. Cũ itaq; Girardus cardinalis de sacraméto monachorum sermoné fecisset, Petrus Diaconus respondit: Non parum miramur, cur dominus cardinalis monachos sacramento uelit astringi, cum Dominus in Euangelio iusiurandum omnino interdixerit. Girardus cardinalis dixit: Quod monachus ait, probamus: sed Romana ecclesia Casinenses monachos sine sacramento recipiendos non esse decernit. Petrus Diaconus ait: In regula sanctissimi patris nostri Benedicti iurare omnino interdicitur monachis. Quod nõ modò diuinæ, uerùm humanæ quoq; ꝓhibét leges. Quippe inter Imperatorũ pręcepta, Caroli, Ludouici, Hugonis, Lotharij, Berengarij, Alberti, trium Otthonum, quinq; Heinricorũ, & Conradi, sic inuenitur: Statuimus, ut monachi ad sacramentũ non compellátur. Et hæc dicens, præcepta ipsorum Imperatorum, Casinensi collata monasterio, auro, plumbo, ceraque signata, Imperatori cæterisque monstrauit. Ea Imperator præcepta excipiens, deosculatus est, moxque in hæc uerba prorupit: Magnorum sanctorumque principum hæc esse præcepta, ex sigillis agnouimus. Conuenit maiestati nostræ, cuncta prædecessorum nostrorum seruare præcepta. Quare dominum Apostolicũ uos, qui hic illius adestis uice, ex nobis orate, ut sanctissimorũ Imperatorũ præcepta nobiscũ ꝓtegere, suaq; autoritate cófirmare dignetur. Quis enim iá Imperatorem obseruaret, si ab Apostolico cótenatur? Omnia membra sequuntur caput, neq; ab eo, nisi magno suo detriméto, separari queũt.

Certet itaq; pro membris caput, pro natis pater, pro ouibus pastor: quia nullo modo lupi rabies præualet, ubi cura sollicita pastoris inuigilat. Sit igitur hodierno consessui finis, & hospitia sua singuli repetant. Cardinales uota nostra pontifici referant, Casinenseque cœnobium ut mecum foueat, nostra uice precentur. Monachi electo suo quæ dicta sunt referant, & crastina die quid respondere obiectis debeant, parent. Tertia diei hora hîc adesse singuli curent, hodiernusque tractatus, adhibitis notarijs, literis mandetur, ne obliuioni tradantur, quæ posteris quoq; profutura præuidimus. His dictis, in sua quiq; discessêre. Imperator ad ea quæ sibi imminebant, negotia tractanda resedit.

Postera die utræque conueniunt disceptantium partes. At ubi ingreßis data copia est fandi, Girardus cardinalis dixit: Mādata pietatis uestræ, sanctißime Imperator, retulimus summæ sedis antistiti. Sed hæc nullo modo implere se posse respondit, asserens, facilius se pontificalia uestimēta deponere, ac pedibus subiecta calcare, quàm quæ abs te rogantur efficere. Ad hæc Imperator paulisper obticuit. Dehinc reliquas disputationes hesternas cōcludere iußit. Girardus dixit: Memini nos die hesterno de sacramento Casinensiū monachorū tractauisse, nihilq; inde fuisse definitū. De eadē igitur denuò tractaturi, denuò proponere debemus ex parte domini nostri, quæ heri quoq; proposuimus: fidē scilicet Apostolico à Casinensibus sacramento promittendā, perpetuamq; obedientiā: alioquin nunquā illos patietur Domini corporis ac sanguinis participes fieri. Ad hæc Petrus: Constat, inquit, dominū cardinalē hesterni tractatus renouasse conflictum, nostrosq; terminos ad rediuiua reparasse certamina. Nobis contrà satis superq; uidetur huic sententiæ Dominicis obiuisse præceptis, quibus omnino iurare prohibemur: fidem autē à nobis sacramento exigi, profectò ociosum est, cum hanc sponte simus exhibere consueti. Girardus inquit: Nō est ueritus monachus corā inuictißimo principe mendosa proferre, dicens, Casinenses monachos Romanæ ecclesiæ semper seruasse fidē: cū constet omnibus, eos hactenus schismaticos esse, abbatēq; à schismatico ordinatum pręfecisse. Petrus: Prudentis, inquit, uiri est, non antè quēpiam falsitatis arguere, quàm ipsum omnibus mendaciū in conspectū dederit: & cum nihil contrà poßit opponi à conscientia sua, qui mentitus est, ipse accusetur. Iniquè igitur & obliquè me petit dominus cardinalis, qui tacito mendacio me falsitatis insimulat. proponatur causa, aperiantur mendacia: tunc me fallacē asserat, tunc mendacij arguat. Girardus: Facilè id quidem probare est. Nam cū relicto Innocētio, schismatico adestis, quid nisi infideles fuistis? Petrus: Deum oro, inquit, illū nos, an potius nos ille dimisit. Girardus: Ecclesia, inquit, à schismaticis capta, pijßimus de sua sede est pulsus episcopus: sicq; Italia relicta, properauit ad Gallias. Petrus: Nónne pastor bonus Christus IESVS, cū diuersitatem, imò unitatē in se unitā ostenderet: Bonus pastor, inquit, animā suam dat pro ouibus suis? Girardus: Hęc, inquit, non solùm uerbis, uerùm & factis ostēdit. Petrus: Rursus ipse Dominus, cū descripsisset optimi facta pastoris, mercenarij quoque mores adiunxit, dicens: Mercenarius, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, & dimittit oues, & fugit. Agnoscis profectò Euangelij uerba. Girardus: Ita sanè. Petrus: Hócne Romanum agere pontificem decet? Girardus: Tanto, inquit, magis ab Apostolicæ sedis sunt obseruanda pontifice, quanto peculiarius suscepit alijs prædicanda. Petrus: Quid igitur? ouibus 'ne imputabitur, siquid pastor amisit? Girardus: Minimè, inquit. Petrus: Ergo monachis imputandū non est, si pastore destituti, morsibus lupi patuerunt. Debuit enim Apostolicus (ut ait Dominus) oues suas non modò nō dimittere, uerùm pro eis quoq; mortem libenter amplecti. Ad hæc Imperator: Patet, inquit, ex assertione, monachi siquid peccauerunt, pastoris culpa contigisse, non ouium. Vnde rogāda adhuc est domini Apostolici pietas, ut nobiscum, quæ contra nos gessêre, dimittat. Quare hodiernę quęstioni finem placet imponi. Occupati enim reipublicæ curis, diutius his interesse non possumus. Quisq; igitur reuertatur ad propria. Cras idem certamen rursum ineundem est. Hoc dicto, cum omnium fauore discessum est.

Altera die, cum pijßimus Imperator, memoratiq; proceres, audituri quæ residua erant, consedissent, hac uoce incipit: Cùm exercitui, tum omnibus qui intra Romanū orbem sunt, notißimum credimus, quanta in reuerentia & obseruatione Casinensem ecclesiā, ut suā scilicet peculiarē cameram, maiores nostri habuerūt, & super omnia monasteria Imperij Romani dilexerūt, honoribusq; & priuilegijs eximijs exaltauerūt. Deceret itaq; dominū quoq; Apostolicū mecū eandē fouere ecclesiam: quod auxiliante Domino in posterū fiet. Non est autem ista quæ agitatur controuersia, dicenda lis, cū cōstet, mēbra secū litigare nō posse, neq; caput dicere manui, Necessariam te non habeo: neque oculus pedi. uiliora sæ-

pe nostra utiliora sunt. Nullus igitur nos indecẽs aliqd existimet facere, quòd Casinẽse monasteriũ quasi tueri uidemur. Nã neq; cũ uel mater filiã, uel cõiugẽ uir, aut filiũ pater ira stimulãte ceciderit, si qs se inter sęuiẽtẽ patrẽ & pauentẽ filiũ obijciat mediũ, natumq; ab immoderata cæde patris eripiat, cum mãsueuerit pater, homini illi indignabitur: sed cõtrà maximas habebit gratias, quòd filium è suis subtraxerit manibus. ita & uniuersalis mater Ecclesia, cũ posita ira requieuerit, gratias aget Imperio nostro, quòd filiã ipsius iræ subduximus. Agantur ergo quæ agenda restant: quia nunquã desistã, quin cõpleam desiderium meũ. His dictis, Girardus cardinalis dixit: Vestræ magnitudinis uerba, sacratissime Imperator & semper Auguste, precesq; domino Innocẽtio papę retulimus: sed nullo pacto, sine sacramẽto Casinenses ut recipiat, induci potest. Petrus Diaconus dixit: Satis nos fecisse his, & ex præcepto Domini, & ex Imperialibus edictis, existimamus. Alia si quę habes, edicito. Girardus: Ignoras, inuictissime Imperator, hos quos uestra magnitudo defendit, cũ Rogerio Siculorũ comite contra Romanam ecclesiam uestrumq; cõiurasse Imperium: neque non solùm coniurasse, uerùm anathematizasse & damnasse? O rem inauditam, ut ligati & ligent solutos, & soluant ligatos. Ad hæc Cæsar indicto silentio dixit: Quod in me Casinenses admisère, libens tolero, grateque remitto. Exemplo itaque nostro, quod in Romanũ pontificem commiserunt, & ipse dimittat. Girardus: Etsi domini nostri Innocentij pij uniuersalis papę agimus uices, huiusmodi tamen sine illo definire non possumus. His dictis, fauente Imperatore discessum est. Nocte insecuta, cum Imperator duraret peruigil, Petrus Diaconus genu flexo ante illum ita pro Casinensi orabat ecclesia: Cũ omnes mortales uobis militent, ut domino rerum atq; principi: uos tamen ipsi Imperatori cœlesti, paci, pietati atq; iusticię autori, humiliamini. Aliter enim utriusq; uitę salus tuta esse non poterit, nisi talibus ministratoribus gubernetur. Itaque Imperator inuicte, cum maiestatem uestram cunctas per orbem tueri Ecclesias deceat: Casinensi tamen ecclesiæ ideo magis te exhibere conuenit, quia magis opus habet, cũ nobis & loqui licitum non sit, & indulta ab Imperatoribus priuilegia pro nihilo habeantur. Nam Romano pontifici obtemperandum & ipse censeo: sed Deum illi quoque præferendum, libera uoce profiteor. Neq; enim illi irrogatur iniuria, si sibi pręferatur Deus. Totus in Casinensis ecclesię deiectione monasticus ordo uacillat. Te ergo Imperatore, monachis sua iura tollentur? Te Imperatore, à monachis sacramentũ extorquebitur? Te tuamq; clementiam deprecamur, Imperator inuicte, ne hoc decernas, ne statuas, ne huiusce decreto subscribas. Indignum profectò est, ut te agẽte abrogetur Casinensis ecclesiæ dignitas, ut cardinalibus proueniat malæ uoluntatis affectus. Nihil maius est religione, nihil sanctius ordine monastico, nihilq; sublimius patre Benedicto. Quid respondebit Carolomãnus pius Impator Augustus? Nónne tibi dicet: Imperiũ me dimisisse, non credidi, quia Lothariũ iustũ & sanctum Imperatorem habebã: Imperiũ me deposuisse non dolui, quia Imperia mea præsertim de religione monastica inconuulsa perpetuò manere credebam. Titulos ego pietatis, iusticiæ atque mansuetudinis in Casino erexeram, has de mundi pressuris manubias referebam. Quid mihi plus potuit meus hostis auferre? modò inquam, modò abrogantur decreta mea. Nunc grauius telum excipio corpore, cum à Romano pontifice mea decreta damnantur. Nunc mihi abrogatur Imperium, & quod est grauius, à pontificibus Romanis, & hoc præsente fratre meo Imperatore Lothario. Cui enim magis quàm sibi præstat Imperator, si instituta maiorũ, si Casinensis cœnobij iura conseruat? Nulli ergo graue uideatur, si defendimus religionis monasticæ statũ. Certè à beato Benedicto ad Innocẽtiũ papã, CXIII Romani pontifices numerãtur: ij omnes Casinẽse cœnobiũ dilexerũt, coluerũt, auxerũt, nullus religionẽ uiolauit. Iã uerò si qd meretur uenerãda canities, beatum Benedictũ introducamus loquẽtẽ: Optime Imperator, pater patriæ, Cæsar Auguste, reuerere canos meos, in quos ætas me lõga puexit. Vtãtur licitè filij mei legib. suis, à me sibi salubriter traditis. Decet enim ut uiuãt meo more. Per hos occiduũ orbẽ in mea redegi iura, per hos Anglia multæq; nationes ad Christũ conuersę sunt. Mea est horum salus, tutela, iuuamẽ. Cum hæc & his similia Petrus orasset, ad Bertulfi cancellarij tentorium, Imperatore iubente, regressus est.

Cum igitur euocati cardinales ad Imperatorem egressi essent, Girardus ait: Quæ heri uestra sublimitas iussit, domino nostro retulimus: benignè uestra postulata suscepit. Causam tamẽ pmolestã sibi à uobis iniũgi cõquestus est. Ius enim episcopale, quod sui habuerũt maiores, nullo se pacto, nulla ratione posse dimitterẽ. Lotharius ad hęc: Nos, inquit, Casinensem ecclesiã eo magis honorare decet, quo maiorib. nostris in honore ac reuerentia habitã scimus, atq; ditatam. Nã sciat dominus Apostolicus, castra, prædia,

prædia, uillas, omneq; monasterij possessionem iuris nostri esse. Episcopale autem ius suum in nullo uiolamus. Bertulfus Cancellarius dixit: Nil iuris sui Apostolicus in Casinense debet habere cœnobium, quod Romani Imperij specialis camera esse decernitur, nisi abbatis consecrationem, quá, Heinrico Imperatore concedēte, habuisse dinoscitur. Girardus: Placeat ergo consiliū meū uestro Imperio, Cæsar inuicte, ut uobis quidē secularium, Apostolico uerò spiritualiū rerū fidē sacramento confirment. Lotharius: Nostro ualde inhonestum uidetur Imperio, maiorū nostrorū non seruare mādata, eorūq; sanctissimis nō obedire præceptis. Nam si nos illa negligimus atq; nolumus, quis ea seruabit? Quo pacto alios hæc seruare cōpellimus, si nos ea conuellimus? Lex itaq; Imperatorū nō plus alijs, quàm Imperatorib. ipsis cōstituitur. Imò illos hác magis seruare conuenit, ne à seipsis desciuisse uideantur. Girardus cardinalis dixit: Non parum quoq; dominus papa miratur, cum te Ecclesia in Cæsarem totiusq; orbis dominatorem consecrauerit, cur contra eá niti pro Casinensi ecclesia uidearis, quam non ad te, ut asseris, sed ad se, ut cæteras ecclesias, pertinere testatur. Tum Imperator iratus: Immò (inquit) nos ualde miramur, cur nostris precibus annuere nolit, cū nos ipsius gratia annum iam ac dimidium in Papilionibus commorati cum Romano exercitu, pecunias in usus publicos deputatas, in ipsius obsequiū cōuerterimus, omnesq; ultramontanos populos illi obtēperare fecerimus. Quid ergo mirū, si Casinensem tuemur ecclesiá, cū cōstet, id à maioribus nostris gloriosè actū? & illi quidem eá tanti fecerunt, ut ibi magis quàm domi sepeliri delegerint. Quid de sanctissimo, & omni honore nominādo Augusto Carolo dicā, qui relictis Imperij sceptris, monasticá ibi trāsegit uitá? Quid de ipsius Caroli fratre Pipino loquar, q defunctū apud se monachum fratrē Casinum, ibi tumulandū, cū honore remisit? Rachis quoq; Longobardorū rex, relicto regno, ad ipsum uenerabile monasteriū uenit, monasticamq; ibi exercuit uitam. Quid de Imperatoribus, Iustiniano, Iustino, Theodorico, Pipino, Carolo, Pipino, Carolo Magno, binis Ludouicis, Hugone, duobus Lotharijs, Alberto, tribus Otthonibus, quinq; Heinricis? Quid de Cōstātinopolitano Michaele & Alexio referam? qui omnes Casinēsem ecclesiam & summo affectu dilexerunt, & magnis illustrauêre muneribus. Adeò Casinensis ecclesia Imperatorib. extitit grata, ut ad eius liberationē Romani Imperatores cū omni exercitu uenerint. Heinricus enim pius, inuictissimus Christianissimusq; Imperator, ad eá tuendá cū centū octoginta millib. militū Italiá ingressus est, eáq; à Capuani principis ditione sublatá, pristinę restituit dignitati. Cōradus item Imperator Augustus, & Heinricus ipsius filius, cū centū sexaginta milib. pugnatorū eá defensurus ecclesiá uenit, cū Pandulfi nequissimi, nō dicá principis, sed tyranni iugo premeretur. Omittimus noua & nostra gesta memoria. Antiquiora repetamus, lociq; sitū, cuius propriè fuerit, uideamus. Varro nēpe (ut legimus) Romanorū nobilissimus ac doctissimus, hác sibi sedē elegisse, extruxisse, multisq; illustrē monumētis reddidisse, cognoscitur. Ipsum Casinatē fundū (ut M. Tullius in Philippicis refert) Cæsar Antonio tradidit. At fortassis obijcitur, Benedictū patrē, Rom. ecclesię alumnū, illud instruxisse cœnobiū. Quis id nesciat? Sed Romanorū nobiliū suffultus auxilio, id eum fecisse cognoscimus. Beatissimo naq; papa Gregorio referēte didicimus, beatū Benedictū unà cū Mauro senatoris equitij, Placidoq; Tertulli patricij filio, ad monasteriū Casinēse cōstruendum diuinitùs fuisse directū. Alibi quoq; expressimus, Casinū cū finib. suis à Tertullo patricio iure suo hęreditario ꝑcisum, patriq; Benedicto traditū legimus. Quid plura? aut Romana ecclesia Romani Imperij camerá Casinēse cœnobiū decēter accipiat, aut ab ea Romanū Imperiū irreuocabiliter separabitur. Girar. cardinalis ait: Nequaquá, inuictissime Cæsar, uestra indignetur māsuetudo, nec sup domini Apostolici indignetur mādatis, neq; domini Innocētij pij & uniuersalis papę mādata uideātur iniusta. Verùm si qd in his displicet, ad eum referatur. His dictis, quarti diei est solutus cōuentus.

Mane facto, cū utræq; partes ante Imperatoris præsentiá cōstitissent, Girardus, qui uicē Romanę gerebat ecclesię, dixit: Nouerit uestra celsitudo, Cæsar inuicte, hæc dominū Apostolicū uestris ita annuisse mandatis, ut uestri causa, fidelitate omissa, sacramentū solummodo obedientiamq; requirat. Interim quoq; de electione abbatis nobis iniunxit disputandum, qua ratione excommunicatum, & quod est grauius, schismaticum Ecclesiæ Christi prætulerint. Tūc Petrus Diaconus initium disceptandi faciens, dixit: Quid de nostri abbatis electione dominus cardinalis dicere uelit, audiamus. Ger. Sancta & uniuersalis Ecclesia ualde miratur, cur excōmunicati, & ab Ecclesia separati, schismaticum hominem uobis & præferre, & abbatem appellare præsumpsistis. Pet. Cum uarias (ut doctus) quæstiones nobis effuderis, ex earum copia, respondēdi nobis inopiá gignis. Vnde

si sancto Imperio cæterisq; proceribus placet, proponatur ex his aliqua quæstio : qua uentilata, tunc subtexentur & reliquæ. Girard. Quod monachus proposuit, fecimus. Nã de abbatis electione proposuimus. Pet. Si de abbatis electione proponitis, quid ad hæc dicere uelitis, audiamus. Ger. Prima obiectio est, quòd abbatem absq; Romani pontificis cõsensu elegeritis. Pet. Meminimus approbanda quæ uolumus, uel testimonijs ueterum, uel exemplis. Quare si quod exemplum proferre uultis, proferatis in assertionem propositionis uestræ. Girard. Abundamus quidem exemplis : uerùm sufficient pauca de pluribus. Occurrit primo loco Fridericus Casinensis primùm abbas, abhinc Stephanus electus papa. Ergo prius quàm res gesta referatur, dicat monachus, quis Fridericum electo Petro substituerit, quis item Petrum ipsum deposuerit? Quis Desyderium, Oderisium, Gerardum, quis postremò elegerit Senioretum? Et cum negare nequiuerit, ab Apostolicis & illum deiectum, & istos fuisse electos: Apostolici profectò iuris esse abbatis electionem, nemo dubitabit. Petrus: Ad id quod primò apposuistis, hoc breuiter dixerim, quòd licet Petri depositioni, & ordinationi Friderici, Romani interfuerunt cardinales: non ab ipsis tamen, sed à monachis & ille depositus, & iste fuerit electus. Oderisius item primus, qui ab Apostolico (ut asseritis) est ordinatus, nequaquam obijciendus nobis est, cum profectò licuerit renouatori monasterij, non iure Apostolici, sed innouationis gratia, quia monasterium à fundamentis erexerat, iure suo ordinare monasterium. Neque tamen à Victore papa, sed à monachis electus est Oderisius: neque illis à pontifice potestas ablata est, sed attributum adiutorium. Quid autem mirum, si renouator monasterij abbatẽ de consensu fratrum sibi substituit? Gerardus quoque abbas, quamuis annuente Paschali, à monachis tamen electus. Senioretum, quem extremum posuistis, quo ordine ab Honorio electum fuisse dicatis, ignoro, cũ præsens fuerim, neq; ibi pontificem, neque illius nuncium uiderim. Sed ut de ueteribus Casinensis cœnobij abbatibus loquar, dic oro, quis beatissimum patrem Benedictum in Casinensi cœnobio elegerit? Ad hæc cardinalis obticuit. Iterũ Petrus: Constat (inquit) sanctissimum patrem ab eo esse in Casino electum, qui regem dominũq; Pharaonis constituit Moysem. Vnde dicendum nobis est, Casinense cœnobium neq; ab homine, neq; per hominem cœpisse: sed initium sui ab omnipotenti Deo habuisse, qui principium finisque est. Gerar. Nouum loquendi genus inuenit monachus, ut dicat, Casinensem ecclesiam non per hominem cœpisse. Lotharius ad hæc: Si quid, inquit, boni uel mali, me iubente, meus fecerit famulus, mihi profectò imputabitur. Quòd si ita est, liquet utiq;, quod beatus Benedictus à Deo iussus egit, non sibi esse, sed Deo imputandum. Constat ergo monachum uera prosecutum, & nequicquam fuisse reprehensum. Sed qualiter, quóue ordine beatus Benedictus Casinum aduenerit, adolescens ante nostrum consistoriũ positus, pandat. Tunc Petrus, Imperatore cæterisq; audientibus, relegit ita: Diuina admonitus reuelatione beatus Benedictus, & loco cessit, & Casinum adijt castrũ. Quò dum pergeret, duobus angelis se & tribus coruis comitantibus, per quinquaginta passuum milia Casinum aduenit, & in templo quondam Apollinis, oraculum beati Martini: ubi uerò ara Apollinis fuit, ecclesiam sancti construxit Iohannis, & circumquaque manentes populos ad fidem Christi conuertit. Lotharius: De his iam nobis satisfactum est. Nunc ad abbatis electionẽ uestra recurrat oratio, ut manifesta per uos nobis eluceat ueritas. Petrus: Nostri temporis abbatum electionem ab Apostolico factam non esse, docuimus. Restat ueterũ abbatum modò explorare rationem. Legimus in uita beati Mauri, sancti patris Benedicti discipuli, quòd Casinensis congregatio, adhuc uiuente patre Benedicto, sanctum Maurũ abbatem sibi constituere post illius obitum optauerat: fecissetq; satis, nisi illum Deus in Gallias ire uoluisset. Dic oro, quis, defuncto patre Benedicto, elegit Constantinum, Simplicium, Bonitũ, & reliquos usq; ad Nicolaum? Hos profectò dicere non poteris ab alio, quàm à monachis fuisse ordinatos. Girard. Non parùm miramur, quòd monachus attrita fronte ausus sit de Casinẽsium electione talia prosequi, cum sanctissimus & luculentissimus monasticæ conscriptor regulæ, pater Benedictus id iubeat, si in abbate eligendo cõgregatio errauerit, episcopus, ad cuius diœcesin pertinet locus, id fieri minimè permittat: nec modò episcopo, uerùm & fidelib. uicinis hanc facultatem tribuat. Quid plura de abbatis ordinatione, cum sanctus Benedictus presbyterum quoque, qui est in monasterio, nullo modo proijci sine episcopi consensu & uoluntate uelit? Petrus: Assentior, sanctissimum patrem Benedictũ episcopo, contra malam electionem compescendam, facultatem præstitisse. Verùm qui unanimiter eligant, quid ad eos mandatum huiusmodi pertinet? Gerard. Consecratio abbatis Casinensis cui competit?

Petrus:

Petrus:Romano pontifici.Girard.Si illi cõsecratio competit, electio quoq; simili ratione conueniet.Iniuriá ergo Romanæ sedi fecistis,quando absque eius conscientia abbatem elegistis.Petrus:Electionem factá non negamus,quia nec debemus:Romanę uerò sedis iniuriá omnino denegamus.Gerard.Hoc interim negare nõ uales, Senioretum abbaté iussu Honorij electũ fuisse. Petrus:Ego,ego electioni affui:sed nullum penitùs neq; episcopũ, neq; cardinalem uidi. Girard. Perge quò uis, argumentare ut libet:quia subdiaconũ nullo pacto abbaté eligere potuistis,& hoc absq; papæ cõsensu.Nam Eugenius papa ita in decretis suis scripsit: Abbates per monasteria tales eligantur, qui leuitico uel sacerdotali honore sunt præditi.Pet.Miraris,si sæpe Romanorũ pontificum iura mutantur,cum Deus ipse sæpenumerò quæ permittit mutet? Centum & uiginti annos ad agendam pœnitentiá his qui ante diluuiũ fuerant, spondet.Quia tamẽ illorũ malitia augebatur indies,uiginti subductis annis,diluuiũ induxit mũdo. Iudæ quoq; patriarchæ & Salomoni regi, nónne regnũ ꝓmisit æternum? Niniuitas quoq; perdendos per Ioná prædixit,eamq́; mox remouit sentẽtiam, quia pœnitentiam egerunt. Gerard. Quod pro parte uestra intulisti,domino papæ nil obest. Patet enim, patrem Benedictum uitia cõgregationis ab episcopo emendanda dixisse.Petrus: Canonica decernit autoritas, ut uel humili cuiuscũq; ecclesię clero liceat liberũ de eo,qui sibi præferendus est,habere iudicium:& Casinẽsi ergo cœnobio Romani pontifices, Gregorius doctor & alij CXII.idem permisêre iudicium, ac tulêre decretum,ut defuncto abbate,ex sua congregatione abbatem sibi eligant secũdum timorem Domini,& regulam beati Benedicti.Gerard.Qualem ergo eligere debent abbatem,catholicũ, an Ecclesiæ membris abscisum?Petrus:Catholicum.Ger.Subdiaconum, an diaconũ uel presbyterum? Petrus:Diaconum uel presbyterum eligendũ Canonum sanxit authoritas. Ger. Et si leuitico uel sacerdotali nõ fungantur honore qui eligendi sunt,quomodo iuxta præceptũ regulę lecturi sunt lectioné Euangelij, aut Missam canere quomodo possũt?Quomodo possunt aliqué uel ligare,uel soluere? qualiter ad subdiaconi pedes, diaconi uel presbyteri ꝓcident?Qualiter incensum ponent, & presbyteris uel diaconis benedicent?Subdiaconi quippe leuitarum & sacerdotum officijs subiacent. Si subiacent, quomodo præficiuntur? Neq; enim, iuxta B.Syluestri sententiam,subdiaconus super diaconum uel presbyterũ præferri debet. Hinc pater Benedictus abbatẽ in Gallias dirigere cupiens,nõ subdiaconum quemuis, sed Maurũ eò direxit leuitam sanctissimũ. Quomodo ergo electio de subdiacono excõmunicato uel schismatico rata dici poterit?Ad hæc Imperator respondit: Ea q̃ iniustè hactenus egêre Casinẽses monachi, eis per omnia remittenda censuimus: hæc petitionis meæ summa, quam à domino Apostolico rogo, ut eis quæ usque in præsens incautius admiserunt,remittantur.Sit ergo finis hodierni conflictus. Nostra iterũ rogata ad papá referátur,& post diẽ quartum quid iubeat audiemus.Has autem inducias idcirco damus,ut definire melius ac statuere possit. His dictis,quiq; ad sua redière.Petrus uerò Diaconus in curia remásit Imperatoris.Cardinales itaq; ad Apostolicũ redeuntes,quę dicta fuerant ei retulêre,dicentes,quendá diaconũ esse Casinẽsis ecclesiæ,qui solus pro suo monasterio contra Romaná disceptaret ecclesiá.Aderat ex Casinensib.monachis quidá,qui Apostolico cõtra suam ecclesiæq; suæ fauebat salutẽ:hic surgẽs in mediũ,dixit:Diaconus iste, de quo uestrę sanctitati relatũ est,ab ipsa terè infantia monachus fuit,tãtoq́; in monasterio excreuit ingenio, ut plerosq; diuinæ scripturæ libros per se plenè intellexerit. Hũc si quo cõstrinxeris uinculo, alios oẽs ꝓ nihilo cõputabis.His Innocentius auditis,interrogat, quod illi genus patriaq́; sit. Et ille:Pater(inquit) eius Gregorij filius fuit, Romanorũ ducis & cõsulis. Tunc papa, auxiliante Deo,& illum & alios tali prępediuit compede,ut contra monasterium successores mutire nõ auderẽt:uehemẽtiq́; ira concitatus,talia post quartá diẽ referri Imperatori uerba præcepit,dominiũ Casinensis ecclesiæ nõ ad illũ, sed ad se pertinere, sicuti & ecclesiarũ reliquarum.Decreueramus,inquit, uestra interuẽtione infidelitaté remittere monachis:uerùm quia nitũtur contra nos,& hęc & alia ab eis requirenda cõsuluimus. Mãdat deinde pontifex ꝑ Benedictum capellanũ suum Petro Diacono, dicẽs,ut ab Imperatoris famulatu recedẽs, à Casinensium quoq; fratrum societate se separaret: indignũ esse,ut ipse Romano genere exortus,exteros præferat contribulibus,Romaná ecclesiá linquens. Proinde si Casinensib.dimisis, illos impugnare omnib. modis mallet, se illũ inter capellanos suos habiturũ,& quæq; illi necessaria præbiturũ.Ad qué ille tale remisit responsum, gratias agens,quòd se tanti æstimasset, ut obsequio suo dignum iudicaret.Cæterùm non posse se socios in tali articulo constitutos deserere. Post peractum negocium se in seruitio sedis Apostolicæ, & Romani in fide

in fide pontificis, quoad uixerit, si ille uellet, permansurum. Post hoc decreuit papa, per omnia loca Casinensi monasterio subdita literas mittere, ut Casinensi abbati & monachis non obedirent, omniaq; cœnobia quæ sub præpositis erant, sibi abbates eligerent. Sed omnipotens Deus consilium pontificis uoluntatemq; impediuit. Itaq; (ut ad superiora redeam) dum cardinales à facie Imperatoris exissent, quidam Cistellensis monachus eminus adstans, subsannare cœpit Casinenses monachos, quòd filio Petri Leonis adhæsissent, & abbatem sibi absq; cõsilio papæ elegissent, asserens, electionem irritam fuisse. Ad quem Petrus: Electio, inquit, eius iuxta antiquam monasterij consuetudinem facta, liquidò constat. Cistellensis ait: Rainaldus uester abbas nõ fuit, ideoq; facta eius pro nihilo ducẽda sunt. Petrus: Non solùm qui Casinũ habitabãt, uerùm & oẽs circũmanentes eũ ut abbatẽ habuerũt. Cistellensis ait: Electio tamẽ illius ficta & reprobata fuit. Ad hæc Lotharius: De omnibus (inquit) quæ contra nostram cameram Casinẽsem ecclesiam Cistellensis obiecerat, Petrus Diaconus lucidè satis aperteq; respondit. Sed huius altercationis iste sit finis. Singuli ad hospitium redeant, manè rursum ad conflictum redituri.

Die altera, ubi lux est reddita terris, Imperator accersitis magnatib. suis in cõsistorio resedit, & utrasq; disceptantium partes corã se ingredi iussit. Et dũ uenisset Cistellẽsis, huiusmodi disputationis initiũ dedit: Princeps monastici ordinis Benedictus regulã scribẽs, uitæ descripsit modũ. Vos illius præceptorũ immemores, multa adiecistis, nõnulla subduxistis, nec ueremini. Aliter aũt ille iussit agere. Petrus: Quid cõtra regulã agamus, in cõspectu domini nostri inuictissimi Imperatoris edicito. Cistellẽsis ait: Cõtra regulã agitis de cibo, de potu, de indumentis, alijsq; quàm pluribus. Petrus: Falsus testis nõ erit impunitus. Nã Casinenses monachi cũ regula, nõ cõtra regulã agunt: uestimẽta habemus quæ corpus contegant, nuditatis uerecundiã arceant, & frigoris iniuriã repellant. Cistellensis: Cur nigris semp uestimẽtis utimini? Petrus: Quia talibus Benedictus pater usus est, ut habitu quoq; mundo renunciasse uideretur. Hæc & his similia multa cũ dicerent, Lotharius Imperator dixit: Etsi uaria cõtra ecclesiam Casinẽsem protulistis, quia tamẽ ad uestra fulmina apertè satis Petrus Diaconus & Romani Imperij fidelis respondit, omnẽq; mentiũ nostrarũ fugauit ambagẽ, quisq; ad suũ hospitium redeat: manè rursus ad conflictũ remeabitis. Petrus aũt Imperiali causa cum Bertulfo cancellario nostro remaneat, Imperij seruitia peracturus. Hæc ubi Cæsar edixit, ad tentoria sua quiq; recessere. Nocte uerò adueniente, Imperator pro tribunali sedẽs, annales principũ atq; Imperatorũ coram se afferri ac recitari iussit: ubi & solis iubar illuxit. Cęsar matutinum se agens, accitis aulicis, utrasq; partes ingredi iussit: & cum adessent, sic exorsus est: Ea quæ conferenda sunt, præcipimus, ut scripturarũ testimonijs roboretis, ut amotis omnibus dubietatis ambagibus, iusticię ac ueritati tenaciter inhęrere ualeamus. Cistellẽsis respõdit: Iurè cũ adolescente isto ꝓ Casinẽsi ecclesia cõgrediendũ esset, nisi de schismate & hæresi ipse & Casinẽsis ecclesia notata esset. Petrus: Erubescens conticescat lingua phrenetica, quę prius ad latratũ, quàm in æqua uerba prorupit. Ad hæc Imperator anticipãs: Quoniã, inquit, ꝓ Casinensi ecclesia solus congredi aduersus omnes cœpisti, grauiter, nõ furiosè respondere te conuenit. Indecens enim est, ut in Imperiali aula morantes, & protodomestici Imperatoris effecti, inhonestũ quid aut insulsum in sermone, in incessu habitu'ue præferatis. Petrus: Si quid, Imperator inuicte, seruus uester in locutione peccauit, iste me compulit, qui ab ipso disputationis exordio ab iniurijs cœpit, & in iniurijs pseuerat. Cistellensis: Dic, ubi iniurias irrogaui? Petrus: Cum nobis excõmunicationis & schismatis titulum affixisti. Cistellensis: Si placet, edicito quid sit iniuria. Petrus: Iniuria est, quæ uerbis fallentibus irrogatur. Vos aũt falsissimè loqui ante dominũ Imperatorem ueriti non estis, cũ hæresim nobis immisistis. Et cũ plura disputassent, Peregrinus patriarcha respõdit: Iusta & competenti ratione constat, Cistellensem à Petro Diacono fuisse superatum: ideoq; huius controuersiæ iste sit finis.

Die altera Girardus cardinalis ex parte sedis Apostolicæ ueniens, Imperatore pro tribunali residente, ait: Romana ecclesia, sacratissime Imperator & semper Auguste, non ab hominibus, neq; per hominem, sed per IESVM Christũ fundata est, qui Petrum apostolorum principẽ illuc direxit, cui etiã claues regni cœlorum tradidit: & idcirco nullum illius gratia uiolari debere, Apostolicus censet. Petro autẽ respondente, nunquam Romanum pontificẽ à Casinensibus monachis sacramẽtum exegisse. Girardus ait, idcirco eos nõ hæc quæsisse, quia usque ad illa tempora in Ecclesiæ unitate mãsissent: sed postquam schisma incurrissent, absq; sacramento recipiẽdos nõ esse: protulitq; iussu papæ Innocentij capitulum Niceni concilij, ut reuertentes à schismate, absq;

absque sacramento non reciperentur. Lotharius Imperator dixit: Non uos idcirco congregaui, ut Canonum iura seruetis: sed ut benignè, ut leniter cum ecclesia Casinensi ageretis. Meminisse debetis, quæ in Romana ecclesia beneficia ipse contulerim, quot & quanta pericula pro uobis cũ exercitu perpessus sim, qualiter annum integrũ ac menses duos in tentorijs egerim, quot propinquos & amicissimos inter bellorũ amiserim fremitus. Nõ enim Casinenses fratres ad inimicũ pontificis, sed ad Romanũ Imperatorẽ, Ecclesię propugnatorẽ, cõfugêre. Postremò, si me ea spe frustratum esse uultis, contestor hodie, schisma inter me & pontificẽ futurũ, & pro amico obsequẽtissimo infestissimũ fore inimicũ. Cũq; ad hanc Imperatoris uocem exercitus omnis acclamasset, rectaq; prosecutũ fremens diceret: primò per omnes episcopos, secundò per archiepiscopos, tertiò per Aquilegiensem patriarcham, quartò per abbates, quintò per comites, sextò per marchiones & principes, septimò per Richizam Augustam, octauò per seipsum Imperator pontificem hac de causa rogauit. Mandat dehinc pontifex Imperatori, de Casinensi ecclesia consiliũ eius uoluntatẽq; se factũrũ. Cæsar hoc nuncio lætior factus, rursum p seipsum pontificẽ adijt. Supplicanti itidẽ pro Casinensi monasterio: Miror, ait pontifex, cur tanta pro illis oras instantia, qui te ac me anathematisarunt, qui Petri Leonis filium pro papa receperunt, qui coronæ alteri obtemperarunt, hactenusq; in priori nequitia durarunt. Tunc Imperator clementissimus totus solutus in lachrymas, dixit: Scio equidem illos hæc omnia ideo egisse, ut integer ad nos ecclesię ipsius status perueniret. Nam si secus egissent, ecclesia illa ab hostibus nostris euersa iaceret. Vnde oro, ut censuram, qua plectendi illi erant, in me retorqueatis. Si cædendi sunt, ego pro eis dorsum submitto: si deponẽdi, deponi pro eis uolo. Tunc papa: Canonicæ seueritatis rigorẽ uestri causa tẽperamus. Iurè enim deponendi erant, qui participarunt excõmunicatis, qui pontificem suũ anathematizarũt. Sed nos lenitate usi atq; clementia, uestri amoris gratia cuncta dimittimus: ita tamen, ut filium Petri Leonis eiusq; complices anathematizent, mihiq; ac successorib. meis obedientiã promittant. Ista dũ Imperatori placuissent, beatæ martyris Simphorosæ die misit Imperator cum electo & fratribus Heinricum ducem generum suum, Conradũ ducem nepotem Heinrici quinti Imperatoris, Ottonem consobrinum suũ, omnesq; archiepiscopos, episcopos, comites, duces, ac Romani Imperij pceres. Cũq; ad papæ tentoriũ appropinquassent, cardinales occurrentes interrogabãt, si filiũ Petri Leonis renuere paratus esset. Quod cũ ille annuisset, protinus electũ in hæc uerba iurare fecerũt: Ego Rainaldus refuto & anathematizo omne schisma, & omnẽ hæresin extollentẽ se aduersus sanctã & Apostolicã ecclesiã. Anathematizo etiã filiũ Petri Leonis, & Rogeriũ Siciliæ comitẽ, omnesq; illorũ cõplices: & obediẽs ero domino papæ Innocentio, & successorib. canonicè intrantibus. Cũq; Rainaldus in hęc uerba iurasset, reliquos similiter iurare cogebant. Illi aũt, patri Benedicto eiusq; successorib. se iurasse, atq; ideo sacramentum se exhibere nõ posse, dicebãt. Tũc Rainaldus ex parte patris Benedicti ac sua pręcepit, ut obediẽtiã, quã B. Benedicto & eius successorib. sibiq; exhibuerãt, in manu papæ promitterent. Sicq; cõstricti fratres, quod electus ad Euãgelia, hoc illi iuxta tenorẽ chartulæ in manu episcopi Hostiensis iurauerunt: adiectoq; hoc insuper, Quòd si Casinensis à Romana ecclesia diuisa fuerit, ego in monasterio nõ remanebo, neq; abbati obediã, salua Romani Imperij fidelitate. Hæc ubi ad papæ libitum impleta sunt, ab excommunicationis nexu absoluti, nudis pedibus ad papæ uestigia, deinde ad osculum recepti sunt. Petrum uerò Diaconum Innocentius ad se euocans, dixit: Præcipio tibi in uirtute Spiritus sancti, & per sacramentum, quod hodie mihi & successorib. meis pręstitisti, te adiuro, ut quacunq; hora literas uel nuncium meũ acceperis, nõ habeas licentiam ultrà remorandi: sed quamprimùm poteris, uestigijs sedis Apostolicæ & pontificis, qui pro tempore fuerit, te representare studeas. Nolo enim ut pia Romana ecclesia inquietetur. Post hęc Rainaldus ad Imperatorẽ deductus, & ab eo magno cũ honore susceptus, cũ fratrib. inter Imperij capellanos constitutus est. Nam usq; ad eã diem Imperatoris obtutibus præsentatus non fuerat.

A' maleuolis tamen postea in suspicionem adductus, singulari papæ liuore depositus est. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 105. 106. 110. & sequentibus.

SCHISMA INTER IMperatorem & papam Innocentium secundum, DE DOMINIO POlitico.

CVm se Salernitani Imperatori uictorioso Lothario dederent, papa indignè tulit, quòd Imperator eos suos esse assereret. Papa enim contendebat, eos sui iuris esse. Chronicon Casinense libro quarto, capite 118.

SCHIS-

SCHISMA MAGDEburgicum,

DE EPISCOPATV.

Circa initium Imperij Lotharij, Magdeburgensis sedes uacans, tres simul inter canonicos habuit procos. Quilibet enim istius spōsæ amore ardebat. Lotharius tres istos reijcit, ac Nortbertum, qui in Burgundia nouum Præmonstratensium ordinem excogitauerat, ei loco præficit. Crant. Metrop. lib. 6. cap. 12.

De exuuijs Nortberti postea inter clericos maioris ecclesiæ & fratres S. Mariȩ cōtentio grauis exoritur (non de doctrina, de qua nihil erant soliciti) quam quidē solus Imperator Lotharius potuit dirimere, qui cadauer fratrib. S. Mariæ attribuit, quia monachus extiterit. Continuator Sigeberti.

SVB CONRADO SVEVO.

SCHISMA BAVARICVM, INter *episcopum Ratisponensem & ducem Bauariæ,*

DE ELECTIONE.

Extincto Conrado episcopo Ratisponensi, ciues & sacerdotes Heinricum comitem à Vuolfsrathshusen, nō expectato consensu Heinrici Bauarorū ducis, deligunt. Hanc autē rem iniquissimè fert Heinricus, moxq; ad Cæsarem properat, de tali contemptu sui cōquesturus. Verùm nouus episcopus anteuertit, Cæsarisque suffragiū anticipat. Mox & Iuuauiam properat, ibiq; à Conrado archiepiscopo inaugurationē consequitur: denique pontificis Innocentij 2. quoque uotum maturè aucupatur. Is uerò uicissim stipulatur, ut à monachis Heimeranijs, qui sunt Ratisponæ, censum exigat, à Paschali 2. ipsis impositum: hactenus enim detrectauerant soluere. Vt igitur Romano præsuli rem gratam faceret episcopus, abbatem Engelfridum, reluctantem istis exactionibus, deponit, monachos deuouet, sacris interdicit. Cum uerò neque istis armis proficeret quicquam, episcopus iussu Innocentij secundi pontificis Romani (scilicet ex mera deuotione, & profundo pecuniæ contemptu) ui templum occupat, calices aureos comminuit, bullas, diplomata, priuilegia comburit (ut hoc aucupio pontifex Romanus pro redemptione nouarum chartarum plus auri emungeret) plumbea monumenta reperta in sepulchro Bertholdi præsulis, liquefacit, fanum compilat. Quid enim argenteæ & aureæ statuæ ibi puluere fœdarentur? Satius multò erat, eas à uicario Petri deuorari, qui peccare non potest: & manifestissima sacrilegia faciens, tamen non est dicendus sacrilegus, nisi ab hæreticis, qui Decalogum norunt, & odiosum præceptum, Non furtum facies, obganniunt. Sed præualet regula fortissima, Papa est supra omnes leges.

Dux Bauariæ istam arrogantiam & sacrilegam rapinam episcopi cernens, aliqua ratione tam nefarijs conatibus obuiandum ratus, episcopi prædia ac uicos deuastat, arcem Stauf ad Danubium occupat. Episcopus uicissim suæ Bibliæ oblitus, contra magistratum arma capit, arcem Stauf longa obsidione premit. Sed dux interueniens, cogit eum cum suis fugam capessere.

Partes autem episcopi agunt ipsius cognati. Otto enim episcopi ex fratre nepos, ducem prætereuntē Vuolfsrathshusen magna ui adoritur, fugatque, aliquot trucidatis. Deinde Heinricus Bauariæ dux Vuolfsrathshusen ualido exercitu petit. Episcopus non impigrè exercitum colligit, & passim in Bauaria in auxilium uocat proceres, quoscunque poterat, ut Lupoldum Austriacum, Fridericum comitem à Bogen, Albertum eius gentilem, aliosque plures. Cum autem iam acies utrinque instructæ essent, & episcopus (non pennis anserinis, aut calamis arundinaceis) contra suum magistratum politicum esset pugnaturus, Otto à Vitelsbach, qui non dederat fidem episcopo in hoc bellico tumultu, ducis exercitum speculatur, ac reuersus episcopali exercitui narrat, quantis copijs sit instructus dux, ipsos imparibus uiribus congressuros: metumque quàm potest maximum inijcit. Friderico à Bogen persuadet, ut secum in castra ducis trāseat, & supplex ueniam petat. Idem Ottho à Vuolfsrathshusen à socero persuasus facit, seque suaq; in potestatem ducis tradens. Fridericus autem ueniam impetrat: Otto uerò in exilium Rauenspurgum relegatur. Vicus Vuolfsrathshusen uastatur, & igne absumitur. Episcopus exutus presidijs, à duce pacē, tradito Hohenburgensi præfectura, Oeno contermina, redimit. Hoc scilicet est aureo hamo piscari, & opes ecclesiæ miserrimè in rapinas & bella distrahere. Sed mancipia Antichristi eiusmodi cruentos episcopos uehementer prædicāt. Auentinus lib. 6. Annalium Boiorum.

SCHISMA INTER DVOS *Angliæ episcopos,*

DE EMINENTIA.

Sub annū Salutis 1140, grauis inter Cantuariēsem & Heinricū Vuintoniēsem cōtentio de primatu exorta est. Ille enim se ordinariā in hūc habere potestatem iactitabat: hic uerò Romanȩ legationis dignitate se esse-

se efferebat. Turbata tãdem uniuersa apud Anglos ecclesia, Romanum pontificem adierunt, & quæstionem tanto gratiorem, quanto ponderosiorem Romanis auribus intulerunt. Et alter quidem in causa prꝺstãtior, neuter uerò nisi exhausto sacculo reuersus est. Guilhelm. Neubrig. libro primo, capite 10.

SCHISMA INTER REgem *Galliæ & episcopos*,

DE EPISCOPO.

IN Alberici Biturigum episcopi locũ papa Romanus Innocentius, inuito rege, Petrum quendam suffecit. Hinc schisma in Ecclesia exortum est. Petri partes Theobaldus comes fouebat.

Hoc porrò dissidium alio facinore augetur. Nam Radulphus Viromanduorum comes, legitima uxore repudiata, Petronellam sororẽ reginæ Leonoræ, aliquot episcopis cõprobantibus, ducit uxorẽ. Papa misso legato, episcopis interdicit sacris, Radulpho autem & Petronellæ igni & aqua. Rex Theobaldo omniũ istarum turbarũ causam impingens, contra eũ exercitũ ducit, atq; in una æde, quæ erat Victoriaci, mille quingẽtos homines combussit. Postea facinoris atrocitatẽ cognoscentẽ & deplorantẽ Bernhardus ita cõsolatur, ut expeditione aduersus Turcas suscepta, sanguine hostium suũ reatũ eluat. Quid enim monachus aliud sonaret, quàm ut proprijs operibus conaretur pro delictis satisfacere? quia uniuersaliter monachi, pharisæorum progenies, meritũ Christi suis meritis obruunt & extinguunt. Hęc anno Domini 1141 accidẽre. Paulus Æmylius lib. 5. sub Ludouico iuniore. Sigeb.

SCHISMA INTER LVCIum *2. papam & ciues Romanos*,

DE MAGISTRATV.

SEnatores Romani sine fine à tyrannis pontificibus premebantur. Ita hic Lucius secundus anno Domini 1145, non uoce, ut pastorẽ decebat, sed armis senatores ad suam uolũtatem cogere uolebat. Itaq; eos non pẽnis scriptorijs, sed gladijs in capitolio obsidet, uimq; intentat. Iordanes, Petri Leonis filius, eum ui arcet ac pellit. Infirmitate deinde correptus, fortè quia pro animi sententia non potuit subiugare senatores, intra annum sui pontificatus expirat. Alij dicunt, quòd lapidum quorundã ictus è capitolio exceperit. Continuator Sigeberti, Onuph. Peste necatum eum Stella asserit.

Libet autem hic adscribere fontem rei, quem Otto Phrisingensis lib. 7. cap. 31 clarissimè exponit. Romani pertęsi tyrannidis perpetuæ Romanorum põtificum, qui magistratum urbi imponebant ac deponebãt pro suo arbitrio, ordini senatorio patricium adijciunt atq; proponũt antiquo more Romanorum, cui cęteri tanquam gubernatori parẽrent. Alterum erat: Pontificem rogant, ut omnia regalia, tam intra urbem quàm extra, ad patricij iura pertinentia, clementer restitueret: ipse uerò, more antiquorum sacerdotum, de decimis tantùm atque oblationibus se sustentaret. Hæc reformatio prorsus intolerabilis erat istis pastoribus, neq; id immeritò. Variabant autẽ adulatorum sententię: alij à Constantino, alij à Carolo Magno aiebant pontifici datã summam in senatores Romanos obtinendi potestatem.

SCHISMA INTER EVGENIum *tertium & ciues Romanos*,

DE MAGISTRATV.

ROmani Eugenio creato in põtificem, confirmationem suorum senatorum petituri erant. Itaq; subducit sese ex ipsorum conspectu pontifex cum cardinalibus, atq; in Farsensi cœnobio apud Sabinos inaugurationẽ suam perfici curat. Deinde contracto exercitu, Romanos ad petendam pacem cogit, ea lege, ut in posterum senatores populi Romani ex sua sententia deligerentur, & principatus patriciatus aboleretur. Sic scilicet magistratus sibi subijcit atq; conculcat pastor ille Romanus. Vbi hoc sanctum Petrum legimus factitasse? Postea uerò ea uiolenta concordia non fuit diuturna. Malè igitur sibi metuens, Tibur naui elabitur, Romanis sagittis & armis insequentibus. Tandem uerò restitutus, sed animi gratia Tibur egrediens, ibi diem suum postremum claudit. Platina, Stella, Otto Frisingensis lib. 7. cap. 31. Sigeberti Continuator inquit, contra eum Romanos concitasse Iordanem patricium & senatores, à quibus urbe pulsus in Gallias fugerit.

SCHISMA *in Anglia*,

DE EPISCOPATV.

THrustino Eboracensi mortuo, Gulielmus, Stephano regi propinquitate iunctus, electus est. Sed Heinricus Murdacus monachus Cistercìensis, affirmans eam electionem uitiosam esse, ab Eugenio papa sibi impetrat archiepiscopatum. Quem reuersum in Angliam Stephanus rex recipere noluit, nisi prius de fide sibi seruanda iuramento præstito. Regis exemplum & ciues imitati. Vuilhelmi partibus, qui tũ Vuintoniæ exulabat, magis fauent. Indignius hæc ferens Heinricus, in tota urbe sacros cultus inhibuit. Cæterùm Eustachius regis filius fortè adueniens in urbem, sacra officia omnino celebrari pro autoritate mandat, reluctantes uerò quoscunque sacrificulos urbẽ

expellit. Inter hasce turbas seniori cuidam archidiacono, à propinquis Vuilhelmi capto, uirilia amputata sunt. Tandem Heinrico post annos decem (uel, ut Polydorus habet, septem) mortuo, Vuilhemo locus honoris est concessus. Guilhelmus Neubrig. libro primo, capite decimoseptimo. Polydor. libro 12.

SVB FRIDERICO I.

SCHISMA DE TYRENSI *archiepiscopo.*

VAcante Tyrensi ecclesia, episcopi seu suffraganei eius ecclesiæ coeunt, ut de successore haberetur deliberatio. Sed uotis eligentium in duas partes diuisis, oritur schisma. Vna pars Radulphum cancellarium, uirum quidem eruditum, sed nimis secularem, deligit: & huic fauet rex & regina. Altera uerò pars, in qua erat Iohannes Pisanus & patriarcha, alium expetebant. Cancellarius regis ope ecclesiam occupat biennium. Sed aduersarij rem ad Eugenium papam referunt, qui cancellarium deijcit. Sed postea Hadriani papæ opera in Bethlehem fit episcopus. Tyrensis ecclesia Petro priori Dominici sepulchri committitur. Tyrius lib. 16. cap. 27.

DISSIDIVM INTER *Verdensem & Bremensem,* DE BONIS.

HErmanno Verdensi episcopo quædã contentio erat cũ Bremẽsi Hartuico de possesionib. in palude, ubi sunt diœcesium ambarũ termini. Litem uerò diremerũt magni uiri, qui limitibus consideratis pro Verdensi pronunciarunt: cui attributa sunt prædia, de quibus orta erat dissensio, anno Domini 1148. Crant. Metrop. libro sexto, capite 29.

SCHISMA DE EPISCO*patu Magdeburgensi.*

MAgdeburgensi episcopo extincto circa annum Domini 1152, alij pręposittũ Gerhardũ, alij decanũ elegerunt, nec potuerunt concordare. Fridericus igitur Imperator in Saxonia existens, ea de controuersia consultus, ut Cicensem episcopũ Guicmãnum decanus cum suis eligant, persuasit, eiq; regalia eius ecclesiæ concessit.

Gerardus præpositus de oblato honore cedere nolẽs, Romam ad Eugenium currit, de intrusione Guicmanni atroces querelas mouens. Papa occasionem fulminandi nactus, transalpinis superciliosas scribit literas, quas, uti sunt cristatæ, apponemus.

Eugenius episcopus, seruus seruorũ Dei, uenerabilibus fratribus, Eberbardo Saltzburgensi, Artuico Bremensi, & Hillino Treuirensi archiepiscopis, Eberhardo Babenbergensi, Hermanno Constantiensi, Heinrico Ratisponensi, Ottoni Frisingensi, Conrado Patauiensi, Danieli Pragensi, Anshelmo Hamelburgensi, & Burcardo Estadensi episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Literas quas pro causa Magdeburgensis ecclesiæ uestra nobis prudentia delegauit, debita benignitate suscepimus. In lectione autem & cognitione earum stupore nimio & admiratione repleti sumus, eo quòd longè aliud in eis, quàm uobis ex officio pontificatus immineat, perspeximus contineri. Cum enim in Ecclesiæ uertice sitis ex diuina prouidentia constituti, ut de medio eius quæ fuerint nociua propellere, quæ utilia debeatis attento studio conseruare: in causa ista, sicut ex suggestione literarum uestrarum nobis innotuit, non quod expediat Ecclesiæ Dei, quod sacrorum Canonum sanctioni concordet, quod exinde à cœlesti arbitrio approbetur, sed quòd terrenis principibus placeat, attendistis: & qui eorum animos à sua minus recta debuistis deflectere intentione, atque ubi esset uia Domini demonstrare, non persuasistis quod rectũ est, nec stetistis murus pro domo Israel: quinimò ipsis, ut ait Propheta, parietem ædificantibus, uos, quod sine grandi animi rancore uix dicimus, liniuistis illum luto absque paleis. Non ita sentiebat princeps Apostolorum, qui ex fidei suæ confesione, ut totius Ecclesiæ fundamentum esset, accepit: sed comminantibus seculi filijs, & Apostolis, si prædicarent in nomine IESV, mortis exterminium intentantibus, confisus de Domini uirtute, respondit: Oportet obedire Deo magis quàm hominibus. Vos autem, ne à terrenis uideamini principibus dissentire, illi causæ fauorem uestrum impenditis, cui & Ecclesiasticæ autoritas constitutionis, & supernæ uoluntatis examen pro certo creditur obuiare. Cum enim translationes episcoporum sine manifestę utilitatis & necesitatis indicio, diuinæ legis oraculum non permittat, cum etiam multò amplior, quàm in alijs electionibus, cleri & populi eas debeat præuenire concordia: in facienda trãslatione de uenerabili fratre nostro Guicmãno Cicensi episcopo nihil horum est, sed solus fauor principis expectatur: & nec inspecta necesitate illius ecclesiæ, nec considerata utilitate personæ, clero nolente, immò (ut dicitur) ex parte maxima reclamante, in Magdeburgensem eum dicitis ecclesiam supplantandum. Super quo tanto amplius admiramur, quanto persona illa cuius grauitatis sit atque scientiæ, ab anteactis agnouimus, ac perinde quantum ecclesiæ illi sit utilis, non penitùs ignoramus.

ignoramus. Quoniam igitur, quicunq; temporalis aurę flatibus agitentur, nos in illius petræ soliditate fundati, quę in fundamento meruit Ecclesiæ collocari, sicut non debemus, ita nec uolumus omni uento circumferri doctrinæ, aut à sacrorum Canonum rectitudine impulsu aliquo deuiare, per præsentia uobis scripta mandamus, quatenus causæ isti fauorem ulterius non præstetis: & apud charissimum filium nostrum Fridericum, quem Deus hoc tempore pro seruanda libertate Ecclesiæ in eminentiam regni inuexit, efficere uestris exhortationibus studeatis, ut & ipse à sua super hoc intentione desistat, & contra Deum, contra sacros Canones, contra regiæ dignitatis officium eidem causæ fauorem suum ulterius non impendat: sed ecclesiæ Magdeburgensi, sicut & alijs ecclesijs regni à Deo sibi commissi, liberam facultatem quem uoluerit secundum Deum eligendi relinquat, & electionem ipsam postmodũ fauore suo, sicut decet maiestatem regiam, prosequatur. Nos enim, si quod de supradicto fratre nostro facere nititur, uideremus ratione fulciri, nec uoluntati eius, nec postulationi uestræ duceremus aliquatenus obuiandum. Contra Deum autem & sacrorum Canonum sanctiones, nulli omnino petitioni possumus præbere consensum. Datum Signiæ 16 calend. Septemb. Frisingensis lib. 2. cap. 8.

Deinde duo cardinales missi in Germaniam, quosdam episcopos, Imperatore conniuente, deposuerunt: sed cum ulterius ad Magdeburgensem causam progressuri essent, iussi sunt ab Imperatore in Italiam reuerti.

Sepulto Eugenio, Anastasius papa cardinalem Gerardũ misit, qui Magdeburgẽsem contentionem finiret. Ille autem insolentius quædã tentans, quibus Imperator offensus est, iussus est in suam terram reuerti: uerùm in uia animam efflauit.

Deinde Imperator, missis nũcijs & Guicmãno, Anastasium placauit: qui non tãtùm Guicmanni electionẽ cõprobauit, sed insuper pallio honorificè eum ornauit, nõ absq; quorundam fremitu. Otto Frisingensis li. 2. cap. 6. 8. 9. 10. de gestis Friderici primi.

SCHISMA DE ELECTIOne episcopi Magdeburgensis.

CIrciter annum Domini 1154, noua cõtentio incidit de electione episcopi Magdeburgẽsis. Sed Fridericus Imperator episcopum Naumbergensem Bartholdum eò transfert. Chronicon Magdeburgense. Sed Chronicon manuscriptum Saxonicum ait, ipsum papam præpositũ Naumburgensem Bartholdum eò collocasse.

SCHISMA INTER PATRIarcham Hierosolymitanum & fratres Hospitalis, DE DECIMIS.

RAymundus magister domus Hospitalis Hierosolymis, & fratres eius, patriarchæ sese opposuerunt. Capita autem fuerunt ista:

De prædijs suis, alijsq; bonis quocũq; iure ad se deuolutis, recusarũt dare decimas.

Ab alijs excommunicatos receperunt in suas ecclesias, ægrotis Cœnam Domini, & mortuis sæpulturam non denegarunt.

Campanarum sonitu populus ad sacra & oblationes inuitabant, & hac arte intercipiebant quæ alijs ecclesijs debebantur: id quod erat ingratissimum.

Ante ianuas ecclesię S. Resurrectionis ædificia sublimiora, quàm ecclesia habebat, erigebant: id quod cedebat in cõtemptum ecclesiæ.

Patriarcha ad populum habente concionem, ipsi campanis talem edebant clangorem, ut nemo posset audire.

Sagittis missis in eam ecclesiã, turbabant conuentus & sacra: quæ postea in fasciculo ibi suspensæ fuerunt.

Huius autem tanti mali papam, ait Tyrius, causam esse, qui domum Hospitalem è iurisdictione patriarchę emanciparit. lib. 18. cap. 3. Belli sacri.

Cum autẽ patriarcha alijq; episcopi precibus & cõmonefactionibus apud Hospitalarios nihil obtinerẽt (quia sua potentia & muneribus papam Romanum subinde exoculabant) necessitas eos coegit Romã iter capessere. Assumit igitur secũ grãdęuus patriarcha archiepiscopũ Tyrensem, Fridericũ Acconensem, Almaricum Sydonensem, Balduinum Cęsariẽsem, Renerum Sebastẽsem, & Herbertum Tiberiadensem. Idem cap. 6.

Ad papam autem uenientes animaduertunt, eum alieniori ab ipsis animo esse. Nam Hospitalarij antecurrerant, muneribusq; infinitis, ut Tyrius loquitur, eum corruperant, ita ut papa Hadrianus fasto quodam eos uitaret. Idem cap. 7.

Tandem uerò, cum patriarcha non pateretur toruis aspectibus papæ se protelari, obtinuit ut audiretur. Cum autem utrinq; multos dies inutiliter esset decertatum, uidens patriarcha Hospitalarios habere fauẽtiores iudices, ne diutius oleũ & operã perderet, cũ suis re infecta, sumpta tamẽ prius licentia, domum reuersus est. Ibidem cap. 8.

SCHISMA DE PATRIarcha Hierosolymitano.

FVlchero patriarcha Hierosolymitanorum mortuo, Almaricus ecclesiæ Dominici sepulchri prior, in primis uerò promo-

tione comitissæ Flandrensium Sibyllæ, regis sororis, electus est. Bethlehemita & Cæsariensis contradixerunt. Sed Acconensis episcopus ipsi pallium ab Hadriano papa impetrat. Tyrius lib.18.cap.20.

SCHISMA INTER FRIDERICUM *Imperatorem & Hadrianum papam,*
DE CONIVGIO.

ANno Domini 1156, Fridericus Imperator Agnetam filiam principis Burgũdiæ uxorem ducit, repudiata legitima uxore in urbe Constantia. Hinc in Ecclesia graue schisma exoritur. Hadrianus papa propter hanc causam Imperatorem excommunicaturus erat, nisi morte fuisset præuentus. Appẽdix Mariani Scoti, & Chronicon Hirsaugiense Tritenhemij.

SCHISMA INTER HADRIANUM *papam & regem Siciliæ,*
DE NEAPOLITANA *terra.*

GVilhelmus Rogerij regis filius, patre defuncto, Beneuentana suburbia, Ceperanũ & Babuchum in Hernicis de ecclesia occupat. Hadrianus mox in eum fulmẽ excõmunicationis immittit, ac Emanuelẽ Græcum Imperatorem inuitat, ut machinationes Guilhelmi retũdat, datis quinq; milibus librarũ auri, & cõcessis tribus Apuliæ ciuitatibus. Id uerò Guilhelmus animaduertens, multò plura põtifici offert, ut eum placet. Hæc quidẽ tam ampla oblatio papæ uehementer arridebat: sed quidã cardinales obsistebant, ne acciperet. Interea uerò Guilhelmus lõgè lateq; orã populatur, iãq; Apuli & Salernitani deditionẽ fecerant. Ne igitur præda sua excideret coruus Romanus, contra cardinalium suasionem Guilhelmum spontè in gratiã recipit, eumque in utroque regno inuestit, hac recepta promissione, quòd Romanam sedem perpetuo honore prosecuturus esset. Hinc Apuliæ seu Neapolitani reges quotannis pontifici uectigal persoluere consueuerunt. Bergomensis libro 12.

SCHISMA INTER ADRIANUM *pontificem & Fridericum Imperatorem,*
DE PICTURA ET VERBIS.

AMbitiosus Innocẽtius 2. papa Romanus, in muro quodam Romæ imaginẽ suã splendidè pontificalibus indutã, & sella residentẽ, depingi curauerat: Lothariũ uerò Imperatorẽ ante se procumbentem in genibus, & manibus cõplicatis coronam Imperij suscipientẽ. Hanc arrogantem picturã Fridericus aspiciẽs, in cõtumeliã omniũ Imperatorũ, id quod res erat, hanc picturã publicè esse propositam censebat: sed pressit altum corde dolorem. Postea & alius fomes incendij accessit, ut paulo pòst narrabimus. Tritenhem. Chron. Hirsaug.

SCHISMA INTER OTTONEM *Frisingensem & ducem Austriæ,*
DE FACULTATIBUS.

RAtisponæ cum esset Fridericus Imperator, controuersias inter suos patruos, Ottonem Frisingensem, & Heinricum Austriæ ducem, germanum Ottonis fratrem, componit. Arrogabat enim dux sibi quædã prædia ad ecclesiam pertinentia. Radeuicus lib.1, cap.13.

SCHISMA INTER PALATINUM *Rheni & Coloniensem,*
DE ARCE.

DIssidiũ fuisse inter palatinũ Rheni & Reinoldũ Coloniensem de arce Reineck, Chron. manuscriptũ Saxonicũ refert.

SCHISMA INTER IMPERATOREM *Fridericum & papam Hadrianum.*

HAdrianus papa, missis cardinalibus duobus, Rolãdo titulo S. Marci presbyteri, & Bernhardo titulo S. Clementis, & datis literis, accusabat Imperatorẽ, ꝙ non inquireret diligẽtius de cæde archiepiscopi Lundonensis. Omnium autẽ indignissimè ferebat Cæsar, quòd immoderata superbia papa ipsi occineret, quasi Imperialem dignitatem ab ipso haberet. Sed ipsa uerba epistolæ papalis ueniant in conspectum.

Hadrianus episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio Friderico, illustri Romanorum Imperatori, salutem & Apostolicã benedictionem. Imperatoriæ maiestati paucis retroactis diebus recolimus scripsisse, illud horrẽdũ & execrabile facinus, & piaculare flagitiũ tempore nostro cõmissum, in Teutonicis partibus, sicut credimus, aliquando intentatũ, excellentiæ tuæ ad memoriã reuocantes, non sine grandi admiratione ferẽtes, quòd absq; digna seueritate uindictæ usq; nunc transire passus sis tã perniciosi sceleris feritatẽ. Qualiter enim uenerabilis frater noster E. Lũdonensis archiepiscopus, dũ à sede Apostolica remearet, à quibusdã impijs & scelestis, quod sine grãdi animi mœrore nõ dicimus, in partibus illis captus fuerit, & adhuc in custodia teneatur: qualiter etiam in ipsa captione prædicta, uiri impietatis, semẽ nequã, filij scelerati, in eum & in suos euaginatis gladijs uiolẽter exarserint, & eos, ablatis omnibus, quàm turpiter atq; inhonestè tractauerint, & tua serenissima celsitudo cognoscit, atq; ad lõginquas & remotissimas regiones fama tanti sceleris iã peruenit. Ad cuius utiq; uehementissimi facinoris ultionem, sicut is cui bona placere, mala

re, mala uerò displicere credimus, constantius exurgere debuisti: & gladiũ, qui tibi ad uindictam maledictorũ, laudẽ uerò bonorũ est ex diuina prouisione concessus, in ceruicem desęuire oportuit impiorũ, & grauissimè cõterere præsumptores. Tu uerò ad ipsum ita dissimulasse diceris, sęuitiã neglexisse, quòd eosdẽ nõ est quare pœniteat cõmisisse reatũ: quia impunitatẽ sacrilegij qđ gesserunt, iamiam sentiunt inuenisse. Cuius quidẽ dissimulationis & negligentię causã penitùs ignoramus: quoniã nos in aliquo serenitatis tuæ gloriã offendisse, consciẽtię scrupulus nostrum animũ non accusat: sed personã tuã, sicut charissimi & specialis filij nostri, & principis Christianissimi, quem in Apostolicę cõfessiõis petra nõ ambigimus per Dei gratiã solidatũ, syncera semp dileximus charitate, & debitę tractauimus benignitatis affectu. Debes enim, gloriosissime fili, ante oculus mentis reducere, quàm gratanter, & quàm iocũdè alio anno mater tua sacrosancta Romana ecclesia te susceperit, quãta cordis affectione tractauerit, quãtam tibi dignitatis plenitudinẽ contulerit & honoris, & qualiter Imperialis insigne coronę libẽtissimè conferẽs, benignissimo gremio suo tuę sublimitatis apicẽ studuerit cõfouere, nihil prorsus efficiẽs quod regię uolũtati uel in minimo cognosceret obuiare. Neq; tamẽ pœnitet nos desideria tuæ uoluntatis in omnibus impleuisse: sed si maiora beneficia excellentia tua de manu nostra suscepisset, si fieri posset, cõsiderantes quanta Ecclesię Dei & nobis per te incremẽta possint & cõmoda prouenire, nõ immeritò gauderemus. Nunc aũt, quia tã immensum facinus, quod in contumeliã uniuersalis Ecclesię & Imperij tui noscitur etiã cõmissum, negligere ac dissimulare uideris, suspicamur utiq; ac ueremur, ne fortè in hãc dissimulationẽ & negligentiã propter hoc tuus animus sit inductus, quòd suggestione peruersi hominis, zizania seminantis, aduersus clemẽtissimam matrẽ tuam, sacrosanctam Romanam ecclesiã, & nos ipsos indignationem (quod absit) aliquã cõceperis uel rancorẽ. Ob hoc igitur & ob alia omnia negocia quæ cognoscimus imminere, duos de meliorib. & charioribus quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios nostros, Bernhardũ S. Clementis presbyterum, Rolandũ S. Marci presbyterum cardinalẽ & cancellariũ nostrũ, uiros utiq; religione, prudẽtia & honestate cõspicuos, serenitati tuæ de latere nostro ad pręsens duximus destinãdos, excellẽtiam tuã rogantes attẽtius, quatenus eos tam honorificè quã benignè recipias, honestè tractes, & ea quæ ipsi super hoc & super alijs ad honorem Dei & sacrosanctę Romanę ecclesię, ad decus etiam & exaltationẽ Imperij pertinẽtia, ex parte nostra Imperatoriæ proposuerint dignitati, sicut ab ore nostro procedãt, absq; ulla hæsitatione suscipias, & ipsorum uerbis, tanquam si ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere.

Iam & reliqua uisum est adijcere, quę Radeuicus percommodè narrat. Talibus literis lectis, & per Reinaldum cancellarium fida satis interpretatione diligenter expositis, magna principes qui aderant, indignatione commoti sunt: quia tota literarũ continentia non parum acredinis habere, & occasionem futuri mali iamiam fronte suã præferre uidebatur. Præcipuè tamen uniuersos accenderat, quòd in præmissis literis inter cętera dictum fuisse acceperant, dignitatis & honoris plenitudinem sibi à Romano pontifice collatã, & insigne Imperialis coronæ de manu eius Imperatorẽ suscepisse: nec ipsum pœnitere, si maiora beneficia de manu eius suscepisset, habita consideratione, quãta ecclesiæ Romanę per ipsum possent incrementa & cõmoda prouenire. Atq; ad horũ uerborum strictã expositionẽ, ac præfatæ interpretationis fidẽ auditores induxerat, quòd à nullis Romanorũ temerè affirmari nouerant, Imperium urbis & regnum Italicum donatione pontificum reges nostros hactenus possedisse: idq; nõ solùm dictis, sed & scriptis atq; picturis repræsentare, & ad posteros trãsmittere. Vnde de Imperatore Lothario in palatio Lateranẽsi super huiusmodi picturam scriptum est:

Rex uenit ante fores, iurans prius urbis honores,
Pòst homo fit papæ, sumit quo dante coronam.

Talis pictura talisq; superscriptio principi, quãdo alio anno circa urbẽ fuerat, per fideles Imperij delata, cũ uehemẽter displicuisset, amica prius inuectione p̄cedẽte, laudamẽtũ à papa Hadriano accepisse memoratur, ut & scriptura pariter atq; pictura talis de medio tolleretur, ne tã uana res summis in orbe uiris litigandi & discordãdi præbere posset materiã. His omnibus in unũ collatis, cum strepitus & turba inter optimates regni de tam insolita legatione magis ac magis inualesceret, quasi gladiũ igni adderet, dixisse ferũt unum de legatis: A' quo ergo habet, si à domino papa non habet Imperium? Ob hoc dictũ eò processit iracundia, ut unus eorũ, uidelicet Otto palatinus comes de Baioaria, ut dicebatur, propè exerto gladio ceruici illius mortẽ intẽtaret. At Fridericus, autoritate pręsentię suę interposita, tumultũ quidem compescuit: ipsos autem legatos securitate donatos, ad habitacula deduci, ac primo mane uia sua proficisci præcepit, addẽs in mandatis, ne hac uel illac in tẽtorijs episcoporum seu abbatum

uagaretur: sed recta uia, nec ad dexterá nec ad sinistrá declinantes, reuerterentur ad urbem. Ipsis itaq; sine efficacia reuertentibus, id quod factū fuerat ab Imperatore per uniuersum regni ambitū prouidè literis declaratur, quarū hic tenor fuit: Cū diuina potentia, à qua omnis potestas in cœlo & in terra, nobis christo eius regno & Imperium commiserit, & pacé Ecclesiarum Imperialibus armis conseruandá ordinauerit, nō sine maximo dolore cordis cōqueri cogimur dilectioni uestrę, quòd à capite S. Ecclesiæ, cui Christus pacis & dilectionis suæ characteré impresit, causę dissensionū, seminariū malorū, pestiferi morbi uenenū manare uidentur: de quibus, nisi Deus auertat, totum corpus Ecclesiæ cōmaculari, unitaté scindi, inter regnū & sacerdotiū schisma fieri ꝑtimescimus. Cū enim nuper in curia Bisuntij essemus, & de honore Imperij & salute Ecclesiarū debita solicitudine tractaremus, uenerūt legati Apostolici, asserentes, se talé legationé nostræ afferre maiestati, unde honor Imperij nō paruū acciperet incrementum. Quos cū prima die aduentus sui honorificè suscepissemus, & secūda (ut mos est) ad audiendū legationé eorū cū principib. nostris cōsedissemus, ipsi quasi de māmona iniquitatis inflati, de altitudine superbię, de fastu arrogantię, de execrabili tumidi corporis elatione, legationé Apostolicis literis conscriptá nobis præsentarūt, quarū tenor talis erat, Quia prę oculis mētis semper deberemus habere, qualiter dominus papa insigne Imperialis coronę nobis cōtulerit, neq; tamé pœnitétia moueretur, si maiora excellétia nostra ab eo beneficia suscepisset. Hęc erat illa paternę dulcedinis legatio, quę unitaté Ecclesiæ & Imperij cōfouere debuit, q̄ uinculū pacis utrūq; colligare studuit, quæ ad utriusq; cōcordiá & obedientiá animos audientiū allexit. Certè ad uocé illá nefandá, & omni ueritate uacuá, nō solū Imperialis maiestas debitá indignationé concepit: uerū omnes principes qui aderát, táto furore & ira sunt repleti, quòd sine dubio illos duos iniquos presbyteros mortis sentétia dánassent, nisi hoc nostra intercepisset pręsentia. Porrò quia multa paria apud eos literarū reperta sunt, & schedulę sigillatę ad arbitriū earū adhuc scribédę, quibus, sicut hactenus cōsuetudinis eorū fuit, per singulas Ecclesias Teutonici regni cōceptū iniqtatis suæ uirus respergere, altaria denudare, uasa domus Dei asportare, cruces excoriare nitebátur: ne ultrà ꝓcedédi facultas eis daretur, eadé qua uenerát uia, ad urbé eos redire fecimus. Cúq; per electioné principum à solo Deo regnū & Imperium nostrum sit, qui in passione Christi filij sui duobus gladijs necessarijs regendū orbé subiecit: cumq; Petrus apostolus hac doctrina mūdū informauerit, Deū timete, & regé honorificate: quicunq; nos Imperialé coroná ꝓ beneficio à dño papa suscepisse dixerit, diuinæ institutioni & doctrinæ Petri cōtrarius est, & mēdacij reus erit. Quia uerò hactenus honoré ac libertaté Ecclesiarū, quæ iádiu indebitæ seruitutis iugo depressa est, à manu Ægyptiorū studuimus eripere, & omnia eis dignitatū suarū iura cōseruare intédimus, uniuersitatem uestrá super táta ignominia nobis & Imperio condolere rogamus, sperantes, ne honoré Imperij, qui à cōstitutione urbis, & Christianę religionis institutione, ad uestra tépora gloriosus & imminutus extitit, fidei uestrę indiuisa synceritas tá inaudita nouitate, tá præsumptuosa elatione imminui patiatur, sciés, omni ambiguitate remota, q̄ mortis periculū antè uellemus incurrere, quá nostris téporib. tátę cōfusionis opprobriū sustinere. Idem libro 3. cap. 9. 10.

Reuersi domū legati pōtificij, grauiter de iniurijs Cæsaris, deq; suis periculis erga se querūtur, multis insuper additis médacijs, ut papę ad ultioné faces subderét. Clerus uerò Romanus his auditis, non simili animo accepit. Pars enim irati legatis, imprudétiá & fastū ipsorū accusabát, eo q̄ Imperatoris tamé debita reuerétia rationem habendam esse censerent: pars uerò in uerba papę concedebant, fremitusque augebant.

Papa igitur Alemánię præsules instigat, ut Imperatoré ad pœnitentiá adigát. Literę pōtificię sunt eiusmodi: Quoties aliquid in Ecclesia contra honoré Dei & saluté fideliū attétatur, fratrū & coepiscoporū nostrorū, & eorū ꝓcipuè q̄ spiritu Dei agūtur, cura debet existere, ut ea quę malè gesta, gratá Deo correctioné debeant inuenire. Hoc auté tépore, qđ absq; nimio mœrore nō dicimus, charissimus filius noster Fridericus Romanorum Imp. tale quid egit, quale téporibus antecessorū suorū nō legimus perpetratū. Cū enim nos duos de melioribus fratribus nostris, Bernhardum titulo S. Clementis, & Rolandum cancellarium nostrum titulo S. Marci, presbyteros cardinales ad ipsius præsentiam misissemus, ipse cū primùm ad eius pręsentiam peruenerūt, alacriter uisus est eos recepisse. Sequenti uerò die cū redirent ad eū, & literæ nostræ in eius auribus legerentur, accepta occasione cuiusdá uerbi, quod ipsarum literarū series cōtinebat, Insigne uidelicet coronæ beneficiū tibi contulimus: in tantá animi commotioné exarsit, ut conuicia, quę in nos & nostros legatos dicitur coniecisse, & quàm inhonestè ipsos à pręsentia sua recedere, ac de terra sua uelociter exire compulerit, & audire op-

probrium;

probrium,& lamentabile sit referre. Eis autem ab eius præsentia excedentibus, facto edicto, ne aliquis de regno uestro ad Apostolicam sedem accedat, per omnes fines eiusdẽ regni custodes dicitur posuisse, qui eos qui ad Apostolicam sedem uenire uoluerint, uiolenter debeant reuocare. Super quo facto licet aliquantum perturbemur, ex hoc tamen in nobis ipsis maiorem consolationẽ accipimus, quòd ad id de uestro & principum consilio non processit. Vnde confidimus, eum à sui animi motu, consilio & persuasione uestra facilè reuocandum. Quocirca fratres, quoniam in hoc facto nõ solùm nostra, sed uestra & omnium Ecclesiarum res agi dinoscitur, charitatem uestrã monemus & exhortamur in Domino, quatenus opponatis uos murũ pro domo Domini, & prȩfatum filium nostrũ ad uiam rectam quàm citius reducere studeatis, attentissimam sollicitudinẽ adhibentes, ut à Rainaldo cancellario suo & Palatino comite, q magnas blasphemias in præfatos legatos nostros & matrẽ uestrã sacrosanctã Romanã ecclesiam euomere prȩsumpserunt, talẽ & tam euidentẽ satisfactionẽ faciat exhiberi, ut sicut multorũ aures amaritudo sermonis eorũ offendit, ita etiã satisfactio multos ad uiã rectam debeat reuocare. Non acquiescat idẽ filius noster cõsilijs iniquorũ, cõsideret nouissima & antiqua, & per illã uiã incedat, per quã Iustinianus & alij catholici Imperatores incessisse noscũtur. Exẽplo siquidẽ & imitatione illorum, & honorẽ in terris, & fœlicitatem in cœlis sibi poterit cumulare. Vos etiã, si eum ad rectã semitã reduxeritis, & beato Petro apostolorũ principi gratũ depẽdetis obsequiũ, & uobis & Ecclesijs uestris conseruabitis libertatẽ. Alioquin nouerit antè dictus filius noster ex admonitione uestra, nouerit ex promissionis Euãgelicæ ueritate, quòd sacrosancta Romana ecclesia, super firmissimã petrã Deo collocante fundata, quantocunq; uerborũ turbine quatiatur, in sua firmitate, protegẽte Dño, in seculũ seculi permanebit. Nec autem, sicut nostis, deceret eum tam arduã uiã absq; uestro consilio attentasse. Vnde credimus, quòd auditis admonitionib. uestris, facillimè poterit ad frugem sanioris studij, sicut uir discretus & Imperator catholicus, reuocari.

Sed masculè respondent episcopi Alemãniæ: Quamuis sciamus & certi simus, quòd Ecclesiã Dei, fundatã supra firmã petram, neq; uenti neq; flumina tẽpestatũ possint deijcere: nos tamẽ infirmiores & pusillanimes, si quando huiusmodi contigerint impetus, cõcutimur & contremiscimus. Inde nimirũ grauiter cõturbati sumus & cõterriti super his, quæ inter uestrã sanctitatẽ & filium uestrũ deuotissimũ, dominum nostrũ Imperatorem, magni mali, nisi Deus auertat, seminaria præbitura uidentur. Equidẽ à uerbis illis, quæ in literis uestris cõtinebãtur, quas per nuncios uestros prudentissimos & honestissimos, dñm Bernhardum, & dominũ Rolandũ cancellariũ, uenerabiles presbyteros cardinales misistis, cõmota est uniuersa respublica Imperij nostri, aures Imperialis potentiȩ ea patienter audire nõ potuerunt, neq; aures principũ sustinere: omnes ita cõtinuerunt aures suas, quòd nos, salua gratia uestrȩ sanctissimȩ paternitatis, ea tueri propter sinistrã ambiguitatis interpretationẽ, uel consensu aliquo approbare nec audemus, nec possumus, eo quòd insolita & inaudita fuerunt usq; ad hæc tempora. Literas aũt quas nobis misistis, debita cũ reuerentia suscipientes & amplectẽtes, cõmonuimus filium uestrũ, dominũ nostrũ Imperatorem, sicut iussistis, & ab eo respõsum, Deo gratias, accepimus tale, quale decebat catholicũ principẽ, in hunc modum: Duo sunt quibus nostrũ regi oportet Imperiũ, leges sanctȩ Imperatorũ, & usus bonus prædecessorũ & patrũ nostrorũ. Istos limites Ecclesiȩ nec uolumus prȩterire, nec possumus: quicquid ab his discordat, nõ recipimus. Debitã patri nostro reuerentiã libẽter exhibemus, liberã Imperij nostri coronã diuino tantũ beneficio adscribimus: electionis primã uocẽ Moguntino archiepiscopo, deinde quod superest, cæteris secundũ ordinẽ principibus recognoscimus: regalẽ unctionẽ Coloniensi, supremã uerò, quȩ Imperialis est, summo põtifici. Quicquid prȩter hæc est, ex abundanti est, à malo est. Cardinales in contemptũ dilectissimi & reuerendissimi patris nostri & cõsecratoris, à finib. terræ nostræ nõ coegimus exire: sed cũ his & pro his, quȩ & scripta & scribẽda ferebãt in dedecus & scandalũ Imperij nostri, ultrà eos ꝓdire pati noluimus. Introitũ & exitũ Italiæ nec clausimus edicto, nec claudere aliquo modo uolumus peregrinantib. uel ꝓ suis necessitatib. rationabiliter cũ testimonio episcoporũ & prælatorũ suorũ Romanã sedem adeuntib. Sed illis abusionib. quibus omnes Ecclesiȩ regni nostri grauatȩ ac attenuatȩ sunt, & omnes penè claustrales disciplinæ emortuæ & sepultæ, obuiare intẽdimus. In capite orbis Deus per Imperiũ exaltauit Ecclesiã, in capite orbis Ecclesia nõ per Deum (ut credimus) nũc demolitur Imperiũ. A pictura cœpit, ad scripturã pictura processit, scriptura in autoritatẽ prodire conatur. Non patiemur, nõ sustinebimus, coronã antè ponemus, q̃ Imperij coronã unà nobiscũ sic deponi consentiamus. Pictu-

ræ deleantur, scripturæ retractentur, ut inter regnū & sacerdotiū ęterna inimicitiarū monumenta non remaneāt. Hęc & alia, utpote de cōcordia Rogerij & Guilhelmi Siculi, & alijs quę in Italia facta sunt cōuētionibus, quę ad plenū prosequi nō audemus, ab ore dn̄i nostri Imperatoris audiuimus. Absente aūt palatino comite, & in pręparatione expeditionis in Italiā pręmisso, à cancellario ibidē adhuc præsente aliud nō audiuimus, nisi qđ humilitatis erat & pacis: præter quòd eis pro periculo uitæ, quod à populo imminebat, pro uirib. suis astiterit, cunctis qui ibi aderāt, huius rei testimoniū ei perhibentib. De cætero sanctitatē uestrā suppliciter rogamus & obsecramus, ut nostræ parcatis infirmitati, ut magnanimitatē filij uestri, sicut bonus pastor, leniatis scriptis uestris, scripta priora suauitate mellita dulcorantib. quatenus & Ecclesia Dei tranquilla deuotione lętetur, & Imperiū in suę sublimitatis statu glorietur, ipso mediante & adiuuante, qui mediator Dei & hominū factus est, homo IESVS Christus.

Cum aūt legatos Imperator in Italiā mitteret, retinēdi in officio quasdam ciuitates gratia, & ut Græcos, qui Anconę morabantur, exigeret, quā quidem rē fœliciter peregerunt: papa Hadrianus legatis Imperatorijs Heinricū & Iacinctū Ferrariā usq; obuiā misit, qui sese mira subiectione ipsis insinuant, & non obscurè præ se ferunt, papę cristas erga Imperatorem nonnihil remissiores factas esse.

Insuper & Imperatori Friderico papa Augustā usq; legatos, quanta potest celeritate, mittit: quibus reuerēter exceptis, iubet causam aduentus exponere. Illi reuerenter ac demisso uultu, uoceq; modesta sic orare incipiunt: Pręsul sanctæ Romanę ecclesię, uestrę excellentię deuotissimus in Christo pater, salutat uos, sicut charissimū & specialē sancti Petri filiū. Salutāt etiā uos uenerabiles fratres nostri, clerici aūt uestri, uniuersi cardinales, tanquā dominū & Imperatorē urbis & orbis. Quanta dilectione sancta Romana ecclesia amplitudinem & honorē Imperij uestri amplectatur, quā sine cōscientia peccati uestrā satis inuita sustinuerit indignationē, & scripta præsentia, & in ore nostro positæ uiuæ uocis officium declarabit. Post hæc uerba literas efferunt, quę uenerabili Otthoni Frisingensi episcopo ad legendum, simul & interpretandum datæ sunt, uiro utique qui singularem habebat dolorem de controuersia inter regnum & sacerdotium. Exemplar literarum hoc est: Ex quo uniuersalis Ecclesiæ curam, Deo prout ipsi placuit disponente, suscepimus, ita in cunctis negotijs magnificentiā tuam honorare curauimus, ut de die in diem animus tuus magis ac magis in amore nostro & ueneratione sedis Apostolicæ debuisset accendi. Vnde sine grandi admiratione nō ferimus, q, cū, audito ex suggestione quorundā, animum tuū aliquantulū cōtra nos fuisse cōmotum, duos de meliorib. & maioribus fratribus nostris, Rolandū scilicet cācellariū titulo S. Marci, & Bernhardū titulo S. Clemētis presbyteros cardinales, qui pro tuæ maiestatis honore in Romana ecclesia solliciti semper extiterāt, pro uolūtatis tuę cognitione ad tuā pręsentiā destinauimus, aliter q̃ Imperialē decuerit honorificentiā sunt tractati. Occasione siquidē cuiusdā uerbi, quod est Beneficiū, tuus animus, sicut dicitur, est cōmotus, quod utiq; nedū tanti uiri, sed nec cuiuslibet minoris animū meritò commouisset. Licet enim hoc nomē, quod est Beneficiū, apud quosdā in alia significatione, quàm ex impositione habeat, assumatur: tunc tamen in ea significatione accipiēdum fuerat, quā nos ipsi posuimus, & quā ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto est editū, & dicitur beneficiū apud nos, nō feudū, sed bonum factū. In qua significatione in uniuerso sacræ Scripturæ corpore inuenitur, ubi ex beneficio Dei, non tanquā ex feudo, sed uelut ex benedictione & bono facto ipsius gubernari dicimur & nutriri. Et tua quidē magnificentia liquidò recognoscit, q, nos ita bene & honorificè Imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, ut bonū factum ualeat ab omnib. iudicari. Vnde quòd quidā uerbum hoc, & illud scilicet, Contulimus tibi insigne Imperialis coronæ: à sensu suo nisi sunt ad aliū retorquere, non ex merito causæ, sed de uoluntate propria, & illorū suggestione, qui pacem regni & Ecclesiæ nullatenus diligūt, hoc egerunt. Per hoc enim uocabulū, Cōtulimus, nil aliud intelleximus, nisi quod superius dictū est, imposuimus. Sanè quòd postmodū personas Ecclesiasticas à debita sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ uisitatione, ut dicitur, reuocare iussisti, si ita est, quàm inconuenienter actum sit, tua, fili in Christo charissime, discretio (ut credimus) recognoscit. Nam si aliquid apud nos amaritudinis habebas, per nuncios & literas tuas nobis fuerat intimandum: & nos honori tuo curauissemus, sicut filij charissimi, prouidere. Nunc igitur, quoniam ad cōmonitionem dilecti filij nostri Heinrici Boiariæ & Saxoniæ ducis, duos de fratrib. nostris, Heinricū titulo S. Nerei & Achillei, & Iacinctū S. Marię in Cosmidin diaconos cardinales, prudentes siquidem & honestos uiros, ad tuā præsentiā destinauimus, celsitudinem tuā

monentes & hortantes in Domino, quatenus eos honestè & benignè recipias: & quod ab eis ex parte nostra tuæ magnificentiæ fuerit intimatum, à synceritate cordis nostri nouerit tua excellentia processisse: ac per hoc cum eisdem filijs nostris, mediante iá dicto filio nostro duce, ita celsitudo tua studeat conuenire, ut inter te ac matrem tuam sacrosanctam Romanam ecclesiam, nullius discordiæ seminarium debeat remanere.

Imperator, audita oratione lectisq; literis, mitem se ac clementé uicissim exhibet, simulq; capita quędam, emendationem seriam postulantia, exhibet. Legati iterũ prolixè papæ in Cæsarem beneuolentiam deprædicant, nihilq; eum spectare aliud, nisi ut suus honor, dignitas, excellentia & maiestas Imperij Romani inuiolabiliter cõsistat. Cęsar & suam papæ clementiá pollicetur. Hoc pacto legati regijs muneribus affecti, papæ & clero gratum de pacato Cæsare nuncium perferunt. Idem lib. 3. cap. 15. 16. 21. 22. 23.

SCHISMA INTER IMPEratorem *Fridericum & Hadrianum papam.*

HAdrianus papa causam aduersus Imperatoré Fridericũ ueteratoriè quærebat, oblitus transactionis quæ Augustę facta fuerat. Ad eam uerò turbam habebat quosdá instigatores magistros improbos. More itaq; fœdifragorum, denuò suorum nunciorum iniuriæ meminit: eorumq;, qui pro colligendo fodro missi fuerant, insoléntiam, & grauamen suorum castellanorum accusat, ac querelas de ingratitudine Imperatoris mouet.

Audiens itaq; regalia principi tàm ab episcopis & abbatibus, quàm à ciuitatibus & proceribus esse recognita, literas ad eũ mittit, uerbis quidem lenitatem præ se ferentibus, sed acrimonia refertis. Imperator indignè ferens acerbitatem, & postea magis irritatus, quòd sibi petenti ut comitem Blanderatensem, electum Rauénensem cõfirmaret, semel atq; iterum denegaret, paulò grauius uicissim papæ respondet, & ueterem scribendi morem reuocaturus, suum nomen pontifici præponit, & dictionibus utitur singularis numeri. Ea uerò res ambitioso papæ intoleranda uidetur contumelia: & ut se probè ulcisceretur, Mediolanensem & alias ciuitates ad defectionem hortatur, ut uideas quàm pacificus spiritus in hoc papa habitarit. Hæc facta sunt anno 1158. Vrspergensis sic scribit: Refert supradictus scriptor Cremonensis, uidelicet Ioannes sacerdos, quòd supradictis testimonijs bonorum uirorum didicerit, qui interfuerunt, quòd illa conspiratio cum Apostolico Hadriano iuramentis adeò firmata sit, ut nullus ab altero recedere posset, uel Imperatoris gratiam sine omnium consensu requirere. Quòd si mortuus esset papa ille, de numero conspiratorũ alium eligerent cardinales. Sanè Deus, qui per os Psalmistę Dauid clamauit contra excommunicationem papæ per pecuniam corrupti, declarauit illud propheticum esse uerum: Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundátur: seruus autem tuus lætabitur. Cuius uersus tres articuli in hoc negocio euidentissimè sunt adimpleti. Primũ autem articulum de maledictione seu benedictione Dei, ipsi Deo relinquamus: cæterũ ex duobus consequentibus constabit, primũ non ex Deo, sed ex diabolo processisse. Vt enim adimpleretur illud propheticum, Qui insurgunt in me, confundantur: factum est, ut cum præfatus Hadrianus apud Anagniam denunciaret excommunicationem contra Imperatorem, paucis diebus euolutis, cœpit procedere refrigerandi gratia cum suis: cumq; uenisset ad quendam fontem, hausit de potu illius, & cõtinuò, ut dicitur, musca os eius intrauit, & gutturi eius adhęsit, nulloq; artificio medicorũ auelli potuit, quoadusq; spiritum exhalaret.

SCHISMA MOnasticum.

DE ELECTIONE.

PEtro Cluniacensiũ abbate è rebus humanis exempto, tumultuaria quadam electione Robertus Grossus, comitis Flandriæ cognatus, creatur abbas. Hunc ei honorem alij inuidentes, ad Romanum præsulem deferunt. Itaq; deiecto Roberto, Hugo prior eius cœnobij subrogatur, circa annum Domini 1158. Continuator Sigeberti.

SCHISMA INTER *Fridericum Imperatorem & Hadrianum papam,*

DE STREPA.

RIdiculum certamen inter papam Hadrianum & Fridericum Imperatorem uisum est adijcere, ut uideas uanissimá põtificum Romanorum arrogantiam, & oppressionem magistratus ciuilis. Veniés Fridericus ante urbem Romam, euocat Hadrianum, cum ipso de sui coronatione collocuturus. Quid uerò ibi acciderit, audi. Bambergensis episcopus oratoris uicé gerens, sic inquit: Honorabilé sanctitatis tuæ pręsentiam, Apostolice pontifex, sicut iamdudum sitienter desiderauimus, ita nunc lętanter suscipimus, gratias agentes omniũ bonorum largitori Deo, qui nos deduxit & adduxit in hunc locum, & sanctissima uisitatione

uisitatione tua dignos fecit. Notum tibi ergo cupimus, reuerende pater, quia omnis hæc Ecclesia, de finibus orbis propter honorem regni collecta, adduxerunt principẽ suum ad tuam beatitudinem, prouehendũ ad culmen Imperialis honoris, uirum nobilitate generis conspicuum, animi prouidẽtia instructum, uictorijs felicem, præterea etiam in his quæ ad Deum pertinent præpollentem, obseruatorem sanæ fidei, amatorem pacis & ueritatis, cultorẽ sanctæ Ecclesiæ, super omnia uerò sanctæ Romanæ ecclesiæ, quam amplexatur ut matrem, nihil negligens eorum quę ad honorem Dei & Apostolorum principis exhibenda maiorum iubet traditio. Dat huic rei credulitatẽ humilitas nunc exhibita. Enimuerò ueniẽtem te suscepit intrepidus, & applicitus sanctissimis uestigijs tuis, fecit ea quæ iusta sunt. Restat ergo, domine pater, ut & tu circa ipsum peragas ea quę tua sunt, ut ea quę de plenitudine culminis Imperialis ei desunt, per Dei gratiam tuo opere suppleantur. Ad hęc dominus papa respondit: Verba sunt frater, quod loqueris. Dicis principẽ tuum condignam beato Petro exhibuisse reuerentiam. Sed beatus Petrus magis uidetur inhonoratus. Deniq; cum dexteram deberet tenere strepam, tenuit sinistram. Hæc cum per interpretem regi nunciata fuissent, humiliter ait: Dicite ei, quia defectus hic non fuit deuotionis, sed scientiæ. Non enim tenendis strepis magnopere studium dedi: enimuerò ipse, ut memini, primus est cui tale obsequium dependi. Cui dominus papa: Si quod facillimũ fuit, propter ignorantiam neglexit, qualiter putatis expediet maxima? Tunc rex aliquãtisper motus, ait: Vellem melius instrui, unde mos iste inoleuerit, ex beneuolentia, an ex debito? Si ex beneuolentia, nihil causari habet dominus papa, si uacillauerit obsequium, quod de arbitrio, non de iure subsistit. Quòd si dicitis, quia ex debito primæ institutionis hæc reuerentia debetur principi Apostolorum: quid interest inter dexteram strepam & sinistram, dum modò seruetur humilitas, & curuetur princeps ad pedes summi pontificis? Diu itaq; acriterq; disputatũ est. Postremò discesserunt abinuicem sine osculo pacis. Timentes ergo ij, qui colũnæ regni esse uidebantur, ne fortè rebus infectis frustra laborassent, multa persuasione euicerunt cor regis, dominum papam reuocaret in castra. Eum uerò redeuntẽ suscepit rex integrato officio. Omnibus autem exhilaratis, & conuentioni adgaudentibus, dixit dominus papa: Adhuc superest quod facere debeat princeps uester. Requirat beato Petro Apuliam, quã Vuilhelmus Siculus per uim possidet. Quo facto, ueniat ad nos coronãdus. Responderunt principes, dicẽtes: Diu est quo fuimus in castris, & tu dicis, tibi Apuliam requiri, & sic demum ad consecrationem ueniri: Dura sunt hęc, & supra uires nostras. Quin potius impleatur opus consecrationis, ut pateat nobis reditus patrię, respiremusq; paululum de labore: postmodum expediti redibimus, expleturi quod nunc faciendum restat. Moderante ergo Deo, sub quo curuãtur qui portant orbem, cessit Apostolicus, & assensus est postulationi principum. Factaq; concordia, assederunt in consilio, acturi de introitu urbis & cauendis insidijs Romanorum. Helmoldus cap. 81.

SCHISMA INTER HEINricum Leonem *& archiepiscopum Bremensem Hartuicum,*

DE ELECTIONE *episcopi.*

IN locũ defuncti Vicelini in Sclauis Heinricus Leo, concordante clero, episcopũ Aldenburgensem delegit Geroldum, scholę magistrum in Brunsuico. Archiepiscopus autem Bremensis assentiri nolens, arte moras nectit: hoc enim agebat, ut aliũ sibi chariorem deligeret. Verùm Heinricus Leo delectum episcopum secũ Romam adducit: erat enim in exercitu Friderici Imperatoris. Primùm autem dux rogans Hadrianum, ut suum electum consecret in Aldenburgensem episcopum, repulsam fert. Papa enim per literas Hamburgensis episcopi erat pręmonitus, ne quid contra metropolitanum faceret. Eam igitur ob causam ad metropolitanum causa reijcitur. Postea cum Leo suis uirtutibus inclaresceret, forti manu erũpentes Lateranenses ex urbe Roma reprimẽs, papa uel metu territus, uel admiratione uirtutis adductus, ultrò mittit ad Heinricum, se electum ipsius consecraturum esse: idq; postridiè pręstitit. Postea & Bremensi Geroldus est reconciliatus. Helmoldus cap. 80. 81. 83.

SCHISMA INTER FRIDERIcum *Imperatorem & Salisburgensem Albertum,*

DE INVESTITVRA.

ERat patruus Imperatoris Friderici Albertus electus in Salisburgensem episcopum. Sed is detrectabat regalia ab Imperatore requirere, ut Gurcensis episcopus in sua quadam epistola scribit, his uerbis: Dominus noster (putat archiepiscopum) post introitum suum consilio patris sui, regalia, secundum consuetudinem principum Teutonicorum, ab Imperatore requirere neglexit. Hæc ille. Hac re offensus Imperator, occupat

cupat bona episcopi, ipsumque ad se uocat cum capitulo, ut presentibus episcopis causa dirimatur: quod si fieri non posset, censebat alium eligendum esse. Ex manuscriptis literis.

SCHISMA ANTIPAPALE *inter Alexandrum & quatuor alios coruos,*

DE PINNA TEMPLI.

HAdriano uita functo, Octauianus Romanus mox die tertio pòst creatur pontifex ab octo cardinalibus (in Rolandi epistola ad Gerardum episcopum tantùm tres nominantur: sed cardinales nouem ponuntur) S. P. Q. R. petēte, atq; clero suffragante: ut habet Onuphrius. Tres quoq; tantùm cardinales Platina numerat. Radeuicus continuator Frisingensis nullum ponit numerum. Nominatur autem Victor quartus. Deinde Rolādus Thuscus 12 die pòst à quatuordecim cardinalibus (alij plures habent) deligitur, ac nominatur Alexander tertius: qui, ut testatur Nauclerus, euidens erat Imperij hostis, eamq; ob causam in Friderici Imperatoris & Teutonicæ nationis ignominiam creatur. Hæc sunt schismatis semina, anno Domini 1159.

Nam Rolandi factio, utpote maior, electionem promulgat, eiq; ornamentū, quod Mātum uocant, circumdat. Ipse uerò hoc à se proijcit (alij ui ei à parte aduersa detractum esse dicunt) negatq; se papam futurū. Altera uerò pars manto accepto consecrat Octauianum, eiq; populus Romanus assensit, eo quòd uir esset bonus, humilis & mansuetus. Nec uoluit Rolādus suscipere (si credere fas est) sibi obedientiam deferentes: sed iussit ad alterum se adiungere, qui mantatus seu pallio pōtificio ornatus esset. Sed die duodecimo pòst, Rolandus pallium illud sua spōte persuasus accepit, & schisma in publicum erumpit. Vrspergensis.

Alexander igitur ille ex multitudine sibi adhęrentium superbiens, ad Imperatorem Cremonam tum obsidentem literas mittit, ut sibi contra antipapam opem ferat. Nec suas partes negligit Octauianus, qui in hūc modum ad Imperatoris familiam scripsit: Victor seruus seruorum Dei, uenerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & charissimis filijs abbatibus, ducibus, marchionibus, comitibus & cæteris principibus, & egregiæ familiæ Imperiali, in sacratissima curia domini Friderici, serenissimi ac inuictissimi Romanorum Imperatoris commorantibus, salutem & Apostolicā benedictionē. Quàm & in quantum & Ecclesiastici status decorem, & honorem Romani Imperij, & nobilitatem omnium bonorū hactenus syncerè dilexerimus, & quæ mutuæ charitatis sint inuicem frequenter exhibita, nequaquā credimus à uestræ magnitudinis excidisse memoria. Nunc autē tanto propensioris dilectionis efficaciam uobis & Imperio cupimus exhibere, quantò Deo autore ad maiorem conscendimus dignitatem. Quapropter uniuersitatem uestram, de qua plenè confidimus, plurimùm deprecamur, ut pro beati Petri apostolorū principis reuerentia, & antiquę dilectionis constātia, quæ inter nos inuiolabiliter perseuerare dinoscitur, dominum Imperatorē inuictissimum commonendo rogetis, quatenus Imperio sibi à diuina clementia cōmisso, & Ecclesiæ Dei, sponsæ IESV Christi, cuius aduocatus & defensor diuinitùs est constitutus, prouidere & subuenire non tardet, ne in tanta discordia aduersariorū malitia nequiter præualere, nauicula beati Petri procellis & tempestatibus suo tempore quassari, & decus Imperiale ualeat aliquatenus obnubilari. Insuper uniuersitati uestræ dignum duximus intimandū, qualiter ad Apostolatus officium, Domino cōcedente, uocati fuerimus. Felicis memorię papa Hadriano prædecessore nostro uiam uniuersæ carnis ingresso, in beati Petri basilicam tumulato, conuenimus omnes de electione summi pontificis tractaturi. Post longam uerò collationem & diutinam deliberationem, diuina tandem inspirāte clementia, electione uenerabilium fratrū nostrorum episcoporum, presbyterorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, cleri quoq; Romani petitione, eiusdem populi assensu, etiam senatoriæ dignitatis honoratorum, insuper capitaneorum, ad summum pontificatum, annuente Deo, canonicè sumus electi, & in sede Apostolica collocati: ac denique prima Dominica mensis Octobris benedictionis consecrationem, & nostri officij accepimus plenitudinem. Quocirca uniuersitatem uestram humiliter deprecamur, quatenus nos apud ipsum precibus adiuuetis, à quo omnis est potestas & honor dignitatum. Si autem ex parte illius Rolandi quondam cancellarij, per conspirationem & coniurationem contra Ecclesiam Dei & Imperium Vuilhelmo Siculo adstricti, qui die duodecimo post electionem nostram se fecit intrudi, quod à seculis non est auditum, ad uos scripta peruenerint, tanquam mendacio plena, & à schismatico & hæretico destinata respuatis, & aures uestras nequaquam illis ullatenus præbeatis. Data Segni V. calend. Nouemb. Continuator Frisingensis libro 4. capite 54.

Rolandus uerò sic scripsit: Alexander episcopus,

piscopus, seruus seruorum Dei, uenerabili fratri Gerardo episcopo, & dilectis filijs canonicis Bononiensis ecclesiæ, & legis doctoribus, cæterisque magistris Boloniæ commorantibus, salutem & Apostolicam benedictionem. Æterna & incommutabilis prouidentia conditoris, sanctam & immaculatam Ecclesiam à suæ fundationis exordio ea ratione uoluit & ordine gubernari, ut unus ei pastor & institutor existeret, cui uniuersi Ecclesiarum prælati absque repugnantia subiacerent, & membra tanquam suo capiti cohærentia, ei se mirabili quadam unitate coniungerent, & ab ipso nullatenus dissiderent. Qui uerò Apostolis suis pro eorum fidei firmitate promisit, dicens, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad cõsummationem seculi: ille proculdubio Ecclesiam suam, cuius ipsi Apostoli magisterium assumpserunt, sua promissione fraudari nullo modo patietur: sed eam in suo statu & ordine, licet ad instar nauiculæ Petri fluctuare aliquando uideatur, perpetuò faciet permanere. Vnde & quamuis hoc tempore tres falsi fratres, qui à nobis quidem exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in angelos lucis, cum sint satanæ, inconsutilem Christi tunicam, quam utique ipse quidem ex persona Psalmographi à leonibus petit & à framea erui, & de manu canis orat & postulat liberari, scindere & laniare laborent: Christus tamen auctor & caput Ecclesiæ, eam uelut unicam sponsam suam prouida gubernatione tuetur, & nauem egregij piscatoris, licet sæpius quatiatur à fluctibus, non permittit naufragium sustinere. Porrò cum antecessor noster bonæ memoriæ Hadrianus papa calendis Septembribus Anagniæ debitum naturæ soluisset, & de terris ad cœlum, de imis migrasset, Domino uocante, ad superna, eo Romam adducto, & pridie nonarum Septembris in ecclesia beati Petri, præsentibus ferè omnibus fratribus, satis honestè (sicut moris est) tumulato, cœperunt fratres & nos cum eis secundum Ecclesiæ consuetudinem de substituendo pontifice in eadem ecclesia studiosius cogitare: & tribus diebus de ipsa electione tractantes, tandem in personam nostram, insufficientem huic oneri, & tantæ dignitatis fastigio minimè congruentem, omnes quotquot fuerunt, tribus tantùm exceptis, Octauiano scilicet, Iohanne de S. Martino, & Guidone Cremense, Deo teste, quia mendacium non fingimus, sed meram sicut est loquimur ueritatem, concorditer atque unanimiter conuenerunt, & nos, assentiente clero ac populo, in Romanum pontificem elegerunt. Duo uerò, Ioannes & Guido, quos prænotauimus, tertium Octauianum nominantes, ad eius electionem pertinaciter intendebant. Vnde & ipse Octauianus in tantam audaciam insaniamque prorupit, quòd mantum, quo nos reluctantes & renitentes, quia nostram insufficientiam uidebamus, iuxta morem Ecclesiæ Odo prior diaconorum induerat, tanquam arreptitius à collo nostro proprijs manibus uiolenter excussit, & secum inter tumultuosos fremitus asportauit. Cæterùm cum quidam de senatoribus tantum facinus inspexissent, unus ex eis spiritu diuino succensus, mantum ipsum de manu eripuit sæuientis. Ipse uerò ad quendam capellanum suum, qui ad hoc instructus uenerat & paratus, ilico flammeos oculos fremebundus inflexit, clamans & innuens, ut mantum, quem fraudulenter secum portauerat, festinanter afferret. Quo utique sine mora delato, idem Octauianus, abstracto pileo & capite inclinato, cunctis fratribus aut loco inde aut uoluntate remotis, mantum per manus eiusdem capellani & cuiusdam clerici sui ambitiosus assumpsit, & ipse idem, quia non erat alius, in hoc opere capellano & clerico extitit coadiutor. Verùm ex diuino credimus iudicio contigisse, quòd ea pars manti, quæ tegere anteriora debuerat, multis uidentibus & ridentibus posteriora tegebat. Et cum ipse idem hoc emendare studiosius uoluisset, quia caputium manti extra se raptus non poterat inuenire, collo fimbrias circumduxit, ut saltem mantus ipse appensus ei quodammodo uideretur. Sicque factum est, ut sicut tortæ mentis erat & intentionis obliquæ, ita ex transuerso & obliquo mantum fuerit in testimonium suæ damnationis indutus. Quo facto, portæ ecclesiæ, quæ firmatæ fuerant, reserantur, & armatorum cunei, quos, sicut ex re apparuit, pecuniæ largitione conduxerat, euaginatis gladijs cum immenso strepitu cucurrerunt, & pestis illa mortifera, quia cardinales episcopos non habebat, armatorum caterua militum uallabatur. Fratres uerò facinus tam immensum, & à seculis non auditum, ex insperato uidentes, & formidantes, ne à conductitijs militibus trucidarentur, sese in munitionem ecclesiæ nobiscum pariter receperunt: ibique nouem diebus continuis, ne exinde liberè exiremus, fecit nos quorundam senatorum assensu, quos pecunia oblata corruperat, die noctuque armata manu cum omni diligentia custodiri.

custodiri. Sanè populo incessanter & iugiter acclamante, & in senatores pro tanta impietate multa immanitate fremente, de custodia fuimus illius munitionis erepti: sed in arctiori & tutiori loco apud Transtyberim nos ijdem senatores, recepta inde pecunia, proposuerunt. Cumq; moram ibidem fermè per triduum fecissemus, uniuerso populo tantam proditionem atque malitiam decæterò nullatenus sustinente, senatores cum nobilibus & populo uenientes, nos & fratres nostros per urbem magnificè & honorificè cum immensis laudibus & præconijs, campanis etiam in transitu nostro pulsantibus, conduxerunt. Et sic tandem à uiolentia persequentis erepti, & nostræ redditi libertati, sequente die Dominico, uenerabilibus fratribus nostris Gregorio Sabinensi, Hubaldo Hostiensi, Bernhardo, Vualtero, Iulio, episcopis, cardinalibus quoq;, abbatibus, prioribus, iudicibus, aduocatis, scriniarijs, primicerio, & schola cantorum, nobilibus etiam, & quadam parte de populo urbis apud Nunpham non longè ab urbe in simul cõgregatis, munus consecrationis accepimus, & sicut in Romana ecclesia moris est, ibidem pontificali regno magnificè fuimus ac solenniter coronati. Cæterùm prędictus Octauianus, cum pro consecratione, imò execratione sua, dum in urbe esset, & postquam latenter urbem exiuit, multos episcopos conuocasset, nullum prorsus præter unum, Ferentinatem uidelicet episcopum, habere potuit pro sua temeritate & uesania confirmanda. Quosdam tamen episcopos Imperialibus minis, quosdam uiolentia laicali, quosdam uerò pecunijs & blanditijs allicere uoluit: sed nihil, Domino impediente, profecit. Vnde nec adhuc inuenire potest, licet omnibus modis enitatur, qui ei manus execrationis imponat, & se tantæ faciat præsumptionis & impietatis autorem. Verùm memorati Ioannes & Guido, cæcitatis tenebris obuoluti, quemadmodum scriptum est, Peccator, cum uenerit in profundum malorum, contemnet: nec sic à sua præsumptione damnabili resipiscunt: sed eundem Octauianum, quem sibi in statuam erexerunt, obstinata perfidia uenerantur, & eũ, relicta unitate Ecclesiæ, præsumunt usque adhuc tanquam idolum aut simulachrum adorare. Ipse autem Antichristi tempora præfigurans, usqueadeò erectus est supra se, ut etiam in templo Dei sederit, ostendens se tanquã sit Deus: & multi abominationem desolationis stantem in loco sancto, nõ sine multa lachrymarum effusione corporeis oculis inspexerunt. Sanè nos infirmitatem nostram & uirtutum indigentiam cognoscentes, nostrum in Dominum iactamus cogitatum, sperantes, & de Christi misericordia plenius confidentes, quòd Ecclesiam sanctam suam, pro qua ipse idem in substantia nostræ mortalitatis apparuit, ut eam sibi non habentem rugam aut maculam exhiberet, optata faciet in tranquillitate lætari: & procellarum omnium inundatione sedata, nihil erit quod iam ei possit obsistere, ubi unicus eius sponsus uoluerit nubilosa quæque & noxia propulsare. Nunc igitur, quia nos de nostrorum meritorum qualitate diffidimus, & de honestate & religione uestra plenam habemus fiduciam, uestris & uniuersalis Ecclesiæ precibus infirmitatem nostram petimus adiuuari, charitatem uestram per Apostolica scripta rogantes, & commonentes attentius, & sicut uiri catholici uos pro domo Domini muros inexpugnabiles opponatis, & in deuotione ac fidelitate matris uestræ sacrosanctæ Romanæ ecclesię immobiliter persistentes, ab eius unitate nullatenus recedatis: quòd si præfatus uir impietatis ad partes uestras aliqua damnationis suæ scripta transmiserit, ea sicut respuenda sunt, respuatis, & tanquam uana ac sacrilega contemnere & abijcere studeatis. Nouerit insuper discretio uestra, quòd nos supranominatum Octauianum, apostaticum & schismaticum, in octauo die à consecratione nostra (tunc enim terminum ei resipiscendi, & ad unitatem matris Ecclesiæ redeundi præfiximus) tanquam inobedientem & contumacem, & illos qui ei manus pręsumerent, non dicimus consecrationis, sed execrationis imponere, & de communi fratrum nostrorum episcoporum & cardinalium uoluntate atque consilio, accensis candelis, & cœtu clericorum in ecclesia congregato, uinculo anathematis & excommunicationis astrinximus, & eos cum suo autore diabolo condemnauimus. Ibidem capite 55.

Cardinales quoque literas ediderunt. Vna enim pars hasce emisit: Venerabilibus in Christo fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ducibus, principibus, præpositis, prioribus, & cæteris Ecclesiarum prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, Ymarus Thusculanus episcopus prior episcoporũ, Iohannes titulo S. Syluestri & Martini, Guido Cremẽsis titulo S. Calisti, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinales: Rimundus diaconus cardinalis S. Mariæ in uia lata, & Sy. S. Mariæ in Dominica, & Sublacensis abbas, perpetuam in Domino salutem. Ex quo contra honorem

Eccleſiæ Dei & Imperij,amicitia inter dominum papam Adrianũ & Vuilhelmũ Siculum apud Beneuentum facta eſt, diſſenſio & diſcordia non modica inter cardinales ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ non ſine cauſa oborta eſt:nobis ſcilicet, qui honorem & dignitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ & Imperij nullatenus diminui uolebamus,amicitiæ quæ facta fuerat in detrimẽtum Eccleſiæ & Imperij, nequaquam conſentientibus:alijs uerò,qui pecunia & multis promiſsionibus obcæcati,iam dicto Siculo tenebantur aſtricti, conuentionem ipſam,taliter (ut diximus) fabricatam, nequiter defendentibus, & quàm plures in partem ſui erroris attrahentibus,noſtro conatui & uoluntati totis uiribus pertinaciter reſiſtentibus.Proinde procedente tempore,cum iam fama ferret,Imperatorem Italiam intraſſe, & plurimam eius partem ſuæ poteſtati ſubiugaſſe, prædicti fratres Siculo aſtricti dominum papam ſollicitare ac circumuenire omni ſagacitate cœperunt, qualiter aliqua occaſione aſſumpta, dominus Imperator & omnes ſequaces eius excommunicationi ſubderentur, & nos ad id faciendum unà cum eis iuramento adſtringeremur. Nos autem econtrà diximus, potius Siculum excommunicandum, qui omnia iura Eccleſiæ tam ſpiritualia quàm temporalia uiolenter abſtulerat, quàm Imperatorem, qui eccleſiæ Romanæ & Imperij iura fideliter laborabat recuperare, & Eccleſiam de ſeruitute ad libertatem reducere. Hoc audientes fautores Siculi, à iam dicto conſilio cum rubore ſiluerunt. Eo igitur conſilio, noſtro ſtudio & exacta diligentia taliter caſſato,& exinde uenerabili fratre noſtro Octauiano, tunc ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbytero cardinali, nunc Apoſtolicæ ſedis pontifice, unà cum fratre Vuilhelmo presbytero cardinali ſancti Petri ad uincula,ad Imperialem celſitudinem legationem fungente,dominus papa cum ſibi cõſentientibus ſupradicti Vuilhelmi fautoribus urbem egreſſus, Anagniam uenit: ubi tunc demum manifeſta conſpiratione omnes præfati Vuilhelmi fautores in pręſentia domini papæ ſacramento firmauerunt, perſonam Imperatoris excommunicationi ſubijciendã, & extunc in antea eius honori ac uoluntati uſq; ad mortẽ immutabiliter contraire, & ſi contingeret dominum papam uita decedere,neminẽ ſe, niſi de illis qui coniurauerant,in pontificem eligere.Circumpoſitos inſuper epiſcopos,ne alicui electo,in quẽ Siculi ſecta non conſentiret,in conſecratione manus imponerẽt,iuramento nihilominus conſtrinxerũt. Poſtmodum iam ſæpedicto patre noſtro Hadriano Anagniæ calend. Septembrib. defuncto, omnes illuc conuenimus: & cũ de corpore ſiue ibidem tumulando,ſiue Romam deferendo non parua contentio oriretur,tandem Romam corpore deportato, prius in uerbo ueritatis tale pactũ unanimiter fecimus,& ſcripto mãdauimus, quale nunc ſequitur:In nomine Domini, Amẽ. Conuenerũt epiſcopi, presbyteri, diaconi, cardinales S.Romanæ eccleſiæ, & promiſerunt ſibi inuicem in uerbo ueritatis, qđ de electione futuri pontificis tractabũt, ſecundum conſuetudinem iſtius eccleſię,ſcilicet quòd ſegregentur aliquæ perſonę de iiſdem fratribus, qui audiant uoluntatem ſingulorum,& diligenter inquirãt, & fideliter deſcribant: & ſi Deus dederit, quòd concorditer poſsimus conuenire, benè:ſin autem, nullus procedat ſine communi cõſenſu:& hoc obſeruetur ſine fraude & malo ingenio.

Tali pacto in uerbo ueritatis firmato, poſt humatũ corpus in eccleſiã B. Petri ad eligendũ pontificem cõuenimus, & iuxta prædictã conſuetudinẽ perſonas, quæ ſingulorũ uoluntates diligenter inquirerent & audirent ac deſcriberent, ſegregauimus. Sed cum propter conſpirationem aduerſæ partis electio lentè procederet, tertia die ferè tranſacta,ad hoc tandem deuentũ eſt, quòd XIIII cardinales ex aduerſo,qui ſacramento conſtricti tenebantur, Rolandũ cancellarium nominauerunt. Nos autem IX numero, qui nefandi iuramenti exortes eramus, uenerabilem fratrem noſtrum Octauianum presbyterum cardinalem, uirũ utiq; honeſtũ & religioſum,ad regimen Apoſtolicæ ſedis, & ad concordiæ & pacis unitatem inter Eccleſiam & Imperium reformandam ac conſeruandã dignum & utilem eſſe cognoſcentes, elegimus. Cũ res taliter ageretur, & partem contrariam pactum,quod in uerbo ueritatis firmatũ fuerat, penitùs tranſgredi uolentem ſentiremus, pactum ſupradictum illis ad memoriam reducentes,auctoritate Dei omnipotẽtis & omnium ſanctorum,atq; noſtra,eis penitùs interdiximus,ne abſq; cõmuni cõſenſu omniũ, ſicut in pactione continetur, ullatenus aliquẽ immantarent,& Rolandũ cancellariũ eadẽ autoritate ne ſuſciperent, nihilominus prohibuimus. Qui dum uerba & admonitiones noſtras uilipenderẽt, & Rolandum cãcellarium manto feſtinarent induere, nondum tamen illo induto, nos illorum malitiæ potius cõtraire quàm cõſentire uolentes, & quod malè conabãtur,minimè permittentes,ad petitionẽ populi Romani, electione uniuerſi cleri, aſſenſu

ſenſu

sensu etiam totius ferè senatus & omnium capitaneorum, baronũ, nobilium, tam infra urbem quàm extra urbem habitantiũ, nostrum electum manto induimus, & inthronisatum in sede beati Petri collocauimus: inde ad palatiũ eiusdẽ, acclamante uniuerso populo, hymnum Deo decantante clero, & omnib. solenniter adimpletis, honorificè deduximus. Aduersæ uerò partis cardinales retrocedentes, in castrum B. Petri se contulerunt, ibiq; per dies octo & amplius inclusi permanserunt. Inde postmodũ per senatores educti, extra urbẽ secesserunt: & XII postea die, quod à seculo non est auditum, in castro nomine Cisterna, intra Aritiam & Terratinam, Rolandum cancellarium immantauerunt, & in sequenti Dominica execrauerunt: ac continuò mittentes nuncios per uniuersam Italiam, episcopis, ne ad consecrationem nostri electi uenirent, penitùs dissuaserunt, minantes illis excommunicationem & depositionem in perpetuum. Qui tamen in prima Dominica mensis Octobris, autoritate Dei honorificè consecratus est. Rem qualiter facta est, uestræ fraternitati insinuauimus, nihil præter ueritatem adnectentes, teste Deo, qui falli non potest: & si angelus de cœlo aliud euangelisaret, à ueritate penitùs aberraret. Veruntamen multa quæ facta sunt omittentes, ista prout breuius possumus, uobis significamus, ne prolixiore pagina aures uestras oneraremus. Hæc itaque animaduertat uestra fraternitas, quàm deuotissimè obsecramus & admonemus, & modis omnibus quibus possumus exhortamur in Domino, quatenus neq; per sermonem, neque per epistolam à uestro sensu moueamini, sed in ueritate nobiscum firmi & immobiles permaneatis. Idem cap. 56.

Altera uerò pars tale scriptum diuulgauit: Friderico Dei gratia glorioso, illustri, magnifico & sublimi Romanorum Imperatori, Gregorius Sabinẽsis, Hubaldus Hostiẽsis, Iulius Prænestinus, Bernhardus Portensis, Vualtherus Albanensis, episcopi: Hubertus titulo S. Priscæ, Iohannes titulo sanctorum Iohannis & Pauli, Heinricus titulo S. Nerei & Achillei, Ildebertus titulo basilicæ XII Apostolorũ, Iohannes titulo S. Anastasiæ, Bonadies titulo S. Chrysogoni, Albertus titulo S. Laurentij in Lucina, & Vuilhelmus titulo S. Petri ad uincula, presbyteri: Oddo S. Gregorij ad uelum aureũ, Ro. S. Luciæ in septa solis, Iacinctus S. Mariç in Cosmidin, Oddo S. Nicolai in carcere Tullij, Arde S. Theodorici, Bo. sanctorum Cosmæ & Damiani, C. S. Adriani, P. S. Eustachij, & Io. diaconi cardinales, uoluntate & spiritu in Domino congregati, salutem & gloriosam de inimicis uictoriam. Quantò excellentiæ uestræ maior à Deo collata est & attributa potestas, & quanto sublimiorẽ inter mortales dignitatis locum cõstat uos obtinere, tanto amplius Imperialem conuenit maiestatem, sacrosanctam Romanã ecclesiam, specialem & unicam matrem uestram, in omnibus honorare, & ei semper, & præsertim necessitatis tempore salubriter atq; utiliter prouidere. Quid autẽ diebus istis in eadem ecclesia Romana contigerit, & quàm inauditũ facinus ab his quos filios reputabat, aliquantis diebus transactis fuerit perpetratũ, dignum, imò dignissimum est nos Imperiali celsitudini nostris literis aperire. Nuper siquidem, cum dominus noster bonæ memoriæ Hadrianus papa calend. Septembris apud Anagniã debitum naturæ soluisset, & de terris ad cœlũ, de imis migrasset, uocante Domino, ad superna, tres falsi fratres, Octauianus scilicet, & Ioãnes de S. Martino, & Guido Cremensis, qui à nobis quidem exierunt, sed nõ fuerunt de nobis, transfigurantes se in angelos lucis, cum sint satanæ, &c. Et infrà: Adhæc nouerit sublimis gratia uestra, quòd Otto palatinus comes, occasione de intrusione Octauiani suscepta, præfatum dominum nostrum & nos omnes plurimùm infestauit, & Ecclesiam Dei nisus est scindere, & multipliciter absq; rationabili causa turbare. Campaniam siquidem & patrimonium beati Petri cum intruso & apostatico Octauiano uiolenter intrauit, & terram ipsam studuit ei quibuscunque modis subiugare. Nos itaque & tota Ecclesia Dei nobiscum maiestatem uestram suppliciter exoramus, ut tam uiolenta intrusione ita sicut est intellecta, & diligẽter inspecta, qualiter uobis ad salutem animæ uestræ & honorem Imperij super tanto negocio sit ꝓcedendum, diligenter attendatis. Considerate & aduertite, qualiter circa sacrosanctã Romanam ecclesiam, & circa unicum spõsum eius Dominum nostrum IESVM Christum, sine quo nec regnum potest aliquis obtinere terrenum, nec acquirere sempiternum, oporteat uos habere, & qualiter eam ab impugnatoribus, & præsertim ab schismaticis & hæreticis ex Imperialis officio dignitatis protegere debeatis modis omnib. ac tueri. Nos siquidẽ uos, sicut specialem defensorẽ & patronũ Romanæ ecclesiæ, modis omnibus honorare intendimus, atq; ad augmentũ gloriæ uestræ, quibus modis possumus, cum Deo aspiramus. Rogamus autẽ, & instantius supplicamus, ut matrem uestram S. Romanam ecclesiam diligatis & honoretis, & ad pacem & tran-

tranquillitatem ipsius, quibus modis Imperialem conuenit excellentiam, intendatis, & tantam præfati inuasoris atq; schismatici iniquitaté nullatenus foueatis. Ibidem cap. 57. Obseruatione autem dignú est, quòd isti antipapæ sese mutuis anathematis deuouent ante causæ determinationé. Deinde uerè & propriè sese Antichristos proclamant, seseq; ueluti sorices suis sibilis produnt & patefaciunt.

Imperator æqua lance controuersiam ponderaturus, iubet utrosq; Papiam accedere, quò episcoporum concilium toto orbe cōuocat. Rolandus nolens in discrimen suá dignitatem adduci, magistratus politici obedientiam detrectat, clamitans se ritè uocatú, alterum uerò intrusum (sicut alter uicissim ipsi crimen intrusionis impingebat) contendebat insuper, non esse conciliú à se suáue autoritate indictum. Ferocior quoq; est ob regis Siciliæ Vuilhelmi factionem: confert igitur se Anagniam. Octauianus autem in synodo apparet. Totius itaque concilij communi consensu & decreto Rolandus, tanquam Ecclesiæ inobediés & contumax, ut disertè Onuphrius loquitur, à sede Apostolica deiectus est: & ut Vrspergensis scribit, de iure quoq; satis adiectum est. Dixerat etiam Alexander satis superbè, Romanum pontificem à nemine iudicari debere. Octauianus uerò confirmatus Imperatorem & Germanicos præsules sibi adhærentes habuit.

Rolandus porrò pro culmine suo extrema quæq; moliturus, cum Imperatore & Octauiano expostulat primùm, & iubet eos acta retractare. Postea & cum suis asseclis magistratum Christianum & Octauianum horribili anathemate ferit: idem uerò ab Octauiano uicissim retulit.

Rolandus igitur in omnes partes istas excommunicatorias literas emittit, ac tum Ecclesiasticos tum politicos incitat, ut eam excōmunicationem ratam habeant. Adiungunt autem se ei, ut fieri solet in dissensionibus publicis, rex Angliæ, Franciæ & Siciliæ, sua quędam negocia priuataq; commoda spectantes.

Romá aût petens Rolandus, uidet sibi locú ibi nō esse: ideo quàm potest ocyssimè in Franciá aufugit, atq; in mōte Claro fulmen suú euibrat contra suos aduersarios.

Scribit Helmoldus, Alexandrum accepisse atq; approbasse Hierosolymitaná ecclesiá & Antiochená, omnemq; Franciam, Angliam, Hispaniam, Daniam & Cistercié sem ordinem, qui quidem habet innumerabiles monachos. Eam igitur ob causam Fridericum proposuisse edictum, ut Cistercienses monachi uel subscriberent Victori, uel toto regno cederent: id quod plurimi fecerunt. lib. 1. cap. 91. Idem Crantzius in Saxonia lib. 6. cap. 18. annotat.

Blondus scribit, Fridericú Imperatorem missis archiepiscopis, populo Romano pacem obtulisse, si inter duos illos pontifices uellent cognoscere, eúq; qui esset dignior accipere: ac uelle se omnia quę occupasset, ecclesię restituere. Eas aût cōditiones cú populus amplexatus esset, Alexander noctu abit & aufugit. Fridericú uerò pestis expulit. In Decad. lib. 5. Helmoldus narrat lib. 2. cap. 10, Fridericú Imperatoré, dum Genuá expugnaret, pręmisisse Coloniésem & Moguntinum cum exercitu ad urbem: quibus cum Romani introitum prohibituri occurrerent ingenti exercitu, ad duodecim milia cæsa sunt, ac cæteri fugati. Imperator potitus uictoria, propius aduenit, atq; urbem capitur. Alexáder igitur noctu se iñ pedes conijcit. Crant. Metropol. lib. 6. cap. 48 idé narrat.

Denuò aût Imperator locú cōuentus indicit apud Diuioné, ubi Sauo fluuius Gallos à Germanis diuidit. Regé Galliæ hortatur, ut Alexandrú eò secú adducat, idem se facturú de Victore. Sed fastu turgens Rolá dus ille, ad conciliú nō uenit, quia ipse pro suo fastigio illud nō indixisset: aliudq; Turoni suo arbitratu inchoat. Sic delusus iterú est Imperator. Remissus aût Octauianus in Italiá, Lucæ moritur, ut suspicio est, ueneno sublatus. Durauit auté hoc schisma annos 4. menses 8. Platina, Onuphrius.

In Octauiani locum à cardinalibus, assentiente Friderico, delectus est Guido Italus, Calixtus tertius cognominatus: is quoque Romæ uixit sicut Octauianus, Rolando in exilio passim oberrante. Fuit autem papa quinquennium.

Eo quoq; ad suos maiores collecto, deligitur Iohánes Hungarus, Paschalis tertius dictus, qué ait Platina furto infamé fuisse. Verùm is destitutus à suis defensoribus, ultrò ad Alexandrum abit, sponteq; se sua dignitate abdicat.

Stella inquit, Victori successisse Paschalé, deinde Calixtú, & tertiò Innocentiú. Auentinus quoq; narrat, Victore mortuo, in Germania Fridericú Guidoné designasse papá, & Paschalé uocasse, Romáq; introduxisse. lib. 6. Annalium Boiorum.

Tandem Venetijs anno 1178 inter Imperatorem & papam concordia initur. Totum igitur schisma antipapale annos circiter 17 ecclesiam Romanam duriter exercuit. Platina, Onuphrius, Vincentius, Epitome Aneæ Syluij, Vvimphelingus.

SCHISMA INTER FRIDERICUM I. & papam, DE DOMINATIONE papæ.

PEstilentissima discordiarũ semina papa Romanus seminauit cõtra Imperatorẽ Fridericũ primum: qua de re subijciemus Bambergensis epistolam, cuius consilio in rebus maximis usus est Imperator.

Reuerendissimo patri & domino Eberhardo, Saltzburgensis ecclesiæ archiepiscopo, Eberhardus Babenbergẽsis gratia Dei, si quid est, cum oratione qualicũq; seruitiũ deuotissimum. Scio pater sanctissime, sacrę pietatis affectu uos compati meis laboribus, & animæ mihi salutẽ & corpori quietem cõcupiscere. Vt autem noueritis quoad compati uos mihi oporteat, dico uobis, quòd iam tædet animam meam uitę meæ, duo ferens onera in animo meo grauissima, quòd & cinctus ducor quò nolo, & quamdiu durare debeat ignoro, uestris & aliorũ fidelium orationibus adiuuari desiderans, ut ab illis separer, quibus iurauit Dominus in ira sua, si introibunt in requiem meam. Super hæc tempora periculosa instare uidentur, & propè est, ut inter regnum & sacerdotium moueatur discordia. Et quidem à cardinalibus à domino papa ad dominum Imperatorem transmissis, domino uidelicet Octauiano, & domino Vuilhelmo quondam Papiensi archidiacono, post lene principium & ingressum quasi pacificũ capitula durissima proposita sunt, uerbi gratia: Nuncios ad urbem ignorante Apostolico ab Imperatore non esse mittendos, cum omnis magistratus inibi beati Petri sit cum uniuersis regalibus. De Dominicalibus Apostolici fodrum non esse colligendum, nisi tempore suscipiendæ coronæ. Episcopos Italiæ solum sacramentum fidelitatis sine hominio facere debere domino Imperatori. Neque nuncios Imperatoris in palatijs episcoporum recipiendos. De possessionibus Romanæ ecclesiæ restituendis, & tributis Ferrariæ, Massæ, Ficorolu, totius terræ comitissæ Mahtildis, totius terræ quæ ab aqua pendente est usq; Romam, ducatus Spoletani, insularum Sardiniæ, Corsicæ. Domino autem Imperatore super his iusticiam & consilium constanter offerente, si & ipsi iusticiam uellent facere & recipere: illis uerò recipere tantùm uolentibus, & non facere, hac ratione, quòd dominum Apostolicum causæ subijcere ac iudicio sistere non possent: & ecõtrariò domino Imperatore multa proponente de rupta concordia, quæ in uerbo ueritatis sibi compromissa fuerat. De Græcis, de Siculo, de Romanis sine cõmuni consensu non recipiendis. De cardinalibus quoque sine promissione Imperiali liberè per regnum transeuntibus, & regalia episcoporum palatia ingredientibus, & Ecclesias Dei grauantibus, de iniustis appellationibus, & cæteris quàm pluribus breuitatem superantibus, cum Apostolicus per nunciũ & literas cardinalium prædictorum ex cõsensu Imperatoris submonitus, cardinales alios ad hęc omnia cõplananda requisitus, his qui aderant nuncijs suis & curiæ principibus nollet adiungere, unitatis & concordiæ uerbũ Domini desideratũ, peccatis nostris exigentibus, euacuatũ est. Et dum hæc agerentur, nuncij Romanorũ superuenientes, & ea quæ pacis sunt rogantes, bene recepti ac dimissi sunt. Rogatu tamẽ cardinaliũ, dominus Imperator nuncios ad dominũ papam & ad urbẽ missurus est, ut cum Apostolico, si ipse uoluerit, primo loco pax fieret: sin autẽ, cũ senatu ac populo Romano. Dominus Imperator in magna est gloria, dominam Imperatricem & ducẽ Boiariæ & Saxoniæ, cũ alijs superuenturis principibus & copijs exercitus expectans, & quosdam de melioribus ex Mediolano & Brixia in uinculis retinens. Valete.

Imperator autem ad hæc uerba cardinalium tale dedit responsum: Quamuis non ignorem, ad tanta negocia, non ex animi mei sententia, sed ex consilio principũ me respondere debere: sine præiudicio tamen sapientũ hoc absq; cõsultatione respõdeo. Episcoporũ Italiæ ego quidẽ nõ affecto hominiũ, si tamẽ & eos de nostris regalib. nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint à Romano præsule, Quid tibi & regi? cõsequenter quoq; eos ab Imperatore nõ pigeat audire, Quid tibi & possessioni? Nũcios nostros nõ esse recipiendos in palatijs episcoporum asserit: concedo, si fortè aliquis episcoporum habet in suo proprio solo, & non in nostro palatium. Si autem in nostro solo & allodio sunt palatia episcoporum, cum profectò omne quod ædificatur, solo cedat, nostra sunt & palatia. Iniuria ergo esset, si quis nuncios nostros à regijs palatijs prohiberet. Legatos ab Imperatore ad urbem non esse mittendos affirmat, cum omnis magistratus inibi beati Petri sit cum uniuersis regalibus. Hæc res fateor magna est & grauis, grauiorique ac maturiori egens consilio. Nam cum diuina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar & sim, speciem tantùm dominantis effingo, & inane utiq; porto nomen, ac sine re, si urbis Romæ de manu nostra potestas fuerit excussa.

Tandem utrinq; conuenitur, ut ex par-

te papæ sex cardinales, & ex parte Imperatoris sex episcopi iudices & dirimptores tantarum controuersiarum constituantur. Sed papa hoc cōsilium euertit: qua de re sic Imperator scribit Eberhardo Saltzburgensi archiepiscopo: Quomodo quidē fidelitatis tuæ constantiam, quam pro consuetudine exhibere soles Imperio, frequēter experti sumus, quæ apud nos sunt, discretioni tuæ significamus, & prudentiæ tuæ consilium aduocamus. Venerunt siquidem ad nos duo cardinales à papa missi, ad hoc, ut inter nos & illum fieret concordia. Dixerunt igitur, quòd papa illam requireret pacem atque concordiam, quæ inter papam Eugenium & nos facta fuerat & scripta. Nos respondimus, quòd pacem siquidem inuiolabiliter hucusque tenuissemus: decæterò autem neque eam tenere, neque ea teneri uellemus, quomodo ipse prior eam uiolasset in Siculo, cui ipse sine nobis reconciliari non debuisset. Adiecimus tamen, quòd omnem iusticiam dare & accipere parati essemus, siue secundum humana, siue secundum scripta diuina. Si uerò iusticia grauis uideretur, consilio principum & religiosorum, pro amore Dei & Ecclesiæ, libenter nos supponeremus. Placuit uerbum nostrum cardinalibus. Dixerunt tamen, nisi prius cognita papæ uoluntate, super hoc se nihil posse uel audere. Missis nuncijs uerbum nostrum cognouit papa, mandauitque sicut prius, aliam se nolle concordiam, quàm illam quæ inter papam Eugenium & nos facta fuisset. Nos supradicto modo hoc recusauimus, & in præsentia, & testimonio omnium Teutonicorum, & Longobardorum episcoporum, & laicorum principum, & baronum, & Vauassorum, omnem iusticiam atque consilium obtulimus, ut & nos acciperemus iusticiam. Præsentes ibidem fuêre Romanorum ciuium legati, qui cum indignatione mirabantur super his quæ audierunt. Mandauit enim papa noua, & grauia, & nunquam prius audita, quæ sine consilio tuo & aliorum fidelium Imperij pertractari non possunt. Hæc discretioni tuæ communicauimus, ut si qua tibi super his occurrerint, nosse ueritatem non sit inutile. Rogamus etiam, ut si necesse fuerit, & nos tibi mandauerimus, ad nos pro tanto negocio uenire non differas. Radeuicus libro quarto, capite 34.35. Hæc autem facta sunt anno Domini 1159.

SCHISMA IN ECCLESIA *Gallicana*, DE VVALDENSIBVS, SEV *de pauperibus de Lugduno.*

PVblicam Vualdensiū ab ecclesia pontificia discessionē inter schismata potius quàm inter hæreticorum classes reponere uisum est: quia synceriorem doctrinā uoce, scriptis, & uitæ integritate professi sunt: id quod ex sequenti commemoratione lectori pio manifestum efficietur.

In Gallijs, circa annum Domini 1160, in cœtu confitentium nomen Domini Petrus quidā Vualdensis (alij Vualdū nominăt) ab oppido Vualdis, sito in marchia Galliæ, unde erat oriūdus, sic appellatus, præcipuè pietate excellebat. Erat aūt ciuis Lugduni, eruditione, sapiētia & opib. minimè obscurus. Ab hoc igitur uiro toti cœtui illorū cōfessorū, nomē Vualdensiū tanquā sectæ tributū est. Pauperes uerò de Lugduno dicti sunt ab euētu: quia erogatis facultatib. in pauperes, & ab Antichristo Romano eiusq; mancipijs, suis sedibus atq; facultatib. excussi atq; exuti, in paupertate graui coacti sunt oberrare, proprijsq; manib. uictū quęritare. Leonistæ denique cognominati sunt: quia Lugdunū uulgò Leon appellatur, ubi hæc discessio à pontificiorum cohorte facta est.

Neq; uerò recēs ea secta est, eaq; primùm ætate nata: sed ipsimet pontificij scriptores ultrò fatentur, eā tēporib. Syluestri, imò ante ipsum quoq; Apostolorū seculo extitisse. Cum enim isti ciues ueræ Ecclesiæ Christi fuerint, nō immeritò hoc testimoniū antiquitatis ipsis, etiam ab hostibus adscribitur. Ecclesia enim Dei perpetua est, licet aliàs sit illustrior, aliàs obscurior.

Occasionē uerò eiusmodi annotāt scriptores: Cōuenerāt Lugduni optimates nōnulli, de negotijs suis cōferētes: ibi unus subitò collapsus in cōspectu reliquorū omniū expirat. Hūc repētinū casum Petrus Vualdēsis, q inter eos nō postremæ authoritatis erat, uidēs, uehemēter cōsternatus est, deq; fragilitate uitę humanę cœpit aliquāto attētius magisq; seriò q̃ antea cogitare. Animū igitur ab immodico studio rerū terrenarū abducens, sacra Biblia studiosius quàm antea legit: aliosq; similiter hortari cœpit, ut non totos sese curis rerum mundanarū ac fluxilium dederent: sed ad cœlestes atq; æternos thesauros potius adspirarent, sinceráq; religionē sectarētur, q̃ in certis prophetarū & Apostolorū monumētis extaret. Cūque tāquā homo eruditus & timēs Deū intelligeret, pōtificios p̄sules auaricia & ambitiōe ebrios, nō tātū negligere doctrinā in sacris libris traditā, sed plerosq; fidei articulos fœdissimè deprauare, traditionibus humanis

manis miseras conscientias, cognitione peccatorũ territas, crudeliter uexare, crucifigere atq; occidere, prophanare Sacramenta Christi, idololatrias sibi quæstuosas urgere, inculcare tantùm cõciliorum placita & & hominum scripta: ideo suasit omnibus, ut Biblia potius legerent, atq; ex ipso fonte libentius haurirent aquam salutarem, quàm ex hominum impuris lacunis: soli enim Biblicæ scripturæ, tot diuinis testimonijs ornatæ atque confirmatæ, consciẽtias tutò inniti posse. Hæc domi suæ familiæ, tanquam pius paterfamiliâs instillat, & catechismum exponit, amicos quoq; & familiares de ijsdẽ rebus modestè, piè, grauiter cõmonefacit. Et cum antithesis ostendẽda esset, iuxta Pauli institutionẽ Tit. 1. quãtis tenebris põtificij doctores summa fidei Christianæ capita inuoluãt, animasq; innumeras, ueluti fures & latrones, suis humanarũ traditionũ uinculis torqueãt atq; strãgulent, ueluti digito indicat. Vbi enim uera fides per Spiritũ sanctũ accensa est, ibi uelut exoriẽs sol aurorã atq; diurnã lucem, ex præcepto Christi fundit, alijsq; uiam salutis commonstrat. Et Psalmus inquit: Credidi, propter quod locutus sum.

Gratissima autẽ fuit multis ista ueritatis diuinæ tam luculenta patefactio: nam Biblica doctrina iam longo tẽpore rara & cara in eo loco fuerat. Omne enim tempus sacrifici & id genus homines in tẽplis boatibus sonoris & Missarũ murmurationib. cõsumebant. Cõciones aut nullæ, aut futiles, de sanctis eorumq; miraculis, ut plurimùm ualde ineptis & ludicris, habebãtur. Christi meritũ, in quo omnis consolatio & salus anxijs peccatorib. reposita est, hominũ meritis obruebatur, & magna ex parte obliuioni tradebatur. Et ut uno uerbo dicã, religio uniuersa erat mera quæstura episcoporũ & sacerdotum, ubi tantùm illæ uoces sonabãt: Da, affer, expẽde. Cui nã? prælatis Ecclesiæ. Cõplures igitur ad Petrũ Vualdensem, uirũ doctrina & pietate eximium accedebant, de religione cum ipso solicitè conferentes, audientesq; quomodo domesticam Ecclesiam in Catechismo instituerent, quomodo Deum inuocarẽt & celebrarent. Indies autem maiori numero ueritatis discendæ gratia ad eũ confluxerunt, extrema adacti necessitate. Nam in templis, uti diximus, explicationes articulorum fidei ex prophetarũ & Apostolorum fontibus nullæ fiebant.

Vt autẽ cuiuis esset potestas cognoscendi fundamenta salutis nostræ, Petrus, uti erat doctissimus, Biblicos libros in uernaculã Galliæ linguã trãsfundit, ac potestatem describendi cuilibet præbet. Multi igitur magno studio sacros libros euoluũt, & scrutãtur rerũ amplissimarũ fundamẽta. Addunt quidam, eum & patrum quędam scripta in uulgarem linguam transtulisse. Inuidia pontificij Petrum Vualdensem indoctum nominarunt, quia esset idiota.

Hanc succrescentẽ Christi Ecclesiã diabolus diu tolerare non potuit. Emanat igitur res ad sacerdotes & episcopos. Audiunt enim sacerdotes, à laicis, uti uulgò nominantur, citari sacras Scripturas, reprehẽdi impios cultus, idq; tanta soliditate & dexteritate, ut nõ haberent indocti missifices quod opponerẽt. Cõclamatur igitur ad arma, ne quęstuosi ipsorũ cultus in discrimẽ ueniãt.

Inhibetur Petro sine omni disputatione aut institutione, tantùm pro authoritate Ecclesiasticorũ, ne deinceps domi suæ capita doctrinæ Christianæ tradat, neúe quenquam ad auscultationem admittat, seuerissimeq; mandatur, ne cultus Ecclesiasticos ulla ratione improbet, ni uelit maiores sibi pœnas accersere.

Petrus, cũ nulla authoritate sacrosanctæ Scripturæ ullius erroris aut temerarij facti cõuinceretur, obtẽdit, cuilibet mandatũ esse uocẽ Christi sequi, scrutari Scripturas sacras, & fugere idololatriã. Omnes pręterea Christianos esse sacerdotes, & parẽtũ hoc officiũ esse, ut domi suos in pietate erudiãt, pręsertim cũ nullę aut impurę publicę cõciones habeãtur. Iã & hoc præceptũ extare in sacris, ut qlibet patiatur fõticulũ suũ emanare foràs. Se nulli⁹ erroris, nulli⁹ facinoris sibi cõsciũ cũ illis, q Biblica scripta diligẽter euoluãt & discãt. Deniq; ostẽdit, eam postulationem spiritualiũ iniquã esse, ac oportere Deo magis obedire quàm hominib.

Sed ordine propositiones, quas asseruerunt, recitabimus.

De uerbo Dei.

In articulis fidei summam esse sacrę Scripturæ authoritatem, eamq; ob causam esse normam iudicandi, ut quicquid cum uerbo Dei non congruat, meritò sit repudiandum & fugiendum.

Patrum & conciliorum dogmata eatenus probanda, quatenus cum uerbo Dei conueniunt.

Sacrarum scripturarum lectionem & cognitionem omnibus hominibus, tum laicis tum sacratis uiris, liberam & necessariam esse: imò potius prophetarum & Apostolorum monumenta legenda esse, quàm hominum commenta.

De Sacramentis.

Duo esse Ecclesiæ Christi Sacramẽta, Baptismum & Cœnam Domini.

De Cœna Domini.

Vtriusque speciei usum pro sacerdoti-

bus & laicis à Christo institutum esse.

Missas esse impias, ac furoré esse pro mortuis missificare.

De purgatorio.

Purgatorium esse figmentum hominum. Credentes enim in uitam æternam: non credentes autem in damnationem æternam uenire.

De inuocatione.

Sanctorum mortuorum inuocationes & cultum esse idololatriam.

De Ecclesia.

Romanam ecclesiam esse meretricem Babylonicam.

Papæ & episcopis non obtemperandū, quia sint lupi Ecclesiæ Christi.

Papam non habere primatum super omnes Ecclesias Christi, nec habere potestaté utriusq; gladij.

Ecclesiam Christi esse, quæ syncerū Christi uerbum audiat, & Sacramentis ab ipso institutis utatur, ubicunque locorum ea existat.

De uotis & ordinibus.

Vota esse hominum figmenta, Sodomā nutrientia.

Tot ordines esse characteres bestiæ.

Monachatum esse cadauer fœtidum.

De traditionibus humanis.

Templorum tot superstitiosas dedicationes, memorias mortuorum, benedictiones creaturarum, peregrinationes, tot coacta ieiunia, tot festa superflua, perpetuos istos hominum indoctorum boatus, ac reliquarum ceremoniarum obseruationes, uerbi doctrinam & institutionem manifestè impedientes, esse inuentiones diabolicas.

De coniugio sacerdotum.

Coniugium sacerdotum esse licitum & necessarium.

Hæc ex antiquo manuscripto libro proferimus. Plura in reliquis Centurijs ex inquisitorū obseruatione, Deo dante, proferemus. Eadem uerò & Balæus ex Guidone Perpiniano refert.

Tandem cùm terroribus suis Templicolæ illi, seu uerius clamosi Baalitæ nihil obtinere possent, Petrū cū sua discentiū Ecclesia, quasi schismaticos aut hæreticos pertinaces, iracūdè atq; atrociter excōmunicát, nimiq; corporalé euestigiò intétát. Eripiunt innocétibus facultates, quosdá cōprehensos necát, alios solū uertere cogūt. Ná istis artibus Antichristi ecclesia potissimùm insignis est, iuxta Christi præmonitioné, quæ extat Iohannis 8.

Tali igitur pacto in alias quoq; regiones Vualdésiūdoctrina seminatur licet, metu hypocritarū cládestinos cogerétur facere conuétus, uti de antiquissima quoq; Ecclesia legimus, atq; in Galliá Narbonésem, Lōbardiam, ac progressu tēporis in alias terras lōgius procedunt. Liber uetustus manuscriptus, Aeneas Syl. Chrō. Hirsaug. Nauclerus generat. 39. Robertus Gaguinus.

SCHISMA MOGVNTInum, DE CVLMINE.

HEinricus archiepiscopus Mogūtinus, uir pius & pacificus, à criminatorib. Romá delatus, à papa accusatur táquá somnolentus & ineptus ad tátæ ecclesiæ gubernationé. Mittit igitur Romá Arnoldū quendá clericū suū, qué propter ingenij dotes recens in præpositi & camerarij dignitatem extulerat, quemq; sibi propter beneficia omniū maximè fidū futurum esse credebat. Sed longè aliter opinione ipsius res cecidit. Ná Arnoldus Romá ueniens, cardinales quáta potest pecunia corrūpit, suum benefactoré tetris cōspergit criminibus, atq; impetrat, ut sibi archiepiscopatus ille demandaretur. Arte autem Romana omnia perficiuntur. A' papa enim obtinet, ut illi ipsi duo carpinales, ut eos Cōradus autor Mogūtinensis historiæ nūcupat, ad cognoscendá & determinandá istá causam in Germaniá ablegentur. Hi igitur Vuormaciam delati, Heinricū citant: qui, ut erat placido ingenio præditus, cōparens, simplicé ueritaté simplici ore exponit. Sed iudices ingétibus muneribus fascinati, Heinricū gradu suo deijciūt, Arnoldūq; suum, à quo plures expectabát prędas, in eū locū subuehūt. Operęprecíū auté est obseruare, quid ad hoc iniquū iudiciū respōderit Heinricus: Si ad sedé, inquit, Apostolicá appellaré cōtra uestrū iniquū processum, papa forsan ipse mihil amplius attéraret, & nihil mihi accresceret, nisi labor corporis, amissio rerū, & afflictio spiritus, & euisceratio mētis, & euacuatio gratiæ. Appello ergo ad Dominum IESVM Christū, tanquá iudicé iustissimum: uos cito ad eius tribunal, ibi mihi corá summo iudice respōdebitis. Nō enim iustè, nec secundū Deū, sed mercede corrupti sicut placuit iudicastis. At illi: Quū tu præcesseris, nos sequemur. Hęc autem ridentes & deridentes dixerunt. Acta sunt hæc anno gratiæ M.C.V.

Dedit igitur Heinricus se qeti, in quodá monasterio priuatam agés uitam: nec multo pòst extremū suum diem ibi claudit.

Arnoldus uerò, etiá ab Imperatore impetrata inuestitura, cristas magis magisque erigebat. Sublata è templo ueste cōsecrata, inde sibi ad pompam, quádo in aula Imperatoris uersaretur, uestes consui curabat. Cum autem istam sacrilegam insolentiá ciues animaduerterét, cœperunt animo requirere

requirere Heinricum priorem archiepiscopum, iusticiæ & pacis amantem. Alij uerò istum Arnoldum in cœlum usque tollebāt. Hinc materia discordiæ oritur. Arnoldus quoque fastu turgens, non occurrebat istis initijs malorum: sed potius suas partes nō modò fouebat, sed etiam incitabat, ut alteri parti ægrè facerent: ac si quid eiusmodi accidisset, ipse conniuebat. Gliscit igitur atque incrementa capit illud incendium indies magis magisque. In primis uerò Tritenhemius in Chronico Hirsaugiensi inquit, lanios aliquandiu à partibus Arnoldi stetisse.

Carpinales igitur illi, qui cum exibilatione & sarcasmis Heinricum deturbarant, cognita morte Heinrici, per iocum dixerunt: Ecce præcessit, tempore suo & nos sequemur. Nec multum effluit temporis, cū ambo fœdis mortibus interirent. Nam ut Conradus describit, unus sedens in sede naturæ, ut purgaret uentrem, omnia intestina sua in cloacam eiecit, & animam miserabiliter exhalauit. Alius manuum suarum digitos articulatim abmordens, & de ore expuens, deformatis manibus, quasi se ipsum deuorans, expirauit.

Hæc autem testimonia iræ diuinæ neque Arnoldum, neque factionem ipsius territant. Nam Arnoldus crescente intestino dissidio, non aquam, sed facem ardentem potius adhibens, asperè & tyrannicè in ciues Moguntinos effertur, canes eos uocans, qui parùm mordere ualerēt, licet plurimùm latrarent. Eiusmodi igitur uocibus & superbis factis, quibus plurimi iniuria afficiebantur, ciues inflammati, in Arnoldum magis conspirant: & aliquando in ipsa synodo archiepiscopum oppressissent aduersarij irrumpentes, nisi repressi fuissent. Admonetur quidem ab Eberbachense abbate & Hildegarde moniali, ut modestius ageret Arnoldus, dissidiumq́; tolleret maturo consilio, alioquin ipsum in summo periculo futurum esse. Sed contemnit ista omnia.

Cum autem Binga reuersurus esset Moguntiam, diuertit in monasterium ad S. Iacobum, prope ciuitatis muros in monte specioso. Ea fama ad populum perlata, factio una ciuitatis consilium capit de tollendo intolerabili isto tyranno: & ad campanæ sonum summo diluculo diei posterioris, qui Iohanni Baptistæ dicatus erat, iubent omnes in armis esse, facinusq́; aggredi. Manè campana pulsatur, agminatim cō uolant armati. Arnoldus in monasterio nō obscurè intelligit, ciues seditionem molituros, & usq; adeo exanimatur metu, ut rationis propemodum fieret impos, animiq́; dubius non sciebat quid potissimùm incœptaret. Repagulis igitur & lignis obserato ac munito suo conclaui, de salute sua anxius erat. Interea agmē ciuiū cingens monasterium, ne elaberetur, ignem simul inijciunt. Monachi fuga salutem quærunt. Arnoldus autē flāmis & fumo undiq; circumdatus, in altā turrim ascendit, prospiciensque de fenestra, alta uoce rogat ut desistant, se deprecari culpam, si quempiam uel dicto uel facto læsisset, ac polliceri, se omnibus satisfacturum. Sed furens turba conspecto episcopo, magis sæuire pergit. Cernens itaque monachis liberè patēre effugium, ipse quoq; induto cucullo abitionem molitur. Apertis itaq; ecclesiæ ualuis, cum reliquis cucullatis penè euaserat: sed unus eum agnoscens, fortiter eū cōprehēdit tenuitq́;. Ibi uerò agminatim in eum irruentes, gladijs, hastis, contis transfodiunt, nec satiari furor potuit. Annulos & ornaméta è manibus & collo detrahunt. Sepulturam quoq; eius integro triduo prohibent, ut omnium ludibrio, etiam mulieribus dentes ipsi saxo elidentibus, patēret. Clàm tamen à canonicis S. Mariæ subtractus, in ecclesiam sepelitur. Hæc acciderūt anno Domini 1160. Cōradus in Chronico rerū Moguntiacarū.

Deinde à plebe eligitur Rudolphus cognomine Clobelauch. Is quia à pontifice Romano, omnium simoniacorum principe, nihil gratis acquiri posse non ignorabat, ad pallij & reliquarum dignitatum coemptionem sacrilegia quædam committēda esse existimabat. Hanc ob causam iactabātur uoces illæ: Quid thesaurus ille nimius ecclesiæ prodesset? Quid tot calices tanto pōdere, ut ad usum apti nō essent? Amputat igitur ille magna audacia brachium de magna & graui illa cruce Magūtina, ut habeat qđ in os papę cōijcere queat: & sic sese itineri Italico grauis ęre atq; argēto cōmittit. Fama autem ipsum, uti fieri solet, pręcurrit Romā. Et quia fortè non satis magnū bolum afferebat, ad explendam uoraginē seu uorticosam abyssum papæ, ideo parum æquos animos erga ipsum dorophagi illi concipiunt. Hæc dum in uia comperit, animi doloribus confectus, iste sacrilegus migrat ad suos, Catonis fortè consilium secutus. Idem.

In homicidas porrò Arnoldi animaduersum esse, Tritenhemius memorię prodidit. Fridericus enim Imperator anno 1163 Moguntiā ueniens, unū, Briningerum nomine, capitali affecit supplicio. Cæteri autem diffugerant. Godefridus abbas S. Iacobi deponitur & exterminatur. Monachi iuniores in pedes se cōijciūt, senes quoq; iubētur abire. Murus quoq; circa Mogūtiā in pœnā ciuium deijcitur. In Chronico Hirsaugiensi.

ALIVD SCHISMA MAGVN-
tiacum inter archiepiscopum
& Imperatorem.

CVnradus Friderici consanguineus, Bauarus, ipsius Imperatoris erat capitalis hostis. Ad papam autem confugiens ille, quicquid poterat mali aduersus Imperatorem machinabatur. In ipsius ergo locum Fridericus cancellarium suum Christianū promouebat. Durauit hoc schisma annos octodecim. Tandem Christianus papam & Imperatorem cōciliauit, actū́q; est, ut Christianus Maguntinensem, Cunradus uerò Saltzburgensem episcopatum obtineret. Conradus in Chronico rerum Mogunt.

DISCEPTATIO INTER PE-
trum Lombardum & alios
doctores.

COntra Petri Lombardi Parisiensis episcopi quædam doctrinæ capita scripserunt Gulielmus Senonēsis archiepiscopus, eo quòd Petrus dixerit, quòd Christus secundum quod homo, non est aliquid: & Iohannes Cornubiensis in suo Eulogio, & Ioachim abbas.

SCHISMA INTER HIR-
saugienses monachos,

DE DISCIPLINA.

MAnegoldus abbas Hirsaugiēsis circiter annum Domini 1161, monachos paulò austerius tractās, suisq; familiaribus licentius æquo indulgēs, magnā fratrū erga se inuidiā concitauit, quæ in publicā & scādalosam discordiā erupit. Cū autem abbas de resignatiōe cogitationes animo suo uolueret, Hildegardis tū ipsi tum fratribus autor est, ut in concordiam redeant. Posita igitur sua seueritate abbas, monachos quoque ad omnem obedientiam se offerentes habuit. Tritenhemius, Chron. Hirs.

DISSIDIVM INTER ARCHIE-
piscopatum Bremensem & Heinricum Leonem,

DE BONIS.

ALdalbero archiepiscopus Bremensis matri Heinrici Leonis promiserat, post obitum Rodolphi Stadensem comitatum in ipsius potestatē uenturū. Sed eo ex rebus humanis sublato, archiepiscopus pactionē eā immutauit, atq; Hartuico Stadensem comitatū attribuit, ipse uerò Dietmarsiam occupat. Hanc iniuriā Heinricus puer ad Imperatorē Conradū refert: is cōmissarios decernit Dietmarū Verdensem episcopum, Albertum marchionem, Hermannū de Vuintzenborg, & Heinricum de Dasle comites. Hi causam in Rameslo cognoscētes, archiepiscopo suū factum defendente, & Heinrici curatoribus acriter resistētibus, inanem operam sumpserunt. Dimisso conuentu, Heinrici satellites archiepiscopum capiunt, ac Luneburgum in arcē abducūt. Sed cum ille nullis minis à sua sententia abduci posset, tandē liber dimittitur. Crāt. Saxonia lib. 6. cap. 11.

SCHISMA INTER REGEM
Angliæ Heinricum secundum, & Thomam Beketum Cantuariensem,

DE INVESTITVRIS.

SVccessores Anselmi, eodem spiritu quo antecessor agitati, perrexerunt pro suis dignitatibus contra magistratum legitimū acerbè contendere. Frigidam uerò, seu potius calidam suffundebat Romanus ille papacęsar. Heinricus autem secundus, Angliç rex, uidens cum magno dolore, potentiam & superbiam episcoporum papæ addictorū in suo regno crescere, ita ut dignitas atque autoritas regia penè in uniuersum labefactaretur, de antiquis iuribus ac consuetudinibus regni restaurādis consiliū cū proceribus atq; episcopis inijt. Cātuariēsis quidē Thomas Beket, Angliæ primas, ea decreta regis primus subscripsit ac confirmauit.

Erant autē inter cōsuetudines & illæ, ut rex inuestiturā episcoporū atq; abbatū antiquo more obseruaret: & ut episcopi omnesq; prælati regi iurarēt, se eius dignitatē & potentiam defensuros, & ad publicam regni utilitatem omnia facturos. Acta sunt hæc anno Domini 1165.

Sed paulo pòst Thomas ille à pontificijs paulò durius reprehensus, tā fœdè se gessit, ut à pontifice absolutionē eius consensus exigeret. Rex autē periurū illū in exiliū pulsurus fuisset, nisi ipse malè sibi cōscius in pedes se coniecisset. Romanus autē præsul profugi partes pro more agit, subinde pecuniā à rege emulgens: id quod ipse Thomas, impatiens moræ, queritur ad Moguntinum, matrem Romanam, inquiens, factā esse meretricem, & pro mercede prostitutā esse. Fouebat autem Cantuariensem Galliæ rex, sua quædam commoda aucupans.

Papæ porrò tyrannidē improbarūt multi præstantes uiri, ut Iohannes Oxenforde, Gilbertus Foliot, Iohānes Pictauiensis, Petrus Blesensis. Sed uincit papacæsar, qui suum fulmē minabatur regi, nisi Cantuariensem restitueret, atq; à suis cœptis desisteret. Rex inter angustias summas cōclusus (nō enim ignorabat, quantam non tantùm in clero, sed omnium maximè inter regni proceres Romanus tyrannus seditionem posset concitare) tempori cedit, ac patitur seditiosum episcopum in integrum restitui: patitur quoque sibi à peregrino episcopo (quid enim ille iuris habet in Angliam?) sua iura infringi atq; euerti.

Cantua-

Cantuariensis restitutus cornua resumit, nec uult communicare ijs qui pro rege cõtra se steterant, mouetq; superciliosè multas turbas: quas ob causas rex curat eũ de medio tolli. Postea à Romano præsule inter diuos relatus est, quia pro papa & eminentia cleri fortiter præliatus esset: licet Parisijs multi præstantes uiri contrà & quidẽ grauissimè disputarint. Ex epistolis manuscriptis eo tempore. Item ex Matthæo Parisiensi.

SCHISMA DE BREMENSI *episcopatu.*

DVo simul archiepiscopi in Bremensi ecclesia electi sunt, Sigfridus Alberti marchionis filius, & Otbertus decanus. Resistente autem Guncelino Suerinensi, Sigfridus in Aldenborg asylum uetus Bremẽsium se recipit: alter uerò profugit Horneborg, seu Hamburgũ. Absente autẽ Imperatore, qui Bãbergę agebat, Heinricus Leo utrunq; decernit repellendũ, Balduinumq; Halberstadensem introducendum. Sigfridus ille Brandeburgensem episcopatum subit. Balduinus à Paschali antipapa Alexandri pallium mercatur, neq; sese alijs de inuestitura altercantibus odiosè coniungit. Anno Domini 1170. Crant. Saxon. lib. 6. cap. 27. & Metrop. lib. 6. cap. 49.

SCHISMA EPISCOPALE *inter Traiectenses duos,* DE ELECTIONE.

HArdelebo episcopo Traiectensium è rebus humanis sublato, alij Fridericum Adolphi comitis filium, alij uerò Hermannum S. Gereonis in suburbio Coloniẽsi præpositum, in culmen eius templi extollunt. Porrò qui Hermanni partibus studebant, celeri missione ad Cęsarem alios pręoccupant: nam ad Noricum castrum eum compellunt. Alij ad Spiram eũ conueniunt, ac dilationem impetrant, donec ipse Cęsar litẽ dirimeret. Interea uerò Fridericus Traiecti magno fastu fouebatur, Hermanno eiecto.

Nouiomagum autem Cęsar ueniens, secum adducto Otthone Frisingense, & Alberto Misnensium episcopo, summã operã adhibet, ut citra longã altercationẽ pateretur eã causam cõponi: sed parùm obtinuit. Postea & iuris processum legitimũ ipsis offert. Verùm Fridericiani respondẽt, causam esse Ecclesiasticã, ac ptinere ad Ecclesiasticos iudices, nẽpe ad pontificẽ Romanũ, nec esse sibi integrum, ista corã ciuili iudice agere. Imperator istã immodestiã indignè accipiẽs, satis apertè queritur, eos (ut Frisingẽsis uerba habent) aduersus Romanũ principẽ agere, maiestatisq; reos. Sed reprimit iracundiam, & castigationem animo cõcipit. Postea alijs rebus expediendis uacans, negotiũ paulisper suspẽdit. Iis uerò pactis, rursum euocatis duobus istis de episcopatu cõtendentibus, cõtrouersiã terminauit, omnesq;, ut Hermãno sese subijcerent, persuasit: utq; ea direptio esset neruosior, etiã põtificis Romani ratificationẽ protulit. Otto Frisingẽsis de gestis Friderici li. 1. c. 62. 63.

SCHISMA INTER ADOLPHVM *comitem & Vicelinum episcopum Aldenburgensem,* DE INVESTITVRA.

PAssim toto orbe illud malum de inuestitura episcoporũ, quod ambitio inexaturabilis Romani præsulis concitabat, ardebat, & plurima dãna afferebat. Sic Hartuicus Hãburgensis archiepiscopus Vicelinũ, uirũ notæ pietatis, cõsecrarat episcopũ Aldẽburgẽsem, inscio atq; incõsulto Adolpho duce ac comite Nordalbingẽsium. Eã uerò rem indignè tulit comes, decimasq;, quas antè liberaliter dederat, intercipit. Veniẽtẽ igitur ad se episcopũ talib. uerbis affatus est, ut Helmoldus testatur: Dignum quidẽ fuit, ô episcope, ut uos nec salutarẽ, nec reciperẽ, eo quòd nomẽ istud me incõsulto susceperitis. Ego enim huius rei moderator esse debuerã, maximè in terra quam patres mei, fauente Deo, in clypeo & gladio obtinuerũt, & mihi possidẽdã hæreditaue rũt. Sed quia sanctitas uestra dudũ mihi cõperta est, progenitores quoq; nostri uos ab initio fidelẽ probauerũt, decreui iã noxę huius obliuisci, promotioniq; uestræ pleno fauore cõcurrere, scilicet ea cõditione, si inuestituram episcopalem de manu mea recipere uolueritis. Hoc enim pacto res uestras processum habere poterunt.

Hortãtur autẽ uiri prudẽtes, ne detrectaret à comite inuestiturã accipere, propter maiora incremẽta Ecclesiæ: & ne publicæ plurimorũ saluti obesse uideretur, parẽret nũc necessitati. Verùm Vicelinus aliorũ reprehensiones metuẽs (nõ enim eũ latebat, quid Romani põtifices rugirent, aut ruderent potius) spacium de re tanta deliberandi petit.

Dimissus autem, mox Bardeuici paralysi correptus diu ægrotat. Recuperatis autem aliquomodo uiribus, ad Bremensem proficiscitur. Is uerò crepans ambitione, manib. pedibusq;, ne inuestiturã à comite accipiat, suadet: sed potius mittat decimas. Et recitat Helmoldus orationẽ Bremẽsis, & alia digna cõsideratiõe, quæ nõ pigebit adscribere. Primùm ergo in hoc negocio pensari decet, qualiter inuestituræ pontificum Imperatoriæ tantùm dignitati permissæ sunt, quæ sola excellens, & post Deum in filijs hominum præeminens, hunc honorem non

non sine fœnore multiplici conquisiuit. Neque Imperatores dignisimi leuitate usi sunt, ut episcoporum domini uocarentur: sed compensauerunt noxam hanc amplissimis regni diuitijs, quibus Ecclesia copiosius aucta, decentius honestata, iam non uile reputet, se ad modicum cessisse subiectioni, nec erubescat uni inclinari, per quem posit in multos dominari. Vbi enim dux uel marchio, ubi in regno principatus, quãtúlibet magnus, qui põtificib. manus nõ offerat: recusatus, opportunè, importunè se nõ ingerat? Certatim currũt, ut homines fiant Ecclesiæ, & participes fiant beneficiorũ eius. Vos igitur honorem hunc pessundabitis, & infringetis iura magnis autoritatibus edita? Dabitis ne huic duci manus uestras, ut hoc exemplo incipiant esse principum serui, qui fuerant principum domini? Non decet ætatem uestram, honestatis decore maturam, ut per uos incipiant abusiones fieri in domo Domini. Longè fiat à uobis uerbum istud. Quòd si furor principis erga uos effrenatius egerit, nónne satius est ferre iacturam bonorum, quàm honoris? Auferant, si uelint, decimas: occludant uobis introitum, si placet, parochiæ uestræ, tolerabilis erit ista molestia. Habetis certè Faldrensem domum, in qua tuta interim statione consistere positis, & præstolari cum silentio salutare Dei. His & huiusmodi uerbis auerterunt eum, ne uolũtatem ducis adimpleret. Parturiuit sanè persuasio hæc nouellæ plantationi multiplex impedimentum. Quoties enim pontifex noster ducem adijt, interpellaturus pro negocijs ecclesiæ, ille se paratum esse ostendit ad omnia quę poposcisset utilitas, si primùm illi debitus honor exhibitus fuisset: alioquin frustra cõtra impetum fluminis iri. Pontifex autem humilis facilè inclinatus fuisset, ut propter lucrum ecclesiæ, duci secularis honoris cupido morem gessisset, si archiepiscopus & cæteri Bremensium non obstitissent. Nam & ipsi uaniglorij, atq; diuitijs adultæ ecclesiæ saturi, honori suo hoc in facto derogari putabant, nec magnoperè fructum, sed numerum suffraganearum sedium curabant. Quod uel in hoc maximè patuit, quia in possessionibus Falderẽsis ecclesię, archiepiscopus multas episcopo nostro fecit iniurias, demens & conuellens aliqua, nec tutum permanere sinens in statione, quam ipse ei deputauerat. Helmoldus capite 70.

Postea uerò Vicelinus uel egestate fractus, uel rectius expendens rem, ab Heinrico Leone inuestituram accipit. Nam ad ipsum accedens, ac rogans episcopatus sui promotionem: Faciam, inquit dux, quod hortamini, si ad nos respectum habere uolueritis. Ad quem episcopus: Paratus sum, ait, propter eum qui se humiliauit propter nos, meipsum in proprietatem dare alicui de clientibus uestris, nedum uobis, cui Dominus ampliorem inter principes contulit magnificentiam tam generis quàm potentiæ. Et his dictis fecit quod necesitas imperabat, & suscepit episcopatum per uirgam de manu ducis.

Hac obedientia delectatus dux, attribuit ipsi Butzouiam cum sua pertinentia Dulzaniza, cui donationi & Adolphus consensit. Helmoldus cap. 71.

SCHISMA INTER HEINricum Leonem & archiepiscopum Bremensem, DE INVESTITVRA

MAgnæ intercesserunt contentiones, magna odia inter archiepiscopum Bremensem & Heinricum Leonem, cuiusnam esset potestas statuendi episcopos. Altercabantur quoq; cuius esset terra. Neuter uerò alteri cedere uolebat. Interea propter ambitionem & pertinaciam episcopi, fructus propagandæ atque ampliandæ Ecclesiæ Christi cessabat: ut scribit Helmoldus cap. 76.

Res porrò ad Imperatorem relata est, qui pro Heinrico Leone decernit: quæ quidem res arguit, non tantùm de inuestitura, sed de alijs quoque rebus actum esse. Nã legatus Imperatoris ueniens Bremam, omnia eius prædia episcopalia occupauit & confiscauit. Causæ uerò recitantur, quia omisisset Italicam profectionẽ: deinde, quòd esset transgressor iuramenti: tertiò, quia esset reus maiestatis. Idem cap. 83.

SCHISMA INTER BREmensem & Aldenburgensem, DE INVESTITVRA.

GEroldus Vicelini in episcopatu Aldẽburgẽsi successor, Merseburgi Hartuuicum Bremensem archiepiscopum de benedictione seu inuestitura conuenerat. Verùm ille tumens fastu denegarat, aut certè nõ disertè indicarat quòd conferre uellet. Itaq; Geroldus Romam currens, ibi quod cupit impetrat. Reuersus autem archiepiscopum prope Staden commorantẽ statuit conuenire. Cum autem Bremensis ob fastum elationis, ut loquitur Helmoldus, diutius eum protraheret, difficilisque esset accesio, impatiens moræ Geroldus inquit: Quid hic desidemus fratres? Eamus uidere faciem hominis. Ingressus uerò, accepit osculũ sine uerbo salutationis. Quid, inquit Geroldus, peccaui, quòd nullo me uerbo dignaris? Si quid à me est commissum,

sum, dentur arbitri, qui causam dirimant. Romam abij, quia mihi denegasti benedictionem. Equidem mihi iustior irascendi causa esset quàm tibi, cui necessitatem tantæ profectionis & sumptuum fecisti. Bremensis morosè respondet: Quæ'nam ista fuit tam ineuitabilis causa tanti itineris suscipiendi? cur non expectasti donec reuerteremur ad ecclesiam? At tu, inquit Geroldus, hoc egisti, ut causam nostram infirmares. Bremensis addit: Pontificis autoritati mihi non est fas refragari. Sed uult idem, ne meę autoritati quicquam tua subiectione sit detractum. Et hanc ipsam ob causam, ait Geroldus, me sisto, ac peto, ut mei de necessaria sustentatione rationem habeatis.

Hac facta collisione, redeunt in gratiam, mutuasque sibi operas pollicētur. Helmoldus capite 83.

SCHISMA INTER ARchiepiscopum Bremensem & Diethmarsos.

HArtuicus Bremensium archiepiscopus, certis pactionibus ab Adolpho Hollatiorum comite Diethmarsos receperat. Ipsis uerò non pro uotis archiepiscopo parentibus, archiepiscopus non uoce neq; calamo eos ad obedientiam reuocare, sed instructo exercitu, more Caini cædibus cogere, atq; sub iugum suū mittere conatur. Fruges itaque conculcans (ô egregium archiepiscopi facinus) & longè lateque pagos incendijs ac rapina uastans, tandem eos compellit deditionem facere, infinita pecunia promissa. Nam eam prædam archiepiscopus captabat. Sed uide euentum. Socij istius belli, Adolphus Holsatiæ comes alijque milites, stipendium postulant. Archiepiscopus uerò cùm non esset soluendo, & Diethmarsi solutionem debiti differrent, reditus suos in triennium abiurare cogitur. Diethmarsi à cruento lupo potius quàm episcopo deficiētes, colla sua Schlesuicensi episcopo submisère, dictitantes, æquè sese S. Petro seruituros, qui tam Sclesuici quàm Bremæ esset patronus. Sic Diethmarsi datis obsidibus, Danico episcopo fidem adstrinxerunt. Crant. Saxon. libro sexto, capite 53.

SCHISMA INTER BREmensem & Holsatiæ comitem, DE BONIS Ecclesiasticis.

HArtuicus archiepiscopus Bremensis, ab Imperatore Friderico restitutus in integrum, difficulter est à ciuibus receptus, Adolphi Coloniēsis scriptionibus populo commēdatus. Adolphus autē Stadensem comitatum tenens, sine mora accurrit, uisurus qua ratione archiepiscopus suā pristinam sedē occuparet. Porrò audita Cæsaris permissione, ipse ciues iubet archiepiscopo administrationem relinquere: de reditibus uerò sub interdicto positis, nihil concederent, nisi plenioribus à pontifice & Imperatore acceptis literis. Archiepiscopus eam iniuriā acerbissimè ferens, uocat comitē inuasorem Ecclesię, ut qui multa Ecclesiastica bona detineret, quæ nisi restitueret, eū fulmē excommunicationis sensurum. Comes autē ad sedem Apostolicam appellat. Verùm archiepiscopus uidens eū moras nectere, cōgregato suo cœtu, decernit, diuina nō tantùm in cathedrali ecclesia, sed etiā in uniuersa diœcesi suspēdenda. Adolphus igitur eam archiepiscopi intemperantiā indignè ferēs, præsertim cum ad pontificem eā causam reiecisset, exprobrat uicissim ipsi ingratitudinem, quòd non esset memor beneficij, de Diethmarsis rebellātibus ad ecclesiæ obediētiam reductis. Habuit autem comes suos fautores etiam inter canonicos. Ciues quoq; murmurarunt, quòd cadauera tam diu insepulta iacerent: qua quidem re archiepiscopus motus, maiorem ecclesiam saltē ad diuina officia aperuit. Durauit aūt ea cōtrouersia quādiu in Apulia Cęsar aberat. Ea uerò ex peditione perfecta, archiepiscopus sexcentis marcis gratiam mercatur. Comiti uerò Stadensem comitatū cum tertia parte redituū concedit. Sic deplumatus, pacē tandem consequitur. Crant. Saxon. lib. 7. cap. 7.

SCHISMA INTER episcopos Angliæ, DE CORONAtione regis.

HEinricus 2, rex Angliæ filiū regni consortem creat, & Londini mādat Eboracensi Rogerio, ut coronam ei cum solennibus ceremonijs imponat. Cantuariensi quidem iste honor alioqui competebat: sed Thomas in exilio erat. Iste igitur re cōperta ad Alexandrum grauissimis querelis, de honore sibi absenti & exulanti prærepto, properat, suisque improbis conatibus efficit, ut papa Rogerio Eboracensi, Gilberto Londinensi, & Ioscelino Sarisberiensi episcopis, qui coronationi interfuerāt, sacrorum administratione interdiceret: id quod regem Heinricum pessimè habuit.

Reuersus autem in Angliam Thomas, episcopos ab usu sacrorum suspensos insuper excōmunicat. Illi mox hāc crudelitatē Thomæ ad regem in Normannia tum uersantem referūt, qui grauissimè tulit omnia. Tandem regis aulici eum è medio sustulerunt, circa annum Domini 1171. Polydorus lib. 13. sub Heinrico 2. Guilhelm. Neubrigensis lib. 2. cap. 25.

SCHISMA INTER COLO-*niensem archiepiscopum & abbatem Fuldensem.*

DE SELLIS.

ANno Domini 1184. Moguntiæ Imperij conuentus frequēs agebatur, quo Heinricus filius Friderici rex Romanorum designabatur, & matrimonium noui regis cum Cōstantia, unica regis Neapolitani filia, confirmabatur. Die autem Pentecostes, cū solennia sacra tractarentur, regiq; corona esset imponenda, turbā in templo ambitiosam abbas Fuldensis excitat. Nam ad latus dextrum Imperatoris Moguntinus sedem occuparat, ad sinistrū uerò Coloniēsis sellam locarat. Monachus igitur Fuldensis antiquum ius prætendens, proximum ad læuam Cæsaris locum sibi cōpetere asserit. Sed Coloniēsis in eo quem tenebat locum, manet, ignominiosum fore ratus, si archiepiscopus & Imperij Elector infra abbatem consideret. Abbas impatiens prærepti honoris, querelam ad Cæsarem dirigit. Is uerò respondet, ueteres sese Imperij consuetudines probare, neq; in magno ponere discrimine, siue maior siue minor assideat. Coloniensis eo audito mox surgens, inquit: Quādo sic serenissimæ uestræ maiestati uidetur, cedo abbati archiepiscopus, monacho princeps Elector. Sed bona uestra uenia cœtum simul dimitto. His prolatis discedit.

Abeuntem ilicò sequitur palatinus Rheni, frater Imperatoris, additis his uocibus: Serenissime Imperator, permissa uenia dominum sequimur exeūtem, cuius beneficia recognoscimus. Ad comitem de Nassauu simul discedentem Ludouicus Thuringiæ princeps inquit: Pulchrè hodie respondes beneficio, & sublimiter promereris, qui deserto uero domino aliū sectaris. Cui ille: Beneficiū quod teneo, iustis suo loco promerebor obsequijs: hodie sequor, quē in hunc cœtum inter alios deduxi, æquè dominum feudi quod teneo. Idem fecit dux Bauariæ.

Heinricus igitur rex tot sedibus uacuis relictis, uehementer turbatus, in collum archiepiscopi ruens, sanctè rogat, ne è tā celebri conuentu ira commotus discedat, néue festum suæ coronationi destinatum patiatur interrumpi: suum potius teneat locum, & solēnitatem absolui patiatur. Interponit se Imperator quoq;: Quia unum te uerbum tātopere offendit, inquit, uellem me ab eo abstinuisse, licet nihil ab Imperatoria dignitate alienum me protulisse sentiam. Sed uide quæso, ne doloris minimi curatione, ingens toti corpori uulnus infligas. Quid enim sit tantum cœtum scindere, ipsemet pro tua prudentia intelligis. Tum excandescēs archiepiscopus, pontificali fastu Imperatori responsat: Quàm pulchrè, inquit, hodie remunerat Cæsarea maiestas, diuturna huius capitis obsequia, quæ eam sequutus compleui, pro qua in castris incanui (Nota, sine Ecclesiæ suæ detrimento abesse potuit, quia non erat episcopus qualē Paulus depingit. Sed audi plures merè Thrasonicas gloriationes) Italiam fatigaui, Longobardiam oppugnaui, Brūsuici sudorem cum sanguine fudi. Hæc nunc illa merces mea est, quòd in tam celebri principum cōuentu publicè propter abbatem confundor, qui nisi occultam Cæsarei culminis intelligentiam foueret, ab hac iniuria omnino sibi temperaret. Quòd si tum Cæsar, tū Rex manere me uultis, ecce pareo, reponantur nostræ sedes ut fuerunt. Si nostram abbas turbarit, ascendat in cœlum, ponatque suam in Aquilonem, & sit similis Altissimo. Interea quoque archiepiscopus quatuor milia armat, ac non procul à se abesse iubet, ut si abbas aliquid porrò moueret, manu sanguineq; rem gererent ac decernerent. Habes uerè Apostolicum episcopum.

Imperator hac acerba & superba expostulatione audita, ne maiores turbas excitaret, ad patientiam & moderationem se componens, fit quasi supplex isti militari uereq; Thrasonico archiepiscopo: Quandoquidem, inquit, à te insimulamur occultæ cum abbate hac in re conspirationis, paratus sum iuramento innocentiam meam declarare. Cumq; iam Imperator ordiretur iuramenti uerba, archiepiscopus interpellans: Verba, inquit, Cæsareæ maiestatis mihi pro iuramento sunt.

Ad abbatem igitur cōuersus Imperator, modestè inquit: Hodie, ne maior nobis turba hunc festum diem obscuret, sine iuris tui præiudicio adhibenda est tibi pater breuis moræ patientia. Videbat enim Imperator, abbatem quoque suos habere fautores & asseclas. Abbas autoritate Imperatoris adductus, cum rubore locum arripuit inferiorē. Hac ambitionis cōcertatione sopita, reliquæ ceremoniæ coronationis regis Heinrici & reginæ peractæ sunt. Crant. Saxon. lib. 6. cap. 46.

SCHISMA DE EPI-*scopatu Gurtzensi.*

MOrtuo Romano secundo, Noricorū Gurtzensi episcopo, sacerdotes & populus Hermannū Ortēburgensem deligūt. Sed Salisburgēsis Cōradus querēs, sibi ius suū esse præreptū, cōtra Ecclesię uolūtatē Theodoricū Iuuauiēsem præpositū denūciat episcopū, & mox cōtracto exercitu, more scilicet Apostolorū Christi, Hermannum obsidet Strasburgi apud Noricos. Legatus Alexandri papę, Petrus Bonus nominatus, frustra

frustra istum sanctum episcopum ab armis desistere iubet. Arbitris tandem datis, Hermannus lupo uiolento cedit, arcem bellatori episcopo Cunrado tradit, qui pro sua mansuetudine eam exussit. Auẽtinus lib. 7. Annalium Boiorum.

SCHISMA DE INCAESTIS *nuptijs Alexij & Irenes.*

ANdronicus uir crudelis & factiosus, omniaq; turbans in Oriẽtis Imperio, Irenem, ex consobrina Theodora Comnena natam, & Alexium, Manuelis ex incęsto concubitu Theodoræ filium, uoluit iungi matrimonio. Cõuentu itaq; tum politicorum tum Ecclesiasticorum indicto, breue scriptum publicè recitandum & deliberandum cœtui exhibet, cuius quidem hæc erat summa: An ferendum esset matrimonium, quod cum parùm aut nihil potius incommodi præ se ferret, tamen ad Oriẽtis & Occidentis coniunctionem, & ad captiuorum redemptionem pertineret, & plura alia cõmoda reipublicæ allaturum esset?

Maxima autem pars largitionibus corrupta, & assentationibus fauorem & dignitates captans, negabat eas personas inter se cognatas esse, quia illicitis nuptijs essent procreatæ.

Alij uerò saniores contrà sentiebant, incæstas esse eas nuptias, eamq; ob causam minimè approbandas. Tenebant autẽ paucissimi ex episcopis & proceribus eam ueriorem sententiam, quam sciebant persecutiones atroces allaturam esse. In primis uerò patriarcha Theodosius constanter sese opponebat. Cumq; nihil se proficere cerneret, in insulam Terebinthum, ubi & diuersorium & sepulchrũ sibi struxerat, in spontaneum exilium cedit. Andronicus pergit, nuptiasq; incæstas perficit, Bulgarorũ episcopo, qui tum in urbe erat, omnia pro uotis Andronici peragente.

Mox Camatero Basilio patriarchatũ defert, aut potius uendit certis cõditionibus. Nam is promiserat, se quicquid cordi esset Andronico, quantumuis illicitum, facturũ, & ea declinaturũ quæ illi displicerẽt. Nicetas de Alexij Cõneni Porphyrog. Imperio.

SCHISMA DE PATRIARchatu *Constantinopolitano.*

ISaacius Angelus Orientis Imperio potitus, patriarchas Cõstãtinopolitanos deiecit atq; constituit pro suo arbitratu. Quos enim modò immensis laudibus ad cœlum usq; penè extulisset, uix anno peracto contumeliosè deponebat. Ita Leontio repudiato, quem quidem ipsa Dei genitrice in somno noctu indicante, aiebat esse delectum, Hierosolymitanum Dositheũ transfert Cõstãtinopolin, usus ad eam rem opera iurisconsulti Theodori Balsami, qui concilio sacerdotum persuadet, eiusmodi cœptum cũ Canonibus minimè pugnare. Sed Dositheum nolunt sacerdotes admittere, melius recõsiderata: nam iurista ipsis uerba dederat. Imperator autem ui armataq; manu Dositheum introducit: sed postea tamen excutitur. Idem igitur ambitioso Dositheo euenit, quod cani Æsopico, ut affectãs splendiorem locum, utroq; patriarchatu exciderit. Nicetas lib. 2. de Isaacio.

CONTROVERSIA DE *Cœna Domini.*

ALexio Angelo imperante, in Græcia schisma de Cœna Domini exortũ est, quod uisum est Nicetę uerbis adijcere: Eodem tẽpore, inquit, dogma de diuinis mysterijs uulgatum, Christianos in factiones diuisit. Vnde in foro & triuijs res ueneratione & silentio dignę, palàm contẽnebantur. Nam Georgio Xiphilino, VII annis patriarchatu functo, Iohannes Camaterus successit: qui, cũ opinio quæ sub Xiphilino pullularat, radicitùs extirpanda, & eius autor, nequam monachus Sicidites, ut hæresiarcha & homo seditiosus condemnandus fuisset, & alijs ipsius exemplo silentium imperandum, ut mysterium rursus esset mysterium: disserendi arte & demõstrationibus, quæ aduersarium cõuincerent, in rebus ingenij humani captũ excedentibus, & artificium respuentibus, usus est. Composuit etiam orationes Catechisticas, quæ dies ieiuniorum instare nunciarent, & sacerdotes ad id certamen exhortarentur: mentione inserta, quem dogma illud ortum habuerit, & quid sentiat ipse, exposuit: aduersariorũ uerò dicta planè silentio dissimulauit, refutationẽ, ut arbitror, ueritus: & ea tribuit aduersarijs, quæ neq; norant, neq; unquã cogitarant. Nam cum in quæstione esset, utrũ Christi corpus post perceptionem incorruptibile sit, quale post passionem & resurrectionem fuit, an corruptibile ut ante passionem: alij dicebãt, incorruptibile esse, quòd diuinorum mysteriorum perceptio confessio sit, & recordatio quædam Domini propter nos mortui & rediuiui, ut magnus in Theologia Cyrillus tradit, & quam partem quisq; acceperit, ab eo Christum integrum percipi, quem Thomas palparit, eumq; comedi post resurrectionẽ, ut Iohannes Chrysostomus affirmat, his uerbis: O rem mirã. Qui ad dexteram patris sedet, in nostrûm peccatorum manibus inuenitur. Item: Quãcumque partem acceperis, eum totum accipis, qui à Thoma palpatus est. Et alio loco: Floruit in lege, adoleuit in prophetis, maturuit in cruce, comeditur post resurrectionem. Neque enim aliud id est quod perci-

pitur, quàm illud corpus, quod morte superata uitam nostram auspicatum est. Vt enim parum fermenti totam massam fermétat, & sibi similem & parem reddit, ut D. Apostolus ait: sic immortale factum Dei corpus, cum in corpore nostro fuerit, totum id in se commutat & transfert. Ait & magnus Eutychius: Totum igitur sacrosanctum corpus & preciosum sanguinem Domini accipit homo, etsi horum partem aliquam acceperit. Distribuitur enim impartibiliter inter omnes propter immistionem, ut unum sigillum omnes imagines suas omni materiæ imprimit, & unum manet etiam post communicationem, non imminutum, non mutatum in ea in quibus expressum est, etsi numero plura fuerint: eodemque modo una uox ab aliquo prolata, & in aëre diffusa, in eo qui eam protulit tota manet, & per aërem tota ad aures perfertur, nemine auditorum plus minus'ue percipiente, sed tota est indiuisibilis, & integra apud omnes, etsi X millium numerum superét, quáuis ipsa corpus sit. Neq; enim aliud est uox quàm aër ictus. Nemo igitur ambigat, quin incorruptibile post mysticũ sacrificium, & sanctam & immortalé resurrectionem, sanctum & uiuificum corpus & sanguis Domini per sacrificia in res solidas impositus, minus quàm commemorata exempla suas uires minuens, exprimatur, & totus in totis inueniatur. His ergo hæc proferentibus, & alia plurima testimonia Ecclesiæ citantibus: alteros, id mysterium non confessionem resurrectionis, sed sacrificium duntaxat esse, & proinde corruptibile & amens & inanime: ad quod qui accedat, non totum Christum percipiat, sed parté, ut qui partem percipiat. Nam si, inquiunt, incorruptibile esset, etiá mentis esset particeps, & animatum, & intactile, & inaspectabile, neque dentibus scinderetur & moleretur, & in scindendo nullam omnino molestiam aut dolorem sentiret. Præsertim cum sacrificus dicat: Qui comedit me, uiuet. Quemadmodum misit me pater, & ego uiuo propter patrem. Quasi cum malo animo & uoluntate tantam ignorantiam & uecordiam se coniunxisse fateretur. Nam baptisma pro similitudine mortis Christi, sepultura est & emersio. Quicunque enim in Christo baptisati sumus, Christum induimus, & in mortem eius baptisati sumus, & diuinorum mysteriorum efficacia per Dei adorationem & inuocationem & gratiæ cœlestis descensum perficitur. Quæ, & id genus alia improborum hominum uerba, ut impia & inutilia prætermisimus. Nam quasi etiam corporum resuscitationem improbarent, dicebant: Ipsi uiderint, quomodo nos post resurrectioné nullo modo sub tactum, aspectum & figuram humaná casuros affirment, sed ut incorporeas umbras uolaturos. Et Christi per clausam ianuam ingressum, nõ miraculum, sed aliquid cognatum & aptum resurgentibus ex mortuis esse asserebát. At tale nihil prorsus in scriptis reperitur, sed exagitatio impudens, & nullis nixa testibus, quasi dicerent, ex ipsa unione & communione Dominicum hominem incorruptibilem esse factum, proptereaq; sentirent, id etiá quod perciperetur, esse incorruptibile. Cæterùm Imperator meliori assensus est parti. Nicetas lib. 3. de Alexio.

SCHISMA INTER LVbecensem episcopum & Heinricum Leonem.

CVnradus ecclesiæ Lubecensis episcopus, Heinrico Leoni legitimo magistratui infensus, honori ipsius detrahebat, & ueluti proditor contra ipsum mala consilia agitabat, principesq; instigabat, ut Leoni se opponerét. Eam igitur ob causam sibi metuens, ad Breméfem, conscium suorum seditiosorum consiliorũ, confugiebat. Heinricus bene de Cunrado meritus, eum ad se uocat, ut plenius causam cognoscat. Sed ille in Phrisiam abit, simulans se archiepiscopi legationem obire. Denuò auté uocatus, comitatus archiepiscopo Bremensi & Bernone Megapolitano, ducem accedit.

Tentatur autem initiò amica quædam actio, & obijciuntur crimina defectionis, proditionis & seditionis. Verùm ille perfricta fronte inficiatur omnia. Deinde exigit debitum hominij (fortè homagij) ut uocat Helmoldus, quod à Cæsare sibi erat permissum, in ijs præsertim Sclauorum locis, quæ gladio occupasset. Episcopus autem superbè respondet, se libertatem suam nullius potestati submissurũ, cum alioquin tenues sint ecclesiæ reditus. Dux motus tam arrogante responsione, iubet aut parêre, aut loco cedere. Verùm illo tanquam termino immoto in sententia sua persistente, dux parochia eum excludit, redditusque episcopales aufert.

Consilio deinde Bremensis ad Magdeburgensem se confert, unde post biennium in Franciam contendit ad Cisterciense concilium, & Alexandro papæ reconciliatur, Papiensi episcopo intercedéte. Ea re perfecta, Magdeburgum redit, occasionem recuperádi episcopatum, ueluti hiás coruus, cupidè expectans.

Reperit auté in eodem exilio Hartuicum Bremensem archiepiscopũ, similiter magistratui recalcitrantem. Firmauerat auté Bremésis arces Horeborg & Früborg præsidijs.

Milites

Milites igitur prę̨sidiarij pro occasione erũpentes, incendijs & rapinis uastabãt ducis possessiones: quæ res ducẽ cogebat, ut misso exercitu Friburgensem arcem occuparet ac demoliretur. Sed Horeburgensis paludibus munita, uim hostilem sustinuit.

Inflammabãt autem illi mites patres Saxoniæ principes quoscunq; poterant, ut se Heinrico Leoni opponerẽt, suamq; libertatem armis uindicarent. In eo pestilentissimo Saxoniæ incendio plurimę sæuę hominum cædes, incendia & rapinæ perpetratę sunt. Verùm Cæsar Fridericus primus, missa legatione, inducijs seditionẽ repressit. Deinde facta transactione, Bremensis ad suos patres migrans, finit controuersiam. Lubecensis quoq; restitutus est tali pactione, ut redderet duci quæ iusta essent. Et suo nunc periculo edoctus, ueluti ictus piscator, mutatus est in aliũ uirũ, ut narrator huius historię loquitur. Helmoldus li.2.ca.9. & 10. & 11.

SCHISMA INTER SAcerdotium & regnum,

DE BONIS ET dignitatibus.

VRbano Lucium subsequẽte, schisma publicũ inter Imperatorẽ & pontificẽ eiusq́; coniuratos exoritur. Causæ sunt:

1. Patrimonium Mathildis opulẽtissimæ dominæ, cuius diuitias & possessiones sibi arrogabat papa. Sed Imperator ratione cognationis (erat enim filia marchionis Saxoniæ) & Imperij, ad se pertinere contẽdebat. Rixatus fuerat quoq; antea Lucius de hac præda cum Cæsare.

2. Inuestitura episcoporum, quam Imperatori laico è manibus extorquere, pontifices omni ui moliebantur.

3. Cadauerum episcoporum humatorum leuatio, qua Cęsar ecclesias suis tum honoribus tum quæstibus spoliaret.

4. Quòd Imperator stipendia monialium ad belli sumptus conferret.

5. Quòd omniũ episcoporũ mobilia bona post mortẽ ab Imperatore confiscarẽtur.

Hæc crimina papa Imperatori confidenter obijcit. Comprimit autem sese ad tempus Imperator, coronationemq́; filij à pontifice petit. Verùm ipse antecessoris uerba æmulatur, Coronam imponi posse nemini, antequam ipse deposuisset. Dum ista pendent, papa Volmarum archiepiscopũ Treuerensem denunciat in despectum Imperatoris. Hoc facinus igitur Imperator iniquissimè ferens, ipse quoq; suum erga papã irritatum animum magis exerit. Accedunt autem, ut fieri solet, plures offensiões utrinq;. Nam Heinricus rex quendam Italiæ episcopũ interrogat, à quo suum nactus esset episcopatum? Is respondet: A' summo pontifice. Et unde inuestituram? Ab eodem, inquit. Rex igitur cum stomacho eandem quæstionem repetit. Episcopus uerò ait: Nihil prædiorum à regno teneo. Ibi rex militibus annuit, qui hominem egredientẽ in luto nonnihil uolutant.

Episcopi quoq; inter se conspirant, quibus iniquum uidebatur, defunctorum episcoporum mobilia bona ad fiscum transferri, quæ ecclesiæ usui esse possint. Inter eos uerò sunt antesignani, Philippus Coloniensis, Cõradus Maguntinus, & Volmarus Treuerensis: his & alij duodecim subscribunt; inter quos & Bertoldus Metensis est, quem Cæsar in eam dignitatẽ euexerat. Quam ob causam Cæsar iratus, eum tanquam ingratum sede sua expellit. Volmarum quoq; foris suum episcopatum aspicere cogit.

Postea conuentũ Cæsar in Geilenhausen cõuocat, ubi episcoporũ sentẽtijs causa illa de cõfiscatione bonorũ, ad pontificẽ Romanũ reijciebatur. Vrbanus in Cæsarẽ magna ira exęstuans, eũ excõmunicaturus erat, nisi Veronensis ciuitas, ubi illud fulmen cum suis fabris cuderat, impediuisset. Querebatur enim, contra suam fidem Cæsari datam esse, si in sua ciuitate pateretur illam execrationem in legitimum magistratum euibrare. Priusquam autẽ aliũ locum huic nefario facinori deligit papa, ad suos maiores commigrat. Crant. Saxon. lib. 6. cap. 50. & 52.

SCHISMA IN ANGLIA, DE INSOLENTIA Elyensis episcopi.

GVlielmus antistes Elyẽsis, à Celestino papa creatus legatus, animum altum cũ honore induit, concilioq́; episcoporũ coacto, multa pro arbitrio cõstituit. Monachis enim Cantuariẽsibus pulsis, eò sacerdotes regulares collocat, impulsu Hugonis episcopi Cestrẽsis. Prę̨fectos, quos Ricardus discedẽs cõstituerat, deijcit: Iohãni regis fratri insidias molitur: Gaufredũ, alterũ Ricardi ex cõcubina fratrẽ, Eboracẽsem archiepiscopũ, è loco sacro ui extractũ in carcerem mittit: interuẽtu tamẽ episcoporũ quorũdã, rursum liberat. Nobiles uiros sibi aduersantes spoliat. Hisce omnib. speciosos prętextus obtendit, quòd in gratiã regis uniuersa moliatur. Rex ista resciscẽs, Elyensi scribit, ut paulò mitius agat, ne seditionẽ perniciosam excitet: & sic uehemẽtes eius conatus aliquantulũ restincti sunt. Polydorus li. 14 Anglicæ historiæ, sub Ricardo 1. circa annũ Dñi 1190. Neubrig. li. 4. ca. 14. & sequẽtibus.

SCHISMA IN COLOniensi ecclesia,

DE EPISCOPATV.

DEfuncto Arnoldo Coloniensi archiepiscopo, scinduntur uota eligẽtium

successorem in duas factiones. Præpositi & abbates Gerardū Bonnēsem præpositū deposcunt: canonici autē maioris ecclesiæ, Fridericū Adolphi comitis filiū deligunt. Hác discordantiá ad Imperatorem Fridericum referunt: qui triduum rixis istorum tribuens, causam Ratisponá reiecit, ubi alia quoque negotia tractaturus esset.

Eò autem cum uentum esset, iterū utrǫq; partes contentionibus corá Imperatore digladiátur. Sed Imperator alterius partis sententia approbata, Fridericū regalib. inuestit, & ad papá cōsecrandū mittit. Otto Frisingēsis lib. 2. cap. 31. 32. de Friderico 1. anno 1154.

DISSIDIVM INTER VERdensem & Halberstadensem, DE TERMINIS.

HAbebant inter se Hugo Verdensis, & episcopus Halberstadensis litē de terminis in prato. Imperator Fridericus omnibus pensatis, pratum Verdēsi ecclesiæ adiudicat, Otthoni Brandeburgensi mandans, ut tuitionē Verdensis susciperet, anno 1189. Crant. Metrop. lib. 7. cap. 10.

SCHISMA INTER duos episcopos Angliæ, DE PRIMATV.

CLemēs Romanus Hugonē Dunelmēsem à Gotfridi Eboracēsis nōdū cōfirmati iurisdictione exemerat. At Celestinus Clementis successor, Eboracēsi ecclesię sua iura & dignitates restituēs, eandē quoq; exemptionē irritá haberi statuit. Cōsecratus itaq; iussu papæ Gotfridus, ab Hugone canonicá exegit professionem: quá cū detrectaret, eundē anathemate publicè ferijt. Mittuntur ab utroq; legati Romá, alter pro confirmanda, alter uerò pro euacuáda excōmunicationis sententia. Sed Hugo táto factus est in causa potior, quáto & pollicendo pōderosior. Deniq; nō solùm pro eo est pronūciatū, quod sentētia illa non teneretur: uerùm etiá ei, siue pro acceptę iniuriæ cōsolatione, siue etiá pro insolentis aduersarij humiliatione concessum, ut Gotfrido tanquá metropolitano subesse ulterius nō deberet. Neubrigensis li. 4. ca. 25. ubi inter cætera sic scribit: Gotfridus & Hugo sua fortius, & remissius ea quæ sunt Christi quærētes, cum multo & graui scádalo disceptarūt: ille ut pesset, iste ne subesset, neuter uerò ut pdesset. Ita quippe in dieb. nostris pastorale decus euanuit, ut inter pastores Ecclesiasticos admodū rarus inueniatur intelligēs uel requirēs Deū, ferè omnes quę sua sunt, quęrētes.

SCHISMA INTER RICHARdum Angliæ regem, & Galterium Rothomagensem.

SVb annū Salutis 1195, cū Richardus Anglorum rex neruis ad bellum gerēdum necessarijs destitueretur (nā fiscus iá exhaustus erat, tum sui ex uinculis redemptione, tum continuis cum Gallo bellis) ab episcoporū bonis manus nō abstinuit. Quod indignè ferēs Galterius Rothomagēsis, regi prę cæteris alioqui familiarissimus, statim sacris in uniuersa sua diœcesi cessantib. ad Romanū papá cōfugit, inq; eius gremiū querulas uoces cū lachrymis effudit. Subsequuntur & regij legati, ac necessitatem sui dñi, qua urgeatur, exponūt. Ibi pōtifex pro rege pronunciat: sed & Galteriū delinitum atq; placatum ad sua remisit. Post lōgam tádem simultatem ipse quoq; rex & episcopus in gratiam rediēre, rege de damno olim illato satisfaciente. Neubrigensis lib. 5. cap. 21. 24.

SCHISMA INTER RATIsponensem & Bauariæ ducem, DE BONIS Ecclesiasticis.

HArtuicus Ratisponēsis episcopus bona ecclesiæ in canes, uenatores, equos, adulatores & ppinquos p animi sui sententia distrahebat, pauperū & doctrinæ studiorumq; nullá habebat rationē. Duxigitur Heinricus ea dilapidatiōe motus, Staufiū regiá & uicū episcopi occupat, tutoréq; cōstituit. Eá uerò reformationē episcopus indignis modis accipiēs, cuncta incendijs cōplere nititur. Ciues in cōtraria studia abeunt: alij enim ducis, alij episcopi partib. sese addicunt. Sed Eberhardus episcopus Bauarorum, assumpto Friderico de Vuitelsbach pręfecto prętorij Bauarię, & Cūrado de Raning, pacē inter ducē, episcopū & ciues constituunt. Fontē taliū dissidiorū inquit Auētinus esse, quòd episcopi prorsus uolūt esse immunes, pauperes grauant, cēsus & uectigalia augēt. Principes uerò ea quæ ipsorum maiores donarūt, sibi uolunt seruire. Idem Eberhardus & Heinricum Austrię, & Cunradū fratrē Bathauiensem reconciliauit eodē tēpore. Auentinus li. 6. Annaliū Boiorū.

SVB HEINRICO VI, SCHISMA INTER DOCTOS, DE VITIIS CLERICORVM.

SYluester Giraldus, uir insigni doctrina præditus, librū ediderat, quē Ecclesiæ Speculū nominauerat. In eo aūt libro in manifestos abusus sui tēporis, pfertim cleri inuect9 fuerat, nec pepcerat inter alios Cisterciēsib. q auaricia & libidinib. infames erant.

Adamus autē Dorensis, Cisterciēsis ordinis monachus prope Herefordiá, poeta & philosophus, poetico furore inflatus, Satyras in Giraldū emittebat. Giraldus uicissim & Simō Fraxinus ei acriter respōdent. Baleus scriptorum Britanniæ Cent. 3. cap. 40. Hæc facta sunt sub annum Domini 1200.

SCHISMA

SCHISMA INTER CLVniacenses & Cistercienses,

DE DECIMIS.

Figulus figulum odit,& in primis médicus médico inuidet portiunculá maiorem,iuxta uulgare dictũ.Sic nulla maior inuidia in mũdo fuit, quàm inter monachos auarissimos & inexplebilissimos médicos. Orta est inter Cluniacéses & Clareualléses Cisterciéses acerrima cõtentio, de decimis præcipuè,cum illa lumina monachorũ,Petrus Cluniacensis & Bernhardus Clareuallensis,florerét. Sed præcessit & alijs de reb. conflictus. Nam Cisterciéses, ut hypocrita hypocritá semper criminari solet,criminabátur ipsos Cluniacenses,quòd regulá suá nõ obseruarét in moribus,uestitu,ieiunijs, alijsq; ceremonijs.qua de re Petrus Cluniacensis prolixá apologiam texit, fortiterq; recriminatur.Epistola ad Bernhardum Clareuallensem abbatem 28.lib.3.

De decimis igitur bellum mouent,quas Cisterciéses,uti moris hactenus fuerat,Cluniacensibus amplius pédere recusabant, eo quòd ipsimet illis reditibus propter monachorum multitudinem indigerent.Pertraxerant aũt in suam sententiá Innocentiũ 3 papá,cuius autoritate & patrocinio id faciebant.Eam igitur ob causam Petrus Cluniacensis ad Innocentiũ papá literas querimonijs plenas mittit, dicés,literas pontificis insolita & dánosa præ se ferre: eas enim decimas Cluniacense cœnobiũ ultra ducentos annos absq; omni contradictione possedisse & accepisse.Exponit porrò,adéptione istarũ decimarũ suis fratrib. tantũ inferri damnum,ut uel aliqui dimittendi, uel omnibus sit migrandum.Orat igitur interdicti dilationem usq; ad Pascha. Postremò monet,ne ueteres amicos nouis anteponat.Epistola 33.ad Innocentium papam.

De liuore mutuo illorũ monachorum sic scribit Petrus ad Bernhardũ: Nam ut penè assiduè cerno,& omnib.ipsis quoq; negligenter intuentib.aduertere perfacile est,niger (ut sic dicá) monachus albũ fortuitu occurrenté obliquo sidere respicit, albus nigrũ uix media oculi parte,& quádo se ingerit,contuetur. Vidi plurimos,nec recordor quotiens, de nigrorũ numero,occurrétem quempiá albũ quasi monstrũ ridéres, & uelut si Chimæra,uel Centaurus,uel portentũ aliquod peregrinũ oculis ingereretur,uoce uel gestu corporis se stupere signátes. Vidi econuersò loquaces prius & multa passim occurrentia ad inuicem conferentes albos, nigro quolibet adueniente subitò obmutuisse, & uelut ab hostibus.hostiũ secreta rimátibus, silétij sibi remedio pręcauisse. Intuitus sum utriusq; generis hominũ linguas tacentes,oculos,manus,pedesq; loquẽtes, & quod uoce,ne proderétur,indicare nolebant,gestuũ suffragio clarius inclamasse. Vocem mutá,mébra loquacia, & peruerso naturæ ordine lapidib. clamosos,homines hominibus taciturnos. Epistola 16.lib.5.

DISSIDIVM CLERI ET monachorum Osnaburgensium,

DE SOLENNITATIBVS.

Erat controuersia de solennitatib.in iisdem concurrentib.ecclesię maioris & collegij S. Iohannis Osnaburgi. Episcopus autem iussit minorem maiori cedere. Crát. Metrop.lib.6.cap.34.

SCHISMA INTER ISENBVRgenses monachos & episcopũ Halberstadésem,

DE OBEDIENTIA.

Fridericus episcopus Halberstadensis erat à pontifice Romano excõmunicatus:eam ob causam monachi Ilsenburgenses,ad radices montis Procli haud procul à Goslaria habitátes,obedientiá suá ipsi detrectant: qua de causa ipsos profligat. Sed post aliquot annos restituuntur. Chronicon Saxonicum.

SCHISMA MONASTICVM in Iubinensi cœnobio,

DE MORIBVS.

Prior Iubinensis de rigore monastico nonnihil remittés,oblata dona,ut pecuniá,pastellos, dulcia uina,& similia,non superstitiosè fastidiebat. Sed Bernhardus Blesensis & reliqui hypocritæ,duriter prioré reprehendunt aliquoties. Cũ uerò nihil obtinerent, impatienti animo Bernhardus sæpius uelut œstro cõcitus,in syluas excurrit,potius fame periturus,q̃ rem tá infandá, ut ipse quidé habebat,inspecturus:ac reprehendit istam Bernhardi insaniá etiá Gerardus à Nazareth. Tandé Hierosolymam currit, ibi quoq; sua austeritate Balduinũ regẽ secundũ nonnihil reformás. Impetrata deinceps à patriarcha potestate discedédi ab illis monachis,qui dona acciperét, dulceq; uinũ (proh scelus) nõ aspernarentur,in Machanath propinquũ monasteriũ illi fatui,q̃ nolebant dulcia uina bibere, diuertũt. Sed postea Blesensis redit ad Iubinũ cœnobiũ, quod ꝓculdubio istorũ persecutionib. factũ erat uacuum. Gerardus à Nazareth cap. 19. de Conuersione quorundam seruorũ Dei.

DISSENSIO INTER Latinos & Græcos,

DE MARIA MAGDALENA.

Græci nõnulli affirmarunt, Mariá Lazari sororem,non fuisse eam quę dicta est Magdalena. Contrà Latini asseruerunt,eam fuisse illá ipsam Mariam Magdalenam, & non aliam.

Hac de re Gerardus à Nazareth episcopus Laodicen-

Laodicẽsis tractatum scripsit atq; edidit, in quo asseuerat, Mariam Magdalenam unam tantùm esse fœminam in Euangelica historia, & eam quidẽ esse sororem Lazari. idq; probat his rationibus:

1. Quia si Maria Magdalena nõ esset soror Marthæ, ab Euangelistis distingueretur accuratius, sicut Iudas alter ab Iscariote discernitur. Breuitatis autem gratia, & quia notatum fuit, cognominis nõ semper fit mẽtio.

2. Quia soror Marthæ semper penè circa pedes Christi uersatur, ut testatur historia: pedes Christi rigat & ungit, resuscitato Christo ad pedes se demittit, eum tactura. Vel ex hac, inquit, nota cognosci Maria Magdalena satis potest.

3. Idem Ambrosius sentit, cũ inquit: Quis unquam cognoscere potuit, quãta uirtutũ itinera duxerit, haud dubiũ quin Dñs, dum largũ sanguinis fluxũ siccat in Martha, dũ dæmones pellit ex Maria, dum quatriduanum resuscitat Lazarũ? His uerbis innuit, sororem Lazari Mariam illã esse, quã Marcus Magdalenã nominans, septẽ dæmonia dicit habuisse. Quãuis ille pater, quod & ipse Gerardus annotat, dubitat, an plures Mariæ Magdalenæ eiusdẽ nominis fuerint. Sed Augustin⁹ cõtrà sentit, unicã fuisse Mariã Magdalenã: quã sententiã unà cũ omni penè Latinorũ Ecclesia autor ait se cõplecti.

4. Narratio Iohannis idipsum testatur: Erat, inquit, quidã languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororis eius. Maria aũt erat, quæ unxit Dñm unguento, & extersit pedes eius capillis suis. Hoc dicens Iohannes attestatur Lucæ, qui hoc in domo pharisæi Simonis factũ esset narrauit. Iã itaq; hoc Maria fecerat. Quod aũt in Bethania rursum fecit, aliud est, quod ad Lucæ narrationẽ non pertinet, sed pariter narratur à tribus alijs Euangelistis. Quòd ergo Matthæus & Marcus caput Domini perfusum unguẽto illo dicũt, Iohãnes aũt pedes: nõ solùm caput, sed & pedes Domini accipiamus perfudisse mulierẽ, & prius pedes. A capite quippe nobis ordinatè consuli agnoscimus: sed ordinatè etiam nos à pedibus ad caput ascendimus.

5. Hieronymi sententiã concordat Gerardus cũ Augustini, quia reprehendat Hieronymus eos q duas Marias Magdalenas ponunt. ac tandẽ sic ratiocinatur: Cũ ergo iuxta fidẽ Euãgeliorũ, quatuor fuisse Marias tantũmodo asserat, necesse est ut soror Lazari, quia etiã ipsa Maria uocatur, earũ una sit. Aut itaq; soror Lazari erit ea quæ Magdalena cognominatur, aut quælibet trium reliquarũ. Sed nullã earũ sororẽ Lazari fuisse, aliquis doctor exposuit. Matrẽ quippe Dñi, aut eius materteras, nemo unquã probare poterit sorores Lazari fuisse. Nõ solũ enim Maria Cleophæ, sed & Maria Iacobi, ut fertur, Dñi matertera fuit. Restat igitur, ut Maria Magdalena soror Lazari fuisse credatur, aut Hieronymo, quatuor tantũmodo Marias fuisse dicenti, contradicatur.

6. Gregorius in Homilijs inquit: Quã Lucas peccatricẽ mulierẽ, Iohannes Mariã nominat, illã esse Mariã credimus, de qua Marcus septẽ dæmonia eiecta fuisse testatur. Dicat adhuc apertius, Maria Magdalena, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando ueritatem, lauit lachrymis maculas criminis, etiã uox ueritatis impletur, qua dicitur: Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Nam uenit ad monumentum, &c.

7. Beda ait: Primò apparuit Dominus Mariæ Magdalenæ flẽti ad monumẽtũ: postea etiã eidem & alij Mariæ, regredientib. nunciare discipulis. Item idẽ: Non dubitandũ, quin ipsa sit mulier, quæ, sicut Lucas refert, quondã peccatrix ad Dñm cũ alabastro uenit unguenti. Eadẽ est ergo mulier: sed ibi pedes solummodo Domini prona ungebat. Hic autem & pedes ungere, & ad caput quoq; ungendum se non dubitauit erigere. Idem ait Anselmum adstruere.

8. Latinitas nouit unam, unius festũ colit.

Obiectiones sic diluit: Primũ, si soror Lazari Maria diceretur Magdalena, hoc cognomine ab Euangelista Luca uel Iohanne designaretur soror Marthæ. R. Non est sufficiens probatio, quia nec Marthæ agnomen exprimitur. Deinde fuit mulier nota, ut nõ semper necesse fuerit cognomẽ addere. Præterea utitur inuersione: Quia, inquit, non distinguitur, itaq; eadem est.

Secunda obiectio à nomine: Magdalena à Magdalo appellatur. Sed Maria soror Lazari habitabat Bethaniæ. R. Infirmam esse probationem hanc: quia potuit alibi nasci, & alibi habitare.

Tertia obiectio: Ambrosius duas Magdalenas uidetur asserere. R. Augustinus dissẽtit. Præterea Ambrosius per Fortasse dubiã ponit sententiam: Si plures, inquit, Mariæ, plures fortasse & mulieres.

Quarta obiectio: Hieronymus dissentit. R. Posset cõciliari Hieronymus, nõ eandẽ secundũ immutationẽ uitæ, eandẽ uerò secundũ identitatẽ personæ dixisse. Sed in ultimo libro cõtra Iouianũ duas ponit. Verũ ipse Hieronymus se declarat in epistola ad quæstiones Edibiæ: Maria Magdalena, inqt, sola & cũ altera siue cũ alijs mulieribus memor beneficiorũ, quæ in se Dominus cõtulerat, ad sepulchrũ eius frequẽter cucurrit: & nunc adorauit quem uidebat, tunc fleuit quẽ quærebat absentem. Licet quidã duas Marias Magdalenas ex eodẽ uico Magdalo fuisse

fuisse contendant, & alteram eam esse, quæ in Matthæo eum uidit resurgentem, alterã quæ in Iohanne eum quærebat absentem. Quatuor autem fuisse Marias, in Euangelistis legimus. Vnam matrem Domini Saluatoris, alteram materteram eius, quæ appellata sit Maria Cleophę: tertiã Mariam, matrem Iacobi & Ioseph: quartam Mariã Magdalenam. Ergo consentit Augustino, & in sequentibus duas Magdalenas asserentiũ sententiam reprobat.

Quinta obiectio: Origenes dissentit. R. Præferimus Origeni Ambrosium & Augustinum. Rectissimè autẽ Gerardus inquit: Non est in hac re ualde perniciosus error, unde & aliter atq; aliter credi sine magno periculo potest. Bonum tamẽ est, si fieri potest, ut non modò de hac, sed & de omni cõtrouersia quod uerius est, uel uerisimilius, hoc teneatur. Gerardus à Nazareth in tractatu de Maria Magdalena.

Hanc sententiam postea defendit Gerardus peculiari libello contra Salam presbyterum: qui Laodiceam ueniens, inspectoq; tractatu Gerardi, insigni fastu refutationẽ ebuccinauit. Sed cum esset indoctus & insulsus, iactaretq; sesquipedalia uerba, quæ ineptè proferebat: ideo Gerardus literatior, & tersiori lingua præditus, illum Salã, nihil salis eruditi habentem, egregiè depectit, positis primùm Salę uerbis, deinde sua refutatione. Pauca tantùm uerba Gerardi de Salæ scripto annotabimus. Sic inquit: Cũ huius Salæ scripta legere me cogit necessitas, uideor mihi quasi picẽ uel aliquid glutinosum impeditis dentibus mandẽdo transglutire uix posse. Nam ut in Iob legitur: Nunquid insulsum edi potest, quod nõ est sale conditum? Libro titulus inscriptus est: Defensio Gerardi Laodicensis episcopi contra Salam presbyterum.

SCHISMA INTER ERICUM *Daniæ regem & Roschildensem.*

INciderunt quędam inter Ericum Danię regem, & Eskyllum episcopum Roschildensem, inimicitiæ, quæ in atroces seditiones eruperunt. Nam episcopus Petri Botyldę auxilium nactus, ipsos quoq; Selandenses in suas pertrahit partes, proq; sua authoritate ipsis persuadet, de libertatis conseruatione certamen sibi cum rege esse. Audẽt igitur facinus, episcopo ductore, regemque Selandia expellunt, & omnes ad societatẽ cõspirationis adiguntã suspectis uerò obsides exigunt. Soli autem Skyalmonis filij seditiosa consilia detrectant, nec patiuntur se minis ad perfidiam perpelli. Tandem Ericus Iutica classe reuersus, omnes ad deditionem cogit, & episcopum seditiosum uicenis auri talentis mulctat. Saxo Gram. libro 14.

Paulo pòst Ascero Lundensi episcopo defuncto, de subrogatione alterius inter populum & regem dissensio exoritur. Scanenses Eskyllũ cupiunt substitui, qui Ascero propinquitate iunctus erat. Rex ueterẽ Eskylli iniuriam memoria tenens, Riconẽ Sleluicensem, cuius fidelitatem in adipiscẽdo regno expertus fuerat, præfert. Scanenses metu suam sententiam celant. Verùm Ericus à sicario Plogo interfectus, omnia in medio relinquit. Ericus uerò ipsius nepos ex filia, habenis regni acceptis, totus ardebat Riconẽ inthronisare. Sed ibi sese manifestè Scanenses aperiunt, se potius extrema quæq; passuros, quàm dignitatem pontificiam in aliam familiã translaturos. Pręcurrerat autem Eskyllus ambitione diffluens, cognita nece regis, animosq; Scanensium præoccupauerat. Ista pertinacia perspecta, potius publicę trãquillitatis, quàm unius uiri habendam esse rationem duxit, Eskylloq; permisit, ut eam sedem, cui inhiarat, occuparet. Rico autem uicissim Selandensem pontificatum est adeptus. Saxo Gram. lib. 14.

DE DEPOSITIONE *Thessalonicensis episcopi.*

COnstãtinus Mesopotamitanus, Thessalonicẽsis episcopus, semper ferè in aula Imperatoris Orientalis Alexij Angeli uersabatur, summaq; in regis familiaritate erat, singulariq; prudentia & autoritate res etiam politicas administrabat. Sed in odia potentum aulicorum, ut facilè fit, illapsus, criminibus undique arreptis, insidiosè apud regem defertur, omniq; gratia facilè excidit.

Cum uerò honore deijciẽdus, omninoq; pedibus quasi, more huius mundi, proterẽdus esset, de absente & in absentem deliberatio instituitur. Intersunt autem patriarcha alijq; primarij sacerdotes. Cum autem quædam crimina uacillare uiderentur, patriarcha siue Imperatoris, qui leuitatis insimulatur, instinctu, siue proprio in Mesopotamitanum odio, sententiam fert de Mesopotamitani depositione, aliumq;, dictum Chrysanthum, Thessalonicensis ecclesiæ episcopum designat, reliquis approbantib. Etsi autem hæc acta in absentem iniquissima essent, tamen multi applauserunt ijs, qui summam authoritatem & potentiam obtinebant. Nicetas libro secundo, de Alexio Angelo.

SCHISMA DE VRBIS *Leodiensis munitione.*

PLebei ciuitatem suã muro uestientes, Ecclesiasticorum sumptus & opes initiò

tiò non experiuêre:sed pôst rei difficultate adacti,canonicos aut cooperarios, aut soluendo æquales deposcunt:imò ipsos reluctantes,armis,ut uotis suis annuant,nô uerentur petere. Ciuium causæ episcopus fauere uidebatur, cum sępius ad eorum audaciam conniueret. Tandem sacrificulorum grex urbe se subducens, in aduersarios Apostolicum fulmen immittunt, & mercatores ex Francia mercibus onustos exonerât & expoliant. Tandem rebus pacatis, Albertus episcopus ciues iureiurando constrinxit, & clericorum immunitatem inuiolatam seruauit. Catalogus Tungrensium episcoporum.

CAPVT IX.

DE SYNODIS seu Concilijs.

SVB HEINRICO IIII.

SVB VRBANO.

PARRISIIS.

ALEXIVS Constantinopolitanus ad Vrbanum secundum literas mittebat,quibus Turcicam rabiem exponens, totius Occidentis auxilia implorabat.

Vrbanus igitur mox in confinio Hispaniæ,seu,ut alij uolunt, Parrisijs, concilium ex omnibus nationibus conuocat, cui ipse quoq; interest:ubi suis declamationib. omnes exuscitat & accendit, ad propulsandos barbaros hostes ex loco,quo mundi Redêptor passus esset. Hortatur igitur omnes,ut omnibus relictis,se itineri accingant.

Designata autem sunt circiter centū millia ex Aquitania,Normannia, Anglia,Scotia, Hibernia, Britannia, Galitia, Vasconia, Gallia,Flandria,Lotharingia,alijsque gentibus.

Additur & episcopus Hademarus, qui nomine papæ soluendi ligandiq; potestatem haberet. Vrsperg.

SVB PASCHALI II.

FLORENTIAE,

DE ANTICHRISTO.

FLorentinus episcopus (Sabellicus habet Fluentinus) audebat palàm asseuerare, Antichristum iam natū esse: idq; haud dubiè animaduertit ex illa horribili metamorphosi regni Christi spiritualis in mundanum. Nam pontifices Romani magis arma quàm Biblia sacra tractabant; opponebant sese Imperatorib. eosq; contemptissimè tractabant,articulos fidei deprauabant, Sacraméta à Christo sancita prophanabât, idololatria indies crescebat, hypocritica disciplina, auctis monachorum ordinibus & cultibus humanis,in immensum extollebatur. Plures ad pontificatum insidijs, armis ac cædibus ascendebant, quàm libera electione:& castitas,quæ etiam in honesto coniugio colitur,ex toto quasi choro sacratorum uirorum exterminabatur. Erat denique Romanus papa uorago pecuniarum totius mundi, ui, non ratione pleraq; administrans. Ista quidem huic antistiti & alijs, præsentem Ecclesiæ statum nonnihil perpendentibus, occasionem præbuerunt, ex tam euidentibus & illustribus notis affirmandi, Antichristum iam esse natum, publiceq; in Ecclesia dominari. Scribunt aliqui, prodigia quæ plurima tum fiebant, maiorē ipsi materiam cogitandi de Antichristo prębuisse: ut quòd mare retrocesserit, & similia. Verùm sine dubio grauiorib. causis, certioribusq; notis & characteribus Antichristi, quæ publicè in conspectu uersabantur, motus est,quę magna arte & potentia sunt suppressa.

Hac autem re diuulgata, Paschalis secundus, uicē Antichristi Romæ gerens, nequaquam sibi dormitandum existimabat: sed confestim Florentiæ coacto concilio, episcopum ad examen uocat. Silentium autē de argumentis ipsius altum est. Non enim uisum est ex re pontificis Romani, si rationes in uulgus sparsæ, aut memorię fuissent commendatæ. Tantùm hoc assertur, hominem uerbis castigatum ac dimissum esse, eumq; rei magnæ authorem haberi noluisse. Credibile sanè est, uerbis sæuis magis quàm rationibus illum hominem sopitum fuisse. Sit igitur hoc notum, eo tempore aliquos extitisse qui asseuerarint, Antichristū adesse, licet Antichristus & uerbis & gladio eis silentium imposuerit. Platina in uita Paschalis secundi, & Sabellicus Ennead. 9. lib. 4. Blōdus. Annus à quibusdam 1101 annotatur, ab alijs 1110. Antoninus ait 1105 Florentiæ agitatum esse concilium, titul. 16. capite primo.

ROMAE,

CONTRA MAGISTRATVM.

INdicitur Romæ anno Domini 1102 generale Concilium circa medium Quadragesimæ, in quo negocium schismatis inter Heinricum 4. & Paschalem 2. papam uentilaretur. Receperat autem Heinricus principibus,se eò uenturum: sed postea non uenit, Romanorum præsulum molitiones nō ignorans. Odiū quoq; famam excitauerat, Imperatorem hoc agere, ut in locū Paschalis alium subrogaret. Et uidetur quidem,

hanc

hanc potissimùm ob causam, ut nimirum suum solium consolidaret, istum conuentũ coegisse Paschalẽ. Videmus enim, eos plerũq; honoris sui causa multò plura, quàm honoris Christi ergò fecisse.

Adsunt autem in concilio, Apuliæ, Campaniæ, Siciliæ, Thusciæ, totiusque Italiæ episcopi, papæ mãcipia, nec præter rem Imperatori suspecti. Venerunt & Vltramontanorum legati.

Acta porrò sunt ista: Antiqua patrum statuta more solito confirmant, inter quæ primas Hildebrandina tenuerunt.

Deinde schisma præsens inter pręcipuas hæreses computant, perpetuoq; cum suis authoribus & sequacibus anathemate notant. Hęc iacula & in Imperatorẽ tendebãt.

Subscriptio eiusmodi refertur: Anathematizo omnem hæresin, & præcipuè eam, quæ statum præsentis Ecclesiæ perturbat, quæ docet & adstruit, anathema contemnendum, & Ecclesiæ ligamenta aspernenda esse. Promitto autem obedientiam Apostolicæ sedis pontifici, domino Paschali, eiusq; successoribus, sub testimonio Christi & Ecclesiæ, affirmans quod affirmat, & damnans quod damnat sancta & uniuersalis Ecclesia.

Ibi etiam quã sententiam in Imperatorẽ uel patricium Romanũ Heinricum idẽ Apostolicus Paschalis promulgauerit, nos quoq; inter innumeras diuersarũ gentium cateruas, proxima Cœna Domini in ecclesia Lateranensi ab ipsius ore didicimus: nimirum, postquam 8 Kalend. Octobr. maris fluctib. Ioppe traditi, Romæ sumus per gratiã Christi prędicta maiori hebdomada introducti. Quia, inquit, tunicã Christi scindere, id est, Ecclesiã rapinis & incendijs deuastare, luxurijs, periurijs atq; homicidijs cõmaculare nõ cessauit, primò à beatę memoriæ Gregorio papa, deinde à sanctissimo uiro Vrbano pręde cessore meo propter suam inobedientiã excõmunicatus est atq; condemnatus: nos quoq; in proxima synodo nostra iudicio totius Ecclesię perpetuo eum anathemati tradidimus. Id notũ uolumus omnib. & maximè Vltramõtanis esse, quatenus ab ipsius se contineant iniquitate. Vrspergensis. Vbi uerò unica tantũ pars in iudicio est, & iudex ipse est pars & caput rerum, ibi quale iudiciũ feratur, nõ est obscurum. Crantzius in Saxon. lib. 5. cap. 15. Erford. cap. 86. Hirsaug. Chronicon.

LONDINI,

CONTRA VXORES SACERDOTUM & *inuestituram politicorum.*

HEinricus Huntingtonus lib. 5. & Rogerus Cestrensis lib. 7 referunt, quòd anno Domini 1102. & tertio anno Heinrici primi Anglorum regis, in festo Michaelis, Anselmus Cantuariorũ archiepiscopus sub papa Paschali conciliũ Londini celebrauerit. In quo cõcilio (inquiunt) Anselmus prohibuit uxores sacerdotib. antea illic nõ ꝓhibitas. Id uerò quibusdã mundissimũ uisum est, quibusdã periculosum, ne, dum mũdicias uiribus maiores appeterẽt, in immũdicias horribiles, ad Christiani nominis summũ dedecus, inciderent, &c. In eodem concilio ob eorũ infames luxurias depositi sunt ac degradati (ut uocant) Guido abbas Perscourẽsis, Aldeuuinus abbas Ramesiensis, Vuimundus abbas Tauestocẽsis, Godricus abbas Petroburgẽsis, Haymo abbas Ceruelensis, Algericus abbas Mydeltonensis, Ricardus prior Eligensis, Rotbertus abbas Buriensis, abbas Micelnensis, abbas Stokensis, & alij. Sequenti anno Sodomitas innumerabiles inuenit Anselmus, ut Ranulphus habet. Balæus Centuria 2. cap. 59. in appendice. Polydorus ait, habitã esse synodum, ac multa pro sententia Anselmi cõstituta. Sed postea in uarietate istius historię oratio eius absorbetur. Lib. 11. sub Heinrico 1. Ordinatos porrò esse quinq; episcopos in Cãtia, testatur Malmesburiẽsis li. 5. ca. 28.

AD PAVLI FANVM,

DE SODOMIA, FRVCTV *cœlibatus.*

SEquẽti anno post Lõdinẽsem synodũ, scilicet anno Dñi 1103, rumores & querimoniæ ad Anselmi aures uenerunt, quòd ex damnato sacerdotũ coniugio uitiũ horrendũ, quod Sodomiticũ uocabant, ubiq; per Angliã regnaret. Conuocata ergo altera ad Pauli fanum synodo, hoc edidit frigidum statutũ: Sodomiticũ flagitiũ faciẽtes, & (dictu horridũ) eos in hac uoluntate iuuantes, graui anathemate dãnamus, donec pœnitentia & cõfessione absolutionẽ mereantur. Qui uerò in hoc crimine publicatus fuerit, statutũ est, siquidẽ fuerit persona religiosi ordinis (ô sancta religio) ut ad nullũ amplius gradũ promoueatur (acerba pœnitentia) & si quẽ habet, ab illo deponatur. Si aũt laicus (nam & illi quoq; gustauerant tã sancti cœlibatus fructũ) ut in toto regno Anglię legali sua condignitate priuetur. Et ne huius criminis absolutionẽ ijs, q se sub regula uiuere nõ uouerunt (aliter in cœnobijs) aliquis nisi episcopus deinceps facere præsumat, &c. Statutum quoq; est, ut per totã Angliã in omnib. ecclesijs, & omnibus diebus Dominicis excõmunicatio pręfata publicetur (Euãgelij loco) ac renouetur. Ranulphus & Rogerus Cestrẽses. & Iohannes Treuisa in Chronicis. Quomodo uerò exequẽdũ sit pręfatũ statutũ, Anselmus ad Guilhelmũ archidiaconũ suũ declarat, in epistola sua

la sua 278. Balęus Cent. 2. cap. 60. in append.

NORTHVSAE,

CONTRA INVESTITVRAM POLITICORUM, & uxores sacerdotum.

PAtre Henrico 4 à Romano pastore, ob non concessas sibi inuestituras episcoporum, excõmunicato, filius à suis instigatus cristas erigit, seseq; meretrici Romanæ submittit. Saxonicis autem principib. in suas partes Quedlinburgę pertractis, Northusæ, quę est regia uilla, nec procul inde distat ad Harcinicã syluã, synodũ indicit ad 4 calend. Iunij, anno Domini 1105. Cõuenit aũt ingens episcoporum, abbatũ & monachorum turba. Huic cœtui præsident duo Paschalis secũdi uultures, commissarij dicere uolebamus, Ruthardus Moguntinus, & Gebhardus Constantiensis episcopi.

Primùm aũt de disciplina, quę labefacta tacta hactenus esset, tractabatur, atq; ad patrũ decreta, quæ ibi relegebantur, iterũ redigebatur. Sed leuiorib. quibusdã correctis, grauiora ad papacęsarẽ Romanũ reijciebãtur.

Deinde, inuestiturę ius totum Romano idolo consecrabant, & immolabant plenissimis oribus. Nam Heinricus hactenus maiorum authoritatem & priuilegia, cõtra furorem Romanorum pręsulũ tutatus fuerat. Et hac quidem in parte Heinrici filius papam omnium maximè fricare studebat: sed postea in similes pœnas iusto Dei iudicio incidit. Hoc igitur inuestituræ ius, quod sibi politici arrogabant, per inuidiam nõnulli scriptores Simoniam appellant.

Tertiò, ut magis palpum Romano idolo obtrudant, decretum contra sacerdotũ cõiugia honesta repetunt, ac ui aperta supplicijsq; diris cõmuniunt. Eam uerò sacerdotum coniugalem uitã, uerbo Dei & exemplis Apostolorum atque antiquæ Ecclesiæ Christi consentaneam, odioso Nicolaitarũ titulo, ut sanctos dæmones (de quibus 1. Timot. 4. Paulus docet) egregiè decet, summa inuidia traducunt.

Quartò, ieiuniũ mensis Martij hebdomada Quadragesimę, ieiunium uerò mẽsis Iunij in ipsa hebdomada Pentecostes Romano more celebrandum statuitur.

Quintò, episcopi, qui prius inuestituram ab Imperatore acceperãt, quotquot ibi præstò erant, quasi rebaptizantur, nomine pontificis Romani manu imposita, quæ scilicet capacior erat manu Cæsaris.

In eo aũt conuẽtu Heinricus quintus miram præ se humilitatem tulit, ut nimirum significaret, se totum uelle monstro Romano subiugatum esse. Noluit autem synodũ ingredi, nisi uocatus, ut nimirum eis potestatem agendi & decernendi quidquid liberet, permitteret.

Iura aũt sua cuilibet renouauit, ac si quæ irrationabilia postulabantur, uerecundè & sapiẽter refutabat. Tandem patheticam de parẽte querelã, sublatis in cœlum oculis & fusis lachrymis, instituit: se nequaquã optare, ut parens ab Imperio remoueatur, si modò ulla ratione adduci posset, ut uni Romano præsuli, omnes Cęsares sibi subiuganti, sese submitteret. Quidquid uerò hactenus egisset, atq; in posterum moliturus esset, id se tantùm ad conseruandam authoritatem atq; excellentiam Romani papacæsaris factitare, ut ipso placato, Ecclesia sit pacata & tranquilla. Hisce expositis, sanctis patribus & Romanum Deum colentibus lachrymæ oboriuntur, moxq; in uoces gratulatorias resoluti, acclamant Kyrieeleyson.

Hic etiam confestim Vto Hildesheimensis, Heinricus Padebornensis, & Fridericus Halberstadẽsis, qui hactenus papacæsari restiterant, ab Imperatore Heinrico 4. apostatantes, sese cum corpore & anima Apostolicæ obedientiæ dedunt. Atqui ipsorum facinora Romano pręsuli reseruãtur, intereaq; ab officio suspenduntur. Vrspergensis, Otto Frisingensis lib. 7. cap. 8. Hirsaugiense Chronicon, Crantzij Saxonia lib. 5. cap. 17. & in Metrop. lib. 5. cap. 31. Barns, Auentinus lib. 5. Erfordiensis cap. 86.

ROMAE ALIA.

NOn magna synodus Romæ à Paschali 2. est habita, de controuersia inter Casinẽses & episcopum Capuanum. Nam Capuæ fratres capellam S. Angeli dedicari fecerant per Brunonem Sigiensem episcopum, suum monachum, aduocato etiã Senne Capuano archiepiscopo. Verùm iste paulo pòst armata manu irrupit in sacellũ, destruens altaria, & reliquias auferens. Postea aduersum ipsos querelas instituit, quòd in dedicatione contra Canones actum esset.

Re ad papam delata, in synodo coram Paschali secundo Romæ promisit, se correcturum omnia: id quod fecit. Chron. Casinense lib. 4. cap. 30.

MOGVNTIAE,

CONTRA MAGISTRATVM.

COnuẽtus celeberrimus Moguntię institutus est, anno Dñi 1106, petẽte Henrico 4. Vbi nõ tantũ principes è toto Imperio Romano agminatim cõfluebãt: sed ingens quoq; Ecclesiasticorũ, uti nominãtur, numerus eò cõuolabat: id nimirũ agẽte Romano papacęsare omnib. uiribus, ut magistratus ille summus in Romano Imperio penitùs deijceretur & conculcaretur. Duo aũt uultures Roma missi, Paschalis secũdi egerũt partes, Albanus nimirũ & Cõstantiẽsis.

Quid fit? Omniũ primùm cõspiratio instituitur de excludendo ex eo cœtu Heinrico quarto

quarto Imperatore (qui in Ingelheim prope Moguntiam expectabat uocationem in conuentum) ne fortè aspectus Imperatoris, propter personæ senilis & grauis & maiestatem præ se ferentis authoritatem, quorũdam animos permoueret, ut datam fidem erga magistratum considerarent. Hoc consilium à Paschali, Italicarum artium peritissimo, profectum esse, Erfurdiensis testatur: qui quidem non obscurè, quicquid in eo conuentu malè gestum est, illi Romano lupo potius quàm pastori attribuit.

Faces igitur incendio horribili, omnium primò uultures illi Romani, legati debebamus reuerenter dicere, admouent, iussuq́; authoritate & nomine papacæsaris fulmẽ excommunicationis in Imperatorem, nõdum legitimè depositum, nec auditum, nec uocatum in eum cœtũ, promulgant: quod quidẽ à multis papis aiunt in eũ esse iactũ, atq; in præsentia à Vulcano Iouis Paschali a nouo igne calefactũ, nouisq́; malleis acuminatũ sit. Interdicunt igitur uniuersis catholicis uiris, adeoq; toti regno Romano cũ tali homine cõmunionẽ. Hortãtur insuper atque instant precationibus, ut omnes, quotquot adessent filiæ ecclesiæ Romanę, cuius quidem papa est pater, cõiunctis animis & uiribus incolumitati matris (sed uidendũ erat qualis'nã ea esset) cõsulerẽt aduersus tantũ hostẽ, uniusq́; ut Crãtzius ait, capitis contumacis superbiam frangerent: alludentes nimirum ad Caiphæ consiliũ, cuius uerba expresserunt. Habes igitur doctorũ, pastorũ, patrum & matrũ Ecclesię reuerentiam, fidem, στοργὴν erga magistratum Imperij Romani summum, unde facilis de spiritu, quo sũt agitati, cuius est cõiectatio.

Obcæcati autem omnes papacęsaris Romani eminentia, ac territi rugitu tã horribili, pedibus in eam sententiã concedunt: duces que cæcos populus cæcus uno impetu subsequitur, fitq; decretum in absentem, in non auditum, in senem Cæsarem.

Executio uerò sine dilatione peragitur. Nã ignis dũ calet adurit. Sed obserua quæsumus executores, & spiritualiũ paternos affectus. Historiam uerbis Crantzij apponemus: Mandatũ est, inquit, Moguntino, Coloniensi, & Vuormaciensi episcopis, ut eũ adeuntes, Imperialia insignia auferrẽt inuito. Cũq; in senioris uenissent conspectũ Ingelheim, quo loco palatium instruxit Magnus Carolus, mãdata cõcilij exponebãt pontifices, poscẽtes ut insignia uolẽs traderet. Ille autẽ causam requirẽte tã seueræ in se inauditũ à cõcilio prolatæ sententiæ, obiecisse ei feruntur, in cõferendis episcopatibus & abbatijs simoniã. Tũc Imperator: Dic Moguntine, dic Coloniẽsis per nomen æterni Dei, quid à uobis acceperim. Dixerunt: Nihil. Et Imperator: Gloria Deo in excelsis, quia uel in hac parte fideles inuẽti sumus. Certè maximæ uestrę dignitates potuissent magnum cameræ nostræ, si ita quęreretur, quæstũ præstitisse. Dominus Vuormaciẽsis nouit, & nos nõ ignoramus, quæstu an gratia interueniẽte illũ receperimus. Nolite patres temerare fidẽ uestrã. Ecce, iã senio laboramus, sustinete nobiscũ, & nolite in confusionẽ gloriã nostrã terminare. Generalẽ curiã expetimus: si cedendũ est, proprijs manibus filio coronã trademus. Illis renitẽtibus & uim ostẽdentibus, parũper secedens Imperialibus se uestiuit insignibus, & reuersus: Hæc, inquit, Imperialis honoris sunt insignia: hæc mihi præstitit æterni regis pietas, & principũ electio. Potẽs est Deus nos in his conseruare, & manus uestras ab opere cœpto cohibere, quãuis simus armis & militia nostra destituti: securi enim de tali uiolẽtia, nobis nõ prospeximus. Sed timor Dei uos coherceat, quos pietas nõ reuocat. Quòd si neutrũ ueremini, ecce præsentes sumus, nõ possumus uiribus refragari. Hęsitãt põtifices: sed inuicẽ cohortãtes, accepto conamine Imperatorẽ adeũt, coronã capiti detrahũt, & sede detractũ omnibus Imperialibus exuũt. Imperator ab alto ductis suspirijs, sic eos alloquitur: Deus ultionum Dominus uideat, & uindicet iniquitatem quã facitis. Ignominiã sustineo antea inauditã. Sed delicta iuuẽtutis apud iustũ iudicẽ Deũ luo. uos tamen immunes à crimine nõ eritis: quia iusiurandũ præuaricati, iusti uindicis ultionem nõ effugietis. Non prosperetur honor uester. Sit portio uestra cũ eo qui tradidit Christũ. Illi obturãtes aures retrocedũt, filio eius Imperialia deferẽtes. lib. 5. Saxoniæ, cap. 20. Hęc significat Crãtzius, ex fide dignis se descripsisse. Alij autẽ nõnihil uariant, ut qui fœditatẽ rei aliquo pacto lenire studuerunt. Sed Erfurdiensis quoq; & alij ueritatem non dissimulant.

Est & illud notandum: Petit Imperator pœnitentiã à legatis Romanis cęterisq́; episcopis. Sed illi superbè respondent, absque generalis synodi decreto se nullã ipsi absolutionẽ impertire posse, eamq; rẽ ad papã pertinere: Romam ipsi proficiscendũ esse, ut præsenti papæ sui humiliatione satisfaciat. Pollicetur etiã prophanis principibus, sese omnibus, quoscũq; læsisset, satisfacturũ, rogare ueniã, & polliceri emendationẽ omniũ quęcunq; postulassent. Sed nemo ullis precibus locũ relinquit, fulmẽ papale præpõderat, omnesq; humanitatis affectus tam ab Ecclesiasticis, quàm à laicis uiris radicitùs euulserat. Nemo hic expendit Petri doctrinam, etiam discolis dominis parẽdum.

dum. Nemo recordatur, peccatis suis talem magistratum se meruisse. Filius ipse demẽtatus papæ rugitu, & Ecclesiasticorum improbitate perculsus, obliuiscitur debitę suę erga patrem reuerentiæ: & quęruntur eius duriciei prætextus ab oratoribus callidis.

Patre itaque deiecto, quasi triumphus agitur.

Inuestituræ ius, quod Heinricus quartus à maioribus acceperat, ueluti simoniaca hęresis publicè dãnatur, & uocatur Heinriciana hæresis.

Inuestiti ab Henrico deijciuntur, ac lenitatem præ se ferentes, usq; ad concilij generalis satisfactionem & ordinationem suspenduntur.

A' Vuigberto ordinati simili modo tractantur, & omnia eius decreta annihilãtur.

Ne autem quicquam deesset, quod ad uenerationẽ atq; adorationẽ papæ pertinere uideretur, legati Romã destinantur, qui oracula ueluti ab Apolline ibi acciperent, quomodo ad nutũ papæ omnia suscipi geriq; cõueniret. Ex Lotharingia igitur mittitur Bruno Treuirẽsis, è Saxonia Heinricus Magdeburgensis, ex Francia Otto Bambergensis, è Bauaria Eberhardus Eistetensis, ex Alemannia Gebhardus Cõstãtiensis, è Burgundia Curiensis. Adduntur & nobiles.

Mandata quę legatis dabantur, erant, ut exponerent corã papa, ex animi ipsius sententia rẽ omnẽ confectam esse, iacere Imperatorẽ prostratũ atq; exauthoratũ: papam uerò super æthera sublatũ esse, seq; iã omnes eius nutũ expectare, atq; àd libitũ ipsius se promptos & obsequiosos esse ad quęlibet suscipiẽda. Præterea iussũ erat, ut supplicarẽt tã sublimi domino, ne dedignaretur in Cisalpinas regiões progredi, omniaque pro suo capite & placito constituere: habere enim iam ipsum qui contradiceret neminem.

Istis rebus cognitis atq; promulgatis, cõfestim cadauera schismaticorũ, iuxta ipsorũ arbitriũ, è sepulchris eruũtur ac proijciũtur. Vuigberti etiã corpus, quod sex iam annos, Vrspergensis habet quinq;, in Rauennẽsi ecclesia humatũ in terra iacuerat, sine omni patiẽtia (exaltatis ecclesiæ Romanæ cornibus, inquit Abbas) effoditur, & contumeliosè tractatur, ut cognoscas Christi Petriq; germanũ successor[illegible], iuxta Euangeliũ sextũ, quod Romæ in sella põtificia latet, neminiq; est conspicuum quàm soli papæ. Imò & ipsius Heinrici 4 cadauer quinquẽnium sepultura prohibet mitissimus erga defunctos pater, scilicet iuxta Petrum magistratum contemnens.

Etsi autẽ essent, quos ille miserabilis casus senis Imperatoris cõmoueret: tamen uana fuit sine uiribus ira. Legatos in itinere nobilis quidã Albertus inuadit: sed liberãtur postea rursum. In Italiæ marchionatu ad Alpinũ, Vuernerus Imperatori fauens abbatẽ de Ferraria contra Paschalẽ, tã immaniter sæuientẽ, in papam cupiebat promouere: sed potentia põtificia opprimebatur. Secutæ autẽ postea sunt plures seditiones, cædes, bella, quæ omnia cõmouit, aluit & auxit Romanus ille Ecclesiasticus Imperator cum suis creaturis: id quod historiæ palàm testificãtur. Erfordiensis cap. 86. Chrõ. Hirsaug. Otto Phrisingensis lib. 7. cap. 10. Crantzij Saxonia lib. 5. cap. 19. 20. 21. Et in Metropoli lib. 5. cap. 33. Auentinus lib. 5. Boiorum.

SVB HENRICO V. AD PADVM FLVVIVM, DE EPISCOPIS AB ANTIPAPIS *ordinatis.*

ANno Domini 1106 Paschalis 2. rogatus, ut in Germaniam ueniret, ad Padum fluuium in Longobardia Vuarstallis concilium cum sibi iuratis celebrat.

Caput actionis fuit, quòd ab antipapis consecratos ipse denuò consecrat, palliaq; immutat, idq; duos ob fines omnium maximè: primùm, ut tali uiolento processu laicos principes omni iure inuestiendi episcopos & abbates in suis prouincijs penitùs expoliaret & priuaret. Deinde, ut unà cum stabilitione eminentiæ suæ super omnes, & mulctas ingentes corrogaret. Nam pallia illa tantus Sartor nequaquam immutauit gratis.

Decretum autem promulgatum est eiusmodi. Per multos iam annos regni Theutonici latitudo ab Apostolicę sedis unitate diuisa est: in quo nimirum schismate tantum est factum periculum, ut, quod cum dolore dicimus, uix pauci sacerdotes & clerici catholici in tanta terrarũ latitudine reperirẽtur. Tot igitur filijs in hac strage iacẽtibus, Cristianæ pacis egit necessitas, ut sup hos materna ecclesiæ uiscera panderentur. Itaque patrũ exẽplis & scriptis instructi, qui diuersis tẽporibus Nouatianos, Donatistas, & alios hæreticos in suis ordinibus susceperunt, præfati regni episcopos in schismate ordinatos, nisi aut inuasores, aut simoniaci, aut criminosi sint probati, in officio episcopali suscipimus: idipsum de clericis cuiuscũq; ordinis constituimus, quos uita sentẽtiaq; cõmendat. Crantzius in Saxonia lib. 5. cap. 24. & Vrspergensis. Sabellicus Ennead. 19. lib. 4.

Auentinus sic recitat: Hildebrandi acta, opes factionis, absentium animos literis, præsentium uerbis confirmat. Gebhardum Tridentinis, Conradum Iuuauẽsibus consecrat pontifices. Collegia, contubernia

bernia immunitate donat, tributum annuũ (sicut diplomata eius ostendũt) imponit. Ad se deficiẽtibus absq; cunctatione gratiã facit: obstinatis, nisi ante diẽ præscriptũ resipiscant, sacrificijs interdicit. In scrinio sacri pectoris Romani episcopi omnia iura contineri, iusta omniũ condita esse, nec eundẽ religione mendacij astringi posse, pronunciat. Proinde debere homines consideratius iã loqui cũ illo, atq; pro legibus habere quæ dicat. Quicquid aduersus Romanum senatũ pontificalemúe extulerit, contundẽdum esse decernit. Lib. 6. de Boijs.

Præstolabatur porrò Henricus Ratisponæ anno Domini 1107 papę aduentũ, sicuti ipsius legati, qui Imperatorem accesserant, largissimam spem fecerant. Verùm occinũt sanctissimo patri aliqui hanc insuauem cãtilenã, Teuthonicã nationẽ difficilimè recepturã esse illud decretũ, quod quãlibet inuestiturã de manibus laicorũ uetat accipere. Inculcant quoq; animosum cor regis adolescentis, quod nondũ iugo pontificio satis assuetum esset. Gemit igitur non iniuria hians coruus, nondũ sibi satis tutum ad Germanos accessum patêre. In Gallias igitur iter deflectit, iuxta consiliũ illius sapientis uiri: Si hac nõ successit, alia aggrediendum est uia. Crantz. Saxo. lib. 5. cap. 30.

De eadem synodo sic Platina & Blõdus scribunt: In Cisalpina Gallia seu Lombardia Paschalis ad Guardestallum synodum agit de homagijs, de feudis, de sacramẽtis episcoporum, laicis antea exhibitis uel exhibendis.

Decernit quoq;, ne Aemyliæ urbes, Placentia, Parma, Regiũ, Mutina, Bononia, amplius Rauennati metropoli subessent, sed pontifici immediatè parerent: quia in Romanã sedem aliquoties cornua erigebant, & dominus his opus habebat.

TRECAE,

DE INVESTITVRA.

IN Gallijs proposito suo satisfacturus Paschalis 2, cùm Germania, uirtutem ipsorũ nõnihil expauescens, excluderetur non uolens, Trecæ conciliũ indicit, undiq; collectis episcopis ut potuit, anno Domini 1107, circa Ascẽsionis Domini festũ. Heinricus autẽ quintus Imperator se quidẽ uicinũ, non tamen præsentem cõcilio exhibet. Sic scilicet Ecclesiasticus & politicus Imperatores inter sese cretisant, neuter alteri fidens.

Materia circa quã, est Inuestitura, quam pontifex cum suis omni ui, omni authoritate, omnibus artibus è manibus laicorum extorquere contendit. Liberas igitur electiones pastorum esse oportere asserit, cohercendas similiter laicorũ in Ecclesiasticas dignitates præsumptiones statuit, & iuxta suorum antecessorum morem eadem mandata promulgat, & anathematis cõmunit.

Heinricus uerò Cæsar, istis superbis molitionibus papæ perceptis, cum episcopis & optimatibus, quos secum habebat, cõsilio inito, legatos ad papã mittit, qui tã ipsi quàm toti synodo in memoriã redigerent, potestatẽ constituendorũ episcoporũ priuilegijs Apostolicis (sic enim tum pontifices uocabantur) Carolo Imperatori cõcessam. Rogat ne in alieno regno, cuius nunc sceptra teneret Heinricus, quicquam in suum præiudicium præfinirent.

Turbant autem ista papam & reliquos patres, & postulanti Cæsari induciæ unius anni ad eã quæstionem uentilandã conceduntur, non quidẽ, ut facile cogitatu est, bona cũ uoluntate. Vrspergẽsis ait, Romã denominatã esse, ubi ista causa dijudicaretur. Sic scilicet Imperator Romanus à pastore Romano subiugatur. Crantzius testatur, papam nihilominus statuisse, ne hoc tempore induciarũ quisquã inuestiturã alicuius beneficij aut Ecclesiasticæ dignitatis à manu laica accipiat, donec ea quæstio inter Cæsarẽ & papã in synodo determinaretur. Et ut iuxta Canones sibi prælatos deligerent, libertatẽ Ecclesijs reddit. Ad hunc modũ prę iudicat papa synodo, pro sua infinita licentia et tyrannide. In Metropoli lib. quinto, capite 33.

Porrò ut suã offensionem & rancorẽ abundè proderet papa, patriarchã Aquilegiẽsem, Leodiensem & Cameracensem episcopos anathematisat. Mindensis & Halberstadensis priuãtur. Coloniẽsis cũ suffraganeis suspenduntur, quia cõcilio abfuerãt. Mogũtiacus & Cõstantiensis etiã suspenduntur, quia contra Canones pontificales, aliquos electos instituerant. Addit postea Vrspergensis, satis flebiliter exponens papæ mentẽ: Rursum, inquit, necdũ humilitatem (puta omnimodã subiectionẽ) quam quæsiuit Germanicis in cordibus, inuenire se, satis cõquestus est. Stomachabũdus igitur papa ad suos Italicos rursum iter reflexit. Vrspergensis, Henricus Erford. cap. 87. Crantzij Saxonia lib. 5. cap. 30. Metrop. lib. 5. cap. 33. Chron. Hirsaugiense.

Cum autem Auentinus acta atq; decreta huius synodi paulò clarius & fusius ex Dauide Scoto, qui apud Heinricũ quintũ fuit, exponat, gratũ sine dubio Lectori erit, uerba ipsius audire. Sic inquit: Cõciliato sibi Galliæ episcoporũ fauore, ad captandã plebis aurã leges turbulentissimas rogat atq; perfert. Cæsarẽ de creãdis põtificibus ad disquisitionẽ uocat. Ipsum põtificalibus comitijs excludit. Ea ad plebẽ transfert: nẽ

pe cõmunem omniũ pastorẽ,cõmuniter omnium suffragio capiendũ esse, statuit:pollui religionẽ,si quispiam sacris addictus,cœlestis atq; immortalis Imperatoris ceremoniarũ consors sit, terreno atq; mortali regi se in clientelam atq; seruitutẽ dicauerit. Sacerdotiorũ administrationem ad põt.max. armorũ ad Cæsarem pertinere. A singulis igitur episcopis iusiurandum exactum, futuros in potestate Romani põtificis. Quintus per edicta ita obnunciat: Nõ licere Gallis curiosis aliena,quæ nihil ad eos attinẽt, curare: cuilibet facilè esse de alieno largiri. Christiani orbis Imperium sibi à Deo optimo maximo impositum esse:proinde se de ueteri more & ritu priscæ religionis,sacris supremæ maiestatis placitis non defuturũ, daturũq; iure suo operá, ne quid respublica detrimenti capiat. Extare uetustissimã sanctissimorũ patrũ legẽ,tẽpore Caroli Magni perlatã, qua Paschalis atq; cũ eo sentiẽtes,per omniũ sacerdotũ religiones deuouentur atq; proscribuntur. Nullo pacto fas iusq; esse fastuoso põtifici, leuissimis Gallis,magis superstitiosis quàm religiosis, tot diuos,tot pientissimos põtifices maximos, minores,mystas,monachos,reges,Imperatores, superos atq; cœlites impietatis condẽnare. Se,quoad uita suppetat,non passurũ,ut instituta à maioribus accepta, per tot annos hactenus obseruata , fraude & astu paucorũ, cum maxima Christianorũ morũ pernicie,obliterentur. Põtifices, episcopos, mystas , monachos,ab Imperatoribus atq; regibus collocupletatos esse. Vbi his pares opibus facti sunt,more perditorũ,quo pluta donata fuerint,plura concupiscere:illisque sordere prima quæq;,ubi maiora sperarint. Titulo honesto libertatis Ecclesiasticæ fraudulentos homines grassari,illud conari,ut se excluso,paulatim etiam populũ,sacerdotes,episcopos alios in ordinẽ atq; seruitutẽ tantã redigant,atq; arma in eos quorũ beneficia possident,ne hæc aliquo pacto repeti queant , uertant. Pontifices Romanos orbis Imperiũ animo cogitare , regnũ Christiani populi adfectare, nõ quieturos, donec oppresso Cæsare,omnibus iugũ seruitutis,quod ipsi excussẽre,imponãt. Christi cruciamenta declarare, quæ nam sit rabies sacerdotũ aduersus immodicã concupiscẽtiã:cui se semel animus deuouerit,nullũ stare terminũ. Se penè impuberẽ,imperitũ omniũ rerum , ab illis egregijs pastorib. dolo circumuentum,in patrẽ charissimum concitatũ esse , armaq; horũ consilio sumpsisse. Nunc genitore oppresso,aduersus sẽ conspirasse:neq; modũ ambitioni ponere, nisi alios omnes dignitate,honore expolient:& quo ipsis quicquid lubeat,liceat, ab singulis iuramẽtũ, se futuros in eorũ potestate,quicquid illi dicant pro legibus habituros,atq; tandẽ pro Deo adoraturos, exigant. In hanc sententiam multę ultrò citroque datæ sunt epistolæ. Nouissimè Cæsar rescripsit : Quãuis ueterẽ consuetudinẽ atq; ritũ,à tot sanctissimis patribus per tot annos obseruatũ , iure atq; armis retinere possit:nihil tamẽ sua referre,si põtificalibus comitijs excidat,modò episcopi,mystę,monachi prædia stipendiaria,fiscos,neruos rei pub.arces,ciuitates,urbes,oppida,uicos regios,castella reipublicæ atq; Cęsari reddãt, decimis cõtenti uiuant, Dei & pauperũ populiq; causam,philosophiã diuinã interpretando,uota illustrando, crucẽ Christi præferendo , agant, atq; uniuersis Christianis paupertatẽ atq; simplicitatẽ Seruatoris nostri,comitũ eius ęmulando,præluceant. Cõuenit itaq; inter pontificẽ maximũ atq; Cęsarẽ,uti sacerdotes,flamines,pontifices maximi,minores,medioximi,omissis huiusce modi reipublicæ(ut Christus magister noster appellat)spinis, uictu parabili ac parco cõtenti,Christi præceptoris nostri,quoad liceat,modestiã,paupertatẽ sectentur, studio literarũ operã nauent. Atq; ad hãc legẽ promulgãdam iam Paschalis Romam ex Gallijs redierat: & Cæsar , quàm maximo potest apparatu , Italicam expeditionem meditatur. lib.6.de Boijs.

LINCOLNIAE, DE INVESTITVRA.

Lincolniæ in Anglia synodus celebratur frequẽs,anno 1107.ubi per tres dies absente Anselmo archiepiscopo,inter regẽ & episcopos satisfactũ est de Ecclesiarũ inuestituris,q̃busdã ad hoc nitẽtibus,ut rex eas faceret more patris & fratris sui,non iuxta præceptũ & obedientiã papæ, cum in ea re fuerint discordes Paschalis & Vrbanus. Sed redeunte Anselmo statutum erat, ut ab eo tẽpore nunquam per dationem baculi pastoralis aut annuli,quisquam de episcopatũ uel abbatia per regem uel quamlibet laicam manum in Anglia inuestiretur. Sim.Dunelmensis lib.2.

ALIA ANGLICA.

Anselmus antithei papæ Romani spiritu imbutus , aliud suorum conciliũ cogit, & ista sancit, teste Simone Dunelmẽse lib.2.

Vt archidiaconi,presbyteri,diaconi & subdiaconi castè uiuant,& fœminas in domib. suis non habeant, præter proxima sanguinitate sibi iũctas, secundum hoc quod sancta synodus Nicena definiuit.

Illi uerò presbyteri,diaconi & subdiaconi,qui cõtra interdictũ Londinẽsis concilij fœminas suas tenuerunt , uel alias duxerunt,

runt, si amplius Missam celebrare uoluerint (noluit dominus matrimonia sacra Missis inquinari) eas à se omnino sic faciant alienas, ut nec illæ in domos eorũ, nec ipsi in domos earum intrẽt: sed neq; in aliqua domo scienter conueniant, neq; huiuscemodi fœminæ in territorio ecclesiæ habitent.

Si autem propter aliquam honestã causam eas colloqui oporteat, cum duobus legitimis testibus extra domũ colloquãtur.

Si uerò à duobus & tribus testibus, uel publica parochianorum fama aliquis eorũ accusatus fuerit, quòd hoc statutum uiolauerit, purgabit se adiunctis secum ordinis sui testibus, sex, si presbyter: quatuor, si diaconus: & duobus, si subdiaconus fuerit. Cui autem hæc purgatio defecerit, ut trãsgressor sacri statuti iudicabitur.

Illi autem presbyteri, qui diuini altaris & sacrorum ordinũ contẽptores, prælegerint cũ mulieribus cohabitare, à diuino officio remoti, omniq; Ecclesiastico beneficio priuati, extra chorum ponantur, infames pronunciati. Qui uerò rebellis & contemptor fœminã nõ reliquerit, & Missam celebrare præsumpserit, uocatus ad satisfactionẽ, si uenire neglexerit, octauo die excommunicetur. Eadem sententia archidiaconos & canonicos cõplectitur, & de mulieribus relinquendis, & de uitanda earũ conuersatione, & de districtione censuræ, si statuta transgressi fuerint.

Iurabunt archidiaconi omnes, quòd pecuniam non accipient pro tolerãda transgressione huius statuti, nec tolerabũt presbyteros, quos scient fœminas habere, Missam cantare, uel uicarios habere. Similiter decani facient.

Qui uerò archidiaconus uel decanus hoc iurare noluerit, archidiaconatũ uel decaniam perdet. Presbyteri uerò, qui relictis mulieribus Deo & sacris altaribus seruire elegerint, 40 dies ab officio cessantes, pro se interim uicarios habebunt, iniuncta eis pœnitentia secundum hoc quod episcopis eorum uisum fuerit.

HIEROSOLYMIS,

DE CULMINE.

FVerat Dabertus Hierosolymorum patriarcha, Arnulphi factionibus & regia uiolentia sede sua exturbatus, Ebremarus uerò in ipsius locũ suffectus. Cũ autem Dabertus in reditu ex Roma in itinere mortuus esset, Ebremarus Romã currens, ut papę fauorem mercaretur, nihil aliud consecutus est, quàm legatum Gibelinũ Arelatensem episcopum, qui causam in Oriente cognosceret.

Is igitur unà profectus, Hierosolymis concilium cõgregat, anno 1107. Vbi Ebremarus patriarchatu deijcitur, quia uiuo Daberto, & nõ iudicata ipsius causa, scilicet à papa cęsare, passus fuisset sese in eã pinnam templi subleuari. Vt tamẽ aliquid fastigij retineret, quia pietas & simplicitas uiri ab omnibus commendabantur, Cæsariensi ecclesię, quę paulò macilentior erat Hierosolymitana, præficitur.

Ipsi autẽ legato Gibelino defertur atq; traditur patriarchatus Hierosolymitanus, procul dubio non sine Italicis artibus. Hoc scilicet erat uenari prædas opulentiores. Additur & hoc, Arnulphum insignem fuisse incitatorem, ut hunc senem deligerent, quo citius ipse postea ad hoc culmen ascẽderet. Tyrius lib. 11. cap. 4.

BENEVENTI,

DE INVESTITVRA.

ANno Domini 1108 Paschalis secũdus mense Octobri in Casinense cœnobium ueniens, abbatem Brunonem secum duxit Beneuentum, ubi synodum indixerat.

Secutus autem maiorum suorum uestigia, constituit, si quis de manu laicorũ beneficia aut inuestituram acciperet, tam dantem quàm accipientem communione priuandum esse.

Clericis prohibuit, secularibus & preciosis uestibus uti.

Ista igitur fuerunt pontificalia decreta, quibus suam authoritatem confirmare, laicosq; omnes premere uoluit. Chron. Casinense lib. 4. cap. 35.

LEGIAE ALIA,

DE MORTVI ELEVATIONE.

ANno Domini 1110 Legiæ synodus agitatur, qua de Oberto Legiensi episcopo eleuando consultatur ac decernitur, sineq; mora perficitur. Sigebertus.

ROMAE ALIA,

DE INVESTITVRA.

ROmæ quoq; circa idẽ tempus, Paschalis 2. ueluti huic unicæ rei unicè studens, in suis synodis pontificaliter decernit, nequaquã beneficia Ecclesiastica & inuestiturã à manu cuiusquã laici accipiendã, licet à Caroli Magni tempore huc usq;, sub 63 pontificibus, id priuilegij Cæsares alijque principes obtinuerint. Si quis uerò cõtrà facere auderet, eum anathemate feriendum esse.

Ea uerò de causa Imperator anno sequẽti, qui est Domini 1111. ipsemet Romã proficiscitur, factaq; cũ papa recõciliatione (nã ceperat eũ cum quibusdam cardinalibus) die Paschatis, peracta coronatione ante altare Petri & Pauli, publicè & solẽniter Imperatori priuilegiũ de inuestitura episcoporum & abbatum tam per annulum, quàm

per uirgam in suo regno liberè concessit ác repetiuit, atq; insuper porrectione sacræ Cœnæ atq; sanctis uerbis confirmauit. Sigebertus, Vrspergensis.

BENEVENTI ALIA,

DE OPIBUS.

PAschalis cum abbate Casinense Beneuētum in synodum proficiscitur, anno Domini 1111. Nomine autem Casinensium per Sennem Capuanum archiepiscopū ista proponuntur:

Primùm, S. Sophiæ ecclesiā Beneuenti à sua ditione esse subtractam.

Deinde, Benedictum terræ maioris abbatem inuasisse ecclesiam S. Mariæ, quę sui iuris fuisset.

Iurisperiti biduū de his cōtrouersijs disputant. Benedictus se quadraginta annorū possessione tuetur. Iussus uerò testes producit, qui nec uisu, neq; certo auditu, sed fama sola se accepisse id ita habere narrarēt: qui quidē iuxta Canones explosi sunt. Casinenses uerò possessionis annorū triginta interruptionē duobus monachis, uno quidē episcopo, altero diacono, probāt, ecclesiam per Desideriū olim abbatē Rodolpho presbytero locatā: cuius qdem rei scriptum in mediū adferūt. Tres quoq; laici testimoniū ferunt, monachos Casinenses ibidē prępositos fuisse, priusquam monasterium terræ maioris eam ecclesiam inuasisset.

Deniq; à pontifice sententia pro Casinēsibus fertur, ut ecclesiam obtineant. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 50.

CYPERANI,

DE MONACHO.

PAschalis 2. eodē anno Cyperani synodum habebat: ubi archiepiscopus Corsentinus accusat Rogeriū Siciliæ regē, qui se inuitū coēgisset monachū fieri. At papa inquit, Dona & uocationē absq; pœnitentia esse, eā ob causam huius controuersiæ diiudicationē ad abbatē pertinere. Abbas respōdet, Deū nō uelle coacta seruitia: ideoq; debere ipsum religionis habitū præter uoluntatem susceptum, ad pedes Apostolorū deponere, ac si uelit liberè resumere. Verùm ipse exuto cucullo, adduci non potuit, ut rursum indueret.

Deinde papa cæsar, more Christi & Apostolorum scilicet, Vuilhelmum ducem Apuliæ Calabriæq; constituit.

Tertiò Landulfi Beneuentani causam uentilat: qui cum se purgare non ualeret, in monasterium Casinense profugit. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 51.

APUD VUYNDESORAM.

REx Anglię Heinricus apud Vuyndesoram anno Domini 1111 synodum celebrat, Faritiū abbatē Abendonensem sedi Cātuariēsi destinat: sed synodus Roffensem episcopum præfert. Ranulphus lib. 7. c. 15.

ROMAE ALIA,

DE INVESTITURA, CONTRA *Cæsarem Heinricum V.*

ANno 1112. ad 15. calēdas Aprilis, Romę in Laterano in ecclesia Constantiniana synodus à Paschale 2 celebrata est, tali occasione:

Vehementer tū papā ipsum, tū asseclas ipsius urebat, quòd Heinrico quinto priuilegiū uetustū tātis sacramentis confirmasset. Querebantur enim Ecclesiastici proceres, suo regno & potētiæ præcipuū neruū esse subtractū. Sunt igitur perpetui instigatores Paschali, qui sua spōte eā perfidiā moliebatur, ut synodo cōuocata, fidē Imperatori datā publicè ac solēniter frāgeret & retractaret. Peccatū enim esse dicebāt ingens, ut refert Vrspergensis, quòd regē Heinricū, tyrānicum Reipublicę uastatorem & Ecclesiarum destructorem (sic enim contra magistratum loqui didicerant) Imperiali benedictione sublimasset, atq; insuper priuilegio sacrilego condonasset.

Locus autem ad hosce conatus perficiēdos non uisus fuit alius commodior, quàm Roma, ubi papa dominaretur. Nam, ut uulgò dici solet, quilibet in suo fimo est audacior. Huc igitur circiter centum uiginti episcopi, abbates, & id genus hominum, ut Helmoldus testatur, coeunt, à papa concitati. Hi nunc rem ipsam, probè scilicet subornatam, totis uiribus aggrediuntur.

Materia igitur est, ius inuestituræ magistratui politico concessum & permissum à 63 Romanis præsulibus. Patres suum papam qua possunt reuerentia incusant, imprudenter factum esse, quòd regem sacrilegum ad culmen Imperiale euexerit: quasi uerò culmen Imperij dare, sit pastoris Romani officium, cùm Christus disertè dicat, suum regnum de hoc mundo non esse, & reges gentium dominari, uos autem non sic. Deinde peius actum esse contendunt, quòd eidem episcoporum constitutiones priuilegio solenni stabilierit, de quo quidem aliquot præcursores, usq; ad mortes & exilia decertarint.

Sed pontifex miram humilitatem simulans, se coactum esse necessitate extrema, queritur, atque ea in parte maiora pericula intercipere atq; amoliri uoluisse: passim enim incendijs, rapinis, cædibus à potentissimo Cæsare sæuitum esse. A' cardinalibus secum captiuis quoque se permotum esse ait, ut liberationis gratia ad tempus talia concederet. Peccatum igitur suum se non defendere, iamque synodi iudicium de eo corrigendo expectare.

Recitatur autem ab Vrspergensi & Heinrico Erfurdiensi ipsius oratio, quam adscribimus: Amplector omnem diuinam scripturam ueteris & noui Testamenti, legem a Moyse scriptam & sanctis prophetis: amplector quatuor Euangelia, sex canonicas Epistolas gloriosi doctoris B. Pauli apostoli, sanctos Canones Apostolorũ, quatuor uniuersalia cõcilia, sicut quatuor Euangelia, Nicænum, Ephesinũ, Cõstantinopolitanũ, Chalcedonẽse, & Antiochenũ cõciliũ, & decreta sanctorũ patrũ Romanorũ pontificũ, & præcipuè decreta domini mei papę Gregorij septimi, & beatæ memoriæ papæ Vrbani. Quæ ipsi laudauerunt, laudo: quę ipsi tenuerunt, teneo: quæ confirmauerũt, cõfirmo: quæ damnauerũt, damno: quæ repulerunt, repello: quę interdixerunt, interdico: quæ prohibuerunt, prohibeo, in omnibus & per omnia, & in his semper perseuerabo. Quibus expletis, surrexit Gerardus Engelismensis episcopus legatus in Aquitania, & communi cõsensu domini Paschalis papæ totiusq; concilij coram omnib. legit hanc scripturam: Priuilegiũ illud, quod non est priuilegiũ, sed uerè debet dici prauilegium, pro liberatione captiuorum Ecclesiæ à domino Paschali papa per uiolentiam regis Heinrici extortum, nos omnes hoc in sancto concilio congregati, canonica censura & authoritate Ecclesiastica, iudicio sancti Spiritus damnamus, & irritum esse iudicamus, & omnino ne quid authoritatis & efficacitatis habeat, penitùs excõmunicamus. Et hoc ideo damnatũ est, quia in eo priuilegio cõtinetur, quòd electus canonicè à nemine consecretur, nisi prius à rege inuestiatur: quod est contra Spiritum sanctum & canonicam institutionem. Perlecta charta, acclamabãt omnes: Amẽ, amẽ. Archiepiscopus Iohannes patriarcha Veneticus, Sennes Capuanus, & alij ferè centum episcopi subscripserunt. Ex hac occasione Viennensis archiepiscopus cum suis complicibus nouũ schisma in nostras partes seminare, & gladium anathematis in Imperatorem molitur extendere. Sed quia cœptum eius Apostolica, indeque omni Ecclesiastica authoritate uidebatur carere, parũm interim potuit uigere. Attamen eiusdem dissensionis seminatæ causa, circumquaque cœpit inuidiæ serpere malum, adeò ut nonnulli quicquam contra rempublicam intentantes, huius rei materiam in suæ commotionis arripere meditarentur clypeum. Inter quos & prædictus Adelbertus designatus Moguntię pontifex, qui per omnia secundus à rege semper fuerat, sine cuius consilio nihil facere solebat, aduersus Imperatorem (quod uix quisquam crederet) conspirare cum quibusdam principib. infamatur, req; cognita, custodiæ traditur. Addit Helmoldus cap. 41. ipsum prętерea Imperatorem à limitibus sanctæ Ecclesiæ sequestratum esse, & Albertum Moguntinum totam Saxoniam ad seditionẽ contra Imperatorem mouendam cõcitasse. Vrspergensis, Erford. Chron. Casinense lib. 4. cap. 47. Platina, Otto Frising. lib. 7. capite 14. Vuilhelmus Malmesburiẽsis nomina recitat lib. 5. cap. 40. Archiepiscopi, qui cum suis suffraganeis interfuerunt, hi sunt: Iohãnes patriarcha Veneticus, Sennes Capuanus, Lãdulfus Beneuentanus, Amalficanus, Regicanus, Hidrontinus, Brundisinus, Capsanus, Birontinus, & Græci Rosanus, & archiepiscopus sanctæ Seuerinæ. Episcopi uerò Cencius Sabinensis, Petrus Portuensis, Leo Hostiensis, Cono Pręnestinus, Girardus Engolismensis, Galo Leonẽsis legatus pro Bituricẽsi & Mennẽsi archiepiscopis, Rogerius Vulturnensis, Gaufridus Sennẽsis, Rollandus Populonẽsis, Gregorius Terracinensis, Vuilhelmus Troianus, Vuilhelmus Siracusanus legatus pro omnibus Siculis, & alij ferè centũ episcopi. Siuuinus & Iohannes Tusculanus episcopus, cum essent Romæ, illa die concilio nõ interfuêre. Qui postea, lecta damnatione priuilegij, consenserunt.

LONDINI ALIA, DE INVESTITVRA.

ANselmus anno Domini 1112 Londini concilium agitat, quo decernit ex spiritu pontificio, quo imbutus erat, nullas Ecclesiasticas dignitates à manu laicorum sumendas.

Deponit etiam audacter, à rege in dignitates promotos. Ea uerò rigiditas cum regem offendisset, atq; is Eboracensem cogeret eos iterum consecrare, rursum fugã arripit Romam, ubi à se depositis, muneribus interuenientibus, restitutionem impetrat. Matthæus Parisiensis.

BELVACI.

IN ciuitate Beluacensi concilium esse celebratum à legato pontificio Conone seu Curione, eremita primo apud truncum Berẽger, & Arroasiani ordinis authore, sub annũ Domini 1114, testis est Sigeberti Cõtinuator, & Vincentius lib. 26. cap. 23. Sed quid ibi sit agitatum, non additur.

IN SYRIA.

ARnulphus patriarcha Hierosolymorum propter uitæ licentiam ab aduersarijs Romæ accusatur. Sicut enim ipse fecerat alijs, sic alij uicissim faciunt ipsi. Misso itaq; Aurasicensi episcopo, synodus pontificum Orientalium agitatur in Syria, anno Domini 1114.

Arnulphus accusatus atq; conuictus de criminibus, pontificatu exuitur miser, authoritate pontificis Romani.

Verùm ille mox Romam currit, munera secum ponderosa afferens. Probè enim compertum habebat, hoc idolum, cuius gratiam ambiret, non nisi maximis donis placari posse. Blandis itaq; uerbis, & LARGA munerum profusione, ut inquit Tyrius, gratiam papæ meritus, cum literis, quibus in integrum restituatur, in suam sedem reuertitur, ac pristinos mores retinet. Tyrius lib. 11. cap. 26.

MAGUNTIAE ALIA, DE CAESARIS EXCOMMUNICATIONE.

NOn quiescit præsul Romanus, suis artibus cœlum terramq; quasi concitare aduersus Imperatorem. Nam uniuersa Saxonia ad seditionem suo classico synodali concitata & euocata, non desinit plus olei, quod dicitur, in ignem improbè effundere. Misso enim Dietericho seu Theodoro cardinale, anno Domini 1115, excommunicationem in Imperatorem in cõcilio irrogatam, in Germaniam finit proclamari: & Magdeburgenses alijq; episcopi, seu creaturę pontificiæ, legato recõciliati, strenuam operam in continuanda atq; exaspe randa seditione aduersus Imperatoré nauant. Imperator igitur undiq; ab illis fœdifragis in angustias summas redactus, Magũtiæ conuentum Imperij indicit, simul episcoporũ consilia efflagitaturus. Liberrimã autem pollicetur omnium audientiam, & satisfactionem liberalem, si quem læsisset, imò & si quid iuueniliter peccatum esset, sese correcturum de senatus consilio atq; decreto. Sed Romanus papacęsar, atque eius socij episcopi, tantis clamoribus principum aures obtuderant, minisq; excommunicationis à synodo promulgatæ, quasi catenis quibusdam constrinxerant, ut ad eum conuentum non uenirét. Pauci igitur episcopi Imperatori adsunt, trementes ad pontificia fulmina.

Nec uerò locus ipse deliberationis ab ipsis Magũtinis ciuib. Imperatori trãquillè relinquitur. Nã ipsi quoq; ab Ecclesiasticis inflãmati, præsertim cũ ob perfidiã archiepiscopus suus ab Imperatore captiuus detineretur, correptis armis ipsam magistratus summi curiam irruunt, cædem omnibus perquàm horrendis clamoribus intentantes. Cęsar Heinricus tanta urgente calamitate, pollicetur se facturum quæcunq; postulassent. Petunt autem liberationem sui archiepiscopi: quo impetrato, indomitum uulgus quasi tempestas marina ilicò subsidit ac sedatur. Sic magistratus ille summus, Romanis artibus turbata Ecclesia & politia, contumeliosè tractatus, Maguntia discedit. Vrspergensis.

COLONIAE, DE CAESARIS EXCOMMUNICATIONE.

ADelbertus Moguntinus archiepiscopus, sede recepta, mox sese totũ præsuli Romano mancipat, incendiumq; publicum quantis potest uiribus fouet & auget. Mox enim Dieterico, seu Theodorico, qđ perinde est, Crantzius appellat Dietherũ, legato nuncijs literisq; totum sese subijciens, & suo & aliorum Ecclesiasticorum nomine rogat, ut Coloniæ in conuentu solenni mandata papæ exponat, sibiq; consecrationem diu impeditam perficiat. Destinatur autem illi concursui festum natalis Domini anni 1116.

Imperatoris uerò consensus ut non requiritur, ita ipsius indignatio, quam propter eũ cõuentũ nõ obscurè præ se ferebat, non magni fit ab istis pastoribus Ecclesiæ. Nec moratur Maguntinus quicquã Cęsaris offensioné, qui in ipsius ordinationé nondũ plenè cõsenserat. Fiduciã enim suã iam omnem in potentissimũ papacæsarem collocarat, quem uidebat cœlũ terrę impunè miscere posse, longeq; plus ualere papæ fulmen, quàm Cæsaris gladium.

Spiræ aũt cum paucis principibus & episcopis sese continet, acerbè ferens & obseruans quæ illic gerebantur.

Etsi autem legatus pontificius, in itinere è uiuis excedens, defunctus eò gestaretur: tamen magna metropolitanorum, episcoporum & optimatum regni multitudo ibi congreditur.

Negocium uerò istius cœtus est, pontificiam excõmunicationem in magistratum Imperij summum ibi proclamare.

Mittit autem eò Vuirtzburgẽsem episcopũ Heinricus. Verùm ille non prius admittitur, nec auditur, quàm reliquis reconciliatus, & data sponsione, se synodi sententiã approbaturũ. Re itaq; infecta ad Imperatorem reuertitur: qui cum eum tergiuersantem coegisset coram se Missam celebrare, ea peracta, mox ad hostes Heinrici omnino iterum defecit.

Tã superbè itaq; repulsus Imperator & excõmunicatus, in Italiam, furoribus Ecclesiasticorũ & principũ cessurus, cum regina totaq; domo sese confert, cum papacæsare, si qua ratione posset, recõciliationé tentaturus. Circa Padũ autem integrũ subsistens annum, abbatem Cluniacensem ad pontificem mittit, qui tanquam medius, inter utrumq; de pacificatione ageret. Sed superbus & durus Paschalis difficillimum

sese præbet, tandemque synodum instituit. Vrspergensis, Tritenhemius in Chronico Hirsaugiensi.

ROMAE ALIA,

DE INVESTITVRA ET EXcommunicatione *Cæsaris*.

QVæ huius synodi, celebratæ anno Domini 1116, occasio fuerit, iam est expositum. Cum autem eius acta Vrspergensis commodissimè recitet, optimum fore duximus, eius narrationem Lectori proponere.

Eodem igitur anno, qui est decimusoctauus ordinationis domini papæ Paschalis secundi, 2 non. Martij, Romæ in sede Lateranensi, in ecclesia sancti Saluatoris, quæ appellatur Constantiniana, celebrata est synodus uniuersalis concilij, cōgregatis ibidē ex diuersis regnis & prouincijs episcopis, abbatibus, catholicis, ducib. & comitibus, legatis uniuersarū prouinciarū quàm plurimis. Prima itaq; die, quæ secunda feria tertiæ hebdomadæ Quadragesimalis, inter Mediolanenses episcopos, Grosolanū & Iordanem, in alterū de inuasione, in alterum quòd ecclesiæ suæ desertor extiterit, uentilata est controuersia. Hanc causam dominus Apostolicus, cardinalium, episcoporum consilio tractandam distulit. Sequenti die in eandem causam plurima tractata sunt, sed res non finita. Quarta uerò feria Lucensis episcopus, de inuasione terræ iuris ecclesiæ suæ, Pisanos impetebat. Econtrà dum Pisanus suos defenderet, inter utramq; partē ius utriusq; populi suffragio longo litigio disceptatur. Tunc quidam episcoporum de medio concilij surgens, ita exorsus est: Dominum patrem papam recordari decet, quare illius præsentis & generalis concilij multitudo sancta per omnia periculorum genera, mari terraq; conuenerit inuitata, ibi non de spiritualib. uel Ecclesiasticis, sed secularibus ordine præpostero tractari negocijs. Expediendū prius propter quod principaliter cōuenerint, ut euidentius pernoscatur, quid dominus Apostolicus sentiat, quicquid in ecclesijs suis reuersi prædicare debeant. Tunc Apostolicus causam concilij, & animi sui intentionem his uerbis exposuit: Postquam Dominus de seruo suo fecit quod uoluit, & me populumq; Romanum tradidit in manus regis, uidebā quotidie passim fieri rapinas & incendia, cædes & adulteria. Hæc & huiusmodi mala cupiebam auertere ab Ecclesia & populo Dei, & quod feci, pro liberatione populi Dei feci. Feci autem ut homo, quia puluis sum & cinis. Fateor me mala egisse: sed rogo uos omnes, orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autē malum scriptum, quod in tentorijs factum est, quod pro prauitate sui prauilegium dicitur, cōdemno sub perpetuo anathemate, ut nullius sit unquā bonæ memoriæ, & rogo uos omnes, ut idem faciatis. Tunc ab uniuersis conclamatum est: Fiat, fiat. Bruno autem Signinus episcopus altius exorsus est: Gratias agamus omnipotenti Deo, qui dominum Paschalem papam, qui præsenti concilio præsidet, audiuimus proprio ore damnantem illud prauilegium, quod prauitatem & hæresim continebat. Ad hæc quidam cauillatoriè subiunxit: Si priuilegium illud hæresin continebat, qui illud fecit, hæreticus fuit. Iohannes autem Caietanus ad hæc commotus, Signino respondit: Tú ne hic, & in cōcilio, nobis audientibus, Romanum pontificem appellas hæreticum? Scriptum quod fecit dominus papa, malum quidē fuit, sed hæresis nō fuit. Et alter quidā adiecit: Imò nec malum dici debet: quia si liberare populū Dei bonū est, quod dominus papa fecit, bonū fuit. Sed liberare populū Dei bonū est, authoritate Euāgelij, qua præcipimur animas quoq; pro fratribus ponere. Ad hæc patientia domini papæ, horrēdo hæresis nomine pulsata, expergefacta est, & manu silentiū indicēs, dissidentiū clamores & murmura tali ratione cōpescuit: Fratres & domini mei audite. Ecclesia ista nunquā habuit hæresim, imò hic oēs hæreses conquassatę sunt. Hic Arriana hęresis, quę per trecētos ferè annos uiguit, annullata est. Ab hac sede hæresis Eutychiana, Sabelliana cōtrita, Fotinus cęteriq; hęretici destructi sunt: pro hac Ecclesia filius Dei in sua passione orauit, cū dixit: Ego pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua. Quinta feria papa in cōcilio nō sedit, multis & maximè regis negocijs per dominū Cluniacensem, Iohannē Caietanū, & Petrū Leonis, & urbis præfectū, cæterosq; illius partis fautores impeditus. Sexta feria Apostolicus in generalem omnium Ecclesiarū causam animum aduertit, & Iohanne Caietano cum Petro Leone cæterisq; regis fidelibus, in faciem resistentibus prædicto Cunoni Prænestino, sæpius uerbum excōmunicationis exponere cupienti, murmur huiusmodi uerbis & manu ita compescuit: Ecclesia primitiua martyrū tempore floruit apud Deū, & nō apud homines. Deinde ad finē cōuersi sunt reges, Imperatores, Romani principes, qui matrē suā Ecclesiam, sicut boni filij honestauerunt, cōferendo Ecclesiæ Dei prædia & allodia, seculares honores & dignitates, regalia quoq; iura & insignia, quemadmodū Cōstantinus cæteriq; fideles: & cœpit Ecclesia florere tam apud homines, quàm apud Deum.

Habeat

Habeat ergo mater & domina nostra Ecclesia sibi à regibus siue principibus collata, dispenset & tribuat ea filijs suis, & sicut scit, & sicut uult. Priuilegium inuestituræ, quod in tentorijs concessisse uidebatur, obliterare uolens, iterans sententiam papæ Gregorij septimi, inuestituram Ecclesiasticarum rerum à laica manu rursus excommunicauit sub anathemate dantis & accipientis. Cardinalis uerò dominus Cuno Prænestinus, talem papæ fecit inductionem legationis suæ, & contra disturbatores præsentis negocij competentem: Domine pater, si tuæ placet maiestati, si uerè tuus fui legatus, & quæ feci tibi placent esse rata, in auribus sancti huius præsentis concilij ore tuo edicito, & legationem meam tua authoritate corrobora, ut sciant omnes, quia tu me misisti. Ad hæc Apostolicus respondens, ait: Verè legatus ex latere nostro missus fuisti, & quicquid tu cæterique fratres nostri, cardinales, episcopi, legati Dei & apostolorum Petri & Pauli, huius sedis & nostra authoritate fecerunt, confirmauerunt, probauerunt, ego quoque probo & confirmo, quicquid damnauerunt damno. Et dominus Prænestinus consequenter subiunxit, qualiter pro sedis illius legatione Hierosolymis audierit, regem Heinricum post sacramenta, obsides & oscula, in ipsa beati Petri ecclesia dominum papam tenuisse captum, indignè tractatum, potiora Ecclesiæ membra, cardinales uidelicet exutos, tractos, & malè tractatos, nobiles quoque Romanos occisos, & captiuos, & populorum stragem factam audiens, ingemuerit, & pro huiusmodi facinoribus, ecclesiæ Hierosolymitanæ consilio & zelo Dei animatus, excommunicationis sententiam in regem dictarit, & eandem in Græcia, Vngaria, Saxonia, Lotharingia, Francia, in quinq; concilijs, consilio prædictarum Ecclesiarum, renouando confirmarit: orare se demum, ut sicut dominus papa legationem suam confirmasset, ita præsentes concilij patres & episcopi concorditer annuerent. Ad eundem modum legati & literæ domini Viennensis postulabant. Dum tali ratione & ordine, tā uariæ & dissonæ multitudinis assensus exquiritur, à saniori parte ueritati & apertæ rationi nihil contradictū, à paucis submurmuratū, ab episcopis uel abbatibus nullo modo reclamatum. Sabbato deniq; inter Mediolanensium episcopos controuersia tali dispensatione terminata est: Apostolico Paschali docente, translationes episcoporum duobus fieri modis, necessitate uel utilitate: huius autem translationis Grosolani, quæ uidebatur, utilitatem in animarū & corporum damna conuersam, Grosolanum quidem in locum, unde trāslatus fuerat, restituit: Iordanem uerò Mediolanensibus concessit.

His aūt qui propter conciliū, & animarū suarū remedium, Apostolorū limina uisitauerāt, qui de capitalib. pœnitentiā agerent, quadraginta dierū pœnitentiā indulsit, & Apostolica benedictione cōcilij hexamerō laudabiliter absoluit. Vrspergensis.

Hinc factiones extitêre, altera alterius agros uastare cœpit: maximè uerò Herbipolensis diœcesis per Conradum ducē, qui Imperatoris frater erat, affligebatur: ac deniq; cūcta ferè loca armis infesta erāt. Igni oleum Moguntinus, qui serpentē peius Imperatorem oderat, addidit, Imperatoris fidelibus, quacūq; ratione pọterat, malum creans. Seditiones crebræ, eiectiones præsulum, castellorū demolitiones, conflictus, cædes mutuæ, oppresiones pauperum in frequenti usu fuêre: & ut Vrspergensis utamur uerbis, neq; pax Dei, cæteraque sacramentis firmata pacta custodiūtur: sed uniuscuiusque conditionis & ætatis, præter solos Ecclesiasticæ professionis homines, quibus iam penè nihil præter miseram restabat uitam, cæteri hoc tempore beluino furore bacchantur. Idem recitat Erfordiensis. Blondus Decad. 2. lib. 4. Crantzij Saxonia lib. 5. cap. 37. 38.

Heinricus tantā inclementiā papæ ægerrimè ferens, exercitu cōscripto, ipsemet Romā cōtendit, armis discreturus, qđ summa subiectione & quotidianis precib. obtinere nō poterat. Sed papa id animaduertēs, sese in pedes cōijcit, atq; in Apuliam fugiens, ibi Rogerium contra Imperatorē impellit.

IN APVLIA.

DVm itaq; Romæ Imperator est, in Apulia denuò suos cōuocat quieti nō assuefactus Paschalis, & primùm quidē fulminib. suis Acheronta mouet, deinde Rogeriū hastis atq; gladijs cruentis in Heinricū armat. Chronicon Bambergense.

TROIAE.

ANno Domini 1117 Paschalem Troiæ conciliū habuisse, Casinense Chronicon ostendit, ut qui ad ipsos ueniēs, abbatē suū sibi adiunxerit comitem. Aliud uerò nihil additur. lib. 4. cap. 57.

ROMAE ALIA,

DE AMBITIONE.

ROmæ in Quadragesima Paschalis 2 synodū habet, in qua Casinensis abbas litē de Cella S. Sophiæ intra Beneuentum, agitat: sed frustra.

Deinde abbas Cluniacensiū ad synodū ueniens, sese Abbatem Abbatū nominarat. Id uerò tituli Casinēses ei cōcedere nolūt.

Res

Res in disceptationem adducitur. Deniq; Iohannes cancellarius quærit, Cluniacenses'ne à Casinensibus, siue Casinẽses à Cluniacẽsibus regulam acceperint? Expeditè respondetur, Non modò Cluniacenses, uerùm omnes in Romano orbe monachos regulam patris Benedicti à Casinẽsi accepisse cœnobio. Ergo fertur sententia, Casinensi abbati id priuilegij iure cõpetere. Chronicon Casinense lib.4.cap.62.

SVB GELASIO II.

CAPVAE,

CONTRA MAGISTRATVM.

GElasius II. in fastigium pontificalẽ eleuatus, mox in Cęsarem Heinricum quintum cornua sumit, suorum maiorum characterem iuxta Petri prophetiam accipiens, nimirum contemptum magistratus. Capuæ igitur quantum potest suorũ iuratorum numerũ cõtrahens, Cæsarẽ cũ antipapa Burdino, quẽ uocat idolon Cæsaris, damnat: inde in Gallias iter facit, anno Domini 1118. Vrspergensis.

VIENNAE.

CApua per Campaniã in Burgundiã iter faciẽs Gelasius II. Viennę in Gallijs synodum cogit, eaq; perfecta, Cluniaci post dies paucos animã efflat, anno 1119. Vrspergensis, Cuspinianus, Erfordiensis.

SVB CALIXTO II.

REMIS,

CONTRA CONIVGIA SAcerdotum.

GElasius indixerat quidem Remis cõcilium, sed improuisa mors ipsi filum uitæ occarat. Successor itaque Calixtus II. tempore præfinito synodum cum episcopis & abbatibus ibi celebrat, anno Domini 1119. Continuator Sigeberti.

Decretũ aũt tale ibi cõditur: Presbyteris, diaconis & subdiaconis concubinarũ & uxorũ cõtubernia prorsus interdicimus. Si qui aũt huiusmodi reperti fuerint, Ecclesiasticis officijs ac beneficijs priuẽtur. Et si neq; has immudicias correxerint, communione careant Christiana. Vnde quidã eius tẽporis in Anglia scriptor:

O' bone Calixte, nunc omnis clerus odit te:
Quondam presbyteri poterant uxoribus uti:
Hoc destruxisti, postquam tu papa fuisti.
Ergo tuum meritò nomen habent odio.

Matthæus Parisius, Simon Dunelmẽsis lib. 2. de Regibus Anglorum.

Saxonicum Chronicon habet, ibi non procul abfuisse Cæsarem: uerùm de nulla pacificatione inter Cæsarem & papam actum, atq; pedibus omnium in eam sententiam itum esse, ut Cęsar excõmunicaretur. Item Chronicon Hirsaugiense.

Statutum porrò est, pontificem Romanũ à nemine iudicari posse uel debere. Tẽplariorum quoq; sectam à patriarchę Hierosolymitani iure exemit. Balæus.

COLONIAE,

CONTRA IMPERAtorem.

A' Gelasio, antequam animã suo Deo traderet, missus fuerat in Germaniã legatus Cuno Prænestinus, ut contra magistratum in Romano Imperio summũ omnia cõmoueret, & cõmisceret summa atque infima. Ad istum Calixtus mittit celeres nuncios, ut sine mora, quod in mandatis haberet, effectum daret. Indicta igitur synodo Coloniæ, eò contrahit episcopos omnes, qui papæ conspirabant: idq; fit anno Domini 1119.

Res & acta sunt: Publicatio anathematis in Cæsarem decreti, ut omnes creaturæ papæ eam tum sciant, tum exequantur. Neque uerò hic Cæsar uocatur, neque auditur, neque de pœnitentia cum ipso agitur. Sic placet istis dominis Ecclesiæ Christi, sine omni affectu misericordiæ clauem uibrare.

Deinde Nortbertus nouam sanctimoniam inueniens, negociũ synodo facit. Multi enim eum tanquam insignem hypocritam & impostorem, nouo uestitus & uitæ genere cultum Dei instituentẽ, grauiter accusabant. Sed uincit illud Christi uaticinium: Ecce hic, ecce illic Christus. Vrspergensis, Crantz. Saxo. lib.5. cap.40. Chronicõ Saxonicum. Sic uides chare Lector, Heinricum ab Ecclesiasticis reportare eandem pœnã, quã pater tulerat ipso adiuuante. Nã Deus est scelerum iustus uindex.

FRITESLARIAE,

CONTRA MAGISTRAtum.

IDem papæ cursor Cuno, anno eodẽ Friteslarię sacratos uiros cõgregat, ubi eadẽ coccysat in Cæsarẽ, Romani pastoris uoce Cæsarẽ esse cœlo exclusum, & pro gentili uitandum. Vrspergensis, Crantzius.

TRIBVRIAE.

IMperator Heinricus rescíscens, tam horribiliter in suo regno, ueluti apris syluestribus in sua uinea, turbari & concitari omnia, properè in ipsam Germaniã, relicta in Italia regina, cõtendit, omniũq; opinione citius apparet. Abalienatis autem à se principũ animis per Romanas illas faces, ita ut reuerentiã atq; obedientiam legitimã suo magistratui in externis quoq; detrectarẽt, rei indignitate motus, armis sibi extorquẽdã submißionẽ, & authoritatẽ suã cõseruãdã censuit: id quod citra sanguinis profusionẽ, atq; uastationem & depopulationem

minimè

minimè abijt. Sunt igitur principes atq; episcopi, quibus pericula summa imminebant, hortatores, ut synodus principum atque episcoporum conuocaretur Triburiæ (Friburgam nūc uocari monet Crantzius) ad quam quidem Imperator suum præbet assensum, anno Domini 1119.

Materia consultationis est, de concordia inter Cæsarem & papam facienda. Agit autem Cæsar per legatos: quia sanctuli excōmunicatum exhorrescere uidebantur, ne aliquid contagij ab ipso acciperent: deinde trepidant ad papæ iram. Nam præsentibus papæ legatis, omnes aliud mutire, quàm ipsis arridebat, non audebant.

Cogitur itaq; Cæsar primo loco Calixti uocationem comprobare, licet à Cæsare creatus papa adhuc in uiuis esset, ni uelit à dignitate Imperij sui excidere. Hoc scilicet erat caput rei, & causa cur regnum Romanum concuteretur.

Deinde urgetur, ut suum ius inuestituræ resignet, atque tradat Romano præsuli, id enim postulare ipsum seuerissimè & strictissimè. Multa autem ultrò citroq; de hac re acerrimè disputantur. Sed uelle pontificis præponderat.

In tantas igitur angustias Cæsar redactus, ut aut cedendum suo ueteri iure, aut regnum amittendum esset, petit inducias ac potestatem cum principibus conferendi. Sed illi perterriti atque exanimati penè tam potenti præsulis Romani fulmine, ad unum omnes suadent, cedendum esse uoluntati papæ, ni uelit sese uniuersamque Germaniam in extremum discrimen adducere. Consulit porrò amicos atq; aduersarios, uerùm nihil solatij uspiā audit. Expugnatus itaq; Cæsar, quasi supplices manus porrigit, necessitatiq;, tanquā durissimo telo, parendum esse decernit.

Spoliatis in suo regno, propria restitui iubet. Cuncta regum antiquorum fiscalia suā in ditionem recipit, & pax rursum aliqua uidetur affulgere. Vrspergensis.

AD S. LVCAM,

DE INVESTITVRA CONtra *Cæsarem.*

PErcepta illa grata fama, Cæsarem uoluntati papæ ceu iugo sese submittere, non sibi cessandum putat Calixtus, sed absque mora ad S. Lucam conuentum indicit ad 13 calend. Nouembris. Promiserāt autem qui Triburiæ fuerant, se ad eum locum uenturos, quem papa designasset. Vicinum quoq; Cæsar sese præbet, sicut Catalaudensis episcopus & Cluniacensis abbas cum Henrico Argentinæ transegerāt. Adfuerunt autem ipsi Calixto circiter 426 patres, innumera clericorū & populi multitudo.

Vlcus erat, inuestituræ negocium, quam tenebāt laici, inter quos princeps erat Cæsar Romanus.

Legati Imperatoris Henrici sua proferunt priuilegia antiqua, à pontificibus obsignata, & diuturnam possessionem, & ius ipsum atque æquitatem. Sed eis se papa Calixtus cum suis creaturis pro authoritate opponit, omnia antiqua iura repudians, & mandans, se uelle id dignitatis sibi attribui. Legati singulari reuerētia inducias ulterius petunt, & uix extorquent.

Papa autem nihilominus synodalia suorum antecessorum decreta confirmat: hoc est, decernit ius inuestiendi episcopos penes episcopos Romanos, & non penes Cæsarem esse: & sic omnem suam potentiam aduersus Cæsarem dirigit.

Hoc pacto diebus duodecim synodus ista finitur. In Italiam deinde papa reuersus, maxima pompa, ut papacæsarem decebat, excipitur.

Anno sequenti, hoc est uigesimo, in Germania episcopis papa literis præcipit, ut uacantibus cathedris canonicè, uti loquebatur, pastores eligerent. Hac ratione & decretis, & ipsa praxi, licet inducias uerbis distulisset, re tamen ipsa papa Cæsari ius inuestiendi episcopos eripit. Vrspergēsis, Crantzius lib. 5. cap. 40.

NEAPOLI,

DE POENITENTIA.

IN urbe Samariæ Neapoli Guaremūdus patriarcha Hierosolymorum & rex Balduinus concilium frequens conuocāt, anno Domini 1120. Causa eius rei est, pœna diuina in Oriente grassans. Nam locustis & muribus frumenta consumebantur in agris, itaque fames sæuissima grassabatur. Huc accedebant prodigia in cœlo, & terræmotus crebri.

Acta concilij sunt: peccata quibus Deus ad eiusmodi pœnas infligendas moueretur, corrigenda esse. Condunt autem uiginti quinq; capita, ad disciplinam erigendam & conseruādam necessaria. Ea in Archiuis passim extare inquit Tyrius.

Interfuerunt autem huic concilio, dominus Guaremundus Hierosolymorum patriarcha, dominus Balduinus Hierosolymorum ex Latinis rex secundus, Ebremarus Cæsariensis archiepiscopus, Bernhardus Nazarenus episcopus, Rogerius Liddensis episcopus, Ansquillinus Bethlehemitanus episcopus, Gildonius electus abbas sanctæ Mariæ de ualle Iosaphat, Petrus abbas de monte Thabor, Achardus prior montis Sion, Gerardus prior sepulchri

chri Dominici, Peganus regis cancellarius, Eustachius Graniers, Vuilhelmus de Buris, Barisanus Ioppe cõstabularius, Balduinus de Rames, & alij multi utriusq; ordinis. Tyrius lib. 12. cap. 13.

VVIRTZBVRGI, SIue Herbipoli,

CONTRA CAESAREM.

MOgũtinus præsul Albertus seu Adelbertus Romano papacæsari addictus, omnem Romano Imperatori reuerentiam detrectabat. Itaq; Heinricus eum persequitur. Pellũtur & Spirensis & Vuormatiensis episcopi suis sedibus, quia in gratiam papæ nolebant Imperatori communicare. Sed Moguntinus duces Saxoniæ extimulat, ut arma contra Cæsarem sumant: & hisce facibus accensi Saxones, ante Moguntiam exercitui Cæsaris suas opponunt copias, neque procul aberat res à cruento prælio. Sed sapientum quorundam interuentu duodecim primates ex utraq; parte deliguntur, qui de rebus inter regnum & sacerdotium, uti loquuntur Scriptores, componendis, consultarent atq; statuerent. Locus denominatur Herbipolis seu Vuirtzburg ad diem Michaelis, anno Domini 1121.

Veniunt autem eò armati utraq; pars, ac tandem consultatio inchoatur.

Tandem septimana integra controuersijs agitatis, sancitur pax tali pacto, ut regalia uel fiscalia regno, Ecclesiastica Ecclesijs, prædia spoliatis, hæreditates hæredibus manerent, & cuilibet personæ sua tribueretur iusticia.

Prædones ac fures edictis Imperialibus & iuxta leges antiquas cohercendos.

Scandala & perturbationes excitatas in Germania, omni ratione sedandas & extirpandas. Excommunicationem, unde ista mala omnia scaturirent, ad Apostolici regiminis audientiam esse reijciendam.

Denominati etiam sunt legati, Bruno episcopus Spirensis, & Arnulphus abbas Fuldensis, qui Romam istam concordiæ rationem perferrent, ac papam de generali concilio in Germania instituendo solicitarent. Vrspergensis.

Anno sequenti, mortuo Herbipolensi, Imperator Gebhardum constituit episcopum. Sed alij Ruggerum deligunt, ac Moguntinus quidem cõtra Imperatorem eum confirmat, instigantibus legatis pontificijs, qui uenerant, ut contra Imperatorem facerent omnia. Vrspergensis, Crantzius libro quinto, capite 41. Continuator Sigeberti, Erfordiensis.

VVORMATIAE, DE INVESTITVRA, *contra Cæsarem.*

REdeuntes Spirensis & Fuldensis ex Italia, secum adducunt papacæsaris legatos, plenissima instructos potestate ad transigendum omnia, quæ ad Cæsarem papamq; pertinerent: nempe Lambertum Ostiensem, Saxonem S. Stephani, & Gregorium S. Angeli cardinales. Hi uultures Romani mox Vuormatiæ indicũt conuentũ principibus & episcopis, Cæsare adstipulante. Nam ille nunc se passiuè quidem habebat, prostratus ictu pontificio, ac cernens se necessitatem præsentem nulla ui effugere posse.

Caput disputationis est Inuestitura episcoporum, quam è manibus laicorum omni authoritate & ui extorquendam esse, papa Romanus decreuerat. Etsi autem plurima de iure Cæsaris & usu diuturno antecessorum, deq; plurium põtificum permissione & comprobatione in medium afferrentur: tamen uicit, Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uolũtas. Nam magistratus politicus debebat, iuxta ipsius Petri uaticiniũ, ab eiusmodi hominibus summa ignomina affici, atq; egregiè pedibus conculcari.

Cæsar, licet ægerrimè ferret, tantam sibi plagam à papa infligi, tamen excommunicationis terrore, & quòd papa omnes suos principes fascinasset, atq; ad horribilẽ defectionem permouisset, fractus, cedit inuitus tantæ uiolentiæ, Imperijque tranquillitatem suis commodis ac dignitati propriæ anteponit, pontificiq; suum ius inuestiendi tradit.

Hác præda istis retibus capta, legati eum nodis anathematis exoluunt, atq; potestatem faciunt, ad Ecclesiæ cœtum, unde eum excluserant, redeundi.

Vt autem nihilominus istam auiculã arctissimè constrictam tenerẽt, cautissimeq;, ut ille monebat, ducerent, formulam concordiæ utrinq; datis literis, sigillisq; appensis corroborant: atq; ut omnibus quàm notissima esset uictoria & Cæsaris probrum, eas literas in loco campestri spaciosissimo prope Rhenum, clara uoce proclamant ac denunciant.

Formulę uerò sunt eiusmodi: Ego Heinricus, Dei gratia Imperator Augustus, pro amore Dei & sanctæ Romanæ ecclesiæ, & domini papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ dimitto Deo, & sanctis eius apostolis Petro & Paulo, sanctęq; catholicę Ecclesiæ, omnem inuestituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesijs fieri electionem & liberam consecrationem. Possessiones & regalia beati Pe-

tri, quæ à principio huius discordiæ usque ad hodiernum diem, siue tempore patris mei, siue etiam meo ablata sunt, quæ habeo, eidem sanctæ Romanæ ecclesiæ restituo: quæ autem non habeo, ut restituantur fideliter iuuabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, & principum, & aliorum tam clericorum quàm laicorum, consilio principum quæ habeo reddam: quæ non habeo, ut reddantur fideliter iuuabo. Et do ueram pacem Calixto sanctęq; Romanæ ecclesiæ, & omnibus qui in parte ipsius sunt uel fuerunt: & in quibus S. Romana ecclesia auxilium postulauerit, fideliter iuuabo.

Literæ à pontifice Imperatori uicissim datæ hæ sunt: Ego Calixtus, seruus seruorum Dei, dilecto filio Heinrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto. Concedo electionem episcoporum & abbatũ Teutonici regni, qui ad regnũ pertinent, in pręsentia tua fieri, absq; simonia & aliqua uiolentia. Et si quæ inter partes discordia emerserit, metropolitani & comprouincialium concilio uel iudicio, saniori parti assensum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per sceptrum à te recipiat (exceptis omnibus quæ ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur) & quæ ex ijs iure tibi debet, faciat. Ex alijs uerò partibus Imperij consecratus, infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus uerò si querimoniam feceris, secundum officij mei debitum auxilium præstabo. Doque tibi ueram pacem, & omnibus qui in parte tua sunt uel fuerunt tempore huius discordiæ. Datæ anno 1122. 9 calendas Octobris. Robertus Barns. Estque obseruatione dignissimum, quod Otto Frisingensis annotat, Romanos dicere, soli Heinrico id concessum esse pro bono pacis, & nõ successoribus ipsius. Attende igitur quàm honestè & candidè illi homines agant.

Hęc diplomata ubi Romam perlata sunt, incredibilẽ excitauerunt læticiam & tripudium. Vt autem triumphus ille de manubijs Cæsari ereptis, communis & illustrior esset, sanctissimus papacæsar Calixtus 2. eas ipsas literas de extorta resignatione & renunciatione iuris Cęsarei, de inuestitura episcoporum, in ecclesia Lateranensi publicè suspendit, ut omnibus & risum & insultationem, more scilicet uerè Apostolico, mouerent. Vrspergensis, Crantzius libro 5. cap. 42. Otto Phrisingensis lib. 7. capite 16. Erfurdiensis.

BAMBERGAE.

Alius mox sequitur conuentus Bambergæ: ubi cum illis etiam transigitur, qui Vuormatiæ non fuerant. Deinde de legatis Romam cum pontificijs uice regis mittendis, additis muneribus, decernitur, ne non abundè papacæsari satisfieret. Vrspergensis, Crantzius libro quinto, capite 43. Barns.

ROMAE ALIA, DE MONACHIS.

Anno Domini 1122, Calixtus Romæ concilium celebrat. Ibi uerò Oderisius abbas Casinensis consecratur. Deinde episcopi querimoniã aduersus monachos instituunt, quia iura episcoporum inuadãt, ecclesias, uillas, castra, decimationes, uiuorum & mortuorum oblationes occupent. Monachi contra afferunt, se pro salute totius Ecclesiæ die noctuq; preces facere, eaq; tenere quæ reges, principes, duces & Romani pontifices concesserint.

Liguriæ episcopus inquit: Licet episcoporum religiositas conquesta contra monachos fuerit, nõ tamen sine causa prędecessores nostri monasteria ditauerunt. A principio namq; surgẽtis Ecclesiæ, duos ordines cœpisse notissimum est: unum qui laboret in uerbo & doctrina, alterum qui uacaret orationi: unũ qui actiuę, alterũ qui contemplatiuę uitę deseruiret. Vnde nõ immeritò nos potius diligere monachos, quàm insequi conuenit. Ad hęc pontifex, imperato silentio, dixit: Casinensis ecclesia non ab hominibus, neq; per hominẽ, sed per IESVM Christum fundata est, cuius imperio Benedictus pater locũ prius idolis deditum purgans, sanctæ descriptione regulæ, miraculorumq; prodigijs, & sua corporali requie orbi spectabilem reddidit, totiusq; monastici ordinis caput esse constituit. Accedit quòd idem uenerabilis locus à Romanis pontificibus instauratus, Romanæ ecclesiæ filiorum & in aduersis solatium, & in prosperis tuta requies perstat. Et nos igitur sanctorum prædecessorum nostrorum uestigia secuti, Casinense cœnobium ab omni mortalium iugo quietum semper ac liberum, & sub solius sanctæ Romanæ ecclesiæ defensione perpetuò manere, decernimus. Cætera uerò monasteria, in quo ordine antiquitùs constructa sunt, perpetuò manere iubemus. Chronicon Casinense libro quarto, capite 80.

ROMAE ALIA, CONTRA CONIVGIA SACERDOTUM.

Calixtus 2. Romæ conuentum agens trecẽtis episcopis, anno Domini 1123, Hildebrandi statutũ de separandis honestis uxoribus à sacerdotib. repetit. Deinde & alia decreta è scrinio sui pectoris ebuccinat:

Episcopo suo uiuo, Ecclesiam neque alium eligere, neque suum repudiare, neque alterius

alterius ordinationi parêre debere, cũ Apoſtolus dicat: Alligata eſt uxor legi uiri, quãdiu uir eius uiuit: eo defuncto, ſoluta eſt à lege uiri, cui uult nubat in Domino. id eſt, alium eligat, ſed regulariter. 7. q. 1. cap. Sicut alterius.

Epiſcopum Eccleſiam ſuam (non afflictum ab ea) dimittentem, adulterum debere iudicari, ſtatuit.

Epiſcopum non debere aliquem ordinare, iudicare, excommunicare, qui alterius eccleſiæ eſt. 9. q. 2. cap. Nullius.

Qui Romipetas, uel ad alia loca ſanctorum peregrè euntes ſpoliant, uel iniuria afficiunt, excommunicationis reos eſſe, pronunciauit. 24. q. 3. cap. Si quis.

Quatuor temporum ieiunium inſtituit, cum antea ieiunatum eſſet ter in anno. Diſtinct. 76. cap. Ieiunium.

A' Romana eccleſia non licere diſſentire: Quia, inquit, ut filius uenit facere uoluntatem patris, ita oportet Chriſtianos facere uoluntatem matris, ſcilicet eccleſiæ Romanæ. Diſt. 12. cap. Non decet. Continuator Sigeberti, Rob. Barns.

Addit & Simeon Dunelmẽſis li. 2. Chron. iſta decreta:

Presbyteris, diaconis & ſubdiaconis cõcubinarum & uxorum contubernia penitùs interdicimus, & aliarum mulierum cohabitationem: præter quas Nicena synodus propter ſolas neceſsitudines habitare permiſit, uidelicet matrem, ſororem, amitam, uel materteram, aut alias huiuſmodi, de quibus nulla iuſtè ualeat oriri ſuſpicio.

Si quis principum uel aliorum laicorũ, diſpoſitionem ſeu donationem rerum ſiue poſſeſsionum Eccleſiaſticarum ſibi uendicauerit, ut ſacrilegus iudicetur, &c.

SVB HONORIO II. LONDINI ALIA, CONTRA CONIVgia ſacerdotum.

ANno Domini 1125, uel ut Matthæus Pariſiẽſis habet, 1128, ab Honorio 2 in Angliam mittitur Iohannes Cremenſis, pro quo ſic ſcribit ad clerum Anglicum, teſte Simeone Dunelmenſe: Rogamus uos, & monemus atq; pręcipimus, ut hunc Iohannem, tanquam S. Petri uicarium, reuerenter ſuſcipiatis, humiliter audiatis, & ad ipſius uocationem ſynodales cum eo conuentus ſolenniter celebretis: quatenus per ipſius & ueſtram induſtriam in regno ueſtro, quæ corrigenda ſunt, corrigantur: & quæ firmanda ſunt, ſancto inſpirante ſpiritu firmentur, &c. Et ad Dauidem Scotorum regem, Roxburgi tunc commorãtem: Nobilitati tuę rogando mandamus, ut dilectũ filium noſtrum Iohannẽ cardinalem, cui uices noſtras in partibus illis cõmiſimus, reuerẽter ſuſcipias & honores: epiſcopos etiã terræ tuæ, cum ab eo uocati fuerint, ad concilium ſuum facias conuenire.

Duo autem præcipui fines Honorio papæ erant propoſiti: primùm, ut emungeret Anglos magna pecuniæ ſumma: deinde, ut ſacerdotes qui uxores habebant, affligeret, & quo id facilius efficeret, in malè uiuentes inquireret.

Per abbatias igitur & epiſcopatus, lucris ac delicijs indulgens, uagando, metit ubi non ſeminarat, multisq; donis ſaginatur, ut ſcribit Pariſienſis.

Londini tandem fit conuentus celebris, permittente rege, ad natiuitatẽ Mariæ. Duriſsimè autem legatus inuehitur in ſacerdotes uxoratos, & deinde in concubinas, omniq; ratione tales eſſe caſtigandos pronunciat. Opponunt autem ſacerdotes uerbum Dei, obſeruationem priſcæ Eccleſię, & conſcientiarum rationem. Verùm ille ut didicerat ululare, ululat. Eam tyrannidem porrò indignè ferentes nonnulli ex ſacerdotibus, iam antè odorati cardinalem eſſe hominẽ impurum & ſemicæcum, obſeruant eius mores, atque mox eum cum ſcorto deprehenſum, publicè flagitioſum arguunt, atque indignum poſthac cenſent, qui in aliorum uitam inquirat, ipſemet inquinatiſsimè & ſcandaloſiſsimè uiuens. Cardinalis autem ueluti fur in ciſta deprehenſus, fabulaq; uulgi effectus, diſcedit, ſimulans papæ literis ſeſe reuocari.

Sed qui ſynodo aderant, nihilominus in gratiam papæ ipſi hominũ naturæ uim inferunt, contraq; legitimum thorum leges dictant. Atque eſt eiuſmodi decretum memoriæ conſeruatum:

Presbyteris, diaconis, ſubdiaconis & canonicis, uxorum, concubinarum, & omnino omnium fœminarum contubernia authoritate Apoſtolica inhibemus, præter matrem, aut ſororem, uel amitam, ſiue alias mulieres, quæ omnino careant ſuſpicione. Et qui decreti huius uiolator extiterit, confeſſus uel conuictus, ruinam ordinis patiatur.

Inter conſanguineos ſeu affinitate propinquos, uſq; ad ſeptimam generationem matrimonia contrahi prohibemus. Polydorus lib. 11. ſub Stephano, Matthęus Pariſienſis, Ranulphus lib. 7. cap. 7. Balæus Centuria 2. cap. 64.

Sacerdotibus autem conquerulantibus paſsim de tyrannide epiſcoporum in mulctis imponendis, rex prædæ auidus ſe interponens, impetrat, ut ſibi relinquatur puniendi poteſtas. Id uerò cum permiſſum,

multò maiorem exegit mulctam, ut postea se ouem lupo commisisse frustra dicerent. Ibidem.

MAGVNTIAE ALIA.

CONuentus principum potius quàm synodus dici meretur hic cœtus, ubi de electione Cęsaris Lotharij actū est, Heinrico quinto rebus humanis sublato. Verùm immiscuerunt sese quoq; legati pontificij, qui iam & conscendere & regere curias Imperiales, cōtra ipsius Christi inhibitionem, didicerant: unde pio Lectori desperatā Ecclesiæ Christi degenerationem licet æstimare. Sigeberti Cōtinuator inquit: Mense Augusto legatos Apostolicæ sedis, & archiepiscopos cum episcopis, & optimates Imperij ex condicto conuenientes Maguntiæ, sibi & toti Romano Imperio de substituendo rege consultasse. Item Otto Frisingensis lib.7.cap.17.

APVD CRETAS, DE FRATRIBVS *militiæ templi.*

ANno 1126 apud Cretas in Francia concilium habitum est, cui interfuerunt dominus Remensis & dominus Senonensis archiepiscopi, cum suffraganeis suis: Albanensis quoq; episcopus, Apostolicę sedis legatus: abbates quoq; Cistercienses & Clareuallensis, cum alijs pluribus. Instituta est eis regula & habitus assignatus, albus uidelicet, de mandato domini Honorij papę, & domini Stephani Hierosolymitani patriarchæ. Tyrius lib.12.cap.7.

TOLOSAE.

CAlixtus Tolosæ concilium celebrat cum cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, pręlatis, anno Domini 1128. Sunt autem omnes damnati, qui religionis speciē præ se ferentes, corporis & sanguinis Sacramentum, baptisma paruulorum, ordines sacros, & legitima fœdera damnabant nuptiarum. Deinde laicis sub pœna excommunicationis interdicta est inuasio domorū clericorum, oblationum & bonorum defuncti episcopi. Iohānes de Oppido inquisitor Tolosanus.

VIENNAE, CONTRA LATRONEM.

LVdouico Grosso Gallię sceptra tenente, Thomas de Marla Laudunēsem ecclesiá, clerum & urbes magnis iniurijs afficiebat, tēplū S. Marię succendebat, multaq; bona ecclesiæ rapiebat. Viēnæ igitur clerici conuentum cum Francicis sacerdotibus celebrant, cui & legatus pontificius sese ingerebat. Tilius ait, id Bellouaci esse factum.

Exitus deliberationis est, quòd Thomas omni exuitur militię dignitate. Deinde excommunicatur horribiliter. Tertiò Ludouicum orationibus extimulant, ut contra latronem arma suscipiat: qui quidem eū adortus, recuperat ablata bona, & latronem debito supplicio afficit. Robertus Gaguinus lib.6. de Francis.

SVB LOTHARIO.

LONDINI ALIA, DE CONIVGIBVS *sacerdotum.*

HEinricus Anglię rex Londini calēdis Augusti, anno Domini 1129, magnū obseruauit cōcilium, præsentibus duobus archiepiscopis, uiginti episcopis, quadraginta abbatibus. Prælati iterum iam sæpius agitatam controuersiam in medium proponunt, de remouendis è sacerdotū domibus focarijs. Sic enim contumeliosè coniuges tum uocabant. Rex uerò facetè ipsis illudit. Accepto enim ex pacto censu, permittit eis liberè coniuges retinere, in derisum prælatorum, qui potius fornicationes, quàm cōiugalem cohabitationem, tolerabant. Matthæus Parisius lib.3. Chron.

Simeon Dunelmensis libro 2. ista recitat: Sancitum est, ne quis ecclesiam sibi siue prębendam paterna uendicet authoritate, aut successorem sibi in aliquo Ecclesiastico cōstituat beneficio. Quod si præsumptum fuerit, nullas uires habere permittimus, dicentes cum Psalmista: Deus meus pone illos ut rotam, qui dixerunt, Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.

Presbyteris, diaconis, subdiaconis & canonicis, uxorum, concubinarum, & omniū omnino fœminarum contubernia authoritate Apostolica inhibemus, pręter matrem, aut sororem, uel amitam, uel alias mulieres, quę omnino careant suspicione. Et qui decreti huius uiolator extiterit, confessus uel conuictus, ruinam ordinis patiatur.

Inter consanguineos & affinitate propinquos, usq; ad septimam generationem matrimonia cōtrahi prohibemus. His peractis, Turstinus Eboracēsis & Guilhelmus Cantuariensis Romam usque eum euocati comitantur.

SVB INNOCENTIO II.

APVD CLARVM MONTEM, CONTRA ANTIPAPAM.

INnocentio 2. capto in bello, quod Apostolico more, & tanquā germanus Christi uicarius, aduersus Siciliæ regē mouerat, antipapa Petrus Leonis, Anacletus appellatus, in soliū pōtificale sublimatur. Itaque iuxta illud, Omnisque potestas impatiens consortis erit: liberatus captiuitate, & exclusus iam Roma ob antipapā, ilico in Gallias

lias iter arripiens, apud Clarum montē bilem expuit. Conuocatis enim quos poterat præsulibus, grandibus anathematum fulminibus in antipapā & eius sectatores sęuit. Sic papa papam damnat & execratur. Nam Anacletus Romę idem factitat, anno Domini 1130. Platina, Otto Frisingensis lib.7. cap. 18. Chronicon Bambergense.

APVD STAMPAS,
DE PAPA.

Concilium apud Stampas congregatur, in quo Bernhardus persuadet, Innocentium approbari papam, Petro antipapa repudiato. Vincentius lib.27. cap.6. Item in uita Bernhardi, lib.2.

REMIS,
CONTRA ANTIPAPAM.

Exclusus Romana cathedra Innocentius, ueluti coruus cum coruo de sede dimicat cum Anacleto: Leodij autem in Germania Imperatorem adigit, ut iuramento sibi polliceatur, se ipsum restituturum. Atque ibi quoque conuentum episcoporum habuisse Innocentium, Otto Phrisingensis refert lib. 7. cap. 18: & Mariani Scoti appendix. Chronicon quoddam Saxonicum inquit, Leodij triginta sex fuisse episcopos, ibique Otthonem Halberstadensem episcopum, qui triēnium in exilio egerat, fuisse restitutū. Meminit eius & Crantzius lib.6. capite secundo. Sed numerus anni non conuenit. Rediens igitur in Gallias, quocunque uenit, irarum plenus quasi densum puluerem pedibus excitat. Remis suæ factionis hominibus congregatis, fulmina & execrationes in antipapam eiusque complices iterat atque exasperat, anno Domini 1131. Platina, Continuator Sigeberti.

MOGVNTIAE ALIA.

Anno eodem Moguntię synodus instituta est, præsente Imperatore Lothario. Præsederunt autem Matthæus Albanēsis, & Adelbertus Moguntinensis.

Causa est: Bruno Argentinensis episcopus à clero & populo de intrusione & uiolentia grauissime accusatur. Is igitur conuictus, episcopatum in manus cardinalis & archiepiscopi resignat. Hæc acta sunt Augustano, Eistetēsi, Bambergensi, Vuirtzburgensi, Spirensi, Vuormatiensi episcopis prę-sentibus. Appendix Mariani Scoti.

PLACENTIAE,
CONTRA ANTIPAPAM.

Animis præsulum ubique sibi conciliatis & adiunctis, ijsdem irarum stimulis ardens Innocentius, Placentiæ sibi similem cœtum colligit, atque ibi quoque tonitrua plurima contra antipapam Anacletum eiusque asseclas omnes ebuccinat horribilibus uerbis. Nam quantum eiusmodi excommunicationū bombardæ possent ad cōcitandas crudelissimas in regnis seditiones, tum ex antecessorum, tum suo etiam exemplo probè cognitum habebat. Platina.

PISIS,
CONTRA ANTIPAPAM.

Interim dum sibi fulminibus anathematum passim uiam sternit Innocentius secundus, pauidasque damas suo horrisono clangore literarum iratissimarum terrefacit, atque penè exanimat, Lotharius cum exercitu ualido, non sine litatione sanguinis humani, Innocentium suę sedi restituit. Deinde radicibus ubique profundè satis actis per gladium seculare, Pisis concilium gloriosè conuocat: ubi primùm ipse omnium suffragijs comprobatur papa. Deinde ab omnibus Germaniæ & Galliæ episcopis Anacletus ille anathematisatur. Tertiò Pisanos cum Genuensibus in gratiam redigit, atque ex Genuensi episcopo, qui Mediolanensi archiepiscopo subditus erat, archiepiscopū efficit, traditis ei tribus Corsicæ episcopis. Pisanis quoque archiepiscopum dat, reliquis Corsicæ episcopis ipsi attributis. Sic scilicet ille regna sua distribuit quibus uult, Matth. 4. anno 1135. Platina, Continuator Sigeberti.

HERBIPOLI.

Extincto Honorio, cum duo essent electi pontifices, Herbipoli à Lothario congregata est synodus sedecim episcoporum, in qua recipitur Innocentius in pontificem, circa annum 1136. Saxon. Chron libro 7. Monst.

SVB CONRADO III.

ROMAE ALIA.

Anacleto ad suos antecessores relato, Innocentius 2. acer & uigilans in suo dominatu & eminentia asserenda, aliam synodum Romæ in Laterano cogit, anno Domini 1138, alij in 1139 referunt, alij etiam in 1142, & 1144. Vrspergensis & Phrisingensis ferè mille episcopos ibi congregatos fuisse, scribunt. Nam uiuum papę tangebatur, quod dici solet.

Causam uerò præcipuam ipsi papæ, magistratus Romani conatus præbuēre. Nam antiquæ dignitatis cupidi, consules atque senatores ueteri more legerunt, atque ius dicere uoluerunt hoc pacto, ut papę saltem Ecclesiasticarum rerum cura, hoc est, doctrinæ & sacrorum incumberet: sibi uerò politica negocia, prout essent iure diuino atque humano eæ potestates distinctæ, sumebāt tractanda. Id uerò erat pupillam papæ tangere. Itaque rudendum atque rugiendum sibi contrà non modò tota trachea arteria,

sed omnibus totius corporis inflatis uenis existimabat.

Primùm autem omnes, qui partibus Petri Leonis fauerant, quiq; ab eo ordinati erant, damnantur. Vrspergēsis, Otto Phrisingensis lib.7.cap.23.

Deinde uerò contra nefarios magistratus Romani politici ausus, decreta stabiliuntur.

Manus iniicientes homini Ecclesiastici ordinis sic anathematis maledicto astrinxit, ut præter pontificem Romanum nemo habeat potestatem absoluendi eum in uita. Cum uerò animam agere cœperit, eadem potestas & suæ diœcesis episcopo est concessa. 17.q.4.cap. Si quis suadente.

Ad cleri ordinem non admittendos esse etiam eos, qui ante baptismum uiduam duxêre, quòd bigami censeantur. Dist 34. cap. Si quis.

Qui duxêre duas uirgines, unam ante baptismum, alteram post baptismum, bigami quia sunt, non esse annumerandos clericis. Distinctione uigesimasexta, capite Deinde.

Scienter ab hæreticis baptizatos uel ordinatos, non esse dignos clericorum ordine. 1.q 1.cap. Ventum.

Pontificem non posse ea pro suo arbitrio mutare, quæ piè & iustè decreta sunt: sed quæ dispēsatoriè pro ratione temporis, loci & necessitatis ordinata, & quæ subreptitia sunt, propter utiles rationes posse ea mutare. 35.q.9. Blondus.

VVESTMONASTERII, CONTRA CONIVgia sacerdotum.

ALbericus Hostiensis episcopus, ab Innocentio 2. in Angliam missus, Vuestmonasterij concilium conuocat, anno Domini 1138, Decemb. 13. præsentibus episcopis 18, & abbatibus 30.

Primùm autem coniugia sacerdotum seuerissimè damnantur. Iohannes Hagulstadensis.

Deinde ordinatur, ne hostia consecrata ultra octiduū in pixide relinquatur. Matth. Parisiensis lib.4. Chron.

Aliquot decreta recitat liber de Bello Standardico, secundo cap. Sancimus, ut ultra octo dies corpus Christi non reseruetur, neque ad infirmos, nisi per sacerdotem, aut per diaconum, aut necessitate instante, per quemlibet cum summa reuerentia deferatur.

Nullus omnino de manu laici ecclesiam, seu quæcunque Ecclesiastica beneficia accipiat, &c.

Sācimus præterea, ne quis ecclesiam, seu quælibet beneficia Ecclesiastica, paterna sibi uendicet autoritate, aut successorem sibi in Ecclesiastico constituat beneficio. Quod si præsumptum fuerit, irritum fore decernimus, cum Psalmista dicentes: Deus meus pone illos ut rotam, qui dicunt, Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.

Clericos absque literis proprij episcopi ordinatos, à susceptorum ordinum officijs inhibemus. Soliq; Romano pontifici eorundem plenaria restitutio reseruetur, nisi religionis habitum susceperint.

Sanctorum patrum inhærentes uestigijs, presbyteros, diaconos & subdiaconos uxoratos aut cōcubinarios Ecclesiasticis officijs & beneficijs priuamus: ac ne quis Missas eorum audire præsumat, Apostolica authoritate prohibemus.

Fœneratores clericos & turpia lucra sectantes ab officio remouemus, &c. Hinc discretos esse uolumus milites Christi ab huius seculi militibus.

COLLOQVIVM GRAEcorum & Italorum, DE PROCESSIONE Spiritus sancti.

DVm Lotharius in Cāpania moratur, turbas Casinēsis monasterij sedans, anno Domini 1138, legati Iohannis Constātinopolitani ueniunt ad Imperatorē, cōgratulantes ei de uictoria contra Rogerium, & munera beneuolētię argumenta offerētes. Philosophus autem quidam unà ueniens, coram Imperatore asseuerare cœpit:

Romanū pontificē episcopū nō esse. Itē: Clericos Romanos excommunicatos & anathematisatos esse.

Petrus uerò Casinensis monachus cœpit eum refutare: cumq; nox disputationē abrumperet, Imperator ea collatione plurimū delectatus, iubet utrosq; postridie disputationem cœptam continuare.

Altero die sic Græcus incipit fari: Viri cordati & bono sensu præditi, attendite, & in uestræ mentis solio æqua libra perpendite, an debeat catholicus cum excommunicato conferre sermonem. Petrus Diaconus existimans, Græcum contra se iaculum excommunicationis intorsisse, dixit: Contra quem telum excommunicationis acueris, si placet, edicito: contra me, an contra omnem Ecclesiam? Græcus: Et contra te, & contra omnem Occidentis Ecclesiam. Petrus: Cur quæso? Græcus: Quia decreta Niceni concilij transgressi estis. Petrus: In quo transgressi sumus statuta Niceni concilij? Græcus: In eo quòd adiunxistis, Spiritum sanctum à filio quoq; procedere. In eo quippe cōcilio scriptum est, Spiritum sanctum à patre procedere. Petrus: Si nos ideo excōmunicati sumus, quia adiecimus,

ex filio procedere Spiritum sanctum: & uos ergo excommunicati estis, qui addidistis, ex solo patre procedere. Ad hæc Græcus obticuit, atque post paululum ita exorsus est alloqui: In Occidentali climate propheticum illud uidemus impletum: Erit ut populus, sic sacerdos. cum pontifices ad bella prodeunt, ut papa uester Innocentius facit, pecunias distribuunt, milites congregant, purpuram induũt. His & alijs multis inter utrumq; agitatis quæstionibus, diei imponunt finem. Idem sua Petriq; responsa in Græcum transtulit, Imperatori & patriarchæ deferenda. Authoritates queque, per quas Græci uxores in sacerdotibus defendebát, Petro tũc in scriptis dedit. Chrõ. Casinense lib. 4. cap. 117. Idem recitat Sabellicus Ennead. 9. lib. 4.

DISPUTATIO CONstantinopolitana cum Græcis,

DE PROCESSIONE SPIritus sancti alijsq; rebus,

Inter Anselmum Hauelbergensem, Saxonicum episcopum, & Nechiten Nicomedium archiepiscopum.

Anselmus Hauelburgensis anno 1138 missus à Lothario Imperatore ad Caloiohannem Oriétis Imperatorem Constantinopolim, sæpius cum ipso Imperatore & uiris eruditis de ueteri Græcorũ errore contulit. De sententia itaque Caloiohannis, & ipsius patriarchæ Constantinopolitani, uisum est conuentum indicere in basilica S. Sophiæ, in quo de re ista amplissima sermones conferrentur.

Decimo igitur die mensis Aprilis frequẽtes eò conueniunt, quos Imperator uocarat. Fit autem collatio per interpretes, qui integras sententias recitát: & notarijs hoc datur negocij, ut summa diligentia excipiant omnia.

Propositio autem & scopus ab Anshelmo statuitur talis: Nos sequentes sanctá & Apostolicam doctrinam, credimus & docemus, patrem, filium & Spiritum sanctum unum Deum in substantia, trinum in personis. Credimus etiam patrem ingenitũ, filium à patre genitum, Spiritum sanctum ab utroq;, patre scilicet & filio, procedenté: hoc credimus & docemus. Anshelmus lib. 2. cap. 1.

Nechitę autem propositio eiusmodi est: Credimus & docemus, Patrem esse principium Filij, quem genuit: & eundem patré SOLUM esse principium Spiritus sancti, qui ab ipso SOLO procedit.

RATIONES EIUS SUNT.

I. Argumentum.

Si esset in Deo polyarchia, id est, multa principia, foret ea litigiosa. Si anarchia, foret inordinata.

Sed in Deo nihil litigiosum, nihil inordinatum est.

Ergo est monarchia in Deo, id est, unus Deus pater, filius & Spiritus sanctus.

II. Argumentum.

Si Spiritus sanctus tam à filio quàm à patre procederet, necesse esset duo principia statuere.

Sed non sunt duo principia. Pater enim tam est principiũ Spiritus sancti quàm filij. Nam ex patre est genitus filius, & Spiritus sanctus à patre procedit.

Ergo à patre TANTUM, & non à filio procedit Spiritus sanctus: non quidem temporaliter, sed causaliter. Anshelmus Hauelburgensis lib. 2. cap. 1.

Responsio Anselmi.

Concedo primum argumentum. In Deo non sunt principia multa, non principium ullum: sed ipse sibi unum in se ipso est principium per seipsum, in se ipso propriè monarchiæ liberrimum tenens principatum.

Ad 2. Argumentum.

Nego maioré, quia nulla est cohęrentia. Nam licet asseueramus, Spiritũ sanctũ à patre & filio procedere, tamen non asserimus duo principia. Rationes sunt istæ:

Quia pater & filius sunt unum principiũ, sicut unus Deus: perinde ut dicimus, Deũ de Deo, nec tamen duo dij: lumé de lumine, nec tamen duo substantialia lumina. Sic principium de principio, nõ tamen duo principia.

Christus uocat se principiũ: Ego, inquit, sum principium, qui & loquor uobis. osténdens se unum esse principium cum patre, unitate quidem eiusdem substantiæ: qui tamen est de principio, proprietate filialis personæ. Item Genes. 1: In principio creauit Deus cœlum & terram. Item Iohan. 1: In principio erat Verbum. Item in Psalmo 110: Tecum principium in die uirtutis tuæ.

Si filius aliud à patre, & non idem cum patre principium esset: in eo ipso quòd aliud esset principium, esse desineret.

Quidquid ergo dederimus patri, demus & filio. Si enim pater in filio, & filius in patre: & omnia patris filij, & omnia filij patris sunt: profectò principium patris, principium filij est: hoc est, principium quod pater est, principium est quod filius est: & ita Spiritus sanctus procedés ab utroque, patre scilicet & filio, non duo, sed unũ suæ processionis habet principiũ. Dicitur enim tribus modis principiũ in Deo. Substãtiuè ad seipsum. Relatiuè aũt inuicé in trini

tate, ſicut pater ad filium. Et iterum relatiuè, quantum ad creaturam creator. capite 2. lib. 2.

Si credendum eſt, Spiritum ſanctum non procedere à filio. Ergo ſequitur, eum nec à patre procedere. Cauſa eſt: quia pater & filius unum ſunt, teſte Scriptura: Ego & pater unum ſumus. Ego in patre, & pater in me. Qui uidet me, uidet patrem. Qui ergo dicit, Spiritum ſanctum procedere à patre, qui in filio: oportet ut etiam dicat, eũdem Spiritum ſanctũ procedere à filio, qui in patre eſt. & ex regione, qui negat Spiritum ſanctum procedere à filio, qui in patre; cogetur hoc quoque negare, eundem Spiritum ſanctum procedere à patre, qui in filio eſt. Pater enim & filius unum ſunt. Et cum uiciſsim dicitur ille in illo, nequaquã aliud in alio, tanquam ſubſtantialiter aliud, ſed id quod ſubſtantialiter unum & idem eſt, intelligitur. lib. 2. cap. 3.

III. *Argumentum Nechitæ.*

Si ideo Spiritus ſanctus procedit à patre & filio, quia ſunt unum. Ergo à ſemetipſo ſimul procedit Spiritus ſanctus. Ratio eſt: quia pater, filius & Spiritus ſanctus una ſunt diuinitatis eſſentia.

Reſponſio Anſelmi: Sicut pater genuit, ſed non ſe: & ſicut filius genitus eſt, ſed nõ à ſe: ita quoque Spiritus ſanctus procedit, ſed non à ſe. Quod manifeſtè probatur ex Euangelio Iohannis, ubi ſcriptum eſt de Spiritu ſancto: Non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcunque audiet, loquetur. Non loquatur à ſemetipſo, qui non eſt à ſemetipſo. Et quia non eſt à ſemetipſo, non procedit à ſemetipſo, cuius eſſe eſt idem quod procedere. Vnde ergo eſt, inde procedit: & unde procedit, inde eſt, cuius eſſe nihil aliud eſt quàm procedere. Sicut autem patris proprium eſt generare filium, & ſicut filij proprium eſt generari à patre: ita profectò Spiritus ſancti proprium eſt procedere ab utroque, tanquam ab uno principio. Cap. 4. lib. 2.

Hic Nechites interijcit quæſtionem, utrum Spiritus ſanctus dicatur procedere, ſecundum communem utriuſque, patris nempe & filij, eſſentiam: an uerò ſecundum diſtinctas ipſorum perſonas? Sed Anſelmus primùm reijcit quæſtionem, tanquam non reuelatam, atque obijcit, ut ſibi prius exponat, qualis ſit filij generatio. lib. 2. cap. 5.

Deinde uerò inquit: Nec ſecundum ſubſtantiam, nec ſecundum perſonam, pater aut ingenitus, aut filius genitus, aut Spiritus ſanctus procedens dicitur. Ratio eſt: quia quæ ſecundum eſſentiam dicuntur, ea tribus oportet eſſe communicata. Ergo pater eſſet dicendus & ingenitus, & genitus, & procedens: ſic & de alijs, fieretque confuſio perſonarum. Rurſum, cum pater non ſit qui filius, nec filius qui pater, nec Spiritus ſanctus qui filius: ſequeretur, nõ unam eſſentiam eſſe, ſed tres diuerſas eſſentias.

Relinquitur ergo, inquit, dicendum, quòd ſicut pater ſecundum relationem ad filium dicitur pater, & ingenitus ad genitum. Et ſicut filius ſecundum relationem ad patrem dicitur filius, & genitus, & uerbum, & imago, & ſigillum, & character, & ſplendor. Ita etiam Spiritus ſanctus ſecundum relationẽ dicitur Spiritus ſanctus procedens & miſſus ab utroq; mittente, donũ ab utroq; donante, amor ab utroq; amante. lib. 2. cap. 10.

IIII. *argumentum Nechitæ.*

Qui ponit duos emiſſores Spiritus ſancti, duo conſtituit principia.

Tu aſſeris patrem eſſe emiſſorem Spiritus ſancti, & filium eſſe Spiritus ſancti emiſſorem.

Ergo conſtituis duo principia.

Reſpondet Anſelmus: Nego maiorem. non pono duo principia, ut ſuprà dictum eſt. An autem rectè dicatur, Duo emiſſores, tu uideris, qui hac uoce uteris.

Minor eſt manifeſta. De patre quidem: Paracletus Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo. De filio autem: Cum uenerit paracletus, quem ego mittam uobis. Et infrà: Si autem abiero, mittam eum ad uos. Hoc itaque modo patrem emiſſorem dico, & filium emiſſorem eſſe Spiritus ſancti. lib. 2. cap. 11.

Præterea magnam facis iniuriam patri & filio, quia eis nullam inuicem relationis habitudinem tribuis. Quid enim, inquit, eſt, quòd filius aliqua media relatione reſpiciat Spiritum ſanctum, ſeu Spiritus ſanctus filium, ſi proceſsionem iſtius ab illo de medio amborum abſtuleris? Sunt ſanè, ut ita dixerim, reſpicientes ſe pater & filius generatione: & ſunt rurſus, ut dixerim, reſpicientes ſe pater & Spiritus ſanctus proceſsione. Ibidem. Item: Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui miſit illum. Certum eſt autem, quòd ille non honorificat filium, qui hunc ei honorem negat, quòd Spiritus ſanctus ab ipſo, ſicut & à patre, procedat. Rurſus certum eſt, quòd ille Spiritui ſancto non paruam blaſphemiam irrogat, qui hunc, filij ſublata proceſsionis habitudine, fide non ſalua ſeparat. Ambos ergo offendit, filium ſcilicet, cum indignum exiſtimat, ut ab ipſo Spiritus ſanctus: Spiritum ſanctum uerò offendit, quia ipſum quoque indignum iudicat, ut à filio procedat:

dat: & ita in utrosq;, simul & in patrem grauissimè peccans, totam trinitatem blasphemat. Ibidem cap. 12.

EX TESTIMONIIS
Scripturæ sanctæ.

I.

Anselmus: Insflauit eos dicens, Accipite Spiritum sanctum.

Ergo Spiritus sanctus à filio procedit.

Ratio est: quia Christo insflante & dicente, Accipite: acceperunt Spiritum sanctum. Ergo insflatio illa licet non sit ipsa Spiritus sancti substantia, tamen insflatio est processionis eius significatio. Deinde, quia acceperunt Spiritum sanctum à Christo discipuli: ergo necesse est, Spiritum sanctum procedendo à Christo in discipulos uenisse. Christus dedit eis, & dedit insflando. Non autem datur nisi procedendo, nec accipitur nisi procedendo. Duobus, inquit, modis procedit Spiritus sanctus à patre & filio. Est enim una processio eius æterna, quę est secundum affectum, id est charitatem, qua pater diligit filium, & filius patrem. Et est alia processio temporalis, quæ est secundũ effectum, id est, dona eius quę dantur hominibus. lib. 2. cap. 15.

Nechites opponit: Spiritus sanctus est ubique, & iam antea erat in corde discipulorum. Quomodo ergo datus aut acceptus est?

Respondet Anselmus: Prius habebant Spiritum sanctum per eius diuinam præsentiam, qua ubiq; est. Iam uerò per inhabitantem gratiã, quasi diceret, Accipite Spiritum sanctũ in gratia, qui prius apud uos erat sola essentia. lib. 2. cap. 15.

II. *Testimonium.*

Anselmus: Tetigit me aliquis. Ego enim sensi VIRTUTEM de me exisse. Cæterùm uirtutem appellari Spiritum sanctum, inde probat, quia scriptum est: Virtus altissimi obumbrabit tibi. Item: Sedete in ciuitate, quoadusque induamini uirtute ex alto. Item: Accipietis uirtutem Spiritus sancti superuenientis in uos.

Obiectio Nechitæ: Christus ipse inquit: A' patre procedit. De processione uerò de se prorsus tacet. Ergo non procedit ab utroque.

Respondet Anselmus: Primùm, Christus solet ad patrem referre, quod suum etiam est. ut in hoc dicto: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Deinde, quando inquit, De patre procedit: nõ tamen addit. De me non procedit. Tertiò, à quo habet filius ut Deus sit, ab eo habet etiam ut de sese procedat Spiritus sanctus. Ideo inquit: Quem ego mittam uobis à patre. Et rursus: Quem mittet pater in nomine meo.

Obiectio Nechitæ: Aliud est, Spiritum sanctum esse amborum, seu à patre & filio esse: aliud, eum procedere ab utroq;. Amborum quidem esse concedit & probat. A' patre esse: Non uos estis qui loquimini, sed Spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Itẽ: Si Spiritus eius, qui suscitauit IESUM à mortuis, habitat in uobis. A' filio esse: Misit Deus Spiritum filij sui in corda. Item: Quisquis Spiritum Christi non habet, is nõ est eius. lib. 2. cap. 17.

Respondet Anselmus: Spiritum sanctũ esse à patre, & procedere à patre, idem est. Est enim eius processio substantialis. Sed Spiritus sanctus est tam à filio quàm à patre. Ergo tam à filio quàm à patre procedit.

Iam si dicas diuersa esse, Spiritum esse à patre, & Spiritum sanctum procedere à patre: ipsum Spiritum sanctum diuersificas. Item, si à filio non procedit, ergo nec est à filio: quia procedere & esse à filio, est idem. Postea discernit tamen inter esse quod est nasci, & inter esse quod est procedere.

Obiectio Nechitę: Licet Spiritus sanctus sit amborum, tamen ab ambobus non est ęqualiter. Nam à patre est, ut qui à nullo sit. A' filio est, ut qui à patre sit, & à patre habeat, quòd Spiritus sanctus ab ipso etiam sit. Lib. 2. cap. 18.

Respondet Anselmus: Hoc nihil ad rem. Nam disputatio instituta est, non QUALITER ab utroq;, sed UTRUM ab utroque Spiritus sanctus procedat. Deinde nihil aufert Spiritui sancto ab æqualitate existendi & procedẽdi, etiamsi pater sit à nullo, & filius à patre: æqualiter tamen, hoc est, cognita sibi æqualitate æternaliter procedit.

III. *Testimonium.*

Anselmus: Quem EGO mittam uobis. Item: De MEO accipiet, & annunciabit uobis.

Respondet Nechites: Concedo hæc omnia, quòd à filio mittatur, & ab eo accipiat. Sed inde non sequitur, eum procedere à filio.

Respondet Anselmus: Hæres in uocabulo procedendi. Sed æquipollentia sunt, à filio mittitur Spiritus sanctus, & à filio procedit: quia missus à mittente procedit, nec tamen ab eo abest.

Deinde qui illius est, & totum quod est sicut à patre, ita & ab illo habet, quomodo is ab illo non procedere putandus est? Ratio: quia eius procedere nihil aliud est quàm esse.

Obiectio Nechitæ: Christus sufficienter instituit Apostolos: Sed Christus tantùm hanc locutionem de patre usurpat: Spiritus sanctus à patre procedit. nusquam uerò ait: Spiritus sanctus à filio procedit.

Ergo

Ergo sana uerborum forma à Christo tradita, est retinenda. lib. 2. cap. 19.

Respondet Anselmus: Nihil dicendum, quod in uerbo Dei non est dictum. Sed in sacris literis nusquam est dictum, Spiritum sanctum NON procedere à filio. Item non est dictum, Spiritum sanctum à SOLO patre procedere.

Ergo impium est hoc asserere.

Deinde, licet simpliciter & nudè in sacris literis non reperiatur, Spiritus sanctus à filio procedit: tamen sententia in ipsis est. Tertiò, Euangelium non contradicit huic sententiæ. Quartò, Euangelium dicit, A' patre: & non ait, A' solo patre.

Nechites addit, se disputatione contra sententiam Anselmi adduci, ut sic loquatur. lib. 2. cap. 20.

Obiectio Nechitæ: Synodus Nicena nō asseuerauit, Spiritum sanctum à filio procedere. Ergo non sic docendum.

Respondet Anselmus: Nihil contrarium ei Symbolo accipiendum est. Sed Spiritum sanctum procedere à filio, non est contrarium symbolo Niceno. Deinde, si nihil recipiendum quod in Euangelio non reperiatur, nec symbolum recipiendum est, quod in Euangelio non ita distinctè expressum est: nec ita simpliciter dicit Scriptura, Crede in Spiritum sanctum. Lib. 2. cap. 22.

Nechites inquit, plerosque Græcos non dissentire in sensu istius processionis, quia rectus sit: sed à uerbo processionis, quia insolitum sit. Et scriptores Græcos habuisse eundem sensum processionis, sed à uocabulo processionis abstinuisse. Lib. 2. cap. 23.

Respondet Anselmus: Multi Græci authores scripserunt, Spiritum sanctum à filio procedere. ut Athanasius in Symbolo: Spiritus sanctus à patre & filio nō factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Item Didymus: Spiritus sanctus, qui est Spiritus ueritatis, spiritusq; sapientiæ, non potest audire filio loquente quæ scit, cum hoc ipsum sit quod profertur à filio, idem procedens Deus de Deo, spiritus ueritatis procedēs à ueritate, consolator manans de cōsolatione. Item Ephesinum concilium: Quamuis in substantia sua sit Spiritus filij, & intelligatur in persona proprietas iuxta id quod Spiritus est, & non filius: non tamē est alienus ab ipso. Nam Spiritus appellatur ueritatis, & ueritas Christus est. Vnde & ab ipso similiter sicut ex Deo patre procedit. Item Cyrillus in epistola 8: Si est, inquit, in substantia Spiritus spirituali, uel certè intelligitur per se secundum quod spiritus est, & non filius: sed tamen non est alienus ab eo. Spiritus enim ueritatis nominatur, & profluit ab eo, sicut deniq; ex Deo patre. Itē Chrysostomus homilia 26: Iste est Spiritus procedens à patre & filio, qui diuidit propria dona prout uult. Idē in homilia 28, in alia expositione eiusdem symboli, quę sic incipit: Super fabricam totius Ecclesiæ. Itaq; credēdum est, Spiritum sanctum patris esse & filij. Item: Istum Spiritum sanctum dicimus patri & filio esse coæqualem, & procedentem de patre & filio. Hoc credite, ne colloquia mala corrumpant bonos nostros mores. Item: Videte ubiq; sacramentum Trinitatis. Ecce & in Spiritum sanctū credimus, qui Spiritus sanctus procedens à patre & filio, charitate cōiungitur. Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Isidorus, Hilarius, Leo, & alij Latini idem docuerunt.

Nechites respondet: Gręci ita loquentes, distinguunt tamē. A' patre Spiritus sanctus procedit propriè tanquam à prima causa. A' filio aūt procedit non tam propriè: quia filius est à patre. Lib. 2. cap. 24.

Anselmus respondet: Concedo sic loqui patres, Spiritum sanctum à patre propriè procedere: ut Hieronymus, ut in Niceno concilio: Credimus in Spiritum sanctum, qui de patre procedit propriè. Item Spiritū sanctum uerum Deum inuenimus in Scriptura, & de patre propriè esse. Et iterum, de patre filius, & spiritus propriè & uerè de patre, quia procedit. Primùm ergo accipe, quòd de patre propriè est Spiritus sanctus, dicēte Scriptura: Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et Saluator ait: Spiritus ueritatis, qui à patre procedit. Item beatus Augustinus, doctor egregius, in 15. lib. de Trinitate, cap. 18: Non frustra in hac Trinitate non dicitur uerbum Dei, nisi filius: nec donum Dei, nisi Spiritus sanctus: nec de quo genitū est Verbum, & de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, nisi Deus pater. Item de uerbis Domini sermone 9: Et Spiritus sanctus principaliter de illo procedit, de quo natus est filius. Ideo autem addidi Principaliter, quia & de filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoq; illi pater dedit, nō iam existenti & nondum habenti: sed quicquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiā de illo bonum commune procederet. Item Augustinus lib. 15. de Trinitate, cap. 26: Sicut filio præstat essentiam sine initio temporis, sine ulla mutabilitate naturæ, de patre generatio: ita Spiritui sancto præstat essentiam sine ullo initio temporis, sine ulla mutabilitate naturæ, de utroq; processio. Idē in eodem: Filius de patre natus est, & Spiritus sanctus principaliter, & ipso sine ullo interuallo temporis dante, cōmuniter de utroque procedit. Et infrà: Non ab utroque est

est genitus,sed procedit ab utroque amborum Spiritus. Idē in sequenti capitulo:Neque possumus dicere,quòd nō sit uita Spiritus sanctus, cum uita pater, uita filius sit. Ac per hoc,sicut pater cum habeat uitam in semetipso, sic ei dedit uitam procedere de illo,sicut & procedit de seipso. Et his beatorum Doctorum dictis,Hieronymi & Augustini, satis concedendum puto,Spiritum sanctum propriè & principaliter ex patre, tanquam à prima causa, procedere:quia sic ex patre procedit,quasi primo loco,cum eū pater ab alio non habeat, sed à seipso: sicut & ipse pater ab alio nō est, sed à seipso. Pater quippe prima causa est,& primæ causę causa non est:filius uerò cum à seipso nō sit,sed à patre, quòd habet ipsum Spiritum sanctum à se procedentem,nō à se, sed à patre habet, à quo & ipse per generationem esse habet. Addit Anselmus: Quanquam autem persona patris, à quo propriè procedit,non sit eadem persona filij,à quo nihilo minus procedit: tamen nequaquam uidetur dicendum,duas esse procesiones differentes,nec duos Spiritus sanctos,sicut duæ sunt personæ patris & filij differentes: sed una tantùm, & unius tantùm dicenda est procesio ab utroque: quia nec prius à patre, nec postea à filio, sed simul à patre & à filio est una eademq; eiusdem Spiritus sancti æterna & substantialis procesio: qui uidelicet Spiritus sanctus ab utroq; simul & semel substātialiter & æternaliter ꝓcedēs, totam Trinitatē unà cum patre & filio personaliter,id est pluralitate constituit.

Nechites nouam quæstionem mouet, quosdam dicere,Spiritum sanctum à patre per filium procedere.lib.2.cap.25. Sed Anselmus eam relinquit,& concludit.Nechites uerò, etiamsi amplectatur doctrinam, Spiritum sanctum à filio quoque procedere: tamen publicationem reijcit ad concilium œcumenicum.

DE RITIBVS GRAECORVM.

Anselmus:Ecclesia tribus est fundata,sacra Scriptura,traditione uniuersali, & singulari institutione.

Sed Oriētalis ecclesia uariat ab Occidētali. Ergo malè facit.lib.3.cap.2.

Nechites respōdet:Nostri patres in istarum rerum institutione nec ratione,nec autoritate caruerunt.Deinde,nos tradita à patribus semper constanter retinuimus. Ecclesia Romana sępius eadē mutauit. Si Romana,inquit,ecclesia aliud tenet,siue tenēdum docet, facit quod sibi placet,& pro arbitrio suo modò eligit quod uult, modò abijcit quod uult:modò probat quod uult, modò improbat quod uult: modò statuit quod uult, modò mutat quod uult: modò scribit quod uult, modò delet quod uult: modò imperat quod uult, modò prohibet quod uult:& in his omnibus sua propria utitur autoritate, & inuenit qui eam sequantur & imitentur, aut simplicitate bona, aut simplicitate minus docta: quod etiam fortasse aliquando fit obtemperandi sola consuetudine,aliquando obtemperādi necessitate.lib.3.cap.3.

EXCVRSVS IN *ea disputatione,*

De Romani pontificis primatu.

Hic à scopo de ritibus Græcorum Anselmus saltat,& in deuia delapsus,prolixè primatum Romani pōtificis suffulcire nititur. Occasio est, quòd Nechites de mutabilitate & leuitate Romani pōtificis pauca quędam uerba inclementius uidebatur dixisse, id quod erat ipsum ulcus secare.

Anselmi propositio:Statuta,inquit,Romanę ecclesiæ per Deum, & à Deo, & post Deū proximo loco authoritatē obtinuerūt in uniuersa per totum mundum Ecclesia. Rationes uerò primatus sunt istę:

1. Synodus Nicena inquit:Sciendum sanè est,& nulli catholico ignorandū, quoniam Romana ecclesia nullis synodicis decretis prælata est: sed Euāgelica uoce Domini ac Saluatoris nostri primatū obtinuit, ubi dixit beato Petro apostolo : Tu es Petrus, & super hanc petrā ędificabo Ecclesiam meā, & portæ inferni nō præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum:& quodcunq; ligaueris super terrā,erit ligatū & in cœlis: & quodcunq; solueris super terram,erit solutum & in cœlis.
2. Petrus & Paulus Romę martyrizati sunt.
3. Prima sedes Ecclesię est Roma, secunda Alexandria, tertia Antiochena : quæ tres à Petro sunt fundatæ.
4. Sola Roma sine omnibus hæresib. omnibus ætatibus māsit,reliquis Ecclesijs uarijs hæresibus occupatis.
5. Christus inquit: Ego pro te rogaui Petre,ne deficiat fides tua. Et tu conuersus cōfirma fratres tuos.
6. Constantinopolitana ecclesia pluribus fuit obnoxia hæresibus, quæ uel ibi ortæ, uel eò delatæ sunt. Ibi enim fuit Arrius, Macedonius,Eutyches,Eudoxius,Eunomius.

Conclusio : Ergo omnes Ecclesiæ matrem Romanam debent cognoscere. lib.3. cap.4. 5. 6.

Respondet Nechites: Primùm concedo primatum Romanę ecclesię, quia inter tres sorores illas fuerit prima, & quòd reliquæ duæ sorores ad eam appellarint.

Sed non dictus est princeps sacerdotum, nec primus episcopus:sed primæ sedis episcopus. Et à Phoca primùm accepit hoc, ut

caput

caput omnium Ecclesiarum diceretur. Insuper certis cõditionib. illę tres sorores inter sese fuerunt colligatæ. Veruntamẽ, inquit, ne uel Romanus pontifex, uel Alexandrinus, uel Antiochenus aliquid in suis Ecclesijs docerent uel instituerẽt, quod à fide uel aliorũ concordia discreparet, ut omnes unũ dicerent & prædicarẽt: statutũ est, quòd duo legati, in fide & sana doctrina eruditi, à Romana ecclesia semper mitterẽtur, quorũ alter Alexandrino, alter Antiocheno patriarchæ assisterent: qui eos in analogia stantes, & publicè de fide prædicantes, diligenter obseruarẽt. Similiter duo ab Alexandria mitterentur, quorũ alter Romano pontifici, alter Antiocheno uidere opus assisterent. Item ab Antiochia duo mitterentur, quorũ alter Romano pontifici, alter Alexandrino pontifici uidere opus assisterẽt. Et ita quicquid in una istarũ Ecclesiarum prędicaretur, quod catholicum esset, authoritate & testimonio aliorũ cõfirmaretur. Si quid uerò fortè contrarium fidei, & dissonũ cõmunioni, & alienum à ueritate istarum Ecclesiarum diceretur, legati aliarũ fraterna charitate ac humili monitione hoc corrigerẽt. Et siquidẽ corrigere nõ possent, & ille tanquam temerarius & de se præsumens errorem suũ contentiosè defendere uellet, statim per eosdem legatos ad aliarũ sororum audientiã hoc deferretur. Quòd si per epistolas canonicè missas reuocari posset ad cõcordiam sanæ doctrinæ, bene esset: sin autem minus, concilium generale super hoc celebraretur.

Secundò. Imperiũ, inquit, ex Roma trãslatum est in Orientẽ. Statutũ est etiam à cẽtum quinquaginta episcopis, qui in hac urbe conuenerunt, quando beatus Nectarius ordinatus est huius sedis episcopus, damnato Maximo Enneo, qui Apollinaris contagio laborabat: tunc, inquã, statutũ est, adnitẽte pijssimo Imperatore Theodosio Maiore, quòd sicut antiqua Roma propter honorẽ Imperij primatũ in causis Ecclesiasticis à sanctis patrib. antiquitùs obtinuit, ita quoque hæc iunior & noua Roma ꝓpter dignitatẽ Imperij haberet primatum Ecclesiasticum post illam: & sicut secunda Roma, ita & secunda sedes appellaretur & esset, & omnibus Ecclesijs totius Asiæ & Thraciæ & Ponti præesset, & causas Ecclesiasticas tractaret, & authoritate propria diffiniret. Itaque legati custodes catholicę fidei, qui prius Romanã, Alexandrinã, Antiochenã perlustrantes ecclesiam, mutua & fraterna obseruatione fidem seruabãt, destinati sunt in hãc quoq; regiam urbem: & similiter hinc ad illos alij legati in idẽ ministeriũ destinati sunt, quatenus omnes unũ dicerent, & in nullo ueritatis dogmate discreparent.

Tertiò, Imperio diuiso, & episcopi sunt diuisi. Ergo Romani pontificis decreta, in suis cõcilijs sancita sine Gręcis, illi accipiãt episcopi qui ad eum pertinẽt. Porrò addit Nechites, quæ digna sunt obseruatione: Quiã ipsi concilia his temporib. cũ illa non celebramus, quomodò decreta illius susciperemus, quę utiq; sine ullo cõcilio nostro, imò nobis ignorantib. scribuntur? Si enim Romanus põtifex, in excelso throno glorię suę residens, nobis tonare, uel quasi proijcere mãdata suã de sublimi uoluerit, & nõ nostro cõcilio, sed proprio arbitrio pro beneplacito suo de nobis & de Ecclesijs nostris iudicare, imò imperare uoluerit: quę fraternitas, seu etiã quæ paternitas hæc esse poterit? Quis hoc unquã æquo animo sustinere queat? tunc nempe ueri serui, & nõ filij Ecclesię rectè dici possumus & esse. Quòd si sic necesse esset, & tam graue iugũ ceruicibus nostris portandũ immineret, nihil aliud restaret, nisi quòd sola Romana ecclesia libertate, qua uellet, frueretur: & quòd omnib. alijs ipsa leges conderet, ipsa uerò sine lege esset: nec etiã ut pia mater filiorũ, sed domina imperiosa, domina seruorũ uideretur & esset. Quid ergo uobis scripturarum scientia, quid uobis literarũ studia, q̃d magistrorũ doctrinalis disciplina, quid sapientũ Gręcorũ nobilissima ingenia? Sola Romani põtificis authoritas, quę, sicut tu dicis, sup oẽs est, uniuersa euacuat. Solus ipse sit episcopus, solus magister, solus præceptor, solus de omnib. sibi soli cõmissis soli Deo, sicut solus bonus pastor, respõdeat. Quòd si in uinea Dñi uoluerit habere cooperatores ipse, quòd seruato primatu suo exaltatus, glorietur in humilitate sua, & nõ contẽnat fratres suos, quos ueritas Christi nõ in seruitutem, sed in libertatẽ in utero matris Ecclesiæ generauit. Oportet enim, sicut dicit Apostolus, oẽs nos stare ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; prout gessit, siue bonũ, siue malũ. Omnes dixit. Apostolus erat q dixit, seipsum nõ excipit, nullũ mortaliũ excipit. Omnes dixit, nec Romanũ pontificẽ quidẽ excepit. Proinde nullo Symbolo fidei hoc reperitur, quòd Romanã ecclesiã confiteri specialiter iubeamur. Quinimò unã sanctã catholicã & Apostolicã cõfiteri, ubiq; docemur. Hæc de Romana ecclesia, salua pace tua, dixerim, quã ego tecũ ueneror: sed non tecũ per omnia sequor, nec ex necessitate ꝑ omnia sequendã arbitror. Cuius etiã authoritatẽ tam excellentem tu pro nobis proposuisti, ut deposito ritu nostro, eius formam & mutationem in Sacramentis indiscussa ratione & scripturarum authoritate susciperemus, & ut tanquam cæci clausis oculis ducentem

ducentem sequeremur, quocunq; illa proprio spiritu ducta iret: quod quàm securum & honestum nobis fuerit, iudicent tam Latini quàm Græci sapientes. lib. 3. cap. 7. 8.

Responsio Anselmi: Primùm dicit, ironiam in pontificem Romanum non ferendam. Deinde, statutũ concilij sub Theodosio uocat præsumptionẽ. Porrò Chalcedonensis concilij 630 Leoni papæ scripserũt, ut id prærogatiuę Cõstantinopolitanę ecclesię cõcederet. Sed is reliquis statutis admissis, solũ hoc omni conatu infregit: quia esset contra concilium Nicenum. Insuper Ecclesiastica regula iubet, Nulla debere habere uigorem, quæ præter Romani pontificis sententiam præsumuntur, & quæ ab eo Apostolica authoritate & subscriptione non firmantur.

Quartò Nechites opponit: Videtur tibi soli Petro, & nõ potius omnib. Apostolis dictũ à Domino: Quorũ remiseritis peccata, remittũtur eis: & quorũ retinueritis, retenta erunt. Et iterũ: Quæcũq; ligaueris super terrã, erunt ligata & in cœlis: & quæcunq; solueris super terram, erũt soluta in cœlis. Quinimò non soli Petro, sed omnib. cũ Petro, & cũ omnibus Petro indifferenter dictum à Domino creditur. Nec super solum Petrũ descendit Spiritus S. in Pentecoste à Domino missus, sed oẽs simul inflãmauit: & nõ impari dono, nec impariter, sed pari dono omnes pariter, sicut promissum fuerat, donauit. Sic ergo recognoscimus Petro acceptã à Domino potestatem, ut non putemus imminuendã cæterorũ Apostolorũ autoritatẽ, qui utiq; æqualiter oẽs sine aliquo inuicem præiudicio uel usurpatione, tanquã uerè mites & humiles corde, eundẽ Spiritum sanctum acceperunt, & in eodem Spiritu sancto eandem potestatem ligandi atq; soluendi susceperũt. Nec soli Petro uidetur attribuendũ priuilegiũ, quod ab ipso Domino donãte cõmune est omnium. Cauendũq; est, ne cæteris in eadẽ potestate eandẽ prærogatiuã habentibus derogetur, dum uni tantùm, quæ est omniũ, authoritas adscribitur. Sic autẽ honoretur Petrus Apostolorũ duodecimus, ut cæteri undecim Apostoli ab authoritate sui Apostolatus nõ excludantur, quẽ certè non à Petro, sed ab ipso Domino, sicut & ipse Petrus, ęquali & non dissimili dispensatione acceperunt. Lib. 3. cap. 8.

Anselmus respõdet: Primùm se cõcedere ad omnes dictum: Accipite Spiritũ sanctũ. Quorũ remiseritis. Itẽ in Pentecoste super omnes Spiritũ sanctũ descendisse. Sed Petrũ præ alijs peculiariter habere. primò quòd ei dictum: Tibi dabo claues. Beatus es Simon. Reliqui Apostoli ab ipso confessionem didicerunt. Christus ascendit nauiculam eius, docturus Ecclesiam. Apostoli ei deferunt honorem, quòd ascenderunt Hierosolymã, cõsulturi Petrum & alios seniores. Ipse ibi fert sententiam. Ipse Ananiam & Saphyram uerbo interficit.

Ergo, inquit, firmissimè tenẽdũ est, quòd Petrus sit à Domino PRINCEPS Apostolorum constitutus.

Sed solus pontifex gerit uice Petri uicẽ Christi. Ergo solus pontifex Romanus est supremus: reliqui episcopi sunt ab isto uicario. lib. 3. cap. 9.

Quintò Nechites opponit: Concedo hic ortas multas hæreses. Sed hic uicissim extinctæ sunt: ut tempore Cõstantini Magni Arrij hęresis. Fons fuit philosophia, quę hic exculta fuit, quaq; abusi sunt docti homines. Sic in Chalcedonensi, Constantinopolitana, Ephesina, Antiochena, Alexandrina Ecclesijs damnatæ sunt hæreses. Et inhibitũ est, ne quis amplius de fide disputare audeat. Iam uerò hic nullæ sunt hæreses. Præterea de Romanis inquit: Et fortasse in Romana ciuitate idcirco nõ surrexerunt heręses, quia nõ adeò sapiẽtes, & subtiles, & scripturarũ inuestigatores ibi fuerũt, quemadmodũ apud nos. Et sicut hæreticorũ qui apud nos fuerũt, uana sapientia, qua seducti sunt, culpãda est: ita nimirum laudanda est Romana imperitia, qua ipsi nec hoc nec illud de fide dixerũt, sed alios docentes, simplicitate quasi minus docta audierunt. Quod cõtigisse uidetur uel ex nimia negligentia inuestigandæ fidei, uel ex grossa tarditate hebetis ingenij, uel ex occupatione ac mole secularis impedimenti. lib. 3. cap. 10.

Anselmus contrà:

Christus est caput Ecclesiæ.

Christus uicẽ suã cõmisit Petro in terris: is porrò Clementi, & sic consequenter.

Ergo omnes Romani pontifices per ordinem sunt caput Ecclesiæ in terris, cuius caput Christus est in cœlis.

Aliud:

In uno corpore nõ possunt esse plura capita: quia monstrum efficeretur.

Sed Ecclesia est una.

Ergo unũ caput Ecclesiæ est papa Romanus, non Constantinopolitanus. Ergo uos, ut Manichęi, uosmet caput cõstituitis. Vos haberetis iure humano, si trãslatio Imperij constitueret caput Ecclesię: sed Romanus papa habet iure diuino. Deinde eadẽ ratione, ubicũq; est sedes regni, ibi caput Ecclesię fieret. Ambrosius inquit: Qui à Romana Ecclesia discordat, hũc proculdubio hæreticũ esse cõstat. Item: Regula Ecclesiastica est, Nõ oportere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari.

Porrò nõ Græcos, sed Romanos pontifices in Oriente hæreses extinxisse, probat prolixè: ut Syluester in Niceno Arriũ damnauit, Innocentius Pelagium, &c.

Ergo, inquit, Romana ecclesia habet priuilegia diuina super omnes iudicandi.

Nechites cõcedit quidẽ: sed id factũ esse ait, concessione Orientaliũ. Postea istũ excursum amputando, disputationem ad cardinem reducit. Lib. 3. cap. 11.

DE FERMENTATO, IN *eodem colloquio.*

Nechites fermentatũ nõ esse damnandũ, asseuerat: primùm quia Melchiades & alij papæ statuta de fermẽtato offerẽdo sanxerũt: deinde Latini à Gręcis olim non discordabãt, sed indifferenter uel azymo uel fermẽtato in mysterio altaris utebãtur. Simul enim cohabitabãt, nec se mutuò damnabãt. Fuerũt & quidã Romani pontifices Græci natione. Et insup adhuc Romę monasteria Græcorũ sunt, qui sine scandalo utuntur fermentato. Lib. 2. cap. 12.

Item Apostoli uidentur indifferenter usi nunc azymo, nunc fermentato, prout habere potuerũt, in singula loca uenientes. Sed postea Romani tantùm azymum, Græci uerò tantùm fermentatum retinuerunt, & æmulatione mutua sese inuicem hæreseos condemnarunt, præsertim Romana eam condemnationem inchoante. Fuisse autem Græcam ecclesiam non minorem ecclesia Romana, uel inde liquet, quòd nomina dignitatum à Græcis sumpta sunt: ut, metropolites, archiepiscopus, episcopus, coepiscopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, acolitus, exorcista, canonicus, clericus, abbas, monachus, ecclesia, monasterium, cœnobitæ, heremita, basilica, baptismus, exorcismus, catechumenus, Epiphania seu Theophania, Ypapanti, Parasceue, Pentecoste. Lib. 3. cap. 13.

Respondet Anselmus: Primùm, plurium pontificũ authoritas plus ualet quàm duorum. Plures autem de azymo quàm de fermentato statuerũt. Deinde, synodus synodũ soluit necessitate urgẽte. Tertiò, hi duo papę nõ tam de fermẽtata hostia, quàm de eulogijs, quæ singulis dieb. Dominicis distribuebãtur, uidentur dixisse. lib. 3. cap. 14.

Itẽ, Græci aliquãdo sub Romano pontifice fuerũt. Græcas uerò appellationes retinẽt, quia Romę & Græci & Latini frequẽtes habitabant: unde Euãgelia in festis Gręcè & Latinè solent legere Romæ. cap. 15.

Anselmi rationes pro azymo:

1. Christus usus est in cœna azymo, & inquit: Hoc facite.
2. In ueteri Testamento prohibita est fermentata oblatio.
3. Panes propositionis fuerunt azymi.

Responsio Nechitæ: Se id concedere, sed opponere illud, quòd in Græco usurpatur uox ἄρτον: ut, εὐλογημένον ἄρτον. De communi pane fermẽtato intelligitur. Deinde in Leuitico est, de duabus decimis similę fermõtatæ offerendis.

Respondet Anselmus: Nõ fit ibi sermo de oblatione ad Deũ, sed de gratiarumactione, quòd eæ similæ in gratiarumactione sint leuandæ, quæ mox in usum sacerdotis cedant. lib. 3. cap. 16.

Adduntur & ista: Fermenti nusquam fit in bonam partem mentio: insuper azymi panis est melior tractatio in sacrificio quàm fermentati. Subiungitur deniq; ista conclusio: Ergo omnes gẽtes decet Romanum morem sequi.

Nechites concludit: Se habere pro adiaphoro, minimeq; repudiaturum azymum, si in loco esset, ubi fermentatum panem habere non posset. Sed longo usu, & ne imperitum uulgus offendatur, ante generalis cõcilij determinationem nihil noui inchoare se posse. lib. 3. cap. 18.

DE COMMIXTIONE VI- *ni & aquæ.*

Græci prius merum uinũ consecrant, postea aquam affundũt. Ratio: quia Christus non legitur aquam affudisse.

Respondet Anselmus: 1. Est consuetudo in Palæstina cõmunis, uino aquã infundere. Ergo & Christus uinũ aqua mixtũ cõsecrauit. 2. Scriptura nõ negat, aquam non fuisse immixtam. 3. Ex latere Christi ꝑfluxit aqua & sanguis. Ergo uinum aqua dilutum est consecrandum.

DE VNCTIONE.

Ritus erat Græcorum, quãdo extraneæ personæ cuiuscunq; sexus transeunt ad ipsorum ritus, ut infuso oleo eos lauarent, atq; hac ratione purificarẽt: id uerò Anselmus putat esse rebaptizationẽ. Verùm Nechites negat, atq; affirmat, esse tantùm ritũ quendam purificationis. libro 3. capite 20. Appellat autẽ Anselmus hosce tres libros τῶν ἀντικειμένων, eosq; rogatu Eugenij papę conscripsit.

LONDINI ALIA.

Synodum Londini celebrat Albertus Hostiensis episcopus, Romanæ ecclesiæ legatus, anno 1139. ubi Theobaldus Beccensis abbas, rege Stephano conniuente, Cantuariensis ecclesiæ cathedram cõscendit. Neubrig. lib. 1. cap. 5.

SVESSONE.

CONTRA PETRVM A- *bailardum.*

Petrus Abailardus philosopus insignis, philosophicis terminis res Theologicas effe-

eas efferebat, nouasq; loquēdi formulas gignebat: quā quidē ob causam à plurimis reprehēdebatur. Sed cū alios doctrina & ingenij acumine excelleret, cedere noluit. Tandē igitur ꝓuincialis synodus apud Suessionas cōtra eū agitatur, præsente legato Romani præsulis, anno Domini 1140.

In primis uerò ab Alberico Remense & Leutaldo Nouariēse Sabellianus hęreticus iudicatur: libros quos ediderat, ꝓpria manu ab episcopis igni tradere coactus est, nulla sibi, ut inquit Otto, respōdendi facultate, eo quòd disceptādi in eo peritia ab omnibus suspecta haberetur, concessa. Hæc sub Ludouico Seniore Francorum rege accidêre. Otto Phrisingensis lib. 1. de Friderico, cap. 47.

CONSTANTINOPOLI.

SVb Manuele Comneno Cōstantinopoli conciliū agitatur. Cosmas enim patriarcha Cōstantinopolitanus per inuidiā & mendaciū insimulatur, quasi Imperiū in fratrē esset trāslaturus. Sed quia id apertè demonstrare non possent eius aduersarij, accusant eum, quòd cum monacho quodam reprehensibili crebrò & familiariter uiueret: & sic sua dignitate priuatur. Ipse uerò hanc iniuriam impatientissimè ferens, maledicit Imperatrici, quæ postea tantùm fœmellas parit: & alijs mala precatur, qui interempti sunt. Annales Nicetæ Choniatæ.

APVD SENONAS,

CONTRA ABAILARDUM.

VIsum est commodissimè nos facturos, si Ottonis narrationem de hac synodo ponamus. Sic igitur ille scribit:

Posthæc dum rursus pluribus diebus legeret, maximamque post se sociorum multitudinem traheret, sedente in urbe Romana Innocentio, in Francia uerò Ludouico, superioris Ludouici filio, regnante, ab episcopis abbateque Bernhardo denuò ad audientiam apud Senonas euocatur Abailardus, præsentibus Ludouico rege, Theobaldoque palatino comite, & alijs nobilibus, de populoque innumeris. Vbi dum de fide sua discuteretur, seditionem populi timens, Apostolicæ sedis præsentiam appellauit. Episcopi uerò simul & abbas missa ad Romanam ecclesiam legatione, ac eis pro quibus impetebatur capitulis, damnationis eius sententiam in literis reportauerunt. quarum exemplar hoc est: Reuerendissimo domino & dilectissimo patri, Dei gratia summo pontifici Innocentio, S. Remensis archiepiscopus, Iozelinus Suessionensis, Guilhelmus Cantaulanensis, A. Anebanensis episcopi, debitæ subiectionis uoluntarium obsequium. Auribus occupatis ad plurima, uerbum facimus breue de prolixo negocio, pro eo maximè q̃d idipsum plenius & diffusius continetur in literis domini Senonensis. Petrus Abailardus Christianę fidei meritum euacuare nititur, dum totum quod Deus est, humana ratione arbitratur comprehendere. Ascendit usq; ad cœlos, & descēdit usq; ad abyssos. Nihil est quod lateat eum, siue in profundū inferni, siue in excelsum suprà. Homo est magnus in oculis suis, disputans de fide contra fidem, ambulans in magnis & mirabilibus super se, scrutator maiestatis, hæresium fabricator. iamdudum fecerat librum de S. Trinitate: sed sub legato Romanæ ecclesiæ igne examinatus est, quia inuenta est in eo iniquitas. Maledictus qui reædificat ruinas Hiericho. Surrexit à mortuis liber ille, & cum eo multorum hæreses, quæ dormierant, surrexerunt, & apparuerunt multis. Denique iam extendit palmites suos usq; ad mare, & usque Romam propagines eius. Hæc gloriatio hominis illius, quòd liber suus in curia Romana habet, ubi caput suum reclinet. Hinc confortatus & confirmatus est error illius. Proinde cum fiducia prædicat uerbum iniquitatis usquequaq;. Propterea cū in conspectu episcoporum super his eum argueret abbas Clareuallensis, zelo iusticiæ & fidei armatus, ille nec confessus est, nec negauit: sed à die, à loco & iudice, quem ipse sibi elegerat sine læsione, sine grauamine, ut prolongaret iniquitatem, sedem Apostolicam appellauit. Episcopi, qui propter hoc unum conuenerant, uestræ reuerentię deferentes, nihil in persona eius egerunt: sed tantummodo capitula, à sanctis olim patribus condemnata, medicinali necessitate, ne morbus serperet, adiudicauerunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit post se, & populum qui sibi credat, habet, necesse est ut huic morbo celeri medicina occurratis. Serò enim medicina paratur, Cū mala per longas conualuere moras. Processimus nos in hoc negocio quousque ausi sumus. Tuum beatissime pater est, decæterò prouidere, ne aliqua hæreticæ prauitatis macula decor Ecclesiæ contaminetur. Tibi commissa est sponsa Christi, ô amice sponsi. Tuum est eandem uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Rescriptum uerò Innocentij tale est:

Innocentius episcopus, seruus seruorum Dei, uenerabilibus fratribus, Heinrico Senonensi, Reinaldo Remensi archiepiscopis, eorumque suffraganeis, & charissimo in Christo filio Bernhardo Clareual-

lensi abbati, salutem & Apostolicam benedictionem. Testante Apostolo, sicut unus Deus, una fides esse dinoscitur, in qua tanquam immobili fundamento, præterquam nemo aliud potest ponere, firmitas catholicæ Ecclesiæ inuiolata consistit. Inde est quòd beatus Petrus Apostolorum princeps, pro eximia huius fidei confessione audire meruit: Tu es, inquam, beatus Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petram utique firmitatem fidei, & catholicæ unitatis soliditatem manifestè designans. Hæc siquidem est inconsutilis tunica Redemptoris nostri, super quam milites sortiti sunt, sed eam diuidere minimè potuerunt. Contra quam in initio fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges, & principes terræ conuenerunt in unum. Verùm Apostoli, duces Dominici gregis, & eorum successores Apostolici uiri, ardore charitatis & zelo rectitudinis succensi, fidem defendere, & eam in cordibus populorum proprij sanguinis effusione plantare non dubitauerunt. Demum cessante persecutorum rabie, imperauit uentis, & facta est in Ecclesia tranquillitas magna. Sed quia hostis humani generis semper circuit, quærens quem deuoret, ad expugnandam synceritatem fidei, fraudulentam hæreticorum fallaciam subinduxit. Contra quos ueri Ecclesiarum rectores uiriliter insurgentes, eorum praua dogmata cum ipsorum auctoribus condemnarũt. In magna namque Nicena synodo Arrius hæreticus est damnatus. Constantinopolitana synodus Manichæum hæreticũ debita sententia condemnauit. In Ephesina synodo Nestorius condignam sui erroris condemnationem recepit. Chalcedonensis quoque synodus Nestorianam hæresin & Eutychianam cum Dioscoro & eius cõplicibus iustissima sententia confutauit. Marcianus præterea licet laicus, Christianissimus tamen Imperator, catholicæ fidei amore succensus, prædecessori nostro sanctissimo papæ Iohanni scribens, aduersus eos qui sacra mysteria prophanare contendunt, inter cætera sic loquitur, dicens: Nemo clericus uel militaris, uel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Christiana publicè conetur in posterũ tractare. Nam iniuriam facit iudicio reuerendissimæ synodi, si quis semel iudicata & rectè disposita reuoluere, & iterum disputare contendit: & in contemptores huius legis, tanquam in sacrilegos, pœna nõ deerit. Igitur si quis clericus erit, qui publicè tractare de religione ausus fuerit, à consortio clericorum remouebitur. Dolemus autem, quoniam sicut uestrarum literarũ inspectione, & missis à fraternitate uestra nobis errorum capitulis cognouimus, in nouissimis diebus, quãdo instant periculosa tempora, M. Petri Abailardi perniciosa doctrina, & prædictorũ hæreses, & alia peruersa dogmata catholicę fidei obuiantia, pullulare cœperunt. Verùm in hoc maximè consolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus, quòd in partibus uestris pro patribus tales filios suscitauit, & in tẽpore Apostolatus nostri in Ecclesia sua tam præclaros uoluit esse pastores, qui noui hæretici studeant calumnijs obuiare, & immaculatam sponsam uni uiro uirginem castam Christo exhibere. Nos itaq;, qui in cathedra sancti Petri, cui à Domino dictum est, Et tu aliquando cõuersus confirma fratres tuos: licet indigni residere conspicimur, cõmunicato fratrũ nostrorum episcoporum cardinalium consilio, destinata nobis à uestra discretione capitula, & uniuersa ipsius Petri dogmata, sanctorum Canonum authoritate cum suo authore damnauimus, eiq; tanquam hæretico perpetuum silentiũ imposuimus. Vniuersos quoq; erroris sui sectatores & defensores à fidelium consortio sequestrandos, & excõmunicationis uinculo innodandos esse censemus. Datum Laterani 12 calend. Augusti.

Petrus damnationem sui dogmatis à Romana ecclesia confirmatam cognoscẽs, ad Cluniacense cœnobium se contulit, apologeticum scribens, prædictorum capitulorum partim uerba, ex toto autem sensum negans, qui sic incipit: Ne, iuxta Boetianum illud, prooemijs nihil afferentibus tempus teratur, ad rem ipsam ueniendum est, ut innocentiam meã ipsa rerum ueritas potius, quàm uerborum excuset prolixitas. Hæc autem pauca de multis cõtra eum posita sufficiant capitula: Quòd pater sit plena potentia, filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potẽtia. Quòd Spiritus sanctus non sit de substantia patris. Quòd Spiritus sanctus sit anima mundi. Quòd Christus non assumpsit carnem, ut nos à iugo diaboli liberaret. Quòd non peccauerunt qui Christum ignoranter crucifixerunt. Ipse uerò non multis pòst diebus, coram fratribus suis fidem suam humiliter exponens, in eodem uitam finiuit cœnobio. Otto Frisingensis lib. 1. de Friderico, capite 48. & 49. Vincentius libro 27. capite 83. Antoninus titul. 17. cap. 1. parte 5. Chronicon Hirsaugiense, Continuator Sigeberti, Bergomensis lib. 12. Platina refert sub Lucium 2. Antoninus tit. 17. cap. 1. & 5. Sabel. Ennead. 9. libro quarto.

LONDINI ALIA, PRO CLERICIS.

VVilhelmus Vuintoniēsis Londini cōcilium celebrat, anno Domini 1144. Causa est, quòd schismatis cuiusdam gratia in Angliæ regno parùm reuerenter clerici tractarentur.

Decretum igitur fit, Ne quis ecclesiam aut cœmiterium uiolans, aut in clericum aut religiosum uiolentas inferens manus, ab alio, quàm ab ipso papa, absolui posit. Et hæc fiebant candelis incensis ac pulsatis campanis. Matth. Parisius, Vuilhelmus Neubrigensis lib. 1. cap. 10.

DISPVTATIO CONSTANTInopolitana inter Manuelem Constantinopolitanum Imperatorem & suos Theologos, DE DEO INCARNAto, & de Deo Mahometico.

SCribit Nicetas, Manuelem Comnenum Constantinopolitanum Imperatorem, sui fastigij elatione aulicorumq; inflatione, etiam in sacrosanctam Theologiam plurimum sibi potestatis sumpsisse, adeò ut Theologis suas sententias dictare, eosq; cogere ad assensum, si sponte sua nō nellet, auderet. Libet autem narrationem ex ipso autore subijcere:

Hic quidem Imperator, inquit, natura facundus, & suauis sermonis affluentia ornatus, non elegantes tantùm epistolas scribebat, sed & religionis institutiones parturiebat, ac publicè declamabat. Tandem etiam de diuinis dogmatibus & ipso Deo disserebat. Sæpe etiam dubitationem præ se ferens, quæstiones è Scripturis proponebat, earumque solutiones, eruditis omnibus conuocatis, requirebat. Quanquam in his etiam laudari potuisset, nisi curiositate ingenij eas etiam quæstiones agitasset, quæ attingi se nullo modo patiuntur: aut saltem omissa pertinacia, scripturarum sententiam in multis ad suam opinionem nouis interpretationibus non accōmodasset, ueris declarationibus ueterū repudiatis, quasi ipse totum Christum cōprehendisset, & ab ipso de natura eius dilucidius ac diuinius edoctus esset.

Orta igitur quæstione de illo dicto, quo dicitur, incarnatum Deum simul & offerre & offerri: & eruditis inter se dissentientibus, disceptatio longo tempore est extracta, multis & confirmationibus & confutationibus utrinque allatis. Verùm Imperatore piæ & ueræ sententiæ post solertem controuersiæ explicationem assenso, aduersarij loco moti sunt, ut perperam sentientes, Hypopsephius Theopolitanus, Sotericus Panteugenus Antiochenus, Dyrrachinus Eustathius, Michael Thessalonicensis concionator, Nicephorus Basilaces, qui Paulinas epistolas interpretabatur, & lumine eloquentiæ, Apostolicorum scriptorum obscuritatem altisimo spiritu refertam illustrabat. Ferunt, cum hæc controuersia agitaretur, & publicè disceptanda proponeretur, alieno anni tempore ingens erupisse tonitru, & auribus eorum omnium, qui tum Pelagoniæ cum Imperatore erant, ita insonuisse, ut nonnulli humi prolaberentur. & Eliam quendam, hominem eruditum & celebrem, aperto libro qui de tonitribus & terræmotibus dissereret, & ijs lectis quæ ad tempus illud pertinerent, scriptum inuenisse, Casus sapientum. Itaque nōn ij modò quos diximus, doctorum eruditisimi Ecclesijs pulsi, & omnibus sacris ministerijs interdicti sunt, sed alij quoque unà cū illis. Aliquot annis pōst quæstione de Deihominis dicto, PATER MAIOR EST ME, proposita, parum curatis patrum explicationibus, ijsque uarijs, & ad controuersiæ explicationem & declarationem sufficientibus, suas interpretationes attulit, easque pertinaciter defendit: & ad suam uoluntatem & sententiam, uniuersalium doctorum sententias, non modò ueritati non aduersantes, sed diuinitùs editas, accommodauit. Nam cum alij dicant, patrem, ut filij autorem, dici maiorem: alij de natura humana id intelligant, & id dictum non VERBO, sed assumptæ carni attribuant, ut & illa, de profectione ad patrem, de aduentu principis mundi, qui nihil in ipso inueniat: alij, etsi de VERBO uocem MAIOR accipiant, non absolutè tamen & essentialiter, sed ob inhumanationis summam extenuationem & humilitatem: atq; alij aliter, piè tamen, explicent: ijs nescio quomodo, ut propositæ quæstioni nōn satisfacientibus, improbatis, aliam attulit interpretationem: indictoq; concilio, & omnibus sacrarum literarum studiosis conuocatis, singulos hortatus est, ut ei decreto hoc modo subscriberent: Equidem etiam S. Patrum uoces de illo dicto (PATER MAIOR EST ME) amplector: aio tamen id dictum pertinere ad carnem in eo conditam & pasibilē. Quod nescio quomodo filio incarnato minus tribuit quàm patri: perinde ac si ob naturæ humanæ assumptionem, & peregrinationem in terram, pari dignitate excidisset, ac suam authoritatem amisisset, & intra limites extenuationis constitisset: ac nō deificasset, & extulisset humilia, & sua gloria peruitionem illam ornasset potius, quàm

obstupuerunt. Scripti uerò illius recitator paulisper uelut attonitus, cõpresis labijs astitit, deinde ad Imperatorem reuersus est: qui ea oratione perturbatus, uaria defensione usus est: & patientia, ut nunquam antea, laudata, ut querulos & cauillatores uitaret, se quoque integerrimis Christianis annumerabat, & religiosissimis natum esse parentibus asserebat, & contra Thessalonicensem, iudicium uehementer efflagitabat. Aut enim si absolueretur, ut qui deo pædiconi non crederet, nec de religione perperá sentiret, se iustas pœnas de eo sumpturum, qui contumeliosa uerba in unctũ Domini effutiret: aut si cõdemnatus esset, quasi alium quàm Christiani Deum coleret: ueritatem uelle discere, & gratiam ei non paruam habiturum, qui sibi errorem extorsisset, & ueritatem explicuisset.

Paulo pòst patriarcha in eius conspectũ uenit, & quę res postulabat locutus, effecit, ut iracundia placata, ueniam habitæ orationis, & defendendi sui potestatem Thessalonicensi daret, cum hac tamen castigatione: oportere eum, ut uirum sapientem, ab obscœnitate uerborum sibi temperare, nec effutire temerè, quæ nihil ad rem pertinerent. Postea cum scriptum de eo dogmate publicè recitaretur, & ab omnibus, ut piè explicatum, laudaretur, se libenter subscripturos pollicentibus: concilium est dimissum. Ac illi abibant læti, quòd aduersatione sua Imperatorem uicissent: is uerò gaudebat, quòd eos ad suam uoluntatem flexisset, ac paucis uerbis id consecutus esset, quod antea uerboso scripto impetrare nõ potuisset.

Postridie concilium prima luce iussu Imperatoris in patriarchæ ædibus conuenit, ut facerent quemadmodum promiserant. Verùm illi omnes sentẽtia mutata, subscriptionẽ recusabant, quòd in illo scripto adhuc uerba quædã reprehendẽda laterent: quibus erasis, alia reponẽda essent, quæ cũ uera sentẽtia cõgruerent. Rursus igitur cõmotus Imperator, eorũ uecordiã, inconstãtiã & leuitatẽ apertè insectatus est. Sed illi tandẽ ægrè assenserunt, ut anathema à deo Machometi, in ipsum Machometum & omnẽ eius doctrinam & sectam in catecheticis libellis transferretur. Quo, post multos cõgressus, decreto & confirmato, tandem quieuerũt. Nicetas.

ANTIOCHIAE CONTRA *patriarcham*,

DE HONORIBVS.

Radulphus patriarcha Antiochenus quosdã falsos fratres, ambitione accensos, habet aduersarios: ut & in Schismatibus est dictũ. Hi uerò nunquã quiescunt, donec accito Romani papæ legato, eũ de culmine isto deiecerunt, & prostrauerunt penitùs.

Missus itaq; Albericus Hostiẽsis episcopus, synodum Antiochię instituit, anno Domini 1145. Adsunt igitur de Hierosolymitana diœcesi Vuilhelmus patriarcha, Gaudentius Cæsariẽsis archiepiscopus, Anshelmus Bethleemita episcopus, & Fulcherus Tyrẽsis archiepiscopus, & duo eius suffraganei, Sydoniensis & Balduinus Berythensis. E prouincia Antiochena omnes adsunt, licet diuersis studijs. Nã Stephanus Tarsensis archiepiscopus, Gerardus Laodicẽsis, Hugo Gabulẽsis archiepiscopus, canonicorũ partes contra patriarchã fouebant. Fraco autẽ Hieropolitanus, & Gerardus Coritiẽsis, & Serlo Apamiẽsis, ipsi patriarchæ patrociniũ præstabant. Cęteri pro neutralibus haberi uolebant.

Acta uerò sic exponit Tyrius: Die ergo pręfixa, residentibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ex more in ecclesia principis Apostolorũ, & põtificalibus induti, pręsidente domino legato, & uires domini papæ obtinẽte, lectus est in publico mandatorũ domini papæ tenor. Quo perlecto, diligẽtius & plenius cognito, prodierũt in publicũ accusatores, Arnulphus & Lãbertus archidiaconus: qui licet prius cũ domino patriarcha conuenisset in dolo, & beneficij sui obtinuisset restitutionem, tamen conuersus in actum prauum, denuò se constituit accusatorẽ. Adiunctiq; sunt eis alij etiam cõplures, uidẽtes non satis prosperè tẽpora domino patriarchæ respõdere. Hic etiã erat illud manifestè uerum deprehendere, quod Naso puerbialiter dicendũ tradidit:

Cum fueris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Procedẽtes igitur in publicũ auditoriũ accusatores, paratos se dicũt, secundũ iuris regulas, porrectis libellis accusatorijs, ad accusandũ procedere, & subijcere, si deficiãt, talionẽ. Erãt autẽ capitula, super quib. proposuerãt eũ impetere, schedulis inscripta. Quædã de enormi & indisciplinato, & cõtra regulas sanctorũ patrum, eius in patriarchatum introitu. Quædã de eius incontinentia & operibus simoniacis. His instanter postulantibus, ut se pręsentem exhiberet, mittuntur qui ad synodum solenniter inuitent, & ut ad obiecta ueniat responsurus, moneant: qui omnino uenire refutauit. Ea itaque die nihil amplius processum est in uerbo illo, nisi quòd exhortatorios habuerunt sermones ad inuicem, sicut moris est in talibus. Secunda iterum die conuenientes denuò, & ex ordine residentes, iterum citatorio edicto domi-

num patriarcham solenniter uocant: qui sicut & pridie, omnino uenire noluit. Interim Serlo Apamiensis archiepiscopus, in choro pontificum sine ueste residens nuptiali (non enim more aliorum indutus erat pontificalibus) à domino legato conuenitur, quare reliquis fratribus non consonaret, & quare ad accusandum, sicut aliquando fecerat, non procederet? Respondit: Quod aliquando feci, inconsulto calore, & contra salutem animæ meæ, detrahens patri meo, & more maledicti Cham, uerenda patris discooperiens, operatus sum. & núc ab errore deuio, me, auctore Domino, reuocans, nec eum accusare, nec iudicare præsumptuosè, tẽtabo: sed pro eius statu & incolumitate paratus sum usque ad mortẽ decertare. Præcipitur ergo exire: & data in eum sententia excommunicationis, simul & degradationis, siue iustè, siue aliter, ab omni officio sacerdotali & pontificali depositus est. Tantus enim timor domini principis, in partem legati nimium procliuis, omnes inuaserat, ut iam nulla contradicendi libertas alicui præstaretur. Incendebat eundem principem, minus prouidum & indiscretum, quidam Petrus Armenius, præsidij ciuitatis custos, uir malitiosus supra modum: sperans, quòd si patriarcha deponi contingeret, quendam nepotem suum, Haymericum nomine (quem dominus patriarcha in suam perniciem, eiusdem ecclesiæ decanum fecerat) posset per seductum principem in sedem illam prouehere: quod & factum est. Serlo igitur, siue de facto siue de iure depositus, Antiochia egrediens, in suam diœcesin se contulit: perueniensque ad castrum Harenc, ægritudine præuẽtus, & curarũ anxius pondere lecto decubuit: & conuersus ad parietem, & iniuriarum enormitatem non ferens, expirauit.

Tertia demum die iterum conuenientes, & residentes ex ordine, tertiò dirigunt qui patriarcham peremptorio citent edicto, & ut ueniat obiectis responsurus, moneant. Qui utrum conscientiam ueritus, an contra se synodum inuidiosè collectam sciens, & principis uiolentiam timẽs, pro certo compertum non habemus, uenire, sicut & prius, omnino negauit. Erat autem in palatio suo cum suis familiaribus, multo stipatus equitum & popularium comitatu. Cõuenerãt enim ad eius subsidiũ uniuersi de ciuitate, qui nisi principis timuissent potentiam, legatum cum uniuersis qui in eius depositione conuenerant, urbe cum ignominia parati erant depellere. Videns ergo legatus, quòd ad se uenire nolebat patriarcha, de domini principis confisus patrocinio & uiribus, in palatium ascendit, ibique data in eum depositionis sententia, annulũ & crucem cõpulit uiolẽter resignare. Inde iubẽte legato, principi traditus, & uinculis miserabiliter alligatus, tanquam uir sanguinũ ignominiosè tractatus, apud monasterium sancti Simeonis, iuxta mare in mõte eminentissimo situm, carceri mancipatus est. Tyrius lib. 15. cap. 16. & 17.

HIEROSOLYMIS.

EOdem tẽpore legatus põtificius Hierosolymis celebrat conciliũ, cõuocatis archiepiscopis, episcopis, & alijs ecclesiarũ prælatis, unà cum domino patriarcha, in primitiua & ecclesiarũ matre sancta Syon, tractans ibi cũ eis de ijs, quæ instanti tempori uidebantur conuenire. Cui synodo interfuit Maximus Armeniorum pontifex, immò omnium episcoporum Cappadociæ, Mediæ & Persidis, utriusq; Armeniæ princeps & doctor eximius, qui catholicus dicitur. Cũ hoc etiam de fidei articulis, in quibus à nobis dissentire uidetur populus eius, habitus est tractatus: & ex parte eius promissa est in multis correctio. Tyrius lib. 15. c. 18.

SVB EVGENIO.

TREVERI,

DE LIBRIS HILDEGARDIS.

IN concilio Treuirensi libri Hildegardis ab Eugenio papa, præsentibus multis episcopis Germaniæ & Franciæ & Bernhardo, recepti atq; canonisati sunt. Erford. 89. ex epistola Gebennonis. Tritenhemius in Chronico Hirsaugiensi inquit, decẽ & octo cardinales ibi cum Eugenio fuisse, & Bernhardum aliosq; episcopos plurimos, & Eugenium honorificè Hildegardi scripsisse, easq; literas inserit historiæ.

PARRHISIIS CONTRA *Gilbertum*,

DE TRINITATE.

GIlbertus Porreta episcopus Pictauẽsis, Abailardi subtilitatẽ secutus, philosophicis studijs deditus, quædã de S. Trinitate paulò subtilius, intricatius & periculosius in sermonibus suis proferebat. Duo itaq; eius archidiaconi, Arnoldus & Calo, cũ ipso certamen instituunt: ac res eousq; progreditur, ut ad põtificẽ Romanũ deuoluatur, qui pollicetur synodum. Illi uerò archidiaconi Bernhardum sibi adiungũt, & orant, ut sibi præsidio sit. Otto Phrisingensis lib. 1. de Friderico, cap. 46. Ex hoc autore & reliquam petamus narrationem.

Primũ autẽ Antisiodorũ, pòst Parisios uocatus est. Erãt inter cætera quæ illi obijciebãtur, de diuina maiestate quatuor capitula. Quòd uidelicet assereret, diuinã essẽtiam nõ esse Deũ. Quòd ꝓprietates ꝑsonarũ nõ esse ipsę ꝑsonę. Quòd Theologicæ personę in nul-

in nulla prædicaretur propositione. Quòd diuina natura nõ esset incarnata. Et præter hæc alia minora: id est, Quòd meritum humanum atteñuando, nullũ mereri diceret, præter Christum. Quòd ecclesiæ Sacramenta euacuando, diceret, nullum baptisari, nisi saluandum, & cætera in hunc modum.

Itaq; præsidente cum cardinalibus episcopis, alijsque uiris uenerabilibus & eruditis in iam dicta ciuitate Parrhisijs summo pontifice Eugenio, prædictus episcopus Gilibertus consistorio præsentatur, de his capitulis responsurus. Producuntur contra eum duo magistri, Adam de Paruo ponte, uir subtilis, & Parrhisiensis ecclesiæ canonicus recenter factus, Hugo de Campo florido, cancellarius regis: asserentibus eis, & quasi sub sacramento pollicentibus, se aliqua ex his de proprio eius ore audisse: nõ sine multorũ qui aderát admiratione, uiros magnos, & in oratiõe disserẽdi exercitatos, pro argumẽto iuramẽtũ afferre.

Ibidem dum hinc inde multa sibi obijcerentur, pluriumque impulsationibus ad responsionem de re tam ineffabili cogeretur, inter cætera dixisse traditur: Audacter confiteor, patrem alio esse patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc & hoc. Cuius dicti obscuritatem, tanquam uerborũ prophanam nouitatem, tam impatienter magister Iohelinus Suessionensium episcopus excepit, ut iuxta prouerbium, medium uitando incurreret ripam. Nondum enim auctoritatem illam Augustini legerat, uel fortassis lectam non intellexerat, qua de eodem altissimo loqui gestiens secreto, inter cætera dicit: Sic aliud est Deo esse, aliud subsistere: sicut aliud Deo esse, aliud patrem esse, uel Dominum esse. Quòd enim est, ad se dicitur, pater autem ad filium, & dominus ad seruientem creaturam. Ait ergo prædictus episcopus: Quid est quod dicis, Esse Deum nihil est? Erat quippe quorundam in Logica sententia, cum quis diceret Socratem esse, nihil diceret. Quos præfatus episcopus sectans, talẽ dicti usum haud præmeditatè ad Theologiam uerterat. Quo uerbo omnium penè auditorum ab illo in se retorsit spicula. Post hoc sedato clamore, cum à circumstantibus rogaretur episcopus Gilbertus, ut quare in Theologia personas in tantum distingueret, aperire uellet, breuiter respondit: Quia omnis persona est per se una. Et ita non sine magno multorum qui aderant stupore, conuentus ea die soluitur. Alia rursus die in causam ductus, pulsatusque de nouitate dictionis, eo quòd in prosa de sancta Trinitate tres personas tria singularia uocauerit, N. Rothomagensis archiepiscopus causam aggrauauit, dicens, Deum potius debere dici unum singulare, quàm tria singularia: non tamen sine multorum scandalo, cum Hilarius in libro de Synodis dicat: Sicut duos Deos dicere prophanum est, ita singularem & solitarium dicere sacrilegium est. & item in eodem: Nihil solitarium ex diuinis sacramentis, ad suspicionem audientium, & ad occasionem blasphemantium proferamus.

Episcopus uerò Pictauiensis in præfatis dictis suis se habuisse simplicem sensum testabatur, affirmans, per singularia non Theologicas personas, sed ipsarum excellentiam intellexisse, secundum quod antonomasicè Paulum solemus uocare Apostolum, uel gloriosam Dei genitricem, Virginem singularem, eo quòd nec est, nec fuit, nec erit talis uirgo, quæ uidelicet simul sit mater & uirgo: ea rationis proportione trium personarum excellentiam se considerasse, cum tria singularia diceret, asserebat, cum nec sit, nec fuerit, nec futurus sit talis pater, qui scilicet sit pater & Deus. atque in eundem modum talis filius, talis Spiritus sanctus. Quia uerò personam in Theologia tanquam rem per se unam, prę nominatum uirum intellexisse diximus, in ipsius sensum paulisper introire libet, quatenus eiusdem iudicium dictionis facilius posteris pateat. Ad cuius intelligentiam hæc diuisio præmittenda uidetur: In naturis proprietas substantialis alia uniuersalis, alia est singularis, uel indiuidualis, uel particularis. Indiuidualis alia personalis, alia non. Personam autem à personalitate quasi denominatiuè sumptam uoco, non quam Græci ab anteponendo Prosopon, Latini à personando dicunt: sed eam quam Boetius in libro de Persona & natura, contra Eutychen & Nestorium disputans, à Græcis Hypostasin, non etymologiam uocis, sed rei rationem secutus, personam uocauit, secundum hoc & sic eam definiens: Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. Vniuersalem uerò dico, non ex eo, quòd una in pluribus sit, quod est impossibile: sed ex hoc, quòd plura in similitudine uiuendo, ab assimilandi unione Vniuersalis, quasi in unum uersalis dicatur. Qualis est à plurium similitudine maior corporeitas, minor animalitas, minima uel ultima humanitas significata. Vnde Boetius: Species est forma indiuiduorum, & ultima similitudo. Post hanc enim non similitudo, sed dissimilitudo potius occurrit. Ex quo patet alterum membrum, quare uidelicet singularẽ, indiuidualem, uel particularẽ dixerim proprietatem, eam nimirum quæ suũ subiectũ non

non aſsimilat alijs, ut humanitas: ſed ab alijs diuidit, diſcernit, partitur, ut ea quam ficto nomine ſolemus dicere Platonicas, à diuidendo indiuidua, à partiendo particularis, à diſsimilando ſingularis dicta. Nec opponas, quòd potius à diuidendo diuiduam quàm indiuiduam dici oporteat. Nam cum ſuum ſubiectum non ſolùm ab alijs diuidat, uel diſsimilet, ſed etiam in ſua indiuidualitate & diſsimilitudine tam firmiter manere faciat, ut nec ſit, nec fuerit, nec futurum ſit aliud ſubiectum, quod ſecundum eiuſmodi proprietatem illi aſsimilari queat: melius indiuiduum priuando, quàm diuiduum ponendo uocatur: eiuſque oppoſitum, quod diuidendo pluribus communicat, & communicando diuidit, rectius diuiduum dici debet. Sed notandum, quòd indiuiduum & ſingulare, nõ ſunt ad ſe conuertentia. nam omne indiuiduum ſingulare, ſed non omne ſingulare indiuiduum: hæc enim albedo ſingulare eſt, ſed non indiuiduum. Denique in naturis nullum ſimplex indiuiduum eſſe poteſt. Item, non omne indiuiduum perſonale, ſed omne perſonale indiuiduum, ſecundum præmiſſam ſubdiuiſionem, qua dictum eſt, Indiuiduum aliud perſonale, aliud non: quod ex antepoſita perſonæ definitione facilius patebit. Cum enim omne eſſe ex forma ſit, quodlibet ſubſiſtens rem & nomen à ſua capit forma. Item, cum omnis definitio alterius ſit, & alteri conueniat, non ſine rationis uia altero pro altero uti licet. Perſona ergo à ſuo eſſe, quod ficto nomine perſonalitas dici poteſt, uocabulum trahit: ſed in definitione indiuidua ſubſtantia tantùm perſona non dicitur, niſi cum adiunctione rationalis naturæ. Cuius rei cauſa uidenda eſt apud Græcos, qui dicendi inopes non ſunt, aliud Vſiam, aliud Vſioſin, aliud Hypoſtaſin uocari. At nos Vſiam eſſentiam, Vſioſin ſubſiſtentiam dicere poſſumus, Hypoſtaſin ex Latini eloquij penuria uno non ualentes uerbo exprimere. Nam cum tam apud nos quàm illos ſubſtantia uel hypoſtaſis à ſubſtando notetur: in hoc eſt differentia, quòd noſtra ſubſtantia ad cuncta quæ ſubſtant, eſt uaga: eorum uerò hypoſtaſis ad ea tantùm, quæ in rationali ſubſtant natura, eſt accommoda. Quare Latinus interpres, cum uerbum ex uerbo non poſſet exprimere, maluit ſenſum ex ſenſu retinendo, perſonam potius quàm ſubſtantiam transferre. Vnde & perſonæ prædicta adhibetur definitio: Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Patet igitur, quòd non omne indiuiduum eſt perſona: quia non omnis indiuidua ſubſtantia eſt rationalis natura. ſicut eſſe huius Berilli ſingularis, uel ut conſortio rationis utar, ipſe Berillus uel eſt indiuiduum, uel indiuidua ſubſtantia, non tamen rationalis natura: quamuis etiamſi rationalis naturæ eſſet, tamen nondum plenariè Berillus indiuidua ſubſtantia dici poſſet. Neque enim indiuiduam ſubſtantiam dicere ſolemus eam rem ſingularem, quæ cum alia itidem re ſingulari ad aliquod totum conſtituendum conuenire ualens, non eſt per ſe una. Nam per ſe unum eſt, quod nec actu nec natura poteſt, potuit, poterit cum alio ad conſtituendum aliquod totum concurrere. Ex quo fit, ut hæc anima, quæ ſubſtantia eſt, & rationalis naturæ, tamen quia hoc modo non eſt per ſe una, uel indiuidua, eo quòd cum hoc corpore ad conſtituendum hunc hominem conueniat, non uideatur dici perſona: cum, ſecundum quod oſtenſum eſt, ab ea remoueatur definitio hæc: Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Quare & diffinitum, iuxta Logicorum regulam, A quocunque definitio, & definitum. Hic leo etiam, quanquam præfato modo res ſit per ſe una & indiuidua, tamen quia rationalis natura non eſt, ſecundum ſtrictam perſonæ acceptionem, perſona dici nequit. Reſtat, ut hic angelus & hic homo tantùm plenariè in naturalibus perſonæ uocentur. Prædictus ergo epiſcopus duas in naturalibus regulas ponens, quæ tales ſunt: Diuerſorum ſubſiſtentium diuerſas eſſe ſubſiſtentias, Diuerſarum perſonarum diuerſas eſſe perſonales proprietates: unam à Theologia excluſit, alteram admiſit. Priorem enim, qua totidem dicuntur ſubſiſtentiæ quot ſubſiſtentes, cum ab orthodoxis inter Arrium & Sabellium diuidentibus, tres perſonæ & una credatur eſſentia, penitùs amouit. alterum admittens, cùm nulla perſonalis proprietas in ſancta Trinitate patris ſit quæ filij, uel econuersò. Ex quo perſonam à præmiſſo naturalium uſu, non ab eo quod proſopon uocatur, ad Theologiam tranſſumptam aſſerebat, illud Hilarij frequenter inducens: Abſit ut idem nunc ſe patrem, nunc ſe filium laruali ſimilitudiue mentiatur. Inde eas perſonas per ſe unas dicebat. Quòd autem alio patrem dixit, alio Deum eſſe, nec tamen hoc & hoc: hunc ſenſum habuit, Deus in ſubſtantia prædicatur, pater ad aliquid. quæ diuerſa prædicamenta eſſe etiam in Theologia & libro Boetij, quem de ſancta Trinitate ſcripſit, probatur. nec propter hoc rectè concludi, ſi eſt alio pater, alio Deus, ergo eſt hoc & hoc: cum hoc non

rectè

recte concludatur, nisi prius cõcesso, quòd utraq; de Deo prędicentur in substantiam: ut cum dicimus, Deus est bonus, sapiens, omnipotens. Hæc enim cum prædicentur in substantiam, si diuersa essent, procul dubio Deus esset hoc & hoc. Cum uerò idem sit, Deum esse sapientem, quod bonum: & bene contra usum naturalium liceat dicere, est sapientia bonus, bonitate sapiens. ac si ita in naturalibus procederem: Hæc margarita est albedine candida, candore alba, non est hoc & hoc, sed est hoc. Quid senserit posui, quid sentiendum sit, iudicent alij. Sed hæc hactenus. Nunc ad historię seriem redeamus.

Dum itaq; per aliquot dies iam sæpe dictus episcopus coram summo pontifice de fide sua in ciuitate Parrhisiẽsi discuteret, sentiens papa, utpote uir cautus & religiosus, causæ difficultatem, protelãdam eam usq; ad uniuersale concilium adiudicauit. Erat enim in proxima medianæ Quadragesimę Dominica, apud illius Galliæ metropolim Remis generale indictum concilium, tam ex eo, quòd prætaxatus papa persecutionem populi sui declinando, in Gallijs morabatur: quàm ob hoc, quòd quidam penè laicus hæretici honorem in Vaccis populorum affectans, examini Ecclesiæ reseruandus in uinculis tenebatur. Iste in angulis Galliæ, hoc est, circa Britanniam & Guasconiam, eo quòd remotis ibi à corde Frãciæ populis simplicitas, uel potius (ut ita dixerim) stulticitas, cui facilè error obrepere solet, abundat, uerbum prædicationis assumpserat, Eumque tanquam Dei filium se nominans, multam post se rudis populi traxit multitudinem, dicens, quòd ipse esset per quem omnis oratio concluditur, cum dicimus, Per eum, &c. Hæc Otto Phrisingẽsis libro primo de Friderico, capite 50. 51. 52. 53. 54.

REMIS,

CONTRA EVNDEM.

IGitur tempore euoluto, cum eadem mediana Quadragesima adueniret, dumq; à Turcis populi dispersi Hierusalem tendẽtes, per altum nauigaremus æquor, in basilica Dei genitricis semperque uirginis Mariæ Remis, præsidente summo pontifice Eugenio, sedit concilium. Productus fuit ibi, ut fingere liceat, cum scriptulis suis prędictus Eum, uir rusticanus & illiteratus, nec hæretici nomine dignus, ac pro contumaci fatuitate, uel fatua contumacia sua puniendus, Sigerio abbati S. Dionysij, qui regni negocia ob absentiam regis in Occidentali Francia, iuxta illius cœnobij prærogatiuam, administrabat, commissus: ab eoque arctæ custodiæ mancipatus, uitam breui finiuit. Venerunt ad prædictum concilium cum bulla aurea nuncij iunioris Romanorum regis Heinrici, tam de sublimatione sua ad Imperium Romano pontifici significantes, quàm de tribus fratribus Poloniæ, qui eiecto quarto & seniore, ducatũ intra se diuiserant, ac de episcopis illius prouinciæ, qui super hoc patri ipsorum iuramentum præstiterant, querimoniam facientes. Famæ quoque malum, omnibus motabilibus uelocius, iuxta illud: Fama malum, quo non aliud uelocius ullum Mobilitate uiget, uiresque acquirit eundo. immẽsitatem sali ex naturæ suæ celeritate transuolans, de expeditionis nostræ euentu certa promens indicia, in auribus orcúe omnium ibi uersabatur.

Itaq; finita synodo, salutiferisq; ad innouationem seu confirmationem antiquorũ ibidem promulgatis decretorũ capitulis, prudentiores & uiciniores ad causam episcopi Gilberti determinandam reseruantur. Decursa medianæ Quadragesimæ hebdomada, sacroq; Dominicæ passionis tempore inchoante, episcopus Pictauinus, manente adhuc summo pontifice Remis, rursus ad iudicium trahitur, in cubiculo, ubi urbis episcopus cum senioribus sedit, uocatur, & ab eo quid de fide sanctæ Trinitatis sentiat, subtiliter interrogatur. Ille orthodoxorum patrum, quas non in schedulis, sed in corpore librorum integras attulerat, legi faciens autoritates, eandem se quã illi fidem tenere asserebat. Cumq; huiuscemodi sermone seu legendi prolixitate dies detineretur, tanquam tędio affectus Romanus inquit antistes: Multa, frater, dicis: multa, & ea fortasis quæ à nobis non intelligũtur, legi facis. Sed simpliciter à te cognoscere uelim, an'ne illam summam essentiam, qua tres personas profiteris unũ Deum, credas esse Deum? Qui diutina collatione fatigatus, minus pręmeditatè respondit: Non. Quod dictum mox ab eius ore raptum, notarius excepit, scribens in hunc modum: Episcopus Pictauiensis scripsit & dixit, quòd diuina essentia non est Deus. In Commentario enim super Boetium de Trinitate, ubi auctor Theologica à naturalibus prædicamenta discernens, inter cætera posuit, Substantia qua Deus est: iste apposuit, Non quæ Deus est: id est, ut non ad subsistẽtẽ, sed ad subsistentiã referatur. Sicque in hæc uerba cõuentus eo die dimittitur. Episcopus totũ quod supfuit illius diei spaciũ, cũ nocte sequẽte, amicos suos ex cardinalibus, quos habuit nõ paucos, circuit. In crastino, ipso denuò corã sũmo põtifice in causa posito, recitatur scriptũ, cuius ut ab eo reddatur ratio, exposcitur. Ipse se hoc nõ simpli-

simpliciter concessisse, asserebat. Dicebat enim, hoc nomen Deus quandoq; in designatione naturæ, quandoq; in designatione personæ unius etiam poni. In designatione naturę, ut cum dicitur: Deus tuus unus est. Personæ, cum dicitur: Pater est Deus, filius est Deus. Personæ & unius tantũ de tribus, ut ibi: Ascendit Deus in iubilatione. quod de persona filij dictum esse, nemo ambigit. Quare & aiebat, se, diuinitatem esse Deum, in illo tantùm sensu concedere, quo Deus ponitur pro natura. In eo uerò absolutè concedere non audere, quo pro qualibet personarũ hoc nomẽ Deus accommodatur: ne uidelicet, si indeterminatè profiteretur, diuinitatem esse Deum, id est quamlibet personarum, cogeretur sine determinatione concedere, quicquid de qualibet personarũ, & de essentia: sicq; in hanc incideret absurditatem, ut sicut personam filij, ita diuinam essentiam indeterminatè incarnatam, passam cõfiteretur. Ex qua absurditate facilè sensus hæreticus, iuxta Sabellium emergeret, ut eadem res diceretur & generans & genita, & de eadem seipsam genuisse. Quod autem inter naturam & personam non Mathematica abstractione, sed Theologica cõsideratiõe, quoquo modo diuideret ratio, & ratiõe & autoritate probare nitebatur. Ratione, ne uidelicet iuxta Arriũ, sicut personarũ, ita & pluralitatem admitteret essentiarum: uel secundum Sabellium, ad essentiæ singularitatem Christianæ fidei religio pluralitatem adstringeret personarum, hac Theodorici cõtra Sabellium utens authoritate: Oportet ergo desiderantem spirituales diuitias, & uolentem Christianorum dogmata uendicare, rerum non ignorare proprietatem, ne fortè aliud pro alijs intelligens, circa dogmata peccet. Qui enim naturam & personam idem esse intelligit, aut in diuisionem Arrij incidit, aut in confusionem Sabellij. Et illa Hilarij: Discerne igitur, ô hęretice, spiritum Christi à spiritu Dei, & excitati à mortuis spiritum Christi, à spiritu Dei Christum à mortuis excitãtis. Et quęro nunc, in spiritu Dei utrum naturam, aut rem naturæ significatam existimes? Non idẽ est enim natura, quod naturæ res est: sicuti non idem est homo, & quod hominis est: nec idem ignis, & quod ipsius ignis est: & secundum hoc, non idem est Deus, & quod Dei est. Item, quòd non natura, sed filij persona carnem suscepisse credenda sit, hac authoritate Toletani concilij ostendit: Solum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et cum tota cooperata sit trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera trinitatis: solus tamen accepit hominem in singularitate personæ, non unitate personæ diuinę: id est, id quod est proprium filij, non quod cõmune trinitati. Quam authoritatem cum determinare uellet Clareuallensis abbas, aliqua uerba, quæ cardinalibus displicerẽt, protulit, episcopo Pictauiano dicente, Et hoc scribatur. Ad quod ille respondit: Scribatur stylo ferreo, ungue adamãtino. Moxque ad publicum progressus, omnes quos poterat conuocauit. Ibi cum archiepiscopis, uirisq; religiosis & eruditis, contra quatuor prædicta, quæ Pictauiano episcopo imponebãtur, capitula, fidem suam in hunc modum ipse cum alijs, & alij cum ipso exposuerunt: Credimus simpliciter, naturam diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin diuinitas sit Deus, & Deus diuinitas. Si uerò dicitur, sapientia sapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, unitate unum, diuinitate Deum esse, & alia huiusmodi: credamus, non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse: nõ nisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse: non nisi ea æternitate, quę est ipse Deus, æternum esse: non nisi ea unitate, qua ipse est, unum esse: non nisi ea diuinitate Deũ, quę est ipse: id est, seipso sapientẽ, magnũ, æternum, unum Deum. Cum de tribus personis, patre, filio, Spiritu sancto loquimur, ipsas unum Deum, unam diuinam substantiam fatemur esse: & econuersò, cum de uno Deo, una diuina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam diuinam substãtiam, esse tres personas, profitemur. Credimus solum Deum patrem & filium & Spiritum sanctum æternum esse, nec aliquos omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, uel unitates dicantur, & huiusmodi, alia à Deo esse, quæ sint ab æterno, & non sint Deus. Credimus ipsam diuinitatem, siue substantiam diuinã, siue naturam diuinam dicas, incarnatam, sed in filio esse.

Quod Gallicanæ ecclesiæ factum, tam grauiter sacer cardinalium senatus accepit, ut cum magna mentis indignatione curiã intraret, & tanquam unum corpus effecti, una omnes uoce pontifici suo dicerent: Scire debes, quòd à nobis, per quos tanquam cardinales uniuersalis Ecclesiæ uoluitur axis, ad regimen totius Ecclesiæ promotus, à priuato uniuersalis pater effectus, iam deinceps te non tuum, sed nostrum potius esse oportere, nec priuatas & modernas amicitias antiquis & communibus præponere, sed omnium utilitati consulere, Romanæq; curiæ culmen ex officij tui necessitudine curare & obseruare debere. Sed quid

fecit

fecit abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? qua fronte, quo ausu, ceruicem contra Romanæ sedis primatum & apicẽ erexit? Hæc est enim sola quæ claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide catholica discutere habens, à nullo etiam absens in hoc singulari honore præiudicium pati potest. Sed ecce, Galli isti etiam faciem nostram contemnentes, super capitulis quæ his diebus nobis assidentib. agitata sunt, tanquam finituræ sententiæ ultimam manum apponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt. Certè si in Oriente, utpote Alexandria uel Antiochia, coram omnibus patriarchis huiusmodi tractaretur negocium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra diffiniri ualeret autoritate: quinimò iuxta antiquorũ patrum instituta uel exempla, Romano seruaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra præsentia usurpare audent, quod etiam remotioribus & maioribus nobis non licet? Volumus igitur huic tam temerariæ nouitati celeriter assurgas, ipsorumq; contumaciam punire non differas. Quos Romanus pontifex blando mitigans eloquio, abbate ad se uocato, de hoc facto qualitatéue facti solerter inquirit. Cui ille humiliter & cum reuerentia respondit, se uel dominos episcopos nihil de præfatis capitulis diffinijsse: sed quia ab episcopo Pictauino audierat, ut fides sua scriberetur, idcirco quia solus nollet, illorum authoritate ac testimonio simpliciter se quod sentiret, exposuisse. Hocq; tam humili quàm modesto ipsius responso, prædicta cardinalium indignatio conquieuit: ita tamen, ut præfatum scriptum, tanquam inconsulta curia prolatum, uelut authoritatis pondere carens, pro symbolo in Ecclesia, quod in concilijs contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur. Benedictus per omnia Deus, qui sic Ecclesiæ suæ, sponsæ suæ prouidit, ne uel summa membra à capite suo dissiderent, uel tantus religiosarum & discretarum personarum numerus Gallicanæ Ecclesiæ aliquod iudicij pondus à sede Romana reportans, schismatis nõ parui occasio esset. Hæc pauca ex multis de illius concilij agenda dixisse sufficiat, hoc tamen apposito, quòd de tribus capitulis propter præmissam tumultuationem nihil diffiniri potuit. Nec mirum, in quarto enim non multùm ab alijs discordabat episcopus Gilbertus, cum illi profiterentur naturam incarnatam, sed in filio: iste personam filij incarnatam, non sine sua natura. De prædicatione personarum quid diffinirent, cũ eius usum quidem, quid scilicet propriè prædicari diceret, ab alijs magistris etiam in naturalibus alienum non haberent? De proprietatibus, an personæ essent, tam ob prędictã causam, quàm ob Theologicas rationes, quæ hinc inde habentur, suppressum est. De primo tamen Romanus pontifex diffiniuit, ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & personam diuideret, néue Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tantùm, sed etiam nominatiui. Vnde adhuc etiam à probatioribus eiusdẽ episcopi auditoribus tenetur, ne ratio ibi discernat in intelligendo, sed in dicẽdo. Episcopus uerò præmissam summi pontificis sentẽtiam reuerenter excipiens, archidiaconis suis in gratiam receptis, cum ordinis integritate & honoris plenitudine ad propriam diœcesin remeauit. Vtrum autẽ prædictus abbas Clareuallẽsis in hoc negocio ex humanæ infirmitatis fragilitate, tanquam homo, deceptus fuerit, uel episcopus, tãquam uir literatissimus, propositum astutè celando, Ecclesiæ iudicium euaserit, discutere uel iudicare nostrum non est. Quòd enim sancti & sapientes uiri, corruptibili carne circumdati, frequenter in talibus fallantur, & nouis & antiquis probatur testimonijs. Otto Phrisingensis lib. 1. de Friderico, cap. 55. 56. 57. Vincentius lib. 27. cap. 86. Continuator Sigeberti, Antoninus tit. 17. cap. 1. §. 7. Nauclerus generatione 39. Item in uita Bernhardi lib. 3.

Quidam existimãt, & decreta aduersum monachos ibi per Eugeniũ papam esse promulgata, ut:

Ne monachus lucri causa cœnobium relinqueret.

Ne monachus uel puerum baptismo ut testis leuaret, uel baptizaret.

Ne monachus pœnitentiam daret, ne infirmos inuiseret, & ne in mortui funere esset.

Ne monachus ecclesiam secularem gubernaret.

Ne coniuges uitam monasticam profiterentur sine consensu sui episcopi.

Matrimonij ius non debere solui inter eos coniuges, quorũ alter tantùm uult monasticam uitam amplecti.

Monachos non debere se implicare ullis negocijs, sed sedere debere in sua monastica solitudine.

Quia passim bonæ artes negligebãtur, mãdauit episcopis, ut curarẽt scholas erigi, & doctos præceptores iuuẽtuti præfici, qui liberales artes docerent. Dist. 37. Facta sunt hæc anno 1148. Erfurd. cap. 90.

IN FRANCIA, DE BELLO SACRO.

EVgenio pontifice assentiẽte, anno Domini 1150. per Franciam cõuentus agi-

tantur, de mittendis auxilijs Hierosolymā contra barbaros. Hac quidem in re strenuè laborat Bernhardus. Sed Cistercienses monachi pleraq; cassant. Cont. Sigeb.

LINCOPIAE,
DE ARCHIEPISCOpali sede.

NIcolaus Anglicus, cardinalis Albanēsis, Romæ postea Hadrianus 4. nominatus, nomine Eugenij in Sueciam profectus, celebrato Lincopiæ concilio, archiepiscopalem sedē ibi constituit erigere. Verùm dissidentib. Gothis & Sueonib. de urbe & persona, re infecta discessit, prius Heinrico Vpsalensi episcopo ordinato. Iohannes Magnus lib. 18. historiæ Gothorum, cap. 18.

SVB FRIDERICO.
SVB HADRIANO IIII.
CONSTANTIAE,
De diuortio Imperatricis.

ANno 1153. Constantiæ est concilium habitum de Adila Friderici primi Imperatoris coniuge, filia Diepoldi de Hochburg. Eam uerò ab Imperatore separant patres ob consanguinitatis rationem, ac permittunt ei, ut alteram ducat, nempe Beatricem Burgundinam. Vrspergensis.

LONDINI ALIA.

STephanus Angliç rex ultimo regni sui anno, circa festum Michaelis, cum episcopis & nobilibus Angliæ concilium Londini celebraturus, tum pro regni, tum uacātis ecclesiæ Eboracensis negocijs, euocat maiores eiusdem ecclesiæ, cum abbatibus atque prioribus eiusdem diœcesis: qui instigati à Cantuariensi archiepiscopo, Rogeriū quendam, suæ ecclesiç archidiaconum, episcopum petunt & accipiunt. Neubrig. lib. 1. cap. 32.

BAVGENTIACI,
DE REPVDIO REgina Galliæ.

CIrca illud tempus & rex Galliæ Ludouicus iunior, suam coniugem Leonoram repudiat. Nā uocata synodo, sunt qui asseuerent & iurent, reginam nimis propinquo sanguinitatis gradu regi iunctam. Fertur igitur de repudio sententia. Adsunt aūt Hugo Senonensis huius rei choragus, Samson Remensis, Hugo Rothomagēsis & Burdegalēsis archiepiscopi, & suffraganei ipsorum, optimates ac barones regni. Ammonius lib. 5. cap. 53. Paulus Æmylius sub Ludouico iuniore.

CISTERCIENSE.

CIrca hæc tempora Cisterciense concilium habitū est Morimundi: ubi Cōradus Lubecensis archiepiscopus eiectus, reconciliatus est Alexandro. Helmoldus libro 2. capite 9. de Sclauis, Cuspinianus in Austria.

VESONTII.

HArtuicus Bremēsis ibi querelam suā exposuit, quòd à Romanis pontificibus sua dignitate spoliaretur. Nam eos tribuere Septētrionalibus regionib. archiepiscopos, contra prærogatiuam Hamburgensis ecclesiæ. Sed rex Daniç simulauit, se causis necessarijs domum reuocari. Deinde episcopi uerebantur, aliquid contra papas decernere. Nihil igitur effectum est. Crantz. Metrop. libro 6. capite 46. Item in Vandalia lib. 4. cap. 31.

PAPIAE,
DE ANTIPAPIS.

SVblato è rebus humanis Hadriano, scinduntur eligentium uota in duas factiones. Alij enim Octauianum, alij uerò Rolandum designāt, ac promouere omni studio cupiunt. Hinc schisma ambitionis exurgit: qui spōtè uelit cedere, neuter est. Re igitur ad Imperatorem perlata, qui in uicinia bellum gerebat, utrosq; Papiam euocat, anno Domini 1160, ut causam dissensionis cognosceret, & episcoporum iudicijs cōtrouersia sublata, Ecclesia paci restitueretur.

Sed Rolandus, dictus Alexander tertius, recusat uenire: quia indignum pontificali culmine ducebat, ab Imperatore, quātumuis legitimo magistratu, uocari papam Romanū: ac malebat ui ac arte retinere dignitatē, quàm in discussione iuris in periculū aliquod honoris adduci. Monitus aūt sæpius, pertinaciter ac superbè suū aduentū denegauit. Blondus ait, Rolandū huic fundamento institisse, pontificem Romanū à nemine oportere iudicari. lib. 5. decad. 2.

Iam uerò acta ex Radeuico Phrisingensis Continuatore audiamus: Augustus, inquit, commonens omnes, ieiuniorum & orationum subsidijs Ecclesiæ catholicæ causam Deo commendari, cum sacerdotib. & omni populo auxilium diuinū, fida Sanctorū intercessione, poscebat. Deinde conuocato in unū concilio, cum resedisset, ait ad episcopos: Quamuis nouerim, officio ac dignitate Imperij penes nos esse potestatem congregandorū conciliorū, prçsertim in tantis Ecclesiæ periculis: hoc enim & Constantinus & Theodosius, nec nō Iustinianus, seu recentioris memoriæ Carolus Magnus & Otto Imperatores fecisse memorantur: authoritatem tamen diffiniendi huius maximi & summi negocij, uestræ prudentiæ uestræq; potestati committo. Deus enim constituit uos sacerdotes, & potestatem uobis dedit de nobis quoq; iudicandi. Et quia in his quæ ad Deum sunt, non est nostrum de uobis iudicare, tales uos & taliter in hac

causa hortamur habere, tãquam solius Dei de uobis expectantes iudicium. Cum hæc dixisset, ipse se concilio subtraxit, examen totum Ecclesiæ & Ecclesiasticis, qui ibi innumerabiles erant, personis committens. Erant autem circiter quinquaginta archiepiscopi & episcopi, abbatum, præpositorũ non erat præ multitudine æstimatio. Legati quoq; diuersarum terrarum aderant, spõdentes, quicquid à synodo decretum foret, indubitanter à suis recipiendum.

Residentibus itaq; episcopis & clero uniuerso, septem diebus causa uentilata est: tandemq; domino Octauiano, qui cũ præsens aduenisset, & haberet qui partem suã defenderent, cessit litis uictoria, & pro ipso concilium dedit sententiam, condemnato Rolando & reprobato, qui citatus legitimè, concilio se præsentare contumaciter abnuisse dicebatur. Sæpius autem Lectorem admonitum esse cupimus, & in hoc facto ad disquirendam rerum ueritatem non nostra dicta consulat: sed literis & scriptis, quæ ad manus nostras uenerunt, & huic operi inferendæ uisæ sunt, innitatur, suo seruans arbitrio, quando de hac controuersia & litis decisione, concilijq; iudicio sufficienter sibi fides facta uideatur.

Inuictissimo & gloriosissimo domino suo Friderico Romanorum Imperatori & semper Augusto, & uenerabilibus patribus in Christi nomine congregatis, fratres qui Romæ sunt, basilicæ sancti Petri principis Apostolorum canonici, angeli magni consilij præsentiam, & Spiritus sancti consolãtem gratiam. Patres sanctissimi, quos Deus elegit ad consolationem mœrentium, & delinquentium correctionem, sicut ait Apostolus, Corripite inquietos, cõsolamini pusillanimes: intendite precibus nostris, & ad dolorem nostrum leniendũ consolationis manum extendite. Tanta est enim, tam diffusa mœroris nostri materia, ut unde debeamus exordium sumere, difficulter possimus inuenire. Verùm quia materia doloris est & mœroris, à luctu & mœrore ordiri decreuimus. Attẽdite ergo & uidete, si est dolor sicut dolor noster, cũ uideamus matrem nostrã Romanã ecclesiã quondã fulgẽtem, à filijs suis, imò alienis, quia mentiti sunt ei, quos enutriuit & exaltauit, ipsi aũt spreuerunt eam, contumeliosè euisceratã, & mẽbris ex parte mutilatam, in cœno iacẽtem, contumeliã iacturãq; suã nec sentientẽ. Vnde cũ Hieremia plorante suæ Hierusalẽ destructionẽ, plorãtes dicimus: Non crediderunt reges terræ, & uniuersi habitatores orbis, quoniã ingrederetur hostis & inimicus per portas Hierusalem. Verè Hierusalẽ erat mater nostra Romana ecclesia, quæ cunctis ad se uenientibus & quærentib. pacem dabat. Nunc aũt & dolentes dicimus, ut olim illa: Peccatum peccauit nostra Hierusalem, propterea instabilis facta est. Nec immeritò. Propter peccata Prophetarũ eius, & iniquitates sacerdotum eius, errauerunt cæci in plateis: facies Domini diuisit eos. Et uerè. Vultus enim Dñi super faciẽtes mala, ut perdat de terra memoriam eorũ. Vnde plurimo rubore diffundimur. Verè peccatũ peccauit hoc tẽpore nostra Hierusalẽ, inuidia & odio & iniquitatib. multis: quę quia per omnia longum est enarrare, ad ostendendã Romanam electionẽ, & causam discordiæ declarandam, propositum conuertemus. Domino igitur papa Hadriano felicis memoriæ, prima uigilia calend. Septemb. uiã uniuersæ carnis ingresso, cõuenit ilicò maxima multitudo, cum quibus & senatores adfuerunt: quorũ consilio corpus Romam delatum est. Inter cardinales uerò contentione crescente, cõuenit tandẽ inter eos, ut Romam redirent, & concordem electionẽ facerent de aliquo cardinaliũ. Quòd si non possent, quęrerent extraneã personã. Quòd si nec sic possent conuenire, ab electione quiescerẽt, donec inuenirent idoneũ uirũ, quem concorditer eligere deberent. Et hoc unanimiter ab omnib. confirmatũ est. Post hoc aũt statim Romam redierũt. Dominus Octauianus & quidam alij accesserunt ad obsequiũ defuncti. Quidam uerò alij præmiserunt auctorem scelerũ Bosonẽ, primogenitum satanæ, ut munitionẽ beati Petri occuparet, cuius custodes fidelitatem ei iurauerant, domino papa Hadriano uiuente, eumq; postea subsequentes eandem munitionẽ conscẽderunt. Dominus aũt Thusculanus palatium ascẽdit. Dñs Octauianus & dominus Rolandus cãcellarius ad domos nostras uenerunt, & quidã alij. Vocati autẽ isti ab illis qui munitionem obseruabant, respõderunt, se nunquã ascẽsuros in munitionem, Bosonẽ uerẽtes, ne sicut eis relatũ fuerat, à iuratis Bosonis caperentur. Et dñs cancellarius: Vadam, inquit, & eos ad uos descendere faciã. Iuit cum eo diaconus de carcere, nec redierunt: & sic per biduum de loco ubi electionẽ facerent, cõuenire nequiuerunt. Tandẽ die sabbati descendentib. illis de munitione, ascẽderunt omnes post altare beati Petri, & cœperũt de electione tractare. Cumq; cõuenire nõ possent, dixerũt isti qui concordiã & pacẽ Ecclesiæ desiderabant: Datæ nobis electionem, & eligemus unũ de uobis: aut habeatis uos electionẽ, & eligite quẽ uultis de nobis unũ. & noluerũt. Surrexit tandẽ uelut iratus Otto diaconus S. Georgij, & Adebaldus Crassus cardinalis S. Apostolorũ, & Iohãnes Neapolitanus, &

accepto manto, uoluerūt immātare dominū Rolandū cancellariū: sed saniore & meliore parte cardinaliū ex parte Dei omnipotentis, & beatorū principum Apostolorum Petri & Pauli, atq; totius Ecclesiæ authoritate prohibēte, nō potuerunt. Facta autem hac prohibitione, iterū eum immantare attentauerunt, nec potuerūt, & cancellarium cum manto nullo modo tetigerūt: per eos tamen nō stetit quin immātaretur. Cæterū clerus Romanus, qui in ecclesia beati Petri pro electione summi pontificis cōuenerat, audito clamore cucurrerunt, circumdantes dominū Ottonē, qui erat cū cardinalib. iuxta altare beati Petri, & clamauerūt omnes, dicentes: Dominū Octauianum eligite, per quem solū Ecclesia pacē potest habere. Tūc petitione populi Romani, & electione totius cleri, consentiente & desiderante uniuerso capitulo basilicæ beati Petri, dominus Octauianus cardinalis à saniori parte cardinaliū electus est, & manto indutus, ac in sede beati Petri positus, absq; omni contradictione, cātantib. omnibus: Te Deū laudamus, in iubilo. Deinde, sicut mos est, domini cardinales & clerus Romanus totus qui præsens erat, & qui postea cōfluxerat, populiq; Romani pars maxima, pedes eius osculati sunt. Quod uidens dominus Rolandus cancellarius, & qui ei, sicut dicebatur, iuramento erant astricti, nec clamauerunt, nec aliquo modo contradixerunt: sed inclinato capite redeūtes, munitionē quasi spe sua frustrati conscēderunt. Tunc domini cardinales, clerus, iudices, scriniarij, senatores, populus Romanus dominum electū, signis bandonis præcedentibus, ad palatiū usq; cum iocunditate perduxerunt, Romano more clamantes: Papa Victore S. Petrulo lege. In crastinum autem quidam de clero Romano ascenderunt munitionem, & osculata manu domini cancellarij, cœperunt eum, & qui cum eo erant, rogare, ut paci Ecclesiæ prouideret. Quidam autem de diaconis curiæ respōdit eis uelut indignās: Heri pedes domini Octauiani, qui fratrem suum dominum cancellarium exuit manto, & se induit, estis osculati, & modò uenitis ad nos? Et dominus cancellarius: Noli, ait, domine cardinalis, dicere quod uerum non est. Dominus Octauianus nunquam exuit me manto, quia nunquam indutus fui. Sicq; per totam hebdomadam illā domino cācellario & suis in ecclesia beati Petri morantibus, nono die transcendentes trans Tyberim, eo die & altero commorantes, xi exierunt, & peruenerunt ad cisternā Neronis, in qua latuit Nero fugiēs Romanos insequentes. Iustè cisternam adierunt, quia dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non ualent aquas. Et ibi die altero, qui 12 erat ab electione domini Victoris, induerunt cancellarium stolam & pallium erroris, in destructionem & confusionem Ecclesiæ, ibique primùm cantabant: Te Deum laudamus. Quis uestrûm, ô sanctissimi patres, audiuit talia? Quantū in eis est, biceps hodie facta est Romana ecclesia. Nunc tacendum nobis est, ut dominus Otto palatinus comes, & dominus Guido comes de Blandera, & dominus Heribertus præpositus, uiri prudentissimi, Imperatoriæ maiestatis legati, uicem accipiāt referendi quid in domino cancellario & suis repererint. Qui cum nota retulerint, domini episcopi, domini Imperatoris legati, quid hinc inde humilitatis & ueritatis cognouerint, plenius potuerunt enodare. In urbe quoq;, cum Romanus clerus ad ecclesiam beati Petri, ipsis præsidentibus, cōueniret, quid de facto isto persenserint, quoniam præsentes esse credimus, referāt ipsi: & ad hoc comprobandum duos de fratribus nostris, Petrum Christianū ecclesię nostræ decanum, & Petrum Guidonis camerarium sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconum, sanctitati uestræ transmittimus, ut de his omnibus etiam ueritatis testimonium uiua uoce perhibeant. In cœna Domini estis, in qua redemptionis humanæ sacramenta peregit. Duos gladios se habere Apostoli professi sunt, quos & uos habetis: quid in eis & per eos agere debeatis, nullus ignorat. Ibi dictum est à Christo: Satis est. Et nos, qui Christi uestigia sequi debemus, uobis dominis nostris dicimus, huic operi finē facientes: Satis est. Omnipotētis sapiētia patris, qui nouit & potest unire uota & uoluntates omnium, doceat uos omnes, & uniat ad cōfusionem Babylonicam destruendam, & simoniam ab Ecclesia propellendam, & pacem toti mundo desiderabilem in integrum reformandam.

Actio concilij, quæ uerbis simplicibus in scriptum redacta, item ponēda uidebatur.

Hæc sunt capitula, quæ in concilio Papiæ super electionem domini papę Victoris canonicè probata sunt: Dominus Octauianus, & nemo alius, Romæ in ecclesia beati Petri, petitione populi & consensu, ac desiderio cleri, à cardinalib. manto indutus est solenniter: & præsente cancellario, & non contradicente, in cathedra beati Petri collocatus est: & à cardinalib. & clero Romano, Te Deum laudamus, solenniter ei cantatum est, & nomē ei Victor impositum est. Ibi multitudo cleri & populi Romani uenit ad pedes eius. Tunc scriniarius secundū antiquā Romanorū consuetudinem ascen

dens

dens in altum, uoce magna clamauit ad populum, dicens: Audite ciues Romani & cœtus Reipub. Secunda feria pater noster Hadrianus mortuus est, & proximo sequenti sabbato dominus Octauianus, cardinalis sanctæ Ceciliæ, in Romanum pontificẽ electus & inmantatus est, & in cathedra B. Petri collocatus est, & papa Victor est nominatus. Placet uobis? Respõdit magna uoce clerus & populus, Placet. Secunda & tertia uice interrogatus populus si placeret, clara uoce respondit, Placet. Deinde cũ bãdis & alijs papalibus insignib. dominus papa cũ laudibus in palatiũ deductus est. His itaq; ritè peractis, capitulũ beati Petri statim uenit ad pedes eiusdẽ papæ Victoris, & obediuit, ac debitã reuerentiã exhibuit: clerus & populus, multitudo magna, similiter obediuit. Sequenti uerò die proxima rectores cleri Romani accedentes ad dñm cancellariũ, & ad cardinales qui cũ eo erant, uoluerunt cognoscere si immantatus esset, sicut quidã dicebant: & nõ inuenerunt eum inmantatũ, neq; aliqua specie dignitatis uariatum: & habito cũ eo & cardinalib. suis colloquio, cognouerunt ab ore eius & suorum, quòd nunquam fuerit inmantatus, & quòd hoc ei falsò imponebatur. Quo audito & cognito, rectores ad pedes domini papæ Victoris uenerunt, & obedientiam & reuerentiam exhibuerunt. De omnibus supradictis capitulis testes fuerunt, Petrus Christianus decanus basilicæ beati Petri, & omnes fratres eius, & duo rectores cleri Romani, Blasius scilicet presbyter, & Manerius presbyter, & septem archipresbyteri Romanæ urbis, & quatuor alij tam diaconi quàm subdiaconi. Deinde prior Lateranensis & sui canonici obediuerunt. Clerici de patriarchia S. Mariæ maioris obediuerunt. Abbas de patriarchia S. Pauli per suos nuncios obediuit, & in signum obedientiæ de bonis suæ ecclesiæ illi misit. Abbas de patriarchia S. Laurentij cum suis monachis obediuit. Abbas Cirengij obediuit. Abbas S. Syluestri cum suis monachis obediuit. Conuẽtus sanctæ Sabeę obediuit. Abbas sancti Alexij in monte Auentino cũ suis fratribus obediuit. Abbas S. Blasij cũ suis monachis obediuit. Conuentus monachorum S. Cosmæ & Damiani in monte Auentino cum suis fratribus obediuit. Magister fratrum templi Hierosolymitani in monte Auentino cum suis fratribus obediuit. Cardinalia S. Marcelli obediuit. Clerici de cardinalia S. Apostolorum obediuerunt. Clerici de cardinalia S. Petri ad uincula obediuerunt. Clerici de cardinalia S. Sabinæ obediuerunt. Cardinalia S. Ciriaci apud Thermas Diocletiani obediuit. Clerici de cardinalia S. Marię trans Tyberim obediuerunt. Clerici de cardinalia S. Nicolai in carcere obediuerunt. Clerici de cardinalia S. Marię in porticu obediuerunt. Monasterium S. Agathæ obediuit. Archipresbyter S. Apollinaris obediuit. Archipresbyter S. Triphi obediuit. Archipresbyter S. Bartholomęi obediuit. Ecclesia S. Celsi obediuit. Ecclesia S. Mariæ in monasterio obediuit. Archipresbyter S. Vincentij cum suis obediuit. Ecclesia S. Mariæ in Palaria obediuit. Ecclesia S. Saluatoris de Curte obediuit. Archipresbyter S. Catharinæ cum suis obediuit. Archipresbyter S. Thomæ de Parrione obediuit. Archipresbyter S. Anastasiæ cum suis obediuit. Archipresbyter in mõte Celso cum suis obediuit. Et multæ aliæ Ecclesiæ & monasteria obediuerunt, quas uix enumerare ualemus. Post promotionem domini Victoris, canonici beati Petri miserunt ad Rolandum cancellarium canonicos suos, qui uiderent an esset immantatus, sicut quidam credebãt, aut aliquo modo promotus. Vnde bis missi inquisitores, bis retulerunt, eũ non esse immantatum, nec aliqua promotionis specie uariatum. Sequenti uerò die, ut omnis dubitatio tolleretur, miserunt canonici quosdam de suis, ut mensæ cardinalium qui intererant, interessent, & uiderẽt, si saltem in mensa locum digniorem solito obtineret, aut etiam benedicendo mensę primus esset, uel aliquo modo inter cardinales loco, uel dignitate, uel ueste dignior haberetur. In quibus omnibus nullo modo senserunt eum promotum, uel mutatũ. Atque in hunc modum perscrutati sunt canonici statum cancellarij per singulos continuos octo dies. Basso & Iohannes de Romano dicunt: Postquam cancellarius, sedẽte domino Victore in cathedra, in munitionem se recepit, Iohannes Phisutus clericus, & Iohannes de Bucca lata laicus, uoluerunt immantare cancellarium: qui cum iniuria repulit eos, dicẽs: De me non facietis ridiculum, ibi est papa, ite ad eum, & obedite ei. Presbyter Blasius & presbyter Manerius, rectores Romani, dicunt, se cum tribus alijs rectoribus cleri sequenti die post promotionem domini Victoris accessisse ad cancellarium, & ad omnes cardinales qui cum eo erant, & non uiderunt eum immantatum, nec aliquo modo promotum: & antequam discessissent, audierunt duabus uicibus ab ore cancellarij, quòd nec erat nec fuit immantatus. In præsentia ipsorum rectorum, qui ibi erant, testificatus est Otto cardinalis de carcere, quòd dominus Octauianus nullam uiolentiam uel iniuriam intulit cancellario. Item dixit Otto: Pro nihilo hoc scribitur domino cancellario,

quia nullus ei mantum abstulit, quia nunquam habuit. His omnibus ita peractis & cognitis, rectores isti iuerũt ad dominum Victorem, & obedientiam ei fecerunt, & præceperunt clero, ut ei obediret. Quod & factum est. Presbyter Barro & presbyter Iohannes, capellani de cardinalia cancellarij, dixerunt, se sequẽti die post promotionem domini Victoris ad cancellariũ accessisse, & dixisse ad eum sic: Audientes uos esse immantatum, gaudebamus: & nunc quia aliter uidemus, dolemus. Qui dixit eis: Pro me nolite gaudere uel dolere, quia ego nec sum nec fui immantatus: ite & obedite ei quem uidetis immantatũ. Hęc uerba ab ore cãcellarij processisse, cõmisit presbyter Barro & presbyter Iohannes quibusdam ex nostris clericis præsentib. ut iurent in animabus eorum, ita uerum esse. Clerici de cardinalia S. Crisogoni dixerunt, se sequenti die post promotionẽ domini Victoris accessisse ad cardinalẽ suum, qui erat cũ cancellario, & interrogasse eum, dicentes: Omnes clerici uadunt ad pedes domini papæ, quid faciemus & nos? Qui respondit: Ite ad eum sicut alij. Multi ex nostris dicũt, se uidisse cancellariũ undecimo die ab urbe exisse, sine manto, sine stola, sine albo equo, & sine omni habitus mutatione, cũ pellib. nigro pallio coopertis, & cum nigro almutio, usq; ad cisternam. Iohãnes de Romano dicit, se audiuisse Iohannẽ Neapolitanum, & Bonandiem, & quosdã alios cardinales dicentes apud cisternam: Quoniam modò sumus sine pastore & sine capite, faciamus nobis dominum. & postea immantauerunt eum, & cãtauerunt ei, Te Deum laudamus, apud cisternam. Iohãnes de sancto Stephano & Vuolferaminus dicunt, se audiuisse, quòd papa Hadrianus dixit ad eos, cum de urbe exiret: Octauianus, inquit, quem ego misi in Longobardiam, uult excommunicare Mediolanenses: sed ego mandaui Mediolanensibus, ut non curent de eo, sed fortiter se habeant tam ipsi quàm Brixienses contra Imperatorem: & ego cum eis disposui, quòd Imperator propter eorum impedimenta non poterit Romam uenire. Item etiam cum cardinalibus ita disposui, quòd Octauianus non erit papa post mortẽ meam. Gimundus & Vuolferaminus dicunt, se audiuisse ab ore episcopi Sabinensis, quòd libenter rediret ad dominum Victorem: sed ita adiuratione est astrictus, quòd sine periurio non potest. Episcopus Aletrinus in præsentia domini Guidonis Cremensis cardinalis, & Gimundi, & Iohannis Gaietani, & aliorum multorum dixit: Non possum ad dominũ Victorem uenire, quia talem securitatem feci cancellario & suis apud Anagniam, quòd non possum ad eos uenire usq; ad calẽdas. post calend. aũt ueniam. Interim tamen habeo eum pro domino & pastore meo. Itaq; calendis transactis, cum infirmitate tenerer, misi domino Victori obedientiam per clericũ quendam, quem habemus præsentem. De omnib. supradictis capitulis testimoniũ perhibuerũt prædicti rectores cleri Romani, & septẽ archipresbyteri suprà memorati, & alij multi honesti & religiosi clerici Romani, & Petrus urbis præfectus, & Stephanus de Thebaldo, & Stephanus Normannus, & Iohannes de sancto Stephano, & Iohannes Gaietanus, & Vuolferaminus de Gidoccicca, & Gimundus de domo Petrileonis, & multi alij illustres Romani & nobilissimi, qui omnibus his interfuerunt, & omnia uiderunt & tractauerunt. Hucusque acta concilij & scripta diuersorum.

Confirmato & recepto taliter in papatu Victore, defertur ad principẽ sacerdotalis concilij sententia. Qua uenerabiliter suscepta & approbata, Victor ad ecclesiam uocatur, & magna solennitate & frequentia cleri & populi suscipitur, ipsiq; ut summo põtifici & uniuersali papæ acclamatur. Diuus quoq; Imperator consuetam ei reuerentiã, sicut Constantinus beato Syluestro, humiliter pro foribus ecclesiæ exhibuit, & manu eius accepta, usq; ad sedem deduxit, & inthronizauit. De reliquis quæ ibidem acta sunt, exemplaria literarum subnotata consule.

Epistola Imperatoris.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus, dilectissimo suo Eberhardo, uenerabili Saltzburgensi archiepiscopo, & suffraganeis eius, Alberto Frisingensi episcopo, Hartmãno Brixiensi, & Romano Gurcẽsi, totiq; prouincię Saltzburgensi, gratiam suam & omne bonum. Si sacro concilio Papiæ interfuissetis, omnia quæ ibidem uel in Romana ecclesia facta sunt, oculata fide cognoscere possetis. Ne autem ab his qui prauis delationib. & mendacijs iam ferè totum orbem resperserunt, ueritas possit obnubilari, uel uestra syncerit as trahi in contrarium, quanto breuius possumus, seriem totius rei sine aliqua falsitatis commixtione mera ueritate uobis significare dignum duximus. Luce clarius constat, quòd papa Hadriano adhuc uiuente, Rolandus cancellarius & quidã cardinales, nõ attendẽtes illud Dominicum, Sit sermo uester, est est, non non: conspiratione facta cum Vuilhelmo Siculo, prius ab eis excommunicato, & cum cæteris hostibus Imperij, Mediolanensibus, Brixiensibus, Placentinis, ne fortè per mortem

papę Hadriani tam iniqua factio euanesceret, iuramenti uinculo inuicem sese cōstrinxerūt, ut defuncto papa, nullus alius ei substitueretur, nisi qui in eadem conspiratione cum eis conuenisset. Hac de causa duodecimo die post electionē domini Victoris papæ, eo sedēte in sede beati Petri, iam dicti conspiratores egreßi ab urbe, ad cisternam Neronis, derelinquentes uenam aquarum uiuentium, se contulerunt, & idolum sibi Rolandum cancellarium erexerunt, dicentes, hūc esse Simonem Petrum, qui Apostolicæ dignitatis apicem tam nefaria inuasione attingere præsumebat. Quòd hæc conspiratio facta fuerit, & ille iam dictus Rolandus per eam hoc modo intrauerit, non est fictitium, sed religiosis uiris ab illo qui facit manifesta consilia cordium, mirabiliter est declaratum. Dum hæc Romæ agerentur, & nos quid super tanto schismate agendū esset, uiros religiosos, archiepiscopos uidelicet & episcopos, consultaremus, superuenerunt quasi misßi à Deo Tarentasinus archiepiscopus, abbas Clareuallensis, abbas Morimundensis, & alij abbates numero decem, postulantes pacem Mediolanensibus: qui recepto à nobis uerbo, dum Mediolanū pro inuestiganda eorum uoluntate redirēt, acceperunt ab eis tale responsum: Domini patres, nos tenemur astricti iuramento domino papæ & cardinalibus, quod non debeamus redire ad gratiam Imperatoris sine eorum uoluntate: & ipsi econtrà sine nostra uolūtate nullam pacem facere possunt. Responderunt ei abbates: Vos decæterò nō tenemini domino papæ, quia mortuus est. Et illi statim subiunxerunt: Si mortuus est papa, nos ideo non sumus soluti: quia nihilominus tenemur cardinalibus, & ipsi tenētur nobis. Hæc prædicti patres abbates in responsis à Mediolanensibus testificati sunt coram multis religiosis uiris. Præter hæc multa experimenta factæ cōspirationis, per literas in uia deprehensas accepimus, sicut nūcius iste plenius uidit & audiuit. Sanè ex concilio orthodoxorum, sicut alia uice meminimus nobis mādasse, generalē conuentū religiosorū Papię indiximus, ad quē ambos, qui se dixerunt Romanos pōtifices, nō ad iudiciū seculare, sicut ora mendacium astruunt, sed ad examē Ecclesiæ, per duos uenerabiles episcopos, Ferdēsem uidelicet & Pragensem, conuocauimus. Alter uerò eo quòd puriorem haberet conscientiam, dominus Victor uidelicet, iudicio Ecclesię ultrò se obtulit: altero, uidelicet Rolando, cōtumaciter renitente, & dicente, quia cum ipse omnes deberet iudicare, ipse à nullo uellet iudicari. Habito itaq; uenerabili concilio, in quo patriarcha Aquileiensis & multi archiepiscopi & episcopi religiosi conuenerant, per octo continuos dies maxima grauitate, diligentißima examinatione, semota omni laica persona, tractatū est, quis ex duobus summi pōtificatus apicē de iure deberet obtinere. Post longā itaq; deliberationem, quia illa nefandißima cōspiratio, Deo & Ecclesiæ admodū odibilis, manifestis indicijs nō solùm probata, uerùm in facie totius Ecclesiæ corā positæ reuelata est, & in domino Victore nihil reprehēsibile inuentū est, nisi quòd pauciores numero cardinales, omnino à conspiratione illa exortes, eū pro bono pacis inter regnū & sacerdotiū cōciliando elegerūt: & inuocata Spiritus sancti gratia, Ecclesia Dei Rolandū cācellariū, conspiratorē & schismaticū, discordias & lites & per iurgia bona esse Euāgelizantē, condēnauit, & dominū Victorē papā in patrē spiritualē & uniuersalē pontificem cōfirmauit. Quem nos Ecclesia duce secuti approbamus, & uniuersalis Ecclesiæ patrē & rectorem, cooperante diuina clementia, fore denunciamus. Hoc itaq; factū, diuinis suffultum prę sidijs, & in Apostolica stabilitate, super petram Christum uidelicet, firmiter fundatum, à uestra beatitudine, pro pace totius Ecclesiæ & salute Imperij, approbari, & ab omni Ecclesia, uestræ sanctitati commissæ, teneri & cōseruari rogamus, & præoptamus. Data Papiæ, 15 calendas Martij.

Epistola præsidum concilij.

Rescriptū generale à synodo præsidentibus per partes mundi directū, hoc est: Quia sedis Apostolicæ turbatio, Christianorū animos admodum sauciauit, nos, qui ad resecanda schismata & pacem Ecclesiæ reformandam Papiæ fuimus congregati, qualitatē causæ, modumq; negocij, & sacri cōcilij dispēsationem uniuersitati uestrę plenariè duximus intimādum, quatenus per scripta præsentia mera ueritate monstrata, auditorum animi falsitatem, quam fortè conceperant, uehementer expellant, & amodò per scripta schismatica non seducantur. Cū igitur orthodoxorum Papiæ congregatorū uniuersitas in nomine Domini cōsedisset, causa per septem dies continuos, omni remoto seculari iudicio, legitimè & canonicè agitata, ac diligēter inspecta, sufficiēter & canonicè in conspectum concilij per testes idoneos est comprobatū, dominū papā Victorem, & nullū aliū, in basilica beati Petri à saniori parte cardinaliū, petitione populi, & cōsensu ac desiderio cleri, fuisse electum, & solenniter immantatū, quòd præsente & non contradicente Rolando quōdam cancellario, in cathedra beati Petri fuerit collocatus, & quòd ibi ei à cardinalibus

& clero Romano, Te Deum laudamus, gloriosè decātatum, & inde ad palatium cum bandis & alijs papalibus insignibus est deductus, & clerus & populus secundum consuetudinem interrogatus per scriniarium si placeret, tribus uicibus clara uoce respōdit, Placet. Probatum est etiam, quòd Rolādus duodecimo die post domini Victoris promotionē ab urbe egressus, apud cisternam, in qua Nero Imperator quondam ab urbe profugus latitauit, primò est immantatus. Probatum est, quòd in secūdo die post promotionem domini Victoris, Rolandus interrogatus à rectoribus & clero Romano ac clericis de sua cardinalia, si domino Victori esset obediendū, expresse cōfessus est, se nūquā fuisse immātatū, & expressè dixit: Ite & obedite ei, quem immantatū uidetis. Super his capitulis fuerūt testes, & sub stola tactis sacrosanctis Euāgelijs iurauerunt, dominus Petrus Christianus, decanus basilicę beati Petri, & in persona sua, & omniū fratrū suorū. Iurauerunt etiā uenerabiles archipresbyteri & rectores clerici Romani, Basilius & Manerius presbyteri, Iohānes presbyter gentilis, Aimeradus archipresbyter, Bernhardus archipresbyter, Iohānes archipresbyter, Benedictus diaconus, magister Ptolomęus archipresbyter, magister Gerardus & Nicolaus & alij honesti clerici Romani. Præterea Petrus illustris urbis præfectus, Stephanus de Theobaldo, Stephanus Normānus, Gimūdus de domo Petri Leonis, Iohannes de Stephano, & alij principes & nobiles Romani, qui ad uocationē serenissimi Imperatoris uenerāt, in conspectu concilij super iā dictis capitulis ex maxima parte testimoniū similiter perhibuerūt, & iurare uoluerūt. Sed nos, qa religiosorū presbyterorū multorū testimoniū sufficiēs, & abūdantissimū habeamus, duximus laicis in hac parte parcēdū. Deinde uenerabiles episcopi, Hermānus Ferdensis, Daniel Pragensis, & Otto palatinus comes, & magister Heribertus præpositus, quos dominus Imp. ex cōsilio 22. episcoporū, & Cisterciēsis & Clareuallēsis abbatū, aliorūq; religiosorū tunc pręsentiū, Romā delegauerat, ut partes ante cōcilij pręsentiā Papiā euocarent, in cōspectu cōcilij testimoniū phibuerunt, quòd Rolandū cancellariū & partē eius trinis edictis per interualla peremptoriè & solēniter ad pręsentiā Ecclesię Papię congregādę, remoto omni seculari iudicio, uocauerunt, & quòd Rolādus cācellarius & sui cardinales una uoce & ore proprio, iudiciū uel examē aliquod Ecclesiæ se nolle recipere, manifestè dixerunt. Vidimus etiam scripta Heinrici Pisani cardinalis, ad dominum Imperatorem directa, in quibus expressè continebatur, quòd nullum uellent Ecclesię subire iudicium uel examen. Super hæc omnia idem Henricus, & Otto cardinalis S. Nicolai de carcere Tulliano, qui tēpore cōcilij & antè apud Ianuam morabantur, & Iohannes Anagninus cardinalis, & Iohannes Piosutus, S. Romanę ecclesię subdiaconi, qui tunc apud Placentiam erant per octo dies, à concilio toto sunt expectati, & per literas & nuncios concilij sunt uocati, & contempserunt uenire. Ex his igitur omnibus sufficienter instructi, & ueritate hincinde plenariè declarata, placuit reuerendo concilio, ut electio domini Victoris, qui tanquam agnus mansuetus & innocēs uenerat, Ecclesiæ iudicium humiliter suscepturus, approbaretur & confirmaretur, & electio Rolandi penitùs cassaretur. Et factum est ita. Electione itaque domini Victoris, remoto omni seculari iudicio, sancti Spiritus gratia inuocata, confirmata atque recepta, Christianissimus Imperator, post omnes episcopos & post omnē clerum ultimus, consilio & petitione concilij, electionē domini Victoris recepit & approbauit, & post eū omnes principes, & innumerabilis hominū multitudo, quę præsens erat, tribus uicib. interrrogata si eis placeret, respōdit cū gaudio magna uoce, Placet. Sequenti die proxima, id est, sexta feria Quadragesimę, dominus Victor cū processione ab ecclesia S. Saluatoris extra ciuitatem, in qua fuerat eius hospitium, ad catholicam ecclesiam gloriosè deductus est. Ibi religiosissimus Imperator ante ianuas ecclesiæ eum suscepit, & descendenti de equo strepā humiliter tenuit, & apprehēsum per manū ad altare usq; cōduxit, & pedes eius est osculatus. Et nos omnes, patriarcha, archiepiscopi, episcopi & abbates, & omnes principes, cū uniuersa multitudine quę præsens erat, pedes Apostolicos sum9 osculati. Proxima autē die sequenti, id est, sabbato, habito generali concilio, dominus papa & nos cum illo Rolandum cācellarium schismaticum, & eius principales fautores, accensis candelis, anathematizauimus, & tradidimus eum satanæ in interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die Domini. Illud etiam discretionis uestræ prudentiā uolumus non latēre, manifestè esse deprehensum, quòd Rolandus cancellarius, & eius sequaces quidam cardinales, uiuente adhuc papa Adriano, coniurauerunt. Fuit autem tenor coniurationis, quòd si eis uiuentibus papā Adrianum mori cōtingeret, cardinalem unum de illis eligerent, qui in eadem coniuratione esset astrictus. Decæterò ex parte Dei omnipotentis, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sancto-

rum,& uirorum orthodoxorum, qui diuino intuitu ad rescindenda schismata conuenerunt, uniuersitatem uestrã humiliter imploramus & monemus in Christo, ut ea quę Ecclesia Dei Papiæ cõgregata ad honorem creatoris, & sponsę suę matris uestræ sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ tranquillitatem, & ad salutem omnium Christianorum fideliter ordinauit, uos omni dubio & ambiguitate remota, irrefragabiliter rata & firma teneatis: orantes, ut redemptor noster IESVS Christus uniuersalem pontificem & papam nostrum Victorem, de cuius sanctitate & religione omnino confidimus, per tempora longa conseruet, & præstet ei omnimodam tranquillitatem & pacem, ita quòd per eũ Deus omnipotens honoretur, & ecclesia Romana omnisque Christiana religio gratum domino accipiat incrementum. Vt autem omnis actio legentibus plenius illucescat, dignum duximus, ut omnium nostrorum consensus & nomina subscribantur. Ego Peregrinus Aquileiensis patriarcha cum meis suffraganeis interfui & consensi. Ego Arnaldus archiepiscopus Moguntinus cum quatuordecim suffraganeis interfui & consensi. Ego Artuicus Bremensis archiepiscopus cum meis suffraganeis interfui & consensi. Ego Reinaldus Coloniensis archiepiscopus cũ meis suffraganeis consensi. Ego Hellinus Treuerensis archiepiscopus cum meis suffraganeis consensi. Ego Vuichmannus Magdeburgensis archiepiscopus cum meis suffraganeis cõsensi. Bisuntinus archiepiscopus per legatum & episcopum Basiliensem consensit. Arelatensis archiepiscopus consensit. Lugdunensis archiepiscopus cũ suis suffraganeis consensit. Viennensis archiepiscopus cum suis suffraganeis consensit. Heinricus rex Anglorũ per literas & legatos suos consensit. Rex Vngarorum per literas & legatos suos consensit. Rex Boemorum consensit. Rex Danorum consensit. Guido electus Rauennas consensit. Episcopus Firminus consensit. Episcopus Ferentinus consensit. Mantuanus consensit. Pergamensis consensit. Fauentinus consensit. Abbatum uerò & archipresbyterorum multitudo innumerabilis multorum regnorum interfuit & consensit. Longobardorum inęstimabilis multitudo interfuit & consensit. Vniuersi ferè principes Romani Imperij, tam Teutonici quàm Itali, tam in urbe quàm extra urbem, interfuerunt, & assensum cum ingenti desiderio præbuerunt.

EPISTOLA BAMbergensis episcopi.

Reuerendissimo patri & domino Eberhardo, Saltzburgensis ecclesiæ archiepiscopo, Eberhardus Babenbergensis, gratia Dei si quid est, tam deuotum quàm debitum cum oratione seruitium. Conuenientibus in unum Papiæ episcopis circiter quinquaginta, diuque uentilata quæstione papatus, cum dilatio primò penè omnibus complacuisset usque ad maiorem rei noticiam, & aliud generalius concilium, pręualuit tandem pars domini Victoris, iustificata ab altera parte multis modis: quia coniuratio contra Imperium, factum illud præcesserat, quia domini Victoris inmantatio prior, illa posterior: quo solo Innocentius Anacleto præualuit, cum Anacletus plures & maximæ scientiæ & autoritatis haberet electores. Deinde quòd ad hostes Imperij pars illa se transtulerit obligata Siculo, Mediolanensibus, Brixiẽsibus, Placentinis per sacramentũ, quod sanæ doctrinæ aduersari uidetur, & cũ subditos à iuramẽtis fidelitatis debitę absoluat, & seruire Imperatori ꝓhibeat quoscunq;, & sic discessioni uiã pręparet, quod pessimum est, sicut opere ipso clarescit, & scriptis undiq; per Italiam directis tã ciuitatibus quàm episcopis. His malis principijs, finem deteriorem promittentibus, perpetuam uidelicet discordiam inter regnum & sacerdotium, & discessionẽ ab inuicem, dum pars illa cum omni securitate conductus nec uenire uoluisset, nec etiam procuratores pro se mittere ad subeundum iudicium & excipiẽdam sententiam, dominũ Victorem recepimus, spe pacis & concordiæ inter regnum & sacerdotium. Longo tamen examine præmisso de tempore & de ordine electionis suæ, de his qui eius electioni consenserunt primitùs, & postmodum retrò abierunt, cardinalibus numero nouem: testificante super his omnibus capitulo beati Petri, & clero Romano, scriptis & uiua uoce nunciorum sub iureiurando. Nuncius regis Francorum promisit pro eo, neutrum se recepturum, usque dum nuncios Imperatoris recipiat. Nuncius regis Anglorum idem uelle & idem nolle promisit, tam in his quàm in alijs. Arelatensis, Viennensis, Lugdunẽsis, Bisuntinus, per literas & per nũcios consenserũt. Solus Treuerẽsis de nostro regno superest, in parte illa de numero archiepiscoporũ, qui non consenserit. Eius tamen suffraganei omnes consenserunt. Vsq; ad uos solùm peruẽtum est. Angelus magni consilij dirigat uos secũdum beneplacitum suũ, & custodiat uos in omnibus uijs uestris. Pręter hæc præpositus multa manifestabit uobis, quę non licet ad pręsens homini loqui. Cõgaudete mihi, qui dimissionẽ accepi, & ad propria redeo.

Alterius cuiusdam epistola ad eundem.

Domino suo in Christo reuerendo, Eberhardo

hardo Saltzburgensi archiepiscopo, frater Heinricus dictus prępositus de Berthersgadem, cum deuotis orationibus debitæ subiectionis obsequia. Si cuncta quæ audiuimus & uidimus, scribere deberemus, non chartam, sed uolumen facere uideremur. Verùm summam eorum, quæ de duorum electione Romanorũ pontificum acta sunt, breuiter paternitati uestrę notificamus. Curia quæ in octauis Epiphaniæ Papiæ fuerat indicta, usq; ad sextã feriam proximam ante caput ieiunij, quia in destructione Cremę dominus Imperator detinebatur, est dilata. In qua considentibus domino patriarcha, archiepiscopis, & diuersarum terrarum ferè quinquagintá episcopis, legatis quoque regis Franciæ, & archiepiscoporum, Arelatensis scilicet, Lugdunensis, Viennensis, Bisuntini atq; Treuerensis, & Rauennatis electi, cardinales & clerici, qui pro parte Victoris aderant, in medium processerunt, & utriusq; seriem electionis exposuerunt. Super qua continuis quinq; diebus ab episcopis & alijs prudentibus uiris copiosè disputatum cum fuisset, sexta tandem die in publico consistorio electionis capitula denuò proposita sunt, & singula à canonicis ecclesiæ beati Petri, & rectoribus Romani cleri, sacramento super sancta quatuor Euangelia præstito, confirmata. Pars autem altera nec ipsa uenit, nec respõsales, qua de causa nescimus, conuentui direxit. Recitatæ sunt insuper literæ quamplures bullatæ ab Alexandro & cardinalibus qui cum ipso sunt, episcopis & ciuitatibus Longobardiæ directæ, sed à fidelibus domini Imperatoris captæ, ex quarum tenore machinationes eorum & molimina contra Imperiũ patenter sunt deprehensa. Vnde quia dilatio non paruum tam Ecclesiæ quàm Imperio uidebatur minari periculum, præsertim quia nõ erat qui prædictis assertionibus contradiceret, cum utraq; nimirum pars non ad curiæ, sed ad Ecclesiæ fuisset examinationem uocata, episcopi parti Victoris, quæ ipsum undecim diebus antequam Alexander inmantaretur, inmantatum fuisse, & in sede beati Petri, aduersa parte præsente, absque reclamatione sedisse, præstito (ut dictũ est) sacramento probauerat, assensum præbuerunt, & eundem Victorem ut Apostolicum in ecclesia solenniter suscipientes, solitam ei reuerentiam exhibuerunt. Facta sunt hęc domino Imperatore & fidelibus Imperij annitentibus propter causas memoratas. Quapropter ipsemet eidẽ confirmato pontifici, ante fores ecclesiæ descendenti, consuetum detulit honorẽ. Secunda uerò post hæc die, sæpe iam dictus dominus Victor, celebrato synodi officio, alterius partis principem cum quibusdã suis fautoribus episcopis, scilicet Hostiensi & Portuensi, eo quòd consecrationis manum eidem præsumpserant imponere, cardinalibus etiam Heinrico Pisano, Iohanne Neapolitano, & Iacincto, anathematis uinculo, extinctis cãdelis, innodauit. Excommunicauit autem Heinricum Pisanum, idcirco quòd mandato eius magister Raimundus cardinalis despoliatus, & atrociter cæsus fuerit. Præpositum etiam Placentinum, quia dominũ Thusculanum armata manu inuaserit, & despoliatum multis contumelijs affecerit, simili sententiæ inuoluit. Vuilhelmum præterea Siculum atq; Mediolanenses, pro inuasionibus Ecclesiarum & Imperij, ad canonicam uocauit satisfactionem. Interfuerũt his omnibus metropolitani, dominus patriarcha, Moguntinus, Coloniẽsis, Magdeburgensis, Bremensis, cum nonnullis suffraganeis suis, & maxima pars episcoporum Lõgobardiæ, quorum plurimi affectuosum & plenarium prædictæ confirmationi tribuerunt assensum. Dominus uerò patriarcha & quidam alij, salua in posterum Ecclesiæ catholicæ censura, propter memoratas Imperij necessitates obedierunt. Absentes omnes quos pręnotauimus archiepiscopi, pro se & suis suffraganeis plenariè consenserũt, excepto Treuerense, qui cum iter cœpisset, infirmitate præpeditus, excusatorias tantummodo literas direxerat. Præsentes autem eius suffraganei, Tullensis & Verdunẽsis, pro se & consuffraganeo suo Metense in integrum spoponderunt. Domini Babenbergensis, Pataviensis & Ratisponensis, patriarchã sunt imitati. Pro confirmandis omnibus quæ facta sunt, mittuntur legati, dominus Coloniensis in Franciam, Verdunẽsis in Hispaniam, Pragensis in Vngariam. Si interim alia scripta, quarum quædam uidimus, meram de his ueritatem minus continentia, ad manus uestras deuenerint, sciat sanctitas uestra, quòd ut pro parte potuimus, synceram de his ueritatem significauimus: plenius autem præsentes insinuabimus. Libro 4. capite 68.69.70.71.72.73.74.75.76.

Vrspergensis compendium recitat, his uerbis: Tunc coram Imperatore & patriarcha Aquileiensi, & episcopo Cremonẽsi, & alijs quamplurimis episcopis & Ecclesiarũ prælatis, causa Octauiani discussa est: & adhibitis testibus qui præsentes fuerũt, probatũ est, quòd sicut suprà descriptũ est, facta est utraq; electio. De iure quoq; satis adiectũ est, ut reprobata electione Rolãdi', Octauianus uerus præsul Romanæ ecclesiæ iudicaretur. Tũc patriarcha Aquileiensis, alij quoque episcopi & Ecclesiarum prælati ad pe-

des

des eius se prostrauerunt, Imperator quoq; idipsum fecit, ut ab eo indulgentiam acciperent. ut sibi obedientiam facerent: quod & factum est. Nam Rainaldus Coloniensis archiepiscopus eum deuotè recepit. Mogūtinensis quoq; & Magdeburgēsis ipsi Victori papæ se subdidêre cum suis suffraganeis. Mansitq; Roma cum suis conspiratoribus in cōfusione, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam: Qui surgunt in me, confunduntur. & tertium dictum adimpleretur: Seruus tuus lætabitur. Vrspergēsis, Platina, Blondus, Bonfinius libro sexto Decad. secundæ. Paulus Æmylius sub Ludouico iuniore.

Alexander autem irarum plenus excommunicat tam Imperatorem quàm papam, & literas executionis gratia ad omnes passim spargit, uereq; cœlū terrę miscet, ut uideas Apostolicā patiētiam in iactura honoris.

In epistola quadā ad Salisburgēsem Alexander de Papiensi sic fulminat: Cæterùm quomodo luce clarius est manifestum, qualiter Octauianus schismaticus, hæreticus & manifestus inuasor, cum tribus malicię suę complicibus, seipsum intruserit, & per simoniam notoriam & laicalem uiolentiam, papatum nisus fuerit obtinere: qualiter & iam Fridericus, potius tyrannus quàm Imperator dicendus, in conciliabulo apud Papiam multo labore collecto, statuam Nabuchodonosor erigere, & erectum abominationis idolum pręsumpserit adorare: & qualiter uiri catholici à facie ipsius Octauiani, tāquam à respectu draconis aufugerint, te nō duximus diutius longa uerborum & literarum serie detinendum.

APVD CLARVM MONTEM, CONTRA MAgistratum.

ALexander tertius apud Clarum montem suarum partium episcopos congregat, anno Domini 1160. cū hisce anathema in Imperatorem & Octauianum antipapam ebuccinat. Nam Papiēsi concilio eiusque decreto offensus, extrema sibi tentanda esse putauit. Platina, Bābergēsis historia.

Ad Salisburgensem pōtifex cristatas mittit literas, in quibus sic concludit: Sanè nos ipsius Imperatoris immensam iniquitatem & tantam perfidiam attendentes, communicato fratrum nostrorum episcoporum & cardinalium, & aliorum religiosorum consilio, tam ipsum Fridericum, non iam Imperatoris officium, sed quæ tyranni sunt exercentem, quàm prædictum Octauianū schismaticum, & Ottonem comitem palatinū, atq; omnes principales fautores eorum, in cœna Domini, cœtu clericorum & multorum uirorum nobilium in ecclesia congregato, accensis candelis publicè excōmunicauimus, & tradidimus huiusmodi satanæ in interitū carnis, ut spiritus eorū salui sint in die Domini. De communi etiam fratrum nostrorum consilio atq; uoluntate, uos omnes specialiter & communiter uniuersos à fidelitate, quam ei fecistis, & ab omni debito Imperij ex parte Dei omnipotētis & beatorum apostolorum Petri & Pauli, authoritate Apostolicæ sedis absoluimus, ita quòd in nullo ei decæterò teneamini obedire: sed potius in remissionem uobis iniungimus delictorum, ut cōtra eos quos ipse per tyrannidem suam sibi subiugare, opprimere & uastare uoluerit, nullum ei consilium uel auxilium ministretis. Data Anagniæ 11. Aprilis. Ille igitur erga Imperatorem satis se superbè gessit, ut literæ ipsius manu scriptæ docent.

IN DANIA.

OCtauianus antipapa in Daniam mittit Bernhardum quendam: is concilio coacto, suffragium pro se rogat, sed nihil obtinet. Saxo Grammaticus lib. 14.

APVD DIVIONEM.

DEinde & apud Diuionem, ubi à Sauo flumine Galli à Germanis disterminātur, Imperator concilium indicit, idq; etiam Philippo Gallorum rege assentiente, & Alexandrum inuitat, ut eò ueniat, patrūque sententiam audiat. Imperator cum rege Scotiæ & Bohemiæ & Daniæ eò properat, adducto secum Octauiano. Sed Alexander iterū detrectat apparere, quia ipse pro suo fastu, fastigio debebamus dicere, eum conuentum non indixerat, Turoniq; antisynodum antipapa inchoat: qua re offensus Cæsar, in Germaniā reuertitur. Platina, Sabellicus Ennead. 9. lib. 5. Nauclerus. Syluius ex Blōdo refert, Alexandrum cudisse multa decreta, & Senonā fecisse pontificalē sedē.

NAZARETHAE.

ALexander tertius, ut suam eminentiā stabiliret, orbem terrarū literis & fulminibus replet. Sic Orientem quoq; sollicitans, efficit, ut Nazarethæ Oriētales episcopi concurrant, ibiq; præsente rege suos sibi calculos in ollam iaciant: sicut ipse gloriosè narrat in quadā ad Salisburgēsem epistola.

Cum autem Tyrius ista percōmodè narret, deq; Romanorum artibus & conatibus quędā moneat, Lector eius narrationē audiat, quæ extat libro ipsius 18. cap. 29.

Per eosdē dies quidam Iohannes, uir admodū literatus, Romanę ecclesię presbyter cardinalis, tituli sanctorū Iohannis & Pauli, missus à domino Alexandro papa ad partes Orientales legatus, apud Biblium cum quibusdam Ianuensium applicuit. Volens igitur, impetrata licētia, tāquam legatus in regnum

regnũ introire, prętentauit domini regis & aliorũ regni principum, tam Ecclesiasticorũ quàm seculariũ mentes, quid'nã de eius ingressu sentirẽt. Diuisus enim erat, occasione schismatis oborti, penè orbis uniuersus, alijs domino Alexãdro papæ, alijs parti opposite fauentib. Vnde post multã deliberationẽ mãdatũ est ei, ex parte ut subsisteret, nec in regnũ pſumeret ingredi, quousq; cũ prælatis Ecclesiarũ & regni principibus pleniore deliberatione, ei de cõmuni consilio mãdaretur, qd eũ facere oporteret. Interim ergo conuocatis apud Nazareth tam domino patriarcha, quã reliquis Ecclesiarũ prelatis, de principibus quoq; nonnullis cum domino rege assistentibus, cœperunt deliberare, quid in tanta ambiguitate facto esset expediẽtius. Omnes enim Oriẽtis pontifices, de utroq; patriarchatu, in neutrã partẽ manifestè declinauerãt, in occulto tamen alijs huic, alijs illi suum fauorẽ pręstantibus. Factum est autem, sicut in talibus solet contingere, quòd dissentientibus ab inuicẽ, & uotis eorum in plura distinctis, alij dicerent, quòd dominus Alexãder & eius legatus susciperetur, utpote causam fouẽs potiorem: quorũ princeps erat dominus Petrus, prædecessor noster, Tyrẽsis archiepiscopus. Alij ecõuersò domini Victoris causam pręferẽtes, & eũ semper regno amicũ & tutorẽ fuisse asserentes, legatũ nullo modo recipiendum esse censebant. Rex autem mediam uiam quandã sequens, cum suis principibus, & de Ecclesiarum quibusdam prælatis, timẽs ne episcopi inter se diuiderẽtur, & scinderetur Ecclesia, persuadebat, neutrã partiũ recipiendã esse. legato uerò, si tanquã peregrinus, orationis gratia, absq; insignib. legationis ad loca sancta uellet accedere, dandã esse licentiã, & concedendã libertatẽ morã in regno faciendi usq; ad primũ transitũ: ex tũc ei redeũdũ esse. Allegabat etiã, & dictorũ suorũ causam subiungebat & rationẽ, dicens: Schisma recẽs est, necdũ orbi innotuit, uter eorũ causam foueat potiorẽ: periculosum aũt esse, in re dubia partẽ sibi ex sententia deligere, & de re incerta diffinitiuã præcipitare sentẽtiã. Præterea nec legato opus esse in regno, q ecclesias & monasteria grauet impẽsis, extorsionib. attenuet. Hæc erat domini regis sentẽtia: quę licet utilior uideretur, tamẽ pręualuit eorũ sentẽtia, q legatũ esse recipiendum asserebant. Vocatus igitur in regnum, uenit, multisq; quibus aduentus eius placuerat, postmodũ fuit onerosus.

HERBIPOLI ALIA,

DE ANTIPAPA.

HErbipoli siue Vuirtzburgi synodus agitatur mense Maio, qua Guido Cremensis in antipapam ordinatur ab Imperatore Friderico, anno Domini 1160, pręsentibus archiepiscopis, episcopis, & alijs. Fit senatusconsultũ, nullũ posthac fore pontificẽ maximũ, nisi qui more maiorũ, cõsensu Imperatoris creetur, atq; nũcius dũtaxat Christi, successorq; Petri, nõ etiã Cęsareę potẽtię pertinax æmulus esse uelit. A' singulis exactũ iuramẽtũ, haud aliũ aut recepturos, aut passuros pontificẽ maximũ perpetuò, etiam mortuo Imperatore. Sacramentũq; primus dixit Christianus Mogũtinus pontifex designatus (nã Cõradus Boius frater Ottonis à Vuitelspach, quòd iurare detrectaret, hostis iudicatus atq; pscriptus, sacerdotio & dignitate excidit, Mogõtiacoq; exactus est) deinde cęteri episcopi, postea Imperator & principes iurãt. Albertus Fruxinẽsis episcopus hoc pacto fidẽ suam astrinxit Paschali, quamdiu uidelicet Imperiũ eius rebus studeret, aut ipse Cæsarea prædia, castella, uicos, oppida, beneficia stipendiaria posside ret. Auentinus lib. 6. Annalium Boiorum.

ROMAE ALIA,

CONTRA VVALDENSES.

VValdenses circa hoc tẽpus uocati Romã, pertinaces, schismatici, & tandẽ hæretici sunt iudicati. Iohãnes de Oppido.

APVD NOVVM

Mercatum,

DE PAPA.

HEinricus Anglorũ rex episcopos Normanniæ, abbates & barones ad nouũ Mercatum conuocat. Ludouicus uerò Galliæ rex suos Beluaci congregat. Ibi de receptione Alexandri & repudiatione Victoris actũ & definitũ est. Continuator Sigeberti.

ROTHOMAGI.

HEinricus rex episcopos, abbates & barones totius Normanniæ conuocans, anno Domini 1163, querelam de episcopis & eorũ ministris ac uicecomitibus proponit, ac iubet ut ad concilium Iulię Bonæ conueniant. Continuator Sigeberti.

TVRONI,

CONTRA ANTIPAPAM.

IN octauis Pẽtecostes, anno Domini 1164. Alexander 3. Turoni concilium agitat, in quo fulmina in Octauianũ eiusq; cõplices iterũ eijcit. Cont. Sigeb. In eo uerò Thomã Cãtuariẽsem fuisse, Ioan. de Oppido refert.

Concilij decreta Vuilhelmus Neubrigẽsis hoc ordine recenset, lib. 2. cap. 5.

Quoniã enormis quædã consuetudo in quibusdã locis contra sanctorũ patrũ institutiões inualuit, ut sub annuo precio sacerdotes ad Ecclesiarũ regimẽ statuãtur, ne id fiat, modis omnibus prohibemus: quia dũ sacerdotium sub huiusmodi uenali mercede disponitur, ad æternę retributionis pręmium consideratio non habetur.

Non satis utiliter auaritia redarguitur in populo, si ab ijs qui in clero constituti uidētur, & præcipuè qui contempto seculo, religiosorum nomen profitentur & regulam, omnibus modis nō cauetur. Prohibemus ergo, ne ab ijs qui ad religionem trāsire uoluerint, aliqua pecunia requiratur, néue prioratus aut capellaniæ quælibet monachorū aut clericorū annua districtione uendantur, neq; ab eo cui regimē ipsarū cōmittitur, pro earum commissione ullum precium exigatur. Hoc autem simoniacum esse, sanctorum authoritas patrum manifestè declarat. Vnde quisquis hoc decæterò præsumpserit attentare, partem se cum Simone non dubitet habiturum. Pro sepultura quoq;, uel chrismatis seu olei sacri perceptione, nulla cuiusquam precij uenalitas intercedat, neq; sub obtentu alicuius cōsuetudinis reatum suum aliquis tueatur: quia diuturnitas temporis nō minuit peccata, sed auget.

Quia in quibusdam episcopalibus decani uel archipresbyteri, ad agendas uices episcoporum uel archidiaconorū, & terminādas causas Ecclesiasticas sub annuo precio statuūtur: quod ad sacerdotum grauamen, & subuersionem iudiciorum non est dubium redundare: id ulterius fieri districtius prohibemus. Quod qui fecerit, remoueatur à clero. Episcopus quoq;, qui hoc in sua diœcesi sustinuerit, & Ecclesiastica iudicia sua patitur dissimulatione peruerti, canonica districtione plectatur.

Maioribus Ecclesiæ beneficijs in sua integritate manentibus, indecorū nimis esse uidetur, ut iuniores clericorum præbendæ recipiant sectionem. Idcirco, ut sicut à magnis, ita quoq; in minimis membris suis firmam habeat Ecclesia unitatem, diuisionem præbendarum aut dignitatum permutationem fieri prohibemus.

Plures clericorū & (quod mœrentes dicimus) eorū quoq;, qui præsens seculū pfessione, uotisq; & habitu reliquerunt, dū communes usuras manifestius damnatas exhorrent, cōmodata pecunia indigentibus, possessiones eorum in pignus accipiunt, & prouenietes fructus percipiunt ultra sortem. Idcirco generalis concilij decreuit autoritas, ut nullus amodò cōstitutus à clero uel hoc uel aliud usuræ genus exercere præsumat: & si quis hactenus alicuius possessionem data pecunia sub hac specie in pignus accepit, si sortem suam deductis expensis de fructibus iam percepit, absolutè possessionē restituat debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto possessio liberè ad dominum reuertatur. Quòd si post huiusmodi cōstituta in clero quisquā extiterit, qui detestandis usurarū lucris insistat, Ecclesiastici officij periculū patiatur: nisi beneficiū Ecclesiæ fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laica uidebatur. A' partib. Tolosæ damnāda hęresis dudum emersit, quæ more cancri paulatim se ad uicina loca diffundens, per Gasconiā & alias prouincias quàm plurimos iam infecit, & dudum in modum serpentis intra suas reuolutiones absconditur: quanto serpit occultius, tanto grauius Dominicā uineā in simplicibus demolitur. Vnde episcopos & omnes Domini sacerdotes, in illis partib. commorantes, inuigilare præcipimus, & sub interdictione anathematis prohibere, ne ubi cogniti fuerint illius hæresis sectatores, receptaculum quisquam eis in terra sua præbere, aut præsidium impertiri præsumat: sed nec in uenditione nec emptione aliqua cū eis cōmunio habeatur, ut solatio humanitatis amisso, ab errore uiæ suę resipiscere cōpellantur. Quisquis aūt cōtra hæc uenire tentauerit, tanquā particeps iniquitatis eorū, anathemate feriatur. Illi uerò si deprehēsi fuerint per catholicos principes, custodiæ mancipati, omniū bonorū amissione mulctentur. Et quoniā de diuersis partib. in unū latibulum crebrò conueniunt, & præter cōsensum erroris, nullā co habitandi causam habentes, in uno domicilio cōmorantur: talia conuenticula & inuestigentur attentius, & si inuenta fuerint, canonica seueritate uetentur.

Quamuis graue nimis, & diuini animaduersione iudicij dignū habeatur, quòd laici quidā quod sacerdotum est, in Ecclesiasticis rebus usurpant: maiorem tamen incitat formidinē ac dolorē, quòd fomitem sui erroris in ipso clero dicūtur aliquoties inuenire, dum quidā fratrum & coepiscoporum nostrorū, aliorumq; prælatorum ecclesiæ decimas eis & ecclesiarū dispositiones indulgent, & in deuia eos mortis impellūt, qui prædicatione eorum ad uitæ uiam fuerant reuocandi, de quibus Dominus dicit per Prophetam: Peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem prouocant animas eorum. Vnde statuimus, ut quisquis alicui laico in seculo remanenti ecclesiam decimámue concesserit, à statu suo tanquam arbor, quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec emēdetur, ruinę suæ iaceat dolore prostratus.

Non magnopere antiqui hostis inuidia, infirma Ecclesiæ membra præcipitare laborat: sed manū mittit ad desiderabilia eius, & electos quosq; nititur supplantare, dicente Scriptura: Escæ eius electæ. Multorū siquidē casum operari se reputat, ubi precio sius aliquod membrum Ecclesiæ sua fuerit

calliditate detractum. Inde nimirum est, quòd se in angelum lucis more solito trásfigurans, sub obtentu languentium fratrũ consulendi corporibus, & Ecclesiastica negocia fidelius pertractandi, regulares quosdam ad legẽdas leges, & confectiones physicas ponderandas de claustris suis educit. Vnde ne sub hac occasione spirituales uiri mundanis rursus actionibus inuoluantur, & in interioribus ex eo ipsi deficiát, ex quo se alijs putát ex interioribus prouidere: dẽ præsentis concilij assensu statuimus, ut nullus omnino post uotum religionis, post factam in aliquo religioso loco professionẽ, ad physicam legesue mundanas legendas permittatur exire. Si uerò exierit, & ad claustrum suum infra duorum mensiũ spacium non redierit, sicut excommunicatus ab omnibus euitetur, & in nulla causa, si patrocinium præstare uoluerit, audiatur. Reuersus uerò, in choro, in capitulo, in mensa & cæteris ultimus fratrum semper existat, &(nisi ex misericordia fortè Apostolicæ sedis) totius spem promotionis amittat.

In eodem concilio Thomas Cantuariẽsis secretò in manus papæ suum pontificatum resignasse dicitur, eo quòd per manũ regis eundem accepisset. Sed pontifex, cui ea submissio supra modum placebat, statim ipsi reddidit: ut idem autor testatur libro eodem, cap. 16.

Auentinus uerò decreta huius synodi hoc modo exponit:

Sacris initiatus, rebus prophanis abstineto. Leges, physica non audito. Sacra uenire, religionem, societates, inferias atq; huiuscemodi ceremonias precio dedisse, atque pecuniam pro hisce postulasse, decimas ꝓphanis tribuere, inexpiabile flagitium esto. Si quispiam sacerdotia locarit cõmutaritue, uti contra Christianam pietatem fecit, ita eius ciuitatis aris, focis extorris esto. Agri oppignorati, si creditor reditus receperit ultra sortem, fœnus, licet leuissimum uideatur, censeto. Fœneratorem Reipublicæ fure peiorem ciuem existimato. Auentinus lib. 6. Annalium Boiorum. Erfurdensis ait, fuisse annũ 1163. Sabellicus Ennead. nona, libro 5.

CLARENDONI, DE INVESTITVRIS.

Iohannes Oxfordius Clarendonensi cõcilio in Anglia præsidebat, anno Domini 1164. Multa ibi decernuntur de inuestituris, deinde de officijs cleri & ipsorum pœnis: dum Thomas Becketus Cantuariensis iuramento confirmat, se leges regias obseruaturum: sed mox fidem uiolat. Statutum autem fuit, ut si clerici politicè peccarent, à politico magistratu, cui à Deo ius gladij datum, punirentur. Sed hoc statutũ indignissimè tulerunt anomi sacrati. Sic Philippus de Broic, canonicus Bedfordensis, qui tractus in iudicium propter homicidium, contumeliosissima uerba in iudicem protulit. Matth. Parisius.

IN SCOTIA.

Malcolmus rex Scotiæ in sua terra cõciliũ habet, anno Domini 1164. ubi rebus ad rempublicá spectantibus constitutis, Arnaldus episcopus ad S. Andream regẽ ad coniugium hortatur quibus potest argumentis. Nam is cœlibem uitam sibi falsa quadam religione proposuerat. Sed à tanta pertinacia abduci nequiuit. Hector Boetius lib. 13. Scoticæ historiæ.

OXONII, CONTRA HAERETICOS.

Qvidam falsa dogmata ferẽtes, Oxònij coram episcopis et rege in iudicium adducti sunt, anno 1166. Notati autẽ sunt cauterijs, & regno eiecti. Matt. Paris.

CASSELLI IN HYBERNIA.

Heinricus 2. Angliæ rex, deuicta Hybernia, Casselli antistitũ conuentum celebrat, ubi ea corrigit, quæ antea minus ritè secundum Christianum dogma ibidem fiebant. Nam soliti erant plures habere cõiuges, aliaq; multa à cæteris Christianis aliena retinebant. Polydorus lib. 13. Anglicæ historiæ.

COLLOQVIVM GERMANOrum & Græcorum, DE PROCESSIONE SPIRItus sancti.

Anno Domini 1172, Hẽricus Leo dux Saxoniæ Hierosolymam instructissimo exercitu proficiscẽs, Cõstantinopolim uenit: ubi eruditi Germani cũ literatis Græcis collationem instituerunt, quæ sic est descripta ab Arnoldo Continuatore Helmoldi, cap. 5: Igitur post meridiem, cum rex cũ duce lætior esset, mouit quæstionem dominus Vuormatiensis unà cũ Lubicense, cum literatioribus Græcorum, de processione Spiritus sancti. Dicunt enim Græci, Spiritũ sanctum tantùm procedere à patre, & non à filio, uerbis Domini nimis adhærentes, qui de processione Spiritus sancti loquẽs, ait: Cum uenerit paracletus, qui à patre procedit, &c. Opponentibus autem nostris: Spiritus sanctus procedit à filio, sicut à patre: quia Spiritus sanctus est patris & filij, & cũ Spiritus sancti gratia datur hominibus, profectò mittitur & à filio: procedit à patre, procedit & à filio. Quia eius missio, ipsa processio est. Græcis uerò adhuc contradicentibus, quasi plenis autoritatibus nõdũ essent conclusi, abbas Heinricus, uir literatissimus

tissimus & facundissimus, modestè inchoans: Nunc erratis, inquit, ô catholici & religiosi uiri, dicentes, Spiritum sanctum tantùm à patre procedere, & non à filio: quia planè procedit à filio, sicut à patre. Quòd negare hęreticorum est. Quòd enim de utroque procedat, diuinorum eloquiorum testimonijs comprobatur. Dicit enim Apostolus: Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra. Ecce hic dicitur Spiritus filij. Et ibi: Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ipse etiam filius de Spiritu sancto in Euangelio ait: Quem ego mittam uobis à patre. Patris autem Spiritus dictus est, ubi legitur: Si Spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in uobis. Et ipse Christus dicit: Non enim uos estis qui loquimini, sed Spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Et alio loco: Quem mittet pater in nomine meo. His & alijs autoritatibus ostēditur, quòd Spiritus sanctus procedit à patre & filio. Ad illud autem quod de Euangelio opponitis, Qui à patre procedit: ita respondemus, quia cum dicat in eo Veritas, Spiritum sanctum à patre procedere, non addidit solo, & ideo etiam à se procedere non negat: sed ideo patrem tantùm nominat, quòd ad eum solet referre etiam quod ipsius est, quia ex illo habet. Vestri etiam doctores unam eandemq; sententiam esse intelligētes, quia Spiritus sanctus dicitur procedere à patre & filio, & esse Spiritū filij sicut patris, professi sunt Spiritum sanctum procedere à filio sicut à patre. Vnde Athanasius in Symbolo fidei: Spiritus sanctus à patre & filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Ecce Spiritum sanctum à patre dicit procedere & à filio. Item Iohannes Chrysostomus in homilia quadam sic ait: Iste est procedens à patre & filio, qui diuidit dona ꝓpria prout uult. Itē Cyrillus episcopus: Spiritus, inquit, sanctus intelligitur per se, secundum quod spiritus est, & non filius: sed tamē nō est alienus ab eo. Spiritus ueritatis nominatur, & profluit ab eo, sicut à Deo patre. Ecce etiam à uestris doctoribus aperta habetis testimonia, quibus Spiritus sanctus à patre & filio procedere ostenditur. Omnis ergo lingua confiteatur, Spiritum sanctū procedere à patre & filio. His alijsq; authoritatibus, maximè suis, non ualebant cōtradicere magistri Grecorū, cōcedentes, Spiritū S. procedere à patre & filio. Et magnificatus est abbas Heinricus in conspectu regis & pontificū, collaudātes doctrinā eius, & fidē non modicam exhibentes uerbis illius.

IN NORMANNIA.

Continuator Sigeberti annotat, regē Heinricū anno Domini 1173 episcopos Normannię & Britanniæ congregasse, ac uenisse ipsum & Abrincenses legatos, ut de Ecclesiasticis negocijs tractarēt. Verùm infirmitate regis sine fructu discessum esse. Interfuit isti conuentui Stephanus Cluniacensis, & Benedictus Clusinus.

NORTHANTONI.

In Anglia Northantoni concilium actum est per Hugonem cardinalem. Eò uocātur & Scoti episcopi. Eboracensis postulat & urget, ut Scotici episcopi sibi subijciātur, idq; boni ordinis gratia faciendum, neque esse in Scotia ciuitatem illustrē, quo archiepiscopatus poni posset, & expedire hoc causis ipsorum, quæ in uicinia possint dijudicari. Sed Gilbertus à rege Scotorū missus, grauiter respondet, Scotos solum pontificē Romanum agnoscere suū archiepiscopū, ab eo tempore quo religionem Christianā sint amplexi. Deinde ferè continenter Scotos cum Anglis bellū gerere. Ideoq; rogat, ne hostibus suis subijciantur. Præterea si quid incidat quod iudicio egeat, habere se regem, qui magistratus partes gerat. Habere porrò Scotiam multos uiros ingenio, doctrina & iudicio rerum excellentes. Sic ambitio Eboracēsis eluditur. Hector Boetius libro 13 Historiæ Scoticæ, anno Domini 1174.

LONDINI ALIA,

DE PRIMATV.

In ciuitate Londensi Richardus Cātuariensis archiepiscopus magnum congregat concilium. Causa est, uetus illa ambitionis querela de primatu Britanniæ, inter ipsum & Rogerium archiepiscopum Eboracensem, anno Domini 1176. iuxta Sigeberti Continuatorem. Sed Neubrigensis narrationē adscribendā hic duximus: Anno à plenitudine temporis, quo Veritas de terra orta est, 1175, qui fuit regis Heinrici 2. uicesimus, prouinciale concilium Londini celebratum à Richardo Cantuariensi archiepiscopo, Apostolicæ sedis legato, consedentibus suffraganeis, & aliarum Ecclesiasticarū personarū cœtu copioso. Sequenti uerò anno Hugo cardinalis, Apostolicæ sedis legatus, nescio quid ordinaturus uenit in Angliam. Qui cum totius Angliæ generale concilium celebraturus, fauore adiutus regio, utriusq; prouinciæ, id est, Cantuariensis & Eboracensis, Ecclesiasticas personas Londinum conuocasset, statuto concilij die, cū iam sumptis insignibus processurus esset, facta est contentio uehemens inter ipsos archiepiscopos de prioratu sessionis in cōcilio. Quippe illa Apostolica regula (honore inuicem pręuenientes) à nostri temporis episcopis ita est abrogata, ut sollicitudine posthabita, episcopi quāto peruicacius, tā-

to & uanius de excellentia litigent, & omnis ferè episcopalis cōtrouersia circa honorū prærogatiuā uersetur. Deniq; Eboracensis maturius adueniens, primā sedē pręoccupauit, eandē sibi allegans cōpetere ex antiquo B. Gregorij decreto, quo statutū noscitur, ut metropolitanorū Angliæ ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Cātuariensis uerò solenniter posita præoccupatæ sedis querela, secundā sedē, tanquam passus præiudiciū, recusauit. Mox subditis eius ferocius pro ipso æmulātibus, simplex uerborū contentio creuit in rixā. Eboracēsis autē, quoniam pars aduersa fortior, loco præmaturè occupato cum contumelia deturbatus, cappam concisam illatæ sibi uiolentiæ indicem legato exhibuit, & Cantuariensem ad sedē Apostolicam prouocauit. Metropolitanis ergo ita contendentibus, rebusq; turbatis, concilium non celebratū, sed dissipatum est, & qui tanquam ad concilium euocati cōuenerant, rediêre ad sua. lib.3.cap.1.

RHEDONI.

EOdem tempore archiepiscopus Turonensis synodum celebrat cū episcopis Britanniæ Rhedoni. Idem.

LONDINI ALIA,

ANno Domini 1177 Londini conciliū habetur frequētissimum, ubi pro cōseruatione Ecclesiastici status multa acta sunt, atq; in primis decretum est, ut præfecturæ monasticæ & alia sacerdotia, quę hactenus bello turbata erant, uiris probis deferrentur. Polydorus lib.13. Ang. historiæ, sub Heinrico 2.

LONDINI ALIA.

A Rege paulo pòst alia synodus conuocatur, adstipulante Hugone legato papæ Romani Alexandri tertij. Conueniunt autem Anglicani & Scotici episcopi frequentes.

Materia litis erat, ambitiosa inter Cantuariensem & Eboracensem archiepiscopos de primatu contentio. Deinde & rex quædam cum suis ducibus & episcopis de regni rebus tractabat.

Inter alia uerò statuitur, ut si quis etiam ex sacratis uiris ceruos aut damas intra septa regia seu saltus interfecisset, à prophano iudice mulctetur. Id uerò Polydorus queritur contra fas decretum esse, quòd etiam postea sacerdotes in multis causis à prophanis iudicibus in ius uocati & puniti sint.

Postea iterum actum est, ut iuxta Romanorū pontificū cōstitutiones, Scotiæ & Orcadum episcopi Eboracensi essent subiecti. Sed nihil est obtentum. Polydorus lib.13. Anglicæ historiæ, sub Heinrico secundo.

NORTHANTONI ALIA.

ANno Domini 1178 Heinricus secundus Anglię rex, consensu Hugonis legati & Richardi Cantuariensis, aliam indicit synodum Northantoni.

In eo conuentu post aliarum rerum tractationem rex Lincolniensem episcopatū Gaufredo filio ex concubina nato curat deferri: qui omnia quæ episcopatu corradere poterat, abligurit & perdit.

Deinde expiandæ cædis Thomæ causa, uouerat rex cœnobium se ædificaturum: iā rogat patres, ut se consilio de loco in quem extruere posset, adiuuent: interim uerò cū legato Romano doniuoro agit, ut liceat sibi in collegium sanctę Crucis prope Londinū, in quo canonici seculares erant, introducere regulares canonicos, ne uidelicet sumptus in noui monasterij extructionem cogeretur impendere: ac fit tandem uoti compos, adstipulantibus episcopis Hugoni. Polydorus lib.13 Anglicæ historiæ, sub Heinrico 2.

VENETIIS.

ALexander tertius Venetijs 82 episcopos cōgregat, quorum consilio cum Friderico de pace pertractat. Erfurdensis.

ROMAE ALIA.

ROmæ anno 1179 concilium generale agitatur. Inter cætera autem ibi cōstitutum est, ut clerici continenter uiuerēt: ac si quis in eo uitio cōprehensus fuerit, quod est contra naturam, excommunicetur, & à clero abijciatur.

Item: Archiepiscopi in uisitatione sint contenti quinquaginta equis, episcopi triginta, legati 25, archidiaconi septem, decani duobus.

Itē: Non teneātur Ecclesiastici laicorum stare iudicijs. Matth. Paris. lib.5. Chron.

Conradus Solnhofen abbas Fuldensis ei conuentui interfuit, & confessio auricularis ibi instituta est. Valentinus Muntzer.

ROMAE ALIA, DE REFORMATIONE ROmana.

QVia plures hisce annis Romæ celebratæ sunt synodi, ideo uariant Scriptores. Constat autē generalem & celebrē anno Domini 1180 ab Alexandro 3 hoc in loco, & quidē in Laterano conuentū habitū esse. Misit enim papa in omnes orbis plagas subdiaconos suos, qui omnes ad comparendum permouerent: ut Continuator Sigeberti annotat.

Et ab Oriente quidam aduenêre, ut ipse Tyrius recenset lib.21.cap.26. Ipsemet Vuilhelmus Tyrensis archiepiscopus, Albertus Bethleemita episcopus, Heraclius Cæsariensis archiepiscopus, Radulphus Sebastenus episcopus,

episcopus, Iotius Acconẽsis episcopus, Romanus Tripolitanus episcopus, Petrus prior ecclesiæ sepulchri Dominici, Raynaldus abbas ecclesiæ montis Sion. Ait præterea, semet acta concilij diligẽter collegisse, atq; in archiuo Tyrensis ecclesiæ reposuisse.

Interfuit isti concilio & Pisanus quidã ciuis, nomine Burgundio, qui Chrysostomũ super Iohãnem à se translatum in Latinũ sermonẽ attulit. Continuator Sigeberti.

Acta autem, qualia quidem nunc extãt, uisum est adscribere.

Anno ab incarnatione Domini 1180, præsidẽte Romanę ecclesiæ papa Alexãdro 3, anno pontificatus eius 20, mense Martio, indictione 25, die mensis secundo, præsidente eodem summo põtifice, sancta synodus in basilica, quæ appellatur Cõstantiniana, ducentorum octuaginta episcoporum (Tyrius trecentos unà fuisse scribit) de electione summi pontificis.

Licet de euitanda discordia in electione summi pontificis, manifesta satis à nostris prædecessoribus constituta manauerint: tamen quia sæpe post illa per improbę ambitionis audaciam, grauem passa est ecclesia scissuram, nos etiam ad malum hoc euitandum, de consilio fratrum nostrorum, & de sacri approbatione concilij, aliquid decreuimus adiungẽdum. Satuimus igitur, ut si fortè inimico homine superseminante zizaniam, inter cardinales de substituendo pontifice non potuerit concordia plena esse, & duabus partibus concordantibus, tertia pars noluerit concordare, aut sibi alium præsumpserit ordinare: ille Romanus pontifex habeatur, qui à duabus partibus fuerit electus & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confisus, quia rem non potest, sibi nomen episcopi usurpauerit: tam ipse, quàm qui eum receperint, excommunicationi subiaceant, & totius sacri ordinis priuatione mulctentur, ita ut uiatici eis etiam, nisi tantùm in ultimis, communio denegetur: & nisi resipuerint, cum Dathã & Abiron, quos terra uiuos absorbuit, accipiant portionem. Præterea si à paucioribus aliquis, quàm à duabus partibus, fuerit electus ad Apostolatus officiũ, nisi maior concordia intercesserit, nullatenus assumatur, & prædictę pœnæ subiaceat, si humiliter noluerit abstinere. Ex hoc tamen nullum canonicis constitutionibus & alijs Ecclesiasticis præiudicium generetur, in quibus maioris & sanioris partis debet sententia præualere: quia quod in eis dubium uenerit, superioris poterit iudicio diffiniri. In Romana uerò ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi.

Caput II.

Quod à prædecessore nostro felicis memoriæ Innocentio factum est, innouantes, ordinationes ab Octauiano & Guidone hæresiarchis, nec non & Iohanne Struinensi, qui eos secutus est, factas, & ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus: adijcientes etiam, ut si qui dignitates Ecclesiasticas seu beneficia per prædictos schismaticos receperunt, careant impetratis. Alienationes quoq; seu inuasiones, quæ per eosdẽ schismaticos siue per laicos factæ sunt de rebus Ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad Ecclesiã sine omni eius onere reuertantur. Si quis autẽ contraire præsumpserit, excõmunicationi nouerit se subiacere. Illos autẽ qui spontè iuramentũ de tenendo schismate præstiterint, à sacris ordinibus & dignitatibus decreuimus manere suspensos.

Caput III.

Cum in sacris ordinibus & ministerijs Ecclesiasticis, & ætatis maturitas, & morũ grauitas, & scientia literarũ sit inquirenda: multo fortius hoc in episcopo oportet inquiri, qui ad curam positus aliorum, in seipso debet ostendere, qualiter alios in domo Domini oporteat cõuersari. Ea propter ne quod à quibusdam ex necessitate tẽporis factum est, in exemplũ trahatur apostasis: præsenti decreto statuimus, ut nullus in episcopum eligatur, nisi qui iã trigesimum ætatis annum egerit, & de legitimo sit matrimonio natus, qui etiam uita & scientia cõmendabilis demonstretur. Cũ autẽ quis electus fuerit, & cõfirmationem acceperit, & Ecclesiasticorũ bonorũ administrationẽ habuerit, decurso tẽpore, de consecrandis episcopis à Canonibus definito: is ad quẽ spectant beneficia quæ habuerat, disponendi de illis liberã habeat facultatẽ. Inferiora etiã ministeria, utputa decanatus, archidiaconatus, & alia quæ animarum curam habent annexam, nullus omnino suscipiat. Sed nec parochialium ecclesiarum regimẽ, nisi qui iam uigesimumquintum ætatis annum attigerit, & qui scientia & moribus existat commendandus. Cum uerò quis assumptus fuerit, si archidiaconus uel decanus & reliqui admoniti nõ fuerint præfixo à Canonibus tẽpore, in presbyteros ordinati & ab illo remoueantur officio, & alij cõferatur, qui & uelit & possit conuenienter illud implere. Nec prosit illis appellationis diffugium, si fortè in transgressione istius cõstitutionis per appellationem uoluerint se tueri. Hoc sanè non solùm de promouẽdis, sed de his etiam qui iã promoti sunt, si Canones non obsistant, præcipimus obseruandũ. Clerici sanè, si contra formã istam quenquã elegerint, & eligẽdi potestate tũc

priuatos,& ab Ecclesiasticis beneficijs triënio se nouerint suspensos.Dignũ est enim, ut quos timor Dei à malo non reuocat,Ecclesiasticæ tamen coerceat seueritas disciplinæ.Episcopus autẽ,si aut fecerit, aut fieri cõsenserit cõtra hoc,in conferendis prædictis potestatẽ suam amittat:& per capitulum,aut per metropolitanum,si capitulum concordare nequiuerit,ordinentur.

Caput IIII.

Cũ Apostolus se & suos proprijs manibus decreuerit exhibendos,ut locum prędicãdi auferret pseudoapostolis,&illis quibus prædicabat, nõ existeret onerosus:graue nimis & emẽdatione fore dignum dinoscitur,quòd quidã fratrũ coepiscoporũ nostrorũ ita graues in procurationibus,suis subditis existũt,ut pro huiusmodi causa interdũ ornamenta Ecclesiastica subditi cõpellantur exponere,& lõgi tẽporis uictum breuis hora cõsumat. Quocirca statuimus, quòd archiepiscopi parochias uisitãtes,pro diuersitate prouinciarũ & facultatib. ecclesiarum,quadraginta uel quinquaginta euectionis numerũ non excedãt. Cardinales uerò uiginti uel uigintiquinq; nõ excedãt. Episcopi uiginti uel triginta nequaquam excedãt. Archidiaconi quinq; aut septem: decani cõstituti sub ipsis,duobus equis existant cõtenti. Cũ canibus uenatorijs & auibus nõ proficiscantur:sed ita procedant,ut nõ quæ sunt sua,sed quæ IESV Christi quęrere uideãtur.Prohibemus etiam,ne subditos suos tallijs & exactionib. episcopi grauare præsumãt. Sustinemus autẽ pro multis necessitatibus,quæ aliquoties superueniũt,ut si manifesta & rationabilis causa extiterit, cũ charitate moderatũ ab eis ualeant auxiliũ postulare. Cũ enim dicat Apostolus,Non debent parentibus filij thesaurizare,sed parẽtes filijs:multũ lõgè à paterna pietate uidetur,si præpositi suis subditis graues existant, quos in cunctis necessitatibus pastoris mole fouere debent.Archidiaconi autem siue decani nullas exactiones uel tallias in presbyteros seu clericos exercere præsumãt. Sanè quod de prædicto numero euectionis secundũ tolerantiã dictũ est,in illis locis poterit obseruari,in quibus ampliores sunt reditus & ecclesiæ facultates. In pauperioribus autem locis tantã uolumus teneri mensurã, ut ex accessu maiorum,minores non debeãt grauari:ne sub tali indulgentia illi qui paucioribus equis uti solebant, hactenus plurimam sibi credant potestatem indultam.

Caput V.

Episcopus si aliquem sine certo titulo,de quo necessaria uitæ percipiat,in diaconum uel presbyterum ordinauerit, tam diu necessaria ei subministret, donec in aliqua ei Ecclesia conuenientia stipẽdia militiæ clericali assignet:nisi fortè talis qui ordinatur extiterit,qui de sua uel paterna hæreditate subsidium uitæ possit habere.

Caput VI.

Reprehensibilis ualde consuetudo in quibusdã partibus inoleuit,ut fratres & episcopi nostri,seu etiã archidiaconi,quos appellaturos in causis suis existimãt,nulla penitùs admonitione præmissa, suspẽsionis uel excõmunicationis in eos ferãt sententiã.Alij etiam dum superioris sententiã & disciplinam canonicam reformidant, sine ullo grauamine appellationẽ obijciũt,& ad defensionem iniquitatis usurpant,quod ad subsidium innocentium dinoscitur institutum. Quocirca ne uel prælati ualeant sine causa grauare subiectos, uel subditi pro sua uoluntate sub appellationis obtentu correctionem ualeant eludere prælatorum,præsenti decreto statuimus,ut nec prælati, nisi canonica commonitione præmissa, suspensionis uel excommunicationis sententiam proferant in subiectos:ni fortè talis sit culpa,quæ ipso genere suo excommunicationis pœnam inducat:nec subiecti contra disciplinam Ecclesiasticam ante ingressum causæ in uocem appellationis prorumpãt. Si uerò quisquam pro sua necessitate crediderit appellandum,competens ei ad prosequendam appellationem terminus præfigatur:infra quem si fortè persequi neglexerit,liberè tunc episcopus sua authoritate utatur. Si autem in quocunq; negocio aliquis appellauerit, & eo qui appellatus fuerit ueniente,qui appellauerit,uenire neglexerit,si proprium quid habuit,cõpetentem ei recõpensationem faciat expensarum: ut hoc saltem timore perterritus,in grauamẽ alterius non facilè quis appellet.Præcipuè uerò in locis religiosis hoc uolumus obseruari,ne monachi siue quicunq; religiosi,cũ pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularẽ prælati sui & capituli disciplinam appellare præsumant: sed humiliter ac deuotè suscipiant, quod pro salute sua utiliter eis fuerit iniunctum.

Caput VII.

Cum in Ecclesiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis receptum est, gratis impendi: horribile nimis est, quòd in quibusdam Ecclesijs locum uenalitas perhibetur habere, ita ut pro episcopis uel abbatibus, seu quibuscunque personis Ecclesiasticis ponendis in sede,seu introducendis presbyteris in ecclesiã,nec non pro sepulturis & exequijs mortuorum, & benedictionib. nubẽtiũ, seu alijs sacramentis aliquid exigatur: & illo

& ille qui indiget, nõ possit ista percipere, nisi manũ implere curauerit largitoris. Putãt plures ex hoc sibi licere, quia legẽ moris de lõga inualuisse cõsuetudine arbitrantur, nõ satis, quia cupiditate cęcati sunt, attendentes, q̃ tanto grauiora sunt crimina, quãto diutius animã infelicẽ tenuerint alligatã. Ne igitur hoc decęterò fiat, & uel pro personis Ecclesiasticis deducẽdis ad sedẽ, uel sacerdotib. instituẽdis, aut mortuis sepeliẽdis, seu etiã nubentib. benedicẽdis, seu etiã alijs sacramẽtis aliquid exigatur, districtius inhibemus. Si quis aũt cõtra hoc uenire pręsumpserit, portionẽ cũ Giezi se nouerit habiturum, cuius factum turpis muneris exactione imitatur. Prohibemus insuper, ne noui census ab episcopis uel abbatibus, alijs'ue pręlatis imponantur ecclesijs, nec ueteres augeantur, nec partem redituum suis usibus appropriare præsumãt: sed libertates quas sibi maiores desiderant conseruari, minoribus quoq; suis bona uoluntate conseruent. Si quis autẽ aliter egerit, irritum quod fecerit habeatur.

Caput VIII.

Nulla Ecclesiastica ministeria, seu etiam beneficia uel ecclesiæ alicui tribuantur seu promittantur, antequam uacent: ne desiderare quis mortẽ proximi uideatur, in cuius locũ & beneficiũ se credidit successurũ. Cũ enim id etiam in ipsis gentiliũ legib. inueniatur prohibitum, turpe nimis est, & diuini plenum animaduersione iudicij, si locũ in Dei Ecclesia futuræ successionis expectatio habeat, quam etiam damnare ipsi gentiles homines curauerunt. Cum uerò præbendas Ecclesiasticas, seu quælibet officia in aliqua ecclesia uacare contigerit, uel etiã si modò uacant, nõ diu maneant in suspenso: sed infra sex menses personis quæ dignè administrare ualeant, cõferantur. Si autem episcopus, ubi ad eum spectauerit, conferre distulerit, per capitulũ ordinetur. Quòd si ad capitulum electio pertinuerit, & infra prædictũ terminũ hoc non fecerit, episcopus hoc secundũ Deum cum uirorũ religiosorum consilio exequatur. Aut si omnes fortè neglexerint, metropolitanus de ipsis secundum Deum absq; illorum cõtradictione disponat.

Caput IX.

Cum & plantare sacram religionem, & plantatã fouere modis omnib. debeamus, nunquam hoc melius exequemur, quàm si nutrire quę recta sunt, & corrigere quę ꝓfectũ ueritatis impediũt, cõmissa nobis authoritate curemus. Fratrũ aũt ac coepiscoporũ nostrorũ uehemẽti cõquestione comperimus, q̃ fratres Tẽpli & Hospitalis, alij quoq; religiosæ professionis, indulta sibi ab Apostolica sede excedentes priuilegia, cõtra episcopalẽ authoritatẽ multa præsumũt, quæ & scandalũ generant in populo Dei, & graue pariunt periculũ animarum. Proponunt enim, quòd ecclesias recipiant de manibus laicorũ, excõmunicatos & interdictos ad Ecclesiastica sacramenta & sepulturam admittant, in ecclesijs suis pręter eorũ conscientiã & instituant & amoueant sacerdotes: & fratrib. eorũ ad eleemosynas quærendas euntibus, cũ indultũ sit eis, ut in aduentu, eorũ semel in anno ecclesiæ aperiantur, atq; in eis diuina celebrentur officia: plures in eis de una siue diuersis domibus ad locũ interdictũ sępius accedẽtes, indulgentia priuilegiorũ in celebrandis officijs abutuntur, & tunc mortuos apud prædictas ecclesias sepelire præsumunt. Occasione quoq; fraternitatum, quas in pluribus locis faciunt, robur episcopalis authoritatis eneruant, dum contra eorum sententiam sub aliquorum priuilegiorum obtentu munire cunctos intendunt, qui ad eorũ fraternitatem uolunt accedere & se cõferre. In his quia non tam de maiorum conscientia uel consilio, quàm de minorum indiscretione quorundam exceditur: & remouenda ea in quibus excedunt, & quæ dubietatem faciunt, declaranda decreuimus. Ecclesias sanè & decimas de manu laicorum sine consensu episcoporum, tam illos quàm quoscunque alios religiosos recipere prohibemus: dimissis etiã quas contra tenorem istũ moderno tempore ceperunt, excõmunicatos & nominatim interdictos, tam ab illis quàm ab omnib. alijs iuxta episcoporũ sententiã statuimus euitandos. In ecclesijs suis, quę ad eos pleno iure nõ pertinent, instituendos presbyteros episcopis pręsentent, ut eis quidẽ de plebis cura respondeãt, ipsis uerò pro rebus temporalib. rationẽ exhibeãt competentem. Institutos autẽ episcopis incõsultis, nõ audeãt remouere. Si uerò Templarij siue Hospitalarij ad Ecclesiasticum interdictum uenerint, non nisi semel in anno ad Ecclesiasticũ admittantur officium, nec tũc ibi corpora sepeliant defunctorum. De fraternitatibus hoc statuimus, ut si non se prædictis fratrib. omnino reddiderint, sed in suis proprietatibus duxerint remanendũ, propter hoc ab episcoporum sententia nullatenus eximantur: sed potestatẽ suã in eos, sicut in alios parochianos suos, exerceãt, cum pro suis excessibus fuerint corrigendi. Quod aũt de prædictis fratribus dictum est, de alijs quoq; religiosis, qui pręsumptione sua episcoporũ iura præripiunt, & contra canonicas eorum sententias & tenorem priuilegiorum nostrorum uenire præsumunt,

præcipimus obseruari. Si aũt contra hoc institutum uenerint, & ecclesiæ in quibus ista præsumpserint, subiaceant interdicto, & quod egerint, irritum habeatur.

Caput X.

Monachi nõ precio recipiantur in monasterio, nõ peculiũ permittantur habere, nõ singuli per uillas & oppida seu ad quascunq; parochiales ponantur ecclesias: sed in maiori conuentu aut cum aliquibus fratribus maneant, nec soli inter seculares homines spiritualium hostium cõflictionem expectent, Salomone dicente: Væ soli, quia si ceciderit, nõ habet subleuantẽ. Si quis autẽ exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad sacros ordines non ascendat. Is aũt qui acceperit, officij sui priuatione mulctetur. Si uerò peculium habuerit, nisi ei ab abbate pro iniuncta fuerit administratione permissum, de cõmunione remoueatur altaris: & qui in extremis cum peculio inuẽtus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat sepulturam. Quod etiam de diuersis religiosis præcipimus obseruari. Abbas etiam qui ista diligenter non curauerit, officij sui iacturam se nouerit incursurum. Prioratus quoque siue obedientiæ, precij datione nulla tradantur. Alioquin & dantes & accipientes à ministerio fiant Ecclesiastico alieni. Priores uerò, cum in conuentualibus ecclesijs fuerint constituti, nisi pro manifesta causa & rationabili non mutentur: uidelicet, si fuerint dilapidatores, nec continenter uixerint, aut aliquid tale egerint, pro quo amouendi meritò uidebantur. Aut si etiam pro necessitate maioris officij, de consilio fratrum fuerint transferendi.

Caput XI.

Clerici in sacris ordinibus constituti, qui mulierculas suas in domibus suis sub incõtinentiæ nota tenuerint, aut abijciãt eas, & continenter uiuant, aut ab officio & beneficio Ecclesiastico fiant alieni. Quicunque incontinentia illa, quæ contra naturam est, propter quam uenit ira Dei in filios diffidentiæ, & quinq; ciuitates igne cõsumpsit, deprehensi fuerint laborare: si clerici fuerint, eijciantur à clero, uel ad pœnitentiam agendam in monasterijs detrudantur: si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant prorsus alieni. Monasteria præterea sanctimonialium, si quisquam clericus sine manifesta & necessaria causa frequentare præsumpserit, per episcopum arceatur: & si non destiterit, à beneficio Ecclesiastico reddatur immunis.

Caput XII.

Clerici in subdiaconatu & suprà, & in minoribus quoq; ordinibus, si stipendijs Ecclesiasticis sustentãtur, corã iudice seculari aduocati in negocijs fieri non præsumant, nisi propriã uel ecclesiæ suę causam fuerint prosecuti, aut pro miserabilib. fortè personis, quę proprias causas administrare non possunt. Sed nec procurationes uillarũ, aut iurisdictiones etiam seculares sub aliquibus principibus uel secularibus uiris, ut iusticiarij eorum fiant, clericorum quisquam existere præsumat. Si quis aduersus hoc uenire tentauerit (quoniam contra doctrinam Apostoli est dicentis: Nemo militans Deo, implicat se negocijs secularibus) & seculariter agit, ab Ecclesiastico ministerio fiat alienus, pro eo quòd officio clericali neglecto, fluctibus seculi, ut potentib. seculi placeat, se immergit. Districtius autem decreuimus puniendũ, si religiosorũ quispiam aliquid prędictorũ audeat attentare.

Caput XIII.

Quia nonnulli modum auariciæ non ponentes, dignitates Ecclesiasticas, & plures ecclesias parochiales contra sacrorũ Canonum instituta nitũtur adquirere, ita ut, cum unum officium uix implere sufficiãt, stipendia sibi uendicent plurimorum: ne id decæterò fiat, districtius inhibemus. Cũ igitur ecclesia uel Ecclesiasticum ministerium cõmitti debuerit, talis ad hoc persona quęratur, quę residere in loco, & curam eius per seipsum ualeat exercere: quòd si aliter fuerit actum, & qui receperit, quod cõtra sacros Canones accepit, amittat: & qui dederit, largiendi potestate priuetur.

Caput XIIII.

Quia in tantum iam quorũdam processit ambitio, ut nõ duas uel tres, sed sex aut plures ecclesias perhibeantur habere, nec duabus debitam posśint prouisionem impendere, per fratres & coepiscopos nostros charisśimos emendari præcipimus, ut de multitudine Canonibus inimica, quę dissolutionis materiam & uagationis inducit, & certum continet periculum animarum: eorum qui ecclesijs dignè ualeãt deseruire, uolumus Ecclesiasticis beneficijs indigentiam subleuari. Pręterea quia in tãtum quorundam laicorum procesśit audacia, ut episcoporum authoritate neglecta, clericos instituant in ecclesijs, & remoueant etiam cũ uoluerint, possesśiones quoque atque alia bona Ecclesiastica pro sua plurimùm uoluntate distribuant, & tam ecclesias ipsas quàm eorum homines tallijs & exactionibus præsumant grauare: eos qui amodò ista commiserint, anathemate decernimus feriendos. Presbyter autem siue clericus, qui ecclesiam per laicos sine proprij episcopi authoritate receperit tenendam, communione priuetur: & si

& si persliterit, à ministerio Ecclesiastico & ordine deponatur. Sanè quia laici quidam Ecclesiasticas personas, & ipsos etiã episcopos suo iudicio stare compellunt, eos qui decæterò id præsumpserint, à cõmunione fidelium decernimus segregandos. Prohibemus etiam, ne laici decimas cum aliarũ suarum periculo retinentes, in alios laicos posśint aliquo modo transferre. Si quis uerò receperit, & ecclesiæ nõ tradiderit, Christiana sepultura priuetur.

Caput X V.

Cum in officijs charitatis, illis primo teneamur obnoxij, à quibus nos beneficium cognoscimus accepisse: Ecclesiastici quidã clerici, cum ab ecclesijs suis multa bona ꝑceperint, bona per ecclesias acquisita in alios usus prȩsumunt transferre. Hoc igitur quia antiquis Canonibus cõstat inhibitũ, nos etiã nihilominus inhibemus. Indẽnitati itaq; ecclesiarũ ꝓuidere uolẽtes, siue intestati decesserint, siue alijs cõferre uoluerint, penes ecclesiã eadẽ bona præcipimus remanere. Prȩterea quoniam quidã in quibusdam partibus sub precio statuũtur, qui decani uocantur, & pro certa pecuniȩ quãtitate episcopalẽ iurisdictionem exercent: præsenti decreto statuimus, ut qui decȩterò id præsumpserit, officio suo priuetur, & episcopus conferendi hoc officium potestatem amittat.

Caput X V I.

Cũ in cunctis ecclesijs, quod pluribus & senioribus fratribus uisum fuerit, incũctanter debeat obseruari: graue nimis & reprehensione est dignũ, quòd quarundã ecclesiarũ pauci quandoq; nõ tam de ratione, q̃ de propria uoluntate ordinationẽ multoties impediũt, & ordinationẽ Ecclesiasticã procedere nõ permittunt. Quocirca prȩsenti decreto statuimus, ut nisi à pauciorib. & inferioribus aliquid rationabile fuerit ostensum, appellatione remota semper prȩualeat & suũ consequatur effectum, quod à maioris uel sanioris parte concilij fuerit constitutum. Nec nostram constitutionem impediat, si fortè aliquis ad conseruandam ecclesiæ suæ consuetudinem iuramento se dicat astrictũ. Nõ enim dicenda sunt iuramẽta, sed potius periuria, quæ contra utilitatem Ecclesiasticã & sanctorũ patrum ueniunt instituta. Si aliquis huiusmodi cõsuetudines, quæ ratione iuuantur, & sacris cõgruunt institutis, irritare præsumpserit, donec congruam egerit pœnitentiam, à Dominici corporis perceptione fiat alienus.

Caput X V I I.

Quoniã in quibusdam locis ecclesiarum fundatores aut hæredes eorũ, potestate in qua eos ecclesia hucusq; sustinuit, abutuntur: & cum in Ecclesia Dei unus debeat esse qui præsit, ipsi plures sine respectu subiectionis eligere moliuntur: & cum una Ecclesia unius debeat esse rectoris, ꝓ sua defensione plurimos reprȩsentant. Quocirca præsenti decreto statuimus, ut si fortè in plures partes fundatorum se uota diffuderint, ille præficiatur ecclesiȩ, qui maioribus iuuatur meritis, & plurium eligitur & probatur assensu. Si aũt hoc sine scandalo fieri nequiuerit, ordinet antistes ecclesiam, sicut melius secundum Deum uiderit ordinandam. Idipsum etiam faciant, si de iure patronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui cõpetat, infra tres menses non fuerit diffinitum.

Caput X V I I I.

Quoniam Ecclesia Dei & in his quæ spectant ad subsidium corporis, & in his quæ ad profectum ueniunt animarum, indigentibus sicut pia mater prouidere tenetur: ne pauperibus, qui parentum opibus iuuari nõ possunt, legendi & proficiendi opportunitas subtrahatur, per unamquamq; ecclesiã cathedralem magistro, qui clericos eiusdem ecclesiæ & scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium asśignetur, quo docentis necesśitas subleuetur, & discentibus uia pateat ad doctrinam. In alijs quoq; restituatur ecclesijs siue monasterijs, si retroactis temporibus aliquid in eis ad hoc fuerit deputatum. Pro licentia uerò docendi nullus omnino precium exigat, uel sub obtentu alicuius consuetudinis ab his qui docẽt, aliquid quȩrat: nec docere quẽpiã, expetita licẽtia, qui sit idoneus, interdicat. Qui uerò cõtra hoc uenire præsumpserit, à beneficio Ecclesiastico fiat alienus. Dignũ quidẽ esse uidetur, ut in Ecclesia Dei fructũ laboris non habeat, qui cupiditate animi diuendẽs licentiã docẽdi, Ecclesiarũ profectũ nititur impedire.

Caput X I X.

Nõ minus pro peccato eorũ qui faciunt, quàm ꝓ illorũ detrimento qui sustinẽt, graue nimis esse dinoscitur, q; in diuersis partib. mũdi, rectores & consules ciuitatũ, nec nõ & alij qui potestatẽ habere uidẽtur, tot ecclesijs frequenter onera imponunt, & ita grauibus eas crebrisq; exactionibus premunt, ut deterioris cõditionis factum sub eis sacerdotiũ uideatur, quàm sub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis noticiã nõ habebat. Ille quidẽ, omnibus alijs seruituti subiectis, sacerdotes suos & eorũ possesśiones in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministrauit. Isti uerò uniuersa ferè onera sua imponunt ecclesijs, & tot angarijs eos affligunt, ut illud eis quod Ieremias deplorat, competere uideatur: Princeps

Princeps prouinciarũ facta est sub tributo. Siue quidem fossata, siue expeditiones, siue quælibet alia sibi arbitrentur agẽda, de bonis ecclesiarũ, clericorũ & pauperũ Christi usibus deputatis, cũcta uolũt ferè cõpilari. Iurisdictionẽ etiã & authoritatẽ episcoporũ & aliorũ prælatorũ ita euacuant, ut nihil potestatis eis in suis uideatur hominib. remansisse. Super quo dolendũ pro ecclesijs, dolendũ etiã nihilominus & pro ipsis, qui timorẽ Dei & Ecclesiastici ordinis reuerentiã uidẽtur penitùs abiecisse. Quocirca sub anathematis districtione seuerius prohibemus, ne decæterò talia præsumant attentare, nisi episcopus & clerus tantam necessitatẽ uel utilitatẽ aspexerint, ut absq; coactione ad releuãdas cõmunes necessitates, ubi laicorũ nõ suppetunt facultates, subsidia per ecclesias existiment conferenda. Si autem consules aut alij decæterò id præsumpserint, & cõmoniti fortè desistere noluerint, tam ipsi quàm eorũ fautores excõmunicationi se nouerint subiacere: nec cõmunicationi fideliũ reddantur, nisi satisfactionem fecerint competentem.

Caput XX.

Felicis memoriæ papę Innocentij & Eugenij prædecessorum nostrorum uestigijs inhærentes, detestabiles nundinas uel ferias, quas uulgò torneamẽta uocãt, in quibus milites ex cõdicto uenire solent, & ad ostentationẽ uiriũ suarũ & audaciæ temerariè cõgrediũtur, unde mortes hominũ & animarũ pericula sæpe ꝓueniunt, fieri ꝓhibemus. Quòd si quis eorũ ibidẽ mortuus fuerit, quãuis ei poscẽti uenia nõ negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.

Caput XXI.

Treugas à quarta feria post occasum solis usq; ad secundam feriam, & ab Aduentu Domini usq; ad octauas Epiphaniæ, à Septuagesima usq; ad octauas Paschæ, ab omnibus inuiolabiliter obseruari præcipimus. Si quis autẽ Treugam frangere tentauerit, post tertiã cõmonitionẽ si nõ satisfecerit, episcopus suus sententiã excõmunicationis dictet, & scriptã uicinis suis annũciet. Episcopus aũt nullus excõmunicatum in cõmunionem suscipiat: imò scriptam susceptam sententiã quisq; confirmet. Si quis aũt hoc uiolare pręsumpserit, ordinis sui periculo subiaceat. Et quoniam funiculus triplex nõ facilè rumpitur, præcipimus, ut episcopi solius Dei & salutis populi habentes respectũ, omni tepiditate seposita, ad pacẽ firmiter tenendam mutuũ sibi consilium & auxilium præstent, neq; hoc alicuius amore uel odio prætermittant. Quòd si quis in opere Dei tepidus fuerit inuentus, damnũ dignitatis suæ incurrat.

Caput XXII.

Innouamus, ut presbyteri, monachi, clerici, conuersi, peregrini, mercatores, rustici, euntes & redeuntes, & in agricultura existentes, & animalia quæ semina portãt ad agrũ, congrua securitate lętentur. Nec quisquam alicui nouas pedagiorũ exactiones sine authoritate regum & principum consensu statuere, aut statutas de nouo tenere, aut ueteres augmentare aliquo modo temerè præsumat. Si quis autem cõtra hoc uenire præsumpserit, & commonitus non destiterit, donec satisfaciat, communione careat Christiana.

Caput XXIII.

Cũ dicat Apostolus, abundantiorẽ honorẽ mẽbris infirmiorib. deferendũ, Ecclesiastici quidã quę sua sunt, nõ quę IESV Christi quærẽtes, leprosis, qui cũ sanis habitare nõ possunt, & ad ecclesiã cũ alijs cõuenire, ecclesias & cœmiteria nõ permittũt habere, nec proprij iuuari ministerio sacerdotis. Quod quia ꝓcul à pietate Christiana esse dinoscitur, de benignitate Apostolica cõstituimus, ut ubicũq; tot simul sub cõmuni uita fuerint cõgregati, qui ecclesiã sibi cũ cœmiterio cõstituere, & ꝓprio gaudere ualeant presbytero, sine contradictione aliqua permittãtur habere. Caueant tamen, ut iniuriosi ueterib. ecclesijs de iure parochiali nequaquã existant. Quod namq; eis pro pietate conceditur, ad aliorum iniuriã nolumus redundare. Statuimus etiam, ut de hortis & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur.

Caput XXIIII.

Ita quorundã animos occupauit sęua cupiditas, ut cũ gloriẽtur nomine Christiano, Sarracenis arma, ferrũ & ligamina galearũ deferãt, & pares eis, aut etiã supiores in malitia fiãt, dũ ad impugnandos Christianos arma eis & necessaria subministrant. Sunt etiã qui pro sua cupiditate in galeis & piraticis Sarracenorũ nauib. regimẽ & curã gubernationis exercent. Tales igitur à cõmunione Ecclesiæ præcisos, & excõmunicationi sua iniquitate subiectos, & suarũ rerũ per seculi principes catholicos & consules ciuitatũ priuatione mulctari, & capientiũ seruos, si capti fuerint, fore censemus. Præcipimus etiam, ut per Ecclesias maritimarũ urbium crebra & solennis excõmunicatio ꝓferatur in eos. Excõmunicationis quoq; pœnæ subdãtur, qui Romanos aut Christianos, ꝓ negociatione sua uel alijs causis honestis nauigio uectos, aut capere, aut rebus suis spoliare ꝑsumũt. Illi etiã q Christianos naufragia patiẽtes, quib. secundũ regulam fidei auxilio esse tenentur, dãnanda cupiditate reb. suis spoliare pręsumũt, nisi ablata

reddi-

reddiderint, excommunicationi se nouerint subiacere.

Caput XXV.

Quia in omnibus ferè locis tantum usurarum inoleuit, ut multi alijs negocijs prætermissis, quasi licitè usuras exerceant, & qualiter utriusq; tituli pagina condemnétur, nequaquam attendant: ideo constituimus, ut usurarij manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam. Sed nec eorũ oblationem quisquam accipiat. Qui autem acceperit, aut eos Christianæ tradiderit sepulturæ, & ea quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitriũ sui episcopi satisfaciat, ab officij sui maneat executione suspẽsus.

Caput XXVI.

Iudæi siue Sarraceni nec sub alendorum puerorũ obtẽtu, nec pro seruitio, nec alia qualibet causa, Christiana mancipia in domibus suis permittantur habere. Excommunicẽtur aũt qui cũ eis pręsumpserint habitare. Testimonium quoq; Christianorũ aduersus Iudæos in omnibus causis, cũ illi aduersus Christianos testibus suis utãtur, recipiẽdũ esse cẽsemus: & anathemate decernimus feriendos, quicũq; Iudęos Christianis uoluerint in hac parte pręferre, cum eos subiacere Christianis oporteat, & ab eis pro sola humanitate foueri. Si qui præterea, Deo inspirante, ad fidem se cõuerterint Christianam, à possessionibus suis nullatenus excludantur, cum melioris cõditionis conuersos ad fidem esse oporteat, quàm antequam fidẽ acceperunt, habebãtur. Si autem secus factũ fuerit, principibus uel potestatibus eorundẽ locorũ sub pœna excommunicationis iniungimus, ut portionẽ hæreditatis & bonorum suorũ ex integro eis faciant exhiberi.

Cap. XXVII.

Sicut ait beatus Leo, licet Ecclesiástica disciplina sacerdotali cõtenta iudicio, cruentas nõ efficiat ultiões: catholicorũ tamẽ principũ constitutionib. adiuuatur; ut sæpe quærãt homines salutare remediũ, dũ corporale sup se metuũt euenire suppliciũ. Ea ꝓpter, quia in Gasconia, Allegesio & partibus Tolosanis & alijs locis ita hæreticorũ, quos alij Catharos, alij Patrinos, alij Publicanos, alij alijs nominib. uocãt, inualuit dãnata peruersitas, ut iã nõ in occulto, sicut aliqui, nequitiã suã exerceãt, sed suũ errorem publicè manifestẽt, & ad suũ cõsensum simplices attrahãt: & infirmos eos & defensores eorũ & receptores anathemati decernimus subiacere, & sub anathemate ꝓhibemus, ne quis eos in domibus, uel in terra sua tenere uel fouere, uel negociationẽ cũ eis exercere ꝑsumat. Si aũt in hoc peccato decesserint, nõ sub nostrorũ priuilegiorum cuilibet indultorũ obtẽtu, nec sub aliacũq; occasione aut oblatio fiat pro eis, aut inter Christianos recipiãt sepulturã. De Brebãtionib. & Arrogenũ Nauarijs, Basculis, Coterellis & Triauerdinis, qui tantã in Christianos inhumanitatẽ exercẽt, ut nec ecclesijs nec monasterijs deferãt, nõ uiduis & puellis, nõ senib. & pueris, nec cuilibet parcant ętati aut sexui: sed more paganorũ omnia perdant & uastẽt, similiter cõstituimus, ut q eos cõduxerint uel tenuerint uel fouerint p regiones, in quib. taliter debacchantur, in Dominicis & alijs solẽnib. diebus per ecclesias publicè denuncientur, & eadẽ omnino sentẽtia & pœna cũ prędictis hæreticis habeãtur adstricti, nec ad cõmunionẽ recipiãtur Ecclesię, nisi societate illa pestifera & hęresi abiuratis. Relaxatos aũt se nouerint à debito fidelitatis, & hominij ac totius obsequij, donec in tãta iniquitate permãserint, quicũq; illis aliquo peccato tenẽtur annexi. Ipsis aũt cũctisq; fidelib. in remissionem peccatorũ iniũgimus, ut tantis cladib. se uiriliter opponãt, & cõtra eos armis populũ Christianũ tueãtur. Cõfiscẽturq; eorũ bona, & liberũ sit principibus, huiusmodi homines subijcere seruituti. Qui aũt in uera pœnitẽtia ibi decesserint, & peccatorũ indulgẽtiã, & fructũ mercedis æternæ se nõ dubitẽt pcepturos. Nos etiã de misericordia Deĩ & beatorũ apostolorũ Petri & Pauli authoritate cõfisi, fidelib. Christianis, qui contra eos arma susceperint, & ad episcoporũ seu aliorũ prelatorũ consiliũ, ad eos decertãdo expugnãdos, bienniũ de pœnitentia iniunctã relaxamus: aut si longiorẽ ibi morã habuerint, episcoporũ discretioni, quib. huius rei causa fuerit iniuncta, cõmittimus, ut ad eorũ arbitriũ, secundũ modũ laboris, maior eis indulgẽtia tribuatur. Illis aũt qui admonitioni episcoporũ in huiusmodi parte parẽre cõtempserit, à perceptione corporis & sanguinis Domini iubem⁹ fieri alienos. Interim uerò eos, q ardore ad eos expugnandũ, laborẽ iustũ assumpserint, sicut eos qui sepulchrũ Dominicum uisitãt, sub Ecclesiæ defensione recipimus, & ab uniuersis inquietationib. tam in reb. quàm in personis statuimus manere securos. Si uerò quispiã uestrũm ꝑsumpserit eos molestare, p episcopũ loci excõmunicationis sentẽtia feriatur: & tãdiu sentẽtia seruetur ab omnibus, donec & ablata reddãtur, & de illatis damnis cõgruè iterũ satisfaciat. Episcopi uerò siue presbyteri, q talib. fortiter nõ restiterint, officij sui priuatione mulctẽtur, donec misericordiã Apostolicæ sedis obtineãt. Tomo 2. Cõciliorũ, Guilhelmus Neubr. li. 3. ca. 2 & 3.

Otto

Otto Phrisingensis ait, episcopos schismaticos & ab ipsis ordinatos, esse ab Alexandro in eo concilio damnatos. lib. 7. cap. ultimo. Sed ista clarius aliquanto à Crantzio recitantur: Ibi cessit, inquit, à schismate Iohánes Calixtus, & factus est episcopus Beneuentanus. Archiepiscopi pallia accepta à schismaticis abiecerunt. Christianus Moguntinus & Philippus Coloniensis per manum Iacinthi cardinalis receperunt noua pallia, refutantes omné hæresim & schisma, præcipuè Octauiani, Guidonis & Iohánis, sic in hæc singulis uerba iurantibus: Ego N. anathematizo & recuso omnem hæresim, extollétem se aduersus sanctam Romanam ecclesiam catholicam, præcipuè uerò schisma Octauiani, Guidonis & Iohannis, & ordinationes eorum irritas iudico, & eis contradico: & modò & in antea me obediturum iuro, & promitto fidelitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ & domino meo Alexandro, & successoribus eius iustè intrátibus: ipsisq; inseruiam absque omni malo ingenio, contra omnem hominem, secundum ordinem meum. Consilia eius, quæ mihi scripto certo mandauerit, uel ipse cómiserit, nulli hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis aut membrorum. Legatum ecclesiæ Romanæ honorabo, & ducam & reducam, & iuuabo expensis. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia. His uerbis dabantur pallia: In nomine patris & filij & Spiritus sácti, & in honore Dei genitricis, & in honore apostolorum Petri & Pauli, & sanctæ ecclesiæ Romanæ, & domini Alexandri papæ, tradimus tibi pallium, sumptum de beatissimo corpore Petri apostoli, ut eo utaris in confectione Sacramentorum & corporis & sanguinis Domini, & in consecratione ecclesiarum & chrismatis, & ordinatione clericorum, & in celebratione synodorum, secundum ecclesię tuæ consuetudinem, Amen. In Metropoli lib. 7. cap. 3. Platina uerò inquit, hoc concilium esse susceptum, tum ut mores curiæ, iá nimia licentia labefactati, corrigerentur: tú uerò maximè, ut decerneretur, ne quis ferrum, ligna aut arma infidelibus, & à religione nostra alienis importaret, idq; sub anathematis pœna.

LENCICIAE,

CONTRA RAPINAS.

Nobiles ac potentes passim iter facientes, rusticorum & oppidanorum pabula, iumenta aliaq; necessaria per uim ac gratis rapiebant. Casimirus itaque rex Polonorum habito conuentu, eam barbaricá tyrannidem abrogat, legesq; sancit, ne quis deinceps ulli agricolę pabulum, annonam, obsonium, iumentum, ui uel fraude abripiat, nisi ad denunciandam hostium irruptionem.

Deinde, ne in bona defunctorum episcoporú, ut hactenus usitatum fuisset, impetú quis faciat, neúe quis talem receptet aut defenset.

Hisce statutis octo episcopi anathematis minas appendunt. Postremò ad Alexandrum papam ea statuta corroborationis gratia mittuntur: qua quidem ex re facilis est coniectura, episcopos ibi dominatos esse, magistratumq; politicum Romano pontifici subtrusisse. Hæc facta sunt anno Domini 1180. Cromerus libro sexto de rebus Polonorum.

MAGVNTIAE.

Scribit Auentinus, circa hæc tempora Maguntiæ concilium esse celebratum, præcipuè Cluniacensis & Cisterciensis abbatum, & Eberhardi Bambergensis opera, calendis Augusti: ubi Imperator & Alexander sunt reconciliati penitùs.

Deinde Albertus archiepiscopus Salisburgensis, quia non legitimè ascenderat ad culmen ecclesiæ, deiectus est, Cunrado de Vuitelspach substituto. libro 6. Annalium Boiorum.

SVB LVCIO.

VERONAE,

CONTRA MAGISTRAtum.

Lucius tertius, mox ut coronam papacęsaream accepit, pro spiritu papali có sules Romanos, priorum uestigijs insistens, tentauit abolere. Sed usqueadeò non potuit hoc obtinere, ut ea ipsa re sibi malum crearit. Vi enim Roma excutitur, eiusq; suffragatores uarijs pœnis afficiuntur. Vrspergensis clarè inquit, eum contra Imperatoré quasdam controuersias mouisse, ad quas componendas concilium sit indictum, anno Domini 1182.

Veronæ autem concilium congregat papa, ubi contra Romanum magistratum sententias dictat, quòd non passi essent ipsum alterum pedem in curia habere, sicut alterum in Ecclesia obtineret. Platina.

Deinde accurrunt plurimi ab antipapis ordinati, reconciliationem expetentes. Adest concilio & Imperator, pro ipsis preces interponens. Primùm autem benignè papa respondet. Sed postera die mutatur papa, dictitans, in alio conuentu ista plenius discutienda esse: & credebatur ea uacillatio à Conrado Moguntino & Vuormaciensi mota esse.

Tertiò Imperator cum papa de patrimonio Mathildis opulentissimæ tractare incipit, reposcens eas ad Imperij fiscum. Sed

papæ ſibi rapuerant, tenebantq; ſumma ui cõtra Cæſarem. Res iſta ſurſum deorſumq; iactatur: ſed clauam ſuá, quod dicitur, Hercules in manu ſua retinet. Nam papa Romanus nõ poteſt unquam fieri ſacrilegus, etiá ſi opes totius orbis terrarum deuoraret.

Quartò controuerſia agitatur de Treuiréſi eccleſia. Nam duo uultures de eo cadauere diſceptabant. Electus erat Volmarus à quibuſdá, ſic & Rodolphus. Huius partes Imperator, alterius uerò papa tuebatur, atque in deſpectum Imperatoris papa Volmarum confirmat.

Cæterùm concilium morte Lucij, in inferiores tenebras deſcendẽtis, finitur. Cran. Saxon. lib. 6. cap. 47.

GEILENHVSEN.

IMperator ex Italia reuerſus ira æſtuat, atque in Geilenhuſen conuentum indicit. Adſunt pontifices ac principes Imperij, ubi Imperator iſta in medium profert:

Compertũ eſſe uobis arbitror, inquit, patres ac principes, quo ſit in nos animo ſummus pontifex: nec intelligimus, quibus in eum demeritis ea patiamur quæ facit, etiá maiora cõminatus. Nos facilè inducimur, ut ſanctũ illum patrũ noſtrũ agnoſcamus, debitumq; ſummo pontifici impendamus honorem, ſi modò nos in noſtro gradu uiciſsim agnoſcat. Qui ſi pergat Imperij noſtri iura minuere, confidimus ueſtro cõſilio & auxilio uiolentiæ illius contrà ituros. Quod ad uos pertinet põtifices, arbitratur indignũ, decimas quæ altarib. & perſonis Eccleſiæ dedicatæ noſcũtur, à laicis obtineri: nec uult intelligere, olim Eccleſias, uarijs afflictionib. laborantes, à laicis perſonis defenſas, tũ in beneficiũ remuneratiõis, quas abundè tenuerát decimas, in parte dimiſſas. Et quomodo indignũ iudicabitur, ſi qs Eccleſiæ militans, Eccleſię ſtipendijs foueatur? Illud quoq; nobis uelut malefactũ opponit, quòd uel iubeamus uel ſinamus in rebus Eccleſiæ præfecturas eſſe militares, ut laica manu eccleſiarũ prædia defenſentur. Et quę iniuria eſt, ſi quieſcẽtib. eccleſiarum prælatis, & ad ſola diuina miniſteria intentis, milites exeant, eorum quieti cõſulturi, præfecturis gubernantes ſubiectũ eccleſijs populũ, ut pareant ad ęqua omnia ſuperioribus? Et quoniá his maximè in rebus inter regnũ & Eccleſiam cõtrouerſia eſt, ueſtram patres deſuper ſententiá expectamus, ut ſi res, ut apparet, in maioré excreuerit perplexitaté, quid de uobis ſentire, quid'ue expectare debeamus. Tum Conradus Moguntinus archiepiſcopus, in Imperij cœtu primus, omniũ uice locutus eſt in hanc ſententiá: Graué quidé, & omniũ mentib. oneroſam rem in mediũ adfert Cęſarea maieſtas, & qua nulla in perniciẽ eccleſiarum poſsit maior formidari. Sed quoniá principib. utriuſq; Chriſtianiſmi ſubiectionem, & Cęſari quę Cæſaris, & Deo quę Dei ſunt reddere ſumus debitores, nec Imperio detrahere, nec eccleſiarũ iura minuere noſtrę uicis fuerit: proinde ſinat Imperialis celſitudo literis agere apud ſummũ põtificé, ſi fortè ſublata de medio omni cõtrouerſia, optata cũctis pax reuertatur: ſcribantur ad ſummum pontificem ex ſententia Imperatoris literæ nomine pontificum, quibus ſinguli in concilio præſentes imprimere bullam iubeantur. Factũ eſt ut ille cenſuit. Tales uerò literæ cum redditæ eſſent papæ Vrbano, miratur primùm, quid, cũ cauſam ſuſceperit epiſcoporũ, illi tam facilè à ſententia deciderint, Imperatori inclinantes. Sed intelligẽs, id quod erat, præſente Imperatore non qđ ſenſerant liberè ſcripſiſſe pontifices, parũ ille motus literis eiuſcemodi, interim Veroná contẽdit, Imperatorem euocans ad audiendá Eccleſiæ ſententiá. Habebat in animo excommunicationis in eũ diſtringere mucroné. Qđ ubi intellexêre Veronenſes, papá circũſiſtunt orantes, ut ab iniuria illa Imperatoris in ſua tẽperet ciuitate, non ſe, qui Imperio fidem ſeruarent, laturos, ut ea afficiatur in illa urbe nota. Motus papa ſententiam diſtulit. Sed priuſquá locũ, quem ad rem deſtinauit, attigit, rebus exceſsit humanis. Crant. Saxon. lib. 6. cap. 52.

PARISIIS.

ANno Domini 1182, ad Philippũ Galliæ regé ueniũt Heraclius Hieroſolymitanus patriarcha, & prior Hoſpitalis domus, denũciátes, Salhadinũ Ægyptiũ maxima dána Paleſtinę intuliſſe, ac petẽtes auxiliũ. Rex mox Pariſios conuocata ſynodo, exhortatur ut quiſq; in ſuo epiſcopatu homines ad ferendas ſuppetias excitet, ſe quoq; tantę neceſsitati non defuturũ. Robertus Gaguinus lib. 6. de Francis. Vincentius lib. 29. cap. 38.

DIVIONE ALIA.

REx Philippus Ingelbergam, Æmylius Gelbergá nominat, à ſe dimiſit prætextu illo, quòd cõſobrina eſſet, inſtigáte comite Flãdréſi Carolo, epiſcopis & baronib. Paucos enim dies poſt nuptias eá retinuit. Legatus igitur põtificius Petrus Duacẽſis, à Celeſtino papa in Galliá ueniẽs, concilio Diuione (Burgũdię oppidũ eſt) cõuocato, cũ illis ſententiá fert. Philippoq; totiq; regno ſacris & communione interdicit, licet rex ad põtificem Romanũ appellaret. Narrat Æmylius, legatũ aſtutè uetuiſſe, ne hoc interdictũ publicaretur ante uigeſimũ à natali Dñi dié, quo nimirũ tẽpore ipſe poſſet ſeſe ſurripere, & extra teli iactũ eſſe. Hac au-

steritate irritatus rex, in clerũ & episcopos sine discrimine uicissim sæuit, eijciens eos sedibus, & facultates eripiens. Postea uerò legatus Otto Hostiensis, & Burdegalensis præsul à papa missi, Suessione de recõciliatione inter regẽ & Ingelbergam prolixè tractant. Æmylius mirabile recitat, neminẽ in eo conuentu, ob tyrannidem regis omnib. tacentibus, ausum fuisse accusationẽ cõtra regem instituere: tandẽ adolescentẽ ignotum è multitudine prodijsse, qui desertę cõiugis causam tam ornatè dilucideq; defenderit, tamq; reuerenter de rege uerba fecerit, ut omnes in sui admirationem traxerit. Finita aũt oratione, iterũ se subtraxisse. Rex tandẽ impatiens moræ, quã adferebãt consultationes episcoporũ, spõtè reginã impositã suo ipsius equo auehẽs recipit. Vincentius li.29.ca.55.& Antoninus tit.7.ca.9.§.28. Robertus Gaguinus li.6.sub Philippo Augusto, Paulus Æmylius sub Philippo Augusto.

DIVELLINI.

Viuianus quidam Romani papę legatus, ex Scotia in Hyberniã, Anglorũ regis instructus literis, ueniens, Diuellinũ cõuocat totius Hybernię præsules atq; abbates. Verùm cum liberius iuxta morẽ Romanum, ibi ageret, per pręfectos discedere iubetur. Sic auro Hybernico, ut Neubrigensis loquitur, minus onustus in Scotiam remeauit. Lib.3.cap.9.

SVB CLEMENTE III.

IN POLONIA,

CONTRA SACERDOTVM CONIVGIA.

Clemens tertius cardinalẽ in Poloniã ablegauit: is cõuocata synodo, cœlibatũ unctis ex mãdato Romani præsulis præcipit. Hoc enim solebãt illi reformationem morũ cleri uocitare. 1. Timot. 4.

Deinde decimas imponit pro recuperãda terra sancta. Crom. lib.3.cap.26.

Danorũ plebs, suis sacerdotibus cõiugia decernens, ab isto pontifice, iuxta notã 1. Timot.4. excõmunicatur. Saxo Grãmaticus lib.15. Acciderunt ista sub annũ Dñi 1188.

LVTETIAE PARISIORVM,

DE DECIMIS.

Philippus Augustus Luteciæ conciliũ habet, ubi decimę ei sunt cõcessę, quæ uulgò Saladinides appellãtur. Ioan. Tilius.

VVESTMONASTERII ALIA,

CONTRA MONACHOS.

Vvilhelmus Elyensis episcopus infamis prorsus erat suis scelerib. Nã pecunia sibi emerat, ut Ranulphus testatur, officiũ legati Romani põtificis per Angliam, eaq; larua indutus, præsertim Ricardo Anglię rege absente, quęlibet audebat: oberrabat mille equis, grauabat monasteria, opprimebat clerũ, Gaufredũ fratrẽ Ricardi regis, electum in Eboracensem antistitẽ, per decennium impedierat ne consecraretur.

Vuestmonasterij aũt anno Domini 1189, agitat conuentũ, ubi ipsius complex Hugo Cestrię episcopus querelã cõtra monachos Conuẽtrię instituit, quòd sanguinẽ suũ coram altari fudissent. Decernit igitur Elyensis, monachos Conuẽtria eijciendos, & clericos præbendarios introducendos.

Hugo itaq; manu armata monachos expellit, & mox literas ad põtificẽ mittit, monachos Conuẽtrienses, deserta Christi militia, ad seculũ esse relapsos: quos ipse tamẽ eiecerat. Papa sex mẽses negociũ suspẽdit, si fortè monachi quęsturi essent. Sed illi exuti opibus, arte etiã ab episcopo retardabantur, ne Romã de rebus suis pferrẽt. Sic uincit nequicia. Tandẽ serò de rebus suis papã certiorẽ facientes, nihil consequuntur auxilij. Ranulphus lib.7.cap.25.

SVB HEINRICO VI.

SVB CELESTINO.

IN ANGLIA.

Ricardus Angliæ rex, motus suorũ perpetuis querimonijs, Elyensem episcopum priuat functione, eiq; substituit Vuilhelmum Rothomagensem.

Episcopi habito concilio, eundem depositum excommunicant, quia iussisset antea Gaufredũ Eboracensem in custodiã tradi.

Sed ille sibi malè cõscius, indutus muliebribus uestib. fugã molitus, retractus, & in carcerẽ cõiectus, suisq; bonis exutus est. Polydorus li.14. Anglicę historię, sub Ricardo 1.

EBORACI,

DE PRIMATV.

Hvbertus Cantuariensis suã gloriã (quã regias in regni administratione, & Apostolicas in ecclesia gerebat uices) ostẽtaturus, Eboraci magna põpa cõciliũ agit, cõuocatis eò totius puincię prelatis: ibiq;, ut Neubrigẽsis annotat, magnã exercuit potestatẽ, nullo obsistẽte uel reclamãte, eo quòd omnes uel terrore eius perstricti, uel metropolitano proprio minus essent deuoti.

Synodi aũt occasio erat, quòd uterq;, tũ Cantuariensis tum Eboracẽsis, primatis nomine se efferebat, & ille in primis ab huius ecclesia, tanquã Apostolicæ sedis legatus, coli expetebat. Ea de prioratu tã uana cõtẽtio, Anglorũ metropolitanos lõgo & sumptuoso labore exercuit. Vanissimè aũt uterque illorũ, ut Neubrigensis ait, se scribit totius Anglię primatẽ, cũ neuter habeat significatam hoc nomine potestatẽ. Lib.5.ca.10.

IN POLONIA,

CONTRA SACERDOTVM CONIVGIA.

Anno Domini 1197 à papa Celestino tertio in Poloniã mittitur cursor Petrus diaconus cardinalis, cognomento Ca-

to Ca

to Capuanus. Is rursum legem dirã sancit, ut sacerdotes proprias uxores, quibus tunc passim liberè & honestè utebantur, omnino repudiarẽt: papã enim (iuxta uaticiniũ Apostoli 1. Timot. 4.) id uelle. Hoc scilicet erat mores sacratorum hominũ emendare. Poloni quidẽ hoc iugũ susceperũt. Sed cum in Bohemia idẽ legatus hoc ipsum ageret, parũ abfuit, quin à sacerdotib. occideretur.

Deinde constituit, ut prophani homines publicè in tẽplis matrimonio cõiungerentur. Mart. Cromerus li. 7. de reb. Polonorũ.

CAPVT X.

DE EPISCOPORVM & Doctorum Vitiis.

DE ASIATICIS Episcopis.

HIEROSOLYMITANI.

DABERTVS.

DABERTVS natione italus, uir literatus & prudẽs, qui Pisanorum fuerat archiepiscopus, & religionis causa in terram sanctã peruenerat, unanimi principum consensu, qui tum præsentes erãt, creatur patriarcha Hierosolymitanus, anno 1100, cum mensibus quinq; ea sedes uacasset.

Scripsit epistolam ad Boamundũ Antiochiæ principẽ, qua ipsum inuitat aduersum Garnerũ de Gretz comitẽ. Tyrius li. 10. c. 4.

Opera eius.

Statim sub initiũ suę gubernationis Gotfredo regi coronam imposuit, & Boamundo principi regni cõtulit inuestiturã. Illi uerò rursum possessiones, quas Græcus habuerat patriarcha, ipsi assignant, addentes plures, ut eo honestius inde se posset sustentare. Tyrius lib. 9 cap. 15.

Peregrinatus est ad loca sancta, unde haud obscurum est, quòd cultor deorũ alienorũ extiterit. Nã ecclesiã Pisanã deserens, in terrã sanctã nauigat. Hierosolymis loca sancta perlustrat, in Bethlehẽ diẽ natiuitatis Dñi celebrat, scrutãs pręsepe & speluncam ubi uirgo mater filium Saluatorẽ mundi enixa dicitur. Ibidem lib. 9. cap. 14.

Spiritũ Romani Antichristi eum agitasse hinc cõstat, quod non cõtentus ijs quæ pręstò erãt, plura cõcupiuit, & regib. gentiũ dominãdi potestate par esse uoluit. Vtq; eã expleret libidinẽ, cũ duce Gotfrido grauiter contendit de tota urbe Hierosolyma & Ioppe, suaq; importunitate huius quartã partẽ obtinuit, & urbẽ Hierosolymã cũ turre Dauid & omnib. quę ad ea pertinere uidebãtur. Ipse Tyrius, alioquin põtificiorũ, ut apparet, summus fautor, in has erũpit uoces: Miramur tñ, quibus rationib. D. patriarcha hanc aduersus ducẽ suscitauerit quæstionẽ, cum nec uspiã legerimus, aut à uiris fide dignis audierimus, ea conditione dño duci regnũ autoribus principib. fuisse traditũ, ut alicui personæ alicuius præstãtioris animę uel ꝑpetuo uinculo se sciret obligatũ. lib. 9. ca. 16. Sed fefellit eum sua opinio, Garnero comite Balduini, Godfridi successoris & fratris partes armis defendente.

Carnẽ porrò statuit brachiũ suũ. Nã in epistola ad Boamundũ Antiochenũ hoc se modo ꝓdit: In te solo post Deũ confido, & spei meę anchorã in tuæ dilectionis soliditatẽ figo. Vtq; armis eum tueatur, per eam quã sancto Petro obedientiam debet, hortatur, pulchrè scilicet animum impatientẽ & sanguinarium declarans. Lib. 10. cap. 4.

Iuuit oppugnationẽ Carrę, quę urbs Mesopotamię est, & in sacris literis Harã dicitur: ubi milites ad cõmittendũ cũ Turcis ꝑliũ hortatus est. Sed ubi infeliciter pugnaretur, & uictoria penes Turcicũ esset exercitũ, uix ægrè Edissam peruenit, cũ parũ abesset, quin in hostiũ manus ꝑuenerit. Li. 10. ca. 29. (30.

Calamitates eius.

Arnulphus eũ apud Balduinũ simonię accusans, quosdã ex clericis in ipsum cõcitauit, ut deniq; domũ patriarchalẽ deserens, priuatus uiuere cogeretur in ecclesia mõtis Sion. Verũ paulo pòst Balduino reconciliatus, ipsum in regẽ inũxit. Rursum eiusdẽ Arnulphi artibus inuisus redditur clero. Proinde uitaturus continuas molestias, relictã statione, ad Boamundum Antiochenũ fugit. Idem lib 10. cap. 7. 9. 25.

Tandẽ Romã iuit, atq; de Arnulpho conquestus, lõga interiecta mora, literas à papã Paschali impetrauit, quib. sperabat se locũ recuperaturũ pristinũ. Verũ in itinere, ubi apud Messanã in Sicilia aliquantisper substitisset, morbo correptus letali, 16 calẽdas Iulij, anno Domini 1107, collectus est ad patres suos, cum annis 7 pręfuisset, quatuor nempe Hierosolymis, tribus uerò in exilio. Lib. 11. cap. 1. & 4. Historię belli sacri.

GIBELINVS.

Gibelinus Arelatensis archiepiscopus grãdęuus & senex, succedit anno Dñi 1107. idq; hac occasione: Designatus fuerat legatus, ut de causa inter Dabertũ & Ebremarũ corã Hierosolymis cognosceret. Interim uerò moritur Dabertus, & Ebremarus ꝓpter intrusionem remouetur. Omniũ igitur unanimi suffragio Romæ in concilio patriarchã creatur. Tyrius lib. 11. cap. 4. Belli sacri.

Cõfirmauit pręterea donationẽ Balduini regis Hierosolymorũ, qua ex Bethlehemitica ecclesia fecit cathedralẽ, additis prędijs.

Obijt anno 1111, ubi annis quatuor præfuisset. Ibidem cap.12. & 15.

ARNVLPHVS.

Arnulphus Hierosolymitanus archidiaconus, qui dictus est Mala corona, multorum causa, quæ perperá fecit, successit anno 1111. Tyrius li.11.ca.15. Multo aũt antè isti prędę inhiauerat: sed quáprimũ eam cepisset, coactus est rursus deponere. Idé li.9.ca.4. Quá rem cũ ęgerrimè ferret, de Daberto successore suo sese ulcisci cõstituit, nec quieuit, priusquá eũ ueteratoriè illa sede excuteret. Li.10.ca.7.25. Gibelino etiá dicitur tale qd cõstruxisse, ne diu in illa sede esset superstes. Lib.11.ca.4. His igitur remotis, tandé consequitur quod iá pridé anxiè cõcupiuerat.

Opera gubernationis eius.

Reditus istius ecclesię plurimũ minuit publica bona priuatis erogás. Nam suá nepté Emeloram Eustachio Gomero, Sydonis & Cęsareę dño, nuptui tradidit, addés dotem Hiericho, cũ omnib. quę eò ptinebát, annuos scilicet reditus quinq; millia aureorum.

Vita eius fertur plena immũdicie fuisse, ita ut ignominia eius uulgo innotesceret.

Regulares canonicos introduxit in ecclesiam Hierosolymitanam, ut hoc modo aliquod religionis specimen ederet. Li.11 c.15.

Vtrũq; usurpauit gladiũ. Ná unà in bellũ pcessit aduersus Médur Turcorũ principé, anno 1113, & uix fuga sese cõseruauit. l.11.c.19.

Regé impulit, ut uiuente adhuc uxore, legitimo illi cõnubio iuncta, aliá duceret, comitissá Sicilię, ut scilicet hęc nobilis & honesta fœmina deciperetur. Ibid. ca.15. & 21.

Balduinũ de Burgo comité Edessanũ, unà cũ Ioscelino Tyberiadis dño, ad regni fastigiũ euexit, anno 1118, more solito inungés, consecrans, regioq; diademate ornans, legitimũq; regni successorem debita successione per fraudem excludens. Lib.12.cap.3.

Calamitates eius.

Vbi Paschalis 2. pontifex Romanus de eius immunda conuersatione certior factus esset, legatũ misit in Syriá Aurasicésem episcopũ: qui cõuocato cõcilio, in omniũ qui aderát præsentia patriarchatu eũ remouet. Sed pręstigiator nefarius protinus Romam iter faciens, bláditijs & munerib. (quę sanè magnũ apud Romanũ Plutoné semper põdus habuére) legati sententiam fecit irritá, domumq; reuersus, prioré sedé rursus occupat. Lib.11.ca.26. Obijt uir iniquissimus anno 1118, cũ 7 annis pręfuisset. Tyr.lib.12.ca.6.

GVARIMVNDVS.

Guarimundus natione Francus, ex oppido Pinqueniaco oriundus, uir simplex, doctus & religiosus succedit. Tyr. lib.12.ca.6.

Iusticiá corá Deo sensit acquiri pprijs operib. Nam nõnullis Tépli militib. qui sub eo cœperũt, hãc scripsit legé: Vt scilicet uias & itinera diligéter à latronib. perpurgarét, ut peregrinátibus tutò iter facere liceret: idq; in remissionem peccatorum. Lib.12.cap.7.

Nouorũ idolorũ autor extitit. Ná primus ordiné Templariorum instituit, ijsq; beneficia cõtulit: qui tñ paulo pòst malá ipsi referentes gratiá, eius se obedientię subtraxerunt, alijsq; modis ipsi fuerũt molesti. Ibid.

Celebratur ab hospitalitate erga peregrinos Venetos, qui ad urbé Acconésem appulerát, quòd p legatos & suo & aliorũ nomine illos nõ solùm exceperit humaniter, sed etiá potestatem fecerit, illius loci cõmoditatib. uti tanquam proprijs. In quo tñ uidetur magis propriũ spectasse cõpendiũ, quá aduenarum necessitatem. Ibidem cap.24.

Immiscuit se negocijs politicis, ut bellicę expeditioni cõtra Tyrũ. Ibid.ca.24. Ité negotio Venetorũ, ut latius patet ex cap.25. li.12.

In oppugnatione Tyri, sui regis, qui à Partis captiuus tenebatur, uicé suppleuit cũ reliquis regni principibus, & curauit castellũ miræ altitudinis, itemq; machinas quibus saxa uibrabantur, ædificari. Lib.13.cap.6.

Pręfuit fermè annis 10. obijt anno 1129 in urbe Sydon, quò deportatus fuerat ex obsidione cuiusdá pręsidij, nomine Helhacer. Lib. 13. cap.25.

STEPHANVS.

Stephanus genere Carnotésis, Balduini 2. regis consanguineus, cõmuni omniũ suffragio successit anno 1129 Guarimũdo. Adolescés liberales artes mediocriter didicerat. Aliquádiu etiam homo equestris fuerat, & quidem uicedominus Carnoti. Postea ibidem sese monasticæ uitæ mancipás, abbas S. Iohannis de Valea factus est.

Cultor deorũ alienorũ fuit. Ná orationis gratia deuot⁹ Hierosolymá peregrinat⁹ est.

Spiritus antichristi Romani hunc nõ mediocriter etiá agitauit. Ná nõ cõtentus illis quę aderát, satis pteruè cũ rege cõtendit de Ioppési ciuitate & Hierosolyma, cõfirmás, iure eas ciuitates aò se pertinere, nõ secus atq; Dabertus, de quo suprà: imò etiá multò uehemétius. Pręfuit tátùm biénio, & ad patres suos collectus est anno 1130, nõ sine ueneni suspicione, quáuis illud p certo Tyrius affirmare nolit. Rex ęgrotũ uisitás dicitur ab illo respõsum accepisse, cũ quęreret, quomodo haberet: Sic nobis, inqt, in psenti est, dñe rex, sicuti uultis. Tyr.li.13.ca.25.26.

GVILHELMVS.

Guilhelmus Mechliniẽsis ex Flamingia, prior ecclesię Dominici sepulchri, successit Stephano, anno 1130. Is forma decorus, modicè doctus, simplex & honestus fuit, regni principib. & populo multũ acceptus. Tyr. li.13.ca.26. Cõsecrauit & ordinauit Fulconé

in

in Ierosolymitanū regē, anno 1131. li. 14. c.2.

Castellū Arnaldi, ciuiū Ierosolymitanorū adiutus ope, extruxit, ut tutò peregrini eò trāsire possent. Nā Ascalonitę subitò in illos impressionē facere cõsueuerant. Ibid. ca.8.

Alterius etiā castelli in cāpestrib. Ramulę ædificationē iuuit. Li.15.ca.24. Itēq; tertiū, cui nomē indiderūt Blācaguarda. Ibid. c.25.

Insidias struxit Fulchero ad Tyrensem ecclesiam uocato, iter facienti Romā pro redimendo pallio, alijsq; modis damnū attulit: q̃ ob causam tumidus põtifex Innocētius 2 ipsum monet, ut de damno dato satisfaciat, & in omnib. iuuet, interminata ipsi pœna in Canonibus præscripta. Ibid. cap.11.

Regem & comitē Ioppensem, inter se dissidentes, reconciliauit. Lib.14.cap.17.

Dedicauit tēplū Dñi solēniter, adiuuāte quodā legato põtificio, tertio die post Pascha. li.15.ca.18. Obijt anno 1145, cū annis 15 prçfuisset, 5 calēd. Octobris. Tyr. li.16.ca.17.

FVLCHERVS.

Fulcherus ex Aquitania oriūdus, Guilhelmo successit. Is aūt abbas fuerat canonicorum regulariū monasterij Cellę, religiosus, modicè literatus, sed cõstans & amās disciplinæ. Cū schisma exortū esset post mortē Honorij inter Innocētiū secundū & Petrū Leonis, Hierosolymā peregrinatus est orationis gratia: ibiq; aliquādiu in monasterio Dominici sepulchri monasticè professus, ad Tyrensem euectus est archiepiscopatū. Cõsecrationē accepit à Guilhelmo Hierosolymitano patriarcha. Palliū à Romano papa uix accepit, insidias ipsi tendēte Guilhelmo eiusq; cõplicib. Tyrius lib.14. ca.11. At mortuo Guilhelmo, in eius locū designatur patriarcha, anno 1147. Idem lib.16.cap.17.

Interfuit obsidioni Paneadēsi, eamq; ꝑ uirili iuuit, nõ cõtentus gladio spirituali. Capta urbe, Adamū Acconensem archidiaconum in eius loci archiepiscopum unà cum alijs designauit. Lib.15.cap.11.

Conradū Imperatorē, aduentantē in terrā sanctā cum exercitu, ut Hierosolymā ueniret, hortatus est. Verebatur enim, ne diutius morā traheret apud Tripolitanū comitem, ipsi sanguinis necessitudine iunctum. Aduentantem, uniuerso clero & populo istius loci comitatus, honorificè excepit cū hymnis & canticis, & ita in urbem introduxit. Lib.16.cap.28 & 29.

Balduinū regē, uenientē Hierosolymā in Paschate ad coronationē, monuit, ut matrē Melisendē, quæ aliquandiu regnū strenuè administrārat, istius glorię faceret participē. Quod cū non faceret, sed etiā paulo pòst ipsam matrē bello peteret, ut à prauo ꝓposito desisteret, nec quicquā contra fidē datam atq; pacta ageret, hortatus est. Cumq; nihil se proficere animaduerteret, ad urbē redijt, regis consilium detestans. Lib.17.cap.13.14.

Superstitiosus fuit, signum crucis Dominicę secū ferens ad Ascalonē, existimās feliciorib. auspicijs ea præsente pugnatum iri.

Obsidioni Ascalonæ interfuit, eamq; iuuit, anno 1152. Lib.17.cap.21.

Aduersarios habuit Raymundū magistrū domus Hospitalis, eiusq; in eadē domo socios, qui decimas, quas ueteri cõsuetudine dare cõsueuerāt, pēndere recusabant. Concionante ipso ad populū, cāpanas pulsabāt, ne, quid diceret, à quoquā exaudiri posset. Lib.18.ca.3. De qua ꝓteruia apud Romanū põtificem cõquesturus, nauē conscēdit senex, utpote fermè cētenarius, & Hydruntū Apulię urbē appulit: inde Beneuentū excurrens, ubi tunc fortè Hadrianus 4 papa morabatur, cõqueritur de Hospitalarijs. Verū iniquū accipit iudiciū, eo quòd pleriq; cardinales pecunia corrupti erant: eoq; pacto cū dedecore domū reuertitur. Lib.18.ca.6.7.8. Obijt circiter annū 1159. 12 calend. Decēb. cum annis 12 præfuisset. Lib.18.cap.19.

AMALRICVS.

Amalricus, ecclesiæ Dominici sepulchri prior, natione Frācus, ex oppido Neellę oriūdus, interuētu Melesendis sororis, & Sibyllę Flandrensiū comitissæ, successor cõstituitur in locū Fulcheri, repugnantib. & contradicētib. Hernesio Cęsariēsi, & Radulpho Bethlehemitico episcopis. Palliū ab Hadriano 4 redemit, opera Friderici Acconensis episcopi. Is mediocriter literatus fuit, sed ad illud munus parū aptus. Tyrius li.18. ca.20. Almericū Balduini tertij fratrē unxit in regē, & diademate regio ornauit in ecclesia Dominici sepulchri, anno 1163. Idē li.19.ca.1.

Eidē matrimonio iunxit Mariā Protosebasti filiā, Imperatoris Manuelis neptem, in ecclesia Tyrensium, 4 calend. Septemb. anno 1167. Idē li.20.ca.1. Obijt anno 1181, cum annis 22 præfuisset. Tyrius lib.22. cap.4.

BROCARDVS.

Meminit Balęus Brocardi cuiusdā Hierosolymorū prçsidis, qui anno 1171, ex Basilij scriptis nõnulla mutuatus, Carmelitis regulā cõposuit, quā successor Albertus abbreuiauit, cõfirmauit, atq; obseruandam ipsis tradidit. Sed cum annorum numero, quem ponit Tyrius, non cogruit. Cent. 3. cap. 41. Scriptorum Britanniæ, in Appendice.

HERACLIVS.

Heraclius Cæsariēsis archiepiscopus, intra dies decē succedit Amalrico. Tyrius lib. 22. cap.4. Is ꝑ comite Ioppēsi, in quē rex Ierosolymorū flāmas odij cõceperat, ita quidē, ut sororē suā, ipsi legitimo iunctā matrimonio, ab eo diuellere tētaret, Acconæ intercessit: cūq; se nihil agere uideret, nõ solū

eum conuentū, sed etiam urbem cum indignatione reliquit. Lib.23.cap.1. Belli sacri.

Mores eius fuisse dissolutos, Contin. Historiæ belli sacri his uerbis exponit: Nec ipse patriarcha integrè & syncerè uixit. Lib. 24.ca.1. Post cladē factam à Salahadino, iter fecit ad Lucium papam & Philippum Galliæ regē, ad conquirenda auxilia. Sylulus in Epit. in Blondi decades, lib.6. decad.2.

LEONTIVS.

Leontius uir eruditione & uirtute præstans, Hierosolymorū patriarcha, obijt anno 1187. Nicetas sub Isaacio.

ARNOLDVS.

Arnoldus clericus & doctus, Balduini regis Ierosolymitanorū nomine hortatus est peregrinos aduenas in Ioppe, ad societatē belli cōtra Babylonios, anno 1101. Vrsperg.

HERMANNVS.

Hermannus presbyter uixit Ierosolymis anno 1101. Vrspergensis.

ANTIOCHENI.

BERNHARDVS.

Bernhardus primus Latinorū Antiochenus patriarcha, Boamundū eiusdē loci principē captiuitate solutū, & redeuntē, unà cū uniuerso clero & populo solenniter excepit, anno 1103. Tyrius lib.10.cap.25. Idē consensit, ut Daberto exulanti ecclesia S. Georgij infra Antiochiam cum multis prædijs & reditibus conferretur. Ibidem.

Militem egit. Nam interfuit infelici oppugnationi Carræ. Lib.10. cap.25.

Inter ipsum & Romanū pōtificē Paschalē simultas intercesit, eo quòd pōtifex oēs illas ciuitates, quas bello capturi essent, Hierosolymitanæ ecclesiæ cōcedēdas sanciuisset: id quod suæ ecclesiæ infrugiferū fore ratus est. Eius igitur ut animum leniret, binas ad ipsum dedit literas papa. Lib.11.cap.28.

Balduinū de Burgo, secundū regē Ierosolymorū, clero & populo comitatus cū summo desiderio excepit, reuertentē à cęde Gazi. Lib.12.cap.11. Itemq; paulo pòst altera uice, ubi eiusdem exercitum cæcidisset atque disipasset, anno 1120. lib.12.cap.12.

Boamundū & Ioscelinum comitem inuicem disidentes, ita etiā ut comes Turcicū imploraret auxiliū, recōciliauit. lib.13.ca.22. Per literas conatus est inter Raymundum Pictauiēsium comitis filium, & Constantiā Boamundi filiam nuptias cōficere. Lib. 14. cap.9. Obijt circiter annum 1130, cum annis 36 pręfuisset. Ibidem cap.10.

RADVLPHVS.

Radulphus Damfrontensis (quod in cōfinio Normannię & Cęnomanensis diœcesis situm est) literatus mediocriter, facundus, & iucūdisimi sermonis fuit: promissorū & pactorū facilè immemor, uarius, inconstās, subdolus, ꝓuidus, discretus, arrogās, nimis multū sibi tribuēs. Tyr.li.15.ca.17. Mamistanus archiepiscopus populi suffragio electus, sine reliquorū episcoporum consensu successor constitutus est. Erat hic uir militaris, magnificus & liberalis plurimū: ob quas uirtutes omnibus fuit acceptus, tam plebeis quàm equestri ordini.

Is insalutato Romano pontifice, pallium de altari B. Petri assumpsit, eoq; usus est.

Malè inter ipsum & cleri maximā partē conuenit, quòd ipsis inscijs illud solium cōscēdisset. Adeò aūt plurimis fuit inuisus, ut neq; apud domesticos uideretur esse tutus: ideoq; nonnullos per uim eiecit, nonnullos custodiæ tradidit. Lib.14.cap.10.

Tres episcopatus, ut Biblitanū, Tripolitanum, Antaradensem, per uim ad se rapuit, qui antiquitùs ad Tyrensem archiepiscopū spectabant: unde inter ipsum & Tyrensem grauis orta est contentio, ita ut hic Romani pontificis imploraret auxilium. Ibid.cap.13.

Subdolū prorsus & sceleratum in eo ingenium fuit. Nam miro artificio aduersarios suos conatus est opprimere. Halim principissam Boamūdi uiduā primùm in uanam coniecit spem, quasi Raymundus illā esset ducturus coniugē, ut scilicet fœminæ auxilio ad tempus hoc modo uteretur. Deinde etiā ipsum Raymundū iureiurando deuinciens, puellam Constantiā illi matrimonio iunxit in basilica D. Petri Antiochiæ, uafrè principissę illudens. Lib.14.cap.20.

Principib. huius seculi per fraudē dominari conatus est. Nam à Raymundo principe iuramentū fidelitatis extorsit. Li.15.c.12.

Romano antichristo etsi sese opposuit, tamen id non secundum scientiā fecit. Nam ita spreuit eius superiorē iurisdictionem, ut ipse omnib. pręesset. Nam utramq; Petri cathedrā esse cōtēdit, imò Antiochenā quasi primogenitā, quā ob causam ꝓrogatiua nō immeritò ad illā ꝑtinere uideretur. Ibi.c.13.

Citatus à legato pōtificio semel atq; iterū peremptoriè, cōparere noluit. Ibid.cap.17.

Vim ui repellere conatus est. Nam in suo palatio stipatus equitū & populariū comitatu fuit, magnaq; ciuiū caterua, qui Romanum legatū ciuitate eijcere parati erāt, nisi principis fuissent ueriti potentiā. Ibid.c.17.

Calamitates.

Ea res, quòd à Raymundo fidelitatis iuramētum accepisset, ita principē offendit, ut nō tantùm iurisiurādi obliuisceretur, uerū etiā ad patriarchę aduersarios deficeret, & grauiter hominē persequeretur. Li.14.c.20. Aduersarios potisimū habuit Lambertum archidiaconū, & Arnulphum quendā, qui eum Romam citarunt, ut ibi de criminibus quę obiecturi essent, respōderet: quò ut proficisceretur,

ficisceretur, princeps Raymūdus ipsum coëgit, causamq; suā ageret. Iter faciēs per Apuliam, Brundusij capitur, iussuq; principis Arnulpho uinctus traditur: uerùm paulo pòst dimissus Romam properat. Lib.15.cap.12.

Romę parū ęquos habuit iudices primū, & uix ægrè sui defendendi causa ad papæ reliquorumq; cardinalium consessum admissus est. Tandem uerò ita dimittitur, ut de obiectis criminibus testimonia Antiochiæ audiantur. Lib.16.cap.13.

Romę palliū, quod de altari Antiochenę ecclesiæ ꝓpria sumpserat authoritate, resignare coactus est, atq; aliud de corpore beati Petri (si credere fas est) solēni more accipit. Ibid. Reuersus domū, Raymūdus ab Arnulpho persuasus, quasi cū Rogerio Apuliæ duce aduersus se conspirasset, & clerus eū recipere noluerunt. Ideoq; ad mōtis Nigri monasteria sese conferens, præstolabatur, si quādo ipsum reuocaturi essent. Li.15.ca.14.

Isthinc discedēs, Edessę exulat, inuitatus ab istius loci comite & uicinis episcopis. Tādem per dolum rursus inuitatus à Raymundo principe, priorem sedem occupat. Ibidē.

Ad extremū ab Alberico Hostiēsi episcopo & tota synodo, quę Antiochię coacta fuerat, officio motus, & in monasterio S. Simeonis carceri traditus est. Inde iterum elapsus, Romā uenit: ubi cū modiculū gratiæ impetrasset, & domū redire cogitaret, hausto ueneno, miserabiliter uitam finiuit. Lib.15.capite 17. Circiter annum 1142, ut Gerardus à Nazareth annotat.

HAYMERICVS.

Haymericus Lemouicēsis, homo illiteratus, uerū diues & potēs, Petri Armenij ciuitatis castellani nepos, Antiochenæ ecclesiæ subdiaconus, quem Raymundus in decanū promouerat, à clero Antiocheno, & pręcipuè ab illis qui Rodulphum excusserant, cōstitutus est successor, interuentu munerū & intercessione principis. Tyr.lib.15.ca.80.

Is sedulus uitę monasticę promotor fuit, ut Gerardus à Nazareth testatur. Legem tulit, ne quis in monte Nigro sine maiore inspectore uiueret solitarius. Gerardus capite 93. de Conuersat. seruorum Dei.

Cōiugiū Raynaldi de Castellione & Cōstātię liberè & priuatim & publicè traduxit: quā ob causam princeps ad irā cōmotus, ipsum cepit, & in castellū, quod Antiochenę ciuitati supereminet, deduci fecit, atq; caluitio melle delinito, in sole feruētissimo sedere cōpulit, ut hoc pacto muscarū aculeos exciperet, nemine illas abigēte. Verū Hierosolymorū rex, missis legatis, libertatē illi impetrauit tandē: qua restitutus, suā deserens stationem in regnum Hierosolymorum se contulit, ibiq; aliquot annis pòst uixit omnibus charus. Præfuit circiter annos 12. Tyrius lib.18.cap.1.

SOTERICVS PANTEVCHENVS.

Et hunc loco & officio mouit Imperator Manuel, propter priuatā opinionem de Dei incarnati oblatione: ut refert Nicetas in Annalibus Manuelis.

THEODORVS BALSAMVS.

Theodorus Balsamus magnæ Antiochię episcopus fuit, uir eius qdē ætatis iurisconsultissimus. Ille spe adipiscēdi patriarchatū Cōstātinopolitanū, aliqd qđ alioquin esset cōtra Canones, cōcessit. Res uerò sic se habet: Vocatur ad priuatū colloqū ab Isaacio Angelo. Ibi primū Imp. indignationē simulat, q. ecclesia pijs & doctis uiris destituatur, & monastica uirtus ita euanuerit, ut nemo reperiatur quo in gubernatiōe sedis primariæ Cōstantinopolitanæ uti possit. Deinde addit, se illū ex Antiochena sede trāslaturū Constātinopolim, nisi Canonū authoritate ꝓhiberetur. Si uerò ille tāquā legū & Canonū peritissimus, translationē eā ut licitā demōstrare posset, & uulgo ꝑsuadere, seipsum protinus uocaturū. Hoc modo Theodorus arte circūuentus, existimās seriò secū egisse Imperatorē, altero die statim efficit, toto cōcilio approbante, ut ea trāslatio cōcedatur, & literis Imperatorijs cōfirmetur. Postea is qui fuit, māsit Antiochenus pōtifex spe frustratus. Nicetas in Annalibus Isaacij.

ALMERICVS.

Almericus Antiochenus patriarcha, sedis Romanæ in illas partes legatus, anno 1121 eremitas in Carmelo dispersos collegit in unū, & redegit in ordinē, qui à loco dicti sunt Carmelitæ, præficiens illis Bertholdū Aquitanum, suū nepotē. Balæus Cent.2.ca. 66. in appendice Scriptorum Britannię. Sed annorum cōputatio non cōgruit cū Tyrio.

ARNVLPHVS.

Arnulphus natiōe Calaber, nobilis & literatus Antiochenus clericus, à Radulpho patriarcha in carcerē cōiectus, atq; aliquot dies in eo detētus est, q. diceret ipsū cū alijs in suā necē cōspirasse. Is Romā citauit Radulphum: uerùm in itinere multis uerborum illecebris proditoriè Rogerium Apuliæ ducē impulit, ut ipsum in itinere interciperet, sibique traderet. Quo facto, pro libitu in ipsum desæuijt. Postea factus est Consentinus episcopus. Tyrius lib.15.cap.12.

LAMBERTVS.

Lābertus archidiaconus Antiochenus, homo literatus, simplex, honestus, à Radulpho, qui de ipso suspicabatur, quasi in suam necē cōspirasset, in carcerē cōijcitur, atq; aliquādiu ibi detinetur. In cōcilio Antiocheno patriarchā accusauit, quantūuis antea simulatè cū illo in gratiā redijsset. Tyr.li.15.ca.16.

BETHLEHEMITICI.

ASCHETINVS.

Aschetinus gubernator ecclesiæ Bethlehemiticę (fortè quòd prior fuerat) à Balduino rege, legato pōtificio Gibelino consentiēte & capitulo Hierosolymitano, primus creatur episcopus in Bethlehem, anno 1110. Tyrius lib.11.cap.12.

ANSELMVS.

Anshelmus episcopus Bethlehemiticus, legatus mittitur à Fulcone Hierosolymorū rege ad Iohānē Cōnenū cū his mādatis, ut si orationis gratia Hierosolymā uenire decreuisset, nō maiori quā decē millib. ueniret exercitu, q̄ regnū esset arctissimū, & magnæ multitudinis capiēdæ insufficiēs. Eum muneribus, honore & gratia auctum Imperator ab se dimisit. Tyrius lib.15.cap.24.

RADVLPHVS.

Radulphus natiōe Bryto, uir literatus & rerū ciuiliū gnarus, regis cācellarius, forma decorus, regi & reginę Ierosolymorū cunctisq; aulicis charus, per uim primū patriarcha Hierosolymorū cōstituitur, & per bienniū præest etiam: uerùm postea ab Eugenio officio remotus, tādem autore Adriano 4. cuius cōpatriota erat, Bethlehemiticus cōstitutus est episcopus. Tyrius lib.16.cap.17.

Is nō cōtentus Almarici electiōe, appellauit ad Romanū pōtificē, anno 1159. Li.18. ca. 20. Obijt circiter annū 1171, & in capitulo suę ecclesię honorificè sepultus est. Li.20.ca.32.

GERARDVS.

Gerardus, qui aliàs Geraldus dicitur, Bethlehemiticus episcopus, interfuit obsidioni Ascalonis, anno 1152. Li.17.ca.21. Opposuit sese patriarchæ Fulchero, cōstituēti Absalonē quēdā Ascalonis episcopū. Cūq; patriarcha in proposito pergeret, causę cognitionem reiecit ad pontificem Romanum, atq; obtinuit, ut remoto Absalone, Ascalonitarum ecclesia sibi & successoribus in perpetuum subiaceret, anno 1154. Lib.17.cap.30.

ALBERTVS.

Albertus Bethlehemiticus episcopus ad synodū Romā ꝓfectus est, anno 1178. Tyr.li.21.ca.26.

TYRIENSES.

GVILHELMVS.

Gvilhelmus uir uenerabilis, ecclesię Dominici sepulchri prior, natione Anglicus, uita & morib. cōmēdabilis, à Guarimūdo Hierosolymitano patriarcha primus Latinorū Tyrēsium archiepiscopus cōstituitur, anno 1128, postquā quadriēniū illa sedes uacauerat. Pro accipiēdo pallio Romā ꝓfectus est, inuito & reluctāte Hierosolymitano, suo cōsecratore: idq; cōsecutus est ab Honorio 2. Tyr.li.13.ca.23. Conscripsit q̄dā opuscula & epistolas ad Bernhardū Antiochenū. Balęus Cēt.11, & 13. Obijt anno 1130, cū tātū pręfuisset duobus annis. Sepultus est in ecclesia Tyrensi. Tyr.li.14.ca.11. Balęus Cent.13.cap.69.

PETRVS.

Petrus natione Hispanus, de ciuitate Barcinona oriūdus, Dominici sepulchri prior, nobili sanguine cretus, Fulchero ad Hierosolymitanam sedem euecto succedit, anno 1147. Tyrius lib.19.cap.6. Interfuit Ascalonis oppugnationi. lib.17.cap.21.

FRIDERICVS.

Fridericus natione Lotharingus, corpore admodū ꝓcerus, nobili stēmate oriūdus, homo militaris, primò in Acconēsi ecclesia episcopū egit: postea defuncto Petro, Tyrēsi, cuius fuerat suffraganeus, ꝑficitur regis instinctu. Tyr.li.19.ca.6. Ascalonā unà cū alijs socijs oppugnauit, cū Acconę adhuc episcopū ageret. Lib.17.ca.21. Eū, cū Acconę adhuc esset, legatū misit Amalricus Hierosolymitanus ad Hadrianū 4, ut ab illo cōsensum illius sedis retinēdę impetraret, & palliū redimeret: qđ multa interueniente pecunia, ex animi sententia effecit. Lib.18.cap.20.

Grauissima detentus ualetudine, apud Neapolim tandem ad patres suos collectus est, circiter annū 1174. 3 calēd. Nouēb. & sepultus Hierosolymis in capitulo tēpli Dñi, ubi prius fuerat canonicus regularis. li.21.ca.4.

GVILHELMVS.

Guilhelmū Friderici successorē, ex Gallicis parētib. oriūdū, & in comitatu Raymūdi Pictauiēsis unà terrā sanctā ingressū esse, anno 1131, Heroldus in pręfatione cōiecturā facit. Ingeniū quale in eo fuerit, ex scriptis eius liquet. Linguarū Latinę, Gręcę, Arabicę, Persicę, Germanicę, maternæq; gnarus extitit.

Scripta.

Scripsit Historiā Oriētaliū, annorū 570.
Historiā Hierosolymitanā, annorū 80.
Acta synodi Lateranensis, & alia quædā.

Functiones.

Archidiaconus Hierosolymitanus in summo tēplo, annū agēs trigesimū, cōstitutus est.

Romam uocatus à Victore 4, ubi per biennium ferè legendo & disputando multis profuit, nomen doctissimi & acutissimi philosophi ibi adeptus est.

Cardinalatū amplissimaq; ibi consequi potuisset, sed magno animo illa repudiauit.

Reuocatus ab Almarico Ierosolymorum rege, cui admodum fuit charus, Balduino 4. adhuc puerulo nouēni pręceptor datus est.

Sæpe eo in legationib. amplissimis & periculosis idē rex usus est, ad cōgrēda auxilia aduersus Turcicā rabiē, alijsq; negotijs: sicut de se ipso refert, q̄ legatus missus sit ad Manuelē Cōstātinopolitanū Imperatorē. In quibus cū suā diligētiā & fidē regi ꝓbasset, regni cōstituitur cācellarius. Li.20.ca.4. Belli sacri. Aulicis deliberatiōib. interfuit. Nā unà cōsilium

filiū dedit Almarico regi, ne filiā uiduā grauidā elocaret ante exactū annū. Li.21.ca.15.

Postea omnium suffragijs Tyrensis creatus est archiepiscopus. Et quamuis aliquandiu reluctaretur, tandem tamen assensum præbuit, anno 1167. lib.20.cap.1.

Romæ in concilio Lateranensi, celebrato anno 1178, inter pręcipuos fuit, ita quidē, ut acta synodi in scripta referre, illi sit ab omnibus impositum. Lib.21.cap.26.

Opera.

Commendatur à fidelitate. Nam inclinãte ad ruinā regno Hierosolymitano, & exterorum auxilijs deficientibus, cum per totum regnum collectæ fierent, illi hæc pecunia concredita est.

Sedulitas in ipsa magno fuit, ita ut inter curas, occupationes & insidias plurimas, multa scripserit, & ad posteritatem trāsmiserit.

In Friderici Barbarossæ honorem orationem habuit funebrem persplendidam.

Curriculum.

Vixit ad annū usq; 1219, & ultrà etiā, sicut Heroldus opinatur. Mortuꝰ est octogenariꝰ.

CÆSARIENSES.

EBREMARVS.

EBremarus, unus sacerdotum Hierosolymis, alioquin honestus, simplex & religiosus, ab Arnulpho circumuentus, per intrusionem Daberto eiecto substituitur, anno 1103. Tyrius li.10.ca.26. Is ubi percepisset, antecessorem Romā restituēdi causa iuisse, & ille eò iter facit sese excusaturus: sed ubi de toto negocio ex testibus fide dignis pōtifex cognouisset, eū patriarchatu exuit, & Cęsariæ præficit, anno 1107. Idem li.11.ca.4.

BALDVINVS.

Balduinus eiusdem sedis archiepiscopus congregationi multorum & principum & episcoporum interfuit in urbe Acconensi, anno 1147. Tyrius lib.17.cap.1. Oppugnationem Ascalonis iuuit. Lib.17.cap.21.

HERNESIVS.

Hernesius Almarici Hierosolymitani patriarchæ electionem improbauit. Libro 18. cap.20. Belli sacri.

ERNESTVS.

Ernestus Cæsariēsis in legatione missus est ad Manuelē Imperatorē, pro adducēda Protosebasti filia ad Almericū Ierosolymorū regē, anno 1167. Tyrius li.20.cap.1. Destinatus est legationi ad Imperatorē Fridericū & alios principes Occiduarū partiū: sed facto naufragio, domū reuersus est. Lib.20.ca.13. Obijt circiter annum 1178. Lib.21.cap.10.

HERACLEVS.

Heracleus Hierosolymitanus archidiaconus Ernesto succesit. Ibidem. Is synodo Romanæ sub Alexādro 3 interfuit. Lib.21.cap.26. anno 1178.

NAZARETHANI.

ROBERTVS.

RObertus Nazarenus archiepiscopus crucē ligneam, de qua saluator IESVS Christus pepēdisse fertur, populi precibus extimulatus erexit cōtra incendiū, oratq; simul, & flāmā & fumū, impellēte uēto, in exercitū Turcicū cōuertit. Tyr.li.16.ca.11. Interfuit cōgregationi in urbe Ptolemaide, anno 1147, cū Cōradus tertius terram sanctam fuisset ingressus cum exercitu, unà tractans quæ ad augendum regnum Hierosolymitanum uidebātur esse utilia. lib.17.cap.1.

AITARDVS.

Aitardus missus legatus est ad Manuelē Cōstātinopolitanū, ꝓ impetrāda regi socia thori, circiter annū 1158. Verū in ipsa legatione diē claudēs extremū, suorū diligētia mortuꝰ ad suā delatus est ecclesiā. Li.18. ca.16.22.

LOTARDVS.

Lotardus prior Nazarethanæ ecclesiæ, uir mansuetus, affabilis, benignus, succesit Aitardo. Præfuit ultra annos 23. ut annotat Tyrius lib.18.cap.22.

TRIPOLITANI.

GERARDVS.

GErardus episcopus Tripolitanus, captus est à principe Damasceno: uerùm quia hostib. ignotus fuit, libertati restitutus est, suo loco alio captiuo dato. Tyr.lib.14.ca.23.

ROMANVS.

Romanus Tripolitanus episcop. interfuit synodo Romæ, anno 1178. Tyr.li.21.ca.26.

ACCONENSES.

ROGO.

ROgo Acconēsis episcopus cōgregationi & deliberationi institutę à Cōrado 3. in Ptolomaide interfuit, anno 1147. Ibid.li.17.ca.1.

GVILHELMVS.

Eū sibi sociū itineris elegit Amalricus Hierosolymorū rex, ꝓ impetrādis auxiliarib. copijs ab Imperatore Orientis & Occidentis. Tyr.li.20.ca.24. Solus postea in Italiā peruenit, missus à suo rege, eaq; q̃ in mādatis habebat, fideliter exequitur. Ad extremū domū rediēs, Adrianopoli à quodā Roberto, quē ad sacerdotiū euexerat, & in familiariorū numero habebat, in cōclaui dormiēs sub meridiē plurimis affectus uulneribus, occūbit, anno 1161. Animā exhalaturus petijt, ne qua suo interfectori rursus uis fieret, idque pro redimenda anima sua. Ibidem cap.27.

IOCIVS.

Iocius eiusdē loci episcopus Romanæ synodo interfuit, anno 1178. Tyr.lib.21.cap.26.

MONACHVS.

Monachus Acconēsis episcopus crucem Dominicam prætulit exercitui, quem Guido rex duxit contra Salahadinū, anno 1187.

Continuator

Continuator Belli sacri, lib.1.capite sexto.

BERYTHENSES.

VVILHELMVS.

VVilhelmus Berythensis episcopus deliberationi interfuit in Ptolomaide, anno 1147.Tyr.lib.17.cap.1.

MAINARDVS, REINALDVS.

Mainardus in eadem sede episcopus, cũ aliquandiu graui morbo detentus fuisset in urbe Tyrẽsi, obijt anno 1167. 7 calend.Maij. lib.21.cap.9 Belli sacri. Cui Reinaldus successit, consecratus à Guilhelmo Tyrensi. Tyr.lib.21. cap.11.

REIMVNDVS, OTTHO.

Raimundus quidam Berythensis obijt anno 1181.lib.22.ca.7.Post quem Ottho Tyrensis ecclesiæ archidiaconus, consecratus est episcopus, anno 1181.lib.22.cap.7.

SEBASTENI.

RENERVS comitatus est patriarchã Fulcherum Romam uersus ad Hadrianum 4. Tyr.lib.18.cap.6.

RADVLPHVS interfuit synodo Romanæ, anno 1178. lib.21.cap.26.Belli sacri.

HERBERTVS TYBERIADIS.

HErbertus in comitatu Fulcheri fuit, iter faciens ad Romanum papam Hadrianum 4.Tyr.lib 18.cap.6.

RAINALDVS HEbronensis.

RAinaldus Fulcheri Ierosolymitani nepos, primus constitutus est episcopus in Hebron, anno 1167.Tyr.lib.20.cap.3.

SIDONENSES.

ALMARICVS.

ALmaricus Sidonensis comitatus est Fulcherum Romam euntem. Tyr. lib.18. cap.6.

BERNHARDVS.

Bernhardus deliberationi in Ptolomaide, cuius iam sæpius meminimus, interfuit. Tyr.lib.17.cap.10.

OTTO.

Otto Sydonensis cõsecratur episcopus à Guilhelmo Tyrẽsi, anno 1165. Tyr.li.21.ca.11.

RAINERVS LIDDENSIS.

RAinerus Liddensis episcopus obijt circiter annũ 1168. Successorẽ habuit Bernhardũ abbatem montis Thabor. Tyrius li.20.ca.13.

LAODICENSES.

GERARDVS A' NAZARETH.

GErardus à Nazareth, patria Galilæus, ordinis S. Benedicti monachus primũ prope Nazareth, deinde apud Antiochiã Carmeli tanę sectę eremita, claruit anno 1140. ut ipse testatur cap.2. de Conuersatione seruorum Dei. Tandẽ Laodicensis fit episcopus. In sacris literis eruditus fuit, philosophus & rhetor insignis, Gręcè & Latinè doct9. Scripsit

De conuersatione seruorum Dei, lib.1.
Ad ancillas Dei apud Bethaniam, lib.1.
Vitam abbatis Eliæ, lib.1.
De una Magdalena cõtra Gręcos, lib.1.
Contra Salam presbyterum, lib.1.
Atq; alia nonnulla.

GERALDVS.

Geraldus Laodicẽsis episcopus, socius itineris fuit Raymũdo Antiocheno principi in Ciliciam: qui iter illud arripuit, ut Manuelis Cõstantinopolitani gratiã, qui cũ exercitu ibi erat, iterum acquireret. Lib.18.cap.23.

SALA.

Sala presbyter fuit, contra quem pugnauit Gerardus à Nazareth, obijciẽs illi, quòd cœmiterium dedicare præsumpserit, cum illud sit tamẽ episcoporũ. Itẽ quòd Gręcũ episcopũ cõtra Latinũ in ciuitatẽ introduxerit. Gerard.à Nazareth in defensiõe cõtra Salã.

GVETRICVS PETRACENSIS.

GVetricus canonicus regularis templi Dominici, præficitur primus Petrensi ecclesiæ, anno 1167.lib.20.cap.3.Belli sacri.

EDESSENI.

BENEDICTVS.

BEnedictus Edessenus archiepiscopus expeditioni Carrẽsi interfuit. Verũ in ꝓlio captus est, & cuidã Christiano asseruãdus traditus: cuius beneficio liber dimissꝰ, post paucos dies Edessam redijt, magno cũ gaudio ciuiũ.lib.10.cap.29.30 Belli sacri.

HVGO.

Hugo capta Edessa, cum quibusdam suis clericis confugiens in prędium, ut ibi uitã aliquandiu tueretur, cum alijs multis compressus & suffocat9 interijt, anno 1142. Tyr. li.16.ca.5. Quidam referũt, ipsum potuisse urbi auxilio esse, militib. erogata pecunia, quam fermè infinitam habere dicebatur: uerùm auarus opibus incubare maluit, quàm populo succurrere petenti.

APAMEENSES.

PETRVS.

PEtrus Apameẽsis archiepiscopus Rogerij principis cõfessionẽ audiuisse dicitur, anteq̃ ꝓliũ ingrederetur. Tyr.li.11.ca.10.

SERLO.

Serlo Apameẽsis Antiochenę synodo interfuit, nõ indutus ueste põtificali. Ex quo cũ legatus põtificius quęreret, quî sic accessisset reliqs dissimilis, & cur accusationẽ cõtra Antiochenũ patriarchã nõ ꝓsequeretur: respõdit, se qdẽ cũ incõmodo salutis suę, instar maledicti Chã, aliquãdo suo patri detraxisse: nunc uerò aliter esse doctũ, ita quidẽ, ut ꝓ eo ad mortẽ usq; decertare paratus sit. Eã ob causam excommunicatur, ex officio deponitur: quæ res tantũ ipsi laborẽ attulit, ut ꝑ animi mœrore paulo pòst in quodã castro Harẽc animũ exhalaret. Li.15.c.16.Tyrij.

INDIAE.

INDIÆ.

PRESBYTER IOHANNES.

IOhãnes Indiæ presbyter & rex hoc seculo uixisse fertur, sicut Frisingensis refert ex cuiusdam Gabulensis relatione. Is etsi Christianã professus religionem est, tamẽ diluta fuit Nestorianismo. Samiardos fratres Persarũ & Medorũ reges bello petijt, & cruentissimo prælio uicit, atq; Ecberanã regni sedẽ expugnauit. Postea tamen cõstituit Hierosolymitanæ subuenire ecclesiæ, utq; exercitum per Tygrim coagulatũ hyeme traduceret, ad Septentrionẽ deflexit: ubi tamẽ ex aëris intemperie multos ex suis amisit, atq; ita re infecta domũ redijt. Frising. li. 7. ca. 33.

IOHANNES.

Iohannes Indorũ patriarcha, unus de maximis, anno 1120 Romã uenit, & Calixto 2. & reliquo cardinaliũ & prælatorũ examini narrauit, quo pacto S. Thomas quotannis Eucharistiam porrigat dignè accedẽtibus, indignis uerò subtrahat in ciuitate Hulna. Schedelius ætate 4.

NICÆNI.

SVB FRIDERICO.

NICOLAVS.

NIcolaus pontifex Nicænus circiter annum 1182 præfuit. Is Andronico urbem obsidente, ciuibus suasit, ut deditionem facerent, & persuasit etiã. Ideoq; indutus uestibus põtificalibus, manu tenẽs sacra Biblia, ascitis sacerdotibus reliquis, mulierib. atq; pueris inermibus, aperto capite pedibusq; nudis, manibus tenentes frõdes supplices, urbe egreditur, & misericordiã petit, ac impetrat etiã. Nicetas sub Imperio Andronici.

PANEADENSES.

ADAM.

ADam Acconensis archidiaconus, eligitur Paneadensis episcopus, circiter annum 1132. lib. 15. cap. 11. Belli sacri.

IOANNES.

Ioannes missus legatus est à rege Ierosolymorum & eius loci patriarcha ad Occidentis principes, ad conquirẽda auxilia aduersus impresiiões Turcicas, circiter annũ 1167. Verùm biennio pòst, ubi parum effecisset, redijt. Tyrius lib. 20. cap. 13.

DOCTORES

Europæi.

BVLGARI.

MEminit Nicetas in annalib. sub Alexio puero, cuiusdã Bulgarorum episcopi, qui ceremonias matrimoniales peregit, atq; Alexium cum Irene incæsto connubio iunxit: sed nomen non addit.

IOANNES.

Ioannes Camaterius Caniclęi præfectus primùm, Bulgarorum fit patriarcha: qui cadauer Alexij pueri strágulati, plumbeæ thecæ inclusum, in cymba uectum in mari demersit cum carminibus & tripudio. Nicetas in Annalibus Alexij Porphyrogeniti.

CONSTANTINOPOLITANI.

LEO STYPPIOTA.

LEo Styppiota patriarcha Constantinopolitanus succesit Nicolao, circiter annũ Domini 1114. Vitã finijt eodem tẽpore quo Iohannes Comnenus Imperator, anno Domini 1141. Nicetas in Annalib. sub Manuele.

MICHAEL.

Michael communibus suffragijs Imperatoris, sacerdotũ, senatorũ, cognatorũ Imperatoris, in locũ demortui substituitur. Fuerat monachus Acuti monasterij, uir & uirtute celebris, & Græcè eruditus. Is in æde sacro Manuelẽ unxit, Imperatorioq; diademate ornauit, anno 1141. Ibidẽ. Curiam pręterea episcopalem extruxit Cõstantinopoli. Idem sub Alexij pueri Imperio.

SVB FRIDERICO.

THEODOSIVS.

THeodosius patre Armenio natus, Constantinopoli patriarcham egit, circa annum humanæ Salutis 1180. cuius eloquentia & uirtus plerisq; sui temporis spectata fuit.

Opera in gubernatione.

Zelum constantiæ præ se tulit aliquandiu, cum Imperator Manuel paulò ante finẽ uitæ non parum delirare inciperet, ita quidem, ut summam ad se raperet dictaturam in rebus Theologicis. Tandem, quamuis ægrè, importuno Imperatori assensit. Prętereà Imperatorem monuit, ne quid prius in Eustatium Thessalonicensem archiepiscopum grauius statueret, quàm ipsum coràm audiuisset. Eundem quoq; iam morti uicinũ hortatus est, ut sensibus adhuc integris res Imperij disponeret, tutores filio impuberi & Imperatrici constitueret. Nicetas sub Manuele.

Damnauit Astrologiam. Nam Imperatori animam agenti autor fuit, ut priorem de Astrologia sententiam mutaret, & propria manu id testatum faceret.

Pacis studiosus fuit. Nã sororem Alexij pueri, quãuis nõ uterinã, cũ seditionẽ conciraret, nõ modò ad pacẽ hortabatur, sed grauiter etiã obiurgabat ad trãqllitatis studiũ. Pacẽ etiã fecit inter Imperatorẽ & Porphyrogenitã, ita quidẽ, ut per ministrũ, qui Palatinus dici solitus fuit, Imperatrici cõmotæ ad irã, Dei uindictam annunciaret, atq; ad Dei timorem adhortaretur.

Superstitiosus fuit. Cũ enim ingẽs exortã fuisset seditio Cõstantinopoli, ipse metuẽs ne hostes in tẽplum penetrarent, & sacratũ locum

locum prophanarent, cruentisq; manibus sanguinem stillantibus sancta donaria contrectarent raperentq́;stola pontificia induitur, libros Scripturæ sanctæ gestans manibus, in templi uestibulum, cui nomen erat Protecdiceum,descendit,ut eius præsentia moti, ab omni prophanatione & iniuria abstinerent.

Monasticam uitam promouit,ędificatione monasterij in Terebintho insula.

Inimicum & malè meritum Protosebastum, ex summo dignitatis gradu lapsum, in calamitate consolatus est,ipsumq́; ad pœnitentiam animique moderationem mancipatum carceri hortatus est,& ne suo more arrogantius paulò cum adiunctis custodibus loqueretur.

In Andronicum,per uim ad sese rapientem Imperium, scopticus extitit. Cū enim illū uidisset,uisu truci,ingenio occulto esse, callidis affectatisq; moribus,statura ad decem fermè pedes assurgente,superbo incessu,arrectis superciliis, seueritate & tristitia perpetua,dixit: Hactenus audiui,nunc etiam uidi, & palàm cognoui.illud Psalmi adijciens: Vt audiuimus, ita etiam uidimus. Quo dicterio cum sese à patriarcha peti Andronicus sentiret: Ecce (inquit) occultum Armenium.

Dissimulator fuit,aliud corde tectū, aliud in ore promptum habens. Nam Andronico per ludibrium dicente, neminem esse qui secum Imperium administret,& Alexij pueri curā gerat, neq; ipsum patriarcham, cui tamen unà cum alijs id muneris demādarat Manuel moriturus: respondit Theodosius, se iam olim solicitudinem de Imperatore deposuisse: hoc est,inter mortuos illum numerare, posteaquam Andronicus urbem ingressus, rerum administrationem susceperit. Eius dicterij cum dissimulanter explicationem rogaret Andronicus,aliò illud detorsit, se iam olim & Canonibus & senio impediri à rerum administratione, neque sibi licere rebus mundanis implicari. Deniq; ipsum quoq; Andronicum uel solum parem educationi pueri Imperatoris.

Animus in illo constans fuit, quem non potentia Andronici,nō eloquentiæ fulmē, non minæ à recto proposito deijcerēt.Nam cum concilio deliberandū proposuisset tyrannus,an Alexius Manuelis filius nothus, & Irene propria filia notha possent cōtrahere matrimonium,multis largitionibus corruptis applaudentibus Andronico, non solùm immotus eas nuptias damnauit,sed alios etiam, ut idem facerent, insigni constantia hortatus est. Nicetas sub Alexio Porphyrogenito.

In Imperatricis Xenę eiectionem cōsensit,quamuis inuitus,importunitate Andronici compulsus.

Calamitates.

Ei Protosebastus non parum succensuit, cuius cupiditatibus aduersabatur: tandémq; palatio pulsus,in Pantepopti monasterium relegatur, ibiq; exulare iubetur. Sed paulo pòst restituitur admodum solenniter, cum summo dedecore suorum aduersariorum.

Andronicus ipsum in eiectionem Imperatricis consentire uoluit,idq; ut perficeret, accersito populo in palatium, crebris conuicijs ipsi fuerunt molesti, atq; parum abfuit, quin uulgus indomitum etiam barbam euelleret, nisi tyranni postulatis subscripsisset.

Tandem cum mala plurima ingruere,seque nihil contra Andronicum, incęstas nothorum nuptias urgentem, proficere uideret, suam stationem, in quam erat collocatus, reliquit, atq; in insulam Terebinthum concessit. Nicetas sub Imperio Alexij.

BASILIVS.

Basilius Camaterus per intrusionem succedit Theodosio,inthronisatus per Andronicum tyrannum. Is incestas nuptias consanguineorum Alexij & Irenæ approbauit, quæ causa fuit adipiscendi eum patriarchatum.

Parasitus fuit & adulator insignis Andronici,ut ea omnia quæ requireret,quantumuis illicita, sua sponte se facturum: contrà uerò, quæ ipsi displicerent declinaturum, reciperet. Nicetas sub Alexio Porphyrogenito. Illud uerò quod receperat,postea etiam reipsa præstitit. Cum enim Andronicus Alexium annos natū quindecim sustulisset, spōsamq; eius puellam annos natam undecim, Francorum regis filiam,sibi matrimonio iungere statueret,iam senex effœtus & uietus, nō tantùm id approbauit,sed etiam à iuramento, quod ille Manueli & Alexio dederat,cum suo consortio eum absoluit, literisq; affixis impunitatem periuris cōcessit. Idem sub Imperio Andronici.

Pro arbitrio sua potestate abusus est,absque ullo discrimine soluendi & ligandi, quod nefarij tyranni cupiditatibus inseruire uidebatur.

Inanis gloriæ cupidus extitit monstrum hominis. Nā in hoc gratificatus est Andronico tantùm,ut sella ad Imperatoris solium collocata, ipsi liceret assidere, quoties aliquid apud Imperatorē negotij ageret. Sed honos ille cū paucos dies durasset, ne quidem postea ad se Andronicus ipsum uenire passus est: ut uerè dixeris,uanissimam illam gloriam in ignominiam paulo pòst immutatam esse.

Isaacium Angelum, qui ad magnum templum

plum metu Andronici cōfugerat, equo Imperatorio insidentem comitari compulsus est à promiscua multitudine, ut hoc modo sua præsentia eius electionem approbaret. Ibidē. Ad eundē Imperator Isaacius abire iussit eos, qui per seditionem Branę sese adiunxerant, ut apud eum pœnitentiā ob uiolatum iusiurandum testatam facerent, & ab anathemate sese solui peterent.

Cæterùm & is suo loco & sede eiectus est ab Isaacio, hoc prætextu, quòd matronas nobiles, quas Andronicus in monasteria inuitas abstrusisset, illis abdicata ueste nigra liberū fecisset redire ad sua, deserta uita monachali. Nicetas sub Isaacio Ang.

NICETAS.

Nicetas Mūdanus ipsi substituitur, summi tēpli sacellanus: sed ab eodē Imperatore paulo pòst inuitus loco mouetur, senium & deliriū atq; leuitatem ipsi dans crimini.

LEONTIVS.

Leontium monachū in eius locum Imperator surrogat, iureiurando confirmās in populi frequentia, eum uirum prius ignotū, sibi intempesta nocte ab ipsa Dei genitrice esse demonstratum, non forma & uirtute eius solùm descripta, sed etiam monstrato loco ubi habitaret. Verùm priusquā annus elaberetur, eum loco mouit.

DOSITHEVS.

Dositheus Studiensis monachus, natus Venetijs patre Viticlino, Isaacio Imperatori admodū fuit familiaris: idq; eo maiorem ipsi gratiam cōciliauit, q, prędixerat, Imperij summā tandem ad Isaaciū peruēturam: quod quia euentus postea comprobauit, uulgo persuasum fuit, ipsum habere spiritū propheticum.

Cum Fridericus Imperator Occidentis exercitū duceret in Asiā contra Saracenos, adduxit Isaacium eò, ut crederet, Fridericum non Palæstinæ recuperādæ, sed Constantinopolitanę urbis occupādę causa uenisse cum exercitu. Adiecit præterea, ipsum ingressurum per Xylocerci portam, atq; ea potiturum, multaq; facturum abomināda, quæ graui supplicio in eo ulturus esset Deus. Eum primùm designauit Imperator Hierosolymitanum patriarcham. Non multo pòst isthinc Constantinopolim translatus est, tanto splendore atq; comitatu, ut triumphū agere uideretur. Sacerdotes primarij hoc ægreferentes, quòd ita fuerant circumuenti astu, conuenticula instituunt extraordinaria, ipsumq; ut alienæ sedis occupatorem damnant atq; deponūt. Quod cum ægerrimè Isaacius ferret, suum patriarchā ita tractari, rursus per bipēniferos satellites & palatinos proceres, populi motum nihil ueritus, in primariam ædem eum introducit. Nam omnibus propter ambitionē & intempestiuā Imperatoris pertinaciā erat inuisus. Sed rursus eijcitur: & dū duobus simul præesse locis conatur, utraq; sede excidit. Nicetas sub Isaacio Imperatore.

GEORGIVS XIPHILinus.

Georgium Xiphilinum, sacerdotem Cōstantinopolitanū & magnū uasorū custodē, Alexius puer ad Andronicū ablegauit, ut pollicitatione magnorū munerū atq; dignitatis, illum cœpto deijceret: sed perfidè munus hoc obiuit. Nam Andronicū in seditioso proposito confirmauit, ut per uim ad sese Imperium transferret: qua in re ipsum secutus est Andronicus. Nicetas sub Alexio puero.

DISYPATVS GEORGIVS.

Disypatus Georgius magni tēpli lector fuit Constantinopoli, circiter annum 1182. Eum Andronicus in carcerem coniecit, atque postea ueru affixum ad ignem assare decreuit, domūq; uxori mittere, quòd Imperatoris crudelitatem liberius fuerat insectatus, nisi Monasteriota Leo, socer eius tyranni, furorem sua authoritate repressisset.

Quamdiu detentus in carcere fuit, pro sui liberatione diligenter ad Deum precatus est, hisce uerbis: Educ è custodia animā meam, ut nomen tuum prædicem. Atq; illud Ionæ subinde ingeminabat: Nunquid templū sanctū tuum uidebo amplius? Illud uerò etiam contra Christianam dilectionem precatus est, quæ pro inimicis orat: Deleto me Domine ex Andronici memoria, sim ignotus illi omni tēpore, ne recordetur nominis mei, donec ex libro uiuentiū deletus fuerit. Rectius illi saniorē mentem atq; pœnitentiam precatus fuisset.

Tandē extincto Andronico, dimissus & libertati restitutus est. Nicetas sub Andronico.

NECHITAS.

Nechitas Græcus, Constantinopoli primatū papæ oppugnauit cōtra Anselmū Auelsburgensem, de quo idem in hunc modum scribit in Prefatione libri ἀντικειμένων: Fuit quidā archiepiscopus Nicomedię Nechites, præcipuus inter duodecim didascalos, qui iuxta morē sapientū Græcorum, & liberaliū artiū & diuinarū studia regunt, & cæteris sapiētibus, tanquā omnib. præeminētes in doctrina præsunt, & ad quos oēs quæstiones difficilimę referūtur, & ab eis solutę deinceps sine retractatione ꝓ cōfirmata sententia tenentur & scribuntur.

NICEPHORVS.

Nicephorus apocrisiarius Emanuelis fuit, qui sui Imperatoris nomine in legatione

missus est ad Conradũ 3. p cõfirmando cõiugio inter Emanuelẽ & sororẽ suæ coniugis. Frising. lib. 1. cap. 24. de gestis Friderici.

Meminit Chronicon Casinense, quendam Græcum philosophum legationi, quã Manuel ad Lotharium miserat, interfuisse, qui Romanum pontificem non episcopum, clericosq; Romanos excommunicatos diceret, quòd decreta symboli Niceni essent trãsgressi in eo, quòd Spiritum sanctum à filio quoque procedere adiecissent. Reprehendit etiam in pontifice, quòd ad bella gerẽda procederet, exercitũ cõscriberet, pecunias distribueret, purpura indueretur. Chron. Cas. lib. 4. cap. 116. & sequenti.

EVSTATHIVS THESSALONICENSIS.

FLoruit circiter annum humanæ Salutis 1118, quidam Eustathius Thessalonicensis archiepiscopus, uir nõ solùm doctus & eloquens, sed etiam zelo pietatis plenus. Is doctrinam Mahometi de Holosphyro non gignente & ingenito, uehementi oratione ad quendam Theodorum Mazucam, Imperatoris Manuelis secretarium, detestatus est. Quã ob causam uehementer ad irã cõmotus Imperator, atrocia ipsi minitabatur, nisi ipsum Theodosius Constantinopolitanus demulsisset, & archiepiscopo potestatẽ sui purgandi perfecisset. Nicetas sub Man.

Quo tempore Siculi Thessalonicẽsibus bellum mouerunt, potuisset quidem euadere Eustathius, antequam ad obsidionẽ ueniret hostis: sed turpiter suum gregem in necessitate deserere noluit, sed præstò fuit, consolatione eos sustentans, & ut omnia aduersa, tanquã benigni patris flagellũ, patienter ferrent, sedulò hortatus est. A ducib. exercitus, quos Contos uocant Latini, edicta impetrabat, quib. miserorum ærumnę leniebantur. Idẽ sub Imperio Andronici.

ATTICI.

MICHAEL.

MIchael Oxites Athenis patriarchã egit, circiter annum Domini 1140. Sed ante uitę suæ exitum ultrò illa sede cessit, inq; Oxiam insulam, in quã à puero institutus fuerat, reuertitur ad sordidum atq; austerum monasticæ uitæ genus, atq; monacho cuiuis, in templi limine prouolutus, collum calcandum præbuit, quòd repudiata quiete, nullo cum fructu patriarcham sese effici consensisset. Nicetas sub Manuele.

COSMAS.

Cosmas unus ex diaconis, patria Aegineta oriundus, successit Michaeli. Is & literatus fuit, & benignus in pauperes, ita quidẽ, ut aliquãdo palliũ, tunicam & lineã capitis calyptrã pauperibus erogaret, alijsque etiã suasor & autor fuit, ut pauperum necessitati subuenirent. Quam ob causam, cum ab omnibus magni fieret, Isaacius Sebastocrator frater Manuelis tantopere ipsum reueretur, ut ab eius cõsilijs totus penderet. Ea res facilè, præsertim ab inuidis, in calumniam rapitur, quasi Isaacio regnum prodere in animum induceret: atq; hoc pacto etiam apud Manuelem à maleuolis accusatur. Erat quidam monachus Nephon, admodum Cosmæ familiaris, ita ut sæpe una mensa unisq; ædibus uterentur. Huic praua opinio dabatur crimini, & rasa erat in longũ maxilla, & à Michaele, de quo paulo antè, carceri mancipatus. Proinde Cosmas tãquam sectator atq; suffragator illius palàm incusatur, iudicioq; sistitur. Is rerum omnium ignarus, cum uideret se indicta causa cõdemnari, indignatione plenus, Imperatricis uterũ execratur, ne masculos pariat: quosdam ex proceribus & totum concilium, sui eijciendi causa coactum, Ecclesiastica censura notat. Id Contostephanus, unus eorum qui sellã Imperatoris circumstant, ægerrimè ferens, alapã Cosmæ se impacturum simulat. At Cosmas uidẽs Imperatorem & reliquos propterea indignari, submissa uoce dixit, Sinite istum, iam iam suam petręam accepturum: prędicens, quo fato periturus esset, sicut & euentus cõprobauit. Nã paulo pòst ad Corcyræ promontoriũ, fragmine saxi machina excussi percussus, animam exhalat. Nicetas sub Man.

MICHAEL ITALICVS, Philippopolitanus.

MIchael Italicus Philippopolitanus pontifex, uir eloquens & omni genere doctrinæ perpolitus, sed insignis simulator, qui aliud in corde latens, aliud in ore promptũ habere consueuerat, Conradum 3. in expeditione Asiatica ad epulas inuitauit. In cuius gratiam Imperator omnes eos crudelissimè tractari iussit, qui cõmeatum nõ pecunia, sed latrocinijs acquisiuissent. Is præterea sua eloquentia id effecit, ne inuicem Germani cum Græco exercitu manus consererent. Nicetas sub Manuele.

LAPODIENSES.

LApodij anno 1182 præfuit episcopus, cuius tamen Nicetas historicus nomen non exprimit. Eum excæcauit Andronicus, eo quòd suos ob rebellionem non castigasset, sed tulisset & spectasset. Nicetas sub Andronico.

IOHANNES CINAMVS.

Iohannes Cinamus episcopus Lapodij, cum quodam Euthymio, Nouarum Patrarum episcopo, in Andronici præsentia de dicto Christi, Pater maior me est: disseruit. Eos uerò non solùm Imperator obiurgauit, sed etiam in Rhydanum amnem se abiecturum

iecturum minitatus est, ni finem disputandi facerent. Nicetas sub Andronico.

NICETAS CHONARVM *episcopus.*

NIcetas Chonarũ episcopus, eunuchus, floruit circiter annũ 1141. uir non solùm insigni uirtute preditus, sed etiã futurarũ rerum præscius fuit. Nam cũ Manuel ex Armenia Chonas uenisset, atq; ab hoc pontifice benedictionẽ (ut uocãt) accepisset, quidã inter se dubitabant, an adolescens ille imberbis tanti Imperij molem feliciter administraturus, & Isaacium fratrem, qui sedem Imperij tenebat, superaturus esset? Tũ ille: Omnino ille adolescens gubernabit Imperium, & fratrem etiam superabit. Sic enim Deo uisum est. Vt autem & alia, de quibus non ambigitis, sciatis, auum Alexiũ ætate superabit, sed appropinquante obitu insaniet. Quod Nicetas de illo decreto intelligit, quo abrogauit Imperator anathema Dei Mahumetici holosphori. Nicetas sub Manuele.

HYPOPSEPHIVS.

HYpopsephius Theopolitanus, Eustathius Dyrrachinus, Nicephorus Basilacensis, Michael Thessalonicẽsis, eo quòd de quęstione, An rectè incarnatus Deus dicatur simul & offerre & offerri: perperam sensissent, è locis suis eijciuntur per Imperatorem Manuelem: ut Nicetas sub Imperio eius scribit.

NOVARVM PAtrarum.

EVTHYMIVS.

EVthymius circiter annũ 1182 Patris præfuit. Is cum Iohanne Cinamo de dicto Christi, Pater maior me est: disceptauit Lopadij. Sed isti disceptationi Andronicus finẽ imposuit, qui eos audiret, ut, ni finem facerent, eos in Rhydano amne submersurum minitaretur. Nicetas sub Imperio Andronici.

CORCYRÆ.

THEODORVS.

THeodorus capellanus, uti uocãtur, Corcyræ fuit, gerens simul gladium politicum. Nam militibus præsidiarijs, quos ibi Siculi reliquerant, præfuit. Ille obsidente Manuele Corcyræ promontorium & oppidum uicinum, deditionẽ suasit, militẽq; persuasit etiam: atq; postea Imperatorem secutus est quocunq; pergeret. Nicetas.

VNGARIÆ.

MATTHAEVS.

Matthæus, doctus & honestus magister, à rege Vngariæ ad Fridericum Imperatorem mittitur legatus, sui regis nomine Imperatori promittens auxilium contra Mediolanenses. Frisingẽsis lib. 4. cap. 26. de gestis Friderici.

DE EPISCOPIS *Italiæ.*

ROMANI.

PASCHALIS II.

REginerus Bledensis (oppidum hoc est in comitatu Galliatæ in Thuscia Romana) patre Crescentio & Alsatia matre natus, apud Cluniacum monasticam professionem amplexus est. Septimi autem Gregorij amicitia usus, ob doctrinam & hypocrisin insignem abbas monasterij sanctorum Stephani & Laurentij, extra urbis Romæ muros, ab eo adhuc iuuenis constituitur, & titulo S. Clementis presbyter cardinalis creatur. Onuphrius. Hunc postea Vrbanus, rebus humanis ualedicturus, sibi surrogari rogauit. Cum autem se eligendum cerneret, manibus pedibusque reluctatus est: tandem inuitus, & ut ille inquit, sua uoluntate coactus, ac populi in primis clamore, Sãctum Petrum Reginerum uirum optimum pontificem elegisse, ter repetentis, adductus superbissimus monachus electioni assensum præbuit, & Paschalis dictus est. Indutus deinde coccinea chlamyde, tiaraque capiti eius imposita, clero & populo comitante, equo albo uectus in Lateranum deducitur, ubi sceptrum pontificium accipit, baltheoque succingitur, ex quo septem claues totidemque sigilla dependebant, quibus secundum septifariam Spiritus sancti gratiam sanctarum Ecclesiarum, claudendi, sigillandi, aperiendi recludendique (scilicet thesauros mundi) rationem habere moneretur. Tandem in basilica Petri ab Ottone Hostiensi, qui primas tenebat partes, Mauritio Portuensi, Gualtero Albano, Bonone Lauicano, Nilone Prænestino, Offone Nephesino, pingui inungitur chrismate. Platina in uita eius, Sabellicus. Conradum Heinrici quarti filium, qui patri suo turbas, ut superiori seculo diximus, dedit maximas, Paschalis electionem comprobasse, Auentinus testatur.

Scripta.

Extant eius epistolæ quædam ad diuersos scriptæ. In epistola autem quadam Guidonem Viennensem reprehẽdit, quòd cleri-

clericorum pro sua ecclesia testimonium non acceptarit: ac quorum de alijs testimonium ualere & posit & debeat, instruit. c. 14. q. 2. Super.

Alia Victoré Bononiésem monet, ut suę diœceseos monachis interdicat, ne præter sui aut Romani episcopi uoluntatem, episcopalia iura & officia sibi temerè arrogent, uidelicet pœnitentiã dare & remissionem peccatorum, reconciliationem pœnitentium, decimas & ecclesias. c. 16. q. 1. Peruenit.

Alia Regino episcopo scribit, tertio affinitatis gradu contrahere posse matrimonium: sed duorum consobrinorum coniuges uni eidemq; nubere non posse. c. 35. q. 3. Porrò.

Anselmo etiam per epistolam condolet, de illata ipsi apud Anglos iniuria, deq; sui restitutione operam promittit: deniq; comitem de Mellento, calamitatis istius autorem, synodi decreto excommunicandum indicat.

Eidem de recuperata sua sede gratulatur per literas, ac ut suã ecclesiam Romanæ conformet, regi uerò ut debitam sibi obedientiam censusque soluat, autor sit, litem inter Normannorum comitem ipsumq; regem componat, & deniq; ut suos quos mittat legatos, & consilio & opera iuuare uelit.

Robertum comitem de Mellento, qui Anglorum regi, ut in causa inuestiturarum Romanæ ecclesiæ repugnaret, persuaserat, ut resipiscat monet, ni grauius quid in se statui malit.

Heinricum quendam Normannorum comitem instruit, non esse ipsius, ecclesiarũ præsules constituere & inuestire: sed tutelam & patrocinia earum secularibus potestatibus ea lege concessa esse, ut ab omni perturbatione & infestatione mundana defendant, quo cultores earum quietè & deuotè cœlesti regi militare possent.

Ad Henricum Angliæ regem pro inuestituris & Anshelmo fouẽdo scribit. Malmesburiensis lib. 5. cap. 25.

Coram Anshelmo per literas se excusat, quòd inuestituræ ab Heinrico rege factæ nunquam consenserit, quicquid tandem regni legati retulerint. Apud Malmes.

Alia ad Anselmum suam læticiam exprimit, quòd regem Angliæ, mutata priori sententia, ad gremium & obedientiam Romanæ ecclesiæ reduxerit. Ac ut eos qui inuestituras à rege acceperunt, inuestitis benedixerunt, aut hominia fecerunt, accepta prius ab ijs, pro Romani pontificis arbitrio, satisfactione, recipiat & absoluat.

Per epistolam eundem certiorem reddit, quòd presbyterorum filij, quos scientia & uitæ integritas commendat, ad sacra officia pro necessitate temporis & Ecclesiæ utilitate promoueri possint. Heliensem abbatem, satisfactione iniũcta prius pręstita, in Ecclesiæ consortium ut recipiat, eidẽ mandat.

Item apud eundem intercedit pro comite quodam, qui ob incæstuosas nuptias captiuus à rege detinebatur, ut eius patrocinetur causæ.

Opera eius.

In gubernatione porrò maiorum uestigijs insistere magno labore annisus est. Nam pręter ordinationes episcoporum decem, presbyterorum quinquaginta, diaconorum uerò cardinalium triginta, ut Onuphrius annotat (Platina in uniuersum centum numerat) nihil uerò Christi pontifice dignum gessit, sed Antichristo suam operam fideliter præstitit.

Nam cum Florentinus quidam episcopus, quia uidisset tot in Ecclesijs passim fieri mala, ipsum Antichristum iam natum palàm professus esset: pontifex recognita statim eò proficiscitur, cum Galliæ Italiæque episcopis concilium celebrat: & hominem, quem ex leuitate gloriæ magnique nominis cupiditate solùm hæc asserere contendebat, multis iniurijs affectum tandem dimittit. Platina, Balæus.

Nuptias præterea sacerdotum damnauit, Nicolaitarum hæresin appellans, quibusdam etiam episcopis propter coniugia è sedibus suis eiectis. Maluit enim eos esse scortatores, quàm coniuges. Balæus.

Pontificis Romani obedientiam uel censuram negligere, ac sacerdotij inuestituram à profana manu agnoscere, maximas esse hæreses pronunciauit. Idem.

Heinricum Anglorum regem per literas seuerissimè interpellat, ne quenquam inuestiat. Malmesburiensis libro quinto, capite uigesimoquinto.

Prænesti Agapeti templum dedicauit, Romæ præterea ecclesias quindecim consecrauit, maximè uerò basilicam sancti Hadriani, quorundam factiosorum scelere prophanatam, ecclesiam S. Mariæ Monticelli in regione Ariolæ: postremò uerò restituit & consecrauit basilicam sanctorum Coronatorum, eo tempore diruptam, quo Robertus Guiscardi Salernitanus princeps eam partem urbis incenderat. Platina in uita eius.

Antichristi ineptiæ & hæ sunt, quòd pontifex cũ clero & populo in urbe Leonina,

nina, ante fores templi Petrini, cum crucibus, thuribulis, & ut Platina ait, Sanctorum reliquijs, sacris induti uestibus Imperatoris pręstolátur aduentum. Otto Frisingensis libro 7. cap. 14.

Magistratum contempsit. Nam præterquam quòd Imperatore inscio sedem conscendit, statim sub gubernationis initium, ipsum prius ab Hellebrando & alijs excõmunicatum, eodẽ denuò ferit fulmine, & ab omnibus episcopis uniuersisq; catholicæ Ecclesiæ cultoribus idem fieri præcipit, teste Helmoldo cap. 32. ac quod sanè dictu horrendũ est, in arma contra patrem, Heinricum quintum filium excitat. O' stupendam pontificis, Ecclesiæ (inquam) præsulis impietatem & crudelitatem, in patris uiscera filij gladium stringi præcipientis. Nec ita exatiari potuit eius crudelitas mõstrosa, qua uel Neronem Caligulamq;, aut quosuis hoc nomine insignes facilè exuperare eum credideris, quin & in mortuum eius cadauer sæuierit, quod ex terra erui, extra ecclesiam proijci, Leodio Spirã trãsferri, & quinquennio Christiana sepultura carere iussit. Balæus & alij.

Arma etiam frequentius, quibus quidẽ suum regnum stabilire conatus est, quàm sacra monumẽta tractauit, & ut Platina inquit, à religione ad arma conuersus est. O' præclarã pseudoapostolici laudẽ & gloriã. Nam ut Gibertum, Richardũ & Maginulphum antipapas compesceret, suisq; ipse uiribus diffideret, aliquot militum turmas, auri uerò uncias mille à Rogerio Siciliæ comite accipit. At his turbis, sine sanguine tamen, sedatis, urbem Castellanam & Beneuentum ab hostibus occupatam recuperat. His dum occupatur armatus pontifex, Petrus Columna Cauas pontificium oppidum expugnat: contra quẽ mox suũ stringens gladium Paschalis, non modò Cauis potitur, uerũ etiam duo paternæ hæreditatis oppidula suo aduersario ui eripit. Præterea Stephanũ Corsicæ familiæ principẽ, sæpius ex S. Pauli basilica, quam uallo munierat, eruptionem in Romanos faciẽtem, ui eijcit. Rebus deinde domesticis pacatis, ab bellum Asiaticum animum adiecit, principesq; Christianos, & literis & suis nuncijs ultrò citroq; missis, ad eam rẽ diligentissimè incitauit. Platina.

Infidelitate maximè insignis fuit. Nã è uinculis, quibus constrictus fuerat, exemptus, Imperatori renouarat priuilegium de prælatorũ inuestituris, & coram tota pronunciarat Ecclesia, omnes anathematis reos, quotquot hoc priuilegium irritum ducturi essent. At Imperatore ad Germanos regresso, periurus & perfidus papa ea omnia reuocat, iuramento minimè teneri sese asserens, cum non sponte, sed coactè in Cæsaris sententiam concessisset. Damnatur itaque in synodo priuilegium, ipseque Imperator simul excommunicatur. Vrspergensis, Blondus, Balæus, Iacobus de Strada.

Concilia aliquot celebrasse quidem legitur: uerùm in ijs non Christi gloriam Ecclesiæque salutem spectauit, sed Romanæ sedis dignitatem & maiestatem ampliare studuit.

Decreta etiam quædam condidit Arctolycum testantia: Sunt quidam, inquit, qui uel uiolentia uel fauore non permittunt Ecclesias regulariter ordinari, hos etiam decernimus ut sacrilegos iudicandos. cap. 1. q. 1.

Item: Post susceptum uerò è fonte filium uel filiam spiritualem, qui ex compatre uel commatre nati fuerint, matrimonio coniungi non possunt: quia leges seculi non emancipatos adoptiuis prohibent copulari. c. 30. q. 3. Post susceptum.

Item: Post uxoris obitum cum commatre uxoris uiri superstitis coniugio copulari, nulla uidetur autoritas uel ratio prohibere. Neq; enim cognationi carnis cognatio spiritus comparatur, neque per unionem carnis ad unionem spiritus pertransitur. Notandum uerò est, quòd aliud est, commatrem alicuius cognoscere: atque aliud, derelictam ab aliquo commatrem alicuius fieri. Autoritas illa Nicolai papæ & Chalcedonensis synodi illum prohibet cõmatris suæ uxoris matrimonio copulari, qui uxori suę debitum reddidit, postquam illius commater extitit. Illa uerò autoritas Triburiẽsis cõcilij illos permittit matrimonio copulari, cuius uxor, postquã à uiro suo derelinquitur, illius cõmater efficitur, nec post compaternitatem à uiro suo cognoscitur. cap. 30. q. 4. Post uxoris.

Certamina.

Certamen ei fuit cum tribus antipapis, quos tandem stricto ense, iuxta notas Antichristi, compescuit. At grauius multò acerbiusq; illud cũ Imperatore Heinrico quinto extitit, quem prius contra patrem armarat. Cuius quidem milites, pontifice inaugurationem denegante, nisi prius in uerba ipsius iurasset, in clerum mirè comptum & ornatum impetus faciunt, eosq; spoliatos miserè in ipso atrio templi trucidant. Reliquam cardinaliũ & sacerdotum turbam unà cum suo pontifice urbe educunt. Tandem cum pontifex in Imperatoris uerba iuraret, & episcoporum inuestituras ipsi concederet, è uinculis dimissus est. Helmoldus capite 40. Ranulphus lib. 7. cap. 1. in Po-

in Polychronico. Antoninus titul. 16. capite octauo.

Pòst in synodo Romana ab episcopis ex composito accusatur idem pontifex, quòd Heinricum multorum cardinalium & sacerdotum sanguine madentē, solenni more Imperatorem salutasset, & episcoporum constitutiones, quas infinita ferè patrū cohors hactenus uitæ salutisq; cum dispēdio saluas retinuerit, huic omnium indignissimo per priuilegium dedisset. Ille necessitatem & pericula prætendens, ut insignis hypocrita, concilij iudicio se subijcit. Helmoldus capite 41. Cranzius libro 5. capite 36 Saxoniæ.

A' Romanis etiam ciuibus periculum aliquando ipsi imminuit. Nam cum pontifex ijs, in Petri præfecti locum filium ipsius decennem surrogari petentibus, gratificari nollet, mox illi arma contra papam corripiunt: uerùm ille fuga salutem quærit. Nauclerus generatione 37.

Curriculum eius annorum fuit decem & octo, mensium sex, dierum septem. Ibidem. Ipso autem resurrectionis Dominicæ die in uiuis esse desijt. Cranzius libro quinto, capite 39 Saxoniæ. Demum in Lateranensi basilica sepultus est. Marianus, Polonus.

ALBERTUS THEODORICUS, *Maginulphus, antipapæ.*

Subitanea morte extincto Giberto, quē superiori seculo contra Hildebrandum ab Heinrico Imperatore cōstitutum diximus, Albertus quidā Atellanus ab eius fautoribus cōtra Paschalem electus fuit: qui cum nomine tantùm dignitatem pontificiā mēses tenuisset quatuor, in exiliū mittitur. In huius locum mox Cauenses, agri Prænestini incolæ, Theodoricum quendā, Farfensis cœnobij abbatē, ut Vrspergēsis & Onuphrius referunt, creauêre pontificē. Verùm illi quoq; pœnitentia ducti, quinto & centesimo die ipsum imaginaria dignitate exutum, Anachoritæ habitum induere cogūt. Tertius pręterea Maginulphus Romanus, eandem sibi dignitatem apud Rauenna tēses rapuit. Verùm cum à Romanis urbe ipsi interdictū esset, à Rauennatensibus quoq; eiectus est. Platina, Sabellicus, Simoneta lib. 5. cap. 70. Onuphrius eum à Paschalis satellitibus captum, & in Cauense monasterium relegatum scribit. Sic ipsi pontificij Scriptores suorū, quibus adulātur, Thrasonum crudelitatem & uindictæ cupiditatem reticere non ualent.

GELASIUS II.

Casini feliciter literas didicerat, & monasticen amplexus fuerat Ioannes quidam Caietanus, illustri loco natus. De cuius fide, pietate, scilicet monastica, & eruditione edoctus Vrbanus secundus, mox inde euocatum Romam inter domesticos habuit, & ob dictionis in scribendo elegantiam, qua quidem præ cæteris Romanistis pollebat, id negocij ei dedit, ut Romanæ curiæ stylum, negligentia & ignorātia maiorum labefactatum (eximium sanè Romanorum patrum encomium) in meliorem formam redigeret. A' Paschali etiam diaconus cardinalis creatus est. Mortuo uerò illo, unanimi consensu pontifex designatur, inscio tamen Imperatore: id quod maximorum in urbe Romana motuum occasio fuit, licet Erfordensis, Vrspergensis & Crantzius libro quinto, capite 39 Saxoniæ testentur, Imperatorem suo suffragio Gelasij pontificatum comprobasse: sed cum ab ipsius communione, post acceptam scilicet confirmationem, se subtraheret ueterator ille, odij flammam aduersus eum concepisse Imperatorem. Cincius itaque Frangepanis, patricius urbis potentissimus, Imperatoris iniuriam ulturus, ut Balæus sentit, seu ut alij malunt, suam familiam, ex qua pontificem eligi uolebat, negligi indignè ferens, conclaue illud, ubi cardinales electores consederant, armato milite expugnauit, obuium quemque fudit, & ipsum Gelasium humi prostratum calcibus contriuit. Sed Romanorum accurrentium ope liberatur, & equo albo, ut Simoneta ait, impositus, à clero & populo consecratur. Imperatorem præterea Heinricum quintum timens pontifex, Tyberi delapsus Caietam, quæ ipsi patria erat, cum suis assedis fugit: ubi quidem primùm presbyter, nam in hunc usque diem diaconi solùm officio contentus fuerat, mox pontifex declaratur. Interim Romæ Mauricius Burdinus pontifex ab Imperatore constituitur. Vtrumque igitur Gelasius Caietæ excommunicat. Tandem Guilhelmi Apuliæ, Roberti Capuani, & Richardi Aquilani principum stipatus copijs, Romam redijt: sed inter Missarum sacra Frangepanum arma uix euasit, & amicorum ope ex urbe deductus, Galliam petijt, inq; Cluniacensi cœnobio delituit. Chron. Casinēse lib. 4. cap. 66. Platina, Bonfinius lib. 6. Decad. 2 rerum Vngaricarum. Anno 1119. Sigebertus, Simoneta lib. 7. cap. 71.

Antichristum porrò hisce operibus prodidit: Quòd magistratu neglecto pontificatum inijt, eumq; pòst cum Burdino excommunicauit, Missasq; celebrauit.

Præterea dum in Galliā abijt, in itinere aliquot templa superstitiosis ritib. cōsecrauit,

crauit, sanctæ nimirum Ceciliæ in Stagello, S. Syluestri in Tillano, & S. Stephani in Tornaco, lapidibusq; ecclesiarũ terminos notauit. Platina.

In synodo quadam Coloniæ per Cononem legatum suum statuit, Romanos pontifices à nemine iudicari posse aut debere.

Templariorum sectam ab Hierosolymorum patriarchæ obedientia exemit. Matthæus Parisius.

Roberto cuidam Remis, ubique locorũ prædicandi facultatem concesit. Sigebertus.

Paucos cum apud Cluniacenses delituisset dies, pleurisi correptus mortem obijt, ibiq; ad maius altare sepultus est, cum pontificium nomen nondum uno tenuisset anno. Sigebertus, Vrspergensis. Nonnulli autem, inter quos Martinus Capellanus est, annum ei integrum & dies quinq; adscribunt.

CALIXTVS II.

Qui cum Gelasio Cluniacum fugerant cardinales, extincto suo pastore, statim Guidonem (quem Dodechinus Ottonem, Vrspergensis Milonem uocat) Viennensem episcopum, Ludouici Francorum regis instinctu, cuius propinquus erat, ut Gaguinus annotat, substituunt, eumq; Calixtum secundum appellant. Martinus Polonus in Chronicis, & Erfordensis, comitis cuiusdã Burgundi filium fuisse affirmant. Et Paulus Aemylius inquit: Guido Gulielmi Burgundionum comitis filius fuit, item frater Stephani, qui Hierosolymitano bello cecidit, ac Clementiæ, quæ Roberto Flandro nupsit, quo ex matrimonio Balduinus comes procreatus. Nocte cui creationis dies illuxit, species ei dormienti oblata est adolescentis diuina maiestate, lunam gremio ipsius reponentis.

Verùm is pontificium munus prius subire noluit, quàm cardinalium Romæ & in Italia passim commorantium accederet cõsensus. Horum igitur animis per literas cognitis, itineri se accingit, Romamq; contẽdit, ubi à clero populoq; obuiam ipsi procedẽtibus, summo cũ honore magnoq; tripudio, tanquã numẽ quoddã, acceptus est. Hũc enim & Ecclesiæ & Reipub. optatã pacẽ restituturũ, sibi persuaserant omnes. Excommunicatione denique ab Imperatore sui confirmationem extorsit, uiuo adhuc Burdino, quem ipse pontificem designauerat.

Scripta.

Libellum de miraculis S. Iacobi composuit, quæ uel ipse apud autores legerat: aut quod uero similius est, pro sua industria cõfinxerat, uel ex aliorum relatione conceperat, cum adhuc esset scholaris. Trithemius in Chron. Hirsaug.

Gaimario Sardorum nobilissimo, eiusque coniugi Helenæ, Casinensium monachorum fautoribus summis & largissimis, literas scripsit, quibus & gratias agit pro sua erga monachos liberalitate, & ut strenuè ijs benefacere pergant, grauiter monet.

Vlterano cuidam episcopo per literas significat, Casinense cœnobium sub Romanæ ecclesiæ protectione latitare, & ut Gaimari donum Casinensibus oblatum, Apostolica autoritate saluum & incolume ipsis manere prouideat. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 70.

Fragmentum epistolæ ipsius ad Albertũ Moguntinum scriptæ, apud Vrspergensem extat, ubi qua ratione põtificio honore potitus sit, edocet.

Eiusdem epistola ad Galliæ episcopos & abbates, de expugnato Sutrio & Mauricio antipapa capto, apud Malmesburiẽsem lib. 5. cap. 44 uidere licet.

De doctrina.

Idẽ quod antecessores, doctrinæ genus professus est. Gaimaro eiusque coniugi ad suam, quam diximus, liberalitatem, remissionem peccatorum promittit. Chron. Casinense lib. 4. cap. 70. Et de ieiunijs quatuor temporum ait: Huius obseruantiæ utilitas in Ecclesiasticis præcipuè est constituta ieiunijs, quæ ex doctrina Spiritus sancti (scilicet quem papæ habent) ita per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus.

Opera.

Opera quoque gubernationis Antichristum resipientia, cum maioribus ipsi sunt communia. Calixtus, inquit Platina, aliquid quietis à rebus externis nactus, cardinales duodecim creat (Onuphrius his adhuc quatuor addit) basilicas multas uetustate collapsas reficit, mœnia urbis instaurat, aquam in urbem inducit, arces ecclesiæ munit, donaria plurima argenti auriq; basilicis diuidit, fundos plerosq; coemptos B. Petro donat, ecclesiam B. Nicolai in palatio ædificat.

Compostellanam ecclesiam in archiepiscopatum sublimauit, & pro confirmanda illa idololatria, de confictis D. Iacobi miraculis librum cõsarcinauit. Antoninus, Vincentius libro uigesimosexto, capite trigesimo.

Præmonstratensium præterea monachorum sectam sua autoritate admisit. Idem.

Presbyteris, diaconis & subdiaconis uxorum concubinarumq; consuetudine prorsus interdixit. Matthæus Parisius.

Episcoporum confirmationem Cæsari & Germaniæ principibus eripuit, ut historiæ docent.

In primis uerò maiestatis politicæ contemptor extitit acerrimus. Nam cũ præter Imperatoris consensum pontificatum inijsset, excommunicatione & suam electionẽ ratam haberi, & inuestituras sibi restitui obtinuit. Platina.

Et militem egit. Nam Rogerio Siciliæ comiti, Apuliam & Calabriam infestanti, acriter se opponit: sed febri correptus pontifex, ab armis discedere cogitur. Sutrium, ubi antipapa commorabatur, ui expugnat, ut ipse testatur in quadam epistola ad Galliæ episcopos scripta, his uerbis: Cum Ecclesiæ fidelibus ab urbe digressi sumus, & tandem Sutrium obsedimus, donec diuina potentia Burdinum Ecclesiæ inimicũ, qui diabolo nidum ibi fecerat, & locum istum in nostram omnino tradidit potentiam. Malmesburiensis libro quinto capite quadragesimoquarto.

Decretorum sequentium architectus extitit: Episcopo suo uiuo, ecclesiam neque alium eligere, neq; suum repudiare, neque alterius ordinationi parere debere, cũ Apostolus dicat: Alligata est uxor legi uiri, quãdiu uir eius uiuit: eo defuncto, soluta est à lege uiri, cui uult nubat, modò in Domino: id est, alium eligat, sed regulariter. 7. q. 1. ca. Sicut alterius.

Episcopum ecclesiam suam (non afflictũ ab ea) dimittentem, adulterum debere iudicari, statuit.

Episcopum non debere aliquem ordinare, iudicare, excõmunicare, qui alterius ecclesiæ est. 9. q. 2. ca. Nullius.

Qui Romipetas, uel ad alia loca Sanctorum peregrè euntes spoliant, uel iniuria afficiunt, excõmunicationis reos esse pronũciauit. 24. q. 3. cap. Si qui s.

Quatuor temporum ieiunium instituit, cum antea ieiunatum esset ter in anno. Distinct. 76. cap. Ieiunium.

A' Romana ecclesia non licere dissentire: Quia, inquit, ut filius uenit facere uoluntatem patris, ita oportet Christianos facere uoluntatem matris, scilicet Romanæ ecclesiæ. Dist. 12. cap. Non decet. Quis autem nõ rideat istos asinos œcumenicos, tã ineptè citantes Scripturas?

Curriculum.

Sedem Antichristi tenuit annis quinq;, mensibus decẽ, diebus tredecim. Martinus Polonus, Platina. Balæus febri ex itinere quodã attracta, mortẽ eũ obijsse refert. Anno 1125, iuxta Sigeberti Cõtinuatorẽ. Caruit post hunc sella Petri sessore diebus octo.

Parietibus cuiusdam ruinosæ cameræ Lateranensis patriarchij hos uersus se uidisse inscriptos, Onuphrius testatur, qui etiã apud Frisingensem libro septimo, capite 16 extant:

Ecce Calixtus adest, honor & decus imperiale,
Nequam Burdinum damnat, pacemq; reformat.

MAVRITIVS
antipapa.

Gelasio opposuit Heinricus quintus Mauritium quendam Burdinum, Bracharensi olim archiepiscopatu, ut habet Casinense Chronicon, à Paschali exutum, (fortè ob magiam, nam de ea & accusatus ac conuictus scribitur in ueteri quodã Chronicorum libello) eique Gregorij octaui nomen dedit. Hunc, inquit Malmesburiensis, multùm quilibet reuereri & penè adorare pro uiua magnæ industriæ specie debuisset, nisi tam famoso facinore enitescere maluisset. lib. 5. cap. 45. Frangepanum præsidio munitus post Imperatoris abitũ, apertè põtificium munus Romæ gessit. Ac licet magno conatu Gelasius suas res ageret, Mauritij tamen factio adeò præualuit, ut ille fuga suæ consulere saluti cogeretur.

Romæ in Pentecostes ferijs idem Heinricum Imperatorem Augustum designasse, in Casinensi Chronico scribitur, lib. 4. cap. 66. Prior enim eius coronatio, ut Robertus Barns indicat, per Paschalis excommunicationem irrita putabatur facta.

Tandem expugnato Sutrio à Calixto, captus Mauricius, cum in uicinis Romæ ciuitatibus aliquot annis oberrasset, in monasterium detrusus est. Onuphrius. Gygas, Martinus Capellanus, Ranulphus libro 7, capite 16 in Polychronico, & Antoninus eum camelo impositum, uersa ad posteriora facie, caudamq; manu tenentem, & ut Tyrius lib. 12. capite 8 addit, ursina pelle amictum, iussu Calixti, ut de ipso triumphatum uideretur, Romam perductum asserunt. Deniq; ipsum è monasterio exemptum, Honorius in exilium egit. Chronicõ Casinense lib. 4. cap. 88.

HONORIVS II.

Post Calixti obitum uariant cardinalium sententiæ in electione noui pontificis. Alij enim Theobaldũ Rauennatẽsem episcopum, S. Anastasiæ cardinalem, sub Celestini nomine surrogant. Alij, & quidem potior pars, Lampertum episcopum Ostiensem, obscuro loco, teste Simoneta, in Imolensi agro natum: qui quidem in primis Romanæ ecclesiæ in premẽdis Imperatoribus apud Germanos, id q̃d põtificij scriptores sacerdotij & Imperij cõciliationẽ appellãt, suam fidem per multos iam annos probarat. Ac cũ potissimorũ in curia Romana iudicio, tanto dignus censeretur honore, Honorij

Honorij secundi nomen assumpsit, cathedramq;, competitore, cuius, ut Onuphrius ait, magis fuerat legitima electio, neglecto, solus obtinuit. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 89. Vrspergensis. Per Leonem Frangepanem ui & arte maximè effectum, prodiderunt Platina & Onuphrius.

Tranquillior fuit huius pontificis gubernatio. Omnibus enim terribiles erant Romani pontifices, excommunicationis fulmine, quo sibi aduersantes, ipsos etiam Imperatores, egregiè compescere norant.

Doctorum hominum familiaritate admodum eum delectatum, scribit Platina, eosque summo studio sibi adiunxisse, ueneratosque esse: inter quos fuêre Pontius quidam Cluniacensis abbas, Hildebertus Cenomanensis episcopus, Hugo de S. Victore.

Cæterùm cardinales triginta, ut Onuphrius numerat, uiros præstantes, quorum consilio & opera in rebus administrandis usus est, ordinauit. Schedelius.

Antichristi tamen notis haud uulgarib. excellit. Templariorũ enim & Hospitalariorum ordines Pontificia autoritate cõprobasse, scribitur à Gigante.

Eius etiam legatus Ioannes Cremensis, in Anglia sacerdotum nuptias eadem scilicet Antichristi autoritate damnauit. Matthæus Parisius.

Et huius mundi regna tenuit. Nam Rogerium Normannum Apuliæ ducem designauit. Martinus Capellanus in Chronicis.

Aquileium & Venetum patriarchas loco mouisse, ab eodem annotatum quidem legimus, sed causa eius rei non exprimitur. Balęus schismaticorum fautores eos fuisse scribit, eaq; de causa Honorij indignationẽ incurrisse.

Huius pontificis temporibus Arnulphus sacerdos, qui acriter turpem & nefandam cleri Romani uitá redarguerat, insidijs circumuentus clàm trucidatus est. Honorium Platina, quòd ipso inscio hæc facta sint, excusare laborat, & quòd magna diligentia in cædis autores inquisierit. Sed qui uolet, credat.

Curriculum eius ad annos quinq;, menses duos, dies octo se extendit, iuxta Mariani Scoti Continuatorem, & Ranulphum lib. 7. cap. 16 Polychronici. In Lateranensi deniq; basilica tumulatus est. Platina. Anno 1130.

INNOCENTIVS II.

Post Honorij obitum, Gregorius quidã diaconus cardinalis S. Angeli, cathedra põtificia potitus est, assumpto Innocentij nomine. Fuit autẽ is patria Romanus ex Transtyberina regione, patre Ioanne, homine, ut Onuphrius innuit, obscuro natus. Platina. Nobilissimũ tamẽ & liberalissimũ sacerdotẽ uocat Otto Frisingẽsis li. 7. ca. 27. Verùm dũ cõtra Rogeriũ, qui in Italia regium usurpabat nomẽ, in armis esset, Romani interim Petrũ quendã, Petri Leonis potentissimi apud Romanos patricij filium, papã designant, eiq; Anacleti nomẽ indunt. Is autẽ ut firmior esset sedes, multo argento ex tẽplis surrepto, ut Simoneta testatur lib. 5. ca. 74, eam fulciuit, populumq; Romanum adeò sibi deuinxit, ut Innocentio, iam è captiuitate reuerso, locus tutus Romæ nõ esset. Relicto itaq; Romæ Sauinẽsi episcopo Conrado, qui uices ipsius gereret, ut habet Chronicon Casinense, ipse ad Gallos abijt: ubi Remis & Pisis cõcilijs coactis, ab uniuersis Galliæ Germaniæq; episcopis pontifex confirmatur: Petrus uerò anathemate feritur. Sigeberti Continuator. A' Lothario Cæsare Romam deducitur Innocentius. Chron. Cosmidromij.

Scripta.

Extat Innocentij secundi epistola ad Galliæ episcopos, quibus M. Petri Abailardi hæresin damnat, apud Ottonem Frisingensem lib. 1. cap. 48 de gestis Friderici Imperatoris.

Opera gubernationis.

Antichristi ipsius opera hæc ferè ab historicis commemorantur: Cardinales apud Gallos & Romæ creauit quadraginta quatuor. Onuphrius.

Ecclesiam B. Mariæ ad fontem olei condidit. Gygas. Exul S. Medardi ecclesiam quandam apud Suessionenses Baalismo consecrauit. Et Ludouicum Francorum regem, præsente patre Ludouico, Remis regem inunxit, anno 1131, octauo calend. Nouemb. Gaguinus lib. 6. Sigeberti Continuator.

Romanę sedi restitutus per Lotharium, gratitudinis ergò in Lateranensi ecclesia ipsum solenni more Augustum salutauit, anno 1133.

Ab Anacleto suo antagonista ordinatos, ipse dignitatibus spoliauit, nec in posterum (patientia tanto pontifice digna) ad sacros ordines promouendos decreuit. Idem.

Arma quoq;, sed admodũ infeliciter tractauit. Nam cùm Rogerio Apuliam præripere conaretur, cũ suis cardinalib. captus: sed cum Rogerij uotis annuisset, liberatus iterum est. Simoneta libro quinto, capite 74. At secundum cum Rogerio præliũ felicius

cius fuit. Nam Imperatore ſuppetias ferēte, ut Ranulphus lib.7. cap.17 in Polychronico annotat, omni regno exuitur Rogerius, moxq; Apuliæ ducatus Reginaldo copiarum Cæſareanarum duci donatur. Reginaldo paulo pòſt è uiuis exempto, Rogerius haud multo labore ſuam recepit dignitatē. Pontifex tantum ſibi ereptum bolum dolens, tumultuario milite collecto, Apuliam ingreditur. Ei autem forti animo obuians Rogerius, ſecuram atq; incautam cardinalium cohortem cum ſuo pontifice denuò capit. Et cum quod uolebat, cum regij etiam nominis titulo obtinuiſſet, è uinculis ipſos dimiſit, anno 1141. Sigeberti Continuator. Hac quidem ratione pontifex Imperatores de dando Apuliæ ducatu, quē ipſi bellis comparauerant, exuit, & ſibi ſoli rapuit: id quod materia certè multorum malorum fuit, ut ſcribit Nauclerus uolum.2. generat.38.

Decretorum inſuper plurium extitit architectus, ex quibus longius aſininæ Antichriſti prominent aures.

Si quis uiduam, licet laicus, duxerit uxorem, ſeu ante baptiſmum, ſeu poſt baptiſmum, non admittatur ad clerum: quia eodem uitio uidetur excluſus. In baptiſmate enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris conſortium relaxatur. quòd ſi nō putatur uxor eſſe computanda, quæ ante baptiſmum ducta eſt: ergo nec filij, qui ante baptiſmum geniti ſunt, pro filijs habeantur. Diſt. trigeſimaquarta, capite, Si quis uiduam.

Qui duxēre duas uirgines, unam ante baptiſmum, alteram poſt baptiſmum, bigami quia ſunt, clericis nō annumerādi. Diſt. 26. cap. Deinde.

Scienter ab hæreticis baptizatos uel ordinatos, non eſſe dignos clericorum ordine. 1. q. 1. Ventum.

Si quis prębendas, uel prioratum, ſeu decanatum, aut honorem uel promotionem aliquam Eccleſiaſticam, ſeu quodlibet ſacramētum Eccleſiaſticum, utputa chriſma, & oleum ſanctum, & cōſecrationes altarium uel eccleſiarum, interueniente execrabili ardore auariciæ, per pecuniam acquiſiuit, honore malè acquiſito careat, & emptor atq; uenditor & interuentor nota infamiæ percellantur: & nec pro paſtu, nec ſub obtentu alicuius conſuetudinis, antè aut pòſt aliquid exigatur, uel ipſe dare prę ſumat, quoniam ſimoniacum eſt: ſed liberè abſq; diminutione aliqua collata ſibi dignitate atque beneficio perfruatur. c. 1. q. 3. Si quis.

Illud quod in ſacro Chalcedonenſi concilio inſtitutum eſt, irrefragabiliter obſeruari præcipimus: ut uidelicet decedentium bona epiſcoporum à nullo omnino hominum diripiantur, ſed ad opus eccleſię & ſucceſſoris ſui in libera œconomi & clericorum permaneant poteſtate: ſi quis autem amodò hoc attentari præſumpſerit, ex communicationi ſubiaceat. Qui uerò morientium epiſcoporum, presbyterorum uel clericorum bona rapuerint, ſimili ſententię ſubiaceant. capite duodecimo, q. 2. Illud quod.

Si quis ſuadente diabolo huius ſacrilegij uitium uel crimen incurrerit, quòd in clericum uel monachum uiolentas manus iniecerit, anathematis uinculo ſubiaceat: & nullus epiſcoporum illum præſumat abſoluere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & eius mandatum ſuſcipiat. Qui autem de eccleſia ui aliquem exemerit, uel in ipſa eccleſia uel loco uel cultui, ſacerdotibus & miniſtris aliquid iniuriæ importauerit, ad inſtar publici criminis & læſæ maieſtatis accuſabitur: & conuictus ſiue confeſſus, capitali ſententia à rectoribus prouinciæ ferietur. capite decimoſeptimo, q. quarta, Si quis. Quod decretum hac occaſione conditum autores produnt: Moleſtum erat Romanis pontificis imperium: quare conſules & ſenatores, qui antiquo more eam urbem regebant, & ciuilibus negocijs præeſſent, à republica Romana creantur. Pontifex arrepta ſibi ciuili rerum adminiſtratione, ſuam ſuorumq́ue ſacerdotum licentiam & poteſtatem periclitatum iri perſentiſcens, ut in tuto cum ſuis eſſet, anathemate cauere uoluit, ne clericis laici ægrè facerent. Platina, Stella, Robertus Barns.

Moniales propria habitacula habere uetuit. Pernicioſam & deteſtabilem conſuetudinem quarundam mulierum, quæ neque ſecundum regulam beati Benedicti, neque Baſilij aut Auguſtini uiuant, ſanctimoniales tamen uulgò cenſeri deſiderant, aboleri decernimus. Cum enim iuxta regulam S. Benedicti degentes in cœnobijs, tam in eccleſia quàm refectorio atque dormitorio communiter eſſe debeant, propria ſibi ædificant receptacula, & priuata domicilia, in quibus ſub hoſpitalitatis uelamine paſsim hoſpites minus religioſos, contra ſacros & bonos mores ſuſcipere nullatenus erubeſcūt. Quia ergo omnis qui malè agit, odit lucē, ac ꝑ hoc ipſe abſconditè in iniuſtorū tabernaculo ſe opinatur poſſe latēre oculos iudicis cūcta cōſpicientis, hoc tā inhoneſtū deteſtādumq; flagitium

flagitium ne ulterius fiat, omnino prohibemus, & sub pœna anathematis interdicimus. Simili modo prohibemus, ne sanctimoniales simul cum canonicis & monachis in ecclesia in uno choro conueniant ad psallendum.cap.decimooctauo,q.2. Perniciosam.

Præcipimus etiam,ne conducticijs presbyteris ecclesia committatur:sed unaquęque ecclesia cui facultas suppetit, propriũ habeat sacerdotem.c.21.q.2.Præcipimus.

Vsum balistarum contra Christianos interdixit.

Sacra celebrans, in qualibet Missa communicet. Papa uerò Missam sedẽs peragat, & cunctis cernentibus,Eucharistiam à diacono accipiat.Gygas.

Obijt anno põtificatus sui decimoquarto,mense septimo,die decimotertio, iuxta Platinam & Schedelium.Gygas annos habet tredecim, & menses septem. Anno 1143. Sigebertus. Cadauer eius labro marmoreo in basilica Constantiana sepultum est.Onuphrius.

ANACLETVS
antipapa.

Dum in uinculis à Rogerio Siculo detinetur Innocẽtius, factiosi quidam Petrum Romanum patricium,& S.Mariæ trans Tyberim cardinalem, substituunt,& Anacletum 2 appellant,pontificatumque,Innocẽtio, postquam liberatus esset, incerta sede uagante,& regum opem,ut restituatur,anxiè implorante,interim obtinuit. Quin & factione se munijt.Nam prętẽrquam quòd Innocentio fauentes quoscunque Romæ cognoscere licuit,suis partibus,pecunia scilicet interueniente, adiunxit,Rogerium etiam illum, quem diximus,utriusq; Siciliæ regem appellauit, cunctosque suæ ditionis episcopos & abbates ipsi parêre iussit,ut illius auxilio stipatus, tutior in omnibus esset. Chron. Casinense libro quarto ,capite nonagesimonono.Syluius.At cũ Innocẽtius per Lothariũ restitueretur, nusquã apparuit Anacletus. Simoneta.Rob.Barns. Inter hasce turbas ipsum expirasse,& clàm sepultum ,scribit Syluius in Blondi decades libro quinto. A' Deo percussum anno 1138, testatur Sigeberti Continuator. Idem autor Vitæ Bernhardi libro secundo,capite septimo affirmat. Pontificium nomen annis septem,mẽsibus nouem,diebus 10,quibus septem cardinalium ordinationes fecit,tenuit.Onuphrius.

VICTOR AN-
tipapa.

Anacleto antipapæ à sua factione Gregorius quidam cardinalis surrogatur,& Victor dicitur. At Innocentius,ut erat callidus & uersutus, cum aperta ui nihil ualeret, filios Petri Leonis eorumque complices multorũ profusione talẽtorum in suas attraxit partes. Sicque reliqua cardinalium turba,quæ Victorem elegerat, seculari brachio destituta,ad pedes Innocentij proiecta ueniam petijt,ea prius à pontifice accepta conditione, saluas ipsis suas deinceps fore dignitates prouentusque. Tandem & Gregorius pontifici post menses duos se dedit.Chronicon Casinense lib.4.ca. 131.Syluius,Onuphrius.

CELESTINVS II.

Secundo statim post Innocentij discessum die,' Guido Castellanus Typhernas Thuscus sede Romana potitus, Celestini secundi nomen assumpsit. Solùm is Maximini monachis apud Treuirenses Sigerum dedisse abbatem, in Mariani Scoti appendice scribitur.Curriculum eius fuit breuissimum:peste enim post menses quinque & dies tredecim extinctus est.Sigeberti Cõtinuator,Martinus Polonus.Anno 1144.Vincentius lib.27.cap.83.

LVCIVS II.

Gerardus quidam Romanæ ecclesiæ cãcellarius,ut Sigeberti Continuator & Vincentius annotant, patria Bononiensis, & S.Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis, post Celestinum tempore pestilentissimo Romanam pestilentiæ cathedram gubernandam accipit, ac Lucius dictus est. Hunc Frisingensis libro septimo,capite uigesimoseptimo ob religionis studium & literarum scientiam illustrem fuisse scribit.

Opera gubernationis.

Huius pontificis autoritate apud Gallos synodum coactã, scribit Platina,in qua Petri Abailardi hæresis iterum excussa & damnata sit.

Cardinales creauit quatuordecim.

Opera Antichristi hæc ferè ab autoribus ei accensentur:

S. Crucis templum, ne scilicet Baal suo cultu defraudaretur,ex imis reparauit fundamentis.Mart.Polonus.

Monasterium Elchingen confirmauit, & in suam pro pecunia recepit tutelam.Historia Vlmensis.

Armaque tractauit. Nam senatorium ordinem, quem Innocentio pontifice existente restitutum diximus, abrogare, ferroque penitùs excindere conatus est. Cæterùm senatores ,quos instituerant Romani,& patricium designant,cui reliqui tã quam principi parebant:à pontifice prætere omnia regalia, tam in urbe quàm extra eam posita, ad ius patricij reposcunt, pontifi-

pontificem more maiorum decimis & oblationibus contentum uiuere iubent. Lucius his exagitatus, supplex Conradi Imperatoris auxilium implorat. Verùm ille alijs impeditus, morem tum gerere pōtifici nō potuit. Otto Frisingensis lib.7.cap.31. At pontifex ipse belli fortunam tentaturus, collecto milite, senatum Romanum in Capitolio congregatum opprimere insidijs molitur. Eo autem cruento pontificis conatu præter opinionem detecto, populus ad arma concurrit, & pōtifex Capitolium oppugnans adeò lapidibus contusus est, ut paulo pòst mortem obierit. Nauclerus, Sigeberti Contin. Peste eum extinctū, Fasciculus temporum habet, postquam menses undecim, dies quatuor præfuisset. Martinus Polonus. Anno 1145. Sigeberti Cōt. Mēses nouem Ranulphus habet lib. 7. cap.19. in Polychronico.

EVGENIVS III.

Lucio è uiuis exempto, cum cardinales suis rebus, quæ sanè tum erant turbulentissimæ, conuenientem ex suo consortio haberi non posse animaduerterent, communi suffragio Bernhardum Pisanum, S. Anastasij abbatem, Bernhardi illius Clareuallēsis celeberrimi abbatis quondam discipulum, mira linguæ facundia præpollentem, pontificem creant, ac Eugenium salutant. Platina. Eam autem animis suis de hoc pōtifice spem conceperant, quòd facilè ciuiū conatus illos, quibus pontificium iugum, senatorij ordinis restitutione excusserant, inhibere posset, Bernhardo nimirum præceptore, ex quo uniuersi penè orbis Christiani principes toti (ut in Fasciculo temporū scribitur) pendebant, ab ipsius partibus stāte, qui sua opera consilioq; nunquam ipsi defuturus esset. Nec eos prorsus fefellit opinio. Licet enim sub initium, metu uulgi furibundi, quod sui magistratus electionē ratam haberi uolebat, Roma cum cardinalium turba excesserit ad Farfense apud Sabinos cœnobium, ubi & consecratus est: tamē excommunicationis fulmine & Tiburtino milite pacem petere eos coegit, eamq; ista lege ipsis concesit, ut abrogata patriciatus dignitate, suum præfectum pristino restituerent loco, & deinceps senatores non nisi ex pontificis arbitrio eligerent. Pace in hunc modum facta, in urbem regressus, ad clauum nauiculæ Pseudopetri consedit, ac maiorum exemplo suum munus obijt. Otto Frisingensis lib.7.cap.31.34.

Scripta.

Extat eius epistola apud Ottonem Frisingensem, qua Conradum Imperatorem solatur, ob res in terra sacra infeliciter gestas admodum turbatum & tristem, lib.1. capite 61. de gestis Friderici.

Alia item ad quosdā episcopos, quibus, ne Guicmannum Cicensem episcopū Magdeburgensibus obtrudi præter cleri uoluntatem patiantur, grauiter monet. Ibidem lib.2.cap.8.

Alia Francorum regem Ludouicum cunctosq; Galliæ proceres, ad suscipiendā expeditionem in terram sanctam extimulat. Ibidem lib.1.cap.35.

Opera gubernationis.

Remis concilium indixit, ubi Bernhardus Gilbertum Porretanum Pictauorū episcopum, malè sentientem de trinitatis unitate & diuinitatis simplicitate, cōfutasse dicitur. Antoninus.

Attamen opera etiam Antichristo maximè conuenientia, cum antecessoribus communia præstitit.

Cardinales episcopos duos, presbyteros undecim, & diaconos decem creauit. Onuphrius.

Heinricum secundum Imperatorem in diuorum numerum retulit, anno 1146. Gygas.

Baalismum etiam iuuit. Nam porticum S.Mariæ ad præsepe uel extruxit, uel reparauit, ut ex inscriptione apparet. Platina. Et Noruegos per Adrianum tum cardinalem ad pontificiam religionem adduxit. Balæus.

Gilbertinorum, nouam monachorum sectam, apud Anglos in lucem editam, pontificia autoritate approbauit, & ratam haberi uoluit. Balæus.

Vtroq; gladio armatus suos hostes petijt. Nam excommunicatione, & Tiburtino milite sibi adiuncto, Romanos expugnauit, suamq; sedem recepit. Sed cum dolum subesse persentisceret, insidiasq; metueret, iterum urbe cum suis Tybur nauigio excesit, quem Romani sagittis insecuti sunt. Postea in Galliam profectus, ad regē se contulit, ipsumque cruce munitum, ut Stella ait, aduersus Turcos cum alijs incitauit. Misso etiam Francofordiam Bernhardo Clareuallensi abbate ad comitia, principes de eadem re sollicitat: ut Auētinus indicat. Dehinc regijs stipatus copijs Romā redijt, ubi à ciuibus, terrore quodam perculsis, magno cum honore excipitur. Receptis autem Tarracina, Sitia, Norba ac Fumonis arce, quæ loca ab hostibus occupata fuerant, cum recreandi gratia (fortè cū amasia) Tybur conscenderet, ibidem extinctus est, pontificatus sui anno octauo, mense quarto, die 20. Exuuiæ eius Romam delatæ, in basilica Petro sacra conduntur. Platina, Iohannes Stella. Anno 1153. iuxta Sigeberti Continuatorem.

ANASTASIVS IIII.

Anastasius quartus Romanus, qui, ut Onuphrius annotat, Conradus ante pontificatũ dictus fuit, homo ueteranus, & in Romanæ curiæ consuetudine exercitatus: teste Frisingensi libro 2. de gestis Friderici, capite 10. Ex abbate S. Ruffi diœcesis Veliternę cardinalis, ex cardinale pontifex post Eugenij obitum creatus est. Valde autem à Stella, Platina, Simoneta alijsque commendatur, quòd famis tempore, qua tota ferè Europa tum conflictabatur, egenis etiam extra Romanæ urbis mœnia degẽtibus, largissimè suppetias tulerit. Præterea nihil literis memoriaq; dignum gessit, nisi quòd Lateranensi ecclesiæ calicem pondo uiginti marcarum, aliaq; munera dederit, S. Mariæ fabricam extruxerit. Martinus Polonus, Sabellicus. Guicmannum Magdeburgensem pallio donauit. Frising. libro 2. cap. 10 de Frid. Cæterùm ad ecclesiæ dignitatem & urbis ornatum augendum animum omnino adiecerat: sed mors immatura eum præuenit. Obijt enim anno pontificatus sui primo, mense quarto, die uigesimoquarto. Sepultus est in Lateranensi basilica concha prophyretica. Platina, Sabellicus, Martinus Polonus, Bergomensis. Anno 1154, iuxta Sigeberti Continuatorem.

HADRIANVS IIII.

Nicolaus Breckspeare Anglus, Roberti cuiusdam monachi & sacerdotis ex scorto domestico filius, cum pubertatis annos attigisset, à Ricardo S. Albani abbate in monachorum cœtum cooptari rogauit. Verùm, fortè quod nothus & indoctus esset, repulsam patitur. Lutetiam itaque studiorum gratia profectus, haud segniter literis operam nauauit. Tandem in cœnobio S. Rufi prope Valentiam Galliæ ciuitatem, monachum induit, ac ut Onuphrius autor est, abbatis partes aliquanto pòst accepit: ut ex Lelando Balæus annotat. Cæterùm cum ob sui cœnobij negotij Romam uenisset, adeò eius prudentiam, monasticam pietatem, eruditionem, & linguæ facundiam, qua inprimis, ut Stella innuit, excellebat, Eugenius admiratus est, ut ultrà inter cardinales ei locum daret. A' quo etiam ad Noruegos ire iussus est, ut pontificiam eos doceret religionem. Ea prouincia cum laude administrata, Romam redijt, Romanamque sedem cunctorum cardinalium suffragio post Anastasij obitum promeruit, ac mutato nomine Hadrianus dici uoluit. Gulielmus Neubrigensis libro secundo, cap. 6.

Scripta.

Scripsit hic pontifex, ut Balæus annotat, ad Heinricum secundum Anglorum regem pro expeditione Hyberniæ epistolam 1.

Ad Petrum Pontiniacum,	lib. 1.
De sua legatione,	lib. 1.
Homelias quasdam,	lib. 1.
Decretales epistolas,	lib. 1.

Gubernationis opera.

Veri pastoris officia, in hoc amplissimò munere ab ipso præstitá, nulla ferè apud autores reperire licet, nisi quòd duabus ordinationibus, Martio & Decembri mensibus factis, uiginti duos cardinales crearit: iuxta Onuphrium. Sed ut Antichristi legatum & mancipium strenuè se gessit. Nam licet in familiari colloquio cum Iohanne Sarisburiensi Anglo & ueteri amico, hasce solitus sit hypocrita maximus proferre sententias, Antonino ex Helinando referente: Ambire pontificatum, est Romulo succedere in parricidijs, non Petro in pascendis ouibus. Nunquam enim ea sedes acquiritur sine fraterno sanguine. Nullus mortalium Romano pontifice miserior, nec ulla hominum conditio calamitosior, quàm eius est. Nam sedes spinosa, aculeis ac stimulis ubique septa. Corona uerò ignea, crudelis, atque ardens ut infernus, &c. Pontificiam tamen dignitatem manibus pedibusque stabilire conatus est. Eam uerò cum nec iure nec ferro contra ciues Romanos tueri ualeret, excommunicatione maiorum exemplo eos terruit. Cũ enim iam consecrandus esset, Lateranum ingredi noluit, nisi prius Arnoldus Brixianus episcopus, quem hæreticum nominabat, eijceretur: qui quidem Romanis autor fuerat, ut amissam libertatem eligendi magistratus & administrandæ urbis repeterent. Inter uulgus itaque, quod petitioni pontificis iniquissimæ obsistebat, ad arma conclamatum est, & sub hisce motibus cardinalis quidam uulnus accepit. Pontifex excommunicationis fulmine, quo monarchas mundi domare consueuerant diaboli illi uicarij, nihil non impetrauit. Arnoldus deijcitur, arma deponũtur, cõsules magistratu se abdicant, Hadrianus solus, cardinalium manipulo, rerum summa potitur.

Regna huius mundi & gloriam eius superbissimus nebulo in primis affectauit. Nã Friderico Imperatori, qui pacandorum motuum gratia Italiam ingressus fuerat, Sutrij, quousque obuiam ipsi processerat, ualde succenset, ac uix sermone dignatur, quòd ipsum excipiens, sinistram sellæ strepam attrectasset, cum dextram potius tenere debuisset. Porrò ijs considentibus, Bambergensis episcopus Imperatorem solenni more inaugurari magnatum uerbis suppliciter rogauit. At Hadrianus mox ignominiæ notam, sinistra strepæ attrecta-

tione suæ maiestati inustam, odiosis uerbis Imperatori, omnibus audientibus, meretricia prorsus fronte occinit: cumque seuerius inuicem locuti essent, re infecta utrinque discessum est. Postero uerò die Rex, dissimulata portentosa pontificis superbia, eum reuocat, ac priori obiurgatione doctior factus, dextera sellæ strepam apprehendit, eumque nullo non honoris cultu, pedum etiam osculo præstito, exceptum in castra secum ducit. Quibus denuò consedentibus, pontifex sermonem exorsus, Apuliam prius Romanæ ecclesiæ, antequam inauguratio fiat, restitui plenis buccis postulat. Principes autem rei difficultatem, & exhaustas copiarum uires prætendentes, fidem interponunt, se instructioribus armis breui redituros, & quicquid è re Romanæ ecclesiæ futurum esset, sedulò præstituros. Sicq; eorum uotis pontifex annuit, ut suprà etiam diximus. Helmoldus cap. 81.

Extremæ etiam arrogantiæ indicium est, quòd acerrimis literis cum Friderico Imperatore expostulat, quòd suum nomen in suis literis pontificio præferat. Denique pontifex per sua mancipia, cardinales scilicet, defectiones ab illo per Italiam aliasque procurabat regiones, eumque certis ritibus excommunicabat. Fecitque latenter, ut rebellium conspiratio legibus his, iuramento etiam præstito, firmaretur: Ne quis sine aliorum omnium consensu in pacem cum eo rediret. Item, si ipsum Hadrianum mori contingeret, alium non eligerent papam, nisi ex conspirantium cardinalium numero. Chron. Bamberg.

Vtrumque gladium gessit, contra Christi interdictum. Nam cum Guilhelmum excommunicatione, qua Apuliam extorquere ipsi conabatur, nihil moueri cerneret, Emanuelem Græcorum Imperatorem contra ipsum euocat, qui cum Guilhelmi patre exitiale aluerat odium. Emanuelis uires timens alter, pacem à pontifice petit, promittés se omnia restituturum. Eam uerò pontifex cardinalium hortatu, arma magis quàm literas curantium, non modò ipsi denegauit, sed & bellum indixit. Guilhelmus itaque coacto exercitu, classe Emanuelem petit, eumque in fugam uertit. Beneuentum urbem, ubi papa cum sua latitabat cohorte, tanta ui oppugnat, ut ipsi pacem petere cogerentur. Vtriusque autem Siciliæ rex à pontifice declaratus, uictor Guilhelmus pontifici, qui cruce dignus erat, iureiurando promittit, nunquam se ea infestaturum, quæ Romanæ essent ecclesiæ. Romam cum ignominia redeuntem domestici motus excipiunt. Consules enim, ut in pristinam restitueretur urbs libertatem, instabant acriter. Tandem cum frustrà in eos excommunicationis fulmina mitteret, urbe excessit. Balæus.

Et crudelitate eminet. Nam post impetratum regni diadema Fridericus Imperator plus mille ciues, qui motuum in urbe extiterant autores, cæcidit. Sed quis pontificis instinctu id factum non credat? Robertus Barns, Balæus.

Architectura etiam fuit occupatus. Nam circa lacum S. Christinæ multa castella muniuit, & Rodicophanum muro & arce propè inexpugnabile reddidit. Stella, Platina.

Tandem cum annos quatuor & menses decem, ut Stella refert, pestilentiæ cathedram tenuisset, dignam suæ impietatis mercedem accepit. Nam cum apud Anagniam cum suis expaciaretur, musca in os ipsius inuolauit: quę cum nulla medicorum arte inde eximi posset, ipsi spiritum præclusit, sicq; suffocatus est, anno 1159. Iidem. Sigeberti Continuator annum habet 1160. Corpus eius Romam delatum, iuxta Eugenij exuuias humatum est. Martinus Polonus. Squinantiæ morbo defunctum hunc Hadrianum, Tyrius libro decimosexto, capite 26 testatur.

ALEXANDER III.

Extincto per muscam Hadriano, duo eodem die electi sunt pontifices à cardinalibus dissentientibus, alter Rolandus patria Senensis, seu, ut Cranzio placet, Mediolanensis, Romanæ curiæ cancellarius, qui Alexander tertius: & Octauianus, qui Victor quartus dictus fuit. Quorum ille uiginti quatuor cardinalium suffragia pro sui cófirmatione iactitabat, hic contrà prius se electum contendebat. Vterq; autem factione non exigua munitus, suas tueri partes magna ui nitebatur. Victori Imperator, Germaniæ principes, imò uniuersus penè Romanus clerus: Alexandro Angliæ, Franciæ & Siciliæ reges adhærebant. Durauitque hoc dissidium multos annos, ut suo loco annotauimus, modò hoc, modò illo urbis dominio potiente. Alexander autem urbe excedere coactus, post Prænestini episcopi obitum Ioanni cuidam, S. Petri cardinali, suas delegabat partes intra urbem Romanam: qui mira arte largitionibusque maiorem ciuium Romanorum partem eò pertraxit, ut Alexandro fauerent, & nouos consules ipsi æquiores crearent: à quibus mox ex Gallijs Romam reuocatur. Ac licet post Victoris obitum alij substituerentur, minus tamen ab ijs fuit periculi, cum ui & fraude perfidiaque omnes facilè uinceret aduersarios Alexander.

Ob eruditionem autem eximiam eundem commendat Sigeberti Continuator, quòd intra annos centum uix huic parem habuerit urbs Romana præsulem. Fuit enim, inquit, in diuina pagina maximus præceptor, & in Decretis, Canonibus & Romanis legibus præcipuus. Nam multas quæstiones difficillimas & graues in Decretis & legibus absoluit & enucleauit.

Scripta & doctrina.

Innumera epistolarum ab Alexandro scriptarum fragmenta in Tomo 2 Conciliorum, & in Decretalibus alijsque libris uidere licet, quæ & impietate & rebus maximè friuolis scatent: ex quibus si de doctrina iudicium facere uolueris, maiorum uestigijs eum firmiter institisse, reperies. Nam mortuos coluit, sacerdotum nuptias damnauit, imò propter religionem monasticam coniugia dirimenda censuit uerus diaboli uicarius.

Satisfactiones à sacerdote impositas peccatorum ueniam mereri asserit. Nam incendiarij cuiusdam, qui in uitę fine anathemate solutus fuerat, hæredes moneri iussit, ut his quibus ille per incendium uel alio modo damna contra iusticiam irrogauerat, iuxta facultates suas condignè satisfaciant, ut sic à peccato ualeat liberari. In epistola ad Claremontensem episcopum, libro quinto Decretalium, titulo decimoseptimo, c. 5.

¶ De Christo tamen rectè inquit: Cum Christus perfectus Deus & perfectus sit homo, mandamus, quatenus sub anathemate interdicas, ne quis de cætero audeat dicere, Christum non esse aliquid secundum quod homo: quia sicut Christus uerus est Deus, ita uerus est homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. In epistola ad Remensem archiepiscopum, lib. 5 Decretalium, tit. 7. c. 7.

Opera gubernationis.

In pestilentiæ cathedra sedens, pietatis quandam speciem præ se ferentia præstitit opera, qualia sunt, quòd synodos celebrauit duas, Fridericum Occidentis, Emanuelem Constantinopoleos Imperatores, Guilhelmum Siculum & Longobardos dissidentes in gratiam reduxit: ut scribit Martinus Polonus. Per Tarentasiæ archiepiscopum & Cisterciensem quendam abbatem, inter Heinricum regem Anglorum eiusq; filium reconciliationem tentauit, uerùm frustra. Sigeberti Continuator.

Cardinales triginta duos ordinauit. Onuphrius.

Statuit præterea, relictam fratris sponsam fratrem in matrimonio habere nō posse. Coniuges ob lepræ contagium non separandos. Manifestis usurarijs interdicendam esse communionem & sepulturam Ecclesiasticam.

Ab episcopo debita antecessorum pro Ecclesiæ suæ necessitate & utilitate contracta, soluenda statuit. Vicarium duas simul tenere uicarias uetuit. Gigas.

Attamen Antichristi notis maximè fuit insignis præ cæteris huius seculi papis.

Deos alienos coluit. Neminem enim sanctorum catalogo inserendum statuit, nisi de uoluntate Romani pontificis. libro tertio Decretalium, tit. quadragesimoquinto, c. 1: Audiuimus. Thomam Cantuariensem canone dignum censuit, eique dicatum diem ab omnibus, præsertim ab Anglis festum agi præcepit. Sigeberti Continuator. Et intercedente Carolo Sueciæ rege, imò auro Suecico, per Stephanum Vpsalensem archiepiscopum Helenam quandam diuorum albo inseri concesſit, anno 1161. ut Magnus libro decimonono, capite septimo Gothicæ historiæ refert. In ascensione Domini ad templum S. Marci Venetijs concessit indulgentias plenarias perpetuò duraturas. Balæus.

Doctrinam dæmoniorum confirmauit, eo quòd statuit, autoritate episcopi coniuges separandos, si alter eorum monachum induere, alter uerò in seculo manere uelit. Affinitatem & compaternitatem matrimonium impedire, & iam contractum dirimere, asseruit. Gigas. Item: Si qui clericorum infra subdiaconatum acceperint uxores, eas retineant: sed beneficijs priuentur. Si uerò in maioribus ordinibus constituti fuerint, excommunicationis terrore, ut eas dimittant, pœnitentiamque agant, compellantur. Libro tertio, titulo tertio, c. 1: Si qui. Et cap. sequenti, clericum coniugatum ad Ecclesiastica beneficia, uel sacros ordines, aut administrationes Ecclesiasticas nullo modo admittendum, nisi perpetuam promittat castitatem, & non sit bigamus. Item, sponsum aliquem, deserta sua sponsa, monasterium ingredi permittit, dūmodo carnalis commixtio non interuenerit inter eos. Ibidem titulo trigesimotertio, c. 2: Verùm. Nullus coniugatorum est ad sacros ordines promouendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus. Ibidem c. 5: Coniugatos. & c. 6. Sanè. Et ad Remēsem archiepiscopum scribit, diaconum & archidiaconum matrimonium contrahere non posse: si uerò contraxerint, omnino separandos. Libro 4 Decretalium, tit. 6. capite 1 & 2.

Baalismum magni fecit. Nam eius permissione Vratislaus Bohemiæ rex in arce Pragensi canonicorum regularium colle-

gium instituit. Syluius capite uigesimosecundo Bohemicæ historię. Paderbornensem ecclesiam certis diebus inuisentibus, multorum dierum indulgentias, ut uocant, idem superstitionum magister concessit. Chron. Cosmedr.

Cistercienses, Hospitalarios & Templarios decimis, ne eas episcopis quibus subijciuntur, soluere cogantur, exemit. Lib. tertio, titulo 30. c. decimo: Ex parte. Si quis Cisterciensium è monasterio fugerit, per episcopos, ut ad officium redeat, cogendus est. libro tertio Decretalium, titulo trigesimoprimo, c. septimo: Non est. Monachum induere, esse relicto seculo ad Deum (huius scilicet seculi, ut Paulus ait 2 Corinth. 4.) transire. Libro 3. Decretalium, titulo 32. c. 9; Verùm.

Regna huius mundi & eius gloriam affectauit. Nam ea lege pacem cum Romanis fecit, ne prius consules ad gerendum magistratum admitterentur, quàm fidei seruádæ pontifici & Ecclesiæ sacramento ad eius pedes adacti essent. Blondus libro sexto. Phrygio. Leges Polonorum à Casimiro rege præscriptas, idem papali autoritate confirmauit. Funccius. Armis suę dignitatis fastigium strenuè contra Fridericum Imperatorem tutatus est: ut Syluius annotat. Præterea Heinrico Angliæ regi, de cæde Thomę Cantuariensis se purganti, pro pœnitentia iniunxit, ut subditis eius libera deinceps ad Romanam curiam appellandi sit potestas, & ut nemo in posterum Angliæ rex, nisi de uoluntate Romani pontificis, designaretur. Balæus.

Nec inter postremas Antichristi notas hæc commemoranda uidetur, quòd blasphemam Iudæorum gentem suis decretis iuuit. Nam eos non modò ferendos, sed ut collapsas suas synagogas restaurét, permittendum: ut alibi diximus.

Missas celebrauit, ut ipse testatur in epistola ad Gradésem patriarcham eiusq; suffraganeos, inquiens: Sequenti die Dominico post ingressum nostrum (de urbe Romana loquitur) præsentibus fratribus nostris, clero ac populo in Lateranensi ecclesia congregato, in omni quiete & pace Missarum solennia celebrauimus.

Magistratum non modò contempsit, sed & pedibus protriuit pessimus nebulo Alexander. Sine Imperatoris enim consensu pontificatum inijt. Ac cum ab ipso Papiæ synodus indicta fuisset, qua duorum coruorum, de sede Romana dimicantium, causa cognosceretur, uterusque pontifex in officio confirmaretur, Alexander superbè legatos repulit, à nemine Romanum pontificem iudicandum contendens. Ac tandem ipsum, ut refert Martinus Polonus, quòd antipapæ Victori faueret, anathemate ferijt, ac Papiensem episcopum Imperatori addictum pallij & crucis dignitate exuit. Nauclerus, Balæus. Iustis præterea ad eam rem se motum causis, non solùm ad omnes ferè orbis Christiani terminos perscripsit: sed nouo in Claromonte concilio habito, denuò anathematis fulmen in Imperatorem & antipapam Victorem mittit. Altera deinde synodo apud Diuionem coacta, idem pontifex, quòd à se indicta non fuisset, eò uenire etiam recusauit. Tandem cum post Victoris obitum à Romanis consulibus ipsi fauentibus Romam reuocaretur, urbes Italiæ, suadente pontifice, contra fidem Imperatori datam deficiunt, tributaque péndere renuunt, ac pontificia autoritate, quæ excommunicato fidem præstare prohibeat, freti, Cæsareanos aperto Marte oppugnant. Cum itaque Imperator collecto nouo exercitu Romanos petiturus esset, ab Hartmanno Brixiano episcopo, quod consilij papa ei suggesserat, persuadetur, ut potius contra Turcas, Christiani nominis hostes, belli fortunam experiretur. Motus Hartmanni oratione Imperator, aduersus Turcas sic satis fœliciter exercitum duxit. Hæc cum præter Romani præsulis opinionem, qui necem tantùm Imperatoris sperabat, gererentur, ac si uictor rediret, suæ ille cuticulæ metueret, clam pictorem, ut Imperatoris faciem coloribus, ipso tamen nesciente, exprimeret, misit. Id uerò simulachrum ad Soldanum Turcicum perferri curauit papa, adiunctis literis, quibus ut eum, cuius hic facies expressa esset, maximè obseruaret necaretque, si suis rebus consultum, ipseque pace frui uelit, monuit. Sed nunquam in conflictu pontificia proditio successit. Tandem cum Imperator, rebus feliciter gestis, ad suos referret pedes, in Armenia in uasto quodam nemore cum paucis equitibus & sacellano, nihil periculi esse ratus, ab exercitu secessit, ut corporis æstum in flumine restingueret. Recedentibus autem equitibus illis, statim adsunt Turcici insidiatores, qui ipsum cum sacellano captum ad Soldanum deducunt. Ac licet initiò non se ipsum Imperatorem, sed eius ostiarium esse profiteretur: imagine tamen illa, à pontifice proditore missa, ac literis quæ coram eo lectę sunt, conuincitur. Sed benignè tandem à Turca dimissus est. Ecce Turcam, Turcam dicimus, pietatis honestatisq; hosté, ipso Romano pontifice æquiorem & iustiorem. De hac iniuria cóquestus apud regni proceres in conuentu Norinbergensi Imperator, auxilia contra Alexandrum, non

non certè Petri, sed Iudæ illius Iscariotæ æmulum, impetrat. Verùm ille fuga sibi consulturus, Roma noctu discessit, ac mentito coqui nomine, Venetias uenit, ubi monasterium ingressus, hortulo præfuit. Sed pòst agnitus per Sebastianum ducem (Zianum uocat Obbo Rauennas, teste Sabbellico) magno honore in D. Marci templum deductus fuit. Pontificem Venetijs latitare certior factus Imperator, Otthonem filium cum instructa classe eò mittit, ut Imperij hostem sibi tradi postularet. Verùm ex iuuenili quodam ardore contra patris interdictum cum Venetijs infeliciter congressus filius capitur, Venetiasque deducitur. Ciano duci reuerso pontifex primùm uictoriam gratulatus, inde annulum porrigens aureum: Accipe, inquit, Ciane, & & me autore ipsum mare hoc tibi pignore obnoxium reddito: quod tu tuique successores quotannis stato die seruabitis, ut omnis posteritas intelligat, maris possessionem iure belli uestram esse quandoque factam, atque uti uxorem uiro, ita illud uestro subiacere imperio: ut ex Venetorum annalibus Sabellicus annotat. Decad. primæ libro septimo. Hinc porrò Alexandro & animus & cornua creuerunt, nec prius pacem cum Imperatore inire uoluit, quàm ipse Venetias ueniret, & pacis conditiones pro suo arbitrio ipsi præscribẽdas amplecteretur. Dura sanè conditio: uerùm uicit animum paternum filij captiui calamitas. Adest itaque dicto die Imperator, pacis conditiones accipit, quæ erant, ut Alexandrum pro uero papa coleret, & uniuersa quæ Romanæ ecclesiæ belli temporibus abalienata fuerant, restitueret. Denique superbissimus papa Imperatorem excommunicationis uinculo soluere noluit, quàm humi prostratus supplex ueniam peteret. Mox iussa fecit Imperator, purpurea humeris chlamyde deposita, atque humi prostratus, ad Alexandri, ornatissima sella ad fores templi sedentis, pedes obrepens peruenit, eosque exosculatus est. Tum Alexander prostrati Imperatoris collum pedibus conculcans, ait: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Hanc contumeliam coram uniuerso populo sibi irrogari indignè ferens bonus Imperator, respondit: Non tibi, sed Petro, cuius successor es, pareo. At papa rursus collum eius deprimens, ait: Et mihi & Petro. Imperator aliquid periculi subesse metuens, obmutuit: sicque concordia redintegrata est. Cæterùm ut gratus esset pro fideli officio Venetis, donaria quædam ipsis concessit: nimirum, funale candidum, quo soli Romani pontifices utebantur, & ut literæ eorum plumbo obsignarentur. Duci eorum in Romano theatro tertium locum attribuit, & insuper octo uexillis sericis atque umbella galero persimili donauit. Indulgentias ad S. Marci templum plenarias, easque perpetuas instituit. Nauclerus generat. quadragesima prima, Chronicon Coloniense, Balæus. Et Sabellicus inquit: Veneti annales & omnes domestici scriptores, & ex externis unus Obbo Rauennas, ignoto habitu Alexandrum Venetias delatum memorant, latuisse hic aliquandiu, donec agnitus à principe & patribus in magno sit honore habitus. Cæterùm à Friderico repetitum, nec redditum, materiam illi præbuisse terra & mari sæuiendi in Venetos: uictoque Otthone eius filio nauali pugna, ac Venetias perducto, de pace agitari cœptum, quæ non multo pòst ex pontificis & Venetorum sententia secuta sit. Enneadis nonę libro quinto. Et libro septimo decad. primæ de rebus Venetis idẽ ait: Addunt quidam, pontificem quasi ita illum expiaturus, collo ipsius prostrati pedem imposuisse, cœpisseque interim Dauidicum illud canere: Super aspidem & basiliscum ambulabis. Tum Fridericum, ingentes adhuc spiritus alentem, dixisse: Non tibi, sed Petro. Cui ille irato similis, impressa fortius planta, Et mihi & Petro, responderit.

Subacto in hunc modum pro animi sui sententia Imperatore, Romam redire parat pontifex, Siculorum & Venetorum classe stipatus. Pontificis aduentu cognito, Romani legatos suos, qui de pace agerent, obuiam mittunt. Sed obtinere non potuit pontifex, ut annis iam quinquaginta continuatis, tolleretur consulum nomen. Illud tamen actum est, ut creati à populo consules non prius ad custodiendæ urbis magistratum admitterentur, quàm fidei seruandæ pontifici & Ecclesiæ sacramento ad eius pedes adacti essent: ut Syluius testatur libro sexto in Blondi Decades. Hisce constitutis, cum iam tertiò Romam uenisset Alexander, quiete per fas nefasque parta, paulo pòst morbo correptus, ad suos quos coluit deos migrauit, à quibus perquàm honorificè ipsum exceptum fuisse, quis facilè dubitet? cum pontificia dignitate perfunctus fuisset, ut Platina numerat, annos uiginti unum, dies nouendecim. Stella. Tantum numerum in pontificatu ante hunc Alexandrum, tantùm tres superasse, indicat Sigeberti Continuator: nempe Petrũ apostolum, qui præfuit, si tamen credere fas est, uiginti quinque, Syluestrum primum, & Adrianum primũ, quorum uterq; uiginti tribus præfue-

runt annis. Anno 1181, iuxta Sigeberti Continuatorem.

VICTOR ANtipapa.

Octauianus quidã Romanus, diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano, uir religiosus & probus, ut habet Chronicon Bambergense, sub Eugenio, qui eũ cardinalitia dignitate ornarat, Anastasio & Hadriano legationibus, quibus nomine Romanę ecclesię ad Imperatorem Germanięque proceres sæpius functus fuerat, nõ exiguam sibi laudem comparauerat. Paucissimis itaq; diebus post Hadriani obitum interiectis, ab octo cardinalibus, (Stella tantũ tres fuisse scribit, eosq; profanos uocat homines) senatu, populo ac uniuerso clero id petente, põtificium munus subire iubetur, priusquam Alexãder à sua factione eligeretur. Rebus autem ad maiores turbas spectãtibus, controuersiæ ad Imperatorem, ut is arbiter esset, defertur. Indicta synodo, uterque causam suam coràm agere iubetur. Verùm Alexãder, animal superbum, episcoporum iudicio prorsus se exemptũ plenis buccis nugabatur, ac comparere detrectabat. Ob eam contumaciam ipse sede indignus iudicatur, & Octauianus, qui nunc Victor quartus dicebatur, confirmatur. Eius partibus Imperator maximè, qui eum albo equo insidentem in Papiensi urbe, ut Platina refert, circumduxit, ac pleriq; Germanię principes studebant. Inde Victor ad Germanos abijt, ubi à primarijs episcopis, Coloniensi in primis, Moguntino & Magdeburgensi alijsque pontifex Romanus salutatur. Tandem cùm Imperatoris iussu, qui eum cũ exercitu mox insecuturus erat, Romam iret, suam sedem occupãdi gratia, in Lucana ciuitate obijt, ut habet Bambergense Chronicon, postquam contra Alexandrum hoc muneris annos quatuor, menses ferè octo gessisset. Eius acta ab Alexandro abolita refert Onuphrius. Lucæ, quæ Tusciæ ciuitas est, sepultus est. Platina.

PASCHALIS III. antipapa.

Post Victorem ab eius partibus addictis Guido episcopus Cremonensis in concilio Herbipoli coacto, ut testatur quædam Friderici Imperatoris epistola, pontifex Romanus designatur, anno 1164, iuxta Phrygionẽ, ac Lucæ, accepto Paschalis tertij nomine, coronatur. Romam per Imperatoris cohortes, ut ex Bambergensi Chronico colligere licet, deductus, quinto sui pontificatus anno in uiuis esse desijt, & in Petri basilica sepultus est. Onuphrius, Simoneta lib. 5. cap. 80.

CALIXTVS III. antipapa.

Eandem dignitatem post Guidonem Ioannes quidam, ex Pannonia inferiori oriundus, abbas Syrmiensis, furtis & latrocinijs pridem infamis, ut Bonfinius libro sexto Decadis secundæ annotat, obtinuit annos septem & menses aliquot. Denique composita Venetijs inter Imperatorem & Alexandrum pace, spontè pontificia se dignitate exuit Ioannes, qui Calixtus tertius, dum pontifex esset, dici uoluerat. Onuphrius, Chronicon Bambergense.

LANDO ANtipapa.

Quartum etiam contra Alexandrum, antipapam electum Landonem quendam, scribunt Martinus Polonus & Erfordensis: isque Innocentij nomen assumpsit. Verùm his omnibus superuixit Alexander.

LVCIVS III.

Successit Alexandro Hubaudus, ut habet Sigeberti Continuator, seu Vbaldus, ut Balæus uult, Hostiensis episcopus, natione Thuscus, patria uerò Lucanus: ac Lucius tertius dictus est. Vixit, ut Onuphrius ait, annos propemodum quinquaginta in cardinalatu, fuitque indiuiduus Alexandri antecessoris comes, omnium laborum & periculorum particeps. Modicè literatũ ipsum fuisse, Tyrius libro uigesimosecundo, cap. 7 indicat.

Scripta.

Extant eiusdem etiam papæ in Decretalibus plures epistolarum ad diuersos scriptarum portiones, ubi de rebus Romano antichristo conuenientibus, ne scilicet à maiorum uestigijs aberrasse uideatur, agit. Non enim doctrina cœlestis, sed regna huius mundi eiusque gloria curæ id genus hominibus fuit, quibus etiam hic sedulò inhiauit.

Opera gubernationis.

Maioribus, ut dictum, non fuit dissimilis. Nam ordinatione unica cardinales unũ & uiginti creauit. Onuphrius.

Principibus autor fuit, ut in Asia laborantibus Christianis suppetias ferant. Et cum domesticis eorũ discordijs freti hostes magis in agrum Hierosolymitanum sæuirent, & literis & nuncijs, ut pacem mutuò colant, creberrimè institit. Platina.

Coram Ecclesiastico iudice de omni crimine conueniri debere clericum, statuit. libro 2. tit. 1. c. 8: Clerici. Leproso ecclesię alicuius rectori dandum coadiutorem, qui ad sustentationem suam congruã recipiat portionem. libro tertio, titul. sexto, c. tertio: De rectoribus.

Cum Imperatore Friderico, quod sanè miraculi loco nobis hac ætate est, pacem coluit, ab eoq; obtinuit, ut Hetruscis Lucēsi tantùm uti moneta liceret. Platina.

Antichristi quoq; notas gessit. Nuptias sacerdotū non modò damnauit, sed & eorum libidines decreto iuuit. Nam bigamos ad sacros ordines promotos, sine omni disputatione ijs priuandos statuit. Cum ordinatore tamen, licet ipse quoq; & dignitate & officio ordināndi exciderit, dispēsari posse. lib.1.tit.21.ca.2: Super eo. Cęterùm à clericis & presbyteris, quanquam fornicarijs, diuina mysteria audienda, aliaq; Ecclesiastica sacramenta percipienda esse sanciuit. lib.3. tit.2.cap.7: Vestra duxit.

Mulierem, quæ neglecta iurisiurandi religione, sponso suo, cui se nupturam interposito iuramento firmauerat, nubere renuentem moneri, cogi uerò non posse, cum matrimonia libera esse debeant, coactionesque difficiles plerunq; exitus habere soleant, statuit libro quarto, tit.1.capite 17: Requisiuit.

Gloriæ mundi fuit cupidissimus: uerùm res malè ipsi cessit. Nam consulum nomen cum sua factione Romæ aboliturus, effossis oculis, ut habet Simoneta lib. 5. cap. 81. urbe eijcitur: & factiosi quidam capti uarijs tormentorum generibus à Romanis ciuibus excruciati sunt, alijs super asinos impositis, mitrisq; ornatis, auersis uultibus ludibrij causa per urbem circumductis. Alios alijs affecerunt iniurijs. Nonnullos oculis priuarunt, aliquos neci tradiderunt. Pro hac tam insigni iniuria, Veronæ, ubi profugus ad uitæ finem usque latitabat papa, in concilio hoc insolens & crudele Romanorum factum damnauit. Platina, Nauclerus, Balęus. Moritur anno pontificatus sui quarto, mense secundo, die decimooctauo, Christi 1185. & in cathedrali templo Veronæ sepultus, cuius sepulchro hoc epitaphium affixum narrant Vrspergensis & Ioannes de Oppido:

Luci, Luca tibi dedit ortum, pontificatum
Hostia, papatum Roma, Verona mori.

VRBANVS III.

Secesserat cum Lucio Roma eiecto cardinalium fex aliqua Veronam usq;. Verùm suo pontifice extincto, cum ab Imperatore sibi metuerent, ne is in eligendo successore suam autoritatem interponeret, ac præter ipsorum libidinem ui quadam adhibita ipsis daret episcopum, itineri Romam uersus se committere noluerunt. A' Mediolanensi autem episcopo Imberto, ut Sigeberti eum Continuator uocat, præpotenti Cribella gente nato, patre Ioanne, Rauennam deducti, eundem gratitudinis ergò pontificem salutarunt, postquam Romana sedes rectore caruisset diebus, ut Martinus Polonus ait, tredecim. Electioni mox assentiēs Imbertus, Mediolano, quod ipsi & patria erat, relicto, Romam commigrauit, consecratusq; pontifex, Vrbanus deinceps dici uoluit. Vrspergensis.

Scripta.

Epistolarum fragmēta in iure Canonicō plura uidere licet.

Opera gubernationis.

Opera tanto pontifice digna, rara admodum literis mandata reperimus. Cardinales decem & octo creasse scribitur.

Christianos terræ Sanctæ principes, quibus dissidentibus miserè à barbaris loca illa uastabantur, ad concordiā reuocare magno conamine annixus est. Apud cæteros etiam pontificiæ religioni addictos primates in uniuerso orbe, ne ijsdem suo auxilio deesse uelint, monendo sedulò institit: sed surdis, quod dicitur, narrauit fabulam pontifex. Schedelius.

Mutuo dantem ea mente, ut ultra sortem aliquid recipiat, in animarum iudicio ad restitutionem, si quæ totaliter accepta fuerint, cogendum statuit. Lib.5. tit. 19. cap. 10: Consuluit.

Cæterùm ius pontificium haud uulgaribus Antichristum resipientibus decretis ornauit.

Monasticæ enim professioni patrocinatur, quod statuit, iuramentum monachi, claustrale uitæ genus abiurantis, nullius esse debere ponderis, & talem ei iniungendam pœnitentiam (tam splendido & honesto uocabulo conscientiarū miserandam carnificinam, Romani illi carnifices, pontifices dixerimus, ornant) quo alij, ne quid simile tentent, deterreantur. li.2.tit.24.cap. 13: Sicut ex literis.

Et dæmoniorum doctrinæ de uitę cœlibatu addictus fuit. Nam uirum quendam, qui pro morbo abolēdo se monachū uellē induere olim uouerat, à secunda coniuge omnino auellendum, & monasticis sacris initiandum esse statuit, in epistola ad priorem S.Crucis, lib.3.tit.32.cap.9: Ex parte. Idem pœnitentiæ loco cuidam uillico imponi iubet, ut per aliquod tempus consuetudine uxoris abstineat. Experientia fortè edoctus fuit bonus ille pōtifex, quā sit graue concubina carere. lib.4.tit.1.ca. 18: Cum in Apostolica.

Maiestatis contemptor etiā extitit. In Imperatorem enim, quia suis conatibus sese opponere ausus fuerat, in patriæ suæ gratiam, cui perpetuum cum Imperatore erat bellum, excommunicationis mucronem, ut ex Cranzio libro sexto, capite 52 patet,

stringere, ac pacem, quantulamcunq; tum temporis Ecclesia nacta fuerat, turbare in animo habebat: unde & Turbanus à plerisque dici meruit, teste Vrspergensi. Sed irritus eius fuit conatus, Veronensib. in quorum urbe id facere tentarat, pontifici resistentibus.

De Christianorum autem in terra Sancta trucidatione, capta iterum Hierosolyma, & crebris Turcarum triumphis certior factus, Venetias pro comparanda classe contendit: sed cum Ferrariam attigisset, animi mœrore, cum negligentius à Christianis principibus bellum sacrum administrari cerneret, quem mox febris, ut Schedelius refert, adauxit, extinctus est, cum in pontificatu, iuxta Platinam, Ioannem de Oppido & alios, annum compleuisset unum, menses decem, dies uigintiquinque. Anno Salutis 1187. Sigeberti Continuator. Nutu Dei hunc pontificem percussum, cum in Imperatorem pessima quæque moliretur, interijsse, in Chronicis suis Vrspergensis scribit.

GREGORIVS VIII.

Successit cardinalium suffragijs Vrbano Gregorius eius nominis octauus, qui ante pontificatum Lambertus dictus fuit, patria Beneuentanus, ex nobili familia de Morra, presbyter cardinalis, & Romanæ ecclesiæ cancellarius, uir scientia literarum, ut Antoninus ait, facundiaque clarus: sed & uitæ puritate, animique integritate præclarior, suiq; uehemens castigator.

Scripta.

Extant in Iure pontificio duæ eius epistolæ, licet eæ non sint integræ: quarum prior ad præpositum quendam S. Cataldi scripta est, qua statuit, marito cum iuramẽto asserenti, se uxorem cognouisse, non credendum, si uxor per matronas, quę corpus aspexerunt, contrarium asseueret. Res sanè sanctissimis illis uiris dignæ, quibus occupentur, & decretis suis muniant. lib. 2. tit. 19. cap. 4: Proposuisti.

Altera ad Pragenses canonicos, quos cũ ignari suspensionis suæ sacra celebrarint, ignorantia excusatos haberi asserit. Si uerò illa ignorantia crassa, supina & erronea fuerit, Apostolica benignitate dispensationis gratiam indulget. libro 5. titul. 27. capite 9, Apostolicæ.

Opera gubernationis.

Multùm hunc sudasse, scribit Vrspergensis, in corrigendis tum cleri tum populi uitiosis moribus, de uestium luxu, choreis, & similibus ineptijs cum uanitate coniunctis. Vrspergensis. Massæus refert, quòd pro totius Ecclesiæ reformatione multùm laborauerit. Sed qualis sit talium Antichristorum reformatio, communis experientia satis docet. Balæus.

Statim etiam post initum pontificatum literas ad principes misit, ut coniunctis uiribus terra marique, captam Hierosolymam ex hostium manibus iterum extorquerent: peccatorum ueniam profecturis eò proponit præmium, ut Antoninus testatur.

Inter Genuenses & Pisanos, præpotentes & pugnaces populos, maximè uerò in mari, reconciliationem tentauit, quo sanctæ illi expeditioni totos se dedere ualeant. Sed dum Pisis commoratur, è rebus humanis uenenata, ut inquit Matthæus Parisius, potione excessit, cum Romanam sedem tenuisset diebus quinquagintaseptem. Platina, Vrspergensis, Martinus Polonus.

CLEMENS III.

Pisis in pontificem post Gregorium Paulus Romanus, cognomento Scholaris, patre natus Ioanne, à cardinalibus creatus & consecratus, Clementis tertij nomen assumpsit.

Scripta.

Infinitæ penè extant epistolarum particulæ in Iure Canonico, quibus tamen de rebus Ecclęsię eiusq; gubernatione uel nihil, uel parum conueniens inest.

Doctrina.

Idem cum maioribus eum in fidei articulis sensisse, uel ex unico uidere licet decreto, quod extat libro quarto, titul. primo, capite uigesimo. Inter opera charitatis non minimum est, inquit, errantem ab erroris sui semita reuocare, &c. Statuimus itaque, ut omnibus qui publicas mulieres de lupanari extraxerint, & duxerint in uxores, quod agunt, in remissionem proficiat peccatorum.

Opera gubernationis.

Non fuit maioribus dissimilis, ac licet opera quædam in speciem bona ab autoribus annotata sint, qualia sunt, quòd episcopos, presbyteros & diaconos aliquot crearit, uiciosos cleri mores correxerit, iuxta Platinam & Stellam, quòd nihil prius duxerit, quàm ut afflictis terræ Sanctæ incolis subsidium mittatur, eaque de causa ad uniuersos orbis Christiani primates literas nunciosque misit, bellum Vngarorum cum Venetis, ut Cromerus indicat, per legatos composuerit: tamen Antichristi characteribus haud paucis neq; obscuris conspicuus fuit. ut:

Supra Deum se extulit, eo quòd numerũ deorum auxit. Ottonem enim Bambergensem episcopum ipsis accẽseri uoluit. Chronicon Bambergense.

Hostis

Hostis fuit coniugij. Nam uniuerso totius Poloniæ clero cœlibatum per legatum, quem ad corrigendos unctorum & rasorũ mores eò miserat, præcepit. Et Danos, qui coniugium suis sacerdotibus, ne fortè proprijs coniugibus & puellis ab eiusmodi impuris lenonibus deinceps metuendum sit, decreuerant, excommunicauit. Balæus. Puellam quæ monasticum exuit habitum, & militi cuidam se copulauit, ad prius uitæ genus ut redeat, omnino cogẽdam censet. libro 3. tit. 31. capite 12: Cum uirum. Et tit. 32. capite 10. consulit, uirum aliquem, qui uiuente sua uxore monachum induerat, ea autem mortua, ad seculum nec redire, nec aliá sibi matrimonio iungere posse. Quòd si contraxerit matrimonium, omnino dirimendum esse, contra illud Pauli: Melius est nubere, quàm uri. O egregios Apostolorũ, non Christi, sed ipsius diaboli uicarios. libro tertio, titul. trigesimosecundo, capite 10: Consuluit.

Compaternitate etiam matrimonium impediri decreuit. lib. 4. tit. 11. cap. 4. Martinus Bertam.

Baalismum iuuit haud uulgariter. Nam S. Laurentij cœnobiũ erexit: ut habet Martinus Polonus. Et nouum monachorum ordinem, quos Hospitalarios seu Iohannitas uocant, hac ætate Hierosolymis exortum, ut suo loco diximus, approbauit: ut in Chronicis Prutenicis scriptum est.

Regnis huius mundi, ut uultures prędę, inhiauit. Nam post Vuilhelmi Siciliæ regis obitum, ipsius regnum ad Ecclesiæ ius pertrahere conabatur: sed Tancredo Rogerij ex pellice filio ei præripiente hunc bolum, irritus eius fuit conatus. Platina in uita Clementis tertij. A se consecratos episcopos dignitate, seculi principes præire uoluit. Balæus.

Architectum egit. Lateranense palatium altius fecit, templumq;, teste Platina, uermiculato ac musiuo opere exornauit, & fontem ad Equum æreum extruxit. Martinus Polonus.

Curriculum autem eius fuit annorum trium, mensium quinq;, iuxta Platinam & Phrygionem. Stella tantùm annos duos & dies sedecim habet. Obijt anno Salutis 1191. Balæus.

CELESTINVS III.

Celestinus tertius, Iacynthus ante pontificatum dictus, patre Petro Bubonis ciue Romano natus, ipso resurrectionis Dominicæ die, postquam sedes Romana per dies duos, extincto Clemente, rectore caruisset, à cardinalium colluuie, quos ille ætate omnes, ut Onuphrius refert, uincebat, pontifex consecratus. Platina.

Scripta.

Huius etiam epistolarum fragmenta in Iure Canonico quamplurima uidere licet: ex quibus licet de doctrina ipsius nihil peti posit, attamen studium, quod in regno Antichristi & tenendo & propagando habuit, facilè est perspicere.

De iuramento sensit, quòd illud metu extortum nullius esse ponderis debeat. lib. 2. tit. 24. cap. 5: Breui.

Opera gubernationis.

Cardinales creauit sedecim, ut Onuphrius annotat.

Heinricum sextum, altero post suam consecrationem die, Augustum pro Romanæ ecclesiæ consuetudine salutauit.

Omnem etiam pro recuperanda terra Sancta, toto sui pontificatus tempore mouit lapidem. Commune enim hoc seculo fuit hisce diaboli uicarijs studium, ut primarios Europæ principes pro Hierosolymis in Christianorum potestatem uindicãdis, in Asiam exercitum ducere splendidissimis promissionibus, licet illæ essent uanissimæ, propositis, permouerent, quo ipsi postea cęteris, quorum potentia minus suo fastui obesse poterat, liberius dominari, suasq; artes exercere possent.

Coniugij hostis fuit. Nam præsulem, ad Ecclesiasticos gradus bigamum ordinantem, potestate priuandum censuit. Balęus. De bigamis presbyteris & uiduarum maritis idem sancimus omnino, ut nec uiuentibus uxoribus nec defunctis ad diuinorum debeant celebrationem admitti, maximè cum à doctrina Apostoli & institutionibus Ecclesiæ sit alienum. lib. 1. tit. 21. cap. tertio. De bigamis.

Monasticæ professionis fautor extitit. Nam Hospitalariorum sectam, quam cum Euãgelij doctrina cõgruere asserit, scripto & sigillo cõfirmauit, anno 1191. Formula ipsa in Germanico quodam Prutenorũ extat Chronico. Et monachos Conuentriæ, ob uitam sceleratam & luxuriosam per Hugonem Conuentriensem episcopum eiectos, ipse currente pecunia, post Hugonis obitum restitui iussit. Balęus Cent. 13 Scriptorum Britanniæ, cap. 31.

Ijs tamen qui in pueritiæ annis monasticam professionem amplexi sunt, ad seculũ redire decreto permittit, cum ad maturiorem peruenerint ætatem. libro tertio, titul. trigesimoprimo, capite decimoquarto: Cũ simus.

Regna huius mundi, eorumque gloriam captauit. Nam Tancredum Romanæ sedi Siciliæ regnum præripuisse indignissimè ferens, Constantiam Rogerij filiam, Deo dicatam uirginem, Apostolica dispensatione

ne è Panormitano eductá cœnobio, Heinrico Imperatori matrimonio iunxit, eique dotis nomine utriusque Siciliæ regnum à Tancredo extorquẽdum attribuit, reseruato censu, qui Romanæ ecclesiæ fisco quotannis feudatorio iure solueretur. Vnde bella creuêre non incruenta. Simoneta, Platina. Quo spiritu agitentur hi boni præsules, cuius Christiano ex Saluatoris concione, quæ Iohann. 8. extat, facilè est iudicare, qui diabolum & mendacem & homicidã esse uerissimo ore testatur. Quorum utrumque satis superque in Romanæ sedis incubis apparet. Hinc fortè est, quòd apud Iohannem Stellam Venetum id encomij habet Celestinus, qui per omnia bonũ, imò optimum appellat pontificem, cum ad amussim hæc duo paterna insignia toto suæ gubernationis tempore expresserit.

Architectus fuit. Egregias ædes tum apud S. Petrum, tum apud Lateranum ædificauit, quibus recipi pontifices uoluptuosè percommodè possent. Extant adhuc in Laterano æneæ ualuæ, eius impensis factæ. Platina.

Pontificatui præfuit annis 6. mensibus 7. iuxta Platinam. Anno 1198 in uiuis esse desijt. Balæus.

CARDINALES ROMANI, *alijq́; Italiæ episcopi.*

IOHANNES.

Iohannes Cremensis cardinalis cum exercitu præmissus est à Calixto 2. ad oppugnandũ Gregorium antipapam, quẽ postea pontifex ipse subsecutus est. Platina in Calixto.

SAXO, GREGORIVS.

Comitijs Vuormatiensibus interfuerũt Saxo & Gregorius cardinales, à Calixto 2 missi ad Heinricum quintum: ubi obtinẽt ius inuestituræ pontifici, & à nexibus excommunicationis Imperatorem absoluũt. Platina in Calixto.

THEODORICVS.

Theodoricus cardinalis Romanæ curiæ, legatione perfunctus est ad Hungaros, anno 1115. Rediens isthinc, uocatus à Saxonibus, quid in Lateranensi concilio contra Heinricum quintum decretum fuisset, ipsis aperuit: qua quidem re homines rebelles magis confirmauit. Hedio tertia Chronicorum parte.

GERVASIVS.

Geruasius notarius Romanæ curiæ, conscripsit ex mandato Calixti 2 confirmationem monasteriorũ, ab Ottone Bambergẽse extructorum. Historia Bamberg.

GREGORIVS.

Gregorius quidam cardinalis ab Honorio 2 ad monachos Casinenses mittitur, ut remoto Nicolao Senioretus abbas eligeretur. Chron. Cas.

Errores eius.

Magno fastu tumidus cardinalis hos errores ebuccinauit in monachorum conuẽtu: Romanam ecclesiam prẹconiũ laudis in Petro ex ore ipsius Christi emeruisse.

Omnes ecclesias omniaq́; monasteria à Romanæ ecclesiæ arbitrio disponi.

Eius imperio cœlũ & aperiri & occludi.

Romanam sedem solam esse à filio Dei fundatam: reliquas uerò ecclesias uel à põtificibus, uel Imperatorib. uel regibus, uel alijs fidelibus.

Supra Petri fidem esse erectam.

S. Petro iura cœlestis & terreni Imperij esse commissa à Deo.

Paulum & Petrum suo sanguine consecrasse Romanam ecclesiam.

Romanam ecclesiam esse matrem & dominam aliarum ecclesiarum.

Romanæ ecclesiæ resistere, esse ueritati resistere. Chronicon Cas. lib. 4. cap. 91.

RICHARDVS.

Richardus Innocentij secundi capellanus, & Casinensis monachus, ab Heinrico Lotharij genero & Imperatore mittitur legatus ad Casinenses, percontaturus an papæ obedire uelint, & se suscipere. Chron. Cas. lib. 4. cap. 106.

GERARDVS.

Gerardus cardinalis S. Crucis constitutus est à Lothario, ut Innocentij 2 causam contra abbatem Casinensem ipso præsente ageret. Libro quarto, capite 100. Chron. Casinense.

Homo inflatus & tumidus plusquam satis fuit. Nam in ea procuratione semel atque iterũ Imperatori molestus fuit, quòd excommunicatos Casinẽses monachos ad se admitteret. Lib. 4. cap 110.

Ingenti supercilio eosdẽ accusauit, quòd iuramentum obedientiæ papæ præstare denegarent.

Illos qui non funguntur sacerdotali honore, non posse aliquem uel ligare uel soluere. Ibidem cap. 114.

Romanam ecclesiam nõ ab hominibus, neq́; per hominem, sed per IESVM Christum esse fundatam.

Petro Apostolorum principi traditas esse claues regni cœlorum Libro quarto, capite 116.

Excommunicauit bis Reinaldum abbatem Casinensem, & eius amotionem iuuit. cap. 120 & 122.

ALMERICVS.

Almericus diaconus, cardinalis & cãcellarius Romanæ ecclesiæ fuit, quem Innocẽtius

tius secundus semel atq; iterum anno 1138 Casinum misit, ad examinandum Rainaldum abbatem, & à gubernatione remouendum. Lib. 4. cap. 120. Chron. Cas.

THEODEVINVS.

Theodeuinus episcopus Portuensis, & cardinalis S. Rufinæ Confluentiæ, interfuit electioni Conradi 3. quem etiam inunxit Aquisgrani. Panuinius, Frising. libro 7. capite 22.

ROBERTVS.

Robertus Polamus, aliàs Pullij, uir suo tempore, circiter annũ 1146, unus inter doctissimos habitus, post reditum è Parisijs in Oxoniensi gymnasio studijs labascentibus Herculeam, quod dicitur, manum adhibuit. Studiosos eò magno numero ex tota Anglia uocans, in artibus politioribus summa diligentia eos exercuit. Tandem à papa, quem Eugenium 3 esse suspicamur, Romam euocatur propter nominis celebritatem, & creatur cardinalis atq; cancellarius Romanæ curiæ. Scripta quæ edidit, hæc numerantur:

Sententiarum quarundam,	lib. 8.
De contemptu mundi,	lib. 1.
In Apocalypsim Iohannis,	lib. 1.
Super aliquot Psalmos,	lib. 1.
Super doctorum dictis,	lib. 1.
Opus suorum sermonum,	lib. 1.
Prælectiones aliquot,	lib. 1.

Et alia pleraq;. Cardinalis Romæ multa etiam scripsisse fertur. Balæus Cent. 2. cap. 8 Scriptorum Britanniæ.

MARTINVS.

Martinus cardinalis, qui claruit circa annum 1150, cum legatus esset in Daniã missus, ad extremam redactus inopiam redijt, ita ut & uiatico & equo destitueretur. Ei cũ Florẽtinus episcopus equum dono dedisset, & postero die rogasset, ut suæ causæ Pisis patrocinaretur, quamprimùm ipsi equũ reddidit, ne quid munerum causa in alterius gratiam facere uideretur. Hedio parte 3. Eccles. historiæ.

IOHANNES PApyrio.

Iohannes Papyrio cardinalis, legatus Eugenij tertij in Hyberniam, anno Domini 1152 fecit ordinationem quatuor archiepiscoporum: ut Armachani, Dublinẽsis, Cassellensis & Triamensis. Balæus Cent. 14. ca. 97 Scriptorum Britanniç, in Appendice.

BOSO.

Boso Anglicus, professione monachus, inter laureatos sui seculi Theologos nomẽ & laudes promeruit. Sub Hadriano 4., anno 1153, cardinalis atq; Romanæ ecclesiç camerarius creatus est. Scripta quædam edidisse fertur, quorum tamen tituli non extant. Post mortem Adriani, cardinalib. de successore dissidentibus, primus munitionem B. Petri occupauit, cum à præsidiarijs, adhuc uiuente Adriano, iuramentum fidelitatis accepisset. Otto Frising. li. 4. de Friderico, cap. 70. Obijt Romæ sub Alexandro 3. ubi & sepultus est. Panuinius, Balçus Cẽturia 13. cap. 72.

IOHANNES.

Iohannes cardinalis S. Martini, suo suffragio Octauianum denominauit papam creandum post Adrianum 4. Frising. lib. 4. cap. 55 de gestis Friderici. Epistolam suo nomine euulgauit & reliquorum sociorũ de electione Octauiani. Lib. 4. cap. 56.

HENRICVS.

Henricus Romanus presbyter, & cardinalis S. Nerei & Achillei, ad Bambergẽsem Eberhardum epistolam scripsit, in qua monet ipsum, ut hortetur Fridericum ad studium pacis: hoc est, ut Romano pontifici se subijciat. Nam illud Romanis est pacem colere. Frising. lib. 4. cap. 19.

BERNHARDVS, Gregorius.

Bernhardus Romanus presbyter & Gregorius diaconus, uterq; cardinalis, missi ab Eugenio 3 Moguntiã, anno Salutis 1153, secundum Tritenhemium in Chronico Hirsaugiẽsi, falsò delatum pontificem Heinricum remouent officio & loco. Sed sesquianno pòst, ubi de Heinrici obitu cognouissent, eodem die simul perierunt, cum prius ludentes inter se dixissent: Ecce præcessit, suo tempore sequemur (nam Heinricus iniustè remotus, illos ad tribunal Christi citauerat) alter quidem fœdissimo mortis genere cacando, alter præmordendo articulorum digitos & expuendo. Chron. Moguntinum.

RADVLPHVS.

Radulphus Nigellus magister, quẽ Continuator Sigeberti, magnæ honestatis, literaturæ & religionis uirum uocat, quo etiã usus est familiariter, creatus cardinalis est anno 1184, in initio Quadragesimæ. Continuator Sigeberti.

PETRVS.

Petrus legatus Romani pontificis, sesé Agenẽsibus hæreticis opposuit, anno 1172. sed parum egit atq; effecit. Contin. Sig.

OCTAVIANVS.

Octauianus subdiaconus Romanç ecclesiæ, in Angliam Rothomagum uenit, anno 1179, ab Alexandro 3 missus, ut eius loci clerum, utpote archiepiscopum, suffraganeos, abbates, Romam ad concilium euocaret. Continuator Sigeberti.

MIDAS.

Midas cardinalis & legatus pontificius, sub

sub Celestino tertio in causa Philippi Francorum regis, repudiantis uxorem Ingebertam, neglige̅ter egit, uel pecunia corruptus, uel metu impulsus. Robertus Gaguinus lib.6. de Francis.

TRIDENTINI, SIVE Triuensinenses.

SVB HEINRICO IIII.

GEBHARDVS.

GEbhardus ab Heinrico 5 Tridentinus designatus est pōtifex, & à Guelphone Bauaro armata manu præfectus, quamuis Tridentini sese iuramento obstrinxissent, se illum nequaquá recepturos. Auētinus lib.5. Et non multo pòst ipsum rursus excutiunt, præsertim qui à partib. Heinrici 4. erant, ciues: sed armis restituitur à filio, circiter annum 1106. Postea illum in illa sede confirmat Paschalis secundus. Idem lib.6.

SVB HEINRICO V.

IOHANNES.

IOhannes eidem sedi præficitur circiter annum Domini 1109. Is Casinensi monasterio ecclesiam S. Illuminatæ cum omnib. iuribus & possessionibus obtulit, pœna cētum librarum auri cōstituta, si quis iterum isthinc remouere niteretur. Chronicon Casinense lib.7.cap.36.

ALFERIVS.

Alferius Triuensinensis episcopus, cum præpositum ageret in ecclesia B. Illuminatæ, adijt eū qui S. Eustatij monasterio præerat, rogitans, ut sibi potestatē faceret instrumenta & literas eius monasterij perscrutandi. Quod cum impetrauisset, inuenit, à Beneuentanis principibus ita fuisse constitutum, ut illa, quá diximus, B. Illuminatæ ecclesia subdita esset monasterio S. Eustatij: easq; literas in frusta cōcidit. Contin. Chronici Casinensis lib.4.cap.36.

SVB FRIDERICO.

ALBERTVS.

ALbertus Tridentinus interfuit comitijs Ratisbonensibus, in quibus Fridericus primus utrumq; Heinricum, decimum & undecimum, audiuit de Bauariç ducatu disceptantes, anno Domini 1156. Auentinus li.6. Is legatos Adriani, Heinricum & Iacinctū, deduxit per uallem Tridētinam, & à Friderico & Heinrico comitib. unà cum illis captus est: sed paulo pòst iterum elapsus. Frisingensis lib.3.cap.21. de gestis Friderici.

HOSTIENSES.

ODDO.

ODdo Hostiensis episcopus inunxit Paschalem secundum in basilica. Platina.

RICHARDVS.

Richardus episcopus Hostiensis, legatus pontificius, anno 1108 ordinauit Brunonē abbatem Hirsaugiensem. Chron. Hirsaug.

LEO.

Leo Hostiensis episcopus, ubi Paschalē 2 ab Imperatore captum intelligeret, plebeio habitu sese in urbem recepit.

LAMBERTVS.

Lambertus missus legatus est in Germaniam à Calixto 2. cum plenis mandatis de omnibus inter Imperatorem & pontificem transigendi. Indicuntur Vuormaciæ comitia, ubi demum ab excōmunicatione absoluit Henricum quintum, cum ius inuestituræ obtinuisset pontifici. Platina.

DROGO.

Drogo primus cōstituitur abbas Lauduni, à Bartholomęo eius loci episcopo, in monasterio S. Iohannis, anno Dominicę incarnationis 1128. Is tandē cardinalis & episcopus Hostiensis consecratur ab Innocentio. Obijt anno 1138. Cont. Sigeberti.

ALBERICVS.

Albericus legatus pontificius Bernhardū uocauit ad reprimenda dogmata, ab Heinrico quodam monacho agitata in partib. Tolosanis. Lib.3. cap.5. in uita Bernhardi. Ab Innocentio 2 in Angliam missus, synodum celebrauit Vuestmonasterij, anno 1138. Balæus Cent.2. cap.74. in Appendice.

HVGO.

Hugo Hostiēsis episcopus, amicus Bernhardi fuisse perhibetur. libro 5. cap.1. in uita Bernhardi.

THEOBALDVS.

Theobaldus prior Crisperij, monachus Cluniacensis, successit Vuilhelmo abbati Cluniacensi, anno 1181. Quarto anno pòst ex abbate fit episcopus Hostiensis. Continuator Sigeberti.

PRAENESTINI.

SVB HENRICO V.

NILO.

NIlo episcopus Prænestinus Paschalem secundum consecrare iuuit. Platina.

CONRADVS.

Conradus, qui Chuno in Chronico Hirsaugiensi uocatur, episcopus Prænestinus fuit circiter annum Dominī 1116. Is Lateranensi concilio sub Paschali 2 interfuit, atq; excommunicationis in Heinricū quintum latæ interpretationem studiosè requisiuit. Addidit pręterea, se Hierosolymis in legatione de iniuria ab Heinrico 5 papæ Romanæq; curiæ illata audiuisse, atq; pio quodā zelo excōmunicationis telū in illū torsisse: deniq; Græcos, Vngaros, Saxones, Lotharingos, Gallos hanc excōmunicationē habuisse ratam, quorū suffragijs denuò eam iterauit. Auent. lib.7. Chron. Hed. parte 3.

MEDIO-

MEDIOLANENSES.

ANTHELINVS.

ANthelini Mediolanensis archiepiscopi meminit Auentinus lib.6.

IORDANVS.

Mortuo Anthelino, duo de illa sede digladiātur, Gorsolanus & Iordanus. Sed interuentu Paschalis 2 ille abstinere, & hic quidem manere iubetur, anno 1116. Chron. Hedionis, parte 3.

ANSELMVS quispiam graue schisma excitauit Mediolani. lib.2.ca.2. in uita Bernhardi, in fine.

AQVILEIENSES.

SVB HENRICO V.

VLRICVS.

VLrico patriarchæ Aquileiensi Henricus 5 papam Paschalem 2 cum cardinalibus, quos Romæ ceperat, custodiendos tradit, anno Domini 1111. Cuspinianus in Historia Hērici 5. Captus est idem præsul à Vitali Michaele Venetorum duce, anno Salutis 1149. Blondus Decad.2.lib.5.

SVB FRIDERICO.

PILIGRINVS.

PIligrinus Aquileiensis patriarcha anno Domini 1156 comitijs Ratisponensibus interfuit, cum causa ducum Bauariæ tractaretur à Friderico primo.

Octauianum, qui se etiam Victorem appellauit, repudiato Rolando, unà cum reliquis episcopis papam recepit & consecrauit.

Bellum gessit. Nam Cremam ad deditionem compulit cū socijs. Obijt anno Salutis humanæ 1160. Auentinus lib.6.

VDALRICVS.

Vdalricus multarum in Germania turbarum author extitit. Cum enim contra Imperij decretum aliquos consecraret episcopos, Albanum Bathauensem & Albericum Iuuauensem, remoti sunt illi suis sedibus, atq; hoc etiam malum ad Bohemos usque peruenit. Auentinus lib.6.

SAPHODOMVS MANtuanus.

SAphodomus Mantuanus episcopus interfuit comitijs Ratisbonēsibus, in quibus Imperator Fridericus 1. sententiā læsæ maiestatis in Henricum undecimum tulit, & prouincijs exuit. Auentinus lib.6.

TVSCVLANI.

GILO.

GIlo Thusculanus episcopus & cardinalis, partibus Anacleti papæ, qui aliàs Petrus Leōis ab Historiographis uocatur, adhæsit. li.2.cap.6. in uita Bernhardi. Eū Petrus Cluniacensis hortatur, ut ad Romanæ synagogæ gremium reuertatur. lib.4. epist. 4.

YMARVS.

Ymarus Thusculanus episcopus, euulgata epistola suo & suorum nomine, exponit rem ut ut gesta est in electione Octauiani. Frisingensis lib.4.cap.56.

ALBANENSES.

SVB HENRICO V.

RICHARDVS.

RIchardus, familiaritatis necessitudinē iunctus Henrico 5, Albanus episcopus, Romani pontificis in Germaniam aduentum nunciauit. Auentinus lib.5.

MATTHAEVS.

Matthæus mittitur ab Honorio 2 Casinum, ut neminem in Nicolai remoti locū eligant, nisi de sua authoritate & consilio. Chronicon Casinense lib.4.cap.95.

Deinde ab Innocentio 2 mittitur Mediolanum, ut ea quæ ibi turbauerat Petrus Leonis, cōponeret. lib.2.cap.2. in uita Bernhardi.

Maguntiæ anno 1131 concilio præfuit. Chronicon Hirsaugiense.

Febri aliquando laborans, iubet paropsidem, ex qua Bernhardus cœnatus fuerat, ad se ferri: cumq; ex ea panem & aquā gustasset, protinus conualuit. lib.1.cap.3. in uita Bernhardi.

VVALTERVS.

Is pro Alberto sede pulso apud Iuuauienses intercessit, ut eum reciperent. Auentinus lib.6 Annalium Boiorum.

HENRICVS.

Henricus Albanensis episcopus, legatus pontificius à latere, qui circiter annum Domini 1180 & deinceps uixit, prælatorum & subditorum uitia tantopere taxauit, ut omnes qui simoniacis artibus Ecclesiastica beneficia ad sese transtulerant, resignarent, eiusq; arbitrio submitterent. Quos cū diuersis locis præfecisset, rursus absoluit. Catalogus Tungrensium episcoporum.

Pacem fecit inter Philippum Franciæ regem, & comitē Flandriæ, anno 1186. Chrō. Fland.lib.6. Deinde à Clemente 3 altera uice in Gallias & Angliam missus est, ut ibi persuaderet uulgo militiam pro recuperanda Ierosolyma, anno 1188. lib.6.

GVALTERVS PANORMITANVS.

GValterus, natiōe Anglus, Heinrici 2. Anglorū regis sacellanus doctus & honestus, claruit anno 1177. Eū Henricus in Siciliā misit, ad erudiendum in bonis literis Guilhelmū Siciliæ regē iuniorē, antequam suam illi filiam Ioannam nuptui traderet. Cumq; breui tēpore ita proficeret, ut nō solùm linguæ Latinæ usum, sed etiā artem conficiendorū metrorum addisceret, tantam gratiā inijt, ut rex illum Panormitanum archiepi-

scopum, & totius Siciliæ primatem constitueret, atq; loco patris reuerenter coleret. Scripsit pro Latinæ linguæ exercitijs li.1. ad Guilhelmum regem: & alia nõnulla. Panormi tandem sepultus est. Balæus Cent. 13.cap.73. Item Continuator Sigeberti.

BENEVENTANI.

LANDVLPHVS.

LAndulphus Beneuentanus archiepiscopus, unà cũ alijs quibusdam, ecclesias quasdam cum ipsarũ possessionibus & iuribus reddidit B.Benedicto. Chron.Cas.lib. 4. c. 49. Tandẽ Cyperani in synodo accusatus, ubi coràm aderat, nec suã tueri innocentiã posset, fugit ad Casinense monasteriũ, papæ detrectans sententiam. Ibidẽ ca.51. Restituitur postea anno 1117.cap.63.

HEREBERTVS.

Herebertus de Bosham uel Bossenhã, magister liberalium artium & scholasticæ Theologię Oxonij factus, in Gallias studiorũ causa cõcessit. Is & ingenio callido & sermone cõpositus, rhetor & philosophus argutulus fuit. Thomę Becketo reuersus fuit ab epistolis: cuius causa in exilium eiectus, Romã uocatur, & Beneuẽtanus cõstituitur archiepiscopus, & Romanæ ecclesiæ cardinalis, circiter annũ Domini 1180. Cõscripsit

Gesta Thomæ Becketi, lib.1.
Epistolarum, lib.2.
Defensorium Annæ, lib.1.
De suis peregrinationibus, lib.1.

Tãdem anno quinto pòst cum clero & familia, ac magno ciuium numero in Apulia terræmotu absorbetur. Balæus Cent.3.cap. 15. Scriptorum Britanniæ, in Appendice.

IOANNES NEAPOLITANVS.

IOhannes Neapolitanus ad Rolandũ deferri munus pontificium & insignia uoluit. Frisingẽsis lib.4.cap.70. de gestis Friderici.

RAVENNATENSES.

GEBERTVS.

GEbertus episcopus Rauennę fuit: cuius subditis Paschalis mandauit, ne ipsi debitã præstarent obedientiam, hoc decretum faciens Guardę, anno 1101. Sebastianus Frãck Chron. parte tertia.

ANSELMVS.

Anselmus Rauennę episcopus, in castris ante Mediolanum obijt, anno 1157. Frising. lib.4.cap.4.

GVIDO.

Guido filius comitis Guidonis Blanderatensis, adhuc iuuenis præficitur à Friderico Rauennatensi ecclesiæ: sed hanc electionem irritam habuit Adrianus 4. Frisingensis lib.4.cap.16.& 17.

AEGIDIVS MVTINENSIS.

AEgidius Mutinẽsis episcopus, à Lucio 3 in Poloniam missus, ut eò deos alienos sportaret, reliquias scilicet cuiusdã Floriani martyris. Coromerus lib.6 de rebus Polonorum.

GERARDVS BONONIENSIS.

GErardus episcopus Bononiensis, claruit circa annũ Domini 1160, amicus Alexandri tertij, ad quem de sua electione copiosè scribit. Frisingensis lib.4. cap. 55.

CREMONENSES.

GVIDO.

GVido Cremonensis Octauianum successorem Adriani quarti cõstituendum esse censuit. Frisingẽsis lib.4.cap.55. de rebus gestis Friderici Barbarossæ.

IOHANNES.

Ioannes Cremonensis presbyter & historicus, descripsit bellum Mediolanense cum Friderico Imperatore, suo tempore gestum. Vrsperg.

BRVNO SIGNINVS.

BRuno Ligur natione, ex illustri Astensium familia oriũdus, cum liberalibus studijs ab ineũte ætate honestisq; moribus imbutus esset, ex canonico Signensis fit episcopus, suasu Victoris secũdi papæ, & satanæ quadam illusione. Nam ipsi oblatũ munus obedire detrectanti, noctu satan uirgineo habitu fulgẽteq; facie sese cõspiciendum præbuit, dicens, se sponsam ipsius esse, quã fugeret: atq; porrò hortatur, ut illud munus capesceret. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 33. Posthæc contra suorum ac Romani pontificis uoluntatem factus est monachus Casinensis. Episcopatum enim omnino existimabat esse deserendum illi, qui ad sinistrã Christi statui nolit, semper in ore habens: Principes fuerũt, & nõ cognoui: duces extiterunt, & nõ per spiritũ meũ. At monachum induere, uocabat mundũ desere, atq; Christo duce in portum trãquillũ deuenire. Hunc papa per legatos grauiter quidem monuit, ne suũ gregẽ turpiter desereret: se enim eius opera in causis Ecclesiasticis uti posse, adiecta acri increpatione, quòd sine suo permissu talia facere ausus fuisset. Ille legatis nihil aliud respõdit, quàm uouisse se tale quid: meliusq; esse nõ uouere, quàm uouere, & nõ reddere. Tãdem Oderisius offensum papæ animũ precando sedat, ita ut in eius fugã cõsentiret. In Gallias unà cum Boamundo quodã à Paschali missus est, ut eius loco cuidam synodo præsideret, anno 1109. Isthinc reuersus Ottoni Casinẽsi abbati, qui reb. humanis iã ualedixerat, à fratrib. substituitur, eiusq; electio rata habetur in Romana curia.

Scripta.

Sacræ scripturæ libros aliquot enarrauit, ut, Quinq; libros Mosi, Psalterium, Esaiam, Cantica

Cantica canticorũ, Librum Iudicum, Apocalypsin. Sermones sexaginta de totius anni festiuitatibus & diebus Dominicis, Homilias uerò CLV composuit.

Opera eius.

An superstitioni, an uerò ambitioni, cùm utroq; laborarit uitio, adscribẽdũ sit, quòd præter episcopatum & abbatiam administrauit hoc Antichristi membrum, ignoramus.

Sub cucullo monastico & miles latuit. Nam Aquinenses comites, occupantes quędam monasterij castella & oppida, nec reddere sua sponte uolentes, excommunicauit primùm, deinde ascito sibi in auxilium Roberto principe Capuano, armis eos ad restitutionem coegit. Stipendium militiæ Roberto dedit 200 libras. Chronicon Casinense lib.4.cap.34.

Paschalem exorauit, ut Capuæ templũ in honorẽ Benedicti dedicaret, & aliquid de eiusdem uestitu simul ibi reconderet. Ipse etiã quoddã sacellũ rogatu Otthonis antecessoris in S. Angeli honorẽ consecrauit, cũ episcopali dignitate insignitus esset.

Mulieri cuidam obsessæ aquam, qua manus antea lauisset, bibendam præbuit, oratione præmissa, quæ protinus liberata fuit. Sed quis à magia hũc monachũ uindicabit?

Idem deniq; priuilegium datũ Heinrico quinto damnauit, minimeq; esse seruandũ, imò ipsum etiam Imperatorẽ excõmunicãdũ censuit, suasitq;: ac cum aliquãto durius contra superbũ illũ Paschalẽ locutus fuisset in dãnatione priuilegij, quòd hæresi nõ carere dixerat, omni põtificia excidit gratia: ac licet pro ea recuperãda multùm sudaret abbas, tamẽ maleuolis frigidã suffundẽtib. laterẽ lauit. Tandẽ captata oportunitate, ipsum põtificẽ adit, eũq; tali oratione cõpellat: Inimici mei dicũt tibi, quia nõ te diligo, & malè de te obloquuti: sed mẽtiuntur. Ego enim sic te diligo, ut patrẽ & dominum meũ, neminẽq; aliũ, te uiuente, uolo habere pontificẽ, sicuti cũ multis alijs tibi promisi. Audio tamẽ Saluatorẽ meũ dicentẽ mihi: Qui amat patrẽ plus quàm me, nõ est me dignus. Vnde & Apostolus: Si quis (inquit) nõ diligit dominum IESVM, anathema sit. Debeo igitur diligere te: sed plus illũ diligere debeo, qui & te fecit & me. Huic enim tanto amori nihil unquã præferendũ est. Fœdus autẽ illud adeò fœdũ, tã uiolentũ, tam cũ proditione factũ, tam omni pietati religioniq; contrariũ, ego non laudo. Quis enim illud laudet, in quo uiolatur fides, Ecclesiæ libertas amittitur, sacerdotiũ tollitur, unicũ & singulare Ecclesiæ ostiũ clauditur, multa ostia aperiũtur, per quæ qui intrat, fur est & latro? Habemus Canones, habemus sanctorũ patrũ cõstitutiones, ab Apostolorũ tẽporibus ad te usq; perductas. Via regia incedẽdũ est, neq; ab ea in aliquã partẽ declinandũ. Apostoli illos omnes dãnant, & à fideliũ cõmunione seiungũt, qui per secularẽ potestatẽ ecclesiã obtinent. Laici enim quamlibet religiosi sint, nullã tamẽ disponẽdæ Ecclesiæ facultatem sunt cõsecuti. Hæc enim Apostolorũ cõstitutio sancta est, cui qui cõtradicit, catholicus nõ est. Omnis autẽ qui hæresin tuetur, hæreticus est. Nemo hãc nõ esse hæresin dicere potest, quã sancta & Apostolica Ecclesia in multis cõcilijs hęresin nominat, & cũ suis autoribus dãnat. Hac oratione cõmotus põtifex, omnino eũ remouendũ cẽsuit à monasterij administratiõe: datis ad ipsum & ad Casinẽsem cœtũ literis, illum abbatia cedere iussit, hos uerò ab obediẽtia præstãda absoluit. Tandẽ ad Signensem sedẽ reuersus est Bruno, cũ quidẽ abbas fuisset annis tribus, mẽsib. decẽ. Vbi etiam mortuus est, & in templo B. Virginis sepultus. Post mortem edere miracula dicitur. Chron. Cas. lib.4.cap.43 & 44.

CAPVANI.

SENNE.

SEnne Capuanus archiepiscopus ob uiolatum S. Angeli sacellum, & de abreptis inde ex altari osibus religiosis, in Romana synodo accusatus, & culpam agnouit, & emẽdationem pollicitus est. Chron. Casinense lib.4.cap.30. Idem & Beneuentanę synodo interfuit.

OTTO.

Otto, qui circiter annũ Domini 1121 præfuit, litem mouit Casinensibus monachis coram Calixto 2, quòd diceret suam diœcesin tribus ecclesijs ab illis spoliatã, S. Benedicti, S. Angeli, & S. Rufi, atq; ablata restitui postulauit. Sed post uehementem concertationem adiudicatæ sunt Casinensi abbati. Chron. Casinense lib.4.cap.71.

Eum Calixtus 2 per literas monuit, ut suorum clericorum temeritatem coherceret, qui ausi fuissent monacho defuncto, & ad sepulchrum iam perferendo, habitũ quo indutus erat exuere, & omnibus calcandũ in plateis obijcere. cap.74.

MAVRITIVS ET PETRVS *Portuenses.*

MAuritius Portuensis episcopus fuit, teste Platina in uita Paschalis secundi. Et Petrus eiusdem loci pręsul, partes Petri Leonis sectatus est. lib.2.c.6. in uita Bernhardi.

ALBERTVS ALATRINVS.

ALbertus Alatrinus episcopus prædixit, Paschalẽ 2 post Vrbanũ Romanæ sedi præfectũ iri propter fidẽ & cõstantiã (rectius dixisset, propter perfidiã & pertinaciã) itẽq; quamdiu in pontificatu uicturus esset. Plat.

LVCENSES.

ANSELMVS.

Anselmus natione Mantuanus, Lucensis episcopus doctus & religiosus, claruit anno 1125. Eius opera atq; impẽsis Mathildis, cuius confessor fuit, cœnobium Benedictinum in agro Mantuano inchoatum absoluitur. Quædam etiam composuit præclara opuscula. Mortuus in eodem monasterio primùm sepultus est, postea Mantuam trãslatus ad cathedralem ecclesiam. Sched. ætate 4. Bergomensis lib. 12.

LAVICANVS.

Eius Chronicon Casinense facit mentionem, quòd orationem primam dederit more solito super Imperatorem Henricum quintum, cum Paschalis papa 2 ipsum Romæ designaret Imperatorem. lib. 4. cap. 39.

RICARDVS SYRACVSANVS.

Ricardus natione Bryto, sacerdos & doctor Theologiæ doctus, prudens & sapiẽs, claruit anno 1180. Eius fidei Henricus 2. Anglorum rex commisit filiam Ioannam, ut eã ad Guilhelmum utriusq; Siciliæ regem adduceret. Laboris præmium consecutus est Syracusanum episcopatum, ubi tandem diem clausit extremum. Balæus Cent. 13. cap. 74. Scriptorum Britanniæ.

SYRVS.

Syrus Genuensium præsul, uir bonus & literatus, primus archiepiscopus constituitur ab Innocentio secundo, anno 1133. eiq; tres episcopatus insulæ Corsicæ subiecit. Præfuit postea 20 annis. Bergomensis libro 12.

CAIETANI.

IOHANNES.

Iohannes Caietanus reclamat suffragijs pontificis Paschalis & reliqui conuentus, quasi contra fas & æquum pacem exuere, fœdus dissoluere, pactum præuaricari, Christianam religionem discindere uelint, deficiendo à Germanis ad Græcos. Idem cum ipso facit Hugo Cluniacensis antistes. Auentinus lib. 6. Annal.

RICHARDVS.

Richardus monachus Casinensis, Caietanus constituitur pontifex, circiter annũ 1118. Chron. Cas. lib. 4. cap. 59. Is de pace egit cum Lotharij intimis, inuito abbate Senioreto. lib. 4. cap. 103.

PANDVLFVS TEANENSIS.

Pandulphus Casinensis monachus, simul Teanensi præfuit episcopatui, circiter annum 1122. Eum hortatus est Calixtus 2, ut Rahonem moneret restitutionis eorũ quæ Casinensibus ui abstulerat, & ni parẽret, ut excommunicationis sententiam in illum promulgaret. Chron. Cas. lib. 4. cap. 77.

SABINENSES.

CONRADVS.

Conradus Sabinensis episcopus, ab Innocentio 2 relinquitur uicarius Romæ, cũ Pisas unà cum sua factione iret. Chron. Cas. lib. 4. cap. 99.

GREGORIVS.

Eiusdem sedis episcopus Gregorius interfuit consecrationi & coronationi Alexãdri 3. Frisingensis lib. 4. cap. 55.

PISANI.

HVMBERTVS.

Humbertus archiepiscopus Pisanus, & legatus Romanæ sedis, quædam dedit, & priuilegio confirmauit Casinensi monasterio. Chron. Cas. lib. 4. cap. 99.

GVIDO.

Guido ibidem archiepiscopus, cardinalis & cancellarius Romanæ curiæ, ab Innocentio secundo missus Mediolanũ est, ut ibi schisma ab Anacleto antipapa excitatũ componeret. lib. 2. cap. 2. in uita Bernhardi. Missus etiam est à senatu populoq; Romano legatus ad Conradum 3 pro impetrãda renouatione antiquorum priuilegiorũ. Otto Frisingensis lib. 1 cap. 28 de gestis Frider.

GVALA, ROBERTVS.

Guala Reginus, & Robertus Pasiensis episcopi, suaserunt Paschali 2, ut priuilegiũ Imperatori datum uiolaret, atq; etiam excommunicaret. Chron. Cas. libro quarto, capite 44.

TERRACINENSES.

Benedictvs Terracinensis episcopus dedicauit ecclesiam S. Stephani, ac obijt circiter annum Domini 1113. Ei successor constitutus est à Paschali 2, Gregorivs monachus Casinensis, uir doctus. Chron. Casinẽse libro 4. cap. 44.

ROBERTVS AVERSANVS.

Robertus Auersanus episcopus, Casinẽsibus monachis litem mouit coram Paschali 2, de ecclesia S. Agathæ in Auersa. Cumq; multo tempore illa res extraheretur, ita ut omnes caperet tædium, sua sponte eam cõcessit monachis perpetuò possidendam, Chron. Casinense lib. 4. cap. 54.

BENEDICTVS FVNDANVS.

Benedictus episcopus Fundanus, qui Casinensis olim fuerat monachus, propter pecuniæ summam, quæ incerta erat, cum Girardo Casinensi abbate contendit. Tandem conuenerunt, ut huic episcopo monasterij S. Nicolai in Pica reditus suæ uitæ tempore cederent, quos alioquin monachi capiebant. Is etiam ecclesiam S. Honofrij à Fundanis consulibus acquisiuit cum omnibus iuribus & possessionibus, quam postea diruit, quòd latronum incursibus pateret, & in editiore loco monaste-

monasterium in honorem eiusdem sanctu li papistici construxit, atque dimidia parte mobilium bonorum ex S. Nicolai monasterio translata, sedecim ociosos uentres ibi aluit. Eodem modo in Alifano solo ecclesiam beatę Marię in Cingla diruit, & de integro nouam splendidè & magnificè extruxit. Item cum Grimaldo Aquinense terras quasdam commutauit. Chron. Cas. lib.4.cap.55.

DE GALLICANIS Episcopis & Doctoribus.

CARNOTENSES.

GAVFREDVS.

Gaufredum Carnotensem Bernhardus sibi adiũxit socium in componendo schismate, quod Anacletus antipapa excitauerat Mediolani. In uita Bernh. li. 2. cap. 2.

VILBERTVS.

Vilbertus Theologię doctor ingeniosus, disertus, honestus, eiusdem sedis antistes fuit sub annũ 1135. Coluit is deos alienos. Nam beatæ Mariæ admodum extitit deuotus.

Scripsit libellum de dicto, Nõ auferetur sceptrum de Iuda.

Contra Iudæos,	lib.1.
De natiuitate S. Mariæ,	lib.1.
Sermones uarios,	lib.1.

Et quædam alia. Bergomensis lib.12. Tritenhemius de Scriptoribus Ecclesiasticis.

IOANNES, REGINALDVS.

Iohannes Sarisburiẽsis, insignis Græcus & Latinus, ita ut utramq; linguam in Anglia pristinæ puritati restitueret, floruit circiter annum 1140, & deinceps. Is ubi celebriores scholas Gallorum, Italorum, Apulorum frequentasset, in Angliam reuertitur, ibiq; Theobaldo Cantuariensi archiepiscopo admodum charus fuit. Thomam in exilium comitatus est, cui solitus est petulantiam in regem obijcere. Tandem fit Carnotensis episcopus, anno 1176.

Catalogus librorum quos edidit, hic est:

Polycraticon,	lib.8.
Mythologicon,	lib.4.
Eutheticon, de Phylo. dogmate,	lib.1.
In Paulum ad Romanos,	lib.1.
Ad Corinthios,	lib.2.
Ad Galatas,	lib.1.
Ad Ephesios,	lib.1.
Ad Philippenses,	lib.1.
Ad Thessalonicenses,	lib.2.
Ad Timotheum,	lib.2.
Ad Titum quoq;,	lib.1.
Ad Philemonem,	lib.1.
Ad Hebræos,	lib.1.
De statu Romanæ curiæ,	lib.1.
Vitam Anselmi archiepiscopi,	lib.1.
Vitam Thomæ archiepiscopi,	lib.1.
Pœnitentiale opus,	lib.1.
Eutheticon metricum,	lib.1.
De membris conspirantibus,	lib.1.
Epistolas familiares,	lib.1.
De Mathematica duplici,	lib.1.
De Musica amoris,	lib.1.
Speculum rationis,	lib.1.
Super Speculo Nigelli,	lib.1.
De malo tyrannorum exitu,	lib.1.
Ermoneuticon,	lib.1.
Sermones elegantes,	lib.1.
Diuersi generis carmina,	lib.1.

Et alia adhuc plura. Sceleratã cleri uitã grauiter detestatus est. Romanorum pontificum in condendis nouis traditionibus licentiam magno animo reprehendit. Obijt anno 1182, cum 6 annis suo episcopatui prę fuisset. Balęus Cẽt.3.cap.1. Schedelius ætate 6. Bergomensis li.12. Eodem anno & REGINALDVS eiusdem loci episcopus obijt. Contin. Sig.

PETRVS, RAINALDVS.

Petrus abbas S. Remigij apud Remenses, succesit Reginaldo. Quo decedẽte, Rainaldus de Moucon, thesaurarius S. Martini Turonẽsis, nepos comitis Theobaldi, ad eã functionem conscendit. Idem.

PARISIENSES.

THEOBALDVS.

Theobaldus Parisiensis episcopus obijt anno 1159. Continuator Sigeberti.

PETRVS LONGOBARDVS.

Petrus Longobardus ex scholastico fit episcopus Pariensis, consentiẽte Philippo eius ecclesiæ diacono, regis Francorum fratre, secundum Sigeberti Continuatorem, anno 1160.

Nonnulla conscripsit, quæ ad posteritatem transmisit, in quorum numero sunt libri quatuor Sententiarum, pasim ex patribus collecti, quos parturijt anno 1170, iuxta Bibliandrum in Chronologia. Iohãnes de Oppido reijcit ad tempora Anastasij 4. ad annum 1154 hanc editionem. Scripsit

In totum Psalterium,	lib.1.
In omnes Epistolas Pauli,	lib.14.
Sermones uarios,	lib.1.

Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis, Vincentius lib.29.cap.1.

Papatum egregiè confirmauit. Et Thomas Cantuariensis eius opera usus est ad regem. Catal. testium ueritatis.

MAVRITIVS, ODDO.

Mauritius Parisiensis episcopus obijt anno 1196. Is quatuor abbatias fundauit, & de proprio sumptus sufficientes ociosis uẽtribus est largitus. Cui Oddo Soliacensis, frater Henrici archiepiscopi Bituricensis, succe-

succedit. Antoninus tit.17.cap.9.§.29.

THEOBALDVS.

Theobaldus Parisiensis episcopus præfuit circa annum Christi 1180. Is per epistolã consolatus fuerat Petrum Cluniacensem, propter quorundam Cluniacensiũ monachorum ex hac uita discessum.lib.5 epistola 37 Petri Cluniacensis.

SIMON THVRVAIVS.

Simon Thuruaius,patria Cornubiensis, presbyter Anglus,relicta patria Luteciã Parisiorũ cõcessit,ubi multis annis Theologorũ scholæ præfuit.Cũq; Dialecticus accuratissimus, & in artibus liberalib. peritus esset, in summa apud plerosq; fuit admiratione. Sed senex,quòd in Moysen & Christũ plurimas euomeret blasphemias,omni sciẽtia priuatur, tãtùm mugitũ humanæ locutiõis loco edẽs, pœnas & arrogantiæ insignis & blasphemiarũ luẽs.Polydorus lib.15.Mathęus Parisius lib.7 refert,ipsum iactasse,se totã scire Christi legẽ, & improbãdo posse eã annihilare: repentè ita rudem effectum, ut nec orationẽ pronũciare, nec alphabetum legere posset.Scripta quæ edidit,sunt hæc:

Summam Theologiæ,	lib.1.
Institutiones diuinæ paginæ,	lib.1.
Sententiarum quæstiones,	lib.4.
Quæstiones quasdam,	lib.1.
Alias quæstiones,	lib.1.
In Symbolum Athanasij,	lib.1.
In Boëthium de Trinitate,	lib.1.
De rerum naturis,	lib.1.
De Christiana doctrina,	lib.1.
Lecturas scholasticas,	lib.1.

Et alia quædam. Obmutuit elinguis factus,anno 1201.Balæus Cent.3.cap.41.Scriptorum Britanniæ.

ADAM.

Adã de Paruo põte,Parisiẽsis ecclesiæ canonicus & magister,coram Eugenio tertio testatus est de erroribus Giliberti,quos ex ore ipsius audiuisse retulit. Frisingensis lib.1.cap.51.de gestis Friderici.

LVGDVNENSES.

PETRVS.

PEtrus natione Burgundio , Lugdunẽsis archiepiscopus,ab Innocẽtio in Syriã missus legatus est, ut inter Antiochenũ eiusq; clerũ trãsigeret.Ierosolymis, quò deuotionis gratia excurrerat,reuersus Ptolemaidẽ, hausto ibi ueneno perijt, circa annũ 1140. Tyrius lib.15.cap.15.

HERACLIVS.

Heraclius Vesontione in uerba Imperatoris Friderici iurat, anno 1156. postquam Adila coniuge repudiata,Beatricem de genere Burgundionum rursus duceret.Auentinus lib.6.Radeuicus lib.1.cap.11.

GVICARDVS.

Guicardus abbas Põtigniaci fit Lugdunẽsis archiepiscopus,anno 1165.Vincentius li.29.cap.15.

IOHANNES BELMEYS.

Iohannes Belmeys,cum à prima ætate literas diligenter in Anglia tractasset, in Gallias & Italiam contendit studiorũ causa. Is literatorum princeps eo tempore habitus est,& trium linguarũ peritissimus.Hadriano 4 papæ familiaris extitit.In patriam reuersus, primùm Eboracensis thesaurarius, deinde episcopus Pictauiensis cõstituitur. Tandem cum archiepiscopus Narbonẽsis electus esset,& pallij redimendi causa Romã iret,Lugdunensem archiepiscopatũ nactus Galliarum primas fit,anno 1181.Scripta ab ipso edita ,hæc recensentur:

Epistolæ 32 ad Thomam Beckettũ,	lib.1.
Inuectiua in eundem,	lib.1.
Orationes elegantes,	lib.1.
Historia,ut Lelandus habet,	lib.1.

Atque multa alia. Senex in Angliam reuersus est anno 1194.Balæus Cent.3.cap.12. Scriptorum Britanniæ.

REMENSES.

GERVASIVS.

GEruasius archiepiscopatus Remẽsis inuasor,exturbatur anno 1114.Cõt.Sigeberti.

RADVLPHVS.

Radulphus,cognomento Viridis, successit Geruasio. Obijt anno 1124 Cont. Sigeb.

REGINALDVS.

Reginaldus , qui & Ramaldus à Continuatore Sigeberti dicitur, unà cum Ludouico Frãcorũ rege Atrebatũ iuit, anno 1128, ut corã illo Theodoricus Elsatiæ comes se se sisteret. Quã citationẽ cũ sperneret Elsatius , mox illi per alios episcopos aqua & igni interdixit.Chron. Flandriæ lib.4.Idem canonicis Taruanẽsibus gratificãs,apud Innocentiũ effecit,ut Milo Morinorum decerneretur episcopus, anno 1131. Ad eundẽ de condẽnatione & excõmunicatione Petri Abailardi scripsit Innocentius 2. Otto Frisingensis lib.7 cap. 21.& lib.1.cap.48 de gestis Friderici.Obijt anno 1136.

AMBERTVS.

Ambertus Remensis archiepiscopus, discipulus Giliberti Angli , nequaquam suo præceptore eruditione inferior,claruit circiter annum 1140.Platina.

SAMSON, VEL SANCTION.

Samson Carnotẽsis clericus,Remorũ episcopus,quãta potuit diligẽtia inter Balduinũ Hãnonię comitẽ,& Sibyllã Elsatij cõiugẽ pacificatiõi studuit,anno 1149.nec acqeuit,donec in sex mẽsiũ inducias utrinq; cõsensisset.Dedicauit eodẽ anno tẽplũ Hasnoniẽsis monasterij in honorẽ Petri & Pauli.

Chroni-

Chronicon Flandriæ. Ei usum pallij Eugenius Romanus pontifex interdixit, eo q. alienũ munus inuaserat, & Galliæ regẽ in Bituricẽsi ecclesia coronauerat, quod ueteri cõsuetudine ad Bituricẽsem pertinebat. Itẽ, ut quasdã oblationes atq; cereos, quos unà isthinc abstulerat, restitueret, intra dies 40. Catal. Bituricẽs. Bernhardo Clareuallẽsi admodũ familiaris fuit. Vita Bernh. lib. 4. cap. 5. Anno 1163 in uiuis esse desijt.

HENRICVS.

Henricus regis Galliæ frater, episcopus Beluacẽsis, Samsoni successit, ac præfuit ad annum Salutis 1175. Cont. Sigeberti.

GVILHELMVS.

Guilhelmus Blesensis, frater Adalæ reginæ Francorũ, & Philippi regis patruus, Senonum pontifex, successit Henrico. Is nepotẽ ex sorore Philippũ regio diademate insigniuit, anno 1179.

Philippũ Flandriæ comitẽ, grauẽ habuit aduersariũ, quòd suasisset, Elisabethæ reginæ Francorum eiectionem ex domo.

Pacificator extitit inter utrosq; Philippos, Galliæ regẽ & Flandriæ comitẽ. Transegit & inter Hanoniẽsem Balduinũ & Hẽricũ Campaniæ comitem, anno 1187. Defuncto Philippo Flandro, conatus est omnem Flandriã ad se trahere, & Ludouicũ in eius possessionem introducere, nec non se procuratorẽ Flandriæ prædicauit. Sed tandem etiam designatus est arbiter in partitione Flandriæ. Interfuit coronationi Ingelburgæ Francorum reginæ, anno 1193. Chronic. Fland. lib 6. & 7.

PETRVS.

Petrus Remẽsis clericus claruit circa annum 1150. Is inter sui temporis omnes literatos habitus est doctissimus & in diuinis & prophanis literis. Ad posteritatẽ hæc scripta transmisit:

De tota Biblia,	lib. 23.
De Grammatica,	lib. 1.

Et alia quædam. Bergomensis lib. 12.

ALBERICVS.

Albericus Remensis magister, unà cũ alijs condemnauit Petrum Abailardum Sabellianæ hæreseos. Frisingensis lib. 1. capite 47. de gestis Friderici.

HVGO VIENNENSIS.

HVgo Gratianopolitanus episcopus, admodum familiariter usus est D. Bernhardo. lib. 3. cap. 1. in uita Bernhardi.

Cultor fuit alienorũ deorũ, qđ hinc uel maximè patet, quòd ordinis Carthusiani primus inuentor extitit. Et quãuis Vincentius eũ magnificè à castitate, orationibus, ueritate, dilectione in p̄ximũ, humilitate, eleemosynis, p̄fusis lachrymis, contemplatione, tolerantia, iusticia, prudentia, temperantia cõmendat: tamen si ad uerbi diuini normã iudiciũ feceris, manifestũ erit, hæc ouillã pellem tantùm p̄ se ferre, atq; hypocritã superstitiosissimũ tegere. Gratianopoli aliquoties apud papas Honoriũ & Innocentiũ de dimissione sollicitauit. Sed q̃a ipsis uisus fuit admodũ fructuosus ad Antichristianismũ promouendũ, nequaquã consenserũt. Vincentius lib. 27. cap. 8 & 12. Tãdẽ Viennã trãslatus, archiepiscopali dignitate illustrior fuit. Eidem ecclesiæ Friderici primi tẽporib. præfuit Stephanus quidam, Burgundiæ simul cãcellarius: ut ex Radeuico lib. 3. cap. 11. & Auentino constat. Obijt anno 1132. Chronicon Hirsaug.

BVRDEGALENSES.

GAVFRIDVS.

GAufridus archiepiscopus Burdegalẽsis, uir religiosus, & uerbi Dei seminator egregius, obijt anno 1159. Continuator Sigeb.

HARDOINVS.

Hardoinus Cenomanensis decanus, fit Burdegalensis archiepiscopus anno 1161. Obijt anno 1163. Ei successit Lasconiensis episcopus. Continuator Sigeberti. Eandem cathedram Guilhelmum quendam Anglum tenuisse sub annum Salutis 1174, testatur Balæus Cent. 13. cap. 76.

TVRONENSES.

HILDEBERTVS.

HIldebertus discipulus Berengarij, uir doctus & præstãs ingenij, atq; insignis poeta, claruit sub Henrico 4. Is primùm Cenomanẽsis fuit episcopus, deinde uerò ab Honorio 2 Turonẽsis creatur archiepiscopus. Scripsit multa uersibus & soluta oratione, quæ ad posteritatem transmisit.

Super toto officio Missæ,	lib. 1. carmine.
De miseria huius uitæ,	lib. 1.
De suo exilio,	lib. 1.
De Sacramento altaris,	lib. 1.
Epistolarum ad diuersos,	lib. 1.
Hymnorum & orationum diuerso metro,	lib. 1.
Expositionẽ super toto Psalterio,	lib. 1.

Epitaphium Berengarij, quinquaginta duobus uersibus comprehensum. Et alia plura.

De urbe Romana tale composuit distichõ:

Vrbs felix, si uel dominis urbs illa careret,
Vel dominis esset turpe carere fide.

Errorẽ sui magistri nequaquã approbauit. Cũ Rotrocũ comitẽ accessisset in custodiã, eiusq; audiuisset confessionem, atq; etiam de eius testamẽto ad matrem Rotroci retulisset, postero die, qui secundus fuit festus dies in Paschate, coniectus est in carcerem, distributis equis ac uestimentis ipsius in eos qui ipsum carceri tradebant. Trithemius itemque Bergomensis

 referunt,

referunt, quòd in eã inciderit ꝓpterea cala mitatẽ, quòd defensor Ecclesiasticę liberta tis extiterit. Platina in uita Honorij, Specu lũ Vincẽtij lib. 25 cap. 8. Trit. de Scriptorib. Ecclesiasticis, Bergomensis lib. 12.

HVGO.

Hugo Turonensis archiepiscopus, præfuit circa annum Domini 1130. Is iturus ad Romanum pontificẽ Innocentiũ 2, in itinere apud monasterium, quod Charitatis dicitur, grauiter ęgrotare cœpit. Cũq; etiã de uita desperaret, ibidem monasticũ ordinis Cluniacensium accepit habitũ. Verùm pręter spem & expectationem conualuit iterum, nec ad suã sedẽ, licet hoc Turonenses per legatos uehementer flagitarent, redire uoluit, nisi de consensu papæ. Petrus Cluniacensis lib. 5. epist. 9.

Anno 1157 INGELBANDVS eiusdem ecclesiæ præsul in uiuis esse desijt, cui Gotho Anglus, S. Briocri episcopus, surrogatur: teste Sigeberti Continuatore.

IOCIVS.

Iocius Turonensis archiepiscopus, autor belli fuit inter Henricum Angliæ, & Ludouicum Franciæ reges, anno 1168. Obijt circiter annum 1175.

BARTHOLOMAEVS.

Bartholomæus decanus Turonensis ecclesię, genere nobilis & ætate iuuenis, in locũ Iocij electus est, anno 1175, à clero. Is sequẽti anno conciliũ Rhedonis habuit cum Britanniæ episcopis. Cont. Sigeberti.

SENONENSES.

HENRICVS.

HEnricus Senonensi præfuit sedi circiter annum 1130. Ad hunc extat epistola Innocentij 2. qua indicat pontifex, se Petrũ Abailardũ unà cum suis dogmatib. damnare tãquã hæreticũ. Otto Frisingẽsis lib. 1. cap. 48 de gestis Friderici Aenobarbæ.

GVIDO.

Guido Antisiodorẽsis præpositus, & archidiaconus Senonensis, fit eius loci archiepiscopus anno 1177. Coronauit in reginã Galliæ Philippi iunioris coniugẽ, anno 1181. Continuator Sigeberti.

BELVACENSES.

HEINRICVS.

HEinricus Ludouici Galliæ regis frater germanus, qui monasticum assumpserat habitum in Claraualle, creatur Beluagicæ episcopus anno 1149. Comiti Theobaldo, quem Henricus Anglorum rex in Galliam cum copijs miserat, sese obiecit, multũ damni dans flamma atq; rapina in Normannię ducatu. Cont. Sig.

ANSELMVS Beluacensis episcopus obijt anno 1163. Sched. ætate 6.

PHILIPPVS.

Philippus filius Roberti comitis, fit Beluacensis episcopus anno 1177. Cõtinuator Sigeberti. Sacram professus militiã est anno 1187. Chron. Flandriæ lib. 6.

BITVRICENSES.

VVLGRINVS.

Vulgrinus uir nobilis, doctus, facundus, magnęq; autoritatis, Bituricẽsi archiepiscopatui pręficitur anno 1121. Sectator fuit partiũ Innocentij 2 cõtra Anacletum, atq; sententiã excõmunicationis in ipsum latã approbauit, eamq; ratã haberi ab alijs suæ iurisdictioni in Aquitania subiectis, in primis uerò Burdegalensibus præcepit.

Extãt eius duæ epistolæ, quarũ una præsulibus, altera Burdegalensib. inscripta est: in quibus nugator nugacissimus plurima Scripturę testimonia perperam ad Romanam sedem detorquet.

Bona ecclesię Bituricẽsis auxit pro uirili.

Altare maius cathedralis ecclesiæ argẽto & auro plurimo ornauit.

Obijt anno 1136, sexto idus Ianuarij, cum annis 15, mensibus 8 præfuisset. Cui Albericus successit, qui non diu præfuit. Catalogus Bituricensium.

PETRVS DE CASTRA.

Petrus oriũdus ex castello Bituriæ, cui nomẽ est Castra, doctus & honestus, ab Innocentio 2 cõtra Ludouici Galliæ regis uoluntatem successor cõstitutus est & consecratus, circa annũ 1141. quæ res Gallicanas ecclesias nõ parum turbauit. Romano antichristo ita addictus fuit, ut quisquã alius: quod non obscurè testatur quibusdam literis ad ipsum perscriptis Eugenius pontifex, uocans ipsum specialẽ filiũ Romanę ecclesiæ. Quam ob causam non tantùm largè in ipsum distribuit huius mundi opes, & quæ habuit nouo priuilegio confirmauit: sed nouis honorib. insuper auxit, usum uexilli crucis Dominicæ permittens, ut ipsi præferretur: quo tamẽ antecessores etiam usos fuisse constat.

Sacros, ut uocãt, ordines Romę suscepit.

Arces episcopales ꝓprio sumptu renouauit & ampliauit. Et quia moris fuerat ad ipsius usq; tẽpora regijs ministris, ad se bona defuncti archiepiscopi rapere, magno ęre à Ludouico Gallorũ rege redemit, ne tale quid in posterum accideret.

Reditus annuos maiorem etiam in modum auxit.

Conciones ad populum habuit, uitia in quibuslibet carpens, & ad uirtutes cõmonefaciens.

Pręfuit annis 30, diebus 20. obijt anno Domini 1171. calend. Maij. Sepultus est in choro cathedralis ecclesię Bituricensis sub lamina,

lamina, cui inscriptum hoc est epitaphium:

Clauditur hic primas, stans nomine menteq; Petrus,
Quem laudis fama, facta latêre negant.
Maior honore suo, fortuna fortis in omni
Pertulit intrepidus damna, pericla, minas.
Oppida, templa, domus, quorum structura superbit,
Autorem facient inueterata nouum.
Redituum duplicans numerum, uia iuris, asylum
Pauperis, exemplar relligionis erat.
Vltima primati Maij lux prima, prioris
Vitæ meta fuit, principiumq; nouæ.

GVARINVS.

Guarinus abbas Pontiniacensis, ordinis Cistercięsis, successit Petro. Is cōstituit, ut in cathedrali ecclesia certus esset præbendarũ numerus, idq; anno 1174. ac ut canonici ecclesiæ S. Mariæ medij monasterij nō cogerētur unà cibum capere, quod ad eius usq; tēpora in more fuerat, ut scilicet instar monachorũ cōmuni uterentur mēsa. Visitauit Burdegalensem prouinciã, tanquã eius primas, ubi omnem exercuit iurisdictionē. Obijt anno 1177. ubi annis 6, & mensibus tribus præfuisset, 16 calendas Aprilis. Catalogus Bituricensium.

HVBERTVS.

Hubertus archidiaconus Bituricensis, Guarino subrogatus est. Verùm antequam rancidum sanctæ unctionis oleum acciperet, collectus est ad suum populum. Catalogus Bituricensium.

HENRICVS.

Henricus de Folerio eligitur in archiepiscopum Bituricensem, anno 1180. Continuator Sigeberti.

AMBIANENSES.

GVARINVS.

GVarinus Ambianēsis uixit circa annum 1140. Petrus Cluniacensis lib. 5. epist. 13.

ROBERTVS.

Robertus ibidē episcopus leuationē corporis S. Maximi iuuit anno 1165, Taruannę. Chron. Fland. lib. 5.

THEOBALDVS.

Theobaldus Ambianorũ episcopus, coronatione Ingelburgę reginę Gallię interfuit Parisijs, anno 1193. Chron. Flan. lib. 7.

BRICIVS, ROBERTVS, *Nannetenses.*

BRicius Nannetensis episcopus Bernhardi amicus fuit, ut in uita eius scribitur. Robertus ubi Ierosolyma redijsset, obijt anno 1185. Continuator Sigeberti.

SVB LOTHARIO.

GIRARDVS ENGOLIS*mensis.*

GIrardus episcopus Engolismēsis, partes Petri Leonis in tota Burdegalensi prouincia strenuè tutatus est atq; promouit. Nam ijs qui eius partes non sequebantur, apud comitē creauit exilia, ꝓscriptiones, & id genus alia. Fuerat antea legatus Romanę curiæ, sed ea dignitate exutus est. lib. 2. cap. 6. in uita Bernhardi. Postea assentiēte comite Aquitaniæ, Burdegalensem archiepiscopatũ inuasit, duosq; simul episcopatus tenuit. ibidem.

Grauiter Guilhelmũ Pictauorũ comitē adulterũ obiurgauit, & tandē excōmunicauit, à quo nihil præterquã ludibriũ reportauit. Malmesburiensis lib. 5. cap. 50.

Ad extremũ miserabiliter domi suæ extinctus est. Sepultus in basilica quadam à Gaufredo Carnotensi, apostaticæ sedis legato, rursus inde extractus est, & aliò proiectus. Ibidem.

RANVLPHVS LEMO*uicensis.*

RAnulphus abbas Doratēsis, Lemouicēsi ecclesię ꝑ uim obtruditur, remoto antecessore, à Girardo Engolismēsi & Gilone Tusculano. Non multo pòst resupinus equo decidens, exhalauit animam. lib. 2. cap. 6. in uita Bernhardi.

GODEFRIDVS LINGO*nensis.*

GOdefridus episcopus Lingonēsis, propinquitate sanguinis iunctus Bernhardo, indiuiduus illius comes fuisse fertur. lib. 1. cap. 9. & lib. 2. cap. 5. in uita Bernhardi.

CATHALAVNENSES.

GAVFREDVS.

GAufredi Cathalaunēsis episcopi Petrus Cluniacēsis epist. 42 libri quarti meminit.

GVILHELMVS.

Guilhelmus de Cāpellis, eius ecclesiæ ꝑses, summus amicus Bernhardi fuit. Sæpe inuicē soliti sunt sese uisitare. Eius exēplo & autoritate in Remēsi ꝓuincia & tota Gallia opinio sanctitatis Bernhardi creuit. Quē cũ ille aliquãdo grauissimè ęgrotantē uisitaret, suasit ei, ut aliquã sui corporis curã haberet: sed nihil egit. Ideoq; ad capitulũ Cisterciēse ꝓfectus, corã paucis quibusdã abbatib. humi ꝓstratus petijt, ut unico anno sibi in obedientiã traderetur. Fit petitionis cōpos: ædificat extra terminos monasterij domũculã, & ordinat quantũ cibi & potus aliarũq; rerũ necessariarũ accipere debeat. Addit pręterea ꝓcuratorē, ne de quaquã re solicitũ esse, necesse foret. lib. 1. cap. 7. in uita Bernhardi. Eius ope, auxilio & petitione in episcopatu Cathalaunēsi extructũ est monasteriũ, qđ Triũ dicitur fontiũ. Ibidē cap. 14. Scripsit epistolã ad Innocentiũ 2, pro cōdemnatione Petri Abelardi. Frising. lib. 1. cap. 48. de rebus gestis Friderici.

HVGO, ALANVS, ALTI*siodorenses.*

HVgo Matisconensis dominus ex Pontiniacensi

niacẽsi cœnobio,quod ędificauerat,raptus, Altisiodorẽsi ecclesiæ præficitur,circiter annũ 1122. Postea à Bernhardo persuadetur, ut monachũ indueret. lib. 1. Vitæ Bernhardi. Obijt anno 1137,cũ primùm adsistẽtes ad canẽdas laudes & cõpletoriũ fuisset adhortatus,quib.peractis, ꝓtinus expirauit. Chrõ. Hirsaug. Vincentius lib.27.cap.127 annum mortis numerat 1150. Continuator Sigeberti sequentem ponit. Cui Alanus abbas Riparorum succesit.Vincentius.

LAVDVNENSES.

VVALDRICVS.

VValdricus Laudunẽsis episcopus anno 1112 pręfuit.Is die Cœnæ Domini,cum periuros à cõmunione Sacramenti arcere niteretur,gladio cõfossus occubuit:neq; ea cęde satiata turba seditiosa, domum episcopalem igne concremauit.Sigebertus.

HELINANDVS.

Helinandus Laudunensis episcopus claruit anno 1127.Schedelius ætate 6.

HVGO.

Helinando Hugo Aurelianensis diaconus substituitur. Is tantùm præest mensibus 7. & colligitur ad maiores suos. Sigebertus.

BARTOLOMAEVS.

Hugoni succedit Bartolomæus. Is Laudunensem ecclesiam redactã in cineres breui restituit in integrũ,& cõsecrauit,regnũq; antichristi Romani longè lateq; ꝓpagauit. Noberto, qui primus Præmonstratensium examen parturiuit, in Laudunensi diœcesi loca ostendit,iussu Calixti 2 ,ubi sedem figeret.Drogonem primum abbatem ordinauit,& præfecit cœnobitis in monasterio S.Iohannis,expulsis monialibus,quas malè infames uocat Sigebertus.Credibile est, strenuè fuisse scortatas in tanto ocio.

Officio suspenditur ab Iuone legato põtificio,propter diuortiũ inter Radulphum Viromandorum eiusq; coniugẽ factũ,anno 1142.Tandem fit monachus Fusinaci,anno ætatis suæ 38.Continuator Sigeberti.

VVALTERVS.

Vualterus monachus Præmonstratensis ordinis,Laudunẽsis episcopus creatur anno 1151.multorum fundator monasteriorũ. Obijt anno 1154. Sepultus est Præmonstrati.Vincentius lib.29.cap.2.

GALTERVS.

Galterus succesit, qui eius ecclesiæ decanus fuerat.Vincẽtius. Eum Thomas de Marla è templo abreptũ, primùm excæcauit,deinde interfectum,uestibusq; exutum in agrũ proijci iusit. Robertus Gaguinus lib.6.de gestis Francorum.

ROGERIVS.

Rogerius Laudunensis episcopus, anno 1180 in nuptijs Philippi Francorum regis Missam celebrauit. Chron.Fland.lib.6.

ANSELMVS.

Anselmus scholasticus Lauduni, uir doctus & honestus, claruit circa annum 1110. Scripta quæ edidit, sunt hæc:

Glosa marginalis & interliniaris in utriusq; Testamenti libros, ex Patrũ scriptis collecta.

Commentarius in Psalterium. Tritenhemius de Scriptoribus Ecclesiasticis. Obijt anno 1117.Continuator Sigeberti. Eius frater germanus RADVLPHVS præceptor fuit Giliberti Pictauiensis episcopi.Frisingensis lib.1.cap. 50 de gestis Friderici.

PICTAVENSES.

SVB HENRICO V.

PETRVS.

PEtrus Pictauorum episcopus Guilhelmum comitem ob repudiũ propriæ uxoris,& raptum alterius cuiusdam uicecomitis excommunicat. Quæ res malè habens comitem, una manu antistitis comam inuolat,altera uerò gladium uibrat, mortem interminans,nisi ipsum absoluat.Verùm nihilominus præsenti animo pergit, atq; sacris omnibus interdicit, colloque porrecto, ut feriat iubet. Comes uerò, cuius ira iam paululum deferbuerat,agit mitius, & non multo pòst episcopum in exilium pellit,in quo mortuus est, atque post mortem miracula operari fertur. Malmesburiensis libro quinto, capite 50 de gestis Anglorũ. De cuius uita & morte hi sunt compositi uersiculi:

Corpus,opes,studium,mores,cibus,asper,egenus,
Lectio probra domat,carpit,alit,fugiunt.
Virtutes,culpas,fructum,colit,amputat,auget:
Ius,litem,pacem,protegit,odit,amat.
Fert misero,tribuitq; precanti,seruat amico,
Auxilium,ueniam,continuamq; fidem.
Mente Maria uacat,sed in actu Martha laborat,
Est intenta gregi Martha,Maria Deo.
Sic apud hunc regnat Deus intrà,proximus extrà,
Hic desiderio,proximus obsequio.
Diligit ille Rachel,nec Lyam ferre recusat,
Vxoremq; nouus duxit utramq; Iacob.
Huius amat uultum,iuuat huius carpere fructum,
Cum sit pulchra Rachel,fertiliorq; Lya.

De morte eius.

Exutus rebus,ui tentus,pulsus ab urbe,
Præsul pauperiem,uincla fugamq; tulit.
Nunc diues,liber,stabilis,sua præmia portans,
Astra capit,sequitur,posidet ipse Petrus.
Vitam religio,mentem discretio,famam
Lux operum,studium lectio,uerba modum,
Iudicium ius,iustitiam rigor,ara uetustas,
Ornabat pietas uiscera,uirga manum.
Promouit,priuauit eum,profugumq; recepit,
Papa,comes,Christus,ordine,sede,polo.

GVILHELMVS.

Guilhelmus Pictauēsis episcopus, quia Innocentij secundi partes deserere noluit, eijcitur à Girardo Engolismensi & Gilone Tusculano cardinale. libro 2. capite 6. in uita Bernhardi. Et substitutus est ab illis alius, homo nobilis: cuius tamē nomen nō exprimit auctor.

SVB CONRADO ET *Friderico.*

GILBERTVS.

GIlbertus cognomēto Porreta, natione Gallus, ex scholastico Parisiensi episcopus fit Pictauij, circiter annum 1140. Vir literatus fuit, & in Sacris literis & philosophia bene doctus. Præceptoribus usus est Hilario Pictauiensi & Radulpho Laudunensi. Inter cætera docuit, teste Frisingensi libro primo, cap. 5 de gestis Friderici, quòd meritum humanum nihil mereretur, præterquam Christi. Eum sanctus Bernhardus in quibusdam de hæresi accusauit, & Remis in concilio ab Eugenio ad reuocationem compulsus est. Libros quos edidit, hi recensentur:

In totum Psalterium, lib. 1.
In omnes Pauli Epistolas, lib. 14.
In Euangelium Iohannis, lib. 1.
In Boetium de Trinitate, lib. 1.
Libros quæstionum, in quibus tractauit philosophica.
Sermones plures, lib. 1.

Et quędā alia. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, & de Scriptoribus Ecclesiasticis. Bergomensis lib. 12.

ARNOLDVS ET *Calo.*

Arnoldus & Calo archidiaconi Pictauēses Gilberto suo episcopo cōtradixerunt, insimulantes ipsum quasi contra orthodoxam fidem de sancta Trinitate aliquid docuisset. Res eò tandem deuenit, ut utrique causæ cognitionem ad papam Eugenium reijcerent. In itinere hi duo Bernhardū adeunt, illumq; in suas partes contra episcopum inclinant. Otto Phrising. lib. 1. cap. 46 de gestis Friderici.

GODOFRIDVS *Auinionensis.*
SYLVIVS *Arelatensis.*
ODO *Valentianus.*

Hi sub annum Salutis 1156 Vesontione fidelitatem Friderico Imperatori iurarunt. Radeuicus lib. 3. cap. 11. Auent. lib. 6.

HENRICVS TVL- *lensis.*

HEnricus Tullensis Leucorum episcopus, circiter annum humanæ Salutis 1147 præfuit. Interfuit expeditioni Asiaticæ. Frising. libro primo, capite 44. de rebus gestis Frid. Auent. libro 6.

VERDVNENSES.

HENRICVS.

HEnricus Verdunēsis episcopus loco mouetur à Matthæo Albanensi, legato pontificio, anno 1129. Appendix Mariani.

HERMANNVS.

Hermannus ibidem episcopus in expeditione Italica simul fuit, ibiq; peste correptus, circiter annū Domini 1167 occubuit. Auentinus lib. 6.

SYLVANECTENSES.

PETRVS.

PEtrus episcopus Syluanectēsis, per Iuonē legatū pontificium officio suspenditur, quòd diuortij inter Radulphū comitē Viromandorum eiusq; cōiugem unà cū alijs autor fuisset. Continuator Sig.

AMALRICVS.

Amalricus abbas Caroli loci, & postea Syluanectensis episcopus, obijt anno 1167. Vincentius lib. 29. cap. 16.

HENRICVS.

Henricus Syluanectēsis episcopus, solus impbauit in Philippo rege desertionē Elizabethę cōiugis, anno 1184. Chrō. Flan. li. 6.

HONORIVS AVGVSTV- *dunensis.*

HOnorius Augustudunēsis ecclesię presbyter & scholasticus, in sacris & prophanis literis insigniter doctus, claruit circa annū Domini 1120. Scripta ad posteritatem transmisit:

Elucidarium, lib. 3.
Sigillum sanctæ Mariæ, lib. 1.
Speculū Ecclesiæ siue Sermonum, lib. 1.
Summam historiarum, lib. 1.
Gemmā animæ de diuinis officijs, lib. 6.
De imagine mundi, lib. 2.
In Cantica canticorum, lib. 1.
De luminaribus Ecclesiæ, lib. 1.
De corpore Domini, lib. 1.
De Deo & uita æterna, lib. 1.
Scalā cœli de gradibus uisionum, lib. 1.
In toto Psalterio, lib. 1.
De papa & Imperatore, lib. 1.
Refectionē mensium de festis, lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Alia insup multa edidit. Tritemius de Scriptoribus Ecclesiasticis. Hedio parte 3 Chron. Ecclesiast. refert fuisse episcopum.

HVGO CONVENTRI- *ensis.*

HVgo Nouaneus, genere Normannus, episcopus Cōuentriēsis, Cestriēsis & Lychefeldēsis, uir magni ingenij & multæ doctrinæ fuit. Is anno 1191 monachos ex Cōuentriēsi collegio, q. scelerate & libidinosè multa agerent, & ab episcopo reformari nollēt, sed ad sanguinis usq; effusionē in summo tēplo ante altare magnū sauciarent etiam, eiecit, substi-

substitutis presbyteris. Scripsit de electione Longyhamphij

Historiam mirabilem, lib. 1.

Ad Ricardum Londinensem epist. 1. Et alia multa. Obijt tãdem apud Bercheluuinum in Normãnia, anno Christi 1198, 6 calend. Aprilis, & in monachorum cœnobio non monachus sepultus. Balæus Centuria tertia, cap. 31.

HAMO LEONENSIS.

HAmo Leonensis episcopus occisus est anno 1172. consilio fratris Guihomari uicecomitis Leonensis, & Guihomari nepotis sui. Continuator Sigeberti.

Successit eiusdem ecclesiæ archidiaconus simoniacè, cuius nomen non additur. Et quia mors Iocij Turonẽsis archiepiscopi in idem tempus incidit, non est consecratus.

ANDEGAVENSES.

GAVFRIDVS Andegauensis episcopus obijt anno 1178. Cont. Sigeberti.

RADVLPHVS frater uicecomitis de Bellemonte, cognatus Henrici Anglorum regis, successit anno 1179. Cont. Sig.

PETRVS THARASInensis.

PEtrus Tharasinensis episcopus claruit anno 1148, quem Vincentius multa miracula edidisse refert, quæ rectius efficaces sathanæ illusiones dicuntur, sicut illud quod recenset de liberatis captiuis ex carcere, inuocantibus hunc Petrum. libro 27. capite 124.

SIVARDVS BLASENSIS.

SIuardus Blasensis episcopus, à sua ecclesia eiectus uenit Moguntiam, anno 1138. & ne planè ibi ociari uideretur, aliquot altaria dedicauit, permissu Moguntinensis ecclesiæ. Appendix Mariani Scoti.

RVPERTVS BVCOniensis.

RVpertus Buconiensis episcopus, doctus & in sacris & prophanis literis, itemque astronomus insignis, claruit anno 1158. Scripsit

Summam Theologiæ, lib. 1.
Super libris Dionysij, lib. 4.
De computo Ecclesiastico, lib. 1.
Calendarium pulchrum, lib. 1.

Et alia. Bergomensis lib. 12.

IVLIANVS LEGEriensis.

IVlianus Legeriensi sedi præfuit circa annum 1130. Apud eum Ludouicus Grossus Francorum rex Innocentium secundũ honorificè excepit. Robertus Gaguinus lib. 6. de Francis.

TRECENSES.

ATO.

ATonem Trecensium episcopum plurimis incusat Petrus Cluniacensis, quòd ab amicitia discesserat. lib. 3. epistola 5. Quamuis duabus sequentibus rursus ipsi blanditur, cum præsertim intellexisset, suam de mutato amore suspicionem fuisse falsám. Extat eius epistola scripta ad Petrum Cluniacensem inter istius Petri, libro quarto, epistola 35.

SVB FRIDERICO.

PETRVS COMESTOR.

PEtrus presbyter ecclesiæ Trecensis, cognomento Comestor, sic dictus, ut Tritemius autumat, quòd Scripturæ autoritatem in suis scriptis & concionibus tam crebrò allegarit, quasi eas in uentrem memorię manducarit. Schedelius ætate 6. refert, ipsum Petri Longobardi & Gratiani monachi fratrem esse, ex adulterio natum.

Literatus fuit, & prosa atq; carmine nõnulla scripsit: nempe,

Historiam scholasticam, lib. 20.
De laudibus S. Mariæ, lib. 1.
Sermones de tempore, lib. 1.
Sermones de Sanctis, lib. 1.

Et nonnulla alia. Trithemius. In Vincentio lib. 29. cap. 1. eius uersus in laudem B. Mariæ scripti extant.

In papisticos clericos inuehitur in quodam sermone, quòd Scripturam sacrã negligenter tractent, insumant ecclesiæ bona, quæ pauperibus debebantur. Item crapulæ, deliciarum & ingurgitationis causa insectatur. Vocat falsos fratres, minitans seuerissimam Dei iram. Catalogus testium ueritatis.

GVILHELMVS EBREdunensis.

GVilhelmum Ebredunensem archiepiscopũ ob denegatum colloquium Petrus Cluniacensis reprehendit, & petit ut se inuisat, eaq; quę antè neglecta sunt, resarciat: lib. 3. epist. 12.

GVILHELMVS AVRASIcensis.

GVilhelmus Aurasicensis episcopus, initio suæ gubernationis monachos de Podioleno insectatus est: quam ob causam à Petro Cluniacensi reprehenditur, & nisi eius rei finem statuat, ad dijudicationẽ Romani pontificis se causam reiecturũ minatur: lib. 4. epist. 31.

METENSES.

DIBOGERVS.

HVius obitum ad annũ Christi 1120 refert Mariani Scoti appendix.

STEPHANVS.

Stephanus Metensis episcopus Ludouicum

cum Galliæ regem comitatus est in Asiatica expeditione. Frising. libro 1. cap. 44. Huius in uita Bernhardi libro 4, capite 5 fit mentio, quòd eum extra ciuitatem deuotus deduxerit.

BERTHOLDVS.

Bertholdus olim Bremensis fuerat electus antistes, sed à papa eiectus est. Ideoque ad Imperatorem Fridericum sese conferés, eius auxilio Metensi ecclesiæ præficitur. Eius beneficij immemor, se Coloniensi Philippo, Conrado Moguntino, Volmaro Treuirensi alijsq; episcopis coniunxit aduersus Imperatoré, eo quòd omnium pontificum bona mobilia post mortem ab Imperatore confiscarentur. Eam ob causam loco pulsus est, & Coloniá uenit, ubi de præbenda quæ ad Apostolos dicitur, se sustentauit, circiter annum 1186. Crantz. in Saxonia lib. 6. ca. 50.

FLANDRIAE EPIscopi & Doctores.

MORINORVM,

IOHANNES.

Morinorum sede Iohannes archidiaconus Atrebatensis potitur, anno 1099, cum quidam Erchébaldus à clero electus esset, sed metuens populi seditionem oblatum munus non acciperet, & alius etiá Obertus Helchinensis. Verùm is, quem diximus, Iohannes, pro ipso intercedentibus Clementia comitissa & Lantberto abbaté Bertinico apud pontificem, confirmationé obtinuit. Morinorúq; episcopus cõstitutus est. Sacerdotes ambitiosos & auaros simoniæ aliorumq; uitiorũ causa ex Hypréſi oppido expulit, alio quodá Gerardo eo in loco præfecto, anno 1101. Chron. Fland. lib. 4. Monasterium à Ligerio anachorita extructum in honoré beatæ Virginis, dedicauit, quod Dunense uocatur. Eiusq; ope monasteria aliquot inchoata sunt. Ibidem.

Humfridi episcopi mortui corpus leuauit de tumba, anno 1108.

Blandinij reformationem adiuuit, anno 1117.

Ecclesię D Vuinnoci libertatem quandá concesſit, anno 1126.

Obijt anno 1130, cum annis 32 fermè pręfuisset. Qui suis Morinis charus extitit, religiosus & doctus, atq; literatorum etiá amator. Chron. Fland. lib. 4 & 5.

MILO.

Defuncto Iohanne, de successore toto anno nõ conuenit, quo tépore interea illa sedes uacauit, alijs Balduinũ Theodorici principis fratré, alijs Milonem, S. Iodoci abbaté ad Aquas fluentes. denominantibus, qui tádé etiam ab Innocentio 2 papa in isto munere confirmatus est, anno 1131, canonicis Taruanensibus per Remensem episcopum hoc perficientibus. Consecratioñé accepit 15 caléd. Martias. Inter ipsum & principem Theodoricũ conuenisse memoriæ proditũ est, ut ex Flandris qui cis Fossam nouam incolunt, nemo ad episcopi tribunal Taruannam uocaretur, si modò decanorum suorũ decretis stare uellet. Chron Fland. lib. 3.

Apud Innocentium papá effecit, ut abbates Bertinicę domus ab ipso Romano põtifice perpetuò inuestirétur, anno 1137. Ibidé.

Monachorum superbiam, Cluniacésium præcipuè, detestatus est: quam ob causam mordaces ad ipsum literas misit Petrus Cluniacensis, lib. 5. epist. 7.

Conuentui Hypréſi interfuit anno 1138, cum Theodoricus princeps pacem Flandricam innouaret cõfirmaretq;, atq; unà cum socijs episcopis, Simone Nouiomagensi & Aluisio Atrebatensi, addidit execrationis fulmen, ut qui hanc pacem nõ seruaret, anathema haberetur.

Corpus D. Vuinnoci in cœnobio Bergésí translatum ab illo est, anno 1128.

Dirasmuense templũ ipse dedicauit, anno 1143. 11 calend. Augusti. Hasnoniensis templi dedicationi interfuit, anno 1149. Obijt anno 1159. Chron. Fland.

MILO II.

Defuncto Milone, graue de surrogando successore oritur schisma, ita quidé ut Bononienses se Morinorũ subiectioni subducere conarentur. Tandé tamen eiusdé nominis archidiaconus & canonicus regularis denominatus successor est. Is statim Romá iuit, ubi consecrationé accepit ab Alexandro 3 Anagniæ, pridie nonas Ianuarij, anno 1160.

Leuauit corpus S. Maximi Taruannę, anno 1165.

Thomá Cáthuariésé, ab Hérico Anglorũ rege eiectũ, deduxit ex Morinis in Suessiones, anno 1165. Obijt anno 1169. Chrõ. Flád.

DESIDERIVS.

Desiderius Tornacésium archidiaconus successor eligitur anno 1170. Is corp. D. Vuinnoci in Bergensi monasterio tráſtulit, anno 1181. Abdicauit se isti muneri anno 1191, iam senex & decrepitus. Chronicon Flandriæ.

LANTBERTVS.

Lantbertus Brugensis, Remorum cancellarius, succesſit Desiderio. Adfuit Parisijs coronationi Ingelburgæ, anno 1193. Ibidé.

PHILIPPVS ET MILO.

Philippus & Milo Morinorum archidiaconi, testes & subsignatores sunt adhibiti in transactioné de nunquam reficienda arce Taruanensi, anno 1142. Chron. Fland.

CAMERACENSES.

LIETARDVS.

Lietardus Cameracensis episcopus creat

Gerenbertum Boënensis monasterij abbatem, anno 1100. Chron. Fland. lib. 4.

O D O.

Odo eiusdem ecclesię episcopus dedicauit Aldenardi nouum templum, in nouo Burgo constructum, anno 1110.

G E R H A R D V S.

Gerhardus cardinalis & Cameracensis episcopus, legatus Romam mittitur, anno 1125, pro confirmando Lothario in regẽ Romanorum. Appendix Mariani Scoti.

B V R C H A R D V S, H E R-*mannus, Liethardus.*

Burchardus Cameracẽsis episcopus obijt anno 1127.

Cui Hermannus successit, & prefuit triẽniũ, atq; rursus excutitur. Liethardus quoq; Hermanno substitutus, post annos quatuor repudiatur. Continuator Sigeberti.

N I C O L A V S.

Nicolaus Liethardi successor dedicationi cuiusdam Hasnoniensis templi interfuit, anno 1149. In uiuis autem esse desijt anno 1167. Chron. Fland. lib. 5.

P E T R V S.

Petrus principis Theodorici filius, patris & fratris Philippi intercessione succedit anno eodem. Verùm postea, interfecto fratre Matthæo anno 1174, qui nullos post se hæredes reliquerat, & Philippus alter fratrum ex uxore sterili nullos speraret, inde retractus est, & equestri donatus dignitate. Paulo pòst duxit comitem Niuernensem in matrimonium, ex qua ubi filiam suscepisset, diem clausit extremum, sublatus ueneno, anno 1177. Chron. Fland. lib. 6.

R O B E R T V S.

Robertus Ariensis antistes, Flandriæ cãcellarius, ambitiosus & simoniacus, Philippo tamen comiti charus, in locum Petri eligitur. Is cum tãdem post diutinam moram ad illam sedem iret, obiurgatus à Petro Blesensi, quòd moram traheret, á Iacobo Auiniensi equite, quo cum grauẽ alebat simultatem, interceptus, & crudeliter interfectus est, 4. nõ. Octob. anno 1174. Chrõ. Flan. li. 6.

I O H A N N E S.

Iohannes Cameracenses episcopus Philippo comiti tutelam istius episcopatus obtulit, & propterea singulis annis certum frumenti numerũ dependit, anno 1189. Chron. Fland. li 6. Extincto Philippo, Balduinum successorẽ iuramento sibi obstrinxit, quantum ad castellum Cameracense attinet. Coronationi Ingelburgæ Francorum reginæ interfuit, anno 1193. Ibidem.

NOVIOMAGENSES.

L A N T B E R T V S.

LAntbertus Nouiomagensis episcopus, cum Arnulphi cuiusdam sanctuli corpus leuauisset Aldẽburgi, anno 1121, calend. Maij, paulo pòst moritur. Chron. Fland. lib. 4.

S I M O N.

Simon Hugonis Magni Veromanduorũ comitis filius, in successorem eligitur anno 1121. Is Brugis tẽplum D. Donatiani, quod propter cædem Caroli principis ut prophanũ habebatur, rursus dedicauit, anno 1127. Fũdauit & monasteriũ Vrsicampi, ad quod uocauit monachos ex Claraualle, anno 1129. Iuuit dedicationem templi Bergensis cœnobij, anno 1132. Comitijs Flandrẽsibus interfuit, anno 1138. ubi innouata & confirmata est pacis formula. Chronicon Fland. libro 5.

Suspenditur tandem officio, anno 1142, ab Iuone Romani põtificis legato, propter diuortium inter Radulphum Viromanduorum comitem eiusq; coniugem. Anno sexto pòst ad Seleuciam diem claudit extremum. Sigeb. Continuator.

B A L D V I N V S.

Balduinus Boniensis abbas Castellionis Simoni successit, anno 1148, iuxta Continuatorem Sigeberti. Is leuationi corporis sancti Maximi interfuit Taruannæ, anno 1160. Chron. Fland. lib. 6.

S T E P H A N V S.

Stephanus Nouiomagensis pontifex, Ingelbertam Dalmatarum regis sororẽ matrimonio iunxit Philippo Francorum regi. Robertus Gaguinus lib. 6 de Francis.

SVESSIONENSES.

L I S I A R D V S.

LIsiardus Suessionum episcopus iuuit ossium Arnulphi leuationem Aldenburgi, anno 1121. Chron. Fland. lib. 4. Obijt anno 1127. Continuator Sigeberti.

I O S C E L I N V S, S I-*ue Goslenus.*

Ioscelinus eodem anno succedit, quem Continuator Sigeberti uirum magni consilij uocat. Is unà cum D. Bernhardo inter Remensem archiepiscopum & eius subditos transegit. li. 1. cap. 14. in uita Bernhardi. Eodem socio comitatus, schisma à Girardo Engolismensi excitatum sedauit. Lib. 2. cap. 6. ibidem. Ad Innocentium a unà cum alijs episcopis conscripsit epistolam pro cõdemnatione Petri Abailardi. Frisingensis li. 1. ca. 48 de gestis Friderici. Templi Hasnoniensis monasterij dedicationem iuuit, anno 1149. Chron. Fland. lib. 5. Obijt anno 1151. Continuator Sigeberti.

G V I L H E L M V S.

Guilhelmus Suessionẽsis archidiaconus, Bituricensis archiepiscopi Guilelrini studiorum iuuentutis extitit informator.

TORNA-

TORNACENSES.

SIMON.

SImon Tornacensis episcopus, pro recuperandis duodecim altaribus omnem mouit lapidem, anno 1127. sed laterem lauit, quòd mortuo Normanno proceres, qui illa obtinebant, nihil de sua in illis possessione decedere uolebant. Reliquias martyris Piati leuauit de tumba apud Sicliniũ, anno 1143. Chron. Fland.

ANSELMVS.

Anselmus abbas D. Vincentij Laudunensis post separationem ab ecclesia Nouiomagensi, Tornaci fit episcopus anno 1146. Chron. Fland. lib. 5. Huius auditor aliquãdiu fuit Petrus Abailardus: sed cum non eas, quas concupiebat, ex illo subtilitates addisceret, statim deseruit iterum. Frisingẽsis lib. 1. capite 47 de gestis Friderici. Conscripsit glossam marginalem in Psalterium, & alia nonnulla. Obijt anno 1148. Vincent. libro 26. capite 27. Dedicauit cryptam Gandensis cœnobij, anno 1148. Chronicon Fland. lib. 5.

GERALDVS.

Geraldus Tornacẽsium episcopus, dedicationi Hasnoniensis templi interfuit, anno 1149. Leuauit corpus D. Gutagoni regis Scotorum apud Ostkerck, anno 1159. Chrõ. Fland. lib. 5.

ROBERTVS.

Robertus filius fabri cuiusdam rustici Carnotensis, præpositus de Area, duobus præfuit episcopatibus, Atrebatensi & Tornacensi, anno 1172, ad tantos euectus honores à diabolo, quem admodum habuisse familiarem fertur. Vincentius lib. 29. cap. 21.

EVERHARDVS.

Euerhardus monasterium ordinis Cistercienſium in agro Brugensi extruxit, anno 1175. quem locum emerat à Laurentio abbate cœnobij D. Richarij in Pontino. Obijt anno 1190. Chronicon Flandriæ lib. 6.

STEPHANVS.

Stephanus Euerhardo successit. Coronationi Ingelburgæ interfuit Parisijs, anno 1193. Dedicauit templum curiale in cœmiterio D. Bauonis, anno 1195. Ibidem.

ATREBATENSES.

LAMBERTVS, ROBERTVS.

LAmbertus Atrebatensis episcopus obijt anno 1115. Successorẽ habuit Robertũ, qui anno 1130 rebus humanis excessit. Continuator Sigeberti.

ALVISIVS.

Aluisius abbas Roberto succedit. Is honestus, doctus, facundus, liberalis, prudens fuisse scribitur. Continuator Sigeberti.

Templi Bergensis cœnobij dedicationem iuuit, anno 1132. Hyprensi conuentui interfuit.

Dedicauit templum B. Mariæ Visconiensis, anno 1139.

Corpus D. Rictrudis rogatu Hyprensium ex Marchianẽsi cœnobio Reningam in Furnensem agrum detulit, & in ferijs Pentecostes populo ostendit.

Interfuit expeditioni Syriacæ, in qua obijt anno 1148. Continuator Sigeb. Chron. Fland. lib. 5.

GODESCHALCVS, *Frumaldus.*

Godeschalcus abbas de monte S. Martini, Aluisio successit anno 1157. obijt uerò 1170.

Cui Frumaldus successit. Chron. Flandriæ lib. 6.

PETRVS.

Petrus Atrebatensis episcopus arbitrum egit anno 1191 in partienda Flandria, & coronationem Ingelburgæ iuuit.

FRVMOLDVS *Furnensis.*

FRumoldus ecclesiæ Furnensis antistes, prçfuit anno 1126. Is ubi uidit, Rogeriũ quẽdam adolescentem, omnibus mẽbris contractũ, ex contactu Caroli principis mortui cadaueris cõualescere, protinus gaudio perfusus cãpanas pulsari curauit, ut qui certũ nunc nactus esset sanctulum, edentẽ etiam post mortem miracula. Chron. Fland. lib. 4.

ODGERVS & BERNOLDVS, Theodorici principis sacerdotes, testes adhibiti sunt ad actionem illam, qua pactum est, ne arx Taruãnæ restitueretur in integrum, anno 1142. Chronicon Flandriæ.

HISPANIAE.

PETRVS COMPOSTELLANVS.

PEtrus archiepiscopus Compostellanus fuit circiter annũ Domini 1120, ad qđ dignitatis fastigiũ à Calixto 2 exaltatus est.

Coluit deos alienos. Nã D. Iacobo deuotus extitit, itẽq; B. Mariæ, in cuius encomiũ nonnulla cõscripsit: teste Bergomense li. 12.

PETRVS ALFONSVS.

Petrus Alfonsus, genere Iudçus, Moysesque primùm appellatus, diuini spiritus instinctu Iudaismum relinquens, ad fidẽ Christianã cõuersus, & per baptismũ Christo insertus est in Ostiensi ciuitate, per eius urbis episcopũ Stephanũ, anno Salutis 1106, ipso die apostolorũ Petri & Pauli, cum iã annum quartum & quadragesimũ attigisset. Vnde nomẽ Petro ipsi impositũ est. Et quia inclytus Hispaniarũ rex Alfonsus suam pro ipso fidem in baptismo interponebat, alterũ ei agnomen accessit Alfonsi. Ea res cum pessimè haberet Iudæos, quibus insignis eius eruditio & in Sacris literis & philosophia

cum alijs coronauit. Frisingensis lib.2.ca.3. de gestis Friderici.

Bellum gessit. Nam cum Imperatore in Italiam iuit, eiusq; consilio, ut rerum bellicarum peritus erat, multa ibi gesta esse, annotat manuscriptus ille codex.

Monasterium Rindorff iuxta Bunnam in honorem Clementis papæ & martyris extruxit, multis ornamentis decorauit. Chronicon Hirsaugiense.

Mortuus est anno 1156. & in eodem monasterio sepultus. Chronicon Hirsaug.

FRIDERICVS II.

Fridericus secundus, Adolphi comitis filius, patruelis prædicti Brunonis, Arnoldo substituitur. Et quia de successore non conueniebat, Gerhardus Bunensis præpositus quorundam suffragijs eligitur. At propinquorum factione & iuniorum clericorũ fauore Fridericus prefertur, non sine simonia, Imperatore etiam suam interponente autoritatem, qui Gerhardum remouit. Romani antichristi ipsum membrum fuisse, ex his notis deprehenditur. Nam ab Adriano quarto consecratus pallium redemit, anno Domini 1156. Altero anno pòst cum Imperatore profectus Mediolanum, & apud Tycinum moritur. Cadauer relatum est in patriam, & in quodam monasterio Aldenbergẽsi reconditum. Chronicon Hirsaugiense, Vitę episcoporum Coloniensium. Vix prefuit sesquiannum.

REINOLDVS.

Reinoldus comes de Dasle, & præpositus Hildesheimensis, Imperatoris Friderici cancellarius, ei succesit anno 1158, quo tempore unà cum Imperatore rebus bellicis occupatus fuit in Italia. Absens enim à Coloniẽsibus eligitur, qui etiam ad Imperatorẽ missa legatione, ipsum ad se mitti expetũt. Id audiens Imperator, non solùm consensit in eius electionem, sed protinus eum dimittit cum legatis. Festinanter itaq; Reinoldus Coloniam excurrit, & rebus ibi constitutis, ad Imperatorem redit cum 300 electis militibus. Chronicon Hirsaugiense.

Opera eius.

Opera gubernationis eius non quidem fuerunt ea, quæ ab Ecclesiæ doctoribus requirit Christus: sed belligerare, armisque sese tueri, non doctrina & confessione pugnare. Nam 12000 Romanorum millia in Tusculano parua manu fudit. Helmoldus lib.2.cap.10.

Ludouicus Hesiæ Landgrauius, Fridericus dux Saxonię, & Conradus comes palatinus Coloniensem ecclesiam demoliri instituerant: quod cum Reinoldus ex aliorum indicio percepisset, ingentem coëgit exercitum in campis Andernaci. Principes uerò eo rumore exterriti, exercitum suum dimiserunt. Vitæ episcoporũ Coloniensiũ.

Heinrico Leoni, Saxoniæ & Bauariæ duci, unà cum alijs principibus insidiatus est. Et quamuis in Italia cum Imperatore bellum gereret, atque præsens ipsum non expugnaret: tamen multùm reliquos principes consilio iuuit. Helmoldus libro secundo, cap.7.

Deos alienos coluit trãslatione reliquiarum. Ex Mediolano enim corpora trium Magorum, ut illi quidem dicunt, aliorumque cadauerum reliquias asportauit Coloniam, anno Domini 1168, sancteq; asseruauit: ut refert Cranzius in Saxonia lib. 6. capite 24.

Pro solenni celebratione festi Epiphaniorum 10 marcas singulis annis elargitus est, & totidem in subsidium pauperum.

Architectum egit. Templum enim S. Petri magnis sumptibus Coloniæ construxit. Palatium & duas turres in monasterio S. Petri reparauit. Ryneke castellum episcopatus muniendi causa reædificauit. Hildeshemij, ubi aliquandiu præpositus fuerat, pontem admodum necessarium construxit, & xenodochiũ in usum pauperum. In manuscripto Catalogo episcoporum Coloniensium.

Interfuit etiam legationi Anglicanę cum Adolfo comite Schlauorum, cognato suo, ad conficiendas nuptias inter Henricum Bauariæ ducem, regisque filiam. Continuator Sigeberti. Helmoldus libro primo, capite 87.

Ad extremum peste correptus in Italia, anno 1166, in Augusto moritur. Helmoldus lib.2.cap.10. in uigilia Assumptionis. Eiusq; ossa deportata Coloniam, in domo S. Petri recondita sunt. Præfuit 8 annis.

PHILIPPVS.

Successorem habuit Philippum Reinoldus, Otthonis comitis de Dasle fratrem. Crantzius in Saxonia lib.6.cap.44. Fuerat is antea decanus ecclesiæ Coloniensis maioris, & Imperij cancellarius. Prædicantur eius uirtutes & animi dotes, quòd prudẽs, discretus, affabilis, magnanimus, fortis, & supra modũ liberalis extiterit. Catalogus episcoporum Coloniensium.

Ex operibus eius tanquam peculiaribus notis apparet, ipsum Antichristi mãcipium haud postremum fuisse. Nam nouum per Hiacinctum cardinalem accepit pallium, abijciẽs illud quod paulo antè in schismate redemerat. Crantzius libro sexto, capite 37. Maxima gessit bella toto triennio in Saxonia. Manuscriptus codex. Heinrici Leonis primùm depopulatus est agrum. Deinde altera uice multũ damni in Vuest-

phalia dedit, & nullum adeò crudelitatis genus prætermisit. Crátzius hoc pacto istius secundæ expeditionis in Vuestphaliam meminit: Philippus Coloniensis archiepiscopus, iterum expeditione facta, processit in Vuestphaliã. Ibi nihil sanctum, nihil religiosum: incendia, prædæ omnia miscuére. Effracta monasteria, uiolatæ sacræ uirgines: uix expleto ministerio, calices rapti de altari. Hæc ille. Armis sibi subiecit Vuestphaliæ ecclesias. Lib. 6. cap. 39 Saxoniæ. Dominatus est ut gentium principes, cõtra Christi præceptum, Lotharingiç & Vuestphaliç. Manuscriptus codex. At Adolphus tertius Holsatiæ comes, sese Heinrico Leoni coniunxit, & Philippum tandem profligarunt prope Haresfeldum in Vuestphalia, quamplurimos in captiuitatem abducentes. Gesta sunt hæc anno 1177 Chron. Holsatiense.

Cum Fridericus Imperator exercitũ duceret aduersus Heinricum Leonem, Philippo Coloniensi Brunsuigi oppugnationem commisit. Crantzius in Saxonia li. 6. ca. 42.

Ryneke castellum iussu Reinoldi antecessoris restaurauit, cum istius collegij decanus esset. Portas, turres, muros per gyrum extruxit circum Coloniam.

In coronatione Heinrici sexti satis proteruè egit contra Imperatorem. Cum enim abbatem Fuldensem sibi præferri uideret, qui Imperatori sinistrum latus ueteri consuetudine claudebat, tulit hoc ægrè, ita quidem ut grauis inter eos dissensio exoriretur. Postea tamen res composita rursus fuit. Cranzius in Saxonia libro sexto, cap. quadragesimosexto.

Ipso etiam facto declarauit, quo honore superiorem potestatem afficeret. Nam cum ab Heinrico sexto propter quosdam negotiatores bonis exutos, & malè multatos uocaretur, comparere noluit, & per ludibrium adiecit; Neminem posse duobus seruire dominis, & ideo malè duos regnare. Animũq; rebellandi superiori potestati ipsi non defuisse, haud obscurè colligitur, quòd clandestina consilia agitauit cum Heinrico Leone, ad quem in Angliam nauigauit: quæ res Imperatori suspicionẽ mouit, quasi aliquid mali contra Imperium moliretur. Aucta uerò magis ista suspicio fuit, quòd Coloniam uallo maxima & turribus ualidisimis muniret. Ideoque Imperator diligentius, tanquam seditiosum, ipsum obseruari iussit. Cranzius libro sexto, capite quadragesimo octauo in Saxonia.

Euocatus ad nuptias Heinrici, Imperatoris filij, magno cum comitatu in Italiã procedit. Nam in finibus Papiensium & Mantuanorum nuptiæ celebratæ sunt. Sed admonitus à Conrado Moguntino, quòd si longius procederet, nunquam Coloniam rediturus esset, pedem retulit. Ibidẽ. ca. 49.

Contra Christi præceptum malo restitit, externa ui sese Imperatori opponens, qui cõfiscationem bonorum morientiũ episcoporum mãdauerat, circa annũ Domini 1187.

Pro Heinrico Leone intercessit, eiq; Imperatorem rursus placauit. Cranzius lib. 7. cap. 3 Saxoniæ.

Mortuus tandem est anno Domini 1196 in Apulia prope Neapolim. Ossa relata sunt Coloniam, & prope Reinoldum recondita honorabilius cęteris episcopis, in domo B. Petri. Manuscriptus codex episcoporũ Coloniens. Et Cranzius in Saxonia lib 7. cap. 3. Præfuit annis 30.

SVB HEINRICO VI.

BRVNO III.

Bruno tertius illi succedit, maioris ecclesiæ præpositus, anno 1196, in electione Lutherio Bunnensi prælatus. Tandem pontificatu resignato in manus Heinrici sexti Imperatoris, monachus in cœnobio Mõtis antiqui, ordinis Cisterciensis factus est, anno 1199. Pręfuit annis 3. Catalogus episcoporũ Coloniensium, & Chronicon Coloniense.

MOGVNTINI.

SVB HEINRICO V Imperatore.

ADELBERTVS.

Adelbertus, qui & Albertus dictus est, natione Lotharingus, comes Sarburgensis, Ruthardo, de quo superiore seculo diximus, successit anno Salutis 1109, quamuis Auentinus altero demum anno pòst id factum esse dicat. Hunc isti sedi præfecit Imperator Heinricus quintus, cuius fuerat cãcellarius, quiq; eo in legationibus uti consueuerat. Auentinus, Bruschius. Eius consecratio totis septem annis differtur, donec ea tandem ope Dietheri legati pontificij perficeretur. Sacris igitur initiatus est contra Imperatoris uoluntatem Coloniæ ab Ottone Bambergensi. In appendice Mariani. Et Cranzius in Saxonia libro quinto, capite 36.

Opera eius.

Is autor fuit filio Imperatoris, ut à patre Heinrico quarto nefariè deficeret sub pietatis specie. Auent. lib 5. Eiusdem quoque consilio præcipuè Imperator bellum mouit in Romanum pontificem Paschalem secundum, in quo & cepit pontificem, & coronationem extorsit. Frisingensis li. 7. ca 14. Chronicon Casinens. lib. 4. ca. 39. Pontifici uerò Calixto secundo persuasit, ut Imperatorem excommunicaret: teste Frisingensi lib. 7. cap 15. Vnde postea horribilis distractio in Germania secuta est.

Seditiosus fuit. Nam contra Imperatoriam maiestatem arma sumpsit. Saxones enim ad rebellionem incitauit, ut ab Imperatore deficerent, & aduersus ipsum conspirarent. Frisingensis lib. 1. cap. 13 de gestis Friderici. Auentinus lib. 6. Cranz. in Saxonia lib. 5. cap. 41.

Vsus utroq; gladio est. Nam & exercitũ contra Imperatorem duxit. Et nisi interuentu quorundam, qui causam tractarunt Herbipoli, transactum fuisset, ad cruentum prorsus res deducta fuisset bellum. Ibidem. Hac ratione Moguntinis, quibus præfuit, mala plurima creauit. Illis enim Imperator aditum commeatumq; omnem interclusit, obseditque, ut sese de hoc episcopo ulcisceretur. Nam cum Imperator abesset in Italia, & pleriq; defecissent in Germania, exceptis Friderico duce cum fratre atque Gotfrido palatino, Fridericus Adelberto archiepiscopo, omniũ illius temporis principũ uersutissimo & locupletissimo, quiq; caput & autor rebellionis extiterat, bellũ indixit, magnoq; exercitu eum obsidione cingit. Frisingen.

Perfidus quoq; fuit, datam fidem sceleratè uiolans. Cum enim Mogunti inclusus obsideretur, sicut iam dictũ est, ad Fridericũ internuncios misit, promittens se cum Imperatore in gratiam rediturum, modò diẽ & locum constituat. Persuadet igitur Friderico, ut exercitum dimittat. Quo facto, ilico ciues milites q; pręsidiarij, irruptione facta in Fridericum, quicquid adhuc de exercitu reliquum fuit, delere conantur. Sed fortiter is uim omnẽ non sustinuit solùm, sed profligauit eos, multis ex ciuibus trucidatis. Frisingensis ibidem. Alio etiam facinore suam perfidiam insignẽ declarauit. Mortuo enim Imperatore, Mathildi Imperatrici, regis Angliæ filiæ, falsis pollicitationib. sceleratè persuadet, ut regalia (uti uocant) quæ illa in sua habebat potestate, sibi traderet. Frising. lib. 1. cap. 15 & 16 de rebus gestis Friderici.

Curam pastoralem neglexit, tractans negotia secularia. Nam summam Imperij unà cum regalibus detulit ad Lothariũ Saxonem, cæteris electoribus persuasis, & in suã adductis sententiam, contra officium episcopi. Ibidem.

Coluit deos alienos, in quorum honorẽ altaria dedicauit: ut altare B. Stephani, sitũ in nouo monasterio, in honorẽ IESV Christi, B. Mariæ uirginis, omnium martyrum, Laurentij, Vincentij & Albani dedicauit, anno Salutis 1130. in Appendice Mariani Scoti. Quinto anno pòst, altare in nouo monasterio ad Aquilonem dedicauit in honorem IESV Christi, S. Crucis, S. Petri, & omnium Sanctorum. Ibidem.

Monasteria fundauit, Ringouiæ Erbachium & Schuuabenhemium. ibid.

Architectum egit. Oppidum enim Aschàfenburgũ unà cum adiacente castello mœnibus, turrib. & fossis muniuit. Bruschius in catalogo episcoporum Mogunt.

Cõcilijs interfuit. Pręsedit enim Mogũtię in cõcilio, anno 1131. In Appẽdice Mariani.

Calamitates eius.

Ipse aũt sibi plurimarum calamitatum architectus fuit. Cum enim aduersus Imperatorem cum Saxonibus alijsq; principibus conspirare deprehenderetur, Imperator rebelles præueniens, Adelbertum cepit, & arctissimæ custodiæ mancipatũ, diuersisq; tormentis atq; incredibili famis inedia excruciatum, ut uix ossibus hæreret, toto triẽnio detinuit, & postea ad sedem episcopalem remisit. Vrspergensis. Cranzius lib. 5. cap. 36 in Saxonia refert, à Moguntinis ciuibus Imperatorẽ obsidentib. ipsum esse carcere solutum, ecclesiæq; restitutum, cum ea de re à papa commissionem accepisset. Auẽtinus lib. 6, ipsum ex carcere dilapsum dicit, & ad Saxones confugisse.

Perfidiæ suæ præmium fert Moguntiæ. Nam cum Fridericus multos ciuium trucidasset, tantopere illi doluerunt, ut penè in propriũ episcopum arma stringerent, tanquam huius cladis nefarium autorem. Frisingensis lib. 1. cap. 13 de gestis Friderici.

Curriculum.

Præfuit annis 28, & tandem anno Salutis humanæ 1137, 9 calend. Iulij abijt ad maiores suos. In Appendice Mariani Scoti. Sepultus est autem in monasterio Erbachio, quod fundauerat. Bruschius.

SVB LOTHARIO.

ADELBERTVS II.

SVccessorem habuit eiusdem nominis Adelbertum secundum, ex fratre nepotem, comitem Sarburgensem, præpositum basilicæ S. Virginis Erfordij. Is uerò intercedente Friderico principe, cui soror sua nupserat, ut Frisingensis habet: uel à Conrado tertio, communi & cleri & populi consensu, archimysta designatur, secundum Appendicem Mariani. Deinde cum primùm ordinatus esset presbyter, sequenti die, octauis scilicet Pentecostes, ab Ottone Bambergẽsis ecclesię antistite episcopus consecratur, anno 1138. ibidem.

Opera gubernationis eius.

Antichristi Romani membrũ fuisse, hinc liquet, quòd biennio pòst ab Innocentio secundo, qui tunc personam Antichristi gerebat, Romam euocatus, & benignè exceptus est. Simile enim simili iungi solet, graculus graculo, coruus coruo. Patruo autem

suo, cui succeßit, non absimilis moribus fuit. Imperatori enim suo parum fidus, & beneficiorum, quibus ab illo affectus erat, planè immemor fuit. Frisingensis lib. 1. cap. 22 de gestis Friderici. Nam contra Imperatorem fœdus fecit cum Saxonibus, qua quidem in re & seditionem suam probauit. In appendice Mariani Scoti.

Præfuit autem annis 4, atq; ipso tēpore, quo agitaret seditiosa concilia, expirat, anno 1141, 16 calend. Augusti. Ibid.

MARCOLPHVS.

Marcolphus, quem Bruschius existimat dictum fuisse Marcellum, uir alioquin doctus & honestus, Aschafenburgensis collegij præpositus, paulo pòst in eodem episcopatu succedit.

Characterem autem Babylonicæ meretricis hic quoq; accepit. Nam à pontifice Romano pallium redimit: utq; eam summam conficeret (satis enim carè illud suū uile linum atque plumbeas laminas Romani prædones uendere consueuerunt) de aurea cruce, quam Villegisus, de quo superiori seculo dictum est, in monasterio S. Martini erexerat, alterum pedem detruncat crudelis latro, Romamq; mittit: neque abhorret papa, truncatum pedem Christi accipere. Non autem anno integro præfuit. Mortuus enim est anno Salutis 1142, idibus Iulij. Bruschius & Appendix Mariani. Et hoc uerè est aureo hamo, quod dicitur, piscari.

SVB CONRADO III.

HEINRICVS.

HEinricus, cognomento Fœlix, succedit Marcolpho, inuestituram accipiens à Conrado tertio Francofurti, in præsentia Gregorij & Decuuij carpinalium. Appendix Mariani Scoti.

Opera eius.

In sua gubernatione nonnulla bene egit. Nam turpem uitam moresq; dissolutos suorum canonicorum acerrimè insectatus, omniq; studio conatus est illos redigere in ordinem, ne scilicet sacerdotalis dignitas, qualis quidem tunc erat, in contemptum adduceretur. Attamen dominatus est ut gentium principes, sibiq; potestatem utriusque gladij sumpsit. Nam principum huius seculi more subditos habuit, illis præfuit, ius politicum administrans & exequens: quamuis ea in re spectauit pacem & tranquillitatem, & ut suis bene esset in pace.

Sic Mersburgi Imperatori Conrado tertio præstò fuit, unà cum alijs Saxoniæ principibus, anno 1147, festo natiuitatis Domini, ubi cum alijs de negotijs Romani Imperij tractauit.

Coluit deos alienos, dedicatione monasteriorum, altarium, sacellorum, ueneratione reliquiarum: siquidem nouum monasterium, unà cum summo altari, in monte S. Dysibodij situm, in honorem IESV Christi, B. Mariæ, Ioannis Euangelistæ, & Dysibodij dedicauit, anno 1143, indictione VI. Appendix Mariani. Altare in uestibulo eiusdem monasterij eodem tempore in honorem S. Crucis & Ioannis Baptistæ consecrauit. Ibidem.

Recondidit porrò reliquias S. Dysibodij retro altare primarium in tumulo lapideo, in duobus plumbeis locellis: quorum alterum ossa, alterum uerò cineres continebat. His alias adhuc addidit, atque in eodem tumulo asseruauit: ut, trium uirginum corpora de collegio undecim mille uirginum in ligneis capsulis, & quasdam de Thebea legione.

Sacellum denique B. Mariæ in honorem IESV Christi, S. Crucis, S. Dysibodij, Felicis papæ, omnium Sanctorum, & præcipuè in honorem B. Virginis dedicauit, anno 1146, calend. Nouemb. Appendix Mariani.

Frisingensis lib. 2. cap. 9 de rebus gestis Friderici ipsum perturbatorem Ecclesię nominat, qui sæpius quidem correptus, sed non correctus sit: fortè quia antichristo Romano eiusq; nefarijs machinationibus aliquantulum restitit.

Calamitates eius.

Grauißima sui cleri odia sustinuit, cum ipsorum turpitudinem corriperet. Nam falsò eum ad papam Eugenium tertium detulerunt, tanquam somnolentum, ignauum, prorsus ad illud munus ineptum atque inutilem. Romam igitur euocatur, ut de obiectis criminibus sese purget. Ablegat autem Arnoldum suum camerarium, cui plurimùm fidebat, sui excusandi causa. Sed quid fit? Arnoldus suum ibi negotium agit, non eius à quo missus uenerat. Cardinales enim pecunia corrumpit, atque Heinricum grauiter accusat. Tandem etiam id obtinet, ut legati mittantur, qui de toto negotio coràm cognoscant: illisque magnam pecuniæ uim dono dat, pro impetrando episcopatu. Veniunt igitur Bernhardus presbyter & Gregorius diaconus, uterq; cardinalis, Vuormaciam, ut de Heinrico causam cognoscerēt, quem clerus Romę falsò detulerat. Qui cū excusando nihil quicquam proficeret, in hanc tandē erupit uocem: Si ad ipsum papā causæ cognitionē nunc reijcerem, contra uestrū illegitimum processum, utiq; laterem lauarem, nihilq; efficerē, nisi ut cum detrimento corporis & existimationis ac fortunarū, meipsum multis laborib. atq; molestijs spōtè obijcerem,

&

& damnatus discederem. Quapropter ad iudicem omnium iustissimum, filium Dei, Dominum IESVM Christum prouoco, ad cuius tribunal cũ tandem aliquando sistemini, mihi respõ debitis: qui quidẽ nõ personam accipit, neq; muneribus sese corrũpi sinit, sicut uos (qua quidem in re antichristi Romani nequitiam agnouit & detestatus est) Ipsi uerò eum deridentes, inquiunt: Vbi tu præcesseris, nos sequemur. eum exauthorant. Moritur autem altero anno pòst Heinricus. Eius rei nuncius ubi ad utrumq; cardinalem uenit, inter sese dicunt: Ecce pręcessit, suo tempore nos sequemur. Nec fefellit eos sanè opinio. Vno namque die ambo moriuntur: alter quidem cacando, mortis genere fœdissimo: alter uerò pręmordendo articulorum digitos, eosq; expuendo, tanquam semetipsum deuorãs. Chronicon Moguntinum.

Pacificus alioquin fuit, benignus in pauperes, & ueritatis ac honestatis amator: id quod rarum inter episcopos horum temporum exemplum est. ibidem.

Curriculum.

Præfuit annis fermè nouem. Loco motus monasterium quoddam ordinis Cisterciensis in Saxonia ingreditur, non ut monachus fieret, sed ut ibi uitam ageret priuatam, quietus atq; tranquillus. Moritur autem anno 1153, calend. Septemb. & sepelitur Embeci. Sepulchro eius inscriptum fuit, ut Bruschius testatur:

Ad Christum sospes eat huius corporis hospes.

SVB FRIDERICO I.

ARNOLDVS.

ARnoldus heros à Selenhofen, è Ringouia natus, diaconus Aquisgranensis, interuentu pecuniæ Heinrico succedit in Pentecoste, homo & ingeniosus & facundus: quam ob causam Friderico Imperatori charus fuit.

Opera gubernationis eius.

Perfidus fuit. Nam contra datam fidem antecessori, proprium quærit Romæ compendium, ut ad illã sedem perueniret. Cæterùm sua intrusione magnorum motuum autor fuit Moguntiæ. Erant enim qui Heinrici uicem dolebant: alij uerò non parum de hoc substituto superbiebãt. quæ res horribilis lanienæ fuit occasio. Nam septimanis singulis ter congrediebãtur strictis mucronibus, seq; miserrimè trucidabant. Accersitur porrò externus miles, Hermannus palatinus cum socijs, quorum nomina Mariani appendix recenset, contra Arnoldum eiusq; sectatores. Chronicon Moguntinũ.

Inanis gloriæ percupidus erat, quá quidem effœminatè uestitu ambiebat. Nam optimam purpuram de Almaria (uti uocãt) aufert, sibiq; inde uestes fieri curat, tantùm ut eo gloriosior Imperatori appareret. Ibidem.

Alterum pedem aureæ crucis Villegisi, ex rapina Marcolphi adhuc reliquum, auulsit in sumptum belli. O uiolentos carnifices, ipsis crucifixoribus Christi immaniores, qui corpus integrum reliquerunt.

Contra Christi præceptum potestatem utriusque gladij, spiritualis & corporalis, sibi uendicat. Nam bellum gerit cõtra Hermannum palatinum & alios comites. Cũq; hoc modo nihil ageret, excommunicatione tandẽ pugnat, ac superior existit. Agnoscentes uerò culpam, & deprecantes, canes portare ignominiosè iubet, talique pacto recipit in gratiam, anno 1155. Appendix Mariani.

Admonitus & ipse à quibusdam ad agendam pœnitentiam, eam simulauit gnauiter. Nam Romam profectus est ad Adrianum quartum, ut suorum delictorũ suęq; intrusionis absolutionem ab illo acciperet: atq; ita efficaciam clauis soluentis ad personæ eminentiam alligauit.

Membrum Romani antichristi fuit, tum quia creatus est legatus eodem tempore, anno scilicet 1156 (Appendix Mariani) tum etiam propter alias notas quas habuit.

Securitas in illo magna fuit. Cum enim non nesciret, se Moguntinis omnibus, pręterquam Selenhofijs, prorsus inuisum esse, qui sæpe de eo ad Imperatorem fuerant cõquesti, uerùm frustra: nihil tamen periculi subesse suspicatus est. Admonitus ab abbate quodam Eberbachense, ut bene sibi prospiceret: tamen susq; deq; tulit. Hildegardis uatidica quædam ad illum scripsisse fertur: Pater prospice tibi: canibus enim funes abstracti sunt, qui insequuntur te. sed spreuit.

Exitium eius.

Cum igitur fatalis dies eius ueniret, suę perfidiæ graues dat pœnas. Nam deuotionis gratia, ipso Ioannis Baptistæ die peregrinatur ad monasterium diui Iacobi: ubi ex insidijs in ipsum irruunt Gotfridus abbas S. Iacobi, & Burchardus præpositus D. Petri, cum alijs quibusdam sicarijs, quos ęre conduxerant, atq; crudeliter eum interficiunt. Accurrunt ciues pleriq; omnes, & toto triduo horribiliter in cadauer eius mortuum sæuiunt. Tandem à canonicis S. Mariæ furtim iam fœtens sepelitur, anno 1160, cum septem annis turbulentissimis temporibus pręfuisset. Chronicon Moguntinum.

Eius necem postea ultus est Imperator. Nam cædis authores è medio sustulit, Moguntiam penè totá uastauit, mœnia diruit, monaste-

monasterium S. Iacobi solo æquauit, urbem iuribus, priuilegijs atq; immunitatibus penitùs exuit. Sic scelera sceleribus puniuntur. Ibidem. Bruschius.

RODOLPHVS.

Rodolphus Cnoblauch, Conradi ducis Zeringiæ filius, Imperatori sanguine iunctus, ab autoribus cædis substituitur in locum interfecti, consentiente clero, quamuis inuito & coacto contra fidem Imperatori datam. Nam abbates, præpositi, & quot quot in clero erant præcipui, datis dexteris ei receperant, se neminem, nisi de eius consilio, electurum. Appendix Mariani.

Is autem quia Fridericum minus habebat propitium, muneribus gratiam redimere constituit. Quicquid igitur de aurea cruce Villegisi reliquũ fuit, consensu Moguntinensium sumpsit, atq; in Longobardiam ad Imperatorem contendit, hoc modo & sibi & ciuibus ipsum placaturus, ac Romæ pallium redempturus. Sed re infecta discedit, spe sua frustratus. Antequã enim Romam ueniret, à pontifice Alexandro tertio unà cum Moguntinis fuerat excommunicatus, quòd ab huiusmodi homicidis sese passus fuerat inthronizari. Non multo pòst moritur, cum uix annum præfuisset, fortè extinctus animi cruciatibus. Chronicon Moguntinum.

Diuersum in Catalogo Tungrensium episcoporũ, quẽ manuscriptũ habemus, annotatur: ubi ob sacrilegium loco motus, ad Tungrensem episcopatum, nescimus quibus artibus, euectus scribitur. Verùm in ea etiam functione manus sacrilegas continere minimè ualuit. Nam per quendam Vdelinum, qui ibidem carnifex appellatur, beneficia Ecclesiastica uendidit.

Arma etiam tractauit. Philippo enim Elsatio Flandro contra Galliæ regem suppetias tulit, anno 1186. Chron. Fland. Tandẽ cruce signatus superstitiosus episcopus, cũ Friderico Imperatore contra terræ Sanctæ hostes procedit. Inde rediẽs, Visiaci hausto ueneno interijt.

CHRISTIANVS.

Christianus natione Thuringus, comes de Buche, à Conrado palatino, Hessiæ Lãtgrauio, & Erfurdensi Republica intruditur, Imperatore Friderico inscio. Itaq; cum ab expugnatione Mediolani in Germaniã redijsset Imperator, quamprimùm illũ rursus eijcit, atq; Conradum quendam præficit. Quo post biennium rursus amoto, sicut paulo pòst dicemus, huius electio ratificatur ab Imperatore, anno 1164.

Vir fuit prudentissimus alioquin, Imperatoris supremus cancellarius, atq; legatus pontificius, aliquot linguarum, ut Latinæ, Græcæ, Italicæ, Brabanticæ, in primis gnarus, ut quamcunq; uellet, eleganter exprimeret. Crantz. in Saxonia.

Opera eius.

Militem rectius dices quàm episcopum. Nam ab Imperatore in Italiã præmissus est cum parte exercitus, ut Romanis esset terrori. Cumq; in Tusculano subsisteret, magna manu erumpunt Romani, certissimam sibi promittentes uictoriam, quòd numero ipsius exercitum longè superarent. Sed uictoria penes Moguntinum fuit, & interfecta ab ipso scribuntur 12000, iuxta Cranzium. Bruschius 15000 numerat. Sic scilicet episcopum ad episcopum Romanum salutandum uenire.

Deinde anno 1172 Bononiensibus bellũ intulit, cum primùm Longobardiam & Thusciam fuisset depopulatus. In ea uerò expeditione itidem uictoriam consecutus est. Nam & Bonon ienses in fugam uertit, ciuitatemq; obsidione cinxit, atq; tandem ad deditionem compulit. Vbi cum obsides accepisset, ac ingentem pecuniæ uim extorsisset, rectà Anconam magna cum præda iuit, totoque fermè biennio obsedit, ac fame tantopere afflixit, ut corium ederent: ac tandem deditione eam cepit & destruxit.

Mediolanum quoque, Ferrariam & Rauennam expugnauit, Longobardiam toto suæ uitæ tempore magnopere afflixit. Trecentas naues piraticas suis aptauit usibus, ut terra mariq; hostes aggredi posset. Cranzius in Saxonia, Nicetas sub Manuele.

Antichristi mancipium haud postremũ fuit. Nam Paschalis, quem Imperator Fridericus pro summo pontifice agnouit contra Alexandrum tertium, ipsi solitus est scribere: Christiano Christianissimo, Ecclesiæ filio fidelissimo. Calixtum in ualle Spoletana multo tempore solus pauit. Cranzius in Saxonia.

Coluit deum Maozim inter media arma. Nam ubi ad Bononiam res ipsi successisset ex sentẽtia, in cœnobio S. Michaelis, in mõte supra urbem sito, sacra iussit apparari. Ibi indutus uestitu pontificali, cùm sanguine cæsorum manus primùm consecrauisset, missificãt, reliquis satellitibus officium de Thebeis martyribus (uti uocant) canẽtibus. Erant hi trecenti pedites, & totidem mulierculæ moniales.

Dux fuit ociosorum monachorũ & monialium ordinis Cistercienſium, quorum monasteria passim subuerterat, eo quòd hic ordo passim Alexandro tertio adhærebat. Illa turba ad ipsum cõfluebat, eo quòd illud uitæ genus sine labore, quo assuefacti non fuerant, ipsis quæstuosum uideretur, tanto

tanto numero, ut sine reliqui exercitus adminiculo isti duo firmissima præsidia caperent. Cranzius ibidem.

Historici in eius uita describenda uariāt, quorum nonnulli ipsum laudibus extollunt, nonnulli detestantur. Nam Chronicō Moguntinum hoc modo ipsum prædicat: Christianus Imperatoris cācellarius, uir miræ prudentiæ, in rebus ambiguis & arduis subtilissimi consilij & uelocissimi inuentor fuit. Miræ etiam patientiæ in ferendis rebus aduersis. Nulla in prosperis superbia extollebatur. Vultus benignitate omnibus gratiosus, & aliàs honestis morib. adornatus. Continuator Sigeberti tyrannum uocat. Cranzius in Saxonia falsè deridet: Speciosum, inquit, erat uisu, armatum in equo conspicere pontificem, auro galeatum, tunicatumq; hyacinthina desuper tunica. Clauam manu gerebat trinodam, Herculem putares.

Supra modum fuit sumptuosus. Asini enim & meretrices in eius exercitu amplius insumpsisse feruntur, quā tota Imperatoris familia, quæ tū opulentissima uidebatur.

Magnū robur & animi & corporis in illo fuit. Vno namq; prælio nouem fortissimos uiros sua manu trucidasse dicitur. Crāzius. Etiam Paulum fortè uerberasset, si adfuisset: quia scribit, episcopum non debere esse plagosum.

Eius deniq; adminiculo, Friderico consentiēte, monasterium S. Iacobi prope Moguntiam, propter Arnoldi necem dirutum, cœptum est reædificari, anno 1172. Chronicon Hirsaug.

In tanto rerum successu, tandem in grauem incidit calamitatem. Nam Conradus frater Ramerij principis Montis ferrati illum cepit, & custodiæ mancipauit, anno Domini 1180. Continuator Sigeberti, & Nicetas.

Fortè hæc captiuitas occasionē præbuit transactionis inter Imperatorem & Alexādrum tertium pontificem, inter quos iam annis fermè 18 grauissimę extiterāt simultates. Christianus igitur, cuius summa apud Imperatorē fuit authoritas, sese interposuit, ac utriusq; animum ad pacem flexit: quod facturus non fuisse uidetur, si eius captiuitatis mansisset expers.

Curriculum.

Cum igitur annis pręfuisset 18, mortuus est non procul à Roma, anno Salutis 1182. Paulo antè ipsum papam ad se euocauerat: cui cum suam recitasset confessionem, ac communionem de eius manu accepisset, aliaq; Romana sacramenta, atque papales indulgentias, protinus animam exhalauit. Eius mortem Imperator totaque aula tulerunt grauissimè. Chronicō Moguntinum.

CONRADVS.

Conradus comes de Vuittelsbach, Rheni palatinus, frater Otthonis palatini, eius scilicet qui Philippum Bambergæ interfecerat, Moguntinus archiepiscopus in locum Rodolphi ab Imperatore Friderico cōstituitur, anno Salutis 1162. Hac autem uice non amplius quàm duobus annis pręsedit: quibus exactis, Imperator illum loco remouit, quòd Alexandro tertio adhæreret. Appendix Mariani, Chronicon Hirsaugiense.

Opera eius.

Membrum Romani Antichristi non postremum fuit. Nam Alexandro tertio fide & iureiurando deuinctus fuit ac confœderatus. Appendix Mariani Scoti. Ad quem remotus receptum habet, ac Sabiensis episcopus electus & designatus est, galeroquè etiam cardinalitio dotatus. À quo tempore seipsum episcopum & Moguntinum & Sabiensem in omnibus suis literis uocare solitus est.

Superiorem potestatem non spreuit tātùm, sed etiam proteruè in illam egit: siquidem perfecit, ut iniustè sententiam excommunicationis is, qui tum personam Antichristi gessit, in Imperatorem ferret. Vnde postea inter Imperium, & qui se falsò clerū uocant, periculosum atq; diuturnum schisma ortum est.

Eo schismate sopito, atq; Christiano è uiuis sublato post annos octodecim, tandem ad priorem sedem redit, magno cum desiderio Moguntinorum.

Quæstorem egit potius, quàm episcopū. Nam cum Moguntinis esset restitutus, grauem suo clero imperauit exactionem, ita quidem ut omnes mirarentur.

Bellum gessit, & armis conatus est religionem pontificiam promouere. Nam anno 1188 unà cum alijs profectus est in terram Sanctam, ad exterminandos Saracenos, & restituendum, ut uocant, cultum Christianum: ubi militiæ occupatus fuit toto triennio. Auentinus lib. 7.

In eo itinere Leonem Armeniæ regem coronauit, ex mandato Heinrici sexti. Bruschius.

Promouit uitam monasticam. Nouum enim monasterium Moguntiæ extruere instituit reuersus: sed opus non perfecit. Heinricum Leonem Imperatori conciliauit. Crantz. Sax. lib. 7. cap. 3.

Totum tempus quo præfuit utraq; uice, sunt anni 19. & postea collectus est ad patres suos, anno humanæ Salutis 1200. Chrōnic. Mogunt.

GOTFRIDVS, BVRCHARDVS.

Gotfridus abbas S. Iacobi, & Burchardus præpositus

præpositus S. Petri Maguntiæ, extremè Arnoldum archiepiscopum oderunt, atq; interfecerunt etiam, anno 1158. Gotfridus captus ad Fridericum adductus, cũ se purgare nõ posset, loco motus, & in exiliũ abire iussus est, anno 1163. Appendix Mariani Scoti.

TREVIRENSES.

SVB HEINRICO IIII ET V. Imperatoribus.

BRVNO.

BRuno Francus, ex illa scilicet Franconiâ oriundus, quæ antiquitùs Orientalis dicitur, Arnoldi comitis & Adelheidis comitissę filius, Treuiri constituitur episcopus, anno 1101, cõsecratus ad id munus Moguntię, sicut pontificijs mos est, idibus Ianuarij.

Opera gubernationis eius.

Meretricis Babylonicæ characterẽ accepit. Cum enim ab Imperatore Heinrico quarto, utpote laico, baculum & annulum episcoporum insignia accepisset, à Paschali papa acriter propterea obiurgatus est. Tertio anno pòst, cum Romam iuisset pro impetranda confirmatione, nec antè cõfirmatus est quidem, quàm priorem consecrationem resignaret, & denuò pallium à papa redimeret. Quod ubi fecit, primas Gallię Germaniæq; confirmatus atq; designatus est.

Mediator scribitur fuisse inter Imperatorem & populum Treuirensem: & hoc modo trãsegit, ut Imperator populo inuestituras resignaret, populus uerò eos qui inuestirentur, regalia ab Imperatore accipere iuberet. Catalogus Treuirensium episcoporũ.

Missus est Romam legatus ab Heinrico 5 & præcipuis Imperij ordinib. anno 1107, unà cum Heinrico Magdeburgensi, Otthone Bambergensi, Eberhardo Eisterensi, Geberhardo Constantiensi episcopis, de erratorum reformatione cum papa Paschali secundo deliberatione instituenda: at non procul à Tridento à nobili quodã Alberto cũ itineris socijs capitur, sed dimittitur tandem. Cranzius in Saxonia lib. 5 cap. 21.

Iudæum apud se habuit physicum, nomine Iosue: hunc disputãdo uictũ baptizauit, suumq; ipsi nomẽ indidit, Brunonẽ uocãs.

Architectus aliquot monasteriorũ fuit. Nã monasteriũ S. Eucharij, ꝑpe Treuirim, quod olim S. Matthię apostolo dicatũ fuit, fermè collapsum restaurauit. In qua reparatione corpus S. Matthię cũ reperiretur, isti cœnobio pristinũ nomen remãsit. Chron. Hirsaugiẽse. In diœcesi Spirẽsi in pago Chreichgaw aliud de nouo monasterium cõstruxit ordinis S. Benedicti, anno Dñi 1122. ex hęreditate paterna, fratre Poppone comite consentiente & adiuuante, Romanæq; ecclesię in perpetuum tradidit possidendum. Alias insuper ecclesias & monasteria reparauit, utpote Confluentiæ monasterium S. Florini & B. Paulini: illud quidem fermè collapsum, hoc uerò cõbustum. Mortuus est anno 1124, & Treuiri in ecclesia B. Petri maiori prope Egilbertum antecessorẽ sepultus est. Præfuit annis 23.

GOTFRIDVS.

Gotfridus Treuirensis ecclesię decanus, ex Leodiẽsi diœcesi oriundus, Brunoni successit, anno 1124. Pręfuit annis duobus & mẽsib. decẽ saltẽ, atq; deinde isti muneri se abdicauit, senio cõfectus. Cæterũ anno uno, mensib. quinq;, dieb. 16 superuixit. Mortuus est anno 1128, 8 calend. Decemb. & in ecclesia B. Petri sub secundo arcu Meridionalis plagę ante altare S. Cosmę & Damiani sepultus est. Chron. Hirsaugiense, Catalogus Treuirens.

SVB LOTHARIO SAXONE.

MEGINHERVS.

GOtfrido Meginherus successit, anno 1128. Membrũ antichristi Romani fuit. Nã Romam pergens, ab Honorio secundo cõsecratus, atq; pallio dotatus est.

Vtrumq; gladium gessit. Vuilhelmum enim comitem ui compescuit, & pacem constituit. Catal. Treuirens.

Abusus est potestate clauiũ. Nam Roma reuersus, iussu papę Conradum Sueuũ, fratrem Friderici Imperatoris, excommunicauit, eo prætextu, quasi turbator publicæ trãquillitatis esset, & aduersus Imperatorem Lotharium turbas excitaret.

Mores uitiosos acriter insectatus est in suis clericis. Chron. Hirsaug.

Calamitates.

Sui cleri odia acerbissima in sese cõuertit. Quãob causam cũ papę imploraturus esset opẽ, à suis Cõrado, quẽ excõmunicauerat, ꝓditus, & Parmis captus atq; incarceratus est: ac nõ multo pòst utroq; oculo priuatus, ex ingenti dolore ac cruciatu paulo pòst uitam cum morte cõmutauit. Chron. Hirsaugiense. Gesta hæc sunt anno Dñi 1129. Appendix Mariani Scoti. Sepultus est Parmæ. Pręfuit igitur anno uno uel quasi.

SVB CONRADO III.

ADELBERO.

ILli itaq; successit Adelbero, seu Albero, ut ipsum Continuator Sigeberti uocat, anno 1129, qui antea primicerius Metẽsis fuerat, uir magnanimus & singularis cẽsuræ.

Opera eius.

Hic à Lothario Imperatore Aquisgrani regalib. acceptis, ipsa die Paschatis Simonem fratrem Imperatoris publicè excõmunicauit, nec quidem sub Euãgelij textu, cum is publicè prælegeretur in templo, perferre uoluit, sed exire coegit. Chron. Hirsaug.

Multa ex cœnobijs monachorũ abripuit, &

& in proprios usus conuertit, utpote ex S. Matthiæ & alijs. quæ rapacitas hoc uersiculo notata fuit:

Plurima corrasit, sua mens quod utile suasit.

Comitatus est Imperatorē Lotharium, proficiscentem in Italiam, 600 militibus. Antecessoris cadauer effossum Parmis Treuerim transtulit, & prope Brunonem in ecclesia Treuirēsi tumulauit. A' fratribus de Neutersberge obsides accepit, & Neutersburgum solo æquauit.

Defuncto Lothario, metuens Adelberone Heinricus, cognomento Superbus, Imperatoris gener Bauatus, qui iamdudum ab ipso Imperatore regalia acceperat, in generali ordinum Imperij conuentu Imperatoriā adipisceretur dignitatē, magno silentio ducem Alsatiæ Fridericum patrem Cōradi, & Buggonem Vuormatiensem, unà cum duce Conrado ad colloquiū clādestinum uocauit Cōfluentiam in medio Quadragesimæ, sede Moguntina uacante: ubi & Arnoldus Coloniēsis Adelberoni occurrit, ibiq; inter sese communicatis consilijs, Conradum se in Imperatorem electuros iurarunt, anno 1138.

Monachos ex cœnobio S. Maximini Treuirensi propter uitæ turpitudinem expulit, & alios eiectorū loco substituit, anno 1142. Chronicon Hirsaug.

Eugenius III papa, qui Treuirim ad synodū uenerat cum 18 cardinalibus alijsq; episcopis atq; abbatibus multis, ab Alberone tres integros menses honorificè exceptus est, anno 1150.

Obijt tandem Confluentię biennio pòst, anno Domini 1152, & in Treuirim deportatus, cum in uno quolibet monasterio ipsi fecissent exequias, iuxta altare Cosmæ & Damiani sepultus est. Præfuit annis 23.

SVB FRIDERICO BARbarossa.

HILLINVS.

Hillinus, uir prudens atq; literatus, communi consensu eligitur, atq; Adelberoni substituitur, anno 1152. Is abbatiam S. Maximini & Schure castellum ab Imperatore Friderico accepit, ut Treuirensium archiepiscoporum esset in perpetuum. Castellum itidem Siene cum adiacētibus adeptus est tēpore comitis Euerhardi. Nassouium etiā, quod Vuormatiensis ecclesiæ fuit, ad se transtulit. Aedificijs extruendis multū & operæ & sumptuū impēdit. Mādelsfreit extruxit. In Crēbechtstein cisternā in rupe excidit: domumq; episcopalem & turrim perfecit. Inuestituram de Logenstein solus obtinuit ab Hermanno palatino in præsentia Imperatoris: eamq; trāsactionem Adrianus quartus papa dato priuilegio confirmauit. Catalogus Treuirensium.

Imperator Fridericus usus illo in legatione est, unà cum Eberhardo Bambergēsi, ad papam Eugenium tertium, ut de sua electione ad ipsum referret, anno Domini 1154. Frisingensis lib. 2. cap. 4 de gestis Friderici. Extat apud Frisingensem lib. 2. cap. 8 de gestis Friderici epistola Eugenij tertij, inter alios etiam ad Hillinū perscripta, qua ipsos monet, ut Fridericū exhortentur de Guicmanno Cicensi episcopo, quem Gerhardo prætulerat, & Magdeburgensi ecclesiæ præfecerat Imperator, ut sequatur pactū de inuestitura episcoporum, sicut sub Heinrico quinto inter Imperatorem & pontificem conuenerat.

Cryptam Orientalem Treuiri ædificare cœpit, sed morte præuentus non perfecit. Mortuus est anno Domini 1170, & Treuiri sepultus. Præfuit annis 18.

ARNOLDVS.

Arnoldus S. Andreę prępositus apud Colonienses, Hillino succedit, à clero & populo unanimi consensu electus, anno 1170. Is quia supra modum fuit diues, pacem semper redimere ære maluit, quàm bello inferendo uel ꝓpulsando iniuriam ius suum exequi. Quāuis paulo pòst is qui eius historiā conscripsit, sibi ipsi non constet. Dicit enim, Fridericū donis implacabilē in Sirsberg obsessum ipsum coegisse, ut istius castelli ius & allodij etiam Norinbergæ S. Petro resignaret. Itemq; comitem Nassouiensem & Eunicensem fodinis metallicis exuisse: quod sanè sine ui fieri non potuit. Etsi uerò sumptus magnos fecit, nihil tamē supra id quod ueteri consuetudine ipsi debebatur, ab ecclesijs exegit.

Mortuus est senex, anno Domini 1188, 8 calēd. Iunij, & sepultus Treuiri ante altare S. Trinitatis. Præfuit igitur annis 18. Manuscriptus codex.

VOLMARVS.

Post Arnoldi mortem clerus simul duos elegit, Volmarum archidiaconum & Rodolphum præpositum: cuius dissidij tollendi causa & dies & hora destinatur. Qui igitur constituta hora pręueniret, hunc defuncto Arnoldo debere succedere. Volmarus itaq; præueniens, à sua factione inthronizatur. Rodolphus subsequēs hora constituta, rogat ut ista electio irrita habeatur: sed frustra. Res defertur ad Fridericū Imperatorē: citantur utriq;, sed Volmarus nō comparuit. Quapropter Rodolphi electio rata habetur ab Imperatore, & inuestitur. Rodolphi electioni Lucius papa quidē refragatur, sed morte pręuentus nihil mutat. Vrbanus igitur tertius Lucij successor, quāuis Imperatori ꝓmisisset, se Volmarum nequa-

quā ad eā sedē admissurū: contra datā fidē tamē ipsum approbat & consecrat, imò etiā legatū creat. Is postea reuersus Rodolphū excōmunicauit: unde nō parui motus extiterunt. Nā Heinricus 6 iussu patris publicata bona eorū, qui à partibus Volmari fuerunt, diripuit Cōfluentiæ. Crantzius in Saxonia lib. 6. cap. 47.

Volmarus postea in Mosano synodū coëgit, in qua Tullensem loco mouit, & Virdunēsem excōmunicauit: qui quáuis ad Vrbanū tertiū appellat, hoc tamē tēpore nihil impetrat, q. papa moritur. Clemens 4 Vrbani successor quendā cardinalē Sigfridū Treuirim mittit, qui & clerū & populū ab obedientia Volmari absoluit, & utriusq; electionē irritā fecit, atq; clero mandauit, ut unanimiter aliū eligerent. Sic igitur hoc schisma, quod totū iam decenniū durauerat, tādē sublatū est. Catalogus Treuirensium.

SVB HENRICO VI.

IOANNES.

IOannes Imperatoris cancellarius, cōmuni omniū cōsensu electus archiepiscopalē sedē occupat, anno 1190. Is nihil dignū episcopo seu Ecclesię doctore egit, sed talia potius quæ Christus ꝓhibuit. Bella gessit, armisq; se tutatus est, cōtra illud: Vos aūt nō sic. Nā Gerlacū de Cauerna propter extructā nouā arcē cepit, nec prius dimisit, quàm illam nouam atq; ueterē sibi resignaret, & in posterum à se feudū reciperet. Alia præterea castella tū ui tum fraude in suam redegit potestatē. Mortuus est anno 1213. Pręfuit annis 23. Ibidem.

CONSTANTIENses.

SVB HEINRICO IIII & V.

GEBHARDVS III.

GEbhardus eius nominis tertius, dux Zeringensis, cōmendatione Guilhelmi abbatis Hirsaugiensis, & Bertholdi Zeringensis ducis, fratris sui, à canonicis eligitur Cōstantiensis episcopus. Monachus quippe fuerat Hirsaugiæ multo tempore. Incidit hæc electio in annum Domini 1082. quam postea pontificius legatus Petrus Albæ episcopus ratam habuit, addita etiam consecratione.

Eius opera tota Saxonia ab Imperatore Heinrico 4 defecit ad filiū. Auentinus lib. 6. Quā ob causam à regijs asseclis exulare coactus est annis 13, Vlrico abbate Sangallēsi, Carinthiæ ducis filio, Constantiā obsidēte. Interim Arnolphus præfuit. Postea redijt ope Theodorici abbatis Petershusani in episcopatum, circiter annū Domini 1105, & maiore tranquillitate deinceps 11 annis præfuit. Cathedralem basilicam, à Rumoldo cœptam reædificari, absoluit & consecrauit etiam. Obijt anno 1116. Bruschius.

ARNOLPHVS.

Arnolphus comes Sancti mōtis, Sueuus, ab abbate Sangallensi Vlrico, qui consanguineus Heinrici quarti Imperatoris fuit, per uim intruditur, circiter annum Domini 1092. Monachus enim Sangalli fuerat. Præfuit annis 13, non sine insigni dispendio. Quibus elapsis, inclinatisque rebus Imperatoris, à consanguineis Gebhardi loco rursus motus est, & Gebhardus restitutus. Quid deinceps de Arnolpho factum sit, aut quo locorum peruenerit, ignoratur. Bruschius.

VLRICVS.

Vlricus comes Dillingensis & Kiburgēsis, consanguineus Vdalrici Augustani episcopi, de quo superioribus seculis dictum est, fauore Heinrici 5 ad hāc sedē peruenit, in eius electionē cōsentiente clero & populo. Cōfirmatus est à Gelasio 2, & cōsecratus à quodā Mediolanēsi archiepiscopo. Is monasterium canonicorum regularium S. Augustini Crenezlingum, in Thurgouia extra muros Constantienses situm, de suo extruxit, & reditibus locupletauit. Xenodochium pauperum quondam à S. Conrado constructum, iamq; fermè collapsum, iterū instaurauit, additis reditibus. Apud Calixtum 2 papam consecutus est potestatem canonizandi S. Conradum, circiter annū Domini 1120, cū iam 144 annis sub terra quieuisset. Tandē morbo epileptico correptus, occubuit anno 1127, cū 11 annis præfuisset. Chronicon Hirsaugiense, Appendix Mariani Scoti, & Bruschius.

SVB LOTHARIO.

VLRICVS II.

VLricus secundus baro de Castellis, monachus apud sanctum Blasiū in Hercinia, communibus canonicorum suffragijs electus succesit. Multas ille calamitates præsenti tulit animo, quamdiu canonicos haberet propitios. At cum propter deiectum castrum, quod fortè urbi, si quando obsideretur, incommodare potuisset, flammas in ipsum odij concepissent, grauiter coram Imperatore Lothario & Innocentio secundo pontifice ipsum accusarūt. Ideoq; isti muneri abdicans sua sponte, ad uitam monasticam redijt, ubi reliquū uitæ tempus finijt. Ea resignatio incidit in annum 1138, cum annis 11 præfuisset. Bruschius.

SVB CONRADO.

HERMANNVS.

HErmannus baro de Arbona à toto canonicorum collegio episcopus Constantiensis

ensis electus, confirmatur ab Innocentio 2, anno Domini 1139. Trecẽtas auri marcas, totumq; suum patrimonium ad episcopatum & ad illustrationem summæ basilicæ contulit. Conradus 3 Imperator aliũ quendam Brunigundum, suum sacellanum, conatus est ipsis obtrudere: sed nimis serò, & quod aiunt, post festum uenit. Omnib. charus extitit ꝑpter singularẽ beneuolentiam, qua in oẽs usus est. Aquisgranum Hegouię oppidũ emit. Scotorũ monasterium collapsum restaurauit, anno Salutis 1142. Mortuus est anno 1165, cum annis 26 præfuisset. Bruschius.

SVB FRIDERICO.

OTHO II.

OTho II comes Habspurgẽsis, quamuis quidã ducem Zeringensem affirmant, succedit eodem anno. Præpositus antea Augustæ ad S. Mauritiũ fuit. Prudens & modestus alioquin fuisse scribitur, sed subinde ualetudinarius. Obijt anno 1169, cum 4 saltem annis præfuisset.

BERTHOLDVS.

Bertholdus baro de Busnang ex Thurgouia (quãuis nonnulli existimãt de Kussnach ex Ergouia ortũ fuisse) cleri communib. suffragijs post Otthonẽ eligitur. Obijt anno 1179, 20 Maij. Bruschius.

VVILHELMVS.

Vuilhelmus decanus Baiocensis eligitur in episcopum Constantiensem, anno 1182. Continuator Sigeberti.

HERMANNVS.

Hermannus secundus, nobilis Fridingẽsis ex Hegouia natus, succesit eodẽ anno. Pacis fuit studiosissimus, ideoq; omnibus suis ex animo charus extitit. Obijt anno Salutis humanæ 1191.

SVB HEINRICO VI.

DIETHELMVS.

DIethelmus baro Vuyssenburgensis, & dominus in Krenckingen, abbas diuitis Augiæ in comitijs Spirensibus designatus est a Friderico: cũq; isti cœnobio utiliter annis 25 præfuisset, cleri & populi Constantiensis unanimi cõsensu eligitur episcopus, anno Salutis 1192. Præfuit annis 12, simul retinẽs diuitis Augiæ etiã possessionem. Obijt anno 1205, Aprilis die 13. Bruschius.

RICARDVS.

Richardus Cõstantiensis iuuit leuationem corporis S.Firmiani, anno 1157. Continuator Sigeberti.

AVGVSTANI.

SVB HENRICO IIII ET V.

HERMANNVS.

HErmannus comes à Vuittelsbach, Bauarus, cognomẽto luscus uel monoculus, ꝓpter uisus defectũ, simoniacis artib. isti sedi pręficitur ab Henrico 4, anno Salutis humanę 1096. Is muros urbis à Guelphone dirutos restaurauit, fecitq; & ampliorem & munitiorem. Mortuus est anno 1133, cum 37 annis præfuisset.

SVB LOTHARIO ET *Conrado* III.

VVALTHERVS.

VValtherus unanimi cleri consensu electus, succesit Hermanno sequẽti anno, 19 Aprilis. Duo suæ gubernationis tẽpore monasteria extruxit. Postea sua spõte anno Salutis 1150 abdicauit isti muneri, factus monachus in monasterio Orientalis Franciæ Selgenstadiensi, in quo uixit tribus annis. Obijt anno 1153, Septembris die nono, in eiusdẽ monasterij tẽplo sepultus. Bruschius.

SVB FRIDERICO.

CONRADVS.

COnradus comes à Lutzelnstein cõsentientibus cleri suffragijs Vualthero substituitur. Is cum quatuor annis in palatio episcopali habitasset, monasteriũ S. Vlrici ingressus est, nihilominus episcopatũ gubernãs, ac præfuit annis 15. Obijt anno Salutis humanæ 1167 in Italia correptus peste, secundum Auentinum lib. 6. Sepultus est in cœnobio S.Vlrici.

HARDOVIGVS.

Hardouigus, uel Hardouuicus, nobilis heros Lierheimẽsis, ex Riæsa natus, constituitur eodem anno successor, quo Conradus moritur. Monachus & prior fuerat in monasterio S.Vlrici Augustę. Is mortuis comitib. Schuuabersensibus, patronũ sui episcopatus elegit Fridericũ Imperatorẽ & eius filios: quæ res multis turbis occasionẽ præbuit. Nã Guelphones Rauenspurgenses id ius ad se pertinere arbitrantes, nonihil ipsi molestiã crearũt. Obijt anno 1184, Ianuarij 25 die, postquã 17 annis pręfuisset. Sepultus est ante altare S. Georgij in basilica beatæ Virginis.

SVB FRIDERICO ET *Heinrico* V.

VDALSCALCVS.

POst Hardouigũ Vdalscalcus comes Thẽnenlohensis, uel secundũ alios Eschenlohensis, antistes designatur. Fuerat is summi tẽpli Augustani præpositus. Totus aũt fuit occupatus ædificãdis consecrandisq; monasterijs. Nam sancti Vlrici monasterium, quod anno 1183 incẽdio conflagrauerat, eius subsidijs restauratur, & quadriẽnio pòst cõsecratur. Itẽq; aliud S. Crucis Benedictinorũ in Danubiana denuò dedicauit & cõsecrauit. Fundauit etiam Augustæ cœnobiũ S.Crucis. Præfuit annis 18, & mensibus 4. Mortuus est anno Salutis 1202. Bruschius.

ARGENTINENSES.

SVB HEINRICO IIII & V.

BALDOVINVS, CHVNO.

BAldouinus anno 1100 Argentinensi sedi præficitur, uixq; duobus præest mensibus. Cui Chuno succedit, ab Imperatore Heinrico 4 electus. Is primis suæ gubernationis annis cum alijs quibusdam uiris nobilib. dicitur fundasse & cõstruxisse Baumgartẽse cœnobiũ. Præfuit annis 22 tam negligẽter, ut etiam officio remoueretur. Appendix Mariani Scoti, Chronicon Hirsaugiense. Obijt anno Domini 1123. Bruschius.

SVB LOTHARIO *Saxone.*

BRVNO.

BRunonem, qui Chunoni successerat, nõ multis post adeptum episcopatum annis sede eijcit Lotharius. Quæ uerò eius rei causa fuerit, nusquam reperitur. Reconciliatus tamen tandem post quadriennium quàm expulsus erat, interuentu reginæ & episcoporum, loco restituitur, anno Domini 1129. Appendix Mariani Scoti. Biennio pòst resignauit eum episcopatum. Ibidem.

EBERHARDVS.

Appẽdix Mariani Scoti cuiusdam Eberhardi Argentinensis episcopi meminit, qui anno Domini 1127 mortuus est. Fortè quòd hic circiter biennium præfuit, quo tempore Bruno exulauit.

GEBEHARDVS.

Gebehardus, qui Brunoni succesit, utrũque gesit gladiũ. Nam contra Fridericum Sueuiæ ducẽ pugnauit, & superior extitit. Obijt anno humanæ Salutis 1140. Chronicon Hirsaugiẽse, Appendix Mariani Scoti. Vel secundum Bruschium 1141.

SVB CONRADO III.

BVRCARDVS.

BVrcardus totius cleri suffragijs eligitur, anno 1141. Is xenodochium Argentinense liberalissimè ditauit & auxit. Templi S. Thomæ incendio cõflagrati instaurationem iuuit. Præfuit annis 20. Obijt anno Domini 1161. Bruschius.

SVB FRIDERICO I.

RVDOLPHVS, CONradus.

RVdolphus eodẽ anno hunc consequitur episcopatũ simoniacis largitionibus. Is rursus ab Alexandro 3, anno 1179, mense Aprili, in publica synodo Romana, ad quã 500 confluxerant episcopi & abbates, loco mouetur. Præfuit annis 18. Rudolphi successor Conradus, exacto uix uno anno in uiuis esse desijt.

HEINRICVS.

Heinricus baro Haserburgensis per clerum Conrado substituitur, obijtque anno 1190, cum decem annis prȩfuisset, calẽd. Aprilis. Bruschius.

SPIRENSES.

SVB HEINRICO V.

GEBHARDVS.

GEbhardus Sueuus, comes Auracensis, ex canonico Argentinensi abbas Hirsaugiensis factus, totius Spirensis cleri consensu eligitur antistes, anno Salutis humanæ 1105. Bruschius. Chron. Hirsaugiense ab Heinrico 5 Ratisbonæ huic sedi eum præfectum dicit, de consilio Ruthardi Moguntini & aliorum, qui eò ad comitia uenerant, à quo & consecratus est. Semper fermè usus est aduersa ualetudine, quam ob causam clàm ad Hirsaugiense monasterium quietis causa redire statuit: sed à Spirẽsibus reductus, cùm tribus mensibus inter Rheni paludes, qui locus hodie dicitur Bruchsal, substitisset, moritur calend. Martij, anno Domini 1108. Chron. Hirsaug. Bruschius mortuum narrat anno 1110, postquã 4 annis & 10 mẽsibus præfuisset. Sepultus est in choro templi Hirsaugiensis ante summũ altare, sicut uiuus hoc petiuerat. Chron. Hirsaug.

BRVNO.

Bruno, qui & Einhardus, Gebhardo successit. Chron. Hirsaug. clero Spirensi commendatus ab Imperatore Heinrico 5. Eius consensu Spira ab intolerabilibus aliquot onerib. liberatur ab Imperatore. Obijt anno 1123, 19 Octobris die, cũ paulo antè Romam ablegatus fuisset ab Imperatore, pro componenda controuersia de Inuestituris. Continuator Sigeberti. Præfuit annis 12. Mortuus in Limpurgense cœnobium Spira defertur, & ante gradus presbyterij sepelitur. Chron. Hirsaugiense.

ARNOLPHVS.

Arnolphus, quẽ Appendix Mariani Scoti Arnoldum uocat, abbas Corbeiæ in Saxonia primùm, deinde Laurissensis, Vueissenburgensis & Limburgensis, ab Heinrico 5, consensu cleri Spirensis, Brunoni subrogatur. Obijt anno 1127, cũ annis tantùm 4 præfuisset. Sepultus est apud S. Guidonẽ in choro. Bruschius.

SVB LOTHARIO.

SIGEFRIDVS.

SIgefridus comes Leyningensis succedit anno Domini 1127. Eius gubernatio aliquandiu admodũ turbulẽta fuit. Nam Cõradus Sueuus ægrè ferens, Lothariũ in Imperij succesione prȩferri, Rheni ripam inuadit hostiliter, Spiram obsidet, & deditione capit. Episcopus eijcitur, quòd Lothario adhȩsisset, & Conradũ pro Romano rege co-

ge cognoscere noluisset. Sed paulo pòst & Lotharius cum exercitu eò quoq; ueniẽs, & Spira recuperata, Sigefridum loco restituit. Is anno 1137 basilicam D. Virginis igne conflagratam restaurauit. Obijt anno Salutis 1142, Septembris 23 die, cum annis 15 præfuisset. Chron. Hirsaugiense. Appendix Mariani Scoti constituit annũ mortis 1147.

SVB CONRADO.

GVNTHERVS.

GVntherus comes Lyningẽsis successit, consentiente clero unanimiter in eius electionẽ. Is à Friderico, cuius tẽpora assecutus est, dotatus est Vuerbesteinẽsi castro & circumiacẽte territorio. Fũdauit Maulbrũnẽse cœnobium. Obijt anno Domini 1156, Septẽbris die 17, cũ 14 annis præfuisset. Sepultus est Maulbrunni in cœnobio ad summũ altare chori. Bruschius.

SVB FRIDERICO.

VDALRICVS.

VDalricus heros à Duemuntz substituitur. Is multa ecclesię Spirensis priuilegia amisisse fertur. Obijt in Italia in castris Friderici Imperatoris obsidentis Romã, pestilẽti cõtagio correptus, anno Domini 1168, cũ annis pręfuisset 12. Cuspinianus, Brusch.

GODEFRIDVS II.

Godefridus 11 Vdalrici successor, insignẽ Euangeliorũ librum auro, argento & gemmis pulcherrimè instructũ, ecclesiæ Spirẽsi dedit cum hac inscriptione:

Me Godefrid sanctæ præsul dedit ecce Mariæ:
Munere pro tali teneat pia gaudia cœli,
Quo residet Regum Rex, omni laude per æuum.

Mortuus est anno Domini 1178. Idem.

CONRADVS II. RAPOTHO.

Cõradus 11 successit sequẽti anno, præfuitq; annis 5. & postea trãsijt ad patres suos, anno 1184. Post hũc Rapotho, qui & Rabodo dictus est, præfuit annis 4.

VDALRICVS II.

Vdalricus 11, nobilis Rechbergensis, qui arcẽ Bruxellẽsem extruxit, totidẽ annis p̃fuit eidẽ ecclesię. Obijt anno 1192. Brusch. Chronicon Hirsaugiense annũ mortis constituit 1188, annos uerò gubernationis octo.

SVB HENRICO VI.

OTHO.

OTho comes Hennenbergensis successit. Is quia ętate grauis erat & ualetudinarius, cõsensu cleri adsciuit Cõradũ quendã baronẽ de Scharpfenbergk, circiter annum Domini 1202, cũ pręfuisset 7 annis. Brusch. Chron. Hirsaugiense numerat annos 11.

VVORMACIENSES.

SVB HENRICO V.

DIETMARVS.

DIetmarus Vuormaciẽsis creatur antistes, anno Salutis 1108. Præfuit aũt duob. annis.

EBBO.

Ebbo, uel Eppo, sequenti anno Heinrici quinti autoritate eandem sedem conscendit. At Trithemius in Chronico Hirsaug. initium eius gubernationis in annũ 1085 reijcit. Fuit autẽ Ebbo primùm monachus Laurissensis, & postea Goslariẽsis canonicus. Inde Vuormatiã trãsfertur, ubi anno sequẽti summũ templũ à Brunone Treuerẽsi cõsecrari curauit, in honorẽ S. Trinitatis, B. Virginis, & S. Petri, in præsentia Imperatoris ordinumq; Imperij, qui sub id tẽpus ad comitia Vuormatiæ cõuenerant. Obijt anno 1115, cũ 5 annis pręfuisset. Bruschius. Chronic. Hirsaug. annis non paucis eũ præfuisse tradit. Epigramma tale de eo extat:

Lorchonum consors prius Ebbo, pòst tamen exors,
Goslariæ sedes acceptas liquit & ædes,
Vuormaciam uenit, populi quo scandala demit,
Præsulis & partes, sanctasq; exercuit artes.
Vnde beatorum cesserunt regna polorum
Ebboni patri: dilecto credite fratri.

BVGGO, ARNOLDVS.

A' morte Epponis sedes illa quinq; annis uacauit, quòd inter canonicos de electione successoris non conueniret. Quidam enim ad Buggonem nobilem ab Achron deferri censebant hoc munus, quidã uerò pauciores numero ad Arnoldũ canonicum Vuormaciẽsem. Tandẽ Romanus pontifex Calixtus 2 suã interposuit authoritatẽ, atq; trãsegit ut Arnoldus in uniuersum abstineret, & Buggo p̃ficeretur. Buggo à papa cõfirmatus, per Adelbertũ Moguntinũ inũgitur. At nõ multo pòst rursus ab Heinrico quinto in papæ odium eijcitur, & præficitur Arnoldus: qui 16 fermè annos præest, cum interea Buggo Moguntiæ exulat. Arnoldus uerò gubernationis fortè pertæsus, uolens Buggoni cedit, anno 1131. Sic igitur loco pristino restitutus, totis 20 annis præest. Quo tempore monasterijs reparãdis totus intentus fuit. Tabulatu lapideo Vuormaciẽse tẽplũ renouatum cõsecrauit. Tritemius. Obijt anno Domini 1151, cũ iam 35 anni à prima electione effluxissent. Sepultus est in Schonouiensi monasterio, quod de integro extruxerat, & in quo sibi sepulchrum uiuus fieri curauerat. Brusch. Tali epitaphio sepulchrum eius inscriptum est:

Buggo pater fastum quemuis uitauit, & astum.
Buggo piè lator legumq;, & pacis amator.
Buggo sacrans aras, mentes correxit auaras.
Buggo reformauit monachos, & corda rigauit.
Buggo fugans enses, ditauit Schonogienses.
Buggo Dei cultor, inimicorum fuit ultor.
Buggo ferens palmam, sedem conscendit ad almam.
Buggo Deum laudans, lætatur tartara fraudans.
Buggo Deum cœli placato corde fideli.
Buggo pios ultus, pia murmura suscipe cultus.

CONRADVS.

Conradus nobilis Steynachianus eligitur in locum defuncti Buggonis, præfuitq; annis 12. Obijt anno 1163, Martij die 19. Sepultus est in summo templo Vuormaciẽsi, tali addito epitaphio:

Conradus specimen præclarum nobilitatis,
Commissas Domini quàm bene pauit oues.
Nunquid oues præsul pauit ratione carentes?
Non: sed Vangiones uoce docente uiros.

CONRADVS II.

Successit Cõradus eius nominis secundus, omniũ canonicorũ suffragijs cõsentiẽtibus, anno 1163. Is utrũq; gladiũ gessit. Nã ꝓ Friderico Barbarossa fortiter dimicauit cõtra Vuelphonẽ Heinricum. Et acriter pugnauit etiã cõtra Conradũ palatinũ, qui uiolenter multa ab ista ecclesia ad se transtulit, quę tamẽ recuperauit episcopus. Chronicõ Hirsaug. hoc de primo Cõrado successore Buggonis cõmemorat. Vsus etiã illo in legatione est Fridericus Imperator, eũq; in grauissimis Imperij Romani negocijs ad Emanuelẽ Constantinopolitanũ misit: à quo honorificè exceptus, uarijs ecclesiarũ ornamẽtis donatus est, quę omnia Vuormatiam attulit. Mortuus est anno 1187, Ian. die 18. Pręfuit annis 24. Sepult⁹ est in æde D. Laurẽtij.

HENRICVS.

Conradũ Hẽricus subsequitur. Is priuilegia ab Imperatore Hẽrico 6 consecutus est. Mortuus est anno 1196, Decẽb. die 23, cũ annis nouem præfuisset: & sepelitur in choro summi templi. Tale de eo extat epitaphiũ, ut Bruschius testatur:

Quis locus Henricum nobis præfecit amicum?
Traiectum mirum tradit honore uirum.
Pontificis partes an talis obibit & artes?
Iugiter ille boues & bene pascet oues.

HERBIPOLENSES.
SVB HEINRICO IIII & V.

RVPERTVS.

RVpertus ab Imperatore Heinrico 5 totoq; clero electus, cõstituitur Herbipoli episcopus, circiter annũ Salutis 1104. Præpositus summi collegij fuerat, ꝓpter eruditionẽ, prudẽtiã, aliasq; uirtutes omnib. charus. Illũ bis eiectũ ab Heinrico 4, filius restituit: teste Frisingẽsi lib. 7. ca. 8. & Crantzio in Saxonia lib. 5. cap. 18. Præfuit biẽnio. Mortuus est anno Domini 1106 in itinere, cũ ad Guardestallense conciliũ iter faceret. Chronicon Hirsaugiense, Bruschius.

EROLONGVS.

Erolõgus, seu Erlongus, uel etiã Ehrlingus, comes Calebẽsis & canonicus, ab Heinrico 4 cõtra Rupertũ antistes eligitur & inthronisatur. Bis ab Heinrico 5 sede pellitur, quãdiu Rupertus uiueret, totiesq; à patre restituitur. Tertia uerò uice à iuniore eiectus, tũ quidẽ Herbipolim nõ redijt, donec Rupertus moreretur. Brusch. Chron. Hirsaug. Crãtzius, Frising. unius tantũ eiectionis mẽtionẽ faciũt. At mortuo Ruperto, cõsensu cleri iterũ assumitur & cõfirmatur. Is postea Heinrico iuniori nõ tantùm recõciliatus, sed etiã ab eo ita adamatus est, ut in rerũ grauissimarũ deliberatione nihil sine eius consilio statuerit. Bruschius.

Vsus illo in legatione Imperator est ad ordines Imperij, q Coloniæ cõuenerãt, anno Salutis 1116, deliberaturi de nouo creando Imperatore, ut suo nomine apud ipsos intercederet, uti ueniã darẽt ignoscerentq;, si quid imprudẽs deliquisset, ipsum in posterũ gnauiter suo functurũ officio. Sed nihil effecit: imò & ipse alieniore in Imperatorẽ excõmunicatũ à papa animo redijt. Quod animaduertẽs Imperator, uitę interminans periculũ, Missã celebrare coẽgit: quę res postea toto uitę tẽpore ipsum afflixit. Vrspergẽsis, Hedio, Brusch. Postea etiã ducatũ Orientalis Fràcię, q Herbipolẽsi antiquitùs cõpetebat, Cõrado, suo ex sorore nepoti, conferre tẽtauit. Sed antistes sese opponẽs Imperatori, retinuit suũ: & ab illo tẽpore gladiũ uagina uacuũ sibi præferri uoluit. Vsus etiã primus est in suis insignib. unà cũ pedo pastorali coruscante ense: quod omnes postea successores imitati sunt. Bruschius.

Obijt anno 1122, postquã grauissimè toto quadriẽnio decubuisset. Pręfuit annis 16, & dieb. 11. Sepultus est in monasterij Schuuartzacensis tẽplo, nõ Herbipoli, q, à Romano pontifice excõmunicata esset. Bruschius.

RVGGERVS, GEBHARDVS.

Mortuo Erlõgo, ꝓpter electionẽ schisma oritur. Clerus enim Ruggerũ comitẽ Vayngẽsem in successorẽ & Orientalis Frãcię ducẽ eligit: Imperator Gebhardũ quẽdã Hennebergẽsem comitẽ cõstituit. eaq; dissensio in tantũ creuit, ut illi qui Ruggero fauerẽt, metu Imperatoris urbe cedere cogerentur. Vrsperg. Paucis tñ mẽsibus pòst dissidium hoc sopitũ est Vuormatię p legatos pontificios, qui quidẽ ita trãsegerũt, ut cleri electionẽ ratã haberẽt. At nõ multo post comitia, Hẽnebergẽsis auxilio Heinrici 5 Ruggerũ sede pellit, anno Domini 1125. Ruggerus igitur in Schuuartzacensi monasterio se abdit, & hisce cõditionib. transigit: sibi retinet ꝓuinciã ad Necarũ sitã, Gebhardus urbẽ & q̃ illi erãt cõtigua. Vrspergẽsis, Brusch. Deinceps solitariã egit uitã quinq; annis, & mortuus est peste anno 1130, cũ turbulẽtissimo tẽpore præfuisset annis 8. Sepultus est in Schuuartzacensi cœnobio. Bruschius.

Quidã uolũt, Ruggero sublato, paulo pòst abdicasse etiã isti muneri Gebhardũ: quidã etiam ita laudabiliter pręfuisse scribunt, ut ad eius

ad eius sedis gubernationem totius cleri consensu sit reuocatus. Bruschius.

SVB LOTHARIO.

HEZELINVS.

POst mortē Ruggeri & resignationē Gebhardi, à clero eligitur Hezelin., comes Leyningēsis, qui tantùm mensib. 14 præfuit, repētina morte sublatus cū Bābergā proficisceretur, anno 1131. Hic in Catalogo episcoporum Herbipolensiū non recensetur, fortè quòd confirmatus non fuit à papa.

SVB CONRADO III.

EMBRICHO.

Embricho, uel Imbricus, comes Leynningēsis, à clero eligitur cōsentiētib. suffragijs, anno Salutis 1131. Is utriq; Impatori, Lothario, & postea etiā Cōrado tertio, admodum fuit charus, ita quidem ut ipsum Cōradus cor suum appellarit: teste Ottone Frisingēsi lib. 1. cap. 23 de gestis Friderici. Vterq; etiam eo usus consiliario est.

Huic Lotharius ducatū Frāciæ restituit. Ideoq; ut suā gratitudinē erga Deū testaretur, Herbipoli in suburbio cōstruxit S. Iacobi Scotorū monasteriū, anno Domini 1139. Chro. Hirsaug. Vsus illo in legatiōe est Cōradus 3 ad Emanuelē Grecorū Impatorē, p despōsanda illi sorore cōiugis suę, arctioris firmandæ amicitiæ causa. Frisingensis lib. 1. cap. 23 de gestis Friderici. In reditu Aqleiæ moritur in Italia, ibiq; sepelitur, anno 1147. Chronicon Hirsaugiense, Bruschius.

SIGEFRIDVS.

Sigefridus succesit Embrichoni mortuo, eodem anno. Chron. Hirsaug. Is Eboracēse monasteriū amplissimis reditib. donauit, illūq; locū uiuus adhuc designauit, ut cor suū ibi terræ mādaretur. Obijt peste anno Salutis 1153, cū annis sex pfuisset. Corpus in templo cathedrali qdē, uiscera in tēplo arcis D. Virgini sacro, cor uerò Eboraci plūbeæ urnę inclusum sepelitur. Brusch. Appēdix Mariani Scoti refert, ipsum mortuū anno 1150.

SVB FRIDERICO.

GEBERHARDVS.

GEberhardus comes Hēnebergensis successor cōstitutus, cōfirmatur Romę ab Adriano quarto. Multa is liberalissimè donauit ad monasteriū Bildēhusense, quod eius tēpore cœptū est extrui. Interfuit expeditiōi in Italiā à Friderico Impatore susceptæ. Radeuic. li. 1. cap. 25. Mortuus est anno Salutis 1161, cū præfuisset annis octo, mēsibus sex, dieb. 15. Sepultus est diuersis in locis, sicuti antecessor. Eā nāq; consuetudinē sepeliēdi deinceps Herbipolenses seruarūt. Brusch.

HENRICVS II.

Hēricus secūdus à clero electus succedit. Interfuit expeditioni Italicæ, cū Fridericus Imperator Mediolanū obsideret. Obijt anno Salutis 1165, cū 3 annis, mense uno, dieb. quatuordecim præfuisset. Brusch. Chronicon Hirsaugiense habet annum 1167.

HEROLDVS.

Heroldo Heinrici successori Impator Fridericus ducatū Oriētalis Frāciæ sub aurea bulla primus cōfirmauit, cū omni potestate & iurisdictiōe ducali. Chro. Hirsaug. Itēq; mōtē Bambergēsem huic episcopo & successoribus dono dedit, ea cōditione, ne ullis in posterū seculis castellū in eo extrueretur. Brusch. Obijt anno Domini 1174, cum præfuisset 7 annos, menses quinq;, dies duos. Chron. Hirsaug. Huius obitum ad annū 1171 refert Bruschius.

REINHARDVS.

Reinhardus, aliàs Regēhardus, à clero eligitur successor. Is Romæ fuit tēpore Lucij tertij. Mortuus est anno Domini 1182, ipso die Viti, cū annis 10 præfuisset. Bruschius. Chronicon Hirsaugiensium meminit tantùm 4 annorum, mensium decem, & dierū quindecim, quibus præsedit. Atq; hoc modo annus mortis eius est 1178.

GODEFRIDVS.

Godefridus Pisemburgēsis heros, cancellarius Imperatoris Friderici, Reinhardo surrogatur. Is summū tēplū Herbipoli de integro cōstruxit ex quadrato marmore, dedicauitq; in honorē S. Chiliani. Chro. Hirsaugiēse. Secutus est postea Imperatorē in Asiā cōtra Soldanum, ubi non procul ab Antiochia uitā finiuit. Præfuit annis 4, secundum Brusch. Chro. Hirsaugiense numerat sex annos, mēses octo, dies 24. Sepultus est in summo templo Antiochiæ. Canonici uerò in primario templo Herbipoli ipsi honestum statuerunt monumentum, non secus ac si ibi sepultus esset. Bruschius.

HEINRICVS III.

Heinricus Bibelriedensis & Babenbergensis nobilis, à clero successor designatur, anno 1186. Trithemius ponit annum 1185. Is triennio pòst interfuit secūdę expeditioni, quā Imperator Fridericus in terrā Sanctam suscepit. Auentinus lib. 7. Cumq; istius belli administratio infœliciter succederet, atq; Imperator etiā submersus in fluuio Armeniæ diceretur, incolumis quidē domū rediit: sed tamen mœrore animi consumptus, obijt anno Salutis 1193, cum annis 6, mensibus 8, totidemq; diebus præfuisset. Bruschius. Chronicon Hirsaugiense & hic uariat, totosq; annos 4 adijcit, & mortuum asseuerat anno 1197. Bruschius tamen censet, Trithemium à uero aberrare.

SVB HEINRICO VI.

GODEFRIDVS II.

GOdefridus secūdus comes de Hohēlohe, Herbipolensis antistes, Heinrico 6 ad-

modũ charus fuit,& toti clero. Obijt anno 1198,cũ annis 5,mẽsibus 4,dieb.3 pręfuisset. Brusch. Chron. Hirsaugiense & hic multũ aberrat, tantùm ipsi tribuens quatuor menses & nouem dies gubernationis.

CLAVDARVS.

Claudarus quidã Hildeshemo trãslatus Herbipolim,anno 1191,ob singularem sapientiam, interfectus scribitur in Chrõ.Sax.

FRISINGENSES.

HEINRICVS.

HEinricus uir eruditus, & rebus Imperij admodũ studiosus,præficitur circiter annũ 1133. Is Viscophagũ & alia tẽpla cõsecrauit. Decreta Paschalis pontificis refutauit. Obijt circiter annum 1137.Auẽt.6 Annalium.

SVB CONRADO ET *Friderico.*

OTTO.

OTto filius Luitpoldi 3 marchionis Oriẽtalis, & Agnetis Heinrici 4 Imperatoris filiæ,ab ineũte ætate animũ ad religionis studiũ adiecerat: & postquã aliquẽ in Latinæ linguæ cognitiõe profectũ fecisset, ordini Cisterciẽsiũ monachorũ Morimũdi sese mãcipat. Inde Lutetias Parisiorũ sese cõferẽs, philosophiæ atq; Theologiæ cognitionem imbibit. Cumq; breui tempore æquales discẽdo uinceret,eorum monachorũ, quorũ antea extiterat discipulus, præceptor & abbas constitutus est Morimũdi.Syluius. Circiter annũ uerò 1140 per Conradum Imp. fratrẽ uterinũ, Frisingensis designatur episcopus.Auent.lib.6.

Scripta.

Præclarũ in cõscribenda Historia nauauit laborẽ.Nã ab exordio mũdi usq; ad sua tẽpora Historiã nõ inutilẽ cõtexuit,atq; in octo libros digessit:ne scilicet rebus bellicis occupatus,omnino ab ocio literario uacuus esset. Præterea nepotis sui Friderici res gestas conscribere cœpit quidẽ, sed nõ perfecit:quem laborẽ Radeuicus absoluit.

In Dialectica atq; philosophia nonnulla edidit,primusq; rationem disputandi Aristotelicam Bauaros docuit.Syluius.

Item epistolas duas,alteram ad Fridericũ,alterã ad Reinaldũ Imperij cancellariũ.

Opera eius in functione.

Prædia,si quę in aliorum peruenerãt manus, curauit isti ecclesiæ restitui, ædificia uel collapsa uel ruinosa reparari:religionẽ quoq; quantum potuit in pristinum restituit statum.Aeneas Syluius.

In superiore Bauaria unà cũ fratre Heinrico duce Bauariæ quatuor templa deintegro ædificauit & cõsecrauit, Neostepherã, Silurnũ,Schlechdorff.Schaphulariam uerò ab Vngaris euersam refecit,atq; Nordbertinis,quos Præmõstratẽses uocãt,ordinis Augustini dicat.Auẽt.lib.6. Annaliũ Boiorum.

Interfuit expeditioni Asiaticæ,quã Conradus anno Domini 1147 suscepit:in qua ut nihil præclari gestũ est, ita ipse quoq; episcopus Otto nudis pedibus,uesteq; lacera, atq; rebus omnib. amissis,ægrè euasit.Ibidẽ.De qua expeditione Syluius in historia Australi:Cũ fratre Cõrado in Gręciã Syriãque ꝓfectus,bellis omnibus interfuit, quæ cũ Turcis Sarracenisq; seu secunda seu aduersa gesta sunt,consilioq; & armis rẽ Christianam iuuit.

Politica negotia tractauit, non continẽs sese intra metas suæ uocationis. Nã Ratisbonæ celebri cõuentui interfuit,anno Salutis 1156,cũ Fridericus Imperator intra Heinricos decimũ & undecimum transigeret. Adfuit pręterea Friderico Imperatori,cum ad Augustã castra posuisset.Radeuicus lib. 3.cap.22.de gestis Friderici.

Autor præterea fuisse scribitur Moguntino & Iuuauiẽsi archiepiscopis, ut discordia inter Fridericũ Imperatorẽ & Adrianũ 4 papã prorsus sopiretur. Auent.lib. sexto.

Superstitione adductus peregrinatus est ad loca sancta. Nam Hierosolymam uidit sepulchrumq; Dominicũ, seq; in Iordanis flumine lauit.Syluius.

Senio confectus ad Morimũdanos monachos ordinis Cistercienũ sese contulit, morboq; ingrauescẽte,in præsentia monachorũ,quos ad se uocauerat,cũ de immortalitate animæ,de supplicijs damnationis, æternaq; gloria, deq; uita monastica disseruisset,illa quæ conscripsisset,ipsorũ iudicio atq; emendationi subiecit.Ibidem.

Tandẽ uerò sacramento Eucharistiæ unctioneq; extrema percepta, transijt ad patres suos,anno Salutis 1159. Auentinus lib. 6.cum annis fermè 19 præfuisset isti sedi.

ALBERTVS.

Successit Otthoni Albertus. Is Paschali põtifici his cõditionib.se obligauerat, quãdiu Imperium eius rebus studeret,aut ipse Cęsarea prædia,castella,uicos,oppida,beneficia stipendiaria possideret.

Ab Heinrico Leone nõ parũ afflictus est. Is enim Veringiorũ uicũ, Frisingẽsis episcopi municipiũ,reuersus ex Italia ui occupauit incẽditq;,salinas,salinarios omnes,pontẽ,portoriũ in Monachium nouũ oppidum transfert. Qua de re grauiter cõquestus est apud Fridericũ Imperatorem,eiusq; opem implorat.Et postea etiam huius iniurię causa in ius uocat.

Templũ Frisingense, quod cum oppido post mortẽ Ottonis cõflagrarat, ope & per missu Ottonis Bauarię ducis,& Ottonis à Vuittelsbach dynastæ reparauit. Auentinus lib.6.

Cum

Cum Ottone regulo Boiorum postea de portorio & salinarũ uectigali acriter certauit, quæ Henricus Monachium transtulerat: sed in ipso conflictu mors utrumq; sustulit, circiter annum Domini 1183, cũ annis 23 præfuisset.

OTTO III.

Successoré habuit Ottoné tertiũ, filium Theobaldi Bergẽsis & Gisalæ ab Andechs. Is Ottẽburgium arcem superioris Bauariæ extruxit, præsidioq; firmauit.

Bauarorum regulo atq; Monacensibus bellum intulit ob salinarum portoriũ & uectigal. Salem deuehentes Verigiũ, Ottẽburgium petere ui adegit, præclusis obsessisq; reliquis itineribus. Auentinus lib. 7.

RADEVICVS.

Radeuicus Frisingensis præpositus cõtinuauit Historiã Friderici, quã Otto episcopus incœpat. Morimũdi, quò ad cœnobiũ Cisterciẽse sese contulerat, senex mortuus est, cũ multa fuisset antè de æterna uita locutus, anno 1158. lib. 4. de reb. Friderici. Cuspinianus in Austria.

BATHAVENSES.

VLRICVS.

VLricus Bathauensis episcopus interfuit expeditioni Hierosolymitanæ, circiter annũ Domini 1101. Auentinus lib. 6. Post quem RENOBERTVS eandem ecclesiã gubernauit. Cuspinianus in Austria.

CONRADVS.

Cõradus frater fuit Otthonis Frisingẽsis & Hẽrici Bauari, uitrici Hẽrici Leonis. Inter eũ uerò & fratrẽ cũ simultas quædã extitisset, Eberhardus Iuuauiẽsis pacẽ facit. Auentinus lib. 6. Ad eundem de Cicẽsi episcopo Guicmanno scripta epistola est ab Eugenio tertio, ne patiatur Fridericum contra Canonum statuta istum ecclesiæ præficere. Frisingensis lib. 2. cap. 8 de gestis Friderici.

RVPERTVS.

Rupertus, qui & Reginbertus, in Bauaria crucẽ quã Adã Ebracẽsis pdicauit, unà cũ alijs accepit. Frising. l. 1. c. 40 de gestis Frider. Moritur anno 1165. Auent. lib. 6.

ALBANVS.

Albanus Bathauiensium præsul post Rupertum à ciuibus urbe pellitur, quòd nõ iuxta Imperij senatuscõsultum à Christiano Moguntino esset inauguratus, sed ab Vlrico patriarcha Aquileiensi. Auentinus lib. 6.

HENRICVS.

Henricus Albano eiecto substituitur. Et cum hic quoq; à Moguntino sacris initiari recusaret, remouetur, ipsius fratre Dietpoldo substituto.

DIETPOLDVS.

Dietpoldus, qui & Theobaldus ab Auẽtino dicitur lib. 7. filius Diethboldi Sueui Bergensium dynastę, Geysæq; ab Andechs, frater Mangoldi Tigurinorum præsulis fuit. Is ab Heinrico Gurcensi præsule cõsecratur quarto idus Iulij, locoq; fratris pficitur.

Interfuit comitijs Ratisbonẽsibus, habitis anno Salutis 1180. in quibus Heinricus Leo læsæ maiestatis damnatus, utroq; ducatu Saxoniæ & Bauariæ exutus est. Auentinus lib. 6.

Interfuit etiam expeditioni Asiaticæ, in terram Sanctam à Friderico susceptæ, circiter annum Domini 1189. Auẽtinus lib. 7. Cuspinianus in Austria.

MANEGOLDVS.

Manegoldus frater Dietboldi, præsul in Chrembimũster atq; Tegrẽsee, fratri in terrã Sanctam profecto successit. Auent. lib. 7.

VVOLFGERVS.

Vuolfgerus ab Ellenbrechskirchẽ, episcopus Bathauẽsis, bellũ Rapatoni & Henrico Artenburgẽsibus indicit, castella omnia expugnat, uicos incendit, ædes diripit, Oberndorff arcem & uicum in Oeni ripa extruit mũnitq;. Ibidem.

BRIXIENSES.

HVGO.

HVgonẽ episcopũ Brixiẽsem Cõradus Salisburgẽsis loco & functiõe remouit, quòd à partib. Henrici 5. contra Paschalẽ papã staret, circiter annum 1117. Auentinus lib. 6.

RENOBERTVS.

Remoto Hugoni Renobertum Iuuauẽsium monachorum abbatem substituit Cõradus. Auentinus lib. 6.

SVB FRIDERICO.

HARTMANNVS.

HArtmannus ex territorio Pictauiẽsi oriũdus, adolescẽs canonicis regularib. S. Nicolai Pictauij traditus, doctrinã & morũ honestatẽ simul ab ineũte ætate addidicit. Indeà Cõrado Saltzburgensi translatus, Iuuauiæ monasterio præficitur. Rursus in ripa Danubij isthinc translatus prælaturæ pficitur: & tandẽ etiã Brixiensis episcopus communi clericorum suffragio electus est.

Opera eius.

Honorẽ pprio corpori nõ habuit, sed ieiunijs, uigilijs, alijsq; supplicijs, ut Schedelius qdẽ illas carnificinas appellat, sese uehemẽter afflixit: ut quòd cilicio indutus fuerit, quòd tantùm ouis ac lacticinijs solitus fuerit uesci, idq; pmissu archiepiscopi. Totum tẽpus quo pręfuit Brixiensi ecclesię, uel cõtẽplando, uel orãdo, uel legẽdo cõsumpsit.

Docere alios solitus est: lites diremit.

Friderici Imperatoris cõfessor fuit, cuius iram in Alexandrum 3 papam conceptam mitigauit. Auentinus lib. 6.

Friderico expeditionẽ Mediolanensem suasit. Frising. li. 3. ca. 14 de gestis Friderici.

Papiæ

Papiæ cõcilio interfuit. Idem lib. 4. cap. 60. de gestis Friderici.

Dehortatus est Impatorẽ, ne bellũ in papã susciperet, sed exercitũ aduersus Turcã duceret: & persuasit etiã, simul promittẽs, se ad expugnãdũ Soldanũ à rege Galliç auxiliatrices impetraturũ copias. Robertus Barns.

Curriculum.

Senex cum in balneo in solstitio hyemali 10 calẽd. Ianuarij lauaret, expirauit, anno 1165. Mortuus miracula operari dicitur, pręsertim apud grauidas & parturientes. Schedelius ætate 6.

OTTO.

Otto Hartmanno succedit, atq; iuxta Imperatoris edictum sacris initiatur à Christiano Moguntino. Auentinus lib. 6.

RICHERVS.

Richerus Brixiensis episcopus post Ottonẽ præfuit, circiter annũ Domini 1171. Is Imperatoris omniũq; qui Ratisbonę in comitijs erãt nomine, in Albertũ Iuuauiẽsem sententiã renũciat, ipsum ab illa sede abstinere debere omnino, & Henricũ Berchtolgadensem pręesse eius loco. Auentinus l. 6.

HEINRICVS.

Is cum alijs quibusdam dynastis & episcopo Bambergensi pacem fecit inter Cõradum Iuuauiensem & Hermannum Gurzensem episcopos. Auentinus lib. 7.

SABONENSES.

HARTMANNVS.

HArtmãnus circiter annum Salutis 1160, Sabonæ in Bauaria pręfuit, tutatusq; est Alexandri tertij partes. Auentinus lib. 6.

RICARDVS.

Ricardus anno Domini 1180 eidem sedi p̃fuit. Interfuit Ratisponæ comitijs. Ibid.

GVRCENSES.

HIPPOLYTVS.

HIppolytus Gurcensis episcopus aduersus Vngaros unà cum socijs bellum gessit.

HENRICVS.

Is sacris initiauit Diethboldum Batauẽsem episcopum. Auentinus lib. 6.

ROMANVS.

Romanus 2 Gurcensis episcopus obijt circiter annum Domini 1160. Auẽtinus li. 7.

THEODORICVS.

Theodoricus præpositus Iuuauẽsis à Cõrado archiepiscopo Salisburgensi, inuito clero & populo, Romano 2 substituitur. Nã Hermannus Ottenburgensis à clero & populo electus quidẽ fuit: sed hic cedere Theodorico coactus fuit, quòd hanc electionẽ Conradus diceret esse illicitam. Auent. li. 7.

BASILIENSES.

HANNO.

HAnno Basiliensis episcopus cõcilio apud Aquas pensiles tempore Lotharij interfuit. Chron. Casinense lib. 4. cap. 110.

ORTLIBVS.

Ortlibus eiusdem sedis antistes, Imperatoris Conradi comitatus est exercitum in terrã Sanctã, anno 1146. Frisingẽsis li. 1. c. 58.

FRIDERICVS.

Fridericus ibidem episcopus obijt anno 1118. Chron. Saxoniæ.

EICHSTETENSES.

SVB HEINRICO IIII & V.

EBERHARDVS.

EBerhardus marchio à Schuuinfurto, Otthonis & Penissæ filius, consensu cleri episcopus Aureati constituitur, anno 1098. Is à statibus Imperij Moguntia mittitur, ut Germanos apud pontificẽ excusaret, omniũque nomine obedientiã promitteret cõtra Henricũ quartũ. Sed proditus ab Alberto Imperatoris præfecto, capitur prope Tridẽtum in angustijs uallis, & non multo pòst à Guelphone arma in Albertũ sumẽte liberatur. Reuersus multis pagis & prędijs ecclesiã dotauit auxitq;. Obijt anno 1112, cum annis 13 præfuisset, secundũ Bruschiũ. Chronicon Hirsaugiẽse meminit, interfuisse ipsum anno Salutis 1118 cõsecrationi templi Vuormaciensis, renouati per Buggonẽ: pluresque ita annos tribuit quàm Bruschius.

VDALRICVS II.

Vdalricus secundus succedit, qui sui cleri summus amicus & benefactor fuisse cõmendatur. Obijt anno 1125, Septembris die tertio, cum annis 13 præfuisset.

SVB LOTHARIO.

GEBHARDVS II.

GEbhardus secundus, comes Hirsbẽsis, eligitur successor. Is cõsensu Eugenij tertij ex præpositura Heydẽheimensi abbatiam Benedictinã iterũ fecit, eiectis sacerdotib. qui parũ honestè se gesserãt. Interfuit etiam Rhemẽsi synodo in Gallijs. Mortuus est anno Domini 1148, Martij die 17, cum annis 24 præfuisset. Bruschius.

SVB CONRADO.

BVRCHARDVS.

BVrchardus à Conrado tertio episcopus constituitur in defuncti Gebhardi locũ: qui abbatẽ & monachos Benedictinos ex Heydenhemiensi monasterio eiecit. Ideoq; ab abbate pręter illatã iniuriã etiã ignauię Romæ accusatur, & non multo pòst ab Eugenio 3, à quo antea iussus fuerat monere Imper. Fridericũ, ne Guicmãnũ ecclesiæ Cicẽsi præficeret, teste Frising. li. 2. ca. 8. officio remouetur per legatos Bernhardum & Gregoriũ cardinales. Idẽ lib. 2. cap. 9. Anno Domini 1153, cũ annis 4 & paulò amplius præfuisset. In eius contumeliam confecti sunt hi uersiculi, ut Bruschius refert:

Non,

Non, uirtutis egens Burcardus, erat bene degens,
Dedecus Ecclesiæ se facit esse suæ.
Præsulis hic morem nullum tenuit neq; honorem,
Sed tantùm nomen, cuius & umbra fuit.

SVB FRIDERICO.

CONRADVS.

Conradus nobilis heros Morsbergẽsis, Bauarus, ab Eugenio 3 in locum Burchardi constituitur. Abbas fuit bene doctus in Vuildsbergensi cœnobio, abbatéq; cũ monachis in Heydenheimẽse monasteriũ reduxit, eiectis sacerdotib. secularibus. Impatori Friderico admodũ fuit charus, q ipsum legatũ misit in Sardiniã & Corsicã. Frising. li. 4. c. 9 de gestis Frider. Mortuus est anno 1171, cũ 18 præfuisset annis, & sepultus est in Rebdorffẽsi monasterio à se fũdato, in quo sibi sepulchrũ uiuus effici curauerat. Brusc.

EGILOLPHVS.

Egilolphus in locũ defuncti Cõradi à clero eligitur. Is ualetudinarius fuit. Nã & primùm chiragra ita uexatus est, ut planè fieret contractus, ut uocant. Tandẽ linguę usu amisso, per externos gestus canonicis episcopatũ resignauit, anno 1182, cũ undecim annis præfuisset. Idẽ. Interfuerat etiam comitijs Ratisbonensibus, in quibus condem natus est Heinricus Leo. Auentinus lib. 6.

OTTHO.

Otthonẽ, qui à clero in locũ Egilolphi fuit adscitus, hypocritã insignem fuisse apparet. Nã Ecclesiasticorũ rituũ ita studiosus fuit, ut semper primus ad templũ ueniret, & postea etiã postremus discesserit. Sacellum resurrectionis Christi cõdidit. Amplificauit quantũ potuit episcopatum. Transijt ad patres suos anno Salutis 1196, cũ annis 13 præfuisset. Bruschius.

BAMBERGENSES.

OTTO.

Otto natione Sueuus, uel secundũ Bruschiũ Bauarus, patre Bertholdo comite Andecẽse, & Sophia Amberanæ uallis ducissa natus est, anno Domini 1069. Is ingeniũ bonis artibus aptũ & idoneum non tãtùm nactus erat, sed accessit etiã acre studiũ, ut breui tẽpore nõ parũ in addiscẽdis bonis literis fructum faceret. Bruschius, Chrõ. Bãb.

Legũ, actionũ synodaliũ, processus & excessus feudaliũ cognitionẽ exactã habuit. Disertus fuit nõ solùm natura, sed etiã diligẽti assuefactione naturæ bonũ excoluit. Philosophiam uerò & alias bonas artes etiãsi delibarat, tamẽ non usq; adeò in illis excellenter doctus fuit: ut in uita eius lib. 1. cap. 14 & 16 scribitur.

Functiones.

Breui itaq; tẽpore in tantum profecit, ut in Polonia erudiẽdæ tenerę iuuẽtuti præficeretur: qua in re suã operã atq; diligentiã ita probauit, ut & honorẽ & fauorẽ omniũ adipisceretur. Eaq; occasione linguã Polonicã sine labore addiscebat. Chrõ. Bãberg.

Deinde ad Imperatorẽ Henricum 4. peruenit, cuius factus est cancellarius, diaconus seu sacellanus. Tandẽ uerò ad episcopatũ hoc modo peruenit: Defuncto Ruperto, de quo superiore seculo dictũ est, mittũtur legati ad Imperatorẽ Henricũ 4, pro cõstituẽdo antistite in locũ defuncti: tũ enim inuestituræ per baculũ & annulũ per Imp. fieri inoleuerant. Imperator re deliberata, præsentib. legatis Ottonẽ manu apprehendẽs, dixit: En hic est dominus uester, hic est ecclesię Bambergẽsis antistes. Legati nondũ quicquã de eo sciẽtes, molestè ferũt aliquo modo, talẽ sibi cõstitui, cũ aliquem ex principũ numero se habituros sperassent. Sed quodãmodo iratus Imperator respondit: Vt qs sit pnoscatis, ego eius pater sum, & Bãberga eius erit mater. Testor enim eũ qui regit & nouit omnia, nõ me hodie nosse mortalẽ, cui honestius & tutius eius loci cura cõmitti possit. Huic meæ uoluntati si qui refragabitur, nõ feret inultũ: hunc qui tangit, etiã pupillã oculi mei tãgit. His dictis, rursum eũ legatis cõmendatũ, Bambergensem episcopũ denominat. Recusat Otto oblatũ munus semel atq; iterũ, petitque ad alios multò sese digniores deferri: sed uicit tãdẽ Impatoris uoluntas. Deinceps festo purificationis Mariæ ab Augustano & Vuirtzburgẽsi episcopis, nõnullis alijs uiris illustrib comitãtibus, Mogũtia Bãbergã deducitur, anno Domini 1102. Chrõ. Bãbergense. Augustanum & Halberstadẽsem episcopatus recusauerat, addens, illis prius esse prospiciendum, qui diutius labores sustinuissent. libro 1. cap. 7. in uita eius.

Scripta.

Duæ eius extant epistolæ, altera ad Paschalem secũdum, in qua seipsum excusat, quòd de manu laica acceperit inuestiturã, & petit, si papæ ita uideatur, se confirmari. lib. 1. cap. 9. de uita eius. Altera ad Eberhardũ suum præpositum & clerũ, in qua meminit, se sine iuramento consecratum. ibidem cap. 10. Item Chron. Bambergense.

Opera eius.

Mancipiũ Antichristi fuit Nã ad Paschalẽ 2 legatos misit ꝓ impetrãda cõfirmatione, simulq; literas, in qbus Petrũ eiusq; successores Christi uicarios facit, totiusq; Christianę religiõis firmamẽtũ. Ius utriusq; regiminis, & Ecclesiastici & politici, papę tribuit. Pòst ipsemet Romã uersus ꝓfectus, Anagnię mõstrũ illud horrẽdũ & ingens offendit: ad cuius genua ꝓuolutus, baculũ & annulũ, insignia inuestituræ ab Imp accepta, deponit, seipsum accusãs, quòd in eã ecclesiã nõ per ianuam, sed posticũ fuerit ingressus, simulq; ad pœnam obeundã sese offerr.

Tandem

Tandem etiam impetrat ab eo confirmationem in festo Pentecostes, nullo præstito iuramento, sicut ipse in quadam epistola meminit ad clerum Bãbergensem. Chrõ. Bambergensc. Præterea toto illo tempore quo excommunicatus fuit Imperator Hẽricus quintus, suis canonicis Imperatori fauentibus restitit, & firmiter adhæsit Romano antistiti. In uita eius lib. 1. cap. 12.

Monasteria atq; oratoria uiginti & unũ fundauit atq; ædificauit, eorumq; confirmationem impetrauit à Calixto 2. eaq; ornamentis splendidissimis donauit.

Auxit ecclesiæ Bambergensis bona. Nã castellum Bodenstein magna pecuniȩ summa emit, & ei adiunxit: idq; Henricus 5 cõfirmauit. Accesserũt etiam eius opera sex alia castella prædiaq; isti episcopatui.

Interfuit legationi, quam anno 1106 misit Henricus 5 ad papam Paschalem, in qua transactum est inter Imperatorem & pontificẽ. Cranzius in Saxonia lib. 5. cap. 21. Per eundem suam sororem Imperator, nomine Iuditham, duci Poloniæ desponsari curauit: quam ob rem & ipsi Polonorũ principi & toti aulæ charus fuit Ottho. Chron. Bamberg.

Interfuit concilio Moguntiæ, quod præsente Lothario celebratum est, anno 1131. Chron. Hirsaugiense.

Liberalis in pauperes fuit, ita quidem ut nunquam prodigus, semper autem liberalis inueniretur. lib. 1. cap. 13.

Regibus huius seculi & potestatibus superioribus subditus fuit, ut nullus alius episcoporum. lib. 1. cap. 29. in uita eius.

Vestitu & cibis non ad uoluptatem, sed ad necessitatem est usus. Tantaq; in homine frugalitas & temperãtia fuit, ut dixerit, se nunquam ad satietatem comedisse in episcopatu panem. Cum aliquando eius procurator luciũ piscem ei apposuisset, emptum duobus solidis, dixisse fertur: Absit ut miser Otto solus tot denarios hodie absumat. Defer igitur ad quendam ægrotum. Ego enim adhuc firmo corpore me hoc pane possum reficere. Ibidem cap. 32.

Afflixit corpus, non iustum honorem ei tribuens. Nam à sacerdotibus ita interdum uoluit cædi uirgis, ut sanguis eliceretur. ibidem cap. 33.

Coluit deos alienos, trãslatione reliquiarum. Cum enim in uico quodam Buchelbach cognouisset reconditas esse multas reliquias, ad nobiliora loca illa transferre animum induxit. Sed illusione quadam satanæ proposito deiectus est. Nam cum sigillum (ut uocant) aperiret, è plumbea cistula, in qua reconditæ erant, sanguis stillare uisus est. Hoc uiso obstupuit, & quasi atrox quoddã scelus commisisset, ueniam poscit. lib. 1. cap. 34. in uita Ottonis.

Cum aliquando ægrotaret grauiter, ut etiã de uita periclitaretur, ab abbate S. Michaelis, qui ipsi astabat, habitum monasticum postulauit, dicens, se pridem in animo habuisse eam deserere stationem, & monachum fieri. Ibidem cap. 34.

Eius tempore in Orientali Francia tanta panis penuria fuisse dicitur, ut magna multitudo, præsertim pauperum, fame & inedia perierit, ut mortuorũ cadauera magno passim numero iacuerint: illa sepeliuit, uel sepeliri curauit. Reliquos passim uisitauit & pauit, non solùm diurno, sed etiam nocturno tempore. Ibidem cap. trigesimoquinto.

Eam Pomeraniæ partem, quæ intra Viadrum & Poloniam sita est, ad Christianam religionem, quam tamen rectius pontificiã dixeris, conuertit, unà cum principe ipsorũ Vuerceslao, anno 1124. Vnde hodie adhuc Pomeranorum Apostolus dici solet, quamuis prorsus alia ratione, quàm Apostoli, seminaria Christianismi ibi sparserit. Nã tantum habuit comitatum, ut paganorum circiter 4000, qui ad festũ diem Piritzij cõuenerãt, perterrefierent, suspicantes bellicum esse apparatum. Isti autem labori anni spacium tribuit, pòst Bambergam reuersus est: ut in uita eius scribitur, lib. 2. cap. 4. 5. 6. & sequentibus.

Pòst quadriennium altera uice Bambergain Pomeraniam abijsse Otthonem, in uita eius annotatur: uerùm eius profectionis nusquam apud fide dignos authores fit mẽtio. Ibi exemplo Christi, ut autor loquitur, semper præmisit binos ad illum locũ quò ipse erat uenturus.

Liberalis prȩterea & beneficus erga pauperes fuit, in uictu frugalis, dies noctesque preculis seu battologijs potius desudans. Chron. Bamb. Vrsperg.

Facetum & iracundum in eo ingenium fuisse apparet. Cum enim aliquando faber sportam ad ipsum, impletam sagittis diuersi generis, tanquam honorarium deferret munus, & inter reliquas unum uideret triplici acie acuminatam, quæsiuit, in quẽ usum illam tam longam, tam subtilem, tamque acutam fecisset: Respondet faber, eius hanc esse generis, quæ loricas etiam posset penetrare. Tunc ille: Ego dabo operam, ne quempiam lædant. Omnibusq; protinus missis ad Hermannum abbatem, rogat ut hoc modo illis utatur, ne ulli hominũ sint detrimento. Abbas inde clauos fieri curauit, quibus in ædificio S. Michaelis, quod tum extruebat, postea usus est. lib. 3. cap. 32 in uita eius.

Doctrina.

Qui creatorem Deum agnoscit, & illi seruit, beatus est æternaliter. libro 2.cap.14. de Vita eius.

Cum dijs alienis sese cōtaminare, id esse fornicationis genus tale, quod maximè à Deo separat. Ibidem cap.17.

Idololatriam omnino separare à gratia Dei.

Creatori, non creaturę, exhibendum honorem diuinum.

Christum suo sanguine abluere peccata mundi.

Per baptismum accipi indulgentiam originalium & actualium peccatorum, mūdiciem & sanctitatem.

In fide, spe, charitate proficiendum: quod qui faciūt, super hos uenit benedictio, & super filios eorum.

Christianos habendos esse pro fratribus, minimeq́; lædendos, nec partus fœmineos necandos: quod ad hoc usq; tempus liberè fecerant Pomerani. lib.2.cap.22.

Errores.

In successoribus Petri esse firmamentum religionis. Hanc uocat uirgam dilectionis, uirgam regnorum, pōtificatuum & omnium potestatum in Ecclesia. li.1.ca.9. in quadam epistola ad Paschalem.

Non esse consecratum à papa & inuestitum, uocat in uacuum currere. Ibidem.

Parabolam Lucæ 10 ad monasteria applicat, illa esse diuersoria, in quo peregrinātes in hac uita recipiantur. Et eorum causa illa constitui, qui mūdum in maligno positum uelint fugere.

Coniugium esse tātùm primi seculi, cum pauci homines essent in terris. Iā uerò multiplicatis hominibus, esse tempus continentiæ. Quamuis sibi ipsi diffidens addit restrictionem, illis scilicet qui continere possunt.

Ingredi monasteria, & sese continere, esse uacare Deo.

Continentiam & opera sanctitatis melius posse præstari in cœnobijs quàm extrà.

Monasteria cumulare, resq́; monachorū augere, cedere in honorem Dei, & ad utilitatem proximi. Libro primo, capite 24. in uita Ottonis.

Morientium animabus, uiuentium orationibus posse subueniri sensit. Nam cum aliquando ad hospitale pergeret, quodā ministro comitatus, sensit ingratum fœtorem. Cūq; minister diligentius quid rei esset perlustrasset, inuenit mulieris mortuę cadauer, iam cœptum discerpi à uolucribus. Pro eius anima preculas demurmurauit, & ministro adiutus ipse ad cœmiterium detulit. libro 1.capite 36.

Fidem operibus informandam.

Septem Ecclesię esse sacramēta, quę quilibet diligenter debet posse enumerare: ut sunt, Baptismus, confirmatio, unctio infirmorum, Eucharistia, pœnitentia, cōiugium, ordinatio. lib.2.cap.21.

Captiuos dimittentem consequi certam omnium debitorum remissionem. li.3.ca.8.

Certamina.

Certamen ipsi fuit cum nonnullis etiam suorum, qui effrenatum studiū cumulādorum monasteriorū in ipso nō immeritò reprehenderunt, quòd hominum ociosorum tot agmina magis oneri seculo essent quàm frugi, qui cum nihil sese habere iactitēt, nulla tamen re destituantur. Illis ineptè parabolam de homine uulnerato & exuto à latronib. de stabulo, de stabulario rursus obiecit. Non inutile plurima ad manum habere diuersoria, seu stabula, ut ille uocat, ad quæ diuertas in necessitate cōstitutus. Hęc autem esse monasteria, quę nemo reprehendat, nisi qui se cura egere nesciat. Qui uerò sese inter latrones inque exilio uiuere credat, hūc nequaquam hoc sibi uitio uertere. Chron. Bamberg.

Item pugnauit acriter pro cœlibatu monachorum. Nam quibusdam obijcientibus, cœlibatum hominum procreationi contrarium esse: respondit, Verum quidem esse, in initio seculi in magna hominum penuria necessariam fuisse propagationem: iam uerò supra numerum arenæ maris multiplicato genere humano, omnes quicunq; possent, continere debere, diuinisq́; rebus uacare, quod nullibi fiat cōmodius, quàm in cœnobijs, quibus si abundè suppetant, reliqua omnia successibus minimè caritura. Huc accommodauit dictum Psal. 144. Si oues monachorum fœtosæ abundantes in gressibus suis sunt, & boues eorum crassę, non est ruina maceriæ, neq; transitus inutilis in satis ac pratis eorum. Ibidem.

Acre certamen fuit inter ipsum & sacerdotem idololatrici equi apud Stetinenses: qui cum obstinatè obluctaretur, tādem nocte quadam intumuit & crepuit.

Calamitates & pericula.

Stetini cum prædicaret, idololatricus sacerdos ad eum locum accessit, in quo concionem habebat in foro, & plurimos qui in eo cœtu erāt, adhuc paganos, hastas gerētes hortabatur, ut ipsum interficerent. Sed quid fit? Illi impetum iam iam facturi in episcopum, planè rigescunt, ita quidem, ut tanquam simulachra stent immobiles: eoque pacto incolumis euasit, & oratiōe impetrauit ipsis, ut restituerentur sanitati pristinæ. Libro quarto, capite decimoseptimo Histor. Pomeranicæ.

Ibidem autem arborem miræ pulchritu-

dinis idolo dicatam uenerabantur incolæ. Eam ubi episcopus iuberet succidere, molestè hoc tulit is in cuius agro crescebat, atque à tergo accedens, securi bellica, quam manu gerebat, caput episcopi ferire conabatur. Verùm aberrans, trabem pontis, ad quem stetit episcopus, tetigit tanta ui, ut retrahere inde iterum non posset. Eum reliqua multitudo trucidasset, nisi precibus episcopi esset liberatus. libro tertio, capite secundo.

Quod sacerdotes idololatrici apertè efficere non potuerunt, hoc fraude & per insidias moliuntur. Cum igitur Stetino Iulinũ iret episcopus, manum sicatiorum conductam subornant, qui in arctioribus locis ipsum adorirentur atq; interficerent. Sed hi propulsati à socijs itineris, nihil ipsi nocuerũt. Primarius uerò sacerdos, qui eius sceleris autor extiterat, paralysi correptus, exclamauit: Nunc patior propter insidias & mala, quæ contra Ottonem feci. & sic uitam finiuit. lib. 3 cap 23.

Dimissus à Bolizlao Polonorum duce, uastumq; illud atq; horrendũ nemus, quod Pomeraniam à Polonia diuidit, ingressus, à serpentibus, feris immanibus, gruibus, quę in uerticibus arborum nidificauerant, sex diebus continuis infestatus est. Chronicon Bambergense.

Iulinum etiã cum applicuisset, deq; eius aduentu incolę cognouissent, confertim ad ducis palatium prodeunt, & fractis foribus egredientem episcopum ad terram in lutum prosternunt, adeoq; nullum contumelię genus intermittũt. Et nisi à Paulitio quodam proprij corporis obiectu defensus fuisset, uix mortis periculum euasisset. Ibidẽ.

Quidã anno 1123 apud Imperatorem eũ traduxerunt, quòd nimis prodigus monasterijs & pauperibus sua largiretur, nec frequens Imperij comitijs adesset. Crant. Saxon. lib. 5. cap. 44.

Miracula.

Miraculosa nõnulla per ipsum facta sunt, quæ tamen magna ex parte superstitionem redolent. Iulini cum esset, inter missificandum mulier ad ipsum uenit, uisu priuata, ab ipso auxilium petens. Eã ad Alberti martyris basilicam ire, cãpanam pulsare, istumque sanctulum excitare, atq; opem eius implorare iubet. Quo facto, uisum recepit. lib. 3. cap. 24.

Miles quispiam ad ipsum attulit filium lunaticũ. Cui cum benedixisset, iussit ipsos ad suũ ire tentorium, ubi quorundam erant sanctorum reliquiæ, ibiq; orarent. Eo peracto, puer conualuit. Ibidem cap. 25.

Alius homo militaris phreneticus, cum in eo loco, ubi pedes episcopi stetissent, ossset, sanatus est. Ibidem capite 26.

Visiones eius.

Cum monasterium S. Michaëlis dedicaturus esset, & iam omnia essent parata, morbo correptus laborare cœpit, ut etiam in lecto decumberet: quam ob causam dedicationem in aliud tempus differri iussit. Sed ipso tẽpore meridiano suauiter soporatus, in somnis uidit puerum coram se ludẽtem, & uerba Psalmi recitantem: In domum Domini ibimus. Expergefactus uires corporis sensit integras, & altero die pòst, ipso scilicet festo Ægidij, ut constituerat, dedicationem absoluit. lib. 3 cap. 36.

Familiares eius.

Multis nobilitate & uirtute præstãtibus uiris usus est familiariter, à quibus & accepit munera, & ad quos ipse etiam misit. Pręcipui quorum meminit Historia, sunt, Bolislaus Poloniæ, & Bela Hungariæ reges, Vratislaus dux Pomeranię, Adelbertus marchio Saxoniæ, Mizlaus princeps Gotzgangiæ. Historia Pomeranica.

Curriculum.

Præfuit annis 37. Obijt anno Domini 1139, 3 nonas Iulij, Chron. Bamb. Suæ uerò ætatis 70. Brusch. Sepultus in monasterio Mõtis monachorum ante altare Michaëlis. Chron. Bamb. Intestina uerò in sacello D. Virginis sub ara S. Catharinæ. Brusch. Concionem funebrem ad populum habuit Embrico Herbipolensis, qua eum præcipuè ab eleemosynarum multitudine & alijs uirtutibus commendat.

Eius dies natalis peragitur quotannis in diœcesi Bambergensi, non quidem solẽniter, in die conuersionis S. Pauli. A' Clemẽte 3 in numerum diuorum relatus est postea, anno 1189. Ibidem.

Nominatus est humilis, quam tamen uerè simulatam fictamq; dixeris, cuius tibi cãdide lector exemplum subijcimus: Cũ primùm Bambergam deduceretur, sicut suprà diximus, & cathedrale monasterium uideret, calceamentis depositis, nudis pedibus in magna frigoris uehementia basilicam S. Petri ingressus est, non sine propriæ ualetudinis iactura. Chron. Bamb. Historia uitæ eius nominat D. Georgij ædem.

SVB CONRADO III.

EGILBERTVS.

Egilbertus, quẽ Tritemius in Chronico Hirsaugiensi Eggebertum uocat, mortuo Ottoni succedit, anno Salutis 1140. Præfuitque annis 6. Obijt enim 1146. Chron. Bãbergense. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi annum mortis constituit sequentem.

EBERHARDVS.

Eberhardus dux Bauarię, doctus in sacris & profanis literis, Friderico Imperatori in

primis

primis charus, eodem anno quo antecessor moritur, succedit: quamuis Bruschius initiũ eius gubernationis facit annũ 1145. Appẽdix Mariani Scoti & Trithemius annũ 1147.

Scripsit epistolam ad Eberhardum Iuuauiensem, in qua de Victore pontifice Romano constituto refert. Frisingensis lib. 4. cap. 75 de gestis Friderici.

Is corpus Heinrici 2 Imperatoris, fundatoris Bambergensis episcopatus & Montis monachorum, anno 1147, 3 idus Iulij solenniter, præsentibus Eberhardo Saltzburgẽsi & Hermanno Brixiensi episcopis, de tũba leuauit, quem antea Eugenius 3 canonisauerat. Chron. Bamberg.

Eo Imperator Fridericus ac reliqui Imperij ordines in legatione usi sunt, unà cum Hilino Treuirensi, ut pontifici, Romanis, totiq; Italię significarent de promotione Friderici ad Imperium. Frisingensis lib. 2. cap. 4 de gestis Friderici.

Postea quoq; in Italia eodem Imperatore Mediolanum obsidẽte, Eberhardus unà cum alijs proceribus transigit, ut Mediolanenses Imperatori reconciliarentur, seseq; eius imperio submitterent. Chron. Bamb.

Mutinæ illum reliquit Fridericus, cũ ad exercitum in tentorium Bononiense expatiaretur, ut aduenientes audiret, causasque dijudicaret. Phrisingensis lib. 4. ca. 33 de gestis Friderici.

Scripturas sacras diligẽter euoluit etiam inter armorum strepitum. In quæstionum dissolutione etiam assiduè uersatus est. Frising. ibidem.

Monasterium S. Theodori, monialium, liberaliter donauit annuis prouentibus.

Obijt anno 1172, cum annis 26 pręfuisset. Sepultus est in eadem ecclesia Bãbergensi ad altare S. Gertrudis, eiusq; anniuersaria peraguntur die S. Alexij, idibus Iulij. Chrõ. Bamberg.

SVB FRIDERICO.

HERMANNVS.

SVccedit Hermannus marchio Misnensis, Cõradi filius, eodẽ anno quo Eberhardus moritur. Bruschius refert, à nonnullis dictũ Marquardum, abbatemq; Fuldẽsem fuisse. Is monasterio monialium S. Theodori hospitale uniuit, anno 1174. ad canonicos Bãbergenses alioquin omni iure pertinens, in quo peregrini atque orphani alebantur: his tamen conditionibus, ut abbatissa, quoties opus esset futurũ, inuestiturã ab episcopo, à decano autem reliquorum omnium nomine curam hospitalitatis acciperet, nihilque in statu religionis immutaret. Si uerò immutationem fieri contingat, hospitale rursum debere redire cathedrali ecclesiæ. Idq; reprehensione non caruit. Nam à quibusdam traductus, quasi alienas potiùs ecclesias quàm suas prouehi maluerit. Bruschius, Chronicon Bamberg.

Moritur tandẽ anno Domini 1177, cũ annis 5 præfuisset, & sepelitur in monasterio S. Theodori, uel Theodorę iuxta Bruschiũ, ad altare maius. Eius dies anniuersarius est dies S. Basilidis. Chronicon Bamberg.

OTTO.

Otto cognomento Largus, quẽ alij Pothonẽ uel Popponem etiã uocant, dux Merouiæ, substituitur anno 1177. Huius diligẽtia multæ aduocatiæ alijs oppignoratæ, restitutæ sunt episcopatui Bambergensi biennio pòst quàm ad illam sedem uenerat. Obijt anno Salutis humanæ 1192, secundo die Maij, cum annis 15 præfuisset. Sepultus in choro S. Georgij Bambergensis ecclesiæ, post altare Philippi & Iacobi & Osualdi martyris. Anniuersaria eius peraguntur eodem die quo mortuus est. Chronicon Bambergense, Auentinus lib. 7.

SVB HEINRICO VI.

THIMO.

MOrtuo Ottoni Thimo successit, anno Domini 1192. Obijtq; postquam decẽnium præfuisset, anno Domini 1202, Octobris die 16. Sepultus est in medio ecclesię Bambergẽsis ad aram S. Kunegundis, quam anno pręterito Innocentius 3 canonizauerat. Chronicon Bamberg.

EBERHARDVS.

Eberhardus præpositus Bãbergẽsis fuit, ad quem & ad Adelbertum decanum perscripsit Roma rediens Otto, ex itinere, anno Domini 1102, quid secum Romæ actum esset. Historia Bamberg.

RATISBONENSES.

VLRICVS.

VLricus Ratisbonensi sedi præficitur ab Heinrico 4 Imperatore, circiter annũ Salutis 1105. Frisingensis lib. 7. cap. 8.

HARTVICVS.

Non multo pòst à filio Heinrico v, ad Imperiũ patris loco sublato, Vlricus sede pellitur, eiusq; loco substituitur Hartuicus. Crãtzius in Saxonia lib. 5. cap. 19. Quem Appendix Mariani Scoti etiam Hartuuinũ uocat. Is filius Engelberti reguli Charionum fuit, frater Rapatonis primi Artobergensis dynastæ, & Engelberti Carnoburgensis limitis & Histriæ præfecti. Auentinus lib. 5.

Opera eius pontificalia hæc ferè recẽsentur: Arcẽ Mallerstorffum D. Benedicto initiauit, atq; Burchardum præfecit. Angelofridum S. Haimerami antistitem abdicat, monachos deuouet, ab initio Quadragesimæ ad septimum calend. Augusti sacris interdicit. Valentiam tẽplum D. Georgio dicatum,

pulsis monachis, tradidit summis sacerdotibus, accito Hardouico magistro eius sectę ex Norico de æde diui Floriani. Deniq; tēplū D. Iacobi & Gertrudis intra mœnia dedicauit, anno 1120. Auentinus lib. 6. Obijt anno 1126. Appendix Mar. Scoti.

CONO.

Defuncto Hartuuico substituitur Cono abbas Sigebergensis. Appēdix Mariani Scoti. Hunc Auentinus Conradum uocat, li. 6. Is quinquennio pòst monachos Valentię restituit, ipsisq; Fridericū præfecit. Paulo pòst sub annum Salutis 1131 moritur. Idem.

SVB LOTHARIO, CONrado & Friderico.

HEINRICVS.

POst Cononem sedi Ratisbonēsi præficitur à clero & ciuibus, autore Friderico præfecto monachorū. Heinricus comes Vuolffratshusensis, patruus Ottonis reguli à Vuolffratshusen. Auent. lib. 6. Quem Conradus Salisberiensis sacris initiauit. Is ab Adamo abbate Eberacensi unà cum alijs tū proceribus tū episcopis crucem accepit. Frisingensis lib. 1. cap. 40 de gestis Friderici.

Hunc etiam interfuisse concilio, meminit Chronicon Casinēse sub Lothario, anno 1128, indicto ab Honorio 2 ad Aquas pēsiles. lib. 4. cap. 110. Vnde apparet, Cononem exiguo admodum tempore præfuisse, statimq; Heinricū ipsi substitutū. Et quia monachi censum à Paschali impositum reddere detrectabant, Innocentij 2 iussu templū eorum ui occupat, aureos calices comminuit, bullas, diplomata, priuilegia cōburit, plūbea monumēta in sepulchro Bertholdi præsulis reperta liquefacit, fanū compilat.

Rengstauffum arcē obsidet: sed à Heinrico Bauariæ duce pulsus, discedit re infecta.

Interfuit expeditioni in Asiā, anno 1147 à Conrado 3 contra Saracenos susceptæ.

Is quoq; proceres Bauariæ precibus mouit, ut Vuolffratshusianis cōtra Heinricum cognomēto Superbum, ducem Bauarię auxiliarētur. Sed res malè cessit. Nam pacem redimere postea coactus est à prędicto Heinrico, Hochoburgio præfectura Oeno finitima. Auent. 6 Annalium. Ad eūdem Eugenius tertius scripsit, ut ex Frising. constat, lib. 2. cap. 8 de gestis Frid.

HARTVICVS.

Hartuicus filius Engelberti ducis Bauariæ, interfuit comitijs Ratisbonēsibus, quę Fridericus indixit reuersus ex Italia, in quibus causa inter Heinricum Bauarū & Heinricum Leonem Saxonem cognoscitur.

Ecclesiæ thesaurum dilapidauit, canes, equos, uenatores aluit, de pauperum cura ne sollicitus quidem fuit, populum non docuit, nec ipse literis operam dedit. Homines sceleratos atq; flagitiosos, utpote adulteros, parasitos, opibus locupletauit: quam ob causam Heinricus Saxoniæ & Bauariæ præses Stauffium regiam atque uicum, pontificalemq; fiscum occupauit. Quapropter prorsus in furorem uersus episcopus, cuncta seditionibus atque incendijs implere studuit. Obijt anno Domini 1165. Auent. 6 Annalium.

EBERHARDVS.

Eberhardus Hartuici successor, sacris initiatus est Vuirtzburgi à Christiano Moguntinensi. Sed non multo pòst in Italia pestilenti lue correptus occubuit, anno 1166. Idem.

CHVNO.

Chuno comes de Vneyarn, frater Sigebothi, Ratisbonensium designatur episcopus circiter annum 1174. Eum iubet Imperator inaugurationem accipere à Christiano Moguntino, aut omnino à pontificatu abstinere. Interfuit comitijs Ratisbonensibus, in quibus Heinricus Leo damnatus est. Auētinus lib. 6.

CONRADVS.

Cōradus Læcholingonis, episcopus Ratisponensis, circiter annum Domini 1188 interfuit unà cum alijs quibusdam proceribus, dynastis & spiritualibus exercitui, quē Heinricus VI in Asiam misit.

Reuersus prophanos, qui sacerdotum prædia administrarunt (siquidem ad illud usq; tempus episcopi & clerici utriusq; sexus literis operam nauarunt) remouere conatus est. Auent. lib. 6 & 7.

SALTZBVRGENSES.

SVB HEINRICO IIII, V, Lothario & Conrado 3 Imperatoribus.

THIEMO.

THiemo, quem Auentinus Diethmarum uocat, Iuuauiēsis episcopus, Vuelphonē comitatus in peregrinatione Ierosolymā, per proditionem Imperatoris Alexij captiuus ductus est ad barbarorum regem Mēphis. A' quo cum ad simulachrorum cultum inuitaretur, magno id facere recusauit animo, opera esse humanarum manuum, inquiens, & non deos: protinusque illa comminuit. Quam ob causam acerbissimo affectus supplicio, diem clausit extremum. Frisingensis libro septimo, capite septimo. Vrspergensis.

CONRADVS.

Conradus comes Abusinus Salisburgensi sedi præficitur ab Heinrico 4 Imperatore, cuius sacrificulus fuerat, circiter annum Domini 1102. at sexto demum anno pòst à Paschali ad Padum consecratur.

Opera.

Acris propugnator immunitatum sacerdotaliũ, ac legitimi magistratus hostis extitit. Nam apud Heinricum v Romã ingressum anno 1111, uociferãdo intercessisse scribitur, ne episcopis, templis, bonisq; Ecclesiæ ullã uim faceret. Se enim & reliquũ clerũ uectigalia, portitoria, oppida, regiones, à maioribus sibi relicta, possessaq; hactenus, non ita facilè amissuros: non tamen sine periculo. Nam Heinricus quidam Kauffringo oriundus stricto mucrone mortem ipsi interminatur, ni desistat. At ille intrepidus porrecto iugulo dixit: Feri sanè, si libet, deuotum caput. Intercedente uerò Imperatore, mortis periculum euasit. Eidẽ Paschalis papa per literas significauit, Heinricum v à se excommunicatum, & ut contra Imperatorem sibi auxilietur, inuitat. Cui ille morẽ gerit, & ab Imperatore ad Saxones deficit: alios loco mouet, Hugonem Brixinæ, substituto Renoberto, & Heinricũ Fruxinẽsem, qui Imperatorem sectabatur. Viscopagum aliaq; templa, quæ Hugo consecrarat, resecrat. Fruxinum sese postea cõfert, Heinricũ loco moturus: sed urbe pellitur. Excludunt itidẽ ipsum Salisburgenses: ideoq; ad Saxones cõfugit, & nõ multo pòst cũ alijs Coloniæ Imperatorẽ omnesq; eius sectatores deuouet: omnib. uerò Imperatori rebellantib. ueniam scelerum atq; perfidiæ promittit, cœlumq; aperit. Contrà datã fidem seruantes Imperatori oppugnat, stupra, incæstus, cædes, sacrilegia pro libitu unà cum socijs prætextu religionis designat. Ea scilicet sunt eius opera episcopalia. Auent. lib 6.

Postea cum alijs nonnullis autor fuit Calixto 2, sententiam anathematis reiterandi in Imperatorem: unde horribilis in Imperio perturbatio subsecuta est. Frisingensis lib.7.cap.15.

Eius prẹterea astu atq; fraude Lotharius Saxo ad Imperium uenit.

Eiusdem opera Augustæ indicta fuêre comitia sub initium Imperij Conradi 3, ut de transactione inter nouum Imperatorem & Heinricum Bauariæ principem ibi ageretur, quamuis frustra. Auent. lib. 6.

Miles fuit. Nam cum socijs episcopis in bellum contra Vgros Stiriam depopulãtes profectus est, circiter annum 1146. & Feliciani cuiusdam ope cum illis pacem facit.

Superstitionum monasticarum promotor sedulus. Nam monasteriũ Rotensaslach in agro Burghusiano sacris initiauit, & Gereonem Augium abbatem constituit. Præterea multis in locis collapsas monachorũ haras reparauit. Obijt anno 1147, cum annis 46 præfuisset. Auentinus lib. 6 Annaliũ Boiorum.

SVB CONRADO *& Friderico.*

EBERHARDVS.

EBerhardus Piburgensis antistes doctus, religiosus, honestus, liberalis & benignus in pauperes. Frising. lib.4.cap.77 de gestis Friderici. succedit Conrado. Is ex clarissimis principibus de Hiltpolstein oriundus fuit. Auent. lib. 6.

Opera eius.

Opposuit sese papæ. Nam unà cum Arnoldo Mogũtino Romanos sacerdotes, cardinales, archiepiscopos, episcopos, presbyteros, diaconos literis monuit, ut Hadrianum 4 ad pacem seruandã hortarentur: eorumq; simul superbiam atq; fastum insectatus est: deniq; etiam inexplebilem auariciam, perfidiã, eiusq; generis flagitia, quibus facultates pauperum expilẽt, prorsusq; exhauriant, ac Imperiũ conturbent, ipsis obijcit. Auent. lib. 6.

Iussus est ab Eugenio 3 admonere Fridericum, ne contra Canonum statuta Guicmãnum Cicensem ecclesiæ Magdeburgensi præficeret. Frisingensis lib.2.cap.8 de gestis Friderici.

Idem postea etiam Alexandro 3 adhæsit, eiusq; partium in schismate papali, cum de sede Apostolica Alexander & Victor digladiarentur, sectator extitit. Meminit Auentinus lib. 6, ipsum Alexandrum ad Eberhardum scripsisse ea quæ in celebri Anglorum Celtarumq; conuentu Turonis statuerit, & monere etiã, ut Imperatorem sibi cõciliare conetur. Transegit inter Hartuicũ Ratisbonensem, Heinricum Saxoniæ atq; Bauariæ ducem & populũ. Obijt anno Salutis 1165, cum annis 18 præfuisset. Ibidem.

SVB FRIDERICO.

CONRADVS.

COnradus Imperatoris Friderici patruus, defuncto Eberhardo succedit. Inauguratur sacris Herbipoli, ubi tũ ordines Imperij conuenerant edicto Imperatoris, à Christiano Moguntino. Hunc postea ex Italia rediens Imperator, quòd decreto cõsilij parêre recusaret (enimuerò Herbipoli decretũ fuerat, more maiorum cum Cæsaris consensu pontificẽ creandũ, qui nuncius Christi, non uerò etiã Cæsareæ potẽtiæ æmulator existeret) oues pascere, & decimis uictitare iubebat, ꝓceribusq; uicos, ꝑdia, castella, urbesque Iuuauienses cõmittit. Obijt circiter annũ 1170, cum præfuisset annis 5. Auent. li. 6.

ALBERTVS.

Albertus Cõradi ex sorore nepos, filius Ladislai regis Boẽmiæ, succedit. Sacris initiatus est ab Vlrico patriarcha Aquileiensi. põtificio legato supposititio, spreto Christiano Moguntino: quã ob rẽ Ladislaus regno

ab Imperatore mouetur, eiusque patruelis Sobeslaus præficitur Boëmis. Albertũ filium itidem postea põtificatu remouet, prædiorum administratione cedere iubet, Iuuauiensia castella in deditionem accipit. Auent.li.6. Sequenti anno, qui fuit 1171, uocatur ab Imperatore Salisburgum, 11 calẽd. Martij: sed non cõparuit. Tandem Ratisbonę cõmunibus suffragijs pontificatu remouetur, quamuis Vualtherus Albanensis episcopus diligenter pro illo intercederet apud Iuuauienses. Ad extremũ uerò prorsus in quodam concilio Moguntino ex episcoporum numero exclusus est. Sectatus est partes Alexandri 3 in schismate. Auent.

HEINRICVS.

Heinricus igitur Berchtolgadẽsis pręsul, loco Alberti substituitur, quæq; in suã potestatẽ acceperat Imperator, oppida urbesq; illi restituit. Auent.lib.6. Cui Conradus de Vuitelsbach succesit, quẽ suprà ad Moguntinum archiepiscopatum inde translatum diximus.

TVNGRENSES, uel Leodienses.

SVB HEINRICO IIII ET V.

OBERTVS.

OBertus, uel Orbertus, Tũgrensi sedi pręficitur anno Domini 1099.

Opera gubernationis.

Castellum Bullij mille & trecentis argenti marcis à Godfrido duce emit, ecclesiæq; adiecit.

Architectum egit. Nam castellum de Miruuart restaurauit. Catalogus Tungrensium.

Heinricum quartum exulantem reuerẽter excepit hospitio, eumq; in maximis angustijs solatus est, circiter annum Domini 1105, non sine graui periculo. Nã filius Heinricus ipsi duciq; Lotharingiæ atrocia interminatur, nisi parentem in suam potestatem uenire patiantur. Auentinus lib.5. Denique extremum pietatis & humanitatis officij genus in optimum Imperatorem collocauit, honestè in monasterio quodam Leodiensi ipsum sepeliens: quam ob causam tantam incurrit offensionem, ut Romano pontifici nequaquam prius reconciliari potuerit, quin curaret cadauer mortuum iamq; fœtens exhumari. Iohannes Cuspinianus in Heinrico 4. Obijt anno 1117, cum 18 præfuisset. Catalogus Tungrẽsium episcoporũ.

FRIDERICVS.

Fridericus comes Namurcensis, & præpositus D. Lamberti, Oberto succesit. Hic Remis, postquam sacris initiatus esset à papa Calixto 2, Leodium rediens, solenniter exceptus est. Obijt anno 1120, cum tribus annis præfuisset, & sepultus est in templo B. Lamberti. Ad sepulchrum eius dicũtur multa facta esse superstitiosa miracula.

ALBERO.

Albero, quem Mariani Scoti Appendix Perodelberum uocat, filius ducis Burgundiæ, & clericus Metensis S. Stephani, Friderico surrogatus, ex superstitione, qua tumebat, in ecclesia B. Ægidij in publico monte canonicos regulares instituit, monachosq; Cluniacẽses in precio habuit: ut testatur Petrus abbas lib.4.ca.53. Præfuit annis 8 obijt anno Domini 1128. Sepultus est in ecclesia S. Ægidij ante summum altare. Ibidem.

SVB LOTHARIO.

ALEXANDER I.

ALexander eius nominis primus, comes Iuliacẽsis, archidiaconus & prępositus duorum collegiorum Leodiensium, precio interueniente succedit, & inuestitus est à Lothario Magũtiæ. Antichristi membrũ se eo declarauit, quòd bellum gessit cõtra ducẽ Louaniensem Godefridum, & apud Duras hostẽ uicit. In quo conflictu periẽre nongẽti, exceptis ijs qui submersi sunt atq; uulnerati. O'. cruentum episcopum.

Et architectũ egit. Nã ecclesiã noui monasterij in Hoyo pfecit, dedicauitq;, ut assolẽt.

Tãdẽ inuidorũ calumnijs Innocentius 2 contra ipsum extimulatus, loco eũ mouet: quod usqueadeò indignè tulit, ut etiã mœrore animi confectus penitùs occubuerit, anno Dñi 1135, cũ annis 7 præfuisset. Sepultus est in tẽplo S. Ægidij in publico monte.

In huius episcopi uita annotatur, quod hic minimè prętereundũ censemus, uixisse tũ in collegio Leodiẽsi, D. Lãberto sacro, octo ex regib. natos, uiginti & quatuor ducũ filios, comites uiginti nouẽ, septẽ barones.

ALBERO II.

Albero huius nominis secundus, comes Gelrorũ, substituitur remoto Alexandro. Is Bulloniũ miraculosè per B. Lambertũ recuperauit. Romã uenire iussus, ubi de laxa inter suos canonicos disciplina accusatus fuerat, mœrore animi extinguitur, anno 1155, cũ annis 20, uel, ut alij uolunt, 15 præfuisset. Sepultus est Ortipæ. Catalogus Tũgrensiũ.

HEINRICVS II.

Heinricus secundus eius nominis, præpositus & archidiaconus maioris ecclesiæ, ac Limburgensis comes, succedit.

Opera eius.

Ecclesiæ bona auxit. Nam allodium de Ropie acquisiuit, de Embebeke, & de Scãs castella de Rode, de Belmont, de Ostenoir, de Duras, de Rinongne, de Ermersuilhe, de Fontaines, de Lernout, & quæ his adiacẽt, ut de Broiues, de Freres, de Borne, de Burdenges, de Vassage, de Coniu.

Architectum egit. Arcem de Tuin turrimq;

rimq;, item castellū de Fossis atq; de Franchiermont instaurauit. Domum de Congs extruxit, & omnes fermè episcopales arces renouauit. Vuidonem Cremensem ordinauit antipapam, anno 1164, eiq; nomen Paschalis 3 indidit. Chron. Hirsaug.

In Italiam deniq; profectus, trium Magorum reliquias acquisiturus, apud Papiam uita defunctus est, anno Domini 1168. Ossa eius Leodium delata, in maiori templo sepulta sunt.

SVB FRIDERICO.

ALEXANDER II.

ALexander eius nominis 2 substituitur, comitis Bulloniæ filius ex regis Nauarræ filia. Gessit utrumq; gladium. Nam Romā profectus est cum Friderico Imperatore in expeditione militari, in qua paulo pòst occubuit, cum tribus annis præfuisset. Cui Rodolphus ex Moguntina sede eiectus successisse scribitur, ut alibi retulimus.

SVB HEINRICO VI.

ALBERTVS.

ALbertus frater Heinrici ducis Lotharingiæ, qui Rodolpho successisse narratur, Antichristi membrum fuit. Nam cum in eius electionem Heinricus Imperator, qui Lotharium quendam comitem de Horsca ea dignitate donatum uolebat, non consentiret, Romā proficiscitur, & à Celestino quod uolebat obtinuit, adipiscens simul cardinalatum. Remis uerò postquam redijsset, consecratus est, Coloniensi metu Imperatoris id facere recusante. Vbi cùm metu Imperatoris aliquandiu exulasset, tandem ab Alemannis militibus interfectus, Remisq; sepultus est, anno Domini 1193, cum bienniū præfuisset. De eo extant hi uersiculi:

Legia me legit, electum Roma probauit,
Remis sacrauit, sacratum martyrisauit.

ALBERTVS II.

Alberto sublato, duo simul de ista sede digladiabantur, Symon filius ducis Ardennæ, & Albertus de Cuth. Ille quidē Romæ cardinalatum impetrauit: sed antequā & episcopatum, diem suum obijt. Ideoq; ad æmulum eius, auxilio comitis Haynonensis, episcopalis honor deuoluitur.

Bella gessit. Nam contra ducissam Brabātiæ arma induit: sed à Metensi admonitus, eadem iterum deposuit. Et Ottoni, qui regnum Alemanniæ affectabat, uehementer restitit. Acta Tungrensium.

Iuramentum fidelitatis à Balduino Constantinopolitano de principatu Hanoniēsi accepit, atq; in eius gratiam Godofridum Brugensis ecclesiæ præfectum ornauit alijs super alia sacerdotijs, anno 1195. Chron. Flādriæ lib. 7. Obijt anno Domini 1199, & in templo S. Lamberti sepultus est.

TRAIECTENSES.

GEDEBALDVS.

GEdebaldus episcopus Traiectensis, monachorum monasterium S. Benedicti non procul à ciuitate Traiecto fundauit, nomine Oesborch, anno 1121. Tātus in eo fertur rigor monasticus fuisse, ut ab incolis terræ diceretur Carcer religionis. Tritemius in Chron. Hirsaugiensi. Eum anno 1123 carceri mancipauit Heinricus 5, quòd ipsum suspectū haberet excitatæ aduersus se seditionis Traiecti. Magna deniq; ui pecuniæ numerata, intercedente Friderico Coloniēsi, uix immunitatem recuperauit. Hedio parte 3 Chron. Obijt anno 1127. Appendix Mariani Scoti.

ANDREAS.

Andreas præpositus Leodiensis, ordinatur episcopus Traiectensis, anno 1128. Appēdix Mariani Scoti.

HARDELEBVS.

Hardelebus Traiectensis episcopus diē clausit extremū anno 1151. Frising. lib. 1. cap. 62 de gestis Friderici.

HERMANNVS.

Hermannus ecclesiæ S. Gereonis præpositus in suburbio Coloniēsi, eligitur successor à quibusdam: alij contrà Fridericum Adolphi comitis filiū designarunt, unde non exigui exorti sunt motus Traiecti. Verùm ea res demum per Conradum 3 composita est, ita ut Hermanni electionem ratam haberet, atq; ab ipso etiā papa Eugenio 3 ratificationem impetraret. Frising. lib. 1. cap. 62 de gestis Friderici. Eundem postea etiam in episcopatu cōfirmauit Fridericus Imperator. idem lib. 2. ca. 4. Obijt morte subitanea: ut in Chronico quodam ueteri Germanico scribitur.

CVRIENSES.

SVB HEINRICO IIII.

VDALRICVS.

VDalricus ab ipso Imperatore Heinrico quarto constituitur episcopus Rhetiæ Curiensis, anno Domini 1104. eoq; usus est in legatione postea ad Paschalem, pro impetranda coronatione Heinrici quinti. Præfuit 10 annis.

SVB HEINRICO V.

VVIDO.

VVido, uel Guido, Sueuus, Augustanus canonicus, Vdalrico successit. Comitijs Basiliensibus anno Domini 1114 interfuit, ibiq; ab Imperatore Heinrico suorum priuilegiorum confirmationem adeptus est. Præfuit annis 12.

SVB LOTHARIO.

CONRADVS.

COnradus comes à Bibregk, Sueuus, Bertoldi

toldi & Demuthæ comitiſſæ à Zollern filius, canonicus Auguſtanus, Curienſis & Conſtantienſis, Vuidoni ſuccedit anno 1126. Is quidem temporibus Heinrici quinti in epiſcopum electus & confirmatus fuit: ſed primum priuilegium adeptus à Lothario Saxone, anno 1137.

Opera eius.

Fundauit unà cum ſuis fratrib. Bertholdo & Sifrido Rockenburgum, Præmonſtratēſis ordinis cœnobium in Sueuia. Idem Benedictinos monachos, non ita honeſtè atq; laudabiliter uiuentes, eiecit ex cœnobio S. Lucij Curienſi, in locum ipſorum Præmonſtratenſes è Rockenburgenſi euocatos ſubſtituens. Ordinauit etiam, ut cœnobium S. Lucij ſub cura & uiſitatione Rockenburgenſi eſſet.

SVB FRIDERICO.

CONRADVS II.

SVcceſſorem habuit Conradum ſecundū, ſed quoto anno nuſquam reperias. Is omnium ſuorum priuilegiorum cōfirmationē à Friderico Barbaroſſa primū adeptus eſt, anno 1165.

ADALGOTHVS.

Adalgothus Vrberus, monachus Clareuallenſis, quem alij Analgothum & Adolphū uocant, Conrado ſecundo ſuccedit.

Opera gubernationis.

Paſtorale officium negligens, magis animum ad ædificationem monaſteriorū adiecit. Nam monaſterium S. Lucij extra muros Curienſes, Kaſeium in Tumiliaſca, Scandinenſe in Gaſternis, & S. Mariæ mōtis in Atheſina prouincia mirificè illuſtrauit. In monaſterio montis S. Mariæ in crypta templi ab eo conſecrata tale adhuc monumentū reperitur:

Præſul Adalgotus, ad cuncta decentia promptus,
Conſecrat hanc cryptam, diuinis uſibus aptam.

EGINO.

Egino ſucceſsit Adalgoto, ſed quónam anno ignoratur. Hic propter inſignes uirtutes, ſingularemq; fidem datā & præſtitā Friderico, primus inter Curiēſes epiſcopos ab eodē principe ſalutatus & habitus eſt, atq; ita ius utriuſq; gladij, ſpiritualis & corporalis, ſibi ſumpſit. Aduocatia Curiēſis epiſcopatus inueſtiuit Fridericū Sueuiæ ducē, Friderici Imperatoris filium, in præſentia Henrici ſexti, anno 1170. Obijt anno 1174.

VLRICVS.

Vlricus baro à Degemfeld in comitatū Badenſi, uir & ambitioſus & magnarū pōparū ſtudioſus, cōſecutus eſt ad abbatiæ S. Galli poſſeſsionem, cui 33 annis præfuit, & Curiēſem epiſcopatū à Friderico Barbaroſſa, anno Dñi 1174. Seditq; Curię annis 8. poſtea epiſcopatū reſignauit anno 1182, retēta ſibi abbatia Sangallēſi. Nam Alexāder tertius in Romana ſynodo decreuerat, ne quis duas prælaturas ſimul haberet: ſi uerò quis haberet, reſignaret alterutrā. Ad extremum cōfectus ſenio & abbatię abdicauit, & mortuus eſt anno Domini 1199.

BRVNO.

Ipſi ſubſtituitur Bruno quidā, anno 1182. qui poſt paucos menſes à prima electione uitam cum morte commutauit.

SVB FRIDERICO I, *& Heinrico* VI.

HEINRICVS.

HEinricus canonicus Curiēſis & Salisburgenſis, Brunoni ſuccedit anno 1183. præfuitq; annis 18. Bruſchius.

MONASTERIENSES, ſeu Mimigardeuordenſes.

SVB HEINRICO IIII ET V.

ERPO.

MOnaſterienſi eccleſiæ præficitur Erpo, circiter annum Dñi 1099, uir nobilis ex ſanguine Megapolenſi oriundus, ut qdā exiſtimāt, anteceſſoris ſui Friderici cōſanguineus.

Aſiaticę expeditioni interfuit, quę Vrbano ſecūdo ſuadēte, pro recuperāda Hieroſolyma & Antiochia ſuſcepta fuit. Reuerſus domum, rebus feliciter geſtis, multis annis adhuc præfuit. Mortuus apud S. Mauriciū extra muros ſepultus eſt. Crātz. in Metrop. lib. 5. cap. 29.

THEODORICVS.

Erpone mortuo, diuturnū de ſucceſſore cōſtituendo ſchiſma fuit. Electus enim quidā Burchardus fuit, ſed paulo pòſt iterū remotus: in eius uerò locū Theodoricus comes de Vuintzēburg à Lothario duce & comite quodā Vuintzenburgēſi, aduerſantib. ciuib. & clero, per uim intruditur, anno Dñi 1125. ut Chron. Saxon. numerat. Cūq; in eo cōflictu ignita eiacularētur tela, uniuerſa ciuitas cū eccleſia B. Pauli cōflagrauit. Theodoricus igitur toto ſuo uitæ tempore occupatus fuit in reparādis ædificijs, & reformādis cleri morib. Obijt anno Domini 1127. Appendix Mariani Scoti, & Metrop. Cranzij lib. 6. cap. 9.

SVB LOTHARIO.

BVRCHARDVS.

BVrchardū ſucceſſorē habuit, nō ſanè illū cū quo de primatu cōcertauerat Theodoricus. Ille enim iā erat mortuus in profectione Conſtantinopolitana, quò ab Heinrico quinto miſſus fuerat legatus. Et is inſtaurādo rurſus tēplo B. Pauli totus fuit occupatus. Crantz. in Metropoli lib. 6. cap. 20.

EGBERTVS.

Egbertus, qui & Eribertus dicitur, ſucceſsit. Is monaſterium monialiū trans amnem.

nem, tempore Theodorici incendio consumptum, restaurauit, monialesq́;, quæ iam inter cognatos uagabantur, reuocauit, interminans illis anathema ni parêrent. Reluctantes per uim inclusit. Ibidem cap. 32. Lotharius eum legatum misit ad Clarum mõtem urbem Galliæ, ubi Innocentius 2 concilium eo tempore celebrabat. Frising. lib. 7. cap. 18. Interfuit cuidam expeditioni contra Vngaros. Auentinus lib. 6.

SVB FRIDERICO.

VVERNERVS.

VVernerus Egberto substituitur. Eius tẽpore atq; auxilio factum est monasterium Cappenbergense ordinis Præmonstratensium, in quo uiuus adhuc sibi locum sepulturæ delegit. Ibidem cap. 45.

HEINRICVS II.

Heinricus secundus isti ecclesiæ pręficitur circiter annum 1184. Is licet pro noua erigenda ecclesia multum sudarit, prouidens ea quę ad ædificationem erant necessaria: uoti tamen compos factus non est, quòd eius gubernatio in turbulenta incidit tempora. Metropolis Crantzij libro 7. capite 5.

SVB HEINRICO VI.

LVDOVICVS.

LVdouicus patruus Othonis comitis de Tekenborg, successor constituitur temporibus Heinrici sexti. Fuit is uir magni animi, qui & ecclesiam amplificauit, multisq́; rebus & libertatibus donauit. Ibidem capite 15.

OSNABVRGENSES.

SVB HEINRICO IIII.

VVIDO.

REmoto Marquardo, substituitur Vuido Osnaburgensi ecclesiæ, circiter annum Domini 1093. ac annos octo sedit. Mortuus est anno 1101. Crantzius in Metropoli libro 5. capite 38.

Vuidonis successor Ioannes pręest annis nouem. Post quem Deipholte annis 8. moritur 1119. Diethardus gubernat eandem ecclesiam annis 18. Huic succedit Vdo, qui annis quatuor ad clauum ecclesiæ sedit.

SVB LOTHARIO

& Conrado.

PHILIPPVS.

PHilippus comes de Catzenellenbogen pontifex Osnaburgi constitutus, anno Domini 1132. (Tres enim inter prædictum Vuidonem & Philippũ interiecti sunt, de quibus nihil in historijs extat) Vtrumque gladium gessit, existimans id rebus ecclesiæ suæ profuturum. Barones de Holte, qui arci munitissimæ confidebant, & publicam pacem turbabant, ad deditionem cõpulit, seruandamq́; pacem, toto septennio ipsis aditum commeatumq́; intercludens.

Controuersiam inter ecclesiam maiorẽ & D. Ioannis collegium de solennitatum obseruatione composuit, ita quidem, ut Ioannitæ maiori ecclesiæ cederent.

Mortuus est anno Domini 1164, cum annis 32 præfuisset. Crantzius in Metropoli lib. 6. cap. 34.

SVB FRIDERICO.

ARNOLDVS.

ARnoldus maioris ecclesiæ præpositus, Philippo succedit. Auxit is prædia & possessiones ecclesiæ, maximè uerò monasterium monialium in Ozede. Mortuus est anno Domini 1186. præfuit annis uiginti duobus. Crantzius in Metropoli libro 6. capite 44.

ADOLPHVS.

Post translatum Gerhardum quendam ad episcopatum Bremẽsem, Adolphus uir singularis industriæ atq; hypocrita insignis huic sedi præficitur. Is Baalismum promouit, atque ut sui dei cultum amplificaret, oneri suis fuit. Bona ecclesiæ ueteratoriè auxit, quãuis Crantzius industriam uocet.

Ei tale quid accidisse fertur: Quoties iter faciebat in Varstenouw, medio itinere leprosum in tuguriolo habitantem alloquebatur, atque ad patientiam, Christi proposito exemplo, subinde hortabatur, data eleemosyna. Eam moram ministri ægrè ferebant. Et quia palàm profiteri non auderent quod animo cogitabant, effecêre ut leprosus subduceretur. Rediẽs eò Adolphus, more solito casam ingreditur, & leprosum loco consueto sedentem reperit. Cumque eas admonitiones de ferenda patiẽter calamitate reiterasset, leprosus gratias agit pro salutaribus monitis, ex quibus non parum se profecisse ostendit, & protinus animam exhalat, cunctis præsentibus.

Tantam de ipso uulgus sanctitatis opinionem concepit, ut qui post mortem parũ honorificè eius sepulchrum etiam pede tetigisset, eo die singularem infamiam habiturus crederetur. Præfuit 21 annis. Crantz. in Metrop. lib. 7. cap. 19.

BREMENSES.

SVB HEINRICO IIII.

HVMBERTVS.

SVccesit Liemaro in Bremensi archiepiscopatu Humbertus, de quo nihil præterea in historijs inuenimus memoria dignum. Neque enim diu præfuit, saltem tribus annis. Obijt anno Christi 1104. Metropolis Crantzij libro quinto, capite 31 & 32. Chronicon Saxoniæ annum 1108 eius gubernationis initium constituit.

SVB

SVB HEINRICO V.

FRIDERICVS I.

FRidericus succeßit Humberto, præfuitque annos 18. ut Cranzius satis probabiliter coniectat. Nec eius temporibus aliquid insigne aut memorabile literis proditũ reperias. Circiter annum Christi 1122 uiuere desijt. Metrop. Cranzij lib. 5. cap. 37. Chronicon Saxoniæ 8 annos gubernationi eius attribuit.

ADALBERO.

Adalbero substituitur Friderico. Vir fuit prudens & religiosus. Suam subinde uisitauit diœcesin, tum præsertim cum legationis dignitas in prouincias Aquilonis antiquata esset, & unaquæq; suos haberet metropolitanos. Cranzius lib. 6. cap. 13 Metropoleos. Eundem Heinricus Leo per curatores apud Imperatorem accusauit, quòd contra promissum, Stadensem retineret episcopatum. Cumq; nihil proficeret, ministri ducis eum capiunt, Luneburgumq; abducunt, ut ui quod uolebant extorquerẽt. Sed cum ne sic fierent uoti compotes, liberum dimittunt. Crantz. Saxon. lib. 6. cap. 11. Hortatu Conradi 3 armauit sese in Vandalos, ut ad fidem Christi eos cogeret. Ibidẽ. Præfuit autem annis 24. Chronicon Saxoniæ.

SVB CONRADO III.

HARDVVICVS.

ADalberonem subsecutus est Harduuicus primus, Rodolphi Franckeleuensis comitis filius, eius ecclesiæ præpositus, iam etiam comes Stadensis, permutatione scilicet facta cũ ecclesia, ut pro Thitmarsia Stadensem sumeret comitatum. Is cum Hamburgensem ecclesiam ueteri legationis honore orbatam uideret, hoc cõsilio usus est, ut suæ dominationi alias subijceret ecclesias, splendido prætextu, quasi Vandalis magnopere consultum uellet. Ideoq; ecclesias olim per eam gentem demolitas renouauit, ut Aldenburgensem, Mekelburgensem, Racesburgensem. Nam totis 48 annis hæ sedes uacauerant, inde à cæde Godeschalci ad Harduuici usq; tempora. Multũ etiam studij atq; operæ impendit pro recuperãdis episcopis & suffraganeis per uniuersam Daniam, Suetiam, Noruegiam, sicut olim per tria hæc regna ecclesiæ Hamburgensi omnes ecclesiæ erãt subiectæ. Sed frustra obsequijs & uarijs largitionibus apud pontificem & Imperatorem sudauit. Metropolis Cranzij libro sexto, capite 24. & 25.

Eugenius tertius eum ad Conradum Imperatorem ablegauit, ut suam erga Imperatorem beneuolẽtiam ipsi testatam faceret, & rursus animum Imperatoris erga sese explorarет. Frisingens. libro 1. cap. 61 de gestis Friderici.

Interfuit concilio, quod Fridericus conuocauit Vesontij in finibus Galliç & Hispaniæ: ubi in præsentia Vualdemari regis Daniæ, de ecclesijs per Daniam, Sueciam, Noruegiamq; quæstionem mouit. Sperabat enim se obtẽturum, ut totus clerus per hæc tria regna Hamburgensi, tanquam patriarchæ, iterum subijceretur: sed frustra. Metropolis Cranzij lib. 6. cap. 46.

Sedem episcopalem omniũ primus Hãburgo Bremam transtulit propter crebras Vandalorum incursiones. Helmol. cap. 68.

Apparet hominem fuisse ambitiosißimũ, ut qui dissuaserit, ne Vicelinus ab Henrico Leone inuestituram reciperet, ne scilicet quid episcopali decedere uideretur authoritati, neq; in minimo etiam laico sese submitteret. Idem. Obijt anno Christi 1168, cum fermè annis præfuisset 21. Chronic. Saxoniæ.

SVB FRIDERICO.

BALDVINVS.

BAlduinus Halberstadensis præpositus, ætate grauis, post Harduuicum præficitur. Heinrico Leoni, cuius fuerat capellanus, penes quem summa per totam Saxoniam tum temporis potestas erat, admodũ charus extitit, cuius etiam opera archiepiscopus designatus est. Duo enim alij, Sifridus & Otbertus, simul electi fuerant, hic quidẽ à clero, ille uerò à Guncelino quodã comite Suerinensi: quod cũ cognouisset Heinricus dux, utroque repudiato, hunc Balduinum præfecit. Consecrationem à Paschali antipapa accepit. Multa in gratiam ducis illi ecclesiç bona permisit, suis etiam in eiusdem ecclesiæ detrimentum plurima donauit. Obijt anno Domini 1178, cum præfuisset 10 annis. Metropolis Cranzij lib. 6. cap. 49: & lib. 7. cap. 4.

SIFRIDVS.

Defuncto Balduino, de successore præficiendo non conuenit. Vt enim ducis Heinrici molitionib. præueniretur, electus quidam Bartoldus est. Is Romam ad conciliũ Lateranense proficiscens, sperabat hanc suã electionem papam habiturum ratam. Sed frustratus spe dimittitur. Sifridus igitur, Alberti marchionis filius, qui iam dudum Brãdenburgensis episcopus fuerat, atque ante annos 15 repudiatus, successor constituitur. Ac quamuis ipse ab armis quietus fuit, attamen alijs, ut arma capessant, hortator extitit. Nam apud Fridericum Imperatorẽ impetrauit, ut comitatus Stadensis, ab Heinrico Leone occupatus, ad Bremensem rediret ecclesiam. Et quia arcem & oppidũ præsidio munierat dux, sexcentas argenti mar-

cas promisit Philippo Coloniensi, si expugnaret. Saxonia Cranzij lib. 6. cap. 43. Quantum etiam potuit, conatus est fratri Bernhardo duci Saxoniæ Dietmarsos subijcere. Chron. Holsatiense.

Intestinum etiam ipsi fuit bellum. Nam Theodoricus decanus, Hartuicus custos, post ipsum factus archiepiscopus, Segebodo S. Pauli abbas, Hermannus præpositus de Bucken, Eilo præpositus S. Vuillehadi, atq; alij, quos Sifridus honoribus & dignitate auxerat, in ipsum conspirant, mittentes in urbem quendam Heinricum canonicum, qui quòd aleator erat, nomen inde consecutus est Dabelstein. Is insignis sanctitatis simulator fuit, & quia ignotus erat, facilè is à plerisq; uisus est qualem se simulauit. Accusauit ille in curia Sifridum, quòd tali uestitu uteretur, qui ipsum nō deceret: quòd uarium non ferret, nisi cùm suis uestibus alicui pauperi erogatis, mantellum clerici aut militis induisset: quòd deauratus phaleris non incederet, nisi equo suo per munificentiam erogato in piam causam, iumentum militis conscendisset. Sed hæc & aliaq; in medium adducta, quibus in contēptum adducere episcopum conabatur, refellit Heinricus quidam scholasticus Bremensis. Hac uerò sua accusatione respexit ad synodales constitutiones, sub Ludouico I promulgatas, de uestitu & ornamentis clericorum, quæ hoc tempore nimia licentia antiquatæ erant. Vnde Platina in hæc erumpit uoces: Vtinam hodie uiueres Ludouice, cerneresq; nostrorum temporum in his rebus licentiam, castissimam diceres memoriam tuæ ætatis.

Huic Ioannes quidā Sueciæ episcopus, cum Bremam pertransiret, obedientiam præstitit, tanquam suo superiori. Sed ne sic quidem dominationem cōsecutus est, quā anxiè sitiuerat. Præfuit annis 6. Mortuus est anno 1184. Metrop. Cranz. libr. septimo, capite 4.

GERARDVS.

Gerardus de Lippia primùm Osnaburgensis antistes, ubi suis non admodum charus fuit, quòd illis multa pro ueteri licentia poscentibus non morem gereret. Is monasterium monialium in Hersbroke, in qua pleræq; à regula deuiauerāt, sorore sua accita, istiq; conuentui præposita, reformari curauit. Multis comitibus multa feuda dedit. Tandem Bremam uocatus ad episcopalem sedem, libenter à suis dimissus est. Metropolis Cranzij lib. 7. cap. 7.

HARDVICVS II.

Harduicus secundus, pridem illius ecclesiæ custos siue thesaurarius, substituitur. Is Heinrico Leoni, ex exilio domum reuerso, parum gratus fuit, cui olim tamen inseruierat. Monachorum & monialium numerū auxit. Nam anno sui pōtificatus tertio, qui est 1187, Bremæ solenne instituit collegiū, quod S. Ansgario dedicauit, addens reditus. Præterea etiam conuentum monialiū in ualle Liliorum.

Gladio politico usus est contra Christi institutum. Nam ingenti cum exercitu ingressus est Thiermarsiam, ut homines alioquin feroces & rebelles coerceret. Adiunxerat se ei Adolfus Holsatiæ comes, & Christianus de Oldēborg. Succesit negotium. Thietmarsi, qui & Stedingi à Cranzio dicuntur, ingētem pecuniæ uim archiepiscopo promiserunt, sed simulatè. Harduicus igitur depositis armis, quasi re præclarè gesta, domum redit, sperans ipsos promissis satisfacturos. Interim Adolphus & Christianus stipendium militiæ poscebant, pro quo totus clerus fidem suā interposuerat. At cum Thietmarsi nihil quicquam darent, in eas deuenit angustias archiepiscopus, ut per totum triennium episcopales reditus abiurare coactus fuerit in solutionem Christiani & Adolfi: nec unde uictitaret quicquam habebat, nisi quæ de cathedratico uel ecclesiarum consecrationibus consequebatur. Metrop. Cranz. lib. 7. cap. 13. Expeditioni Asiaticæ interfuit, anno 1197. Chron. Flandr. lib. 7.

Iussu Friderici Imperatoris sua sede motus est, quòd turbator Saxoniæ haberetur. Verùm fugiens in Angliam, post annum rediijt ad suum locum, recuperata Imperatoris gratia, & Heinrici Leonis subsidio fretus. Saxonia Crantzij lib. 7. cap. 3 & 7. Præfuitq; annis 23. Mortuus enim anno 1207. Idem lib. 7. cap. 30. Metrop.

VERDENSES.

SVB HEINRICO IIII ET V.

HARDVVICVS.

HArduuicus Verdensi ecclesiæ præest temporibus Heinrici quarti & quinti. Is ecclesiæ suæ prędium in Ride contulit. Instituit etiam solennem memoriam, tam fratribus quàm scholasticis in suo anniuersario peragendam. Crantz. in Metrop. libro 5. capite 34.

MASO.

Maso nō diu isti ecclesię pręfuit. Et quoniam magis electus erat, quàm plena autoritate gubernans, uix meruit in pontificum numerū collocari. Obijt 8 calend. Nouēb. Metrop. Crantzij lib. 6. cap. 19.

SVB CONRADO III.

& Friderico.

THIETMARVS.

THietmarus, qui Masoni succesit anno

SVB HEINRICO V.

FRIDERICVS I.

FRidericus successit Humberto, præfuitque annos 18. ut Cranzius satis probabiliter coniectat. Nec eius temporibus aliquid insigne aut memorabile literis proditũ reperias. Circiter annum Christi 1122 uiuere desijt. Metrop. Cranzij lib. 5. cap. 37. Chronicon Saxoniæ 8 annos gubernationi eius attribuit.

ADALBERO.

Adalbero substituitur Friderico. Vir fuit prudens & religiosus. Suam subinde uisitauit diœcesin, tum præsertim cum legationis dignitas in prouincias Aquilonis antiquata esset, & unaquæq; suos haberet metropolitanos. Cranzius lib. 6. cap. 13 Metropoleos. Eundem Heinricus Leo per curatores apud Imperatorem accusauit, quòd contra promissum, Stadensem retineret episcopatum. Cumq; nihil proficeret, ministri ducis eum capiunt, Luneburgumq; abducunt, ut ui quod uolebant extorquerẽt. Sed cum ne sic fierent uoti compotes, liberum dimittunt. Crantz. Saxon. lib. 6. cap. 11. Hortatu Conradi 3 armauit sese in Vandalos, ut ad fidem Christi eos cogeret. Ibidẽ. Præfuit autem annis 24. Chronicon Saxoniæ.

SVB CONRADO III.

HARDVVICVS.

ADalberonem subsecutus est Harduuicus primus, Rodolphi Franckeleuensis comitis filius, eius ecclesiæ præpositus, iam etiam comes Stadensis, permutatione scilicet facta cũ ecclesia, ut pro Thitmarsia Stadensem sumeret comitatum. Is cum Hamburgensem ecclesiam ueteri legationis honore orbatam uideret, hoc cõsilio usus est, ut suæ dominationi alias subijceret ecclesias, splendido prætextu, quasi Vandalis magnopere consultum uellet. Ideoq; ecclesias olim per eam gentem demolitas renouauit, ut Aldenburgensem, Mekelburgensem, Racesburgensem. Nam totis 48 annis hæ sedes uacauerant, inde à cæde Godeschalci ad Harduuici usq; tempora. Multũ etiam studij atq; operæ impendit pro recuperãdis episcopis & suffraganeis per uniuersam Daniam, Suetiam, Noruegiam, sicut olim per tria hæc regna ecclesiæ Hamburgensi omnes ecclesiæ erãt subiectæ. Sed frustra obsequijs & uarijs largitionibus apud pontificem & Imperatorem sudauit. Metropolis Cranzij libro sexto, capite 24. & 25.

Eugenius tertius eum ad Conradum Imperatorem ablegauit, ut suam erga Imperatorem beneuolẽtiam ipsi testatam faceret, & rursus animum Imperatoris erga sese explorarer. Frisingens. libro 1. cap. 61 de gestis Friderici.

Interfuit concilio, quod Fridericus conuocauit Vesontij in finibus Galliç & Hispaniæ: ubi in præsentia Vualdemari regis Daniæ, de ecclesijs per Daniam, Sueciam, Noruegiamq; quæstionem mouit. Sperabat enim se obtẽturum, ut totus clerus per hæc tria regna Hamburgensi, tanquam patriarchæ, iterum subijceretur: sed frustra. Metropolis Cranzij lib. 6. cap. 46.

Sedem episcopalem omniũ primus Hãburgo Bremam transtulit propter crebras Vandalorum incursiones. Helmol. cap. 68.

Apparet hominem fuisse ambitiosissimũ, ut qui dissuaserit, ne Vicelinus ab Henrico Leone inuestituram reciperet, ne scilicet quid episcopali decedere uideretur authoritati, neq; in minimo etiam laico sese submitteret. Idem. Obijt anno Christi 1168, cum fermè annis præfuisset 21. Chronic. Saxoniæ.

SVB FRIDERICO.

BALDVINVS.

BAlduinus Halberstadensis præpositus, ætate grauis, post Harduuicum præficitur. Heinrico Leoni, cuius fuerat capellanus, penes quem summa per totam Saxoniam tum temporis potestas erat, admodũ charus extitit, cuius etiam opera archiepiscopus designatus est. Duo enim alij, Sifridus & Otbertus, simul electi fuerant, hic quidẽ à clero, ille uerò à Guncelino quodã comite Suerinensi: quod cũ cognouisset Heinricus dux, utroque repudiato, hunc Balduinum præfecit. Consecrationem à Paschali antipapa accepit. Multa in gratiam ducis illi ecclesię bona permisit, suis etiam in eiusdem ecclesiæ detrimentum plurima donauit. Obijt anno Domini 1178, cum præfuisset 10 annis. Metropolis Cranzij lib. 6. cap. 49: & lib. 7. cap. 4.

SIFRIDVS.

Defuncto Balduino, de successore præficiendo non conuenit. Vt enim ducis Heinrici molitionib. præueniretur, electus quidam Bartoldus est. Is Romam ad conciliũ Lateranense proficiscens, sperabat hanc suã electionem papam habiturum ratam. Sed frustratus spe dimittitur. Sifridus igitur, Alberti marchionis filius, qui iam dudum Brãdenburgensis episcopus fuerat, atque ante annos 15 repudiatus, successor constituitur. Ac quamuis ipse ab armis quietus fuit, attamen alijs, ut arma capessant, hortator extitit. Nam apud Fridericum Imperatorẽ impetrauit, ut comitatus Stadensis, ab Heinrico Leone occupatus, ad Bremensem rediret ecclesiam. Et quia arcem & oppidũ præsidio munierat dux, sexcentas argenti marcas

cas promisit Philippo Coloniensi, si expugnaret. Saxonia Cranzij lib.6.cap.43. Quantum etiam potuit, conatus est fratri Bernhardo duci Saxoniæ Dietmarsos subijcere. Chron. Holsatiense.

Intestinum etiam ipsi fuit bellum. Nam Theodoricus decanus, Hartuicus custos, post ipsum factus archiepiscopus, Segebodo S. Pauli abbas, Hermannus præpositus de Bucken, Eilo præpositus S. Vuillehadi, atq; alij, quos Sifridus honoribus & dignitate auxerat, in ipsum conspirant, mittentes in urbem quendam Heinricum canonicum, qui quòd aleator erat, nomen inde consecutus est Dabelstein. Is insignis sanctitatis simulator fuit, & quia ignotus erat, facilè is à plerisq; uisus est qualem se simulauit. Accusauit ille in curia Sifridum, quòd tali uestitu uteretur, qui ipsum nō deceret: quòd uarium non ferret, nisi cùm suis uestibus alicui pauperi erogatis, mantellum clerici aut militis induisset: quòd deauratus phaleris non incederet, nisi equo suo per munificentiam erogato in piam causam, iumentum militis conscendisset. Sed hæc aliaq; in medium adducta, quibus in contéptum adducere episcopum conabatur, refellit Heinricus quidam scholasticus Bremensis. Hac uerò sua accusatione respexit ad synodales constitutiones, sub Ludouico 1 promulgatas, de uestitu & ornamentis clericorum, quæ hoc tempore nimia licentia antiquatæ erant. Vnde Platina in hasce rumpit uoces: Vtinam hodie uiueres Ludouice, cerneresq; nostrorum temporum in his rebus licentiam, castissimam diceres memoriam tuæ ætatis.

Huic Ioannes quidā Sueciæ episcopus, cum Bremam pertransiret, obedientiam præstitit, tanquam suo superiori. Sed ne sic quidem dominationem cōsecutus est, quá anxiè sitiuerat. Præfuit annis 6. Mortuus est anno 1184. Metrop. Cranz. libr. septimo, capite 4.

GERARDVS.

Gerardus de Lippia primùm Osnaburgensis antistes, ubi suis non admodum charus fuit, quòd illis multa pro ueteri licentia poscentibus non morem gereret. Is monasterium monialium in Herbroke, in qua pleræq; à regula deuiauerát, sorore sua accita, istiq; conuentui præposita, reformari curauit. Multis comitibus multa feuda dedit. Tandem Bremam uocatus ad episcopalem sedem, libenter à suis dimissus est. Metropolis Cranzij lib.7.cap.7.

HARDVICVS II.

Harduicus secundus, pridem illius ecclesiæ custos siue thesaurarius, substituitur. Is Heinrico Leoni, ex exilio domum reuerso, parum gratus fuit, cui olim tamen inseruierat. Monachorum & monialium numerū auxit. Nam anno sui pōtificatus tertio, qui est 1187, Bremæ solenne instituit collegiū, quod S. Ansgario dedicauit, addens reditus. Præterea etiam conuentum monialiū in ualle Liliorum.

Gladio politico usus est contra Christi institutum. Nam ingenti cum exercitu ingressus est Thietmarsiam, ut homines alioquin feroces & rebelles coerceret. Adiunxerat se ei Adolfus Holsatiæ comes, & Christianus de Oldēborg. Successit negotium. Thietmarsi, qui & Stedingi à Cranzio dicuntur, ingétem pecunię uim archiepiscopo promiserunt, sed simulatè. Harduicus igitur depositis armis, quasi re præclarè gesta, domum redit, sperans ipsos promissis satisfacturos. Interim Adolphus & Christianus stipendium militiæ poscebant, pro quo totus clerus fidem suá interposuerat. At cum Thietmarsi nihil quicquam darent, in eas deuenit angustias archiepiscopus, ut per totum triennium episcopales reditus abiurare coactus fuerit in solutionem Christiani & Adolsi: nec unde uictitaret quicquam habebat, nisi quę de cathedratico uel ecclesiarum consecrationibus consequebatur. Metrop. Cranz. lib.7. cap.13. Expeditioni Asiaticæ interfuit, anno 1197. Chron. Flandr. lib.7.

Iussu Friderici Imperatoris sua sede motus est, quòd turbator Saxoniæ haberetur. Verùm fugiens in Angliam, post annum redijt ad suum locum, recuperata Imperatoris gratia, & Heinrici Leonis subsidio fretus. Saxonia Crantzij lib.7.cap.3 & 7. Præfuitq; annis 13. Mortuus enim anno 1207. Idem lib.7.cap.30. Metrop.

VERDENSES.

SVB HEINRICO IIII ET V.

HARDVVICVS.

HArduuicus Verdensi ecclesiæ præest temporibus Heinrici quarti & quinti. Is ecclesiæ suæ prędium in Ride contulit. Instituit etiam solennem memoriam, tam fratribus quàm scholasticis in suo anniuersario peragendam. Crantz. in Metrop. libro 5. capite 34.

MASO.

Maso nō diu isti ecclesię pręfuit. Et quoniam magis electus erat, quàm plena autoritate gubernans, uix meruit in pontificum numerū collocari. Obijt 8 calend. Nouēb. Metrop. Crantzij lib.6.cap.19.

SVB CONRADO III. & Friderico.

THIETMARVS.

THietmarus, qui Masoni successit anno

no 1128, agris & decimis suam ecclesiam ditiorem reddidit. Viuus adhuc solennem sui post obitum instituit memoriam. Præfuit 40 annis. Migrauit ex hac uita anno Domini 1168, 9 calend. Octob. Metropolis Crantzij lib. 6. cap. 19.

HERMANNVS.

Hermannus substituitur Thietmaro. Fuit is Friderico Imperatori admodum charus.

Opera eius.

Litigauit cum Hartuico Bremensi archiepiscopo de quibusdam possessionibus in palude, in finibus utriusque diœcesis. Sed interuentu quorundam præcipuorum uirorum res composita est, ita ut prædia, de quibus lis mota erat, ecclesiæ Verdensi adiudicarentur.

Auxit ecclesię reditus. Nam mediam decimam in Hasseluuerder, & integrã in Rockstede & Tunderlinge acquisiuit.

Crantzius, qui utriusq; & Thietmari & Hermanni historiam contexuit, sibijpsi nõ constat. Nam Thietmaro 40 annos tribuit regiminis, atq; annũ Christi 1168 eius morti. Mox sui ipsius oblitus, hunc Hermannũ ipsi successorem constituit anno 1148. Ideoque & Eugenij tertij facit mentionem, qui huic pontifici singulare dederit priuilegiũ, omniaque uetera ecclesiæ Verdensis indulta confirmarit. Constitutus est autem Eugenius tertius papa anno 1145. Meminit itidem, hunc uidisse reliquias trium regum Mediolano transportari Coloniã per Reinoldum Coloniensem: quæ translatio incidit in annum Christi 1162, secundum Appendicem Mariani Scoti: uel secundum Crantzium, in annum 1168. Hunc etiam uidisse expeditionem Conradi tertij in terrã Sanctam. Necesse igitur est, aut simul pręfuisse Thietmarum & Hermannum, aut saltẽ Thietmaro non tantum tempus attribuendum, quo præfuit. Metropolis Crantzij li. 6. cap. 29.

HVGO.

Post Hermannum Hugo in episcopum Verdensem eligitur, Imperatori Friderico nõ in postremis charus. Lis inter ipsum & episcopum Halberstadiensem fuit de terminis in prato. Vterque suæ studebat ecclesiæ: sed Imperator cognita controuersia, pratum Verdensi ecclesiæ adiudicauit, præcipiens Otthoni Brandeburgensi, ne Hugoni permitteret propterea creari molestiam. Contulit ecclesiæ decimam de allodio in Elstorp. Obijt calend. Martij, anno Christi 1189. Metrop. Crantzij lib. 7. cap. 10.

TAMMO.

Tammo uel Tanno succedit eodem anno quo antecessor moritur. Camerarius summi collegij Verdensium canonicorum fuit. Is contulit duos mansos in Bernestede, & arcem in Valentlo isti ecclesiæ. Calicem quoque maiorem aureum, ac imaginẽ D. Virginis ex auro solido fieri curauit. Ecclesiam maiorem, adiuuantibus Annone Mindensi, & Adologo Hildeshemensi episcopis, consecrauit. Mortuus est idibus Decemb. anno 1197. Præfuit 8 annis. Metrop. Cranzij lib. 7. cap. 16.

RODOLPHVS.

Rodolphus episcopus Verdensis Syriacæ expeditioni interfuit; anno Domini 1197. Chron. Fland. lib. 7.

MINDENSES.

SVB HEINRICO V.

VVITELO.

Vitelo ecclesiæ Mindensi præficitur, sed quo tempore, non meminerunt Historiæ. Religiosus extitit suo more, ut de ipso hi circumferantur uersiculi:

Supplicat ille Deum, & motum detinet iræ
Sedauitq; trium uox lachrymosa precum.
Quos fructus habeat simplex oratio iusti,
In precibus Moysi quisq; notare potest.

Mortuus est anno 1120. Metropolis Cranzij lib. 6. cap. 33.

SVB LOTHARIO.

SIGEVVARDVS.

Sigeuuardus Vuiteloni succedit. Consecrationem accepit à papa Calixto secundo, à quo creatus legatus, ut in Saxonia Ecclesiastica dissidia cõponeret. Mortuus est anno 1141, ipso die Victoris papæ, cum præfuisset annis 21. Metropolis Crantzij lib. 6. capite 37.

SVB CONRADO IIII.

HEINRICVS.

Heinricus succedit Sigeuuardo. Is primũ de Bursueldia translatus est, ubi monachũ egerat, ad monasterium S. Mauritij, quod est in insula, ibiq; abbas constitutus. Hinc auocatur ad gubernacula ecclesiæ Mindensis, præfuitque annis 12. Mortuus est anno 1153. Quamuis Crantzius adijcit adhuc annos tres. Sepultus est in monasterio Bursueldensi, sicut postulauerat moriturus. Metropolis Crantzij lib. 6. cap. 42.

SVB FRIDERICO I.

VVERNERVS.

Vernerus successit. Nihil de ipso reperias, præterquàm quòd occupatur in eo Crantzius, ut ipsius ortum describat. Existimat aut ex familia Conradi, aut Friderici, aut Lotharij originem traxisse. Præfuit annis 17. Mortuus est in uigilia Martini, anno Domini 1160. In Metropoli lib. 7. cap. 6.

ANNO.

Anno comes de Blanckenborg substituitur,

tuitur, ac præfuit annis 14. In festo Valentini obijt anno 1174. Crantzius addit annos 11, atq; mortē ipsius reijcit in annum 1185. libro 7. capite 14 in Metropoli.

DITHMARVS.

Dithmarus succedit. Multum se abstinētia atq; ieiunijs afflixit, & à creaturarum usu, quem Deus hominibus concessit, abstinuit. Die Parasceues ipsi accidisse fertur, ut aqua, quam postulauerat, in uinum termutata sit. Præfuit annis 21. Mortuus est anno 1206 in uigilia Thomæ. Metropolis Crantzij lib. 7. cap. 18.

PADEBORNENSES.

SVB LOTHARIO.

BERNHARDVS.

BErnhardus eius nominis primus, circiter annum Domini 1126 Padebornensi ecclesiæ præficitur. Appendix Mariani Scoti. Is unà cum Lothario profectus Romam, à papa Honorio 2 impetrauit priuilegia ad usum Rationalis, tum pro se, tum etiā pro successoribus: quæ dignitas solis conceditur alioquin archiepiscopis. Reuersus domum, urbis pars cū cathedrali ecclesia conflagrauit, quā postea toto decennio restaurauit, multo quàm antea fuerat splendidius atq; magnificētius. Heerdhausense monasterium, ordinis S Bernhardi, & Gerdense, cui moniales mancipantur, fundauit atque extruxit. Bellum gessit cum Heinrico comite Arnspergense, quem aliquoties deuicit. Prǽfuit annis 23, iuxta Cranzium: uel 33, secundum Bruschium. Obijt anno 1159, ut idem habet, atq; sepultus est in monasterio Heerdhausensi. Cranzius in Metropoli lib. 6. cap. 10.

SVB FRIDERICO.

EVERGISVS.

MOrtuo Bernhardo succedit Euergisus canonicus, anno 1159. quamuis Crantzius initium eius gubernationis reijcit ad Conradi tēpora. Magna urbis pars denuò huius tempore cōflagrauit cum cœnobio Abdingkouensi, quod tamen restaurauit Euergisus. Obijt anno Domini 1176, cum annis 17 præfuisset. Crantzius in Metropoli lib. 6. cap. 31. & Bruschius.

SIGEFRIDVS.

Sigefridus succedit Euergiso, qui maioris ecclesiæ prępositus fuerat, anno 1177. prǽfuitq; annis 9 & dimidio. Mortuus est anno 1186. Crantz. in Metrop. lib. 7. cap. 8. Brusch.

SVB HEINRICO VI.

BERNHARDVS II.

BErnhardus eius nominis secūdus, nobilis ab Oysede uel Dysede, communi omnium suffragio electus præficitur. Illius tantā fuit autoritas apud uicinos nobiles, ut illi suarum præfecturarū administrationē committerēt, eo tēpore quo unà cum Friderico terrā Sanctā ingrederētur. Obijt anno 1202, cū annis 16 præfuisset. Metropolis Crantzij lib. 7. cap. 28. Bruschius.

HILDESHEMENSES.

SVB HEINRICO V.

BRVNINGVS.

BRuningus unanimi consensu cleri eligitur episcopus Hildeshemensis, anno 1114. Antea Goslariensis collegij decanus fuerat. Tantùm uno mēse præfuit, nec cōsecratus, nec cōfirmatus. Eāq; ob causam Crantzius in suo catalogo eū omisit. Reliquit enim episcopatū, & in S. Bartolomæi collegiū, quod in Salinis est, commigrauit. In illo reliquum uitæ tempus exegit, in cuius collegij tēplo est etiam post fata sepultus. Bruschius.

BERTHOLDVS.

Bertholdus præpositus summi collegij Hildesheimēsis, anno Domini 1115 post resignationē Bruningi constituitur episcopus. Membrum Antichristi nō postremum fuit. Nā monialiū cœnobia occlusit, ne uel aditus uel exitus patēret. In Bacconensi pago cœnobiū canonicorū regulariū S. Augustini, non procul ab Hildeshemio sitū, extruxit: idq; ab eo nomē sortitū est Bertholdi rode, uel Bertholdi nouale. Vicini accolę Mariæ nouale, uel Marien rode hodie uocant. Prętera pacis studiosus fuisse perhibetur. Bruschius. Præfuit annis sedecim. Mortuus est in monasterio Cluniacensi, anno 1131. Metrop. Crantzij lib. 6. cap. 7.

SVB LOTHARIO.

BERNHARDVS.

BErnhardus comes Rotēburgēsis ad Tubarū, summi collegij præpositus, Bertoldo succedit anno 1132, in ipsius electionē consentiēte clero & populo uniuerso. Præfuit annis 33. Chron. Saxō. Is Gothardū, de quo superiori seculo diximus, qui iā post mortē etiā miracula dicebatur edere, quamuis ea rectius præstigiæ diaboli dicantur, de tūba leuari, atq; in catalogū Sanctorū canonisatum referri curauit, eiusq; nomini monasterium dedicauit in parte ciuitatis, quod hodie extat in Brule.

Aliena ad se rapuit bona, non contentus illis quæ habuit. Nam Vuintzenburgensem comitatū atq; oppidū Alueldense suo adiūxit episcopatui, hac nimirū occasione: Lar quidā domesticus (Saxones Piliolū uocāt) ipsum monebat, ut statim occuparet omnia quæ comitis fuerant, quem miles quispiā Sueuus interfecerat. Ei monitori morē gessit, atq; arcē omniaq; quæ comitis erāt, sibi subegit. Id pǒstea ratū habuit Lotharius. Conradi tertij suffragio Kingenheimensem abbatiam longè potentissimā suo epi-

scopatui incorporauit, arcem captam muniuit & illustrauit. Metropolis Crantzij lib. 6. cap. 21. Bruschius. Obijt anno 1153. Sepultus est in cœnobio S. Gothardi. Oculis captus fuit annis 9, antequam ex hac uita migraret: ideo Brunonem diaconum summi collegij sibi coadiutorem elegit. Chron. Saxon. Bruschius.

SVB FRIDERICO *Barbarossa.*

BRVNO.

BRuno episcopus eligitur anno 1153, mortuo Bernhardo. Absoluit arcem Vuintzenburgensem, & in ea excelsam extruxit turrim. Episcopale palatium in urbe renouauit & illustrauit. Bruschius. Idololatra fuit, loco filij Dei colens B. Mariam, cuius festũ natiuitatis primus cum octaua celebre habere cœpit. Eum egregiè satan ludificatus est. Intererat fortè media nocte officio sacro, cum ecce insolitus subitò fulgor, meridiana luce splendidior, templum oppleret, ita quidem ut omnes perterrefacti, ex cãtu obmutescerent. Episcopus diligentius reliquis considerans quid rei esset, uidit diabolum imaginem D. Virginis præ se ferentẽ, & propius ad se accedentem. Ille supinus in os procidẽs, inquit: O sacratißima regina, quid te ab alto traxit inuisere mansionẽ humilium tuorum? Tum ille: Placuit altißimo unico meo tua deuotio, placet & cœlitibus & mihi, perseuera in eo quod cœpisti. His dictis euanuit. Crantzius in Metropoli lib. 6. cap. 41: & Chronicon Saxoniæ. Obijt anno 1160. Sepultus in media basilica cathedrali ante aram S. Catharinæ. Bruschius.

HERMANNVS.

Hermannus præpositus S. Crucis, in locũ defuncti Brunonis eligitur, anno Domini 1161. Inuestituram autem ab Imperatore Friderico, qui tum in Italia Mediolanũ obsidebat, accepit. Is neglecta animarum cura & uiuentis Dei templis, ad consecrationẽ lignorum & lapidum animum adiecit. Nã cœnobium Gandersheimense, iterum ab incendio instauratum à domina Adelheide x 1 abbatissa, consecrauit: itemq; ecclesiam S. Blasio dicatam Brunsuigæ, quã Heinricus Leo extruxerat.

Fridericum Imperatorem, cui charus fuit, uenientem ad Goslariensia comitia, omnium Imperij ordinum nomine, graui oratione excepit, ut fuit eloquens & suauißimæ pronunciationis. Conspirauit cũ Vuicmanno Magdeburgẽsi & alijs principibus contra Heinricum Leonem. Helmoldus libro secundo, capite septimo, Chronicon Sclauorum. Prouectus ætate peregrinationem suscepit in terram Sanctam, Deum in peculiari loco quærens. At graui orta in mari tempestate, naufragium fecit, quo omnes itineris comites perierunt: ipse solus cum alio quodam asseri innatans littori nudus appulit. Itaque uestes & alimenta Hierosolymam usque mendicauit. Patriarcha Hierosolymitanus humiliter ipsum excipiens, multis affecit beneficijs. Perlustrata uniuersa terra Sancta, & instructus uiatico, rursus sese mari credidit, ut ad sua rediret. Sed superatis aquæ periculis, cũ in Italia Parmis appulisset, grauiter ęgrotare cœpit, ibique moritur, anno 1174, cum præfuisset annis 13. Crantzius in Metropoli annos 16 illi attribuit. lib. 6. cap. 47. itẽ Chrõ. Sax. Sepultus est Parmis honorificè. Bruschius.

ADOLOGVS.

Adologus præpositus Goslariensis, annunciata peregrinantis episcopi Hermanni morte, totius cleri unanimi consensu eligitur, anno Domini 1175. Ex illustri familia oriundus dicitur. Emit comitatum Hõburgensem, cõsensu Imperatoris Friderici. Eũdem sequutus est in Armeniam: quo in aquis suffocato, unà cum alijs Germaniæ principibus domum redijt. Mortuus est anno 1190, & in summi templi crypta sepultus, cum præfuisset annis 15. Bruschius. Crãtzius in Metrop. numerat saltem 10. lib. 7. capite 3.

SVB HENRICO VI.

BERNO.

BErno decanus omnium suffragijs eligitur episcopus, anno 1190. Is instaurauit, & amplißimis prouentibus dotauit Goslariẽsem præpositurã. Impetrauit à Romano põtifice canonisationem S. Bernvvardi episcopi Hildeshemensis, de tumba leuati. Obijt anno 1198, cum præfuisset 8 annis. Bruschius. Chronicon Saxoniæ uix uno anno præfuisse, ac Herbortum quendam successisse refert, eiq; nouem annos in episcopatu attribuit.

HALBERSTADENSES.

SVB HENRICO IIII.

FRIDERICVS.

CUm Halberstadẽsi episcopo Friderico, à Romano pontifice excommunicato, Ilsenburgenses monachi obedientiam præstare recusarent, per eundem è monasterio eijciuntur. Tandem & ipse sede sua remotus est: ut in ueteri quodam Chronico Germanico scribitur.

SVB HEINRICO V.

REINHARDVS.

REinhardus, quem alij Reinerum uocãt, ex nobili, ut putatur, prosapia natus, anno 1107 eligitur episcopus Halberstadensis. Fuit is partium Romani pontificis contra Imperatorem studiosißimus. Nam Lothario alijsq; coniunctus, Cęsareanos in agro Mãsfeldico

feldico fudit,cæsaq; hostium corpora terræ mãdari uetuit crudelis episcopus. Post commissum prælium Saxone comitatus est Brũsuigam, ubi monasterium extra urbem in honorem sanctorum Auctoris & Ægidij cõsecrauit, anno 1115. Chrõ. Saxoniæ. Crantzius in Saxon. lib. 5. cap. 36: & in Metropoli li. 6. cap. 6. Obijt anno 1122, & sepultus est Halberstadij in primario urbis templo, cũ præfuisset 15 annis.

SVB LOTHARIO.

OTHO.

OTho eligitur anno Domini 1123. Qui cũ decem annis suæ ecclesiæ præfuisset (iuxta Crantziũ in Metropoli lib. 6. cap. 11) uel sex secundum Bruschiũ, ab Honorio secundo sua dignitate exuitur, de simonia cõuictus, quasi largitionib. ad illud flagitiũ euectus esset. Crãtzius aliá fuisse causam suspicatur, quòd fortè per Lothariũ sesé passus fuerat ꝑfici. Chro. Saxõ. hãc causam prodit, quòd scilicet pro consecratione cuiusdã tẽpli triginta accepisset solidos, idq; factum anno 1128. Attamẽ pòst restituitur in cõcilio Leodiẽsi ab Innocẽtio secũdo, anno 1130. ꝑfuitque ad annũ Christi 1133. Tandẽ ab eodẽ Innocẽtio rursus exauthoratus in synodo Pisana, nescitur quónam peruenerit, aut qua fortuna uixerit. Bruschius.

RODOLPHVS.

Rodolphus eodẽ eligitur anno, quo antecessor deponitur. Is transitũ per paludem immeabilẽ magno sumptu atq; labore fecit, perpetua memoria dignũ opus episcopale, scilicet. Metropolis Crantzij lib. 6. ca. 23. Chron. Sax. Cõdidit etiã tẽplũ D. Virginis eregionẽ basilicæ S. Stephani. Bruschius. Mortuus anno 1149, sepultus est in eodẽ templo. Præfuit annis 16.

SVB FRIDERICO.

GERION.

GErion, uel Geron, Rodolpho succedit. Eum Imperator præfecerat: sed restituto Vlrico, rursus eijcitur. Interfuit expeditioni Italicæ anno 1166, ubi peste correptus interijt. Præfuit autem annis 17. Auentinus lib. 6. Crantzius in Saxonia lib. 6. cap. 38.

VLRICVS.

Vlricus præpositus ecclesiæ ad D. Virginem, eodem anno creatur episcopus. Præfuit turbulentissimis temporibus. Nã quòd Alexandro tertio papæ parẽret, eiectus est ab Imperatore Friderico in exilium: sed rebus compositis, ad suam redijt sedem. Idololatra fuit. Comitatus enim est anno 1155 marchionẽ Albertum proficiscentẽ Ierosolymam religionis ergò: ut in Chron. quodam ueteri annotatur. Præterea turbulẽtũ prorsus in ipso ingenium fuisse, ad turbas excitandas natum, ex sequẽtibus apparet. Nã Heinrico Leoni acriter aduersatus est, postquã ad sedẽ redijt. Gerionẽ, quẽ intrusum dicebat, eiecit, quæq; ille multis iã annis constituerat, aboleuit: ab illo consecratos remouit officio. Ecclesias itidem clausit, quas Gereõ inaugurauerat. Corpus sancti Burchardi, quod ille transtulerat, Vlricus iterum terræ mandauit. Deniq; ipsum ducem Heinricum excommunicauit, sæpe maledictionis formulam reiterans: quocũque locorum dux se uerteret, sacris interdixit, solis exceptis monasterijs, in quibus clausis ianuis inter uacuos parietes sacra peragebantur. Qua proteruia tandẽ effecit, ut Henricus cũ suis Halberstadiũ ueniret, atq; ad pedes episcopi prouolutus, absolutionem peteret, & pacem deinceps sese culturum reciperet. Saxonia Crantzij lib. 6. capite 38 & 39.

At nec sic quidem quieuit episcopus, sed semper ab illo tempore occasiones captauit discedendi ab amicitia eiusdem. Crebrę factę sunt excursiones de Halberstadio atque pręsidio Horeborg in prouinciã ducis. Heinricus, etsi aliquandiu iniuriã dissimulabat, tandẽ tamen, ne suis omnino deesset, mediocrem collegit exercitũ, ut ista latrocinia depelleret. Conueniunt ad Halberstadiũ, conserunt utrinq; manus. Et quamuis anceps aliquandiu pugna fuit: tandẽ Halberstadienses in fugam cõiecti, sese in ciuitatem receperunt. Quos exercitus ducis ilico subsequens, itidem turmatim ingreditur, capit, diripit, incendit. Exustũ tunc fuit templum primarium cũ omni ornatu, multi etiam simul ex clero & populo, qui eò tãquam ad asylum confugerant. Capitur & Vlricus episcopus, suæ perfidiæ iustas luẽs pœnas, manu tenens reliquias S. Stephani: & cum Remaro præposito & cognato suo Brunsuigũ abducitur. Quẽ cũ Heinricus generosus princeps senem cano capite ad se duci captiuũ conspiceret, demisso in terrã uultu illachrymatur, animo secũ humanarũ rerũ instabilitatẽ cogitans. Cũq; aliquãdiu in libera fuisset detentus custodia, intercessione Mathildis dimittitur, atq; non multo pòst curis animiq; mœrore confectus moritur in Hugesborg, anno Domini 1182. Præfuit annis 33. Crantzius in Saxonia lib. 6. cap. 38. 39 & 40. Imperator Fridericus per legatum eius bona confiscauit, quòd iuramẽti immemor, & reus læsæ maiestatis fuisset factus, nec Imperatorem in Italica expeditione fuisset secutus. Helmoldus lib. 1. capite 83.

THEODORICVS.

Theodoricus præpositus D. Virginis succedit, à quibusdã canonicis, qui in incẽdio remanserant, electus. Chron. Sax. refert, ab

Imperatore Friderico præfectum, & initiũ gubernationis ponit annũ 1187. Is templũ mediocriter restaurauit. Obijt anno Christi 1195. Sepultus in summo Halberstadiẽsi templo ante altare S. Crucis. Præfuit annis 13. Bruschius.

SVB HENRICO VI.

BARTHOLDVS.

Bartholdus, qui & Gardolphus dictus est iuxta Bruschiũ, ex decano Halberstadiẽsi in episcopum eligitur, anno 1195. Obijt in cœnobio Kaldenbornẽsi, anno 1102, & Halberstadium relatus, honorificè ibidẽ sepultus est in templo cathedrali. Nonnulli referunt, Caldeburni sepultum. Chronicon Saxoniæ. Præfuit annis septem. Crantzius in Metropoli lib. 7. cap. 26.

ALDENBVRGENSES.

VICELINVS.

Vicelinus ex quadam uilla ad ripam Vuiseræ sita, nomine Quernhamele, in diœcesi Mindensi oriundus fuit, natus ex parentib. obscuris quidem, at honestis tamen.

Is maximam adolescentiæ suæ partem sine diligenti literarum studio atq; cognitione exegit, quamuis apud canonicos Mindenses aliquid addidicit, & uelut prima labia studijs admouit tantùm. Deinde uerò ad castellum quoddam, non procul inde situm, quod Euerstein dicitur, sese contulit: ubi mater Conradi comitis, uicem miseri miserta, aliquandiu ipsum fouit, rebusque necessarijs prouidit. Illud autem inuidia nõ caruit. Nam eiusdem castelli sacerdos eam qualemcunq; fortunam ei inuidens, diligẽter in occasionem intentus fuit, eum castello deturbandi. Quodam igitur die reuerso ex ludo literario, alijs multis præsentibus quæsiuit ex illo sacerdos, quid nam legisset in schola? Cumque responderet, se Statij libros Achilleidos euoluisse: quamprimùm sciscitabatur, quid nã Statius tractaret præcipuè? Illo itaque dicente, se ignorare: sacerdos non sine mordacitate ad reliquos oratione conuersa aiebat: Ego quidem iuuenem, de recenti studio uenientem, aliquid esse putabam: sed mea me opinio fefellit. Nullius enim prorsus momenti est. Id ipsi ad diligens studium non exiguum calcar addidit. Nam isthinc discedens lachrymabundus atque mœrens, Padeburnum uenit ad quendam Hartmannum, sub quo literarum studia ibi tunc florebant, quo usus est admodum familiariter annis multis, & nõ mediocrem in artibus profectum fecit. Nõ illum ludi, non epulæ, aut alia eius generis ludicra impedierunt: sed aut legendo, aut scribendo, aut dictando aliquid semper fuit occupatus. Hoc ardens in eo studium animaduertens præceptor, persæpe dicere solitus est: O' Viceline, nimiũ præcipitanter agis, habes sat multum adhuc temporis, in quo plurima possis addiscere. Ad hæc ille: Ecce recordor, Me libris tardas applicuisse manus: Festinare decet, patitur dum tempus & ætas. Helmoldus in Chronico Sclauorum cap. 43. Crantzius in Metropoli lib. 6. cap. 11.

Functiones.

Breui igitur tempore in tantum profecit, ut suo magistro atque præceptori collega adiungeretur. In qua functione ita se gessit, ut non tantùm doctrina, sed & bono exemplo suis præluceret.

Isthinc Bremam uocatus ad scholæ gubernationem, in qua fidem & diligentiam omnem præstitit. Iuuentutem ingenuis artibus sedulò imbuit, ut propterea Friderico antistiti non parũ gratus charusque existeret, & multorum adolescentum studijs fructuosus. Helmoldus in Sclauorum Chronico, cap. quadragesimoquinto. Crantzius in Metropoli libro sexto, capite undecimo.

Elapsis itaque aliquot annis, perspecto suorum discipulorum profectu, decreuit ire in Gallias ad uberiorem studiorum fructum capiendum, Deumque orauit pro felici successu. Ideoque assumpto Thethmaro quodam honesto iuuene, cuius studia informauerat Bremæ, Rodolphi & Anselmi scholas adijt, q̃ eo tẽpore habiti sunt Theologiæ doctores præcipui. His charus extitit, non tam propter ardens Sacrarum literarum studium, quàm uitæ integritatem. Quæstiones superuacuas pugnasque uerborum deuitans, in hoc incubuit totus, ut ea disceret, quæ sobrio intellectui & moribus instruendis sufficerent. Helmoldus capite quadragesimosexto. Totum tempus quo fuit in Gallijs, sunt anni tres: quibus exactis, abdicare carnis esum, cilicio operiri, totumque se uitæ monasticæ in patria mancipare statuit. Ad hoc enim usq; tempus tantùm fuerat acolytus.

Domum igitur ex Gallijs reuersus, accessit Northbertum Magdeburgensem præsulẽ, ut ab illo ad gradum sacerdotij promoueretur. Cumq; de Heinrico Sclauorũ principe percepisset, quo pacto ille, domitis gẽtibus barbaris, cultum diuinum impensè promouere conaretur, adijt Adalberonem Hamburgensem archiepiscopum, qui Bremæ tum substitit, atq; animi sui sententiã ei patefecit. Adalbero propterea non parum gaudens, eius & approbauit consilium, & ad Sclauorum gentem ipsum misit, idololatriæ suo loco extirpandæ causa. Igitur assumptis itineris & ministerij comitibus, Rodolpho Hildeshemensi & Ludolpho Verdensi,

densi,utroq; canonico,qui sese in huius ministerij opus deuouerant, uenerunt Lubecam,ubi Heinricum reperientes conuenerunt,& rogarunt, ut sibi liberam faceret potestatem prædicandi:quod fecit princeps, atque Lubecensi ecclesiæ illos præfecit.

His ita peractis, reuersi sunt in Saxoniã, ut res domesticas ritè constituerent, idque munus postea obirent. Sed interea temporis Heinricus moritur,eiusq; filij, Zuuentepolch & Canutus, intestinum mouent bellum. Atq; ita quidem tum temporis Vicelinus cum socijs suis remoratus est,Bremęq; mansit. Helmoldus in Chronico Sclauorũ capite 47. Chronicon Holsatiense parte prima.

Paulo pòst Adalbero Bremensis in Dithmarsia quasdam ecclesias uisitaturus, uenit in Meldorff,secum in comitatu habens Vicelinum: quò etiam ueniunt de Faldera, quod hodie Nouum castrum dicitur,ciues, illiq; præcipui ex Holsatia, petentes ad se mitti Vicelinum, quòd antea audiuissent ipsum docentem. At Holsati ad illud usq; tempus nihil præter nomen de Christiana religione habebát.Nam & lucos & fontes, similesq; superstitiones colebant.

Docuit Holsatos de fide Christi,de bonis seculi futuri,de resurrectione carnis,uitaq; æterna. Ad uitæ nouitatem illos hortari non destitit,itemq; ut superstitiosos ritus abijcerent: qua in re ipsi morem gesserunt.Vicinas porrò ecclesias uisitabat,errãtes corrigebat,dissidia componebat,lucos reliquosq; cultus sacrilegos destruebat.Cũ itaq; fama uiri apud omnes uicinos claresceret subinde magis magisq;,ueniũt circũ iacentiũ multi, & inter eos Vandali nõ pauci,ut Vicelinum audirent:apud quos multũ fecit fructũ,ut abiecta idololatria, Christianismum reciperent. Helmoldus cap.48. Chron.Holsatiense.

Aliquot annis interiectis,cũ uideret principem Sclauorum mitius agere contra religionẽ Christianam,adijt ipsum, precibusque impetrauit,ut Ludolphus & Voluuardus à Lubecensibus ad docendi munus admitterentur.Helmoldus cap.49.Chrõ.Holsatiẽse parte 1.Canuto Danorum atq; Obotritorum regi charus fuit,ita ut nũquam is diuerteret Falderam,quin Vicelinum alloqueretur.Helmoldus cap.50.

Imperatori Lothario circiter annũ Christi 1134 suasor extitit ædificandæ arcis,quæ hodie dicitur Segenberch,ut eo facilius in posterum Vandali,alioquin populus effrenis & barbarus, in officio cõtineri possent. Qui eius cõsilio morem gerens,ad radices ejus montis fundauit ecclesiam,cui Vicelinum præfecit, nec non & Lubecensi. Helmoldus cap.54.lib.1.Crantzius in Metrop. lib.6.cap.15.

Pribislaum ad amplectendum Christianismum persuasit, qui deinde plures Vuagriam, quæ hodie Megapolia est, uocauit sacerdotes.Chrõ.Holsatiense parte 1.Helmoldus cap.55.

Instructus dono sanandi ęgrotos fuit,& eijciendi dæmonia:propterea longè lateq; asportati multi sunt,ea fama permoti,quos plerosq; omnes curauit. Helmoldus ca.56.

In publicis calamitatibus suos auditores solitus est adhortari ad spem in Deum collocãdam, egit litanias in ieiunio & cordis attritione.Helmoldus cap.57.

Eius consilio monasterium Sigebergense in Hagerestorff transfertur.Helmoldus in Chronico Sclauorum,cap.67.

Coluit deos alienos.Nam omnium Sanctorum suffragia efflagitabat,præcipuè uerò S.Nicolai.Helmoldus cap.43.

Cum igitur totis triginta annis in Holsatia & passim in Vandalia Christianam religionem docuisset,& in multam prouectus esset ætatem,tandem ab Hartuico Hãburgensi archiepiscopo,inscijs Heinrico Leone duce & Adolpho comite, Aldenburgensis ecclesiæ episcopus designatus est. Per Lotharium id factum anno 1128, in Saxon. Chrõ.traditur. Ea res postea nouas turbas dedit. Nam comes decimarum iura tollebat, eo quòd se inscio episcopatum suscepisset,& inuestituram ab Heinrico duce nõ acceperat. Ideoq; ueniæ petendæ causa abijt Vicelinus ad ducem, ab eoq; honorificè exceptus est. Deinde hoc modo ipsum dux alloquitur: Et si nec te salutare,nec ad meum colloquium admittere iure poterã, episcope, quòd me inconsulto istud nomen susceperis ibi,ubi ego constitutus sum iure hæreditario dominus: tamen quia de tua sanctitate ex multis cognoui,meisque ꝓgenitorib. charus extitisti,omnẽ deponã promptus offensam,si de manu mea inuestiturã acceperis.Adfuit fortè uir quispiam militaris, episcopo amicus:hic ad episcopũ protinus oratione cõuersa, dixit:Quid recusas,Viceline,duci nostro morẽ gerere?Sic enim maiore fructu Christianã poteris propagare religionem in Sclauia. Nec uel ipse Cæsar uel archiepiscopus tibi multũ incõmodare poterunt, duce nostro reluctante. Quid uerò multũ à te flagitat? Nihil quàm ut tibi det uirgulam in manũ in signũ inuestituræ. Vicelinus hac motus oratiõe,petijt deliberandi spaciũ,quod facilè impetrauit.

Relicto itaq; duce,uenit Bardeuicũ,tum temporis urbem nobilissimam,ubi nõ multo pòst in paralysin incidit, qua deinceps

ad extremum usq; uitæ halitũ laborauit. At cũ inciperet paululũ habere meliusculè, Bremam ad archiepiscopum iuit, cũ ipso & clero deliberaturus. Cumq; omnino dissua derent ambitiosa sanè oratione (nam inter cætera & hoc addiderunt: Dabitis'ne huic manus uestras, ut hoc exemplo incipiant esse principum serui, qui fuerant principũ domini?) obtemperauit ille, ita quidẽ ut ab illo tempore quasi uinculis implicitus omnino uideretur.

Fecit ergo quantum quidem temporis iniuria permisit, uisitauit ecclesias, præbuit monita salutis, Lubecæ altare quoddam in honorem Dei dedicauit: postea rediit Aldenburgum, ubi sedes erat episcopalis. Helmold. cap. 70.

Tandem uerò Heinricum Leonem, cũ exercitu contendentẽ in Bauariã, rursus cõuenit Luneburgi, & uirgam de manu eius accepit. Ideoq; ipsi factus ęquior dux, uillã Buzoe & Dulzanizã donat. Adolphus comes itidẽ mediã decimarũ annuatim restituit, quoniã ad totũ decimarũ prouentũ erã stulerat. Helmold. in Chro. Sclauorũ, ca. 71.

Ab illo itaq; tempore Vicelinus insulã, quę Buzoe dicitur, cœpit incolere, & sub fago habitauit, quamdiu casæ extruerentur. Cœpit etiam ibidem exędificare ecclesiam in nomine Domini & honorem B. Petri, quamuis non sine aliqua difficultate in initio. Helmoldus in Chronico Sclau. cap. 72.

Interfuit etiam legationi. Nam Hartuicus archiepiscopus Hamburgensis ipsum unà in comitatu Mersburgum adduxit, ubi Fridericus Imperator comitia indixerat, ad cõponenda dissidia inter Canutum & Suenonem. Ibi conatus est Hartuuicus ipsum persuadere, ut inuestituram ab Imperatore acciperet: quãuis laterẽ lauit. Vicelinus enim nequaquã cõsensit, metuẽs Heinricũ Leonẽ, cuius minimè cõtemnẽda erat istis in locis potentia: atq; deinde rediit in Buzoë, ibiq; rursus prædicauit tã peregrinis, quàm incolis. Nã in circũiacentibus oppidulis Christianã pleriq; amplexi tũ fuerant religionẽ. Tandẽ isti loco ualedicens, postquã orasset, ut Dominus incrementũ adderet religioni in tota Sclauia, reuertitur Falderã: ubi tantopere correptus est paralysi, ut nec pes, nec manus, nec lingua suũ faceret officiũ. Medicorũ opera frustra tentata fuit. Sic igitur in lecto ægrotus toto detinetur biennio & semisse, quo tẽpore, nisi nimis aduersa impediretur ualetudine, nihil ominus tamen semper cultui dei Maosim interfuit. Helmoldus in Chronico Sclauorum, cap. 74 & 76.

Tandẽ anno Domini 1154 obiit, 2 idus Decẽbris, cũ præfuisset isti episcopatui annis 5, & septimanis nouem. Sepultus est in Falderensi ecclesia. Helmold. cap. 79.

SVB FRIDERICO I.

GEROLDVS.

GEroldus, natione Sueuus, ex parentib. non infimæ conditionis natus, doctrina usqueadeò præstans, ut parẽ in Saxonia neminem eo quidem tẽpore habere uideretur, Vicelino defuncto succedit. Is Brunsuigæ scholæ præfuerat, ubi & canonicũ atq; capellanũ Henrici Leonis aliquãdiu egit. In monasterio Riddershausen decreuerat monasticũ assumere habitum: uerùm cũ nũciũ de morte Vicelini ad ducissam Hẽrici Leonis coniugem peruenisset, illa ipsum hortata est, ut potius laboribus utilibus & salutaribus aliis studeret, quàm austeritati uitæ, utq; locũ Vicelini in Sclauia occuparet: accersitoq; Cuzelino pręposito, hũc ipsi cõmẽdauit, atq; ab se in Vuagirẽsem terrã misit. Quò cũ uenisset, & cleri & populi unanimi cõsensu in episcopũ electus est. Vt uerò cõsecrationẽ acciperet, Hartuicũ Bremẽsem, q tunc Marcipoli substitit, adiit. Verùm iste, qui Henrico Leoni parũ æquus erat, & iã pridẽ alteri cuidã, bene de se merito, eũ destinauerat episcopatũ, renuit, causans de electione oportere decerni à toto capitulo. Aberat tũ fortè Henricus Leo in Lõgobardia in obsidione Terdonę, ad quẽ iter parat, nõ tamen sine graui periculo. Nam ubi ex Sueuia cœptum iter carperet, à latrõib. uiatico spoliatus est, & uulnus etiam in frõte accepit. Ille tandem apud Adrianum 4, initiò quidem reluctantem, quòd prætexeret, id fieri nõ posse sine metropolitani iniuria, perfecit, ut Romæ consecraretur.

Reuersus domũ, omniũ primùm in id incubuit, ut metropolitano cõciliaretur: qđ coactus necessitate fecerat, siquidẽ Hartuicus reditus episcopales magna ex parte ad sese rapuerat, quos ut recuperaret, iudicabat non diu recõciliationẽ differendã esse.

Opera gubernationis eius.

Henrici Leonis animũ offensum metropolitano lenire studuit, nil nisi bona de eo dicens.

Lucum & asylum dei Aldenburgensis, nomine Proue, ipse cum sociis destruxit & exusit. Helmoldus cap. 84.

Lubecæ populũ terræ, q ad forũ cõuenerat, hortatus est, ut desertis idolis, unũ Deũ, q cœlos inhabitat, colerẽt, ut baptisati malis operibus renunciarent, ne ita prędarentur & crudeliter Christianos interimerent.

Multùm laborauit in aula Henrici Leonis, ut isti ecclesię possessionib. certis prouideretur: & ea in re tantum perfecit, quantum ante ipsum nemo fecerat.

Ciuitatem & forum Vthinæ ædificauit, sibiq;

ubique ibi domum extruxit.

Transtulit Segeburgũ quem secũ habebat clerum, ubi itidem ædes extruxit.

Vt Falderense monasterium, quod ad se receperat metropolitanus, suo rursus adiũgeret episcopatui, plurimum operæ impẽdit: sed uana spe de die in diem lactatus, parum effecit.

Aldenburgi nouũ templũ in honorẽ S. Iohannis Baptistæ dedicauit.

Comiti Adolpho suggesit, ut in pago qui Susle dicitur, extrueretur ecclesia. Postea etiã Eucelẽburgi & Rathecouij ecclesijs loca designauit. Helmoldus cap.84.lib.1.

Henrico Leoni postulãti, ut à se inuestiturã acciperet (qđ ius illi à Friderico Imperatore cõcessum fuerat) morẽ gesit, & homagiũ etiam præstitit. cap.88. lib.1.

Eius rogatu Henricus Leo sedem episcopalem Aldenburgo Lubecam transtulit. cap.90. lib.1.

Cũ Holsatis, præsertim qui ad Burnhouede pertinẽt, de decimis dandis cõcertauit, qui eas dare omnino detrectabant. Et quãuis eam rẽ ad Henricũ Leonẽ deferret, nihil obtinuit, nisi ut maiorẽ sibi inuidiã cõpararet, ita etiã ut mortẽ ipsi interminarentur. Verùm ui adacti à duce, paciscũtur cum episcopo, ut de mãso sex modios siliginis, & octo auenæ annuatim numerent. Eaq; transactio literis & sigillis episcopi & ducis confirmata est. Idem cap.92.

Cũ sentiret tẽpus migrationis instare, statuit ecclesias uisitare, docere imperitos, errantes corrigere, dissidentes reconciliare, sacro chrismatis oleo inungere iuniores.

Negotiationes diebus festis in foro Plunensi interdixit. Semper cultui dei sui Maosim interfuit, usq; ad diem sui obitus. Clerum suum strenuè defendit, ita quidem ut aliquando laicum acerrimè uerberari iuberet, maledicentem clerico.

Existimauit persolutionẽ decimarũ esse necessariam, atq; in eo legẽ Mosaicam gentes quoq; obligare. Helmoldus cap.92. lib.1. in Chron. Sclauorũ. Abrahã omnesq; eius filios oblatione decimarũ cõsecutos esse æterna præmia. Ibidem.

Curriculum.

Tandẽ post Pascha cœpit ægrotare usq; ad calend. Iulij. Æger rogauit, tãdiu sibi uitã progari, donec Lubecẽse oratoriũ curaret prius dedicari: qđ & factũ est. In dedicatione prędia, reditus, decimas in subsidia cleri constituit. Quib. peractis, rursus cœpit habere malè: atq; ui morbi quotidie ingrauescẽte, accepta extrema unctiõe collectus est ad suũ populũ, cũ ne quidem in morbo cultũ sui dei Maosim intermisisset. Chron. Saxoniæ. Corpus perlatum est à Buzouu Lubecam à clero & ciuibus, & in medio basilicæ quam fundauerat sepultum. Helmoldus lib.1. cap.95.

LVDOLPHVS.

Opera Ludolphi præpositi Aldenburgẽsis Geroldus Vicelino succesit. Helmold⁹.

LVBECENSES.

CONRADVS.

GEroldo Conradus frater germanus substituitur ab Heinrico Leone, inuito clero & Hartuuico Bremẽsi, qui pariter reclamabant, non oportere per manũ laicam quicquam in ecclesijs fieri. Anno 1163, iuxta Crãtzium in Metropoli lib.6. cap.43. Consecratus est tandem Stadij ab Hartuuico.

Is literatus, eloquẽs & affabilis fuit, sed simul etiã pluma leuior, imprudẽs, p̃missa nõ seruãs. Extraneos dilexit, suos fastidiẽs. Tyrãnicè quos uoluit sacerdotes officio suspẽdit: ipsorũ bona sua dicebat, illos pro seruis reputans. Admonitus à duce, nihil egit remissius: sed etiã ab eo tẽpore factus duci alienior, se cũ archiepiscopo cõiunxit. Helmoldus li.1. ca.2. Aduersus Henricũ Leonẽ multa molitus est, q̃ detrimẽtũ duci adferre uidebantur: quãuis ea de re admonitus, id cõstanter pernegauit. Duce uerò ab illo homagiũ poscẽte, p̃rsus recusauit ei p̃stare. Ideo iussu ducis tẽpli ualuæ obseratę sunt, omnesq; reditus episcopales ei intercept⁹. Cũq; periculũ metueret, ex cõsilio archiepiscopi Bremẽsis Magdeburgũ uenit, ubi duob. fermè annis apud eius loci archiepiscopũ latuit. Isthinc abiẽs in Franciã, Cisterciẽse uisitauit monasteriũ. Alexandro 3 per quendã Papiẽsem episcopũ reconciliatus est, & postea redijt Magdeburgũ. Idẽ li.2. cap.9. Tandẽ interuẽtu Imperatoris reconciliatus & duci, redijt ad sedem pristinam. Suum clerum defendit aduersus Hẽricum Thuringiæ comitẽ, inhiantem bonis ipsorũ. Helmoldus lib.2. cap.10. Ecclesiã B. Petri cum offertorio & emolumentis, fratribus (qui hodie canonici dicũtur) in perpetuum concessit. Deniq; cum duce Heinrico profectus in terram Sanctam, mortuus est Tyri, anno 1169. Præfuit annis sex. Crantzius.

SVB FRIDERICO I.

HEINRICVS.

REuersum Heinricum Leonem ex terra Sancta, canonici Lubecẽses adeunt, episcopum in locũ defuncti sibi dari postulantes Heinricũ abbatem S. Egidij Brunsuicẽsem, ex Brabantia oriundum. Ad quos dux respondit: Virum nobis commendatissimũ, quo in deliberationib. uti cõsueuimus, deposcitis: quo etsi carere difficulter possumus, tamẽ quia ecclesię uestrę cõsultũ cupimus, libẽter uobis morẽ geremus, si modò

ille etiam annuat. Hoc igitur ducis consensu impetrato, mox Brunsuigum proficiscũtur, atq; in pręsentia multorũ monachorũ, literas electionis & cõsensus ducalis exhibẽt. Quibus perlectis, oratione ad legatos cõuersa, dicere cœpit: Magnũ est fratres, patres atq; domini, qđ à me flagitatis, eiusq; oneris grauitatẽ agnosco, & mearum uiriũ tenuitatem: tamen diuinæ uoluntati reluctandum nequaquã est, ecce pareo. Hominem autem in primis doctum, & sacrę Scripturæ gnarum fuisse apparet. Nam Cõstantinopoli in præsentia Imperatoris Constãtinopolitani & sui ducis, quem in terrã Sanctam comitatus est, cũ Gręcis de ęterna Spiritus sancti procesſione disseruit, ita quidẽ ut palmam reportaret etiã aduersariorũ ꝓprio testimonio, Spiritũ sanctum scilicet ab utroq;, tam à patre quàm à filio procedere. Crantzius in Vandalia lib. 5. cap. 41. Itẽ in Metropoli lib. 7. cap. 2. Continuator Helmoldi cap. 5. Idq; maximam & autoritatem & gratiam apud plerosq; ipsi conciliauit. Habita uidetur esse hæc disputatio circiter annum Christi 1168.

Membrum alioqui fuit Romani præsulis, ut ex notis apparet. Nã Missam celebrauit in terra Sancta: deuotisſimè etiam uirginem Mariam toto illo profectionis tẽpore inuocauit. Primo semper diluculo, antequam castra mouerentur, completis matutinis uigilijs quotidie itidẽ hostiã obtulit. Helmoldi Continuator cap. 7. In ieiunijs, uigilijs, abstinentijs, eleemosynarum largitione existens deuotus.

Negocia secularia tractauit ipsius ducis testimonio, sicut paulo antè dictum est. capite 41.

Monasteriũ S. Ioannis Lubecæ fundauit anno 1177, ordinisq; S. Benedicti monachos eò conclusit. Chronicon Holsatiense parte secunda. Is etiam perfecit, ut cathedrale templum Lubecæ, quod quidem adhuc est, in honorẽ S. Ioannis Baptistæ & D. Nicolai ædificaretur, atq; unà cũ Heinrico Leone primum posuit lapidem. Populũ etiã docuit: qua in re aliqua ex parte episcopi functus est munere, & tantũ ualuit, ut nemo qui ipsum audiret, nõ compungeretur corde, & ad lachrymas impelleretur. Crantzius in Vand. lib. 5. cap. 41. Chron. Holsat. Cum præfuisset annis 15, abijt ad patres suos, circiter annũ Domini 1183. Sepultus Lubecæ in monasterio S. Ioannis.

CONRADVS II.

Conradus secundus, Imperatoris cãcellarius, succesſit, cõstitutus eo episcopus ab Imperatore Friderico. Chron. Holsatiense parte 2. Eum archiepiscopus Bremensis cõfirmauit. Cũq; Holsatiæ comes Adolphus super aduocatia in Vthin & alijs multis ipsi aduersaretur, præmissa omni supellectile atq; iumentis quę extorserat, abijt ad Sigfridum Bremẽsem, apud quẽ episcopatum resignauit, datis etiam ad clerũ Lubecẽsem literis, ut sibi de altero prospicerẽt, se enim minimè rediturum. Metropolis Crantzij lib. 7. cap. 9. Item in Vandalia lib. 9. capite 25. Chronicon Holsatiense parte 2. Vixque annum præfuit.

THEODORICVS.

Isti succedit præpositus Segebergensis, consensu Imperatoris Friderici, electus ab archiepiscopo Bremensi & clero Lubecẽsi, quã Crãtzius primã in ista ecclesia electionẽ uocat. Inuestiturã ab eodem accepit, & sanctificationis oleum, uti uocant. Crãtzius in Vandalia lib. 6. cap. 25.

Præfuit simul monialib. Tzeuenę cœnobij, quod in Bremensi diœcesi situm est. Vbi cum aliquando hæreret, Bremenses iumẽta & boues monasterij prædati sunt. Quos episcopus pedes subsequens, recuperauit omnia, illis cum pudore reddentibus quæ abegerant.

Excõmunicatur postea iniustè ab Hartuuico archiepiscopo, in exilium profligato, quòd extra prouinciam citatus comparere nec posset, nec uellet: quamuis à Bremensibus ista excommunicatio ut nullius momenti contempta est. Rursus uerò absoluitur à Cinthio quodam cardinali legato, iter in Daniam faciente.

Multis alioquin uirtutibus fuit ornatus. Nam & studiosus pacis extitit, domi liberalis, foris uerecundus, diligens pauperum procurator. In ore plerunque habuit: Beatius est dare, quàm accipere. Ne cui existeret grauis, sumptus de proprio fecit hinc inde proficiscens ad ecclesias. Aduersitates patientia uicit, ita quidem ut nemo ipsum uel irascentem uel uociferantẽ aut uiderit aut audiuerit, illud Pauli, Si Deus pro nobis, quis contra nos? subinde repetens. Crantzius in Vandalia libro sexto, capite 35. Chronicon Holsatiense ipsi multiplicem doctrinam tribuit, & quòd ipse ad populum conciones habuerit. Præfuit annis 23. Mortuus est 1207. Metropolis Crantzij lib. 7. cap. 11. Chronicon Holsatiense parte secunda. Chronicon Saxoniæ annos gubernationis numerat 27.

ATHELO.

Athelo sacerdos Lubecensis, & sub Geroldo factus primus ibidẽ præpositus, Nicloto impresſionẽ faciente, pontem sublicium attraxit, hostemq; aditu exclusit. Helmoldus cap. 87. 90.

ODO.

Odo Lubecensis decanus Geroldũ episcopum

scopum morti uicinum uisitauit. Helmoldus lib.1.cap.95.

GODESCHALCVS.

Godeschalcus sacerdos Bardeuicēsis, institores in Rugiā proficiscentes piscationis gratia, comitatus est, anno 1164, ut ibi offerret suū deū Maosim. Ea res nō latuit ethnicæ gentis sacerdotē, qui regē populūq; persuasit, deos maiorē in modū prouocatos ad irā, nec alio modo placari posse, quàm sacerdotis aduenæ sanguine, qui peregrinū in illis locis sacrificiū obtulisset. Rugiana cohors ab institorib. eum sibi tradi petit: cūq; ære redimere non possent, & uim alioquin metuerent, nocte intempesta clàm unà cum sacerdote aufugiunt. Helmoldus lib.2.cap.12. Chron. Sclauorum.

RACEBVRGENSES.

SVB FRIDERICO.

EVERMODVS.

EVermodus Magdeburgēsis præpositus, ab Hartuuico Bremēsi præficitur Raceburgensi ecclesiæ, circiter annū Domini 1149, cū iam totis 48 annis post Aristonē nullū habuisset episcopū. Inuestituram accepit ab Heinrico Leone, & cōtra uoluntatē Hartuuici, & pacta inter Imperatorem & papam firmata. Crantzius in Metropoli libro 6.cap.28.

Opera in gubernatione.

Ordinē Præmonstratensiū, quē ipse sub Norberto Magdeburgēsi susceperat, Raceburgum adducit, qui in illo episcopatu atque capitulo multo permansit tempore. Crantzius in Metropoli lib.6.cap.28.

Multiplicauit ecclesias in terra Polaborum, ea in re utens opera Heinrici comitis Raceburgensis. Helmoldus libro primo, capite 84.

Quædam etiam per ipsum facta miraculose dicuntur, ut eo plures in errorem ducerentur. Cum enim Heinricus Raceburgensis Phrisios teneret captiuos, uarijsque tormentis subijceret, eorum causa intercedit episcopus, sed frustra. Quodam igitur die Paschatos aqua lustrali catenatos aspergit, adducens simul illud Psalmi: Dominus soluit compeditos. & quamprimùm uincula rumpuntur, illiq; tacitè discedunt. Crantzius lib.5.cap.42.Vand.

Aliud etiam de ipso refert superstitiosum miraculū Crantzius in Metropoli lib. 6. cap. 28. de pontificalibus chirothecis ab ipso depositis, quæ sine adminiculo in aëre pendêre uisæ sunt.

Deū coluit Maosim. Nā Missas celebrauit: ut habet Crantzius in Vandalia lib. 5. cap. 42. Vbi ridiculum addit, nisi quòd miraculum ineptè interpretatur, ut cum apud aliquem condonationē homicidij impetrare non posset precibus, id impingendo colaphum perfecerit.

Doctrina.

Erudiuit populum de Euangelio. In primis præceptum charitatis inculcauit de remittēdo debito proximi, siquidē petimus in oratione Dominica, ut nobis omne remittat Deus.

Mors.

Obijt circiter annum Christi 1177. Crantzius lib.5.cap.42.Vand.

SVB FRIDERICO I. ET *Heinrico VI.*

ISFRIDVS.

ISfridus Euermodo successit, nō postremus inter hypocritas & Antichristi mēbra. Præpositus fuerat regulariū in Ierichouu, nō canonicorū, sed monachorū, in præpositura utens ritu, nulli uitę austeritate cedēs. Crantz. in Vandalia lib.5.cap.42.

Opera in gubernatione.

Statuto tempore abstinuit ab usu creaturarū, quibus Deus uti instituit cum gratiarum actione. Nam die Parasceues sola aqua uti uoluit: quamuis eam per ministrum allatam ter mutatā esse in uinū, refert Crantzius in Metrop.lib.6.cap.40.

Iuit etiā in ꝓcessione, aspergēs aqua benedicta (ut uocant) circūstantes. Atq; ut eo efficacius error de aqua benedicta hominū animos demētaret, meminit Crantzius, ipsum quendā cæcū aspersisse, additis Psalmi uerbis: Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. & quamprimùm cæco restitutam uidendi facultatē. In Metrop. lib.6.cap.40.

Calamitates.

Mala intestina & forēsia quędā expertus est. Nam qui sub eo pręposituram agebat, ad pontificatū aspirās, multū illi molestiarum creauit: eodē modo & comes Bernhardus, eo quòd familiaritati ducis Heinrici renūciare noluit. Eiecto Heinrico, idē ille Bernhardus Anhaldinus ab episcopo homagiū deposcebat, qui iam peruenerat ad ducatū. Sed cum reluctaretur, dux omnes ecclesiæ decimationes tulit. Emunxit etiā pecunia episcopi subditos. Hęc omnia pertulit pręsenti atq; forti animo. Crantzius in Vand. lib.5.cap.42.

Mors.

Obijt circiter annū Domini 1200. Eius & antecessoris Euermodi reliquę in choro in quadā capsula ad Austrum sita reseruātur. Adscripti sunt hi uersiculi Isfrido, ut testatur Crantzius lib.6.cap.40 Metropoleos:

Huic Tethis inualuit, in uinum uersa: cæcatus
Est illustratus. talibus effloruit
Laudibus insignis Isfridus, annumerandus
Catalogo sanctis cœlitibus iugiter.

EVER-

EVERHARDVS MEGApolensis.

HArtuicus Bremēsis archiepiſcopus circiter annum Domini 1149 Euerhardū, alij Emehardum uocant, in Obotritorum, qui nunc Megapolenſes ſunt, terra ordinauit epiſcopum, eiq; munus prædicandi & baptizandi commendauit.

Apparet hunc fuiſſe bonum uirum, qui quædam opera epiſcopalia fecit. Nam Vandalos, ter iam ad paganiſmum relapſos, rurſus ad fidem Chriſti conuertit, idq; eo facilius, quòd honeſtā ipſius conſuetudinē gentes uiderent: ſicut & Crātzius de eo refert, quòd modeſtia, manſuetudine, humilitate plures lucratus ſit, quàm alius gladio & ui externa. Non palatijs ſplendidè ædificādis occupatus fuit, ut reliqui, non ut ſublimib. caballis inequitaret: ſed pedes ipſe cū peditibus peragrabat. Crantzius lib. 6. cap. 27 Metropoleos. Peruenit ad annum uſq; Chriſti 1160, quo uita defunctus eſt, nondū omni populo ad fidem Chriſti conuerſo, magnatibus nempe reluctantibus, ut fieri ſolet. Præfuit annis undecim.

BENNO SVERINENSIS.

DEfuncto Euerhardo ſuccedit Benno, aliàs Berno, poſtremus Meckelnburgēſis, & primus Suerinenſis epiſcopus. Nam ſub eo illa ſedes trāsfertur Suerinū. Inueſtituram accepit ab Heinrico Leone, qui eum coëgit. Crantzius in Metropoli lib. 6. ca. 39. Is multū & laboris & ærumnarū pertulit. Nā Niclotus eiuſq; filij idolis ſeruiebant, & cum illis promiſcuū uulgus magna ex parte. Cumq; pontifex quotidie inſtaret, quo plurimi ad fidem Chriſti cōuerterentur, nō dubiū eſt, quin multarū hoc ęrumnarū ipſi cauſa extiterit. Crantzius quidē refert, niſi Suerini à Saxonibus fuiſſet defenſus, mille confectus gladijs interijſſet.

Coluit deum Maoſim non procul à Suerino inter cæſorum cadauera, non ſine uitę periculo. Nam niſi Richardus quidā Soltuuedelenſis ſuperueniſſet, à Vandalis prodeuntibus ex inſidijs ad unum omnes interfecti fuiſſent, epiſcopus cum clericis qui ſimul aderant. Ex cæſis deniq; ſepeliuit 70. Crantzius in Vandalia lib. 5. cap. 4.

Operam præterea nauauit regi Daniæ Vualdemaro, unà cum quodam Abſolone Roſchildenſi, ad delendū Rugianorū idolū Zuuanteuithum, utq; ibi prima Chriſtianiſmi ſemina iacerentur. Helmoldus in Chronico Sclauorum lib. 2. cap. 12. Præfuit annis 50. Mortuus anno 1210. Metropolis Crantzij lib. 7. cap. 20.

HELMOLDVS.

Helmoldus miniſter eccleſiæ in Butzouu, uel presbyter eccleſiæ Lubecenſis, claruit circiter annū 1160. Is Geroldo Aldenburgenſi familiaris fuit, quē euntē ad Pribislaū comitatus eſt, eiq; præſtò fuit in officio Miſſę in uilla Butzouu ipſo die Epiphaniorum. Eundē etiā comitatus in ulteriorē Sclauiā ad quendā Theſſemannū euntē: & deſtructionē luci & aſyli idoli Prouen ſtrenuè iuuit. Scripſit Chron. Sclauorum à tempore Caroli Magni uſq; ad tempora Friderici Barbaroſſæ.

MAGDEBVRGENSES.

SVB HEINRICO IIII.

HEINRICVS.

HEinricus de Aslo, quem Imperator antea Magdeburno eiecerat, à Magdeburgenſi clero, repugnāte nemine, archiepiſcopus electus eſt, anno 1101.

Opera eius etſi in ſpeciē quædā uidentur eſſe bona, tamen ſi ad normam uerbi iudicium feceris, elucet hypocriſis, & quòd membrū Romani antichriſti fuerit. Exiguū tempus ſomno nocturno tribuere ſolitus eſt, & legēdo & deblaterādo multas preculas corporis proprij curam neglexit. Cum oratione Dominica cubitum ſemper iuit, & manè rurſus lecto ſurrexit.

Cum alijs quibuſdam epiſcopis Romā abijt, ut apud papā abolitionē excommunicationis Henrici quarti impetraret.

Coluit deū Maoſim. Ipſo die Palmarum, quo & ęgrotare cœpit, & poſtea etiam die Cœnæ Domini corpore debili filiū Dei obtulit. Lauit quibuſdā pauperibus pedes in lecto decūbens, liberaliter diſtribuens illis eleemoſynas. Prima feria Paſchatis extremè unctus fuit, altero die pòſt moritur. Chron. Magdeburgēſe manuſcriptū, & Crātzius in Metropoli lib. 5. cap. 27. 32. Præfuit tantùm annis 4, & 8 menſibus.

SVB HEINRICO V.

ADALGOTHVS.

SVcceſsit Heinrico Adalgothus Halberſtadianus canonicus, ab Heinrico quinto ſubſtitutus. Ille ordinauit, ut quotannis ſingulis Quadrageſimæ diebus centum pauperibus centeni panes cum totidem halecibus tribuantur. Crantzius in Metropoli lib. 5. cap. 32. Idolum in Luſitania à Sclauis erectum unà cum Lothario deiecit. Chron. Saxoniæ. Mortuus eſt anno 1119, cū 11 annis pręfuiſſet. Chronicon Magdeburgenſe, Crantzius, & Appendix Mariani Scoti.

ROTHERVS.

Rotgerus canonicus, quē manuſcriptus codex Rutkerdum uocat, Adalgoto ſurrogatur. Armis ſeſe tutatus eſt iſte cōtra Vuibertū Burggrauium Magdeburgēſem, qui multum damni iſti eccleſiæ dederat. Inueſtituram ab Imperatore excōmunicato recipere noluit: ſed à legatis pōtificijs ſuę eccleſiæ

clesiæ iura suscepit, unde rectè inter Antichristi mēbra numeratur. Crantzius in Metropoli lib.6.cap.8. Pallium, quod multo ære redemerat, clàm ipsi surreptū est, quod ipsum non parum turbauit: ut habet Chronicon Magdeburgense. Mortuus est anno 1125, cum 6 annis præfuisset.

SVB LOTHARIO.

NORTBERTVS.

DEfuncto Rotgero, ortū est schisma propter electionē successoris. Nā simul tres de eo pōtificatu digladiabantur: quorū unus, nomine Arnoldus, à ciuib. interfectus est. Chronicon Hirsaugiēse. Adeò enim canonici, iam liberā nacti electionē, intumuerāt, ut unusquisq; ad illud fastigiū infinita ambitione aspiraret. Crātzius in Metrop. lib. 6.cap.12. Et cū nullū finē contentionū modūq; statuerent, Lotharius Imperator, remotis duobus, Nortbertū Lotharingū (iuxta Crātziū) præfecit, anno Domini 1128. in festo Paschatis anno 1126. Chron. Saxoniæ.

Quòd unū ex præcipuis eius seculi Antichristi mēbris fuerit, & autor fœdissimæ idololatriæ, uel ex hoc unico patet, quòd ordinis Præmonstratensis in Burgundia in Laudunēsi diœcesi autor & architectus extiterit, in quo monachus etiā uixit. Polydorus Vergilius lib.7.cap.3. Apud suos etiā canonicos, qui iam fermè facti erant seculares, facilè obtinuit, ut sese paterentur in ordinem redigi, sumentes eius habitum, ut Nortbertini inde dicerentur. Crantzius in Metropoli lib.6.cap.12. Lis inter ipsum & Magdeburgenses exorta est altero anno postquam isti sedi præfectus esset, idq; tali occasione: Delatū erat ad episcopum, templum cathedrale libidinib. profanatum: ideoq; accersiuit Misnensem atq; Hauelbergensem episcopos, ut de integro consecrarent. Inde fit tumultus, Magdeburgicis consecrationem impedire uolentibus. Chronicon Magdeburgēse manuscriptum. Imperatoris, quarto anno post electionem, factus cancellarius, unà proficiscitur in Italiā: ubi inaugurationem ab Innocentio secundo Lotharius per eundē impetrauit. Obijt anno 1134, 8 idus Iulij, octauo sui pontificatus anno, Mersburgi. Chronicon Hirsaugiense & Magdeburgense.

SVB CONRADO V.

CONRADVS.

COnradus comes de Queruorde, Imperatoris cōsensu eligitur in defuncti locū episcopus, ipso die Petri & Pauli, anno 1134. Is Conradū Sueuum fratrem Friderici, intercedente Imperatoris coniuge, excōmunicatum absoluit. Septuaginta auri marcas ab ornamētis aræ S.Crucis abstulit in sumptum itineris, cum Imperatorem in Italiā comitaretur. Bellum gessit cum quodam Bernhardo comite, cepitq; Plotzke, atq; demolitus est. Opposuit etiam sese cum duce Heinrico Imperatori Conrado. Hæc sanè Antichristi membrum ipsum fuisse, argumēto esse possunt. Mortuus est anno 1142, postquam octo annis præfuisset. Chronicō Magdeburgense manuscriptum.

FRIDERICVS.

Fridericus Cōradi successor prædia atq; uillas emit à Richardo quodam, annuosq; reditus suæ ecclesiæ hoc modo adauxit. Principi cuidā Poloniæ, nomine Petro, magnam partē reliquiarū S. Vincētij tradidit, inuitis ciuibus. Interfuit expeditioni cuidā unà cum octo episcopis, abbate Corbeiēsi, marchione Conrado, palatinis alijsq; principibus aduersus Prutenos, quibus opē ferebant Rutheni, nuper ad fidē Christi conuersi. Hoc scilicet est esse episcopū. Mortuus est anno 1152, cū fermè 11 præfuisset annis, iuxta Crantziū in Metropoli lib.6.cap. 30.& manuscriptū Chronicō Magdeburg.

SVB FRIDERICO.

GVICMANNVS.

SVccessorem habuit Guicmannū, quē isti sedi Imperator Fridericus inuitis canonicis pręfecit, ex consilio cuiusdam Arnoldī abbatis à Monte. Chronicon quoddā Germanicum eum uocat Bartholdum, ac præpositum fuisse refert, & à papa, consentiente Imperatore, præfectum, cum inter clerū de successore non conueniret.

Erat nobili stemmate Bauarorū & Saxonum oriundus, ex patre Gerhardo comite Seburgensi, matre uerò Mechtilde sorore Cōradi comitis Misnię, natus, uir magni animi. Citzēsis episcopus pridē fuerat, sed inde Magdeburgū trāsfertur. Magnaq; apud Imp. aliosq; pontifices eius fuit autoritas. Palliū ab Eugenio 3 redemit. Ecclesiā suā quatuor arcibus, quas ex hæreditate accepit, donauit: ut Labechensi, Beierensi, Nienburgensi & Seburgensi. Iuterbocenses itidē sibi subiecit, eosq; fecit sibi & successorib. tributarios. Arcem Somerburgensem à sorore Alheida abbatissa Quedlinburgensi emit: quæ res inuidia non caruit. Nā dux Heinricus propterea flammas iracundię in ipsum concipiens, bellū ei intulit, quod diu durauit. Chronicon Magdeburgense manuscriptum. Conspirauit cum Hermanno Hildeshemēsi & alijs principib. cōtra Henricum Leonē, ac ipsius Imperatoris castra secutus est: ut Helmoldus lib.2.ca.7 in Sclauorū Chron. & Crantzius in Saxonia lib.6. ca.42 testatur. Redijt tamen cū Henrico in gratiā: nā pfecturus in terrā Sanctā, tutelam suę ditiōis episcopo cōmittit: teste Helmoldo in Chrō. Scla. At post Hērico 6 idē autor & sua-

& suasor fuit, ut Henricū Leonē principatu eijceret, penitusq; exueret, anno 1192. Chronicon Saxoniæ.

Imperatorē asiduè secutus est. Interfuit comitijs Ratisbonensibus, in quibus læsæ maiestatis damnatus est Leo. Auentinus libro 6. Anno 1156 cepit Brandeburgū unà cum alijs principibus. Arcem Haldenschleuen deditione captam diruit (quā ob causam rectius militem quàm episcopum ipsum dixeris) atq; permissu Imperatoris in posterum obtinuit.

Societatem mercatorum & eorum qui pannum uenalem habent, primus instituit. Primus etiam bis in anno monetam cudit, quod ante ipsum semel tantùm factū fuit. Chron. Saxon.

Decreuerat Goslariæ, unà cū alijs principib. obsidere Brunsuigū: sed aduersa impeditus est ualetudine, neq; multo pòst collectus est ad patres suos, anno 1192, cū annis 42 præfuisset. Chronicon Magdeburgense, Crantzius in Metropoli lib.6.cap.35.

SVB HENRICO VI.

LVDOLPHVS.

VVichmāno succedit Ludolphus, homo rustica origine natus, ex uilla quadā Kroppenstede. In quo adhuc puero cū antecessor ingenij dexteritatē animaduerteret, curauit ut Lutetijs Parisiorū, ubi studia eo tēpore florebant, cōtinuis 20 annis literis operam daret: quibus exactis, ad suū archiepiscopum reuertitur.

Præfecit ille Ludolphū initiò, ut iuuentutis studia informaret. Postea adeptus est canonicatū, cū mediocriter fidem atq; diligentiam suam probasset pontifici. Non multo pòst eius collegij decanus designatus est, uice episcopi Baalismum & alia eius generis ceremonialia curans, qui bello gerēdo alijsque curis secularibus alioquin fuit occupatissimus. Proinde Vuichmanno sublato, nullus uisus fuit toti collegio magis aptus isti muneri, quàm Ludolphus. Crantzius in Metrop. lib.7.cap.25. Chronicon Magdeburgense refert, ab Heinrico 6 ad illum dignitatis gradum euectum. Inauguratus ab Halberstadēsi episcopo Theodorico prima feria Pentecostes.

Antichristi membrum haud prostremū fuit. Nam palliū à Celestino tertio redemit. Crantzius loco suprà citato ipsi eam attribuit laudem, quòd se à negocijs secularib. quantum potuit subtraxerit: sed diuersum testatur Magdeburgēse Chronicon, nimis ipsum fuisse seculare, & quòd præter titulū episcopale nihil habuerit. Nā arcem Somerburgensem, dirutam ab Heinrico duce Brūsuicēsi, de integro restaurauit, Vuerbergensem diruit, Helmstadiū incendit, atq; omnia lōgè lateq; usq; Brunsuigū ferro & igne depopulatus est. Chronicon Magdeburgense. In electionem Philippi primus cōsensit, nec postea persuaderi potuit à legato quodā pontificio, ut Ottonem sequeretur, quē aliqui principes Imperatorē elegerant. Mille & centū equites aliosq; milites ad Philippū adduxit obsidentē Vuissenschū. Ottonem Brandenburgicū excōmunicauit: cui tamē postea recōciliatus est, hac nimirū occasione & superstitioso miraculo adductus. Nā cū Otto nihili eam faceret excōmunicationē primùm, ad suos aliquādo mēsę assidēs oratione cōuersa, per ludibriū dixit: Audio canes nihil quicquā ab illis, qui anathematizati sunt, carniū accipere. Et mox frustum illis obiecit. Cumque nullus eorum quod obiectum erat ederet, iussit unum includi toto triduo, ut omnino redderetur famelicus, facturus periculum, si tum ederet. Sed noluit. Qua re compunctus Brandeburgicus, cū ipso in gratiā redijt. Chronicon Magdeburgense. Ecclesiæ bona quantum potuit auxit, multa ære redimens. Multas arces, quę latronibus tutum præbuerunt receptum, diruit. Ad extremum morbo correptus circiter festum Iacobi, usque ad diem Assumptionis Mariæ subinde peius habere cœpit, donec tandem manibus sublatis, cum prius nouissimam unctionem à Reinbodo Montano abbate accepisset, expirat, anno 1205. Illis qui ipsi decumbenti præstò erant, suasor fuit, ne in electione successoris dissiderent. Expirante ipso, subitus fulgor uisus est adstantibus: quod sanè sathanæ facile fuit, ut illos hoc modo fascinaret & dementaret. Pręfuit annis 13. Chronicon Magdeburgense.

GERARDVS.

Gerardus præpositus Magdeburgensis, Guicmannum Cicensem episcopū Romæ apud pontificē accusauit, quasi intrusus esset per Fridericum Imperatorem cōtra ius ecclesiæ Magdeburgensis. Frisingensis lib. 2.cap.8. de gestis Friderici.

MERSBVRGENSES.

SVB HEINRICO IIII.

ALBINVS.

ALbinus uel Albuinus dux Bauarię, Mersburgēsi sedi præficitur anno Domini 1101. sacris initiatus ab Hardouico Magdeburgēsi. Ei multarū uirtutum laudē tribuit Mersburgense Chronicon: ut, bonitatis, humilitatis, humanitatis, longanimitatis, prudentiæ, quòd subditos singulari sit amplexus amore, contra uim iniustam eos defenderit, æquabiliter ius administrarit. Interfuit consecrationi cœnobij sancti Iacobi, quod Vuipertus extruxit anno 1107 Pegouij.

Obijt

Obijt anno Domini 1117, cum annis præfuisset 16. Sepultus est in monasterio S. Petri in templi limine. Ibidem.

SVB HEINRICO V.

GERHARDVS.

DEfuncto Albino successit Gerhardus, illegitimè intrusus ab Adelgoto Magdeburgensi & Theodorico Cicensi. Sed non multo pòst collectus est ad patres suos. Mersburgense Chronicon.

SVB HEINRICO V. & Lothario.

ARNOLDVS.

ARnoldus nobili stemmate ortus, primò canonicus Magdeburgensis fuit. Eum contra uoluntatem Heinrici v nonnulli episcopi Mersburgi præfecerant.

Prudens disertusque fuit, subditos suos paternè cōplectēs, atq; rursus ipsis charus.

Sed architectum magis quàm doctorem egit. Nam Zuuenkouium arcem muro ualloque muniuit, & castellum fossa etiam circumdedit.

Cumque annis 9 præfuisset, à consanguineis in arce Zuuenkouiana nefariè trucidatus est, anno Domini 1133. Chronicon Mersburgense. At hic sententiæ uariant. Nam nonnulli indicant, ipsum in pugna Bohemorum aduersus Lotharium occubuisse, 12 calēdas Martij, anno supradicto. Quamuis hanc pugnam constat factam anno 1126. Sepultus est Mersburgi in monasterio S. Petri, in limine capellæ B. Virginis.

MEINGOTVS.

Meingotus canonicus Mersburgēsis, altero die postquā è uiuis sublatus est Arnoldus, 18 calendas Iunij, cōsentientibus cleri suffragijs electus est. Eam electionem postea ratam habuit Imperator Lotharius, anno Domini 1136. Præfuit 14. annis. Chronicon Mersburg.

SVB CONRADO.

ECKELINVS.

MEingoto successit Eckelinus: quam electionē Conradus 3 confirmauit. Obijt anno 1158, cum plus minus 15 annis prǽfuisset. Sepultus est in templo cathedrali Mersburgi. Chronicon Mersburgense.

REINHARDVS.

Reinhardus comes Querfurdēsis, cognatus Conradi 3, ab Imperatore sine cleri suffragio isti sedi præficitur post sublatū è medio Eckelinum. Is duo prædia cum 12 mansis, & in alijs quoq; pagis, 20 mansos isti ecclesiæ contulit. Interfuit Asiaticæ expeditioni, ab eodem Imperatore susceptǽ, circiter annum Domini 1146. sed sequenti redijt inglorius, sano corpore.

Prǽfuit annis 18, posteaq; collectus est ad maiores suos, anno Domini 1176. Sepultus est in templo cathedrali Mersburgi. Chronicon Mersburg.

SVB FRIDERICO I.

IOHANNES.

IOhannes canonicus Magdeburgensis, confirmatione accepta ab Imperatore, à Vuichmāno Magdeburgensi antistite ordinatus & cōsecratus est, anno Domini 1176.

EVERHARDVS.

Euerhardus Bauarus, comes Seeburgensis, ab Imperatore isti sedi præfectus est, & à Vuichmanno consecratus. Is uillæ, quæ hodie Nouum forum dicitur, & nomen illud & ius nundinarum impetrauit à Friderico primo, atq; à nobilibus cum omnibus prouentibus in usum ecclesiæ Mersburgensis emit. Chronicon Mersburgense.

THEODERICVS.

Theodericus comes Misnensis, à clero electus est in episcopum, & à Magdeburgensi Vuichmanno consecratus. Is bona suǽ ecclesiæ auxit. Beneficus, liberalis, disertus extitit, amans & suos, & à suis redamatus, æquabiliter ius administrans. Obijt anno 1184, cum annis 11 præfuisset. Sepultus est in Petersbergio monasterio, nō procul ab Hala Saxonum sito. Chron. Mersburg.

ECKEHARDVS.

Eckehardus nobili ortus stemmate, in gubernatione Theodorico succedit, ordinatus à Vuichmanno Magdeburgensi. Is & prudens sapientisq; consilij fuit, suorum subditorum curam gerens, humanus. Vnus prǽterea ex præcipuis Theodorici marchionis Misnensis consiliarijs extitit. In magna fuit existimatione apud Ludouicum Thuringiæ Landgrauium eiusq; coniugem, cuius solitus est audire confessiones. Auxit annuos reditus ecclesiæ pro uirili.

Architectum egit. Nam ciuitatis mœnia uel ruinosa uel collapsa reparari curauit. Eā ob causam Theoderici Misnensis gratia excidit, extimulati à suis aulicis, quasi in detrimentum Misniæ rebus nouis studeret munitione istius loci. Sed intercessione Iuditæ coniugis marchionis redijt cum ipso in gratiam. Chronicon Mersburg. Præfuit annis 10. Obijt anno Domini 1194. Ibidem.

SVB HEINRICO VI.

RVDOLPHVS.

RVdolphus nobilis à Vuebauu, canonicus Mersburgensis, eodem anno successor eligitur & constituitur. Sacris initiatus est à Ludolpho Magdeburgensi. Templo parochiali in Nouo foro, extra urbis mœnia, nomen à Cantuariensi Thoma indidit. Præfuit annis 10, tribus hebdomadibus, & diebus 4. Obijt anno Salutis 1204. Chronicon Mersburg.

CIZENSES.

SVB HENRICO V.

THEODORICVS.

Circiter annum 1117 Cicensibus præfuit Theodoricus, qui unà cum Adelgoto Magdeburgico Albinum Mersburgensibus obtrusit. Is superstitionum plenus fuit. Nam comitem Vuiprechtum Groitsensem, iam senio confectum, persuasit, ut relicta ditione monasterium ingrederetur. Chrō. Mersburg. Eum monachus quispiam, quem cōuersum uocant, ad altare stantem confodit, quòd sæpius uitam eius parum honestam reprehēdisset. Triduo enim postquam uulnus illud acceperat, animam efflauit. Chrō. Mersburg. Vrsperg.

VDO.

Vdo circiter annum 1126 eidem ecclesiæ præfuit. Chron. Mersburgense.

VDO NVMBVRGENSIS.

VDo circiter annum 1170 præfuit Nūburgicæ sedi. Comes à Pleisen fuit. Chronicon Mersburgense lib.2.cap.33.

MISNENSES.

ALBERTVS GERVINVS.

ALbertus Misnensis episcopus unà cum Ottone Frisingensi capellam, quām Conradus 3 prope Coloniam extruxerat, cōsecrauit. Frisingensis lib.1.cap.62 de rebus gestis Friderici. Obijt anno 1154 in legatione Cōstantinopolitana, quò missus erat à Conrado. Cui Geruinus abbas quidam successit. Chron. Saxonicum.

ANSELMVS HA-
uelburgensis.

ANselmus Hauelburgēsis episcop⁹, in Sacris literis & linguis mediocriter peritus, claruit circa annū 1150. Vnus inter eos fuit, qui & hypocrisin monasticā aliquomodo uidit & carpsit. In quadā enim epistola laudē perfectionis monachis adimit. Testatur suo seculo nō paucos fuisse, qui uarietatem & nouitatem sectarum monasticarum, subinde in Ecclesia exurgētium, improbarint. Idem Constantinopoli contra quendā Nechitam oppugnantem primatum papæ disputauit. Catalogus testium ueritatis. Ad Conradum 3 missus est ab Eugenio, ut ad Imperatorem de sua erga ipsum beneuolentia referret, & uicissim Imperatoris animū beneuolum erga sese cognosceret. Frisingēsis lib.1.ca.61 de gestis Friderici Barbarossæ.

VIGERVS BRAN-
denburgensis.

VIgerus Brandenburgēsis episcopus dedicauit capellam in Hospitali, anno 1142, 5 calendas Iunij, in honorem IESV Christi & S. Nicolai, & alteram in Infirmatia, consequenti die, in honorem Mariæ Magdalenæ. Appendix Mariani Scoti.

POMERANIAE
episcopi.

ADELBERTVS IVLINENSIS.

ADelbertus ab Ottone Bambergensi Iulini constituitur primus episcopus, circiter annum 1160. Historia Pomeranica lib.2.cap.28 de uita Otthonis.

IOHANNES HOLOGASTI.

IOhannes primus datus presbyter est Hologastiensibus ab Ottone, circiter annum 1164. Historia Pomeranica lib.3.cap.5.

STETINI.

VVIRSACVS.

VVirsacus nobilis ciuis Stetinensis, absente episcopo Ottone diligenter prædicauit reliquis conciuibus, idq; hac occasione: Piratā egerat in mari, in quo facinore captus, & carceri traditus est. Sic igitur catenis uinctus, noctu in somnis uidit propè adstātem sibi Ottonem, à quo fuerat baptisatus, iubētem ut egrediatur, & mandata ad Stetinenses ferat. Expergefactus deprehendit & carcerem esse apertum, & uincula soluta. Exit carcere, nauem quæritat, cuius adminiculo aufugiat. Quam cum diu inuenire nō posset, ut in periculo esset, ne denuò comprehenderetur, ecce cymba parua adpellit: qua conscensa, redijt Stetinum, omniaq; quę sibi acciderant, publicè pandit: ad abijciēdos cultus idololatricos & acceptādū Christianismum sedulò hortatur. Historia Pomeranica li.3.ca.14.15.16. Fides sit penes Lectorē.

ADELBERTVS.

Adelbertus presbyter socius Ottonis fuit in plantanda noua religione apud Pomeranos. Ibidem lib.3.cap.22.

BOCETIS.

Bocetis presbyter iter facit ad uillā quādam die Laurentij, inuenitq; rusticos metentes, similesq; operas facere. Quos ubi arguisset, & nihil præter contemptum lucratus esset, imprecatus est ipsis ultionem: quę protinus subsecuta est, ut omnes segetes ignis depasceret. lib.3.cap.27. Idem ille in die assumptionis Mariæ rusticum metentē falce, & coniugem subsequentem uirū, laboris causa obiurgat. Cumq; id rusticus ferret ægrè, & uerba maledica in Bocetim euomeret, mox corruit, retinēs altera manu falcem, altera manipulum, & expirauit. Vxor eodem modo deponere falcem nō potuit, donec uiri funus comitata ad templum, culpam fuisset confessa. Proh Deum immortalem, quàm sunt sancti implacabiles & uindictæ cupidi. lib.3.cap.28.

DEDALRICVS
& Albuinus.

Dedalricus & Albuinus presbyteri, in apostolatu

apostolatu Pomeranico altera uice comitati sunt Ottonem. Illi ubi Hologastam præmissi essent, quò & ille paulo pòst erat uenturus, apud honestam matronam, præfecti coniugem, diuerterũt. Eos ubi indomitum uulgus, quod in perniciem ipsorum iurauerat, aduẽtasse percepisset, mox accurrit, quęritat ingressos. Absconderat matrona illos in superiori cœnaculo, ubi etiam latitabãt, ne inuenirentur. Triduo pòst iterum liberati sunt, aduentante duce Pomeraniæ & episcopo magna militum manu. lib.3.cap.4.

THEODORICVS.

Theodoricus clericus in comitatu Ottonis, ubi imprudentius ad fanum Heroniti, qui Mars esse creditur, Hologasti accessit, uix mortis periculum euasit. Nam furiosa multitudo existimans ipsum moliri incendiũ fani, armata accurrit. In eo igitur periculo fanũ ingreditur, & clypeũ miræ magnitudinis pẽdentẽ ad parietẽ arripuit, seq; multitudini promiscuè immisit. Quo uiso spectaculo (nemini enim hominũ clypeum attingere fas erat) partim exterriti proni corruũt, partim in pedes sese conijciunt: & sic euadit ille, & incolumis ad suos reuertitur. lib.3.cap.5.

IVVANVS.

Iuuanus presbyter, & socius apostolatus Pomeranici, legatus missus est ab episcopo in Daniá, pro impetrãda libertate in Ruthenos euangelizandi, siquidẽ metropolitano Daniæ etiã Rutheni subiecti erãt. Verùm cũ non nisi de uoluntate procerum Daniæ se quicquã posse statuere & respõdere archiepiscopus diceret, re infecta ad Ottonem redijt. Lib.3.cap.29 Historiæ Pomeranicæ.

ALBERTVS.

Albertus quidã capellanus Conradi tertij, legatus mittitur unà cũ Embricone Herbipolensi à suo Imperatore ad Emanuelem Græcum. Petit à Græco Imperatore, ut tantum concederet Germanis spacij Cõstantinopoli, ubi ipsis templum extruere liceret. Phrising. lib.1. cap.23 de gestis Friderici.

POLONIAE episcopi.

GNESNENSES.

CIASLAVS.

Ciaslaus Gnesnensis episcopus, sicut Cromerus indicat, Duglossum suspicari hoc ipsi fuisse nomen, à Gualto pontificio legato loco motus est. anno 1103. ubi de eius scelerib. & flagitijs percepisset. In specie nihil indicat, nisi fortè hoc scelus appellet, quòd sine papæ autoritate Cracouiensem sedem permittente Boleslao sibi usurpauerat. lib.5. de rebus Polonorum.

SVB HEINRICO V.

MARTINVS.

Martinus senex uenerandus & religiosus, cum paruo comitatu in Spicimirum Poloniæ uicum uenerat, anno 1107. quẽ Pomerani subitò impressione facta illo ipso tẽpore diripiebant. Præsul in eo tumultu inter contignationẽ tẽpli occultatus latuit, atq; hoc pacto eorum manus euasit. Cromerus lib.5 de rebus Polonorum. Obijt anno 1118.

IACOBVS.

Iacobus Znenensis municeps communi cleri suffragijs eligitur Gnesnensis archiepiscopus in locum antecessoris mortui, anno 1118. Is Vuladislaum, Boleslai Criuousti filiũ natu maximum, contra uoluntatem patris totum ad se conãtem rapere principatum, atq; eo tempore, qui fuit annus 1145, Posnaniam obsidentem, põtificali indutus ornatu, ut maior esset eius authoritas, adijt, & primùm scelerum causa grauiter accusat, ut quòd patriã armis diuexaret, quòd fratres germanos alioquin obsequẽtissimos oppugnaret, ipsorũq; sanguinẽ sitiret. Ideoq; ut modũ statuat, hortatur, nisi grauissimã Dei uindictã uelit incurrere, qui homines perfidos & fœdifragos detestetur. Cumque nihil proficeret, & ipsum principem omnesque belli socios excommunicat. Lib.6. Obijt anno 1147. Ibidem.

IANICVS.

Ianicus, qui & Ianislaus dictus, ex illustri Griffonum familia oriundus, primùm Vratislauiẽsis episcopus fuit, sed postmodum transfertur Gnesnam.

Is unà cũ fratre germano Clemente monasterium Adreouiense ordinis Cisterciensium condidit, oppidum Androuiam septemq; pagos de suo attribuẽtes, circa annum 1138. Cromerus lib.6. Factus Gnesnensis episcopus, alijs adhuc duodecim pagis illud locupletauit.

SVB FRIDERICO.

PETRVS.

Petrus ex familia Stenauiana oriundus, Ianico successit circiter annum 1168. Is crudeliter interfecto Vernero Plocẽsi, unà cum reliquis episcopis communicato consilio, toti prouinciæ sacris interdixit, perfecitq;, ut Boleslaus princeps homicidam Boleslã & carceri traderet, & igne, lata sententia, cremaret. Suleouiensi monasterio rogatu Cazimiri complures decimas contulit. Ibidem.

ZDISLAVS.

Zdislaus circiter annũ 1180 successit Petro. Is Leuciciæ comitijs & synodo interfuit, ubi anathematizarunt omnes eos, qui uim intentarent bonis Ecclesiasticis uel rusticolarum. Crom. lib.6.

CRACOVIENSES.

MAVRVS.

MAurus, patria Romanus, episcopus Cracouiensis, mortuus est anno 1117.

RADOSSVS, ROBERTVS.

Radossus eodem anno succedit Mauro. Is decimas attribuit cuidam canonicorum collegio, & Androuiensi monasterio, anno 1127. Cromerus lib. 5. 6. Huic Robertus, uir bonus & religiosus, succesit. De tempore autem non constat.

MATTHAEVS.

Matthæus, homo gulosus & helluo, Roberto surrogatur in eadem ecclesia. Cromerus lib. 6. Is Boleslai Crispi principis nuncium, subsidium in sumptus belli postulantem, ad latrinã duxisse fertur, ibiq; suos thesauros conditos dictitasse.

GEDEON.

Gedeõ, natione Gryphius, Matthæo succesit, & ab archiepiscopo Gnesnensi Petro cõfirmatus est, cõsensu Boleslai, anno 1173.

Opera eius.

Is Kelcense oppidum condidit, & in eo templum extruxit, atq; collegium canonicorum & uicariorum instituit, pagos & decimas illis attribuens. Crom. lib. 6.

Androuiensi & Mechouiẽsi monasterijs decimas addit. Vanchoscense monasterium Cisterciensibus monachis cõdidit. Ibidem.

Miecislaum principẽ admonuit, ut more maiorum placidè regnaret, ut usitatis uectigalibus & hominũ operibus esset cõtentus, nec quicquam præter morem à populo libero exigeret: ne quid iniustè aut crudeliter à magistratibus inferioribus fieri permitteret. Quare principem non parum offendit, ita quidem ut diceret, illum sua debere curare, hęc nihil ad ipsum pertinere. Hoc modo cum nihil profecisset, pulchrum excogitauit commentũ, ut ijsdem in pręsentia aliorum principi aures refricaret. Subornauit mulierculam, quę lamentabili uoce querebatur, suum quem filio priuigno, & filius ui cissim mediastinis pascẽdum commisisset gregem, a lupis dilaniatũ esse: rogabatq;, ut cuius culpa damnum datũ esset, ab illo pręstaretur, siquidem ad extremã redacta esset inopiã. Citati omnes, primùm mediastini culpam in priuignum filium mulieris conferebant, cum præsertim canes aleret feroces, qui soluti gregem dilaniassent: se neq; canes abigere, neq; dispersis ouibus succurrere potuisse. Priuignus contrà in mediastinos, ita tamen, ut nõ satis eos refelleret. Tulit itaq; Miecislaus sententiam damni dati in adolescentem priuignum: quam assessores omnes approbant. Ibi tũc Gedeon: Rectè iudicasti. Veruntamen sic iusti fungeris officio iudicis, si ipse iudicatum facias. Tu priuignus haberi uis huius prouinciæ, non filius, quæ seipsam tibi cõmendauit. Tu canes alis feroces: hoc est, sanguisugas & crudeles exactores, qui pauperes impunè diripiant opprimantq;. Hæc abs te damna pręstanda sunt ex proprio iudicio, nisi uindictam Dei longè grauissimam uoles experiri. Ea admonitione cum magis irritatum uideret principem, cũ alijs regni proceribus consusurrat ut loco moueatur: quod perficiunt etiam, & regni summam ad Cazimirum deferunt, anno 1177.

Interfuit comitijs & synodo Leuticiæ, ubi omnes illi sunt anathematizati, qui bonis Ecclesiasticis uel ruricolarum damnum inferrent uimq; facerent. Cromerus lib. 6.

FVLCO.

Fulco frater Nicolai Palatini, qui & Pleca dictus est, potens & magna authoritate præditus, ex præcipua familia oriũdus, episcopus Cracouiensis præfuit anno 1194. Is Cazimirum principatum in Polonia tenentem, illicitis amoribus atq; adulterijs sese polluentem, admonuit & obiurgauit aliquando. Crom. lib. 6.

Post mortem Cazimiri deliberationi de successore cõstituendo interfuit, reiq; summã ad Lescum filium eius natu maiorẽ deferendã censuit. Et quãuis nonnulli dissentirent, tamen ubi quæ ab illis dicta essent refutasset, omnes illi assentiuntur tandem. Cumq; Lescus adhuc puer esset, Fulco unà cum fratre additus est curator, ut eum consilijs regeret. Cromerus lib. 7.

A' Miecislao autem, qui ad summũ aspirabat dominiũ, donis & pollicitationibus ad proditionẽ frustra initiò sollicitatus est, eo quidẽ tẽpore. Verùm multo non pòst defecit ad eundem, & priuato quodam odio post Miecislai obitum noluit principatum redire ad Lescum Album.

Ab Innocẽtio 3 impetrauit archiepiscopalẽ dignitatem. Obijt anno 1206. Crom. lib. 7.

PLOCENSES.

SVB HENRICO V.

SIMON.

SImon Plocensis episcopus Magnum comitem Massouię in Pomaranos, irruptionẽ in Massouiam faciẽtes, animauit, anno 1111. Cumq; hostium multi interfecti, plures uerò capti essent, uictoriam precibus Simonis acceptam ferri uoluit comes. Crom. lib. 5.

VVERNERVS.

Vuernerus doctus & religiosus uir, ex equestri Rosarum familia oriundus, Plocẽsi ecclesiæ cum præfuisset annos 14, à Prussis per fraudem interficitur Boleslæ instinctu, circiter annum 1170. Cadauer mortuũ Ploscum

ſcum delatum eſt, & terræ mandatum, ubi poſtea miracula peregiſſe dicitur. Crom. li. 6 de geſtis Polonorum.

LVPVS.

Lupus genere Gozembius, eius baſilicæ cuſtos, cùm Vuernero ſucceſsiſſet, interfuit ſynodo Leucicienſi. Crom. lib. 6.

VITVS.

Vitus Plocenſis epiſcopus, Buſcenſe, Vitouienſe & Plocenſe monaſteria circiter annum 1194 condidit. Ibidem.

VVRATISLAVIENSES.

VALTERVS.

Valterus, equeſtri Zadoceorum familia oriundus, Ianico ad Gneſnenſem archiepiſcopatum tranſlato ſucceſsit in Vuratiſlauienſi ſede, anno 1147. Is baſilicā, quæ ad illud uſq; tempus Vuratiſlauij lignea fuerat, muro ædificauit, atq; Lugdunenſis eccleſię ritus in eam introduxit.

HONOLDVS.

Honoldus Italus anno 1174 Curuicēſem cathedram uniuit Vuratislauienſi, ibique præeſt.

ZIROSLAVS.

Ziroslaus interfuit ſynodo Leucicienſi. Cromerus lib. 6 de geſtis Polonorum.

GAVDENSIVS Lubuſſenſis.

ONOLDVS Vuladiſlauienſis.

CHERVBIN Poſnanienſis.

OTTO Camenenſis.

Eidem interfuêre cœtui, cuius modò meminimus, anno 1180.

ANGLIAE episcopi.

CANTVARIENSES.

SVB HEINRICO V.

RODOLPHVS.

POſt mortem Anſelmi, de quo ſuperiore ætate diximus, toto quinquennio illa archiepiſcopalis ſedes uacauerat. Rex Henricus primus interim cenſus annuos capiebat. Cumq; admoneretur de ſubſtituendo alio, ſolitus eſt reſpondere, Se quærere hominem, qui Lanfranco & Anſelmo inferior non eſſet: & quia nullus occurrebat, ideoq; perpeti illam ſedem uacare, donec Deus ipſe quempiam offerret idoneum. Et cū animaduerteret, ſibi id uitio palàm dari, quaſi in ea re priuatum ſpectaret compēdium, Rodolfum Roffenſem epiſcopum literatum, ſed nugatorem ſtrenuum, ad iocos & riſum magis inclinatum, quàm uel eius perſonam uel ætatem decebat, ſucceſſorem conſtituit, circiter annum Domini 1116. Polydorus Verg. lib. 11.

Magiſtratum, tāquam Antichriſti membrum, egregiè honorare nouit. Henricum enim regem, qui ſine illo coronam acceperat, proteruè ſatis adortus eſt, inquiens, Iniuſtè ipſum coronatum, niſi coronam deponeret, fruſtra Miſſam expectare. Et niſi quorundam precibus flexus fuiſſet, parum abfuit, quin capiti eius decuſsiſſet. Natura fuit uehementior, ita ut in paralyſin ex animi æſtu nimio inciderit. Ranulphus lib. 7. cap. 15 in Polychronico.

Certamina.

Cum Thruſtino Eboracenſi concertauit, uter eorum eſſet maior, non aliter quàm diſcipuli Chriſti in cœna nouiſsima: cuius certaminis Eboracenſis inchoator extitit. Et quamuis à rege rogaretur, ne rebus nouis ſtuderet, audire prorſus noluit. Rodolphus quoniam continuè aduerſa ualetudine utebatur, non ita reſiſtere potuit, ſicut fortè feciſſet corpore ualido. Polydorus Verg. li. 11.

Scripſit homilias quaſdam, lib. 1. ut Balæus Cent. 10. cap. 43 memoriæ prodidit.

Præfuit annis 8. Emigrauit ex hoc ſeculo ad patres ſuos anno Domini 1124. Ibidem.

SVB LOTHARIO.

GVLIELMVS.

GVlielmus ſucceſsit Rodolpho. Is mortuo Henrico primo, conſecrauit Stephanū, defuncti regis ex ſorore nepotem, in Vueſtmonaſterio, circiter annum Domini 1136, 8 calend. Ianuarij, in regē. Pręfuit annis quindecim, obijt anno 1139. Polydorus lib. 11 & 12. Sunt tamen qui ipſum in tempora Henrici 2 incidiſſe tradant, eumq; conſecraſſe. Idem lib. 13.

SVB CONRADO.

THEOBALDVS.

THeobaldum ſucceſſorem habuit Gulielmus, abbatem Beccenſem. Is ſtatim poſt electionem Romam contendit pro redimendo pallio. Ibi ſimul factus eſt legatus ab Innocentio 2. quod munus poſtea ad omnes manauit ſucceſſores, ita ut legati nati dicti ſint. Polyd. lib. 13. Doctos ipſe haud uulgariter eruditus in magno honore habuit, plurimumq; dilexit, & in his Thomam Beckettū propter optimi ingenij indolē. Cōſecrauit Henricum 2 Normanniæ ducem in Angliæ regē in Vueſtmonaſterio, anno Salutis 1155, 13 calend. Ianuarij. Obijt anno 1161, ſecundū Ranulphum lib. 7. cap. 22 in Polychronico. Polydorus li. 13 annum numerat 1163. cum annis 22 præfuiſſet.

SVB FRIDERICO.

THOMAS BECKETVS.

Defuncto Theobaldo, ſedes Cantuariēſis uno anno uacauit, quam poſtea Thomas Becketus adipiſcitur. Ciuis Londinenſis fuit, parentibus ſuperſtitioſis Gilberto, matre uerò Mathilda natione Syra ſiue Saracena natus. Polydorus Vergilius lib. 13. Is omni

petulantia iuuenili effrenaq; lasciuia adolescentiam suam inaniter transegit. Nam inter bellatores, dum rex Henricus Tolosam obsideret, superbus & ille bellator fuit. Post conflictationes igitur, imò post furta, stupra & cædes pontificij iuris cautelis armatus, fit primò sub archipræsule Theobaldo archidiaconus Cãtuariæ, postea summus sub rege regni cancellarius, ac tandem sub papa archiepiscopus, primas, & apostaticæ sedis à latere legatus.

Scripsit inter cętera Becketus pro confirmandis erroribus,

Ad Alexandrum papam, lib. 1.
Epistolas 534 ad diuersos, lib. 1.
Ad suos coëpiscopos, lib. 1.
Apologiam ad Gilbertum, lib. 1.

Encomiũ quoq; barbarum & sine sapore ad uirginem Mariam edidit, Gaude flore uirginali, &c.

Opera gubernationis.

Antequã cõsecraretur in archiepiscopũ, ne scilicet animus ꝓpter honoris augmẽtũ superbia intumesceret, ordinẽ & habitũ canonicorũ regularium suscepit: nec se tãtùm uigilijs & inedia excarnificauit, uerùm etiã cilicio indutus, dorsum familiari suo grauiter flagellandum præbuit.

Suæ iurisdictioni subiectis interdũ cibũ dedit, interdum etiã uerbum prędicauit, ut hoc modo & corpora & animas pasceret.

Pauperes quotidie 13 ad manus summo mane habebat, quibus primũ pedes deosculatus est, postea etiam lauit & detersit, quaternos distribuẽs in singulos argẽteos. Maximã diebus singulis pręter illos, mendicãtium turbam aluit, ita ut magno ad ipsum numero confluerent.

Romano pontifici adhæsit, & regi suo grauior extitit. in omnem eius fidelem amicum furiosè debacchatus: Assiduus ei labor ac studium fuit, maiestatem principis minuere, & Antichristo subijcere. Sacerdotes & clericos ob homicidia, latrocinia, adulteria, stupra, aut pæderastias ipsis assuetas, & eius generis execrabilia facta, nõ esse per magistratum publicum capitali supplicio afficiendos contendebat: asseruitque, ad Ecclesiæ libertatem potissimùm spectare, ut principes nihil habeãt iuris in laruatos, unctos, rasos, quandiu sunt papę creaturæ.

Sua pertinacia insigni multis suorum cognatorum detrimento fuit, qui eius causa à rege iussi sunt ire in exilium.

Certamina.

Simultas primùm inter ipsum & regem exorta est, quæ demum robur sumpsit in quodam concilio Vuestmonasteriensi. Eius causam non eodem modo recitant autores. Rex subinde sacerdotes minus idoneos aut etiam episcopos elegit, inter quos etiam fuerunt linguæ ignari, qui populum docere non poterant, & ad alia perduxit sacerdotia, eosque Normannicis legibus atque maiorum consuetudinibus ac concessis uti uoluit: quod molestè tulit, illos scilicet qui nullis subiacere legibus assuefacti erant, ita in ordinem redigi. Primùm itaque multis conatus est dehortari regem argumentis, ut à proposito desisteret: sed frustra illud fecit. Adeò enim nihil mouit regem, ut etiam in exilium abire cogeretur, unà cum alijs quibusdam clericis. Liber qui historiam passionis eius continet, hanc recitat causam: Prædia quæ ipsius antecessores uel affinibus uel alijs dederant, summo studio conatus est ad sese retrahere: quam ob causam plurimorum suorum clericorum & aulicorum odia acerbissima in sese deriuauit. Illi uerò apud regem tantum effecerunt, ut præsulem ad dicendam causam citaret in Normanniam: sed summo fastu regem spernens, ut Apostolus rectè de apostaticæ sedis sectatoribus prędixit, potestatibus superioribus immorigeris, ad Alexandrum 3, qui Senonis tum erat, confugit, & ad pedes eius prouoluitur, resignat munus, utq; alium magis idoneum præficiat, rogat. Sed quia sceleratus papa neminẽ uidebat ipso nequiorem, munus hoc denuò ipsi imponit, iussitq; ut in Pontiniacũ cœnobium sese conferret, atque ibi tam diu maneret, donec dissidium illud componeretur. Paruit, & monasterium ingressus ordinis Cisterciensium, accepto ab eodem papa nouo uestitu, monasticam uitam degere instituit, in qua uixit fermè sexennium. Cum inter utrumque regem Galliæ & Angliæ conuenisset, ut per clericos utriusque regni de causa eius determinaretur, nequaquam sese eorum iudicio submittere uoluit: sed semper suum ordinem atque dignitatem excepit, ita quidem ut salua dignitate Ecclesiæ & sui ordinis, pacem futuram minimè putaret. Historia passionis eius.

Mors eius.

Facta igitur pace per papam Alexandrum & Galliæ regem inter Henricum Angliæ regem & ipsum, post diuturnum exilium reuertitur ad sedem pristinam. Vbi cum uix rursum mẽsem transegisset, nimia pertinacia cecidit. Nam quosdam regis familiares furiosè excommunicauit: quam ob causam quatuor ad ipsum ueniunt, quorum sunt nomina, Ricardus natione Brito, Hugo de Moreuilla, Reinaldus Vrsus & Gulielmus Tracius, regis nomine referentes, ut se noui regis cognitioni & iudicio sistat,

utque

utq; excommunicatos episcopos absoluat.

Ad hæc præsul, se à nouo rege in mandatis accepisse, ne in ipsius ueniret conspectum: episcopos non à se, sed à papa excõmunicatos, quorum absolutionem ut præcedat satisfactio, sit necesse. quod cum ægrè ferrent, & minas spirarent, subiunxit: Quærite qui timeat minas uestras: non enim gladij uestri promptiores sunt, quàm animus meus ad martyrium.

Quod cum Reinaldus Vrsus audiret, exclamauit, nomine regis præcipiens, ut & clerici qui aderant, & laici ipsum comprehenderent, & tam diu asseruarẽt, donec pœnas regi dedisset. Clericis id facere recusantib. præco quispiam regis iussu magna uoce ad arma conclamat. Accurritur, effringunturq; fores, acclamatur indignum esse, frui ipsum uita. Amicis hortantibus ut in monasterio sese abderet, domo exire noluit, donec tandem tempus officij uespertini instaret, tunc surrexit, templum ingreditur, sequens clerum & crucem, quæ ipsi præferebatur.

Tum ipsum etiam sicarij subsequuntur, manus inijciũt: ac tribus in capite acceptis uulneribus, ita ut cerebrum efflueret, animam exhalat Thomas. Facta est hæc cædes 4 calend. Ianuarij, quæ dies proximè diem Innocẽtum sequitur, anno 1171. Passio Thomæ cap. 7 & 8.

Canonici regulares, in quorum templo cædes facta fuerat, toto corpore exanimi, habitu suo induunt, quo ad illud usq; tempus usus fuerat, nec non & cilicio carni proximo, oppleto bestiunculis sexipedib. atque femoralibus eodem genere consutis, ac sic tandem terræ mandant.

Miracula.

Autor historiæ passionis eius refert, leprosos ab illo mundatos, mortuos resuscitatos, dæmones fugatos, hydropicos, paralyticos, surdos, mutos, cæcos aliosq; malè habentes sanitati restitutos: quæ omnia cuius generis sint (si modò uera sunt) pius Lector dijudicabit, siquidem pro stabiliendis erroribus ista facta sunt, ut non immeritò diabolicæ præstigiæ appellentur.

RICARDVS.

Ricardus Douerensis abbas ordinis Benedictini, mediocriter literatus, sed uitæ inculpatæ, ut testatur Neubrigẽsis, circiter annum Salutis 1175 Cantuariensis à reliquo clero, consentiẽte Heinrico rege, creatur archiepiscopus. Anagniæ consecrationem accepit ab Alexandro 3. In administratione fertur fuisse industrius, sed in corrigendis cleri erroribus, & defendendis eorum libertatibus remissus. Fuerat ante ipsum electus Rogerius abbas Beccẽsis, sed ille recusauerat oblatam dignitatẽm: quod quidam eius desidiæ potius quàm sapientiæ acceptum tulerunt. Hortatu regis Henrici 2 concilium cum Hugone legato Romano indixit Northantoni, itemq; Londini, anno 1176, ut primatũ Angliæ solus obtineret contra Rogerium Eboracensem. Scripta hæc ad posteritatem transmisit, ut testatur Balęus Cent. 3. cap. 21.

Contra suos perturbatores, lib. 1.
Ad Petrum Blesensem, epist. plures.
Ad Henricum regem, epist. plures.
Ad tres episcopos, epist. unam.
Ad suos coepiscopos, epist. 1.

Obijt anno 1185, cum præfuisset annis decem. Polyd. Vergil. lib. 13.

BALDVINVS.

Balduinus Deuonius, tenui locò Excestriæ natus, facundus, & in philosophia benè doctus, primò scholarum rector, deindè archidiaconus efficitur, postea monachus Cisterciensis & abbas Fordensis monasterij. Inde ad maiores dignitates aspirans, Vigorniensis fit præsul: tandem Cantuariensis archiepiscopus, totiusq; Angliæ primas, successor Ricardi. Isti muneri diligenter præfuit, uerbum Dei ubiq; locorum seminãs. Sequentes libros edidit:

De corpore & sanguine Domini, lib. 1.
De sacramentis Ecclesiæ, lib. 1.
De orthodoxis dogmatibus, lib. 1.
De sectis hæreticorum, lib. 2.
Commendationem fidei, lib. 1.
De unitate charitatis, lib. 1.
De sacerdotio Iohannis Hircani, lib. 1.
Super eruditione Giraldi, lib. 1.
Sermones 33, lib. 1.
Contra Henricum Vuintoniẽsem, lib. 1.
Commendationem uirginitatis, lib. 1.
De amore, lib. 1.
Super historijs Regum, li. 4.
Carmen deuotionis, lib. 1.
De cruce, lib. 1.
De Angeli nuncio, lib. 1.
Mythologiam, lib. 1.
Epistolarum suarum, lib. 1.

Atque alia plura. Is Ricardum primũ creatum regem, more maiorũ consecrauit Londini, ubi frequens procerum Angliæ eo tẽpore habitus est conuentus, circiter annum Domini 1189. Polydor. Vergilius lib. 14. Balæus Cent. 3. cap. 27 Scriptorum Britanniæ. Postea unà cum rege in Syriam profectus, Tyri mortuus est. Polydor. libr. 14. Balæus Cent. 3. cap. 27. Nunquam ab eo tempore, quo primùm factus monachus est, carnes comedisse dicitur. Quæ fama cum ad uulgus etiam manasset, quædam uetula ipsi iter facienti occurrit, quæritans an uerum esset quod uulgò de ipso iactaretur?

Cumq; affirmasset, respondit illa: Falsa esse omnia, siquidem ipsius carnes ita uorasset, ut uix ossa reliqua fecisset. Ipsius decanos unicam uaccam abstulisse, qua sola fouebatur. Hæc audiens, promisit æquè bonam recepturam. Ranulphus libro 7. cap. 24 in Polychron.

HVBERTVS.

Post obitum Balduini sedes illa aliquandiu gubernatore caruit. Etsi enim Reginaldus Bathoniensis episcopus successor designaretur: tamen morte præuentus, munus illud non obiuit. Polyd. libro 14. Proinde summa rei ad Hubertum Sarisberiēsem episcopum defertur, circiter annum Domini 1193. idq; hac occasione: Cum rege Angliæ Ricardo ad sepulchrum Domini peregrinatus est anno superiore. Reuersus autem in Siciliam, captoque suo rege, protinus in Angliam mittitur ad conficiendam pecuniam pro liberando rege numerandā, & reliqua regni negocia administranda: ubi consentientibus suffragijs in episcopum Cantuariensem electus est. Ranulphus libro 7. cap. 28 in Polychronico. Eo autore monachi in collegium Cantuariense restituti sunt, quos Elyensis episcopus Hugo Nauanus, Romani pontificis legatus, eiecerat. Polyd. lib. 14.

Persuasit etiam Alienoram matrem Iohannis, ut totam Angliam Iohanni iurare curaret. Nec multo pòst graui oratione ipsum Angliæ proceribus cōmendans Londini, effecit, ut à plerisque Iohannes rex salutaretur: atque eodem tempore illum consecrat, circiter annum 1201. Non caruit ea res suspicione, quasi aut Arthurum regno auito defraudare, aut saltem aliquid contra ius fasq; spontè agere uoluerit. Tandē mœrore animi extinctus est anno 1205, eandem ob causam, quòd hominem tanto regno indignum apud optimates & commendarit, & ad illud honoris fastigium euexerit, cum sedisset annis 11, mensibus 8, & 6 diebus. Polyd. lib. 15.

EBORACENSES.

SVB HEINRICO V.

GERARDVS.

GErardus subrogatus est Thomę, de quo superiori seculo diximus, homo sagacis ingenij, sed honoris atque glorię ultrà quàm par fuit, cupidus, in emungendis per indecoras etiam occasiones subditorum marsupijs callidus, & ut plurimi asseuerant, maleficijs etiam assuetus, Deo & hominibus inuisus: teste Gulielmo Neubrigensi. Is rogatus ab Henrico primo, ne episcopos ab se renunciatos repudiaret, protinus regi morem gessit, omnes consecrauit, quotquot quidem hoc modo à rege electi, ipsi oblati fuère, præter unicum Gulielmum Gyffordium Vintoniensem, qui consecrationem ab illo accipere abnuit. Interfuit unà cum Anselmo legationi ad Romanum pontificem Paschalem, ubi causa inter regē & Anselmum de sacerdotio transacta est, in qua actione quosdam episcopos mendacij arguit. Malmesburiensis libro sexto, capite 28. atq; postea à pontifice pallio donatus in Angliam redijt. Morte subitanea circiter annum Salutis 1111 (teste Polydoro libro 11.) extinguitur. Nam apud Suthwellā, cum pransus in horto iuxta cubiculum, de ricis propè spaciātibus, super ceruical sub dio quiesceret, letali sopore diriguit. Corpus eius Eboracum delatum, extra ecclesiam sine honore sepulturæ est traditum: ut scribit Neubrigensis libro primo, capite tertio.

THOMAS II.

Eodem anno succesit Thomas 2, Heinrici primi domesticus sacerdos. Obijt anno 1116, cum fermè quinquennium præfuisset. Polydorus lib. 11. Eundem ob castitatem commendat Neubrigensis. Cum enim ipsi ægrotanti medici consulerent, ut fœminæ pro remedio misceretur, & amici idem uehementer urgerent, ipseq; assentiri uideretur: sed adducta post decentis formæ fœmina, noluit eam attingere. Ab amicis reprehensus, respondit: Propter salutē carnis tandem moriturae, immortale decus pudicitię non amittam. lib. 1. cap. 3.

SVB LOTHARIO.

TRVSTINVS.

TRustinus, uir animi magni atq; singularis eruditionis, Thomæ secundo succedit: cuius gubernationis initium ponit Ranulphus annum 1111.

Scripsit

De origine Fontanensis cœnobij,	lib. 1.
De suo primatu ad Calixtum,	lib. 1.
Contra iuniorem Anselmum.	lib. 1.

Et alia quædam Balæus Cent. 2. cap. 71.

Is cum Cantuariensi de authoritate statim digladiari cœpit, cui parēre recusauit, etiam ab ipso rege admonitus. Ranulphus. Consecrauit nonnullos episcopos Scotos, & ante alios Gillam Aldanum Candidæcasæ electum episcopum. Vocatus est paulo pòst Sarisberiam, ubi proceres Angliæ mandatu regis conuenerāt, ut inter ipsum & Cantuariensem trāsigeretur: sed cōparere noluit. Id ęgrè ferens Heinricus primus, aut parēre iussit, aut episcopatu abdicare: quorū neutrum fecit, ut quidam existimāt. Nōnulli scribūt, maluisse ipsum loco cedere, inter quos Ranulphus, quā cū Cantuariēsi iurisdictionis cōmunitatē sibi esse. Verùm

facti pœnitens, per Paschalem 2 regi reconciliatur, ea conditione, ut obedientiam canonicam Cantuariensi promitteret: quod simulatè fecit. Nam ad sedem rediens, detrectat omnino. Res defertur ad conciliũ Remense, ubi papa muneribus corruptus pro Thrustino pronunciat, quod ut rex ratum habeat, simul anathematis fulmen interminatur. Ranulphus lib. 7. ca. 15 in Polychronico. Sic igitur archiepiscopatum ad senectam usque retinuit, & semper de illa iurisdictione cum Cantuariensi concertauit. Hinc illud est quod de suo addit Polydorus lib. 11: Hinc cernere est, iam tum episcopos cœpisse delirare, cupiditate ac ambitione cæcos, qui non uiderint suum officiũ esse, spretis omnibus quæ uulgus miratur, hominum animarum saluti tantummodo consulere. Redit tamen cum rege postea in gratiam, anno 1122, ut quidam uolunt, secundum Polydor. lib. 11. Stephanus rex sequens Heinricum 1, curam tuendæ patriæ suo loco illi commendauit etiam: qua in re morem gessit regi, conuocatisque regni proceribus, pro salute patriæ tuenda illos hortatus est, ut incursiones Scoticas depellerent. Propterea Stephanus rediens, magnis illum extulit laudibus. Polyd. lib. 12. Senex sua sponte põtificatu abdicauit, monachusque apud Pontem fractum effectus est. Polydorus lib. 11. atq; circiter annũ Salutis 1140 mortuus est, cum annis præfuisset 24. Idem lib. 11 & 12.

SVB CONRADO III.

HEINRICVS *Murdacus.*

DEfuncto Thrustino, quidã Gulielmus, Stephano regi propinquitate iunctus, eligitur: sed Heinricus Murdacus, monachus Cisterciensis, ambitione tumens, cum diceret, eam electionem nõ carere uitio, per dolum ab Eugenio tertio archiepiscopus creatur, circiter annum Domini 1144. In administratione eius commendatur diligentia. Consecrauit Iohannem Optatum episcopũ Orchadum insularum, qui illi obedientiã secundum præscriptam formulam promisit. Præfuit annis circiter 7. Obit igitur anno 1151. Polyd. lib. 12.

SVB FRIDERICO.

GVILHELMVS.

IS de quo antè diximus, Gulielmus passus repulsam, post mortẽ Eugenij 3 & Henrici Murdaci altera uice archiepiscopus designatur. Romam igitur pergit, ut ab Anastasio 4 ratificationem impetraret. Successit negocium, atque ita archiepiscopus creatur, & pallio donatur. Reuerso in Angliam tantus ab omnibus honos exhibitus est, ut quacunque pergeret, magno numero homines confluerent. Cumq; Eboracum peteret, & iam pontẽ, qui in flumine est, quod Hayream appellant, superasset, tanta hominum caterua ipsum subsecuta est, ut pons, qui ligneus erat, suis dissolueretur compagibus, magnaq; pars eorum in fluentẽ prouolueretur. Quod ubi cognouit Guilhelmus (nam clamorem iam iam morientiũ audiuit) sublatis in cœlum oculis atq; manibus, Deum pro intereuntium salute precatus est: quibus ita celeriter iam cum morte luctantibus in undis auxilium diuinum adfuisse fertur, ut ne unus quidem eorum perierit. Nam miraculis clarus fuit. Nõ multo pòst eodem anno quo creatus pontifex, moritur, inter ipsa sacra uenenum à diacono propinatum, ut fertur, ex calice hauriẽs, anno 1154. Negat id constanter Neubrigensis lib. 1. cap. 26. Post mortem pro sancto colitur. Balæus Cent. 2. cap. 64. in Appendice. Polydor. lib. 12.

ROGERIVS.

Post Vuilhelmi obitum Rogerius doctus & literatus, autoritate concilij Lundoniensis, cui & Stephanus rex interfuit, creatur Eboracensis episcopus: sed auaritiæ totus deditus, de animarum salute, ut ait Neubrĩgensis, minus fuit solicitus. Heinricum 2, 17 annorum adolescentem, adhuc uiuente patre, qui ipsum regni consortem adsciuerat, unxit in regem Londini, 17 calend Iulij, anno 1170, coronamq; imposuit. Solebat quidem id munus obire Cantuariẽsis: sed quia ille tum exulabat, regi id mãdanti obtemperauit. Qua de re cum conquereretur Thomas Cantuariensis apud Alexandrũ, huic Rogerio sacrarum rerum administratione interdicitur. Polyd. lib. 13.

Autor cum alijs nonnullis esse scribitur cædis Thomæ, quòd regis animum criminando aduersus illum exasperauerit. Polydorus lib. 13. Cum Richardo Cantuariensi de primatu digladiatus est. In primis cumulandis thesauris intentus, reditus episcopales maiorem in modum auxit, ita ut fermè Cantuariensi adæquaretur. Continuator Sigeberti. Pueros sub ferula agentes ad sacra officia & quidem amplissima promouit: tondẽdis magis quã pascendis ouibus intentus fuit, & erga pauperes durus. Neubrig. lib. 3. cap. 5.

Eius tempore ab Hugone legato pontificio episcopis Eboracensibus ius in Scotos episcopos restitutum est, quandoquidem Romani pontifices inde ab initio sanxerãt, Eboracensem antistitem totius Scotiæ atque Orchadum cæterarumq; insularũ primatem. Obijt circiter annum Domini 1181, cum præfuisset annos 27. Polydorus libro 13.

GAVFREDVS.

Post obitum Rogerij illa sedes uacauit annis decem: cuius tamen uectigalia, ne perirent, fiscus capiebat: ut testatur Neubrigensis. quibus elapsis, Gaufredus Heinrici 2 filius nothus, ex concubina susceptus, frater Ricardi, designatur Eboracensis arte quorundam archiepiscopus præter Ricardi uoluntatem, circa annum Salutis 1189. quem tamen auro tandé placat. Neubrig. lib. 4. ca. 2. Polyd. lib. 12. Sed pòst iterum gratia excidit. Nam ipsum è sacro loco extractum carceri mancipauit: sed non multo pòst iterū, intercedentibus quibusdam episcopis, suamq; fidem pro illo interponétibus, dimittitur. Idem lib. 14. Cumq; post obitum Ricardi Iohannes fratrum alter ad regni gubernacula accessisset, seq; uoluptatibus dederet, & totus expilādis subditorum facultatibus incumberet, admonetur à Gaufredo. Verùm tantum abfuit ut ęquo ipsum audiuerit animo, ut quoq; spoliarit, & ab se legarit, nec ullo obsequio placari atq; leniri potuerit, ut ante duodecimum mensem in gratiam reciperet. Tantum uerò ipsi fratris improbitas dolorem attulit, ut cum alijs quibusdam in Gallias proficisceretur, & dolore animi confectus, ad extremum succūberet, circiter annum 1210, cum præfuisset fermè annis 21. Polyd. lib. 15.

SYCARVS.

Sycarus quidam Eboracensis sacerdos, qui uatidicum spiritum habuisse dicitur, cū Malachias iter Romam faceret per Eboracum, dixisse fertur: Hic est de quo dixeram, quia de Hybernia sanctus uenit pontifex, qui scit cogitationes hominum. Prædixit etiam, paucos ex socijs Malachiæ in Hyberniam, redituros: quod postea probauit euētus. Nam passim aliqui relicti sunt, qui monasticos ritus addiscerent.

ALPHREDVS.

Alphredus Beuerlacensis sacerdos, & eius collegij thesaurarius, claruit anno 1136. Is ubi Cantabrigiæ præclaram in bonis literis addiscédis operam nauasset, historicus, philosophus & Theologus præclarus euasit, ita quidem ut ad ipsum studiorum causa multi Eboracū confluerent. Scripta quæ contexuit, hæc sunt:

Deflorationes Galfridi,	lib. 5.
De gestis regum Anglię,	lib. 1.
De gestis regum Britanniæ,	lib. 1.
Historia amplior,	lib. 1.
Vita D. Ioannis archiepiscopi,	lib. 1.

Et alia quędam. Beuerlaci tandem sepultus est. Balæus Cent. 2. cap. 74.

PETRVS RIPPOnensis.

Petrus Ripponēsis, canonicus secularis, eloquēs & eruditus, sed admodū præterea superstitiosus, circa annū 1190 claruit. Scripsit Galfridi archiepiscopi Eboracensis rogatu,

Vuilfridi uitam,	lib. 1.
Miracula eiusdem	lib. 1.

Et alia quædam. Balęus Cent. 3. cap. 33 Scriptorum Britanniæ.

LONDINENSES.

MAVRICIVS.

PRæfuit isti sedi Mauricius quidam circa annum 1101. Is Henricum 1 in æde Vuestmonasteriensi consecrauit, eiusq; capiti coronam imposuit. Polydor. lib. 11.

GILBERTVS FOLIOTH.

Gilbertus Folioth, Lycestriensis cœnobij canonicorum regularium abbas fuit, postea episcopus Herefordensis, deniq; Londinensis. Is regi Heinrico persuasit, ut clerū sibi haberet subiectum. Et quia multæ à clericis cędes tum fiebant, consilium dedit, ut posthabito charactere & rácido unctionis oleo, capitalibus afficerentur supplicijs æquè ut laici. Scripta eius hos circumferunt titulos:

Pro causa Heinrici regis,	lib. 1.
Super executione mandati.	lib. 1.
In Cantica canticorum,	lib. 6.
Opus epistolarum,	lib. 1.
Inuectiuæ in archiepiscopum,	lib. 1.
De superba elatione eiusdem,	lib. 1.

Atq; alia plura. Præfuit episcopatui annos 23, menses 10, diebus 17. Obijt anno 1187. In nouissimo uitę articulo sceleratus ille Thomas Becketus hunc à se excommunicatū relaxare noluit.

VINTONIENSES.

SVB HEINRICO IIII.

GVILHELMVS *Gyffardus.*

GVilhelmus Gyffardus circiter annum 1101 Vintoniensi episcopatui præficitur ab Heinrico 1. At cum à Gerhardo Eboracensi cōsecrari nollet, facultatibus priuatus eijcitur. Non multo pòst suam causam egit coram Paschali 2 pontifice, unà cum Anselmo Cantuariensi & Gerardo Eboracensi. Polydorus lib. 11.

SVB HEINRICO V.

HEINRICVS.

HEinricus nepos regis, Stephani comitis Blesensium filius, Glasconiensis abbas, Vintoniensis episcopus creatur circiter annum 1122. Is propter singularem bonitaté & modestiam Britannis semper fuit acceptissimus. Polydor. li. 11. Callidus & pecuniosus supra modum: teste Neubrigensi. Fratri Stephano non exiguam nauauit operam, ut

ut illud regnũ adipisceretur. Postea ubi ira Mathildis in Anglia pasim ferueſceret, ſibiq; nonnihil ab ea metueret, arces oẽs ſuæ diœceſis, quas ad Vualthamũ & Farnanũ pagos condiderat, ualido firmat præſidio, ſeſeq; in arcẽ Vintonienſem recipit, ſpectaturus quorſum mulieris furor euaderet. In illa arce non multo pòſt obſidetur à regina & Dauide rege Scotorum nonnullisq; aliis. In hac rerum inclinata fortuna ſummã præſtitit conſtantiam. Polydorus lib. 12.

RICARDVS.

Succeſſorem habuit Ricardum, hominẽ bene literatum, archidiaconum Pictauenſem, ab Heinrico rege Angliæ & duobus Romanæ curiæ legatis electum, anno 1174. Contin. Sigeberti, Polyd. lib. 13.

SVB FRIDERICO.

HEINRICVS.

HEinricus interfuit anno 1155 coronationi Heinrici 2 regis Angliæ. Sequenti anno clàm Angliæ ualedixit, præmiſſo theſauro ſuo ad abbatem Cluniacenſem. Factus poſtea abbas Glaſtronenſis eſt. Obijt anno 1172, cum prius uiſu priuatus eſſet. Contin. Sigeberti.

HEINRICVS ALIVS.

Heinricus de Soliaco, aliàs Bleſenſis, Hẽrici regis ex Adela nepos, & Ricardi filij cõſanguineus, Glaſconienſis cœnobij præſes, tandem Vintoniẽſis epiſcopus deſignatus, claruit anno 1190. Is iuſſu Heinrici regis in Aualoniæ cœmiterio Arthuri Britannorum regis corpus quæſiuit. Scripſit multa tam proſa quàm carmine: inter alia

De inuentione corporis Arthuri, lib. 1. adiutore Gerardo Puella. Balæus Cent. 13. capite 28.

ALDREDVS VIgorniensis.

ALdredus creatur Vigorniẽſis epiſcopus circiter annũ Salutis humanæ 1179. Is Gloceſtriæ monachorum extruxit cœnobium ordinis diui Benedicti, idque dedicauit apoſtolis Petro & Paulo. Polyd. lib. 13.

ROTOMAGENSES.

HVGO.

HVgo Rothomagenſis archiepiſcopus, uir literatus & benignus in pauperes, præficitur anno 1135. Eum ut doctum, religioſum, Cluniacenſibus fauentem commendat Petrus Cluniacenſis, qui priorẽ & abbatẽ aliquandiu egerit, donec ad archiepiſcopatũ aſcenderet, qui nunquã paſſus ſit uim fieri clericis & eius farinæ hominib. lib. 6. epiſt. 33. Obijt anno 1165, cũ fermè 30 annis præfuiſſet. Contin. Sig.

PETRVS BLESENSIS.

Petrus Bleſenſis ex parentibus nobilitate generis conſpicuis minoris Britãniæ uel Galliæ natus fuit. Is Bononiæ primùm Iuriſprudentiæ operam dedit: quã tamen facultatem poſtea deſeruit, totum ſeſe ſtudio Theologiæ mancipans Pariſijs. Medicinæ & philoſophiæ ignarus nõ fuit: hiſtoriarũ, & ueterũ quidem, mediocrẽ habuit cognitionẽ, ut ex eius epiſtolis apparet, in quib. Galenum, Hippocratẽ, Pompeium Trogũ, Portunianum, Socratem, Ariſtotelẽ atque Herodotum citat. Epiſt. 59. 41.

Functiones.

Præceptor Guilhelmi 2 regis Sicilię adhuc pueri fuit. Epiſt. 61.

Præpoſitus Carnotenſis fuit aliquandiu, quam prępoſituram ut ſuam ſibi ſolitus eſt uendicare. Epiſt. 74.

Archidiaconatũ Bathonienſem primùm, deinde Londinenſem, & poſtremò etiam Cantuariẽſem adeptus eſt, medicum & cãcellarium Cantuarienſis archiepiſcopi agens. Ac licet Neapolitanum archiepiſcopatum & Boſſenſem etiam ſemel atq; iterum ipſi oblatos recuſarit ſuſcipere, uolens latitare potius, quàm periculoſis & laborioſis præfici functionibus, ut ex epiſt. 61 conſtat: tamen Rothomagi archiepiſcopũ tandem egit, ut patet ex epiſt. 20.

Opera eius.

Aſſentator non fuit, ſed principum, prælatorum, religioſorum, & priuatorum etiã peccata grauiter arguit. Epiſt. 20 regis filiũ, patri ſe opponentem, grauiter monet, ut à propoſito deſiſtat. Amicum quendam factum officialẽ hortatur, ut protinus iſti muneri renũciet. Epiſt. 14. Alium quempiam, qui ex diſputatore in potatorem degenerauerat, obiurgat epiſtola 6. Quam ob cauſam Balæus his ipſum extollit laudibus: Non fuit aſſentator Gnatonicus, ſed teſtis & pręco ueridicus, prælatorũ ac principum uitia modeſtè redarguere nõ metuens. Cent. 13.

Promouit ſedulò monaſticen. Epiſt. 33 pluribus uerbis cuidam moniali ſuadet, ut perſeueret in propoſito, peſsimè applicans dictum Pſal. 45: Audi filia, obliuiſcere domum patris tui.

Peſsimè ſenſit de coniugio, uocans laqueum inextricabilem, & ignominioſam ſeruitutem: quam etiam ob cauſam in amicum quendam proteruè debacchatur, quòd illud uitæ genus fuerat amplexus, recitans coniugij incommoda. Epiſtola quadrageſimaprima.

Inter primos fuit, qui eccleſiam Bleſenſem reſtituit. Epiſt. 57.

Inimicis atq; obtrectatorib. non caruit, qui ut in contemptum ipſum adducerent, patrem eius mortuum etiam ſunt falsò criminati. Epiſtola 74.

Inter reliquos familiares quos habuit, præcipuus fuit Ioannes Carnotensis episcopus.

Scripta eius.

De amicitia Christiana,	lib.1.
De pœnitentia salutari,	lib.1.
De accelerando passagio,	lib.1.
De qualitate pœnitentiæ,	lib.1.
Sermones de ieiunio,	lib.1.
De sapientiæ studio,	lib.1.
Contra deprauatorem,	lib.1.
Exhortationes ab abbatem,	lib.2.
De officio episcopi,	lib.1.
De præstigijs fortunæ,	lib.2.
De periculo prælatorum,	lib.1.
De uita clericorum curialium,	lib.1.
Epistolarum numero 194,	lib.1.
De synodis celebrandis,	lib.1.
Canonem episcopalem,	lib.1.
Vitam patientis Iob,	lib.1.
Vitam Vuilfridi archiepiscopi,	lib.1.
Vitam Guthlaci confessoris,	lib.1.
Dialogum regis & abbatis,	lib.1.
De peregrinatione Hierusalem,	lib.1.
Sermones in festis diebus,	lib.1.
De conuersione D.Pauli,	lib.1.
De transfiguratione Domini,	lib.1.
De assertione fidei,	lib.1.
Testimonia fidei catholicę,	lib.1.
De Iudæorum perfidia,	lib.1.
Manipulus florum,	lib.1.
Acta Heinrici 2.	lib.1.
Piarum exhortationum,	lib.1.

Et alios adhuc tractatus plures composuit. Bathoniæ tandē sepultus est. Balæus Cent. 13. cap.31 Scriptorum Britanniæ.

ROTRODVS.

Rotrodus, cum per biennium Ebroicensem egisset episcopum, Rothomagū ad altiorem dignitatis gradum commigrare iubetur. Fuit autem homo superstitionū plenus. Nam leuationē corporis S. Firmati anno 1157 adiuuit, & Beccensem dedicauit ecclesiam. Eo etiam in legatione usus Heinricus Anglorum rex in Normanniam, ut per episcopatus de regalibus reditibus & consuetudinibus, ad regem & barones pertinētibus, inquireret. Obijt anno 1182. Sigeberti Continuator.

GVALTERVS.

Gualterus de Constantijs, genere Britānus, ortus ex regia stirpe, parentibus Maddano & Guendolena, primùm archidiaconus Oxoniensis, deinde Lincolniensis episcopus fit, anno 1183, & tandem sequenti anno Rothomagensis archiepiscopus. Is unà cum Ludouico Franciæ rege apud Heinricum 2 intercessit. & perfecit etiam, ut Thomas Becketus Cantuariensis in gratiam reciperetur. Ac Heinricum regem iuniorem, unà cum uxore Margarita Vintoniæ coronauit. Polydorus Vergilius lib. 13. Abbatiā S. Elisij iunxit abbatiæ de Voto, consensu regis. Item transtulit M. Guilhelmum Hubaudum abbatem Grestensem ad abbatiā S. Martini Pontisare. Cōmitatus est Ricardum regem uersus Palæstinam: sed ex Sicilia iussu regis reuertitur, & cancellarius loco Guilhelmi Langeshampij constituitur. Iohannem fratrem Ricardi principatu Normanniæ insigniuit. Scripsit

Super negocijs iuris,	lib.1.
Epistolas ad diuersos,	lib.1.
Ad Ranulphum de Diceto,	lib.1.
Ad Hugonem Dunelmensem,	epist.1.
De peregrinatione Ricardi,	lib.1.

Aliaq; plura. Balæus Cent.3. capite 41. De huius episcopi ambitione audi Neubrigensem: Post modicum electus ad episcopatum Rothomagensem, formæ uenustioris blandiente illecebra, nouæ nuptæ (Lincolniensi ecclesiæ) ualedixit. In qua re pensandum est, quanti sit momenti ambitus excellentiæ, quantumq; in homine pecuniæ etiam cupidissimo, superet amorē pecuniæ. Satis quippe notum est, quòd quantum Rothomagensis ecclesia Lincolniensi præeminet maioritate dignitatis, tantum etiam cedit illi in temporalibus commodis. Homo tamen, qui Lincolniēsem episcopatū propter amplissima commoda multùm ambierat, maluit eo relicto ad minores diuitias ascendere superius, quàm eo retento cū maioribus diuitijs sedere inferius. Et quidem diu hæsitasse dicitur, utrum eminentior, an ditior esse eligeret, scrupulosè secum deliberans: sed tandem ambitus loci celsioris, de amore commodi largioris triumphauit. Lib.3.cap.8.

SALISBERIENSES.

ROGERIVS.

Rogerius, quem Heinricus rex ob prudētiam ita dilexit, ut à secretis ipsum haberet, primùm cancellarius, deinde episcopus constitutus est à rege, eiq; administrationē totius regni commēdauit, quoties uel abfuit, uel moraretur in Normannia: quā prouinciam, ut duram, non nisi de aliorum cōsilio, ut Anselmi, Radulphi, Guilhelmi, in se recipere uoluit: in qua talem se præbuit, ut ab inuidorum etiam liuore esset immunis. Antequam secularia tractaret, manè prima cura fuit religio. Maximis impensis ædificia extruxit, præsertim Salisberiensem ecclesiam. Malmesburiensis lib.5.cap.18. In suspicionem apud Stephanum regem uenit, quasi rebellionem moliretur. cum præsertim arces munitissimas extruxisset binas, alteram ad Schirburnum pagum, alteram

ram opere magnificam apud uicum qui Visis dicitur. Polyd. lib. 12. Sed cum aliquando ad Stephanum uenisset, comitante eum Alexandro Lincolniensi nepote suo, ipse hilari fronte exceptos, mox tanquam personas uilissimas, atrociū iniuriarum reas, carceribus inclusit, pecunijs castellisq; exuit. Sicq; dignas suo periurio pœnas luit. Fidē enim Mathildi dederat, iubente id rege Heinrico, imò ipse reliquis iuraturis uoce præierat: sed pòst Stephano sceptra arripienti se adiūxit, eiusq; partes strenuè iuuit. Tandem in amentiam uersus, uitam longo tempore splendidissimā, infœlicissimo fine conclusit episcopus, cuius opera, ut Neubrigensis utamur uerbis, nūquam episcopalia fuerunt. lib. 1. cap. 6.

SVB FRIDERICO.

IOSCELINVS.

IOscelinus circiter annum 1170 præfuit. Huic Alexander 3 administrationem sacrorum interdixit, quòd non solùm coronationi Henrici filij maioris natu, quem Henricus 2. pater consortem regni elegerat, interfuisset, sed præfuisset etiam. Restituto Thoma, ipsum adit Ioscelinus, tanquam pontificis Romani legatum, & petit, ut eius permissu suo officio sibi fungi liceret. Cui quidem, ut fertur, ueniam & absolutionem nō negauit, modò polliceretur se ipsius iudicio staturū: quod ille facere recusauit. Quāuis hic sententiæ uariant. Nam quidam ferunt, statim hunc pronunciatum impium à Thoma, cum in Angliam rediret: quidam uerò tantùm ipsi publicè administratione sacrorum interdictum. Polydorus libro decimotertio.

ROBERTVS.

Robertus de Bello foro, Sarisberiensis ecclesiæ canonicus secularis, uir literatus & philosophiæ studiosissimus, quo nomine & magisterij gradum consecutus est, floruit anno 1190. Is ubi in Anglia in bonis literis laudabiliter profecit, usus q; fuisset familiaribus Syluestro Giraldo Cambrensi, & Gualtero Mapes, uiris doctrina præstantibus, ipse scripsit, teste Balæo Cent. 3. cap. 36,

Encomium Topographiæ, lib. 1.
Monita salutis, lib. 1.

LINCOLNIENSES.

ALEXANDER.

ALexander Lincolniensis antistes, nepos Stephani regis ex fratre, homo latissimi cordis, apud regē in suspicionem rebellionis uenit, quòd diuersis in locis multas exædificasset arces. Nā & magnæ fuit authoritatis & potentiæ. A' rege itaque captus, & carceris squalore ad resignandas arces coactus est: ut refert Gulielmus Neubrigensis. Polydorus libro duodecimo.

GAVFREDVS.

Gaufredus Henrici 2 ex concubina filius nothus, circiter annum Salutis 1178 ipsius regis & Romanorum legatorum opera eūdem episcopatum, iam penè à patre rege exhaustum (nam annos ferè decem & septem gubernatore caruerat) adipiscitur. Sed ille adolescens, postquam aliquandiu quæ supererant bona dilapidasset, neglecto interim suo munere, eam sedem uacuā fisco rursus reliquit, anno 1181. Polyd. li. 13. Cōtinuator Sigeberti refert, ipsum pòst patris sui factum cancellarium, amplissimosq; habuisse in Anglia, Normannia & Andegauia reditus.

HVGO.

Hugo Carthusianus, præfectus Vithamij cœnobij, anno Domini 1183 Lincolniensem episcopatum gubernandum suscepit, Andegauis in præsentia regis consecratus à Ricardo Cantuariensi, anno 1176. Sigeberti Continuator. Is pro suo munere Hēricum 2 subinde monebat, ne potestate sua abuteretur ad peccandi licentiam. Iuuit restitutionem sceleratissimorum monachorum Conuentriæ, quos Hugo Nouantus ob uitæ turpitudinem exturbauerat. Balæus Cent. 13. cap. 31. Obijt anno humanæ Salutis 1207. Miracula & in uita & post mortē edere dicitur. & in numerum diuorum relatus est. Corpus eius Lincolnię in æde primaria reuerenter reseruatur. Sed libet adscribere ex Polydoro de eius origine, uita austeriore, & ratione gubernationis. Hugo homo Gallus fuit, Gratianopoli natus, uir acri ingenio, diuinarum rerum ac humanarum disciplina mirabiliter excellens, usq; à puero se in optimo degēdæ uitę instituto exercuit, in quo adeò profecit, ut primus canonicus, prout uulgus uocat, regularis sit factus, hortante patre, qui se in eum ordinem post obitum uxoris, ex qua hunc puerum susceperat, antè adscripserat. Deinde maioris abstinētiæ durorisq; uitæ cupidus, Carthusianus monachus efficitur: in quo ordine non modò ad unguē omnia quæ alijs aspera uidebantur, seruauit & pertulit, sed supra fidem uigilias longiores obibat, frequentius abstinebat, uitam deniq; duriorem agebat. Quo factum est, ut eius sanctitatis nomen, apud omnes longè celeberrimum, ita Henricum 2 regem Angliæ moueret, ut eum ex Gratianopolitano cœnobio in Angliam accersitum, miserit Reginaldū Bathoniensem episcopum: qui postquam in Angliam uenit, cœnobio Vithamio monachorum Carthusianorum Vnellensis diœceseos præficitur, atq; non multo pòst Lincolniēsis episcopus creatur. Tum sanctissimo

mo sacerdotio Hugo præditus, maiorẽ integritatem, maiorem constantiam in rebus agendis præ se tulit: quippe qui nihil in se habens, quod non uirtute constaret, atq; à mortalibus summa laude efferretur, non blandiebatur principi, non fauore, non gratia cuiusquã à recto flectebatur, non deniq; minis aut armis à recta sententia deducebatur, adeò ut, cum Magistratus quempiam sacris initiatum grauiter mulctabant (mulctabant autem quotidie, quòd in regijs uiuarijs aut saltibus feras uenando occidisset) nequaquam uereretur eos à cœtu Christianorũ sua authoritate eijcere. Quod cũ ei culpæ assignaretur, quòd contrà ageret quàm ius patrium foret, tum ut acerrimus iusti æquique conseruator, non se rescindere uiolaréue legem, sed seruare tantummodo respondẽs, nihil ab incœpto desistebat. Quinetiam tributa cum Ricardo, tum à Iohanne indicta, detestabatur, constanterque ac palàm pernegabat, se imperatam pecuniam, pro impio bello simultatum causa inter principes Christianos gerendo, soluturum. Quare ita usu sępe ueniebat, ut pecuniarum exactores, regibus iubentibus, in Hugonis bona inuaderent, & ille eos religionis contemptores publicè denunciaret, execrareturque, sacris uetusto more interdicendo. Quod equidem pro supplicio non immodico haberi cœptum est: enimuero cùm illis quibus ab Hugone sacra interdicta essent, cuncta deinceps multo pessimè caderent, atq; illud uulgò obseruaretur, tanto timore cæteri affecti sunt, ut nullus etiam deinde iubente rege, auderet aut Hugonẽ uel eius res tangere. Quid quòd ubi ipse audiebat, regem ob idipsum sibi uehementius succensere, quia scilicet tributa soluere negasset, uel eius quæstores impiorum numero habendos denunciando deterruisset, tanta tum modestia tum animi constantia, pariterq; grauitate principem ipsum tractabat, simul bene monendo, simul coarguendo, quandoq; blanda asperis, quandoq; iocosa serijs uerba miscendo, ut facilè iratum eius animum leniret, ab iracundiaq; ad risum & hilaritatem flecteret? qui eiusmodi uenerandæ uirtutis periculum non cum uno duntaxat rege, sed cum Henrico & eius filijs Ricardo & Iohanne, in quorum tempora inciderat, bonus antistes fecit. Polydorus lib. 15.

HENRICVS.

Henricus Huntingtonẽsis cuiusdam Nicolai filius, Lincolniensis canonicus, floruit anno Salutis 1148. Iuuenis uersibus conscribendis & prosa oratione sese exercuit sub Albino Andegauio, quem pręceptorem suum uocare solitus est. Deinde ab Alexãdro Lincolniensi episcopo archidiaconus constituitur. Quæ scripsit, hæc recẽsentur apud Balæum Cent. 2. cap. 82.

Historiam rerum Anglicarum,	lib. 10.
Historiam breuiorem,	lib. 1.
Seriem regum orbis,	lib. 1.
Seriem regum Britanniæ,	lib. 1.
De imagine mundi,	lib. 1.
De appetitu mundi,	lib. 1.
De contemptu mundi,	lib. 1.
De sanctis Angliæ,	lib. 1.
Super Beati immaculati,	lib. 1.
De summitatibus rerum,	lib. 8.
De origine rerum Britanniæ,	lib. 1.
Prosecutiones Bedæ,	lib. 1.
Ad consortem Gualterum,	lib. 1.
Epigrammaton,	lib. 8.
Lusus amatorios,	lib. 8.
De herbis, aromatibus & gemmis,	lib. 8.
De ponderibus & mensuris,	lib. 2.
De lege Domini, ad Petroburgẽses,	lib. 1.
Laudes Alphredi & Elfledæ,	lib. 1.
Carmina diuersi generis,	lib. 1.
Epistolas ad diuersos,	lib. 1.

Atque alia.

BATHONIENSES.

RADVLPHVS.

Radulphus Lõgobardus, archidiaconus Selesberiensis, eligitur ab Hẽrico 2, & duobus Romanis legatis episcopus Bathoniẽsis, anno 1174. sed non est consecratus. Cõtinuator Sigeberti.

ROBERTVS.

Robertus præfuit circiter annum Domini 1179, homo literatus, diuinarum atq; humanarum rerum gnarus. Polydorus lib. 13.

REINALDVS.

Reinaldus Bathoniẽsis episcopus interfuit dedicationi ecclesię S. Mariæ de Voto, anno 1181. Cont. Sig.

EXONIENSES.

GVILHELMVS.

GVilhelmus missus unà cum alijs legatus ab Angliæ rege ad Paschalem, ubi quorumq; episcoporum errata tanquam falsa reprehendit. Postea factus est Exoniẽsis episcopus. Malmesburiensis lib. 5. cap. 28.

BARTHOLOMAEVS.

Bartholomęus Exoniensis episcopus interfuit coronationi Hẽrici iunioris Angliæ regis, anno 1171. obijt 1185. Contin. Sig.

GVALTERVS.

Gualterus Calenius archidiaconus Exoniensis doctus, & diligens antiquitatum indagator, floruit anno 1120. Is eleganti sermone tanquam orator composuit

Auctuarium,	lib. 1.
Gesta sui temporis,	lib. 1.

Atque alia plura. Nonnulli scribunt, post annos 30 electum & constitutum Excestriensium episcopum. Baleus Cent. 2. cap. 65.

EBROICENSES.

EGIDIVS.

EGidius Rothomagensis archidiaconus, Ebroicensis factus episcopus anno 1171, ex superstitione. Dedicauit ecclesiam Becci. Continuator Sigeb. Obijt anno 1180.

IOHANNES.

Iohannes filius Lucæ regis, clericus, Ebroicẽsis fit episcopus anno 1181. Cont. Sig.

CICESTRENSES.

IOHANNES.

IOhannes episcopus Cicestrensis obijt anno 1181. Cui SEFRIDVS eiusdem ecclesiæ canonicus succeßit. Cont. Sig.

GERVASIVS.

Geruasius, patria Cicestrensis, claruit anno 1160. Is à iuuentute bonis literis & eloquentiæ incubuit. Scholas eo quidẽ tẽpore celebriores, maximè Parisiẽsem adijt. Thomæ Becketo in primis fuit charus propter eruditionem. Libros Sacrarum literarũ plurimos in publicis scholis exposuit: in templis conciones ad populum habere solitus est. Tandem presbyter scripsit de sacerdotalis ordinis institutione.

In Malachiam Commentarios, lib. 1.
In Psalmos Dauidis, lib. 1.
Homilias aliquot, lib. 1.

Atq; alia plura. Balæus Cent. 2. cap. 96.

LEXOVIENSES.

ARNVLPHVS.

ARnulphus Lexouiensis præfuit episcopatui totis 40 annis; quod tempus magna ex parte ædificando ecclesias & domos triuit. Interfuit etiã unctioni Heinrici Anglorum regis, anno 1155. Tandẽ renuncians muneri, priuatus uixit Parisijs apud S. Victorẽ. Cont. Sigeb.

RADVLPHVS.

Radulphus de Vana uilla, Rothomagensis archidiaconus & cãcellarius regis, fit Lexouiensis episcopus anno 1181. Idem.

ELYENSES.

SVB HENRICO V.

RICARDVS, HEINRICVS.

RIcardus abbas monasterij ordinis Benedictini longè opulentißimi, primus autor fuit, dignitates & honores superbè captãs, constituendi Elyensem episcopatum, anno 1111. quod Paschalis 2 postea ratum habuit. Sed cum ea omnia ex sententia iam perfecisset, non multo pòst moritur. Ac Henricus Bangorensis antea antistes, primus Elyensis episcopus creatus est, anno 1111. Polydorus lib. 11.

NIGELLVS.

Nigellus obijt anno 1171. Cont. Sig.

GAVFRIDVS.

Gaufridus Lidel, archidiaconus Cantuariensis, à rege Henrico 2 & duobus legatis Romani põtificis creatus est in episcopum Elyensem, anno 1174. sed non consecratus. Sigeb. Cont.

GVILHELMVS.

Hunc deinceps Guilhelmus Langeshãpe circiter annum Salutis 1189, quem Ricardus primus cancellarium fecit, homo impiger, uerùm factiosus, & potentiæ, honoris diuitiarũq; cupidus, sequitur. Polyd. lib. 14. Hunc rex occupatus bello Hierosolymitano summę rerum præfecit: sed is non rectorem, sed tyrannum: non domus custodem, sed expilatorem gesßit. Ranulph. li. 7. ca. 25 in Polycratico, Polyd. lib. 14. Monachos ex Conuentrensi collegio eiecit. Non multo pòst autẽ à rege omni administratione exuitur. Execrantur ipsum habito cõcilio etiam cæteri episcopi, quòd Gaufredum Eboracẽsem mancipari iusserat. Quod ubi resciuit, adornauit fugam, muliebri amictus uestitu: sed quia hoc secretum non potuit esse diu, capitur, ab omnibusq; cõtemptus in carcerem cõijcitur. Arces quas retinebat, reddere coactus est, atq; ita spoliatus omnibus fortunis proscribitur, uenitq; in Normãniam, unde oriundus erat, atq; apud Celestinum papam 3, & Ricardum regem per literas de accepta iniuria conqueritur, simulque obsequio & largitione gratiam ab Alienora & Iohanne summo studio inire nititur, tantumq; perfecit, ut tota Anglia passim seditionibus laboraret. Polydorus lib. 14.

GALFRIDVS

Eliuensis.

GAlfridus, cognomẽto Arturus, quòd de Arturo Britannorum rege multa scripserit, Monemuntensis archidiaconus, postea etiam Eliuẽsis episcopus, claruit circa annum Domini 1152. Nonnulla in Latinum sermonem transtulit, nonnulla proprio marte cõscripsit, uel prosa, uel carmine. Transtulit sequentia:

Britannorum historiam, lib. 8.
Prædictiones Ambrosij Merlini, lib. 1.
De exilio Ecclesiasticorum, lib. 1.

Sequentia prosa & carmine composuit:

In fragmentum Gildæ, lib. 1.
De corpore & sanguine Domini, lib. 1.
Vitam Merlini Galedonij, lib. 1.
Cõmẽtarios in Merlinorũ ꝓphetias, li. 1.
Arthuri regis gesta, lib. 1.
Ad Gualterum Oxoniensem, lib. 1.
Diuersi generis carmina, lib. 1.

Et alia nonnulla. Balæus Cent. 2. cap 86.

HEREFORDENSES.

ROBERTUS.

RObertus Folioth, aliàs Melundinensis à loco suorum studiorum dictus, cum in Anglia & Gallijs bonam in studijs nauasset operam, præclarè de bonis artibus postea est meritus. Ex archidiacono Oxoniensi, opera regis Henrici, & duorum legatorum Romanæ curiæ, & Thomæ Becketi, Herefordensis episcopus cõstituitur anno 1164. sed non consecratur. Composuit luculentissimum opus:

De Sacramentis antiquæ legis, lib. 1.
Conciones aliquot, lib. 1.

Et alia quædam. Balęus Cent. 3. cap. 8 Scriptorum Britanniæ. Obijt anno 1171. Continuator Sigeberti.

ROFENSES.

GALTERUS.

GAlterus interfuit unctioni utriusq; Henrici, patris & filij, anno 1155.

VUALTERANUS.

Vualteranus Rofensis episcopus & capellanus archiepiscopi Cantuariensis, obijt anno 1184.

GISELBERTUS.

Giselbertus archidiaconus Lexouiensis successit Vualterano. Continuator Sigeb.

DUNELMENSES.

SUB HENRICO IIII.

RANULPHUS.

RAnulphus Dunelmẽsis episcopus quędam monachorum cœnobia extruxit, corpus beati Cutberti de tumba leuauit, & cõspiciendum cunctis præbuit. Malmesburiensis li. 5. ca. 55. Is ab Henrico primo circiter annum Domini 1101 in carcerem cõijcitur, quòd Gulielmo Rufo defuncto, regi præcipuus suasor autorq; extiterat diripiendi cœnobia, & labefactandi sacerdotalem dignitatem. Sed non multo pòst clàm noctu ex carcere aufugit. Polyd. lib. 11.

RADULPHUS.

Is à Thrustino Eboracẽsi ualetudinario, quem in sua absentia Stephanus summę rerum præfecerat, irruptionem facientibus Scotis in Angliam, ad exercitum mittitur, ut ad fortitudinem pariter omnes hortetur. Quod hisce ipsum uerbis fecisse dicitur: Tametsi, nobilissimi Angli atq; Normanni, uideo uos satis animorum habere ad hostes repellendos, tamen ne eam uim, cùm resistendum fuerit, aliquo casu remittatis, ego uicem patriæ dolens, cuius uos incommodis mederi cupio, pauca uerba faciam, non quòd horter, ut cuiquam iniuriam faciatis, sed atque adeò, ut uobis facientes depellatis. Igitur scitote, uos cum hoste esse pugnaturos, quem sæpius uicistis, quem sępius periurij maculis notatum pœnis affecistis, quem deniq; ritu latronis truculentissimè in omne genus nostrum furẽtem, templa spoliantem, bona nostra rapiẽtem, sese fugæ mandare nuper coëgistis. In hunc igitur pro tot criminibus puniendum uos immittite, fortique eum animo finibus prohibete: nam, ut uideo, uictoriam in manu tenetis: certè iuuabit Deus, qui diutius huiusce populi peccata tolerare non potest. Quapropter qui perdiderit animam in hoc iusto bello, haud dubiè, sicut Seruator docet, inueniet eam. Polydorus Vergilius lib. 12. Angl. historiæ.

SUB FRIDERICO.

HUGO.

POst Guilhelmum de S. Barbara, quem religiosum uirum uocat Neubrigensis, Hugo homo indoctus, auarus & ambitiosus, Dunelmensi episcopatui præest. Erat autem Stephani regis propinquus. Eius electioni uehementer aduersabatur Heinricus Eboracensis, ad quem ius consecrandi Dunelmensem spectabat, tum propter ætatem immaturam, tum minus probatam morum grauitatem. Nam ex diuersis matribus, dũ Eboraci thesaurariũ adhuc ageret, tres spurios procreauerat. Romã autem profectus, ab Anastasio consecratur. Neubrigensis lib. primo, capite uigesimosexto: & libro quinto, capite 8. 9. Eius deinde fortunas Ricardus primus spoliat, & comitem Northumbriæ facit. Qua de re cum postea episcopus gaudio exultaret, rex hoc modo iocari solitus est: Magnus ego nimium artifex, ueteranum enim episcopum feci nouitium comitem. Ricardus postea profecturus in Syriam, eum præfecit isti parti Angliæ, quæ ad Scotiam pertinet, additis coadiutoribus Hugone, Radulpho & Guilhelmo Brunello, uiris spectatissimis. Polydorus libro decimoquarto. Neubrigensis libro quarto, capite quinto, qui annis 42 eum episcopum egisse scribit. Obijt anno 1195, ætatis uerò septuagesimo. Neubrig.

CARLIOLENSES.

SUB LOTHARIO.

ARNULPHUS.

HEnricus primus Carlioli nouam sedem episcopalem fundari curauerat, anno Domini 1134. Isti præficitur Arnulphus primus antistes, qui fuerat diui Burhulphi præfectus. Polydorus li. 11. Anno 1157 obijt. Continuator Sigeberti.

NIGELLUS.

Arnulphum subsequitur Nigellus, nepos Rogerij, quem Stephanus in exilium eijcit. Polydorus lib. 12.

ARDELUI-

ARDELVLPHVS.

Ardelulphus obijt anno 1171. Continuator Sigeb.

DOLENSES.

HVGO.

HVgo Dolensis archiepiscopus oculis captus hoc munus resignauit, anno 1162, cum annis 6 præfuisset. Cont. Sig.

ROLANDVS.

Rolãdus decanus Abrincensis, literatus & religiosus, à clero Dolensi in eius loci archiepiscopum electus est, anno 1177. Continuator Sigeb.

BAIOCENSES.

PHILIPPVS.

PHilippus Baiocensis episcopus interfuit unctioni Henrici regis Angliæ, anno 1155. Ac ecclesiam Baiocẽsem igne consumptam restaurauit. Moritur tandẽ anno 1164. Continuator Sigeb.

HENRICVS.

Henricus Baiocensis Henricum regis filium deduxit ad inungendum ab archiepiscopo Eboracensi, anno 1171. Interfuit anno sexto pòst electioni Rolandi Dolensis. Dedicauit unà cum alijs ecclesiam Becci, anno 1178. Itemq; ecclesiam S. Mariæ de Voto in territorio Rothomagensi, anno Salutis 1181. Cont. Sigeberti.

ABRINCENSES.

ACHARDVS.

AChardus abbas S. Victoris apud Parisienses, fit Abrincẽsis episcopus anno 1162. Alienoram reginam Galliç apud Domum Frõtem ex baptismo suscepit. Continuator Sigeberti.

HEREBERTVS.

Herebertus apud Moretonium corpus sancti Firmiani de tũba leuauit, anno 1157. obijt anno 1161. Sepultus est in ecclesia B. Mariæ Becci. Continuator Sigeberti.

RICARDVS.

Ricardus Cõstantiensis archidiaconus, fit Abrincensis episcopus anno 1171. Interfuit electioni Dolensis archiepiscopi Rolandi. Dedicauit ecclesiam Becci, item S. Mariæ de Voto in Rothomagensi territorio. Obijt anno 1182. Continuator Sigeberti.

GVILHELMVS.

Guilhelmus decanus canonicorum S. Petri de Curte, fit Abrincensis episcopus anno Domini 1182. Idem.

DAVID BANcorniensis.

DAuid presbyter, natione Scotus, studiorum causa longinquas regiones adijt, & tandem Herbipoli substitit. Henrici quinti sacellanus, cùm doctrina & morũ probitate præstaret, factus, interfuit Italicæ expeditioni, & iussu Imperatoris eam historiam facili stylo conscripsit. Auentinus libro sexto. Guilhelmus Malmesburiensis libro quarto, Bancorniensem episcopũ illum fuisse testatur. Scripta quæ contexuit, hæc sunt:

Expeditionis seriem,	lib. 3.
Magistratuum insignia,	lib. 1.
Apologia ad Cæsarem,	lib. 2.
De regno Scotorum,	lib. 1.

Et alia plura. Claruit anno 1110. Balæus Centuria 14. cap. 47 Scriptorum Britan.

NORDOVICENSES.

HEREBERTVS.

HErebertus Losinga, cuius & superiori seculo meminimus, scripsit quamplurima:

Sermones octodecim,	lib. 1.
De prolixitate temporum,	lib. 1.
De fine mundi,	lib. 1.
Constitutiones monachorum,	lib. 1.
Epistolas ad diuersos,	lib. 1.
Ad Anselmum contra sacerdotes,	lib. 1.

Et alia quædam. Obijt anno 1120, cum episcopus fuisset annis 29. Sepultus est Nordouici 11 calend. Augusti. Balæus Centuria 2. capite 62. & Malmesburiensis libro quinto, capite 28.

GVILHELMVS.

Guilhelmus Nordouicẽsis episcopus interfuit electioni Henrici Anglorum regis, anno 1155. Continuator Sig. Is legatus missus est ab Anglorum rege ad Paschalem, in cuius conspectu quosdam episcopos mendacij arguit.

IOHANNES.

Iohannes Oxefordius, decanus Salesberiensis, fit episcopus anno 1176. Continuator Sigeberti. Is ex honesta familia natus, doctrina, ingenio & eloquentia præstans, primùm Sarisberiensis collegij decanus fuit, postea Cicestrensis, demum etiam Nordouicensis episcopus efficitur. Is Clarẽdonensi concilio præsedit, anno 1164. Regis Hẽrici sacellanus fuit, qui eo etiam usus est in legatione in Siciliam pro filiæ Iohannæ sponsalijs, & ad Alexandrum 3 pontificem. Scripsit

Anglicam historiam,	lib. 1.
Pro rege contra Becketum,	lib. 1.
De itinere in Siciliam,	lib. 1.
Orationes & epistolas,	lib. 1.

Aliaq; nonnulla. Obijt anno Salutis 1200. Balæus Cent. 3. cap. 42.

CESTRENSES.

GALTERVS, *Hilarius.*

GAlterus Cestrensis episcopus unctioni Henrici

Henrici Angliæ regis anno 1155 interfuit. Obijt anno 1160. Cuius successor Hilarius 1171 rebus humanis ualedixit.

GOCELMVS.

Gocelmus ex decano fit episcopus eiusdem loci, electus à rege Henrico 2 & duobus Romanis legatis, anno 1174. Continuator Sigeberti.

GERARDVS.

Geradus Puella Neustrius, clarus doctrina & uirtute, floruit anno 1182, quo tempore etiam episcopus Cestrensis electus est. Plura illum scriptitasse ferũt, sed tituli operum nusquam occurrunt. Obijt anno 1183. Balæus.

HVGO.

Hugo Lexoniensis archidiaconus ei successit, anno 1183. Cont. Sigeberti.

BARTHOLOMAEVS

Excestriensis.

BArtolomæus Isacanus, in prophanis atque Sacris literis mediocriter doctus, factus est Excestriensis episcopus anno 1161. Tantę fuit autoritatis uir in Anglia, ut quoties de Ecclesiasticis negocijs conuentus agerentur, illius iudicium maximi fieret. Balduino abbati Fordano admodum familiariter usus est, ita ut sibi inuicem libellos dedicarent. Scripsit

Dialogum contra Iudæos,	lib. 1.
Sermones eruditos,	lib 1.
In obitum Thomæ archiepiscopi,	lib. 1.
De prædestinatione,	lib. 1.
De libero arbitrio,	lib 1.
De pœnitentia,	lib. 1.
Epistolas ad diuersos,	lib. 1.

Et alia plura. Præfuit annis 20. & amplius. Mortuus in sua ecclesia sepultus est. Balęus Cent. 3. cap. 24.

OBERTVS LEGIENSIS.

OBertus Legiensis episcopus, consensu totius synodi Guibertũ Gemblacensis cœnobij fundatorem eleuauit de tumba, & in numerum Sanctorum retulit, anno 1110. Sigebertus.

AVSBERTVS

Aletensis.

AVsbertus, uel Albertus, quem recentiores de S. Madono uocant, cum summa ueneratione excepit Rhedonis Gaufridum Angliæ regis filium, in ecclesia S. Petri, anno 1169. Obijt anno 1182. Continuator Sigeberti.

BERNHARDVS

Nametensis.

BErnhardus Nanneti episcopus obijt anno 1171. Robertus eius loci archidiaconus successit consensu regis. obijt anno 1185, cũ Ierosolyma domum redijsset. Continuator Sigeberti.

REDONENSES.

ALANVS, STEPHANVS.

ALano Redonensi, qui obijt anno 1157, Stephanus abbas S. Florentij, uir literatus & eloquens, successit. Is etiam Gaufridum Rhedonis solenniter excepit, ubi hominia baronum Britanniæ ipsi collata sunt.

Cultor alienorum deorum fuit. Nã beatæ Marię semper deuotè inseruiuit. Scripsit uitam S. Firmiani episcopi, item uitam S. Vitalis primi abbatis Sanigueij. Visiones quasdam habuit, quas tamen rectissimè dixeris præstigias diabolicas. Obijt anno 1178. Cont. Sigeberti.

SAGIENSES.

GERARDVS,

Rogerius.

POst Gerardum episcopum Sagiensem, qui anno 1158 è uiuis excessit, Rogerius, regis eleemosynarius factus est episcopus, anno 1160 Interfuit coronationi Henrici regis anno 1170. Emendauit ecclesiam quantum potuit, & omnes quibus præfuit. Obijt anno 1185, immensas post se relinquens diuitias. Continuator Sigeberti.

CORNVBIENSES.

GAVFREDVS.

Bernhardus.

GAufredo Cornubiensi antistiti surrogatur magister Bernhardus, natione Anglus, cancellarius ecclesiæ Carnotensis, anno 1160. Continuator Sigeberti. Is præceptor Giliberti Pictauensis uidetur fuisse. Frisingensis libro primo, capite 50 de Friderico.

LEMOVICENSES.

GEROLDVS.

GEroldus episcopus Lemouicensis, miles strenuus fuit. Nam duo millia Scotarellorum, qui iussu Henrici regis Aquitaniam uastabãt, in Belo castro peremit, anno 1171. Iohannes de Oppido.

EBRANDVS.

Ebrandus uicecomes & Lemouicensis episcopus, temporibus Lucij tertij sex millia barbarorum, qui iussu regis Aquitaniæ uim faciebant, peremit. Idem.

ANSELMVS

Blesensis.

ANselmus Blesensis episcopus carthusianus claret circiter annum 1190. Fasciculus temporum.

IVO DE TRIGEL.

IVo Britannus, archipresbyter Turonensis, successit Guilhelmo Trigelẽsi episcopo. Is Romam pergens, rebus omnibus omissis, &

sis, & grauiter uulneratus in itinere infra octiduum moritur, anno 1179.

GAVFRIDVS.

Gaufridus Loitz Gingampensis successit Iuoni. Continuator Sigeberti.

ARCHIEPISCOpi Hyberniæ.

ARMACHANI.

SVB HENRICO V.

CELSVS.

CElsus archiepiscopus Armachanus, uir proceri & reuerendi uultus, uxorem ac liberos habuit, more illius gentis. Hæreditaria enim successione pontificatũ cum spirituali totius terræ primatu per 15 generationes gerebat, & octo illorum fuerunt literatissimi. Is ubi in patria prima literarum fundamenta percepisset, Oxonium adolescens traiecto mari uenit studiorum causa. Reuersus in patriam, ex ordinaria eius familiæ successione fit episcopus. Scripsit

Testamentum ad ecclesias, lib. 1.

Constitutiones quasdam, lib. 1.

Ad Malachiam epistolas plures. Quem, cũ moriturus testamentum faceret, successorẽ constituit, hac nimirum impulsus causa, quòd longo iam tempore quidam quasi hęreditaria successione illam sedem ad sese transtulerant.

Coluit alienos deos, quòd non tantùm in nomine Domini, sed etiam in nomine S. Patricij mandauit omnibus, præcipuè uerò utroque Mumoniæ regi, ut successorem Malachiam constitui curarent. Bernhardus in uita eius.

Obijt anno Domini 1128, suæ ætatis 48, & in Armachana ecclesia sepultus est cum uxore. Balæus Cent. 14. cap. 84.

SVB LOTHARIO, & Conrado.

MALACHIAS.

MAlachias ex Hybernia originem traxit, parentibus & genere & potentia claris in ciuitate quadam Ardinacha, anno Domini 1094 natus. Mater ipsum ab ineunte ætate non literas tantùm, sed religionis etiam iácere fundamenta curauit, illud quidem foris, hoc maximè domi. Ad literas sortitus erat ingenium aptum, & in primis idoneum. Mores honesti & decentes fuère, ita ut omnibus admirationi esset: non tamen propterea factus est insolentior.

Egressus iuuenilẽ ætatem, decreuit omnino sese uitæ austeriori mancipare. Erat Ardinachæ solitarius quispiam, nomine Imarius, ieiunijs & deblateratione preculatum die nocteque desudans, ad quem sese contulit Malachias, ut eo magistro uitæ austerioris regulam addisceret.

Functiones.

Sic igitur cum aliquandiu solitarius uixisset, suasu Celsi & magistri, diaconi gradum acceptauit. Eo officio cum functus fuisset aliquod tempus, ad sacerdotale munus peruenit, ijsdem autoribus, anno suæ ætatis quinto & uigesimo. Porrò ad Malachum quendam, qui in Lesmor ciuitate Hyberniæ episcopus fuit, profectus, ut ab illo, tanquam à sene & ueterano, doctrinã & instituta monastica plenius & perfectius addisceret. Vbi cum ad tempus fuisset, à suis domum reuocatur, præficiturque Banchorensi monasterio ab Imario: in quo ita se gessit, ut se ipsum omnium poneret exemplum.

Postea electus est episcopus in Connereth, anno ætatis suæ 30. Et quamuis repugnaret, tamen tandem sui magistri suasu & impulsu assentitur & confirmatur.

Deniq; à Celso archiepiscopo totius Hyberniæ, successor denominatur in testamento. Et quamuis toto triennio multùm reluctaretur, quòd eam sedem quidam ex nobilibus, tanquam hæreditaria successione ad sese pertinentem, rapuerant, quorum non erat contemnenda potentia. Præterea Mauritius quidam, & post hunc repentina morte sublatum Nigellus, per uim sese intruserant. Cum Ardinachæ triennium delituisset, & suo more cuncta ibi reformasset, redit ad priorem episcopatum: non tamen Connereth, sed Dunum, qui duo episcopatus in una erant diœcesi, & Gelasium interim in Arnachana cathedra suas uices agere iussit.

Romæ, ubi Innocentius secundus diligenter ex eo de patria, moribus gentis, statu Ecclesiarum, deq; illis quæ ibi gessisset, quæsiuisset, legatum illum fecit, ut ibi suas uices adimpleret.

Tandem tamen à Malcho Lesmoriensi & Gilberto legato pontificio coactus fuit, ut Celsi uotis assentiretur, ad quam functionem accipiendã in somno etiam olim fuerat admonitus. Nam ægrotãte Celso, uisus est uidere mulierẽ staturæ proceræ & aspectu uenerabilem, quæ ipsi in manus baculũ pastoralẽ tradidit, dicẽs, se Celsi uxorẽ esse.

Scripta.

Scripsit institutorum cõmunium, lib. 1.

Legum cœlibatus, lib. 1.

Nouarum traditionum, lib. 1.

Ad Bernhardum epistolas plures.

Opera eius.

In diaconatu maximam adhibuit curam, ut pauperes mortuos sepeliret: ac cum eam ob causam à sorore germana increpa-

retur durius: Quid agis, insane? Sine mortuos sepelire suos mortuos. respondit: Verba sancta tenes quidem misera, sed eorum uirtutem ignoras.

Sacerdos factus, ab episcopo docẽdi munus illi committitur, quod animi promptitudine & summa alacritate suscepit. Docuit non uerbum Dei tantùm, sed Apostolicas sanctiones & decreta Patrum etiam, itemq; Romanæ ecclesiæ ritus, in primis uerò psalmodiam horis canonicis, confessionis, cõfirmationis usum, de coniugio. Regem Mumouiæ, nomine Cormarcum, profligatum à fratre, regulam monasticã docuit. At cũ uicinus rex illũ regno restituere uellet, suasit ut rediret, & suis subditis præesset, & persuasit etiam.

Tanto odio prosecutus est carnalem uitam suæ germanæ sororis, ut deuouerit, se in carne illam non uisurum uiuentem.

Missam obtulit pro sua sorore defuncta, existimans uiuorum operib. & demurmurationibus precularum mortuis subueniri.

Monasterium Benchorense, reuocatus suorum literis, quod à piratis destructũ fuerat, reædificare cœpit, & monasticos ritus restituit ibi in integrum.

Homines in Connereth, quos prorsus paganos offendit, à paganismo magno studio auocauit, & tradidit illis Romanas leges. Sic diabolum eiecit, & introduxit septem alios nequiores priore. Nam occupatus fuit in ædificatione templorum, ordinandis qui Baalismo præessent, quiq; missificarent. Cõfessiones scrupulosas & impossibiles fieri præcepit. Honestas nuptias fieri iussit, populum frequẽtare templum. Cum ibi aliquandiu prefuisset, rex Aquilonaris Hybernię ciuitatẽ Connereth destruxit. Hac itaq; occasione compulsus, inde aufugit, & monasterium Ibracẽse cõdidit, ad illud omnia necessaria tribuente Cormarco rege, cuius paulo antè meminimus. Dunum reuersus id in primis egit, ut alios sibi socios monachos adsisceret, & prorsus uitam monasticam uiueret in fictitia paupertate, rigore disciplinæ cœnobialis, ocio contemplandi, & assiduis precum demurmurationibus. Deniq; post acceptum archiepiscopatum, summo studio conatus est, ut Nigellum ad reddenda ablata insignia cogeret, tandemq; uoti sui compos est factus.

Dehinc peregrinatus est Romã pro impetrando pallio, quo ad illud usq; tempus archiepiscopalis sedes destituebatur, ubi omnes penè angulos ex supstitione perreptauit. Ac solicitauit apud papam, ut nouã in Hybernia metropolim cõfirmaret, & utriq; pallia tribueret. Illud quidem protinus impetrauit: hoc uerò omnium episcoporũ & clericorum Hyberniæ nomine requiri uolebat. Honore auctior domũ redijt. Nam papa mitram de suo capite tollens, Malachiæ imposuit, & stolam addidit cum manipulo, quibus in Missa uti consueuerat.

Legatus à põtifice cõstitutus, non id honoris loco reputauit, sed ut opera legationis exerceret. Prædicauit itaq; omnib. omnis sexus hominibus, magno numero ad ipsius cõciones confluẽtibus. Nec tantùm ueteres traditiones ab illo restaurantur, sed cuduntur & nouę, & ita à plerisq; acceptãtur, quasi cœlitùs allatę. O' fœdã idololatriã.

Autor fuit impuri cœlibatus sacerdotũ in Hybernia, quæ ad eius usq; tempora eũ ignorabat. Nam sacerdotes cum legitimis in coniugio uiuebant uxorib. Balęus Cent. 14. cap. 85.

Monachatum quantum potuit promouit. Nam cũ ex Romano itinere ad Bernhardum Clareuallensem diuertisset, adeò ipsi probata fuit monachorũ ibidem latitantiũ conuersatio, ut relicto suo episcopatu, inter eosdem porcos reliquũ uitæ suę tẽpus exigere in animo haberet. Sed cũ ab Innocentio, quòd in Hybernia plures Antichristo ipsum subijcere posse existimaret, prohiberetur, quatuor ex socijs reliquit in Claraualle, ut uitæ monasticæ instituta addiscerent. Domum reuersus alios etiam misit eò: unde postea per totam Hyberniã ingẽtia monachorum examina excreuẽre. Congano abbati quendam adolescentẽ erudiẽdum tradidit in Cisterciensi regula. Præterea in Scotia ad stagnum uiride, ut dici solet, monasterium extruxit.

Modestus fuit, & honestis ijsq; grauib. preditus moribus, ita ut nihil esset quod in illo aliquem posset offendere, quibus cum conuersaretur: egregiè se norat accõmodare, omnibus seruire paratus.

Vixit sine proprio, ab initio suę cõuersionis usq; ad uitę exitum, ita ut nec domum haberet propriam. Semper circumiuit, & in parochijs docuit, sæpius pedes iter faciens. Non enim fastum & quæstum putabat sacerdotale munus, sed opus & onus. Aegrotos & morientes uisitauit unxitq;. Audiuit confessiones, imposuit pœnitentiã confitẽtib. missificauit (egregiũ cognosce Romani pontificis legatum Malachiam) & pro illis orauit, reconciliauit dissidentes.

Incęstuosum quẽdam hominẽ militarẽ, retinentem secum fratris concubinam, grauiter reprehendit: Non licet tibi (inquiẽs) concubinam habere fratris tui.

Corcagiæ, quæ Hyberniæ ciuitas est, cum de constituẽdo episcopo clerus & populus dissentirent, illorum permissu aliquẽ constituit, non qui nobilitate generis esset clarus,

clarus, sed quem sciret sanctum & doctum.

Quendam clericum Lesmoriensem, qui præsentiam corporis Christi in Cœna negabat, frustra aliquoties priuatim admonitũ, in præsentia multorum clericorum disputãdo cõuicit & cõfudit. Cõuictũ publicè hortatur ad saniorẽ mentẽ. Cumq; nec sic proficeret, ipsum cum alijs anathematizat.

Orauit & pro inimicis. Nã cũ præfectus Benchorensis mente captus esset, & à sathana in ignem cõiectus eo die, cũ corã duce Vlydie ipsum traduxerat, uocatus eò orauit pro inimico, & restituta ipsi ratio est.

Stultè promisit ea quæ in sua potestate minimè habebat. Nam cum ex Hybernia pro redimendo pallio in Germaniam ad Eugeniũ iter facturus esset, duo eius familiariũ ipsum accedẽtes rogabant, ut ipsis promitteret quicquid petituri essent. Quod cũ fecisset, petunt ut incolumis in Hyberniã reuertatur. Annuit, quia promiserat.

Errores.

Mortuis uiuorum preces subuenire censuit. Nam Ardinachæ in cœmiterio S. Patricij defunctorum celebrauit memoriam.

In monachis cẽsuit benedici gentes. Nã cum Clareuallensibus de socijs reliquisset quatuor erudiẽdos, dixit: Erũt illi nobis in semen, & in semine isto benedicẽtur gẽtes.

Per extremam unctionem censuit remitti peccata, tanquam per sacramentum.

Certamina.

Vbi ad sedem archiepiscopalẽ uenisset, Nigellus, qui eã aliquandiu per uim possederat, fugã adornauit, & textũ Euangeliorum, qui dicitur fuisse B. Patricij, & baculũ auro tectum gemmisq; adornatum, quem Iesu uocant, secum abstulit. Hæc insignia passim ostendit, & hoc modo multorum sibi animos conciliauit, & à Malachia auertit.

Erat præterea princeps quidam in ea factione, quæ ita totis 200 annis episcopatũ ad se transtulerat, qui cum suis manipularibus consilia tractauit, quo pacto Malachiã morti traderet. Cumq; ui id perficere non posset, dolum meditatur: ideoq; Malachiã ad se accersiuit. Qui etsi uideret præsens periculum, & multi suorum colloquiũ dissuaderent: tamen magno animo, tribus suis discipulis comitatus, eum adijt. Sed nemo quicquam ipsi nocuit, quantumuis in medio armatorum militum uersaretur, ut quos antea hostes habebat, ab illo tempore subditos & deuotos haberet. Ab eo tempore illi decem deputati fuẽre uiri armati, qui ipsius die nocteque curam gererent, & aduersus omnem uim hostilem tuerentur.

Habuit alium etiam quendam aduersarium, adulatorem potentum, qui ipsi non tantùm coràm resistebat, sed etiam ubique detrahebat, idq; ubi homines conuenirent, frequentius factitabat. Sed tandem eius lingua intumuit, & computruit, uermibus ex ea scatentibus, & ita moritur.

Eodem modo, cum aliquando concionem haberet ad populum, mulier quædam ipsum hypocritam & inuasorem alterius ecclesiæ appellauit, nec non & caluiciẽ obiecit. Sed & illa protinus uersa in insaniam, animam exhalauit.

Aduersarium habuit eum, cui Benchorẽsis monasterij cesserant possessiones, unà cum filio. Cumque oratorium lapideum ibi extruere inciperet, sicut alibi ea extructa uiderat, filius apud uulgus isti operi detrahebat: postea coràm tanquam nouũ quiddam, istis locis inauditum damnauit, addens, inchoari quidem, sed non perficiendum. Ad hæc Malachias: Opus inchoatum uides & inuides, sine dubio perficietur. Tu uerò quia non uis, non uidebis: & quòd non uis, morieris. Eodem uerò anno ille mortuus est.

Mortuo filio, pater coram duce & maioribus Vlydie Malachiam accusauit, insimulans falsitatis & mendacij, simiam uocans.

Dona.

Miraculis eũ claruisse, S. Bernhardus in descriptione uitæ eius testatur, itemq; Tritemius in Chronico Hirsaugiensi: uisiones etiã aliquot habuisse, quę tamen si ad amussim uerbi Dei examinaueris, deprehendes fuisse imposturas satanæ, ad confirmandos tetros errores factas.

Curriculum.

Sæpe optauerat alterutrum, ut uel in Hybernia diem extremum clauderet, & sepeliretur apud S. Patricium, si domi maneret: uel si peregrinaretur, in Clareualle. Cũ igitur nescimus quibus de causis Romam iret, in Clareualle diuertit, ibiq; post quinq; dies febri correptus est. Adest dies mortis quem prædixerat, dies scilicet festus omnium defunctorum: utitur Eucharistia, inungitur oleo extremæ unctionis, & in frequentia abbatum, qui eò uenerant, & omnium reliquorũ monachorum Clareuallẽsium animam exhalat, anno Domini 1148, 4 nonas Nouembris, & sepelitur in oratorio beatæ Mariæ. Bernhardus in uita Malachiæ. Anton. tit. 17. cap. 2. Schedel. ætate 6. Continuator Sigeberti.

Miracula Malachiæ archiepiscopi Hyberniæ.

Nunc quędã eius miracula adiungemus, quæ procul dubio maxima ex parte à superstitiosis hominibus ei sunt afficta.

Cum Benchorense cœnobium reædificare

care inciperet, aliquis operariorũ securim quãto potuit impetu forte fortuna eius spinæ dorsi impegit, ut ad terrã corrueret: sed uix suprema cutis uisa est læsa.

Erat non procul à Benchor uir Malchus, cui manifestè diabolus adsistebat, & loquebatur, ut Malachiæ nequaquã crederet, sed etiam cultello occideret. Quod cũ cognouisset, oratione præmissa ægrotum accedit, & simul infirmitatem & dæmoniũ fugat.

Michaelem quẽdam clericũ bis sanauit, primùm à dysenteria, deinde ab alio quodam morbi genere.

Cum ad archiepiscopalem sedem ducẽdus esset, quidam Nigello autore uim intẽtare nitũtur, & multis sibi adiunctis socijs, subitò & Malachiam cum rege & episcopis omnes ad unum usq; trucidare conabãtur. Quod cum per indiciũ resciuit Malachias, intrauit templum, & orauit. Quamprimùm igitur tonitrua atq; fulgura illos dissiparũt. Tres eorũ fulmine percussi, altero die inuẽti sunt mortui, qui antesignani erant istius factionis: tres uerò alij adhuc semiuiui.

In quadam ciuitate grassabatur pestis, ut multi ex clero & populo inde fugerẽt. Ipso uerò orante, sæuitia pestis desijt.

Inter alia ridicula & hoc etiã ponit Bernhardus, quòd mira metamorphosi ex equo runcino, duriusque sessores concutiente, eo insessore factus est optimus & preciosissimus Palefridus, ut ille uocat. Deinde etiã immutatus est ei color ex nigro in album.

Iporiam ciuitatẽ Italiæ ingressus, hospitis sui filium moriturum cõtinuò sanauit.

Dauidis Scotiæ regis filiũ aspersa aqua benedicta sanauit, adijciens: Cõfide fili mi, non morieris hac uice. qui altero die pòst conualuit.

In uilla Crugeldo in reditu occurrit ei puella muta. Ipso orante, solutũ est uinculũ linguæ eius, & locuta est rectè. Eodem modo in uilla, quæ Ecclesia S. Michaelis dicitur, mulierem phrenesi correptam, & funibus uinctam curauit.

Non ille tantùm præsens, sed loca ab illo consecrata miracula edere dicuntur. Sic in cœmiterio Lapasperi, quod benedixerat, mulier mẽbris totis dissoluta, cum una nocte ibi permãsisset, sanitati restituitur, ita ut suis pedibus domũ iuerit, quæ plaustro antea aduecta erat.

Eodem modo mulieri, quæ ibi pernoctauerat, cõseruata est pudicitia. Nam cũ quispiam homo barbarus in illã irrueret stuprũ illaturus, exclamauit: Heus miser, quid agis? cõsidera ubi es, reuerere hęc sancta, defer Deo & seruo eius Malachiæ, parce tibi ipsi. Et protinus uisus est bufo exire, & inter fœmora mulierculę reptare. Quod uidẽs ille, ꝓtinus intactã reliquit, & aufugit.

In ciuitate Culratim mulier quædã dæmonium habebat. Illo orãte exit quidem, sed prope assistentem mulierculam inuadit iterum. At Malachias: Non ad hoc (inquit) tibi illam tuli, ut hãc perderes. Cumq; ita aliquandiu ipsum uexasset, tandem eijcit ab utraq;.

Cum quidã in regione Aquilonaris partis Hyberniæ maleficio diabolico infirmaretur, nocte quadam audiuit dicentes, alter ad alterum: Vide ne iste miser hypocritæ illius stramen stratum ue contingat. Quod cum ægrotus fecisset (nã paulo antè in ijsdem ædibus pernoctauerat Malachias) eiusq; lectum conscendisset, quamprimùm cœpit habere meliusculè.

Et in Lesmor ciuitate dęmonium eiecit. Cum Planginiam transiret, oblatus est ei infans, habens dæmonium, & sanauit. Ibidem phreneticam aqua benedicta curauit.

In Saballo regione Vlidiæ aliam dentib. propria membra dilaniantem, hominemq; furiosum, prædicentem futura, sanauit. In Lesmor puellæ mutę loquendi facultatem dedit, tangens digito linguam eius, & spiritum immittens ori eius. Eodem modo cũ aliquando templo exiret, mutã fœminam iussit recitare orationem Dominicã: quod fecit illa protinus.

In Oentrel ciuitate accedens quendam diuitem, qui linguæ officio priuatus fuerat diebus duodecim, eius iussu loquelam accepit, confitetur, sumit Eucharistiam, & animam exhalat.

Quidam nobilium de lectulo, in quo sedebat aliquando, tres iuncos furabatur, qui operati miraculosè dicuntur.

In Duenuania ciuitate, cũ poculũ, cui benedixisset, per maritũ præbuisset mulieri pręgnanti, quæ eniti non potuit, ut etiã in discrimine uitæ uersaretur, mox nocte sequenti parit.

Eodem modo in campo cũ comite Vlydiæ sedens, mulieri, quæ fœtum ultra naturæ legem iam 15 mensibus & 20 diebus gestasset, opitulatus est, ut protinus eodem in loco infantem páreret.

Homini cuidam militari incęstuoso minitatus est exitium, eius admonitioni reluctãti, & paulo pòst accidit quod minitatus erat Malachias. Nam cum thraso ille mulierem protinus ui opprimeret, id per indicium ancillæ fratres eius perceperunt, qui protinus impetu in illum facto, multis affectum uulneribus interficiunt.

Diarmitium comitem lecto decumbentem, alioquin hominem malum, deditum crapulę cũ primùm obiurgasset, aqua benedicta aspersum sanauit.

In

In urbe Gaselensi paralyticũ curauit adolescentem, & patri mandauit, ut Deo illum offerret. Quod cum non faceret, aliquot exactis annis eodem morbo correptus denuò est.

In finibus Mumoniæ puerum officio pedum destitutum, cũ iussisset eodem in loco dormire, ubi malè sanus surrexerat, curauit.

Claudo cuidã, qui annis 12 pedes emortuos post se traxerat, humi reptans, sanitatem restituit. Hydropicum ibidem oratione sanauit.

Corcagię episcopum, quem ille denominauerat, lecto decumbentem sanauit.

Mulieri cuidam nobili, fluxũ sanguinis patienti, ita grauiter, ut iamiam exhalatura uideretur, opitulatus est, tria illi poma mittens, super quæ nomen Domini inuocauerat, præcipiens ut illa gustaret.

In uicinia Benchorensis monasterij ad cuiusdam nobilis uiri cõiugem accersitus, ut oleo illam perungeret, siquidem animã ageret, placuit illi differre usq; in crastinũ. Interim mulier moritur. Quam ob causam cum animo consternaretur, quòd rem distulisset, illam à mortuis in uitam reuocauit. O' erroris efficaciam.

Oratione cuidam insulæ in Hybernia impetrauit piscium copiam atque capturam, quam olim habuerat, sed propter peccata amiserat.

Oratione regem ad tempus excæcauit, donec redderet eum quem contra datam fidem & transactionem Malachiæ coniecerat in carcerem.

Catholicum quendam laborantem morbo epileptico per annos 6 iuuit, impresso ei crucis signo.

In Anglia Gisisburni mulierem cancro morbo laborantem curauit, aspergens locum infectum aqua benedictionis.

Bernhardus refert, se cuiusdã pueri manum aridã applicuisse manui defuncti Malachiæ, & sanitati esse restitutam.

Visiones.

Monasterium in Sabballino situm & Bẽchorense, antequã fierẽt, prçostẽsa sunt illi.

Cum aliquando suo more deum suum Maosim coleret, uisa est colũba aduolare, atq; sacerdotem totum perfundere.

Nocte quadam orans in cœmiterio S. Patricij, uidit unum de altaribus ardere. Bernhardus in uita Malachiæ.

CHRISTIANVS.

Christianus frater Malachiæ germanus, ex Armachaniæ ecclesię archidiacono primus Cistercienſium in Hyberniã translatorũ fit abbas, secundũ Sigeberti Continuatorẽ: fratri defuncto succedit anno 1148. Fuit autem eidem non usqueadeò dissimilis uitę austeritate iusticiæq; zelo, quamuis non secundum scientiam. Bernhardus in uitã Malachiæ.

MALCHVS LESMORIENSIS.

MAlchus, natione Hybernus, ex monasterio Vintoniensi translatus est ad episcopatum Lesmoriensem.

Is non tantùm doctrina & uita, sed etiam miraculis claruit: quæ tamen si ad uerbi diuini normam conferas, deprehendes esse signa fallacia, pro confirmanda superstitione facta. Sic cũ aliquando puerum lunariũ oleo confirmationis perungeret, restitutus sanitati dicitur. Eodem modo surdo cuidã immittendo digitos in auriculam, auditum restituit.

Regem Mumoniæ, Cormarcũ nomine, à fratre regno pulsum suscepit honorificè. Apud Malachiã Armachanæ sedis successorem, in testamẽto Celsi denominatũ, instat & urget, ne refragaretur amplius, sed oblatũ munus acceptaret. Bernhardus in uitã Malachiæ.

NEEMIAS DVENVANIENSIS.

NEemias Duenuaniæ ciuitatis episcopus, unà cũ alijs quibusdã intercedit apud Malachiam præsentem pro cuiusdã uiri nobilis uxore, quę prægnãs párere nõ potuit, uitæ periculo imminente, ut illi opitularetur. Bernhardus in uita Malachiæ.

SCOTIAE episcopi.

GILLAS.

GIllas Aldanus, Cãdidę casæ episcopus, consecratus est à Thrustino Eboracensi. Polydorus Vergilius lib. 11.

TVRGOTVS.

Turgotus, qui & Tothardus dicitur, Dunelmẽsis monasterij secundus præpositus, decanus, & per diœcesin primarius, à literarum peritia, & quòd diligẽter suã obiuit munera, laudatur. Malcolmi Scotorum regis eiusq; coniugis Margaritæ longo tempore confessor fuit: à quibus ad extremum S. Andreæ summus antistes, & regni Scotici primas constitutus anno 1107, ab Vlfrico cardinale & Thoma Eboracensi archiepiscopo consecratur. Eius hortatu idem rex templum ad Domfermilem condidit, ut ibi reges sepelirentur. Scripsit lingua uernacula,

De Scotorum regibus,	lib. 1.
Chronicon Dunelmense,	lib. 1.
Annales sui temporis,	lib. 1.
Vitam Malcolmi regis.	lib. 1.
Vitam Margaritæ reginæ,	lib. 1.

Et

Et alia quædam. Dunelmum reuersus obijt anno 1115. Balæus Cent. 2. cap. 60.

DANIAE episcopi.

LVNDENSES.

ABSCHILLVS.

MOrtuo Ascero Lundensi, de successore cõstituendo non conuenit. Nã Scanienses Æschillum antecessoris consanguineum, Ericus rex Riconem Slesuicensem succedere uoluit. Verùm sua sponte Rico cessit, atq; hoc modo Æschillus sedẽ obtinuit, præsertim Erico aduersario interfecto, circiter annũ Salutis humanæ 1148. Apud hunc Nicolaus legatus pontificius pallium deposuit, quod illi cõferret, quem Suecones & Gothi consentientibus uotis elegissent archiepiscopum. Iohannes Magnus libro decimooctauo, capite 18 Gothicæ historiæ.

Superstitionum magister extitit. Nam cũ Stephano Vpsalensi in numerum diuorum transtulit Canutum Danorum ducem, circiter annum Domini 1164.

Magnis sumptibus Claram uallem petijt, non contentus quòd inde monachorũ examen accepisset, sed ipsius Bernhardi uidendi causa. Domũ rediturus rogauit, ut pani benediceret Bernhardus, quo diutius eum asseruare posset. Præterea Bernhardi mortui sepulchrum uisitauit, & in mortuo fiduciam posuit. libro 4. capite 4. Vitæ Bernhardi.

Militem egit. Interfuit enim Danorum agmini, prodeuntium in bellum contra Vandalos. Crantzius libro quinto, cap. 35 Vandaliæ.

Seditionem concitauit in Ericum regẽ, atq; Sialandiæ terminis eum pepulit. Saxo Grammaticus lib. 14.

ABSALON.

Absalon communi cleri suffragio adhuc iuuenis successor eligitur, circa annũ Christi 1170. Is non minus piratam se quàm pontificem gessit, existimans leue esse domi religionem tueri, si foris periclitaretur. Eamque ob causam domo episcopali diruta, soloque æquata, assiduè loca maritima incoluit, atque syluis & frondibus pro domo usus est. Hybernis temporibus mari coagulato se nauigijs cõmisit, ut hoc pacto excubias ageret pro solo patrio. Inter suos paci semper studuit.

Haraldo cuidam, quem Canutus bello Danico præfecerat, tum armis, tum consilijs, tum alijs medijs restitit, ut illum à Danorum ceruicibus auerteret. Iohannes Magnus libro decimonono, cap. 9 Gothicæ historiæ.

Pridie Palmarum omnium primò cum Sclauis manus conseruit, etiamsi uiribus longè esset inferior. Nam Sclaui nauibus uiginti quatuor numerosum agmen duxerant, cui ille cum paucis admodum militibus occurrit, & superior extitit, peditibus omnibus fermè interfectis, & multis ex equitibus etiam cæsis. Sic pontificatum sanguinis effusione & cædibus auspicatus est. Regem Vualdemarum non sine acerbitate uerborum hortatus est, ut bellum in Rugianos susceptum prosequeretur: cui & ipse interfuit, cædibus, incendijs, direptionibus plurimum damni dans hosti. Saxo Grammaticus.

RICO SIALANDIAE episcopus.

RIco Sialandiæ præses constituitur communibus cleri suffragijs circa annum 1142, siquidem Lundensi sede exciderat. Saxo Grammaticus lib. 14.

HELIAS RIPENSIS.

HElias Ripẽsis episcopus pacem fecit inter Zuenonem, Canutum, Vualdemarum, utq; regnum Daniæ inter se partirentur, perfecit. Helmoldus cap. 85 in Chronico Sclauorum. Crantzius in Vandalia sua lib. 4. cap. 29.

SIGVARDVS Bergensis.

SIguardus episcopus Bergensis in Angliã uenit, & conuentum monachorum cũ Ranulpho abbate Fontano secum deferendũ magnis precibus impetrauit, illisq; Lysam nouum monasterium inhabitandum donauit, anno 1145. Balæus Centuria 13. capite 68.

SVECIAE episcopi.

VPSALENSES.

HEINRICVS.

HEinricus à Nicolao Romani pontificis legato Lincopiæ ordinatus, Vpsalensi sedi præfectus est circiter annum 1148.

Fuit is Erico regi à cõsilijs, eidemq; suasit, bellum mouendum Finlãdis idololatris, pro dilatanda Christiana religione: cui militiæ & ipse interfuit. Quibus igitur cæsis atque humiliatis, Heinricus postea fidem Christi tradidit.

Præfuit annis circiter tribus, atq; postea martyr in Finlandia factus occubuit anno 1151. Ioannes Magnus libro 19 historiæ Gothicæ.

STEPHANVS.

Stephanus Heinrico successit, eũq; primum archiepiscopum uocat Ioannes Magnus. Natus fuit ex Ostrogothia, uir doctus & disertus.

Opera:

Opera.

Monachus fuerat ordinis S. Benedicti in monasterio Aluastrensi: sed inde à Carolo Gothorum rege euocatus, clauo episcopali gubernando præficitur.

Pacem omnibus colendam esse suasit. Regi autor fuit ædificandorum templorũ atq; monasteriorũ. Maximo conatu annisus est transigere inter Ericum Suecicum & Carolum Gothorum reges.

Mancipiũ antichristi Romani fuit. Nam ab Alexandro 3 accepit pallium, quo solis tantùm licet uti archiepiscopis: duplicem præterea crucẽ, auro & gemmis illustrem, cui lignum crucis Dominicę inclusum fuit: itemq; librum Euangeliorum, in signum, ipsum ad alias quoq; & exteras nationes constitutum esse legatum.

Noruegianis pacẽ à Valdamaro Daniæ rege impetrauit. Canutum regem Obotritorum, & Helenam Vestrogotham fœminam canonizauit, iussu papæ Alexandri tertij.

Præfuit annis 23, & collectus est ad patres suos anno Salutis humanę 1185. Sepultus est in Aluastrensi cœnobio, in quo monachum egerat. Ioan. Mag. Metrop.

IOHANNES II.

Iohannes eius nominis secundus, in locum demortui surrogatus, Antichristi mẽbrum fuit. Nam à Lucio 3 confirmationem & consecrationem accepit, itemq; pallium archiepiscopale. Canutum monuit diligenter sui officij, ut suis bene præesse studeret. Eidem autor fuit extruendorum monasteriorum, ut hoc modo cædem Caroli regis expiaret: quod ipsum haud obscurè arguit Antichristi membrum.

Præfuit tribus annis, & postea domi suæ à paganis Estonibus in Almersteck occisus est, anno Domini 1188, & sepultus est in Vpsalensi templo. Ioannes Magnus in Metropoli.

PETRVS.

Petrus eius nominis 3 succedit. Et is Antichristi membrum fuit, ut qui pallium archiepiscopale à Clemẽte 3 redemerit. Hortatus est Canutum regem, ipsi calcaria inijciente papa, ut unà cum alijs principibus in Saracenos arma sumeret, uel commeatu iuuaret. Ioan. Magnus in Metropoli, & Historiæ Gothicæ lib. 19. cap. 10.

Meminit itidem Ioannes Magnus cuiusdam epistolæ Celestini 3, ad hunc Petrum scriptæ: in qua papa consuetudinem coniugalem reginæ Sueciæ permittit, etiamsi graui affecta morbo perpetuam uouerit cõtinentiam.

Deniq; cum in Suerchonen Canuti successorem grandis concitaretur seditio, ipse uolens isti malo mederi, à seditiosis occiditur, anno 1197, cum annis 9 præfuisset. Sepultus est Vpsaliæ, publico totius patriæ mœrore. Metropolis Iohannis Magni.

OLAVS.

Olaus succedit cõfirmatus, & pallio insignitus ab Innocentio 3. Eius gubernatio cum in periculosissima tempora incideret, plus operæ in auertendis bellis, quàm animarum curæ impendit. Vnde nihil quicquam præter odium reportauit. Tandem mœrore animi extinguitur, anno Domini 1200, cum saltem triennio pręfuisset. Sepultus est Vpsaliæ. Metrop. Ioan. Mag. eiusdq; Historia Gothica lib. 19. cap. 11.

LIVONIAE Episcopi.

RIGENSES.

MEINARDVS.

Meinardus presbyter circiter annum 1158 cum mercatoribus Dunemundam, quæ hodie Riga dicitur, adductus est. Is fidem Christi primus in Liuonia prædicauit, multosq; eius loci incolas à gentilismo ad Christum traduxit, inter quos etiam ipsum Liuoniæ principem, nomine Cobbe, cum quo circiter annum 1170 Romam petijt, atq; ab Alexandro 3 eius loci episcopus ordinatur atq; confirmatur.

Persecutiones haud exiguas à circumiacẽtib. paganis, Lituanis, Esthijs & Osellianis sustinuit, ita quidem ut à Germanis auxiliũ implorare cogeretur. Fũccius in Chronologiæ Comment. lib. 10.

BERTOLDVS.

Mortuo Meinardo Bertoldus succedit, suffectus à quodã Bremensi episcopo, qui ut id faceret, exoratus erat à ciuibus, qui in Liuonia tum consederant.

Nouum hic Christo subijciendi populos genus inuenit. Nam apud Celestinum papam impetrarat omnibus peccatorum remissionem, quotquot armis atq; ferro Liuoniensium adiuturi essent subiectionẽ. Hoc artificio magnum in Saxonia collegit exercitum, mixtum ex Ecclesiasticis & politicis uiris. Sed quid fit? Cum utrinq; acies ad pugnam instructæ essent, sanguinarius episcopus in medios fertur hostes ab equo ferociore, quàm ut se regi pateretur, & ab hostibus cõfoditur. Crantzius libro septimo, capite 50 Saxoniæ. Anno Salutis humanæ 1204. Funccius in Commentariorum Chronologiæ libro decimo.

DE MONACHIS ASIATICI.

HIEROSOLYMITANI.

RADVLPHVS.

Radulphus, natione Gallus, nobili genere natus, ita ut septingẽtorũ militũ ductor & dominus esset, omnia quæ habuit deseruit, & leprosis quandam domũ Hierosolymis ante ciuitatem inhabitantibus inseruiuit. Gerardus à Nazareth capite undecimo.

ALBERICVS.

Albericus itidẽ Ierosolymis leprosis inseruiuit. Is ea quæ reliqua fecerant leprosi, comedit, singulos quotidie exacta Missa exosculatus est, pedes eorum lauit, tersit, strauit lectos, languentes humeris cubitũ portauit. Cũq; uni aliquando pedes lauisset, & aqua sanguine & sanie mixta ipsi nauseam moueret, protinus faciem immersit, & partem non exiguã (horribile dictu) exhausit. Cella ipsi magis carcer uoluntarius fuit, quàm in qua uiueret. Flagellis sese frequenter cæcidit, ita ut largus cruor distillaret. Preculas demurmurans uel humi stratus procubuit, uel in genua deuolutus, ita ut callos obducerent. Pane fuit cõtentus solo hordeaceo & aqua: cilicio asperrimo usus est, nudis incedens pedibus. Inæquali tonsura caput rasit & barbam, ut morionem crederes. Si qui seculares eum accedebant, aut mordaci dicacitate eos pupugit, aut superbè cõtempsit hypocrita. Gerardus à Nazareth cap. 11.

COSMAS.

Cosmas natione Vngarus, presbyter, in angusta quadam cella super muros Hierosolymitanos inclusus, demurmurandis preculis semper intentus fuit. Idem cap. 9.

IOHANNES.

Iohannes monachus Hierosolymitanus miræ fuit abstinentiæ, ita ut tribus in hebdomada diebus omnino nihil cibi caperet. Aliquãdiu desertum montis Nigri monasterium incoluit: sed penuria panis adductus, Ierosolymam inde reuersus est. Gerard. à Nazareth cap. 55.

MONTIS THABOR.

GAVFREDVS.

Gaufredus claruit circiter annum 1140 in monte Thabor, familiaris Eliæ abbati, qui Gerhardo à Nazareth eiusdem amicitiam conciliauit. In uita Eliæ.

Narrat Gerardus à Nazareth in libro de Conuersatione seruorum Dei, capite secundo, de quodam eremita montis Thabor, qui cum stimulos libidinis persentisceret, irritatus à quadam formosa iuuencula Saracenica, quæ latibula quæritans, ad eius speluncam uenerat, ingressus est uastum aliquod nemus, ut labore, fame atq; siti æstum libidinosum restingueret. Ibi quendam canitie grauem (ipsum diabolum fuisse rectè dices) apparuisse illi, atque ceruicem eius tam fortiter percussisse, ut carnis strumam euomeret, & postea cibum potumq; dedisse. Tandem hoc consilij ab eodem accepisse, ut quoties ardorem libidinis persentisceret, secundũ Heliam inuocaret, intercessorem apud Deum.

REINALDVS.

Reinaldus natione Galileus, monachus montis Thabor, quotannis in initio Quadragesimæ solitudinem ad Iordanis ripam ingressus est, sumens secum panes paucos & instrumentum effodiendis radicibus aptum, ibique ad maciem usque cum fame decertasse, donec Pascha adueniret. O' ineptum simiarum genus, ieiunium Christi sine mandato Dei & citra omnem necessitatem imitari præsumens. Gerardus à Nazareth cap. 5.

HENRICVS.

Henricus eremita in ualle sancti Nicolai prope Antiochiam in monte Nigro uixit, ubi tugurium sibi fabricatus est, ut ab hominum consortio quàm longissimè esset remotus. Nemini penitùs quicquam est locutus: sed nutibus tantùm quid uellet significauit homo stolidus. Nihil occisum edit, nec oua quidem: lacte tamen usus est recẽti. Caput illotum & inpexum fuit, pedes nudi, cruraque, sæpe etiam totum corpus. Idem cap. 37.

NAZARETHAE.

DOMINICVS.

Dominicus homo illiteratus & idiota in ecclesia Nazarethana, tam tetricam & austeram uixit uitam, ut penè omnibus suo tempore admirationi esset. De crastino die nunquam fuit solicitus, tam macilentus, ut ossa uix ossibus hæreret. Risit nunquam, tacuit semper, ita ut mutum existimares. Domus eius atrium ecclesiæ fuit, stratum nuda tellus, ceruical lapis, pedes nudi, caput & facies uelata continuò. Ei cum aliquãdo Gerhardus à Nazareth suum offerret studium, uelle se eum literarum elementa docere & quosdam Psalmos, respuit omnino, indicans, se Deo placere magis posse iustè uiuendo, quàm tempus perdere inutiliter, aliquid eius rei addiscendo. Tales sanctos hoc nimirum seculum produxit. Gerard. à Nazareth de Conuersatione quorundam seruorum Dei, cap. 6.

BERNHARDVS.

Bernhardus quispiam homo solitarius Nazarethæ, solitus fuit tantùm tribus in hebdo-

hebdomada diebus cibum capere, à uino & carnib. in uniuersum abstinens, tenuiter uestiri, manè & uesperi psalmos & preculas deblaterare, de die montes asperos & inuios perlustrare, ubi fortè latibulum suo cœpto aptum reperiret. Is aliquando (dictu mirabile) crines capitis atque barbæ ambussit, uestes abiecit in eremum, & occursum penitùs refugit humanum, instar canis rabidi, donec tandem post dies quindecim frigore & inedia compulsus, hominum quæreret domicilia. Gerardus à Nazareth, cap. 7.

MONTIS NIGRI.

BARTOLOMAEVS.

BArtolomæus quispiam præpostero religionis studio uxorem suam pudicam & formosam, & patriam deserens, Hierosolymam peregrinatus, ibi miles templi factus est. Is imitatus Albericum, leprosis ad Ierosolymam aquam ex lacunis magno labore adferre solitus est, inque omni necessitate quantum potuit ipsis præstò esse. Ieiunijs & uigilijs ad necem fermè sese excarnificauit. Tandem & illud uitæ genus locumque deserens, ad montem Antiochiæ, qui Niger dicitur, profectus, monasticum uitæ genus ibi suscepit, ubi etiam tandem mortuus est. Gerardus à Nazareth capite 12.

MACHANATH.

BERNHARDVS.

BErnhardus Blesensis, uir eloquens & zelo iusticiæ feruidus, uerùm non secundum scientiam, cum alijs quibusdam, inter quos nominatur Robertus de Ierosolymis, priorem sibi constituerunt apud Iubinum. Leges in quas iurauit, hæ sunt: Vt alienas diuitias suscipere strenuè recusarent. Si quis nobilium aliquot ipsis Bisantios offerret, ut tantùm tribus contenti, cæteros renuerent. In primis uerò hic Bernhardus suasor extitit, ut strictè inciperent, fore enim ut posteri remissius agerent. Gerardus à Nazareth capite 17. Cumque hæc inter illos non essent diuturna, omniaque prior, quæ offerebantur ad se, reciperet, ægrè hoc tulit Bernhardus, ita etiam ut non ad iurgia solùm deueniretur sæpenumero, sed etiam sibi non diutius ibi commorandum existimaret. Idem cap. 19.

Regem Hierosolymorum Balduinum à palàm insectatus est propter quædam uitia enormia: quod in eo multi laudarunt. Tandē cū alijs quibusdā absolutus à prioris obediētia, cōsensu Bernhardi Antiocheni patriarchæ monasterium Machanath, in eodem monte situm, ingreditur, & cuiusdam legati pontificij iussu ibi factus est prior. Idem capite decimonono.

Quotidie solitus est sese nodosa scutica flagellare, honorem scilicet proprio corpori habens. cap. 20.

Dæmonium conatus est eijcere homo stolidus, flagris immanissimè cædendo obsessum. capite uigesimo. Balduinum regem à Turcis captum uisitauit Cæsareæ, & coram tyranno Turcico totaque eius aula de fide Christiana disseruit. Quod cum rex Turcicus ægerrimè ferret, dixit porrò: Etiamsi eam lanceam cordi meo infigeres, nihilominus tibi ueritatem dicturus essem. Ibidem.

Ad extremum, cum aliquando in genua prouolutus oraret, animam exhalauit. capite uigesimo.

PORPHYRIVS.

Porphyrius Bernhardo in monasterio Machanat successit. Is facie exili fuit, uoce submissa: nudo capite & pedibus, & his quidem non lotis, sed subinde sordidis incessit. Tunica usus est cilicina, & cucullo cādido sine manticis. cap. 21.

GVILHELMVS.

Guilhelmus nobili ortus stemmate, & miles, monachus Machanath factus est: qui cæteris metentibus segetes, ex lacte coagulato caseos premere tentauit, imitaturus bubulcam: sed omnino frustra, ita ut oleum & operam perderet: unde Caseatori ipsi nomen inditum est. cap. 25.

HVGO.

Hugo transalpinus, qui militiæ gratia terram Sanctam, mari traiecto, accesserat, sub Balduino primo primùm Iubini, deinde in Machanat factus est monachus. Is graui morbo correptus, monachis carnes offerentibus, neque iusculum neque carnes gustare uoluit. In continua inuocatione D. Virginis ad extremum animam exhalauit. Cum funus ei fieret, omnes qui aduenerant, illusione diabolica mirè suauem olfecerunt odorem, ex quo nonnulli sese recreatos dicerent. cap. 26.

GVALTERVS.

Gualterus monachus Machanath, patiens inediæ, uigiliarum & frigoris fuit, nudis incedens pedibus, in asperrimo dormiens cilicio. Pulmentis & uino rarissimè usus est. Nōnūquā diem sine cibo, & noctem sine somno duxit. Dormiens solitus est Psalmos deblaterare. Flagellando seipsum & flectendo genua, peccata uoluit expiare. Idem cap. 28.

HVGO.

Hugo prior Machanath tribus diebus in hebdomada toto tempore Quadragesimæ penitùs à cibo abstinuit. capite trigesimo quinto.

IVBINENSES.

VRSVS.

VRsus illusione quadam diabolica persuasus, Iubini monasterij monachus factus, ita asiduo labore manus attriuerat, ut aliud nihil agere ualeret. Sacco indutus fuit uilissimo. Nonnunquam sacristæ, interdum pistoris officio functus est. Sermone fuit modico contentus, & cibo perexiguo. Vt illud uitæ genus susciperet, hac factum est occasione: Cum aliquando uarijs exerceretur cogitationibus, montis Nigri loca asperiora & remotiora accessit, seque ipsum flagris cædens, continuè exclamauit: Domine Deus, inspira & ostende mihi uiá in qua ambulem, ubi & qualiter tibi magis placeat ut uiuam: Domina mea sancta Maria consule mihi. Atq; tunc ipsi dictum fuit, ut Iubinū accederet monasterium: in quo postea proposito confirmatus est à Bernhardo Blesensi, ita ut nunquam se inde discessurum uoueret. cap. 22.

VALERIVS.

Valerius Burgundus miles, ex patria peregrinatus Ierosolymam est: relicta paulo pòst Ierosolyma, Iubinum migrat, seseq; uitæ monasticæ ibi mancipat. Cumq; nondum satis pro acquirenda animę suæ salute hoc uideretur, locum asperrimum, & inde longissimè remotum elegit, ubi annis 12 eremitam egit. Bis terúe ad eum presbyter è Iubino uenit, Missam celebrans, & sacramētum Cœnæ Domini illi distribuens. Ad extremum, cum aliquandiu à duobus Armenijs pastoribus malè esset multatus, qui aurum se apud ipsum inuenturos suspicabantur, Iubinum reuertitur, & post menses duos uel tres animam exhalat. Idem de Conuersatione seruorum Dei, cap. 34.

CARRARIAE.

SIGERIVS.

SIgerius abbas Carrariæ fuit. Gerard. à Nazar. cap. 14.

IOHANNES.

Iohānes monachus Carrariæ, patria Lucēsis, narrare solitus est, quo pacto solus inter densas arbores mōtis Thabor ad aquæ riuulum sederit, & ex improuiso hominem nudum, ueteri panno obsitum, macilentū, & solis æstu fuscatum conspexerit. Quem cum multis precibus & obsecrationibus ad colloquium inuitasset, tandem percontatus est, quis & cuias esset? Respondit ille, Christianum se esse, & horrida incolere nemora, ab eo tempore quo Latini cepissent Antiochiam, conspectumq; hominum fugere. Cumq; percepisset, adhuc eam in Latinorum esse potestate, eleuatis manibus in cœlum, Deo gratias egit, oblatam uestem & panem detrectauit, seq; ad sua latibula iterum recepit. Idem cap. 39.

RADVLPHVS.

Radulphus laicus peregrinatus fuerat Ierosolymam. Domum uerò rediturus à piratis captus, omnibus rebus spoliatus est. Reuersus itaq; ad terram Sanctam, factus est opilio. Pascens greges secum oraturus, quod subinde solitus est facere, semper erexit crucem ligneam, eamq; aspexit. Deserens postea pedum pastorale, monasterio Carrariensi se mancipauit: inde iterum aufugiens, desertū repetijt. Omnibus is diebus ieiunauit, exceptis Dominicis & festis: ter pane & aqua in hebdomada fuit contentus. Oua & lac nunquam, pisces rarò edit. Nudus fuit pedes: ut nunquam febribus careret, à Deo postulauerat, quod & impetrauit. Bernhardo Blesensi admodū extitit charus & familiaris, qui eius consilio interdum usus est, eo quòd fatidicus propheta haberetur. Tandem Imperatore Constantinopolitano obsidente Antiochiam, discesit Tripolim, ubi uitam finiuit anno 1142, recitando hunc uersiculum: Benedictus Dominus Deus Israel, qui uisitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Ad eius sepulchrum postea multis donata sanitas dicitur. Gerhardus à Nazareth cap. 36 & 37.

PALMARIAE.

ELIAS.

ELias Grammatices pręceptor in Gallia Narbonensi, isti muneri abdicauit, & quorundam suorum familiarium cōsilio Hierosolymam petijt sub Fulcone rege, utibi loca natiuitatis, passionis & resurrectionis Domini lustraret. In itinere ad quoddam eremitarum monasterium diuertens, presbyteri ordinem ibi suscepit. Ea uerò quum uidisset loca, quorum causa uenerat, sese in uasta quadam spelunca prope Ierosolymam unà cum suis abdidit. Vbi cum aliquandiu delituisset, monachorum qui uallem Iosaphat incolebant, continuis precibus, & hortatu patriarchæ Ierosolymitani uictus, istorum se congregationi adiunxit.

Isthinc iterū auocatus, abbas constitutus est cuiusdam monasterij, quod Palmaria dicitur, nō procul à Tiberiade, & ab archiepiscopo Nazareno ordinatus est. Inde rursus exemptus à Fulconis regis coniuge, Ierosolymam petit: ubi cum annos paucos delituisset, ad priorem sedem hortatu Nazareni archiepiscopi reuertitur.

Ab eo tempore quo primum factus est eremita, carne, uino, ouis & caseo penitùs abstinuit. Quotidie, exceptis Dominicis & festis diebus, ieiunauit. Legumina semicruda sine pane cū gaudio sumpsit. Piscib. uerò usus est. Vestitus sordidus, pediculis affluens.

fluens. Lectioni asiduè intentus fuit. Inter suos se neque abbatem, neque priorem, præsertim cum in spelunca prope Ierosolymam latêret, nominari passus est. In scripturarum locis, quæ aliquid obscuritatis habere uidebantur, suorum discipulorum studiosè inquisiuit sententias.

Sine omni necesitate se periculis obijcere uoluit, nisi à suis fuisset dehortatus. Nam in Gallijs adhuc degens, Hispaniam ingredi statuit, ut Saracenis ibidem fidem Christianam prædicaret. Eodem modo suis autor fuit, ut secum Ascalonem iter facerent, & sese captiuos statuerent, ut totidem numero Christianos captiuitate liberarent. Sed quia sociorum consilijs facilè acquieuit, apparet hoc omnino fictum simulatumque in ipso fuisse. Pecuniam oblatam respuit. Seipsum solitus est flagellare, ut profusis lachrymis diu lugeret, si quando hallucinaretur etiam in re uilissima. Vigilijs nocturnis tantopere sese afflixit, ut ad mensam sedens obdormisceret sæpe, & panis buccella ori ingesta rursus excideret. Habitum & mores monachorum Cisterciensium unicè adamauit, ita ut suorum unum mitteret Hierosolyma in Gallias, pro adducendo eius ordinis monacho, ex quo omnia quæ ad eam sectam pertinerent, addiscere posset. Eamque etiam ob causam suis in Tiberiadis cœnobio monachis hortator fuit, ut tali cucullo uterentur. Quod cum illis persuadere non posset (est enim locus ille alioquin ad Iordanem supra modum calidus, ut eiusmodi habitum detrectarent) illos deserere animum induxit: utque eo onere subleuaretur, Ierosolymitanum patriarcham & Nazarenum archiepiscopum precibus fatigauit. De ambitione solitus est dicere, omnia uitia diuino auxilio superari posse, unicum hoc illis sese insinuare, qui sanctius præ alijs uiuere studerent, & ita quidem ut uix deprehendi posit. Egenis liberaliter dedit, ita ut sinistra manus nesciret quid faceret dextra. Ad extremum anno 1140, præsentibus quibusdam de Ierosolymis monachis, transijt ad maiores suos, qui etiam illi funus fecerunt. Cæterùm quamuis rigidisimè uitam egit, continuam tamen in corde dubitationem circumtulit, hæc secum subinde meditans: Terribilis Deus in consilijs super filios hominum. Item: Nescit homo an amore uel odio dignus sit. Gerhardus à Nazareth in uita eius.

GERHARDVS TEMplarius.

Gerhardus Ridefordiensis, Templariorū magister, ad Ptolemaidem interfectus est, anno 1190. Chronicon Flandriæ lib. 6.

CYRILLVS CARMELItanus.

Cyrillus natione Græcus, carmelita, regi Armeniæ persuasit, ut sese Romano pontifici subijceret: quod fecit ille anno 1181. Cumq; decem annos in Armenia regnum Antichristi locupletasset sua prædicatione, reuersus est ad locum pristinum, ubi prodigiosum quid inter missandum ipsi accidisse nugatur: de quo Balęus hosce scribit uersiculos ex Mantuano lib. 5 Fastorū, Cent. 2. cap. 94 in Append.

Cyrillus diuinus homo cum sacra litaret
Manè sub auroram, sacra uestitus abolla,
(Res miranda) puer fulgenti splendidus ore
Adstitit ante uirum, liquidis suspensus in auris,
Argentumq; docens annorum fata sequentum
Protulit, & manibus pronis dimisit in aram,
Adijciens: Deus ista tibi secreta reuelat,
Sancte pater, tu fac populis ea nota Latinis.
Continuò mutans Romanis Attica uerbis
Nomina, ad abbatem Siculum transmisit, & ille
Confestim in Latium, scholijs ad singula iunctis,
Quæ superant, & habentur adhuc, paßimq; legūtur.

MONACHI Italiæ.

CASINENSES.

OTTHO.

Ottho 39 abbas, ex Fundanorum consulum genere natus, atque ab ineunte ętate monasticæ uitę mancipatus est sub Desiderio. Is cum aliquandiu uitam egisset monasticam, præpositus monasterij Nicolai in Pica constituitur: at defuncto Oderisio, à senioribus quibusdam Casinensis abbas eligitur & constituitur in præsentia legatorum principis Richardi, circa annū Domini 1108. Chronicon Casinense libro 4. capite 27.

Huius cœnobij possesiones, quantū potuit, studuit amplificare & conseruare: ut ex cap. 28 constat.

Cum Alexio Comneno Imperatore Orientali amicitiam coluit, cui per legatos, qui S. Benedicto purpureum obtulerat pallium, omne suum studium obtulit. cap. 29.

Eadē illi mensura monachi metiti sunt, qua ille Oderisio antecessori mensus fuerat. Nā sæpe de illo fuerat conquestus, quasi non satis daret ad corporis sustentationem: idem & illi accidit à nonnullis. Cúq; illis morem nō gereret, præcipiens ut primùm regnum Dei quærant, ad Paschalē à ipsum accusant, quasi non omnium cōsensu electus esset, sed per uim intrusus. Quod cum resciuit, illos monasterio eijcit. Hi igitur ad papam cōfugientes, animū eius magis aduersus abbatem irritant.

Nonnulli uerò ubi percepissent, papam abbati succensere, quantum possunt ipsi molestiarum creant, & inter reliquos, comites Aquinenses. Vt uerò sese tueretur, singuli monasterij castella uallis fossisq; cinxit, rusticos ex agris uocans, ut hoc modo omnem uim depelleret. cap. 31. Turrim S. Benedicti cum contigua habitatione in honorem Saluatoris & B. Virginis consecrare constituit: sed morte præuentus, opus reliquit imperfectum. Præfuit anno uno, mensibus 10. Ibidem cap. 32 & 36.

GIRARDVS.

Brunone ad Signinũ episcopatum, ut suprà indicauimus, relegato, de successore inter cucullatos non conuenit. Nam ad Peregrinum quẽdam Ligurem, hominem uafrum & astutum, Bruno rei summam deferre nitebatur. Sed cum reliqui monachi nullo modo consentire uellent, ui conatus est illum obtrudere, conductis militibus, qui in monachos ad colendum Maosim euntes impetum fecerunt, postulantes sibi indicari eos qui abbati restitissent: tandẽ pertinaces monasterio exturbãt. At Bruno multorum malorum longam texi telam facilè animaduertens, deposito baculo pastorali in altare, loco cessit, ipsis liberam permittens electionem. Proinde Girardus decanus, de Marsorum comitum stirpe oriundus, à reliquo conuentu abbas creatur: quem Paschalis ad se uocatum consecrat, eique priuilegium de omnimoda monasterij libertate concedit. Chron. Cas. lib. 4. capite 44. 45 & 47.

Prolixè & liberaliter sexcentos uiros, Roma à pontifice missos ad Alexium Comnenum, excepit, adiungens illis quoque suos legatos, qui Imperatori sua studia & preces deferrent. Eo igitur modo sese amicitiæ eiusdem Imperatoris insinuauit, qui octo libras solidorum, & pallium triaconthasimon Benedicto obtulit, flagitans, ut ubi Romã ad coronationem sui pergeret, ipsi abbas Dirachij ueniret obuiam, atque deduceret. cap. 49.

Interfuit unà cum pontifice circiter annum 1113 Beneuenti in synodo, ubi de trãslatione quarundam ecclesiarum, contra Benedictum Terrę maioris abbatem per Capuanum conquestus est.

Cyperani in synodo pontificis iussu inter archiepiscopum Corsentinum & Rogerium Siciliæ comitem tulit sententiã, quòd Consentinus quereretur, se inuitum a comite inclusum esse monasterio. Tum abbas: Quoniam Deus auersatur coacta seruitia: ideoq; se liberum ipsi facere potestatẽ, uel retinendi uel deserendi monasticen. nihilominus tamen præcepit, ut monasticũ uestitũ, quo indutus erat, protinus ad pontificis pedes deponeret. Ibidem cap. 51. li. 4.

Reliquorũ suorũ monachorũ calamitates ægrè tulit. Nam cum nonnulli Sardinia profecti, à piratis in mari essent capti, & in Africam deportati, pro eorum redemptione pecuniam misit. cap. 52.

Armis sese tutatus est. Nam anno 1116, cum castellum quod Suum dicitur, eiusdem incolæ abbati reddidissent, molestè id tulit Richardi Aquilani relicta uidua, & per proditionem turrim, cui Admare nomen est, cepit, ac Lauranam aliaque Casinensi monasterio subtraxit, atque quantum potuit damni dedit. Ea res Girardum extimulauit, ita quidem ut collecto exercitu Susannan terram ferro atque igne longè lateq; uastaret. lib. 4. cap. 56. Hoc est cucullatum esse. Eodem modo homines S. Germani armis domat, nocte intempesta montem isti ciuitati imminentem occupans, atq; iuramentum fidelitatis extorquens. Arcem uerò aliquandiu desolatã restaurauit, ut hoc modo illos in officio retineret. cap. 58. Alia etiam similiter castra, ut Pontis curui, Cardetũ, Vitecusium, Suiũ, muris turribusque muniuit. Ibidem. Hectoris, Pandulfi, Gisulfi ditiones ferro atque igne longè lateq; uastauit, quòd Cominum castellum monasterij deditione cepissent, terrasque contiguas diuexarent. capite 59. Contra Pandulfum & Odaldum armatum exercitum duxit, anno 1122, eorũq; terras igne & ferro depopulatus est. capite 77.

Idolorum cultor extitit. Brachium enim S. Matthęi apostoli Beneuento ad suos mochos Casinũ misit, ut ibi recõderetur, anno 1122. illis qui suffurati erãt, ꝓposito præmio, ut quoties uenirẽt ad confessionem, absq; precio susciperentur. lib. 4. cap. 75.

Defunctorũ animabus existimauit uiuẽtium demurmurationes prodesse. Nam eo ipso anno quo paulo pòst mortuus est, anniuersario die abbatis Oderisij de nocte in capella S. Sebastiani pro eo officiũ defunctorum recinit. Dum sacra autem hæc peragit, Oderisiũ uidere uisus est, innuentẽ sibi, ut ad se ueniat. Hoc imminentis mortis prȩsagiũ esse animaduertẽs, ꝓtinus acerbissimè flet, reliquisq; monachis pcõctantib. quid causæ esset? respondit, ꝓtinus sibi esse moriendũ, ut ex Oderisio perceperat. Nec fefellit ipsum opinio. Nam morbo correptus nõ multo pòst, 16 calend. Februarij, anno 1122 colligitur ad patres suos, cum annis 11, & mensibus præfuisset tribus. Sepultus est in fratrum capitulo ad caput abbatis Desiderij. Libro 4. capite 79. Chronicon Casinense.

ODERISIVS II.

Oderisius abbas 42 ordine, ex Sangorũ comitum stirpe oriundus, à monachis Casinensibus, primùm quidem dissidentibus, tandem uerò consentientibus suffragijs in locum defuncti eligitur, & à Calixto 2 confirmatur, anno 1122, mense Martio. Eum Oderisius, de quo superiori seculo, susceperat, liberalibusq; disciplinis imbuerat. Gerhardus postea ipsum præpositum creauit, cum singularis esset prudentiæ, quo etiam in consilijs usus est, præsertim quo pacto rebelles S. Germani ad obedientiã & fidẽ adigeret. Paschalis uerò pontifex diaconũ in Lateranensi ecclesia constituit.

Cum consecrandi sui causa Romam iuisset, forte fortuna ibi in synodũ incidit, in qua graué episcopi aduersus monachos instituebant querelam, quòd illud hominũ genus, cum mundum relinquere simularet, omnia nihilominus quæ mundus haberet, ad sese insatiabili cupiditate raperet. Ad quæ ipse per quendam monachum respondit, Non ita meritos esse Casinenses de Romana sede, ut suis bonis exui debeant, quæ regum & principum liberalitate accepissent, ut curis uacui eo ardentius pro totius mundi salute die nocteq; orarẽt. Chronicon Casinense libro quarto, capite 58, & 80.

Sermones aliquot composuisse dicitur de festis. lib. 4. cap. 90.

Opera eius.

Exercitum conscripsit, & duxit contra homines S. Angeli & S. Victoris, qui aduersus illum rebellionẽ fecerant, atq; omnia eorum ferro ac igne quantũ potuit depopulatur. cap. 81. Et Ricardũ Piceni castelli dominũ, iussu pontificis Calixti 2, propter nefariã proditionem Leonis consulis Fundani atq; filij, itemq; quòd unum ex Casinensibus equitibus captum iniurijs affecerat, oppugnat. Proinde Octauiano Leonis fratre adiutus, Piceno uicina quæq; depopulatur, & incredibili crudelitate uastat toto fermè anno. Cumq; castello Ricardus aufugisset, idq; abbas per indiciũ accepisset, ingenti conducto exercitu castrum adoritur, & deditione capit: & paulo pòst etiam multo labore, anno Domini 1123, atq; papæ confirmatione deinceps obtinet tanquam proprium. Opposuit etiam sese magna ui Ricardo Calerti domino, & principi Capuano, qui hanc iniuriam Piceno illatam uindicare nitebantur. lib. 4. cap. 84.

Inter armorum strepitum, qualemcunq; & monasticarũ superstitionum rationem, easq; pro uirili propagandi studium habuit. Nam ex suo cœtu tres in Dalmatiam misit, petente id Sauino nobili, ut monastici ordinis regulam ibi homines docerent. Quos ille libris alijsq; rebus necessarijs instruxit. Casinense præterea templum æreis portis ornauit. cap. 82.

Romanæ ecclesiæ capiti, Honorio 2, proteruè reluctari ausus fuit. Nam papa, postquam statim ab electione in aliquas incidisset difficultates, ab Oderisio pecuniæ subsidium sibi mitti postulat: id si faciat, se illũ filij: sin minus, priuigni loco habiturum, interminatur. Ea res inflato tumidoq; abbati non parum bilem mouet: seq; qui ad ferendum auxiliũ inuitetur, electioni etiam interesse debuisse, atq; in filiorum numerum numerari, quem iam uelit esse tribulatiõis participem, respondet. Et cum de ipso dixisset ad fratres papa, se nescire cuius esset filius, quamuis literis à capite usque ad pedes plenus esset, perpetuò abbatem habuit aduersarium. cap. 85.

Maioribus affluxit opibus quàm Apostoli, qui se aurum & argentum non habere dicunt. Nam Leoni Fundano consuli & filio, ex captiuitate solutis, magnã pecuniæ uim mutuò dedit, hac ratione paciscẽs, ut intra annum restitueret uel pecuniam, uel pannos sericos ad usum monachorum. Et omnes præterea cellas, quas in ipsius ditione haberent Casinenses, dimitteret liberas, atque annuatim prandiũ uentribus Casinensib. sese daturũ sua spõte reciperet. li. 4. c. 86.

Calamitates.

Comites Aquinenses ipsum apud papã Honorium 2, quem alioquin minus habebat propitium, accusarũt, quasi Apostolicæ sedis inimicum, & qui res monasterij prodigaliter decoqueret.

Ricardus etiam Calenus iniuriam sibi ab ipso illatam ultus est, aliquot monasterij castella capiens, diripiens, omniaq; ferro atq; flamma uastans. lib. 4. cap. 87.

Honorius itaq; cum, ubi Casinum uenisset, in magna laicorum frequentia increpat ut militem, non abbatem, & ut monasterij bonorũ decoctorem. Ibidem cap. 88. Ad extremũ & Adenulfus comes uehemẽti in abbatẽ accensus odio, per literas cũ papa agit de alio eius loco cõstituẽdo, Gregorio nimirũ Terracinensi episcopo, Casinensi monacho. Ideoq; Romã euocatur abbas, ut ad obiecta crimina respõdeat. Ille se eò uenturum negat, nisi prius papa suam ipsi restituat gratiam. Ideoq; cum ter euocatus cõparere recusaret, tandẽ ut contumax & superbus damnatur ac deponitur. Cũ uerò ne sic quidem loco cederet, sed die Palmarũ suo more nihilominus faceret quę consueuerat, proximo Paschatis festo pòst excõmunicatur, & omnes unà q ipsi obedirẽt. Oderisius cõscripto exercitu sese defẽdere

nititur: sed cum ciues eius causa nullũ excõmunicationis fulmẽ perferre uellent, ui reliquos monachos cogũt, in eius locũ, qui iã profugerat, & armis rẽ tẽtare nitebatur, aliũ eligẽdi & cõstituẽdi. Sic igitur ille, qui uerius militis quàm abbatis nomen obtinet, sede depositus est, cum annis 3, mensibus 4, diebus 15 præfuisset. Chronicô Casinense lib. 4 cap. 90.

Remotus insanire nequaquam desinit. Nã cũ de electione successoris cognouisset, Bantrã arcem capit, & quicquid demũ illi faueret, solotenus demolitus est. cap. 91.

Tandem cum se frustra papæ contrà niti uideret, Romam contendit, abbatiam põtifici resignat, & Bantram arcem restituit Casinensibus, prouolutus ad pedes eius. libro 4. cap. 94.

NICOLAVS.

Nicolaus, natiõe Thusculanus, succedit. Eum Girardus rectorẽ apud Suũ constituerat, Oderisius secundus decanũ Casinẽsem: cui functioni cũ fermè mense uno præfuisset, abbas eligitur. Quod cũ nonnullos, prę sertim seniores, malè haberet, clàm ad Honoriũ 2 pontificẽ datis literis querũtur, nõ canonicã, sed seditiosam esse eã electionẽ. Proinde Gregoriũ cardinalẽ tituli Apostolorũ Casinũ mittit, ut Senioretũ, Capuani monasterij præpositũ, eligerẽt, quod tũ honorificũ isti monasterio, tũ etiã utile futurũ esset. Monachi, qui nemini sese subiectos esse dicerent, indignũ arbitrabantur, cardinalẽ audire leges præscribentẽ. Sed uicit tandẽ sua importunitate cardinalis, ut se aliũ electuros esse dicerent tẽpore idoneo. lib. 4. cap. 91. Cæterùm Nicolaus pleraq; uasa aurea, argẽtea, & quicquid tãdẽ preciosum habebãt Casinẽses, in Robertũ quendã, Iordanis principis filiũ, profusè distribuit, ut eius auxilio castrũ Suũ recuperaret. Verùm laterẽ lauit, & nihil præterquã suorũ monachorũ odia grauissima cõsecutus est. ca. 92.

Pręfuit uno anno, mense uno, diebus 16, & tanquã inutilis prorsusq; ineptus exauthoratur à papa. Rediens ad monasteriũ, ianua à nõnullis, qui eũ extremè oderant, illi præcluditur, nec ingredi ipsi cõceditur. Exclusus hoc modo, ægerrimè id fert: ideoq; auxilio Godfridi Aquilani principis quædã monasterij occupat, & uicinis locis multum damni dat. lib. 4. cap. 95 & 96.

SENIORETVS.

Senioretus, qui sub Oderisio 1 puer ingressus fuerat monasterium, primò præpositus monasterij S. Mariæ in luco, deinde S. Nicolai in Pica extitit. Casinensis decanus etiam fuit tribus annis. Tãdem Capuæ præpositus constituitur. At cum regulæ monasticę diligẽs & accuratus esset obseruator, prudẽs & strenuus, ab Honorio 2 alijs multis præfertur, & Capua eius iussu Casinum accersitur, ut electioni noui abbatis interesset. Verùm in itinere à Godfrido Aquilano captus, custodiæ mãcipatur. Nihilominus tamen à Matthæo Albanense episcopo & reliquo monachorum cœtu eligitur absens abbas 44, 4 idus Iulij, circiter annũ 1127. E uinculis liberatus consecratur Casini à papa, quod antea nũquã fuerat factum. Papa etiam iuramentum fidei etsi uehementer ab illo exquireret: tamen reliquis dicentibus, nunquã id fuisse factum antea, neq; id necesse esse, cum præsertim soli Casinẽses semper Romanæ sedi obedientiam præstitissent, acquieuit. lib. 4. cap. 97.

Quidã ex monachis ægrè tulerũt ipsum sibi præfici, propter immodicã austeritatẽ, quam præ se tulerat decanus: sed eã ipsam ob causam pontifex omnino hunc euexit, ut monasticũ rigorẽ, qui tum penè interciderat, restitueret in integrum. cap. 96.

Opera gubernationis.

In cathedram Benedicti honorificè locatus, in id totus incubuit, ut mores monachorum emendaret, uẽtres eorum amplos exaturaret: nam de reditibus augendis sollicitus erat, utq; amissa recuperaret. l. 4. ca. 96.

Idololatra fuit In calamitate enim conuersus est ad deos alienos, quorũ opẽ implorauit. Cũ grauis à cancellario Lotharij Casinẽsi monasterio imminere tempestas uideretur, ibi cũ reliquis S. Benedictũ inuocat, ut ille ipsorum susciperet patrocinium. Nec non ingens auxilij pondus statuit in incertis mortuorum reliquijs, quas cũ alijs circumgestando ueneratus est.

Et hypocrita. Nam confessus est in capitulo monachorũ, se regulã patris Benedicti non seruasse strictè, tanquã enorme peccatũ, quod horribilem pœnam promereatur. Promulgauitq; legem, unà cum alijs, cũ ob Guarini tumultum non præstitissent silentiũ, ut diebus tribus tria Psalteria post completorium in ecclesia psallerent. Et ipse abbas suos monachos ab omni sententia excommunicationis, si quã incurrissent, absoluit, indulgẽtiãq; concessit. lib. 4. ca. 100.

Calamitates eius.

Eum Guarinus cancellarius Lotharij Capuam euocauit, ut per insidias caperet, & Casinense monasterium in Imperatoris potestatem redigeret Sed morbum insimulans, tum non uenit. Postea priuatim cũ eo ueniens in colloquium, nec ullo pacto se permoueri sineret, licet omni humano præsidio destitueretur, ut monasteriũ in potestatẽ Imperatoris traderet, conuicijs afficitur à cancellario, tanquam perfidus & fallax. lib. 4. cap. 100.

Curriculum.

Præfuit turbulentis temporibus annis 9, diebus 19. Et cum triduo antè pacem à Lothario impetrasset, collectus est ad suum populum, sepultusq́; ad dexteram introeũtibus in cœmiterium, iuxta gradus ubi 4 discipuli S. Benedicti requiescunt, anno 1136.

REINALDVS.

Senioreto defuncto, non conuenit inter monachos de successore constituendo. Quidam enim Reinaldum Calamentanũ; quidam uerò Reinaldum Etruriensem substitui contendebant. Vicit tandem ea pars, quę Calamentanũ denominauerat, ipsumque acceptum in sede Benedicti collocant: quam electionem postea ratam habet Imperator, qui Rauennæ tum temporis substitit. lib. 4. cap. 105.

Opera gubernationis.

Militem potius, quàm ociosorum monachorum abbatem egit. Monasterium enim Casinense dedere noluit Heinrico Lotharij genero & papæ Innocentio 2, hortatus reliquos, ut in fide Rogerij permaneant, & Petro Leonis filio pareant. Cumq́; aduersariorum uiribus impar esset, euocauit Gregorium Adenulfi filiũ clàm cum exercitu, ut Casinense monasterium contra papã & ducem defenderet. Sata monasterio uicina incidit, omniaq́; cum suo confœderatore Gregorio depopulatus est, ne quid ad uictũ hostiũ & iumentorũ superesset, qui ad monasterium castra locarant. Sed tandem cum duce in gratiam redijt. Chron. Cas. lib. 4. cap. 106.

Papæ sese opposuit, & iuramentũ obedientiæ illi præstare detrectauit omnino: qua de causa Romanus põtifex omnibus Casinensi monasterio subiectis autoritate Apostolica mandat, ne quid reuerentiæ uel obsequij abbati ac reliquis fratrib. exhiberẽt. Ibidem cap. 9.

Certamina.

Certamen illi fuit cum papa Innocẽtio 2, quòd Petro Leonis filio antipapæ parẽret. Ideoq́; pontifex, missis ad illũ nuncijs, antequã Lothariũ, à quo amicis literis sæpius fuerat uocatus, ut Melphim ad se ueniret, accederet, iussit ut prius nudis pedibus papæ satisfaceret, & iuramẽto cõfirmaret, se executurũ omnia quæ iuberet, denique etiã Petro Leonis filio cũ anathemate renũciaret. Sed ille ad Imperatorẽ appellat, quo cũ sese deliberaturũ respondit. Cæterũ admissus ab Imperatore, multo iniquiorẽ experitur pontificẽ, qui per cardinales uehementer accusat tum ipsum Imperatorem, quòd abbatis curã suscepisset, tũ etiã ipsum Reinaldũ, tanquã excõmunicatũ, omninoque postulat, ut Imperator aut abstineat à cõsortio abbatis, aut eundẽ, ut anathematizet Petrũ Leonis filiũ, & obediẽtiã iuramẽto sibi promittat, ui adigat. ca. 109. Tandem iubẽte Imperatore, utrinq; causa uẽtilatur, ac pax sancita est, iurante monacho in papæ uerba.

Cũ inde Casinũ redisset, nouũ ipsi creãt malũ maleuoli. Nã per eosdẽ clàm defertur ad Imperatorẽ, quasi Rogerio faueret, illius benignè suscipiens nũcios. Eáq́; ob causam iudicatur hostis Impij, & ut se quãprimùm iudicio sisteret, uocatur. At morbo correptus nõ uenit, & interim quomodo monasteriũ aduersus Imperatorẽ armis tueretur, cõsilia tractauit: ideoq́; Gregoriũ quendã accersiuit. Ea res cũ innotuisset Imperatori, mox Brunonẽ quendã cũ exercitu Casinũ mittit, qui potitus monasterio, abbatem capit, & militibus custodiẽdũ tradit. Subsequtur Imperator, & coràm de illo cognoscit. Ibi accusatur tanquã rebellis & hostis Impij.

Quòd ab antipapa Petro Leonis filio subdiaconus esset ordinatus.

Quòd Rogerio regi iuramẽtũ pręstitisset.

Quòd cõtra Canones ab excõmunicatis esset electus, cũ tantùm subdiaconus esset.

Ipsi etiam monachi eum accusant: Quòd seditiosè, nõ canonicè esset electus.

Quòd Missam celebrare nõ posset, nec à delictis absoluere quẽquã. Quia fundatus esset non super fundamentum solidum & immotum, sed super arenam, eo quòd à Petro antipapa ordinatus esset.

Has itaq; ob causas in pręsentia Imperatoris & legatorum pontificiorum exauthoratus est, & ab illo munere remotus, cũ uix annum præfuisset. Chron. Cas. lib. 4. ca. 119. 120. 121. 122. 123.

A' successore cõstitutus est præpositus S. Magni iuxta Fundanã ciuitatẽ: sed eo officio minimè contẽtus, arcẽ, quæ Castrũ cœli dicitur, quã Reinaldi propinqui iã tenebãt, ingressus est, omniq́; studio quæsiuit, quomodo post discessum Imperatoris Casinẽsem abbatiã recuperaret, & sese de suis ęmulis ulcisceretur. Cõscripto itaq; exercitu, & Rogerij atq; suorũ propinquorũ auxilio accito, omnia quæ circũ castellũ S. Angeli sita sunt, ferro atq; igne depopulatus est. Ex urbe S. Germani & Casinense monasteriũ oppugnare nõ est ueritus. Sed frustraneus eius fuit conatus, monachis cum Rogerio fœdus facientibus. Ibidem cap. 125. 126. 128.

GVIBALDVS.

Remoto etiã Reinaldo, de successore cõstituẽdo nõ cõuenit. Nã cardinales missi à pontifice uolebãt ex uniuerso monachorum cœtu ibi congregatorum duodecim tantùm eligi, qui secum unà deliberarent. Sed monachi uehementer resistebant, ita quidem,

quidem, ut tum temporis cardinales re infecta discederent, rem omnem ad papam relaturi. Ad extremum uerò interuentu Lotharij, & cũ ex uetustis priuilegijs papa cognouisset, monachos liberam habere electionem, consensit, ut illorum eligere, suum uerò consecrare esset in posterum, lege perpetua. lib. 4. cap. 124.

Guibaldus igitur Lotharingus abbas Stabulensis, uir doctus, prudens & honestus, à monachis, multùm contranitens, in præsentia Imperatoris Lotharij, cui in primis charus fuerat, successor designatur, à quo & cõfirmatur, & postea etiam papæ Innocentio commendatur. Imperator in quodam epistolio eum uocat cancellarium Romani Imperij, capellanum & principem pacis.

Opera eius.

Principibus populorum dominatus est. Nam à Ranulfo Apuliæ duce, Roberto Capuano principe, & alijs Capuanis comitibus, Aquinensibus, Normannis, auxilio Lotharij iuramentum fidelitatis accepit, illos sibi subijciens, omnesq; eorum possessiones. lib. 4. cap. 125.

Bella gessit. Nam cum adhuc apud Stabulenses abbatem ageret, classi præficitur à Lothario Imperatore contra Salernitanos, cum quibus multis prælijs contendit. Et contra antecessorem remotum, qui Rogerij auxilio omnia quæ circum castellum S. Angeli sita erant, ferro atq; igne depopulabatur, in armis fuit, ac Imperatorẽ, qui iam discesserat, in auxilium reuocauit, in quem solum omne suum præsidium collocauit, sicut suum præsidium eum appellat, & impiè imitatur illud Psalmi: Ne quãdo dicant Saraceni, Normanni, Longobardi, Vbi est Imperator illius? cap. 126 & 127.

Ad Rogerium nuncios misit Capuam, pacem ab illo petens, omnemq; illi obediẽtiam promittens. Sed nihil responsi tulit, præterquam, se nullum ibi abbatem ferre posse ab Imperatore constitutum. Et suspẽdisset etiam, si habuisset. His dictis exterritus abbas Thrasonicus, clanculum 4 non. Nouemb. anno 1140, noctu stationẽ deseruit, permittẽs reliquis monachis liberum, ut eligerent quem uellent. Chron. Cas. lib. 4. cap. 128.

Scripta.

Extat eius epistola ad Lotharium perscripta lib. 4. cap. 127. in qua de calamitate Italiæ, pręsertim uerò earum urbium ecclesiarumq;, quæ Casinensibus parebant, patheticè conqueritur.

SVB CONRADO.

REINALDVS II.

Reinaldus 2, Valeria prouincia ortus ex nobilissima Marsorum prosapia, uir honestus & doctus, qui anno decimoquinto ætatis monachum ibi induerat, communibus suffragijs in locum desertoris constitutus est, anno 1140.

Opera.

Ad postulata Rogerij, qui posita circum Casinense cœnobium omnia occupauerat, nequaquam induci potuit, ut consentiret, & ne minis quidem. lib. 4. cap. 129.

Præstigijs diabolicis fidem adhibuit, & deos alienos coluit. Nam Albertus quidã delirus senex ad ipsum retulit, iussu Mauri cuiusdam, qui se discipulũ S. Benedicti dixit (uerius ipsum infernalem cacodęmonẽ diceres) ut discalceatis pedibus cum reliquo monachorum cœtu antiphonã B. Mariæ decantaret, litanias ad cadauer Benedicti perageret, si fortè Deus ipsorum delictorum lamentis & pœnitentia clades omnes depellat: quod fecit ille strenuè, & alios etiam facere uoluit. lib. 4. cap. 130.

HVGO.

Hugo miles quispiam transalpinus, cum se uoluptatibus toto iuuentutis tẽpore dedidisset, per sathanæ illusionem factus est monachus, extruẽs xenodochium ad fontẽ de corrigia: annis quindecim laneis uestibus usus est, nudisque pedibus incessit. Tandem B. Benedicto Casini sese mancipat, quòd ibi sanitati pristinæ fuerat restitutus. Casinen. lib. 4. cap. 46.

AZO.

Azo monasterij Casinensis decanus, cum alijs nonnullis ueniens ex Sardinia, à Saracenis in mari captus, atq; in Africam deductus est, ubi captiuus moritur, anno 1113. Ibidem cap. 52. Post mortem dicitur claruisse miraculis. cap. 53.

GIRARDVS.

Girardus monachus Casinensis, templũ in honorem S. Vincẽtij martyris ad fontes Vulturni fluminis funditùs extruxit. Id anno 1117 dedicauit Paschalis 2 papa. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 57.

SENIORETVS.

Senioretus eiusdem monasterij decanus fuit temporibus Girardi, cuius cõsilio usus est abbas, ut S. Germani incolas ad præstandã obedientiam adigeret. Ibidem cap. 58.

SERGIVS.

Casinensis monachus moriturus, sathanam specie B. Virginis uidit, & continuò animam exhalauit.

GVIDO.

Guido monachus Casinensis cõscripsit uisionem Alberti cuiusdam pueri. lib. 4. cap. 68. Casinen. Chron.

ALBERICVS.

Albericus nobilis quidã puer, cũ 10 ætatis anno

anno morbo correptus, animam nouem dies continuos totidemq; noctes egisset, iterum côualuit, cum & infernum & cœli mãsiones uidisset, factusq; est monachus Casinensis.

Opera eius talia sunt, quæ hypocritam insignem ipsum fuisse arguunt. Nam neq; carnes edit, neq; uinum bibit, nudisq; pedibus semper incessit. Ibidem.

PETRVS.

Petrus Diaconus anno Domini 1115, suæ uerò ætatis quinto, Casinẽsis factus est monachus. Patre fuit Gregorio quodam Romanorum duce & consule natus. Cumque diligenter à Girardo esset institutus, specimen suæ eruditionis atque ingenij editurus nonnulla scripsit, anno suæ ætatis 21.

Pasionem S. Marci martyris & sociorũ ad Oderisium abbatem.

Vitam Falconis confessoris.

Pasionem Placidi martyris.

Vitã Apollinaris abbatis ad Rainaldũ.

Vitam sanctorum Gunizonis & Ianuarij, ad Richardum Casinensem monachum.

Vitam Constantij episcopi & confessoris, ad Guarinum Aquinensem episcopum.

Vitam S. Seueri episcopi Casinensis, ad Senioretum abbatem.

Rhitmum de tempore nouissimo.

Euersionem & instaurationem ciuitatis Atinæ, inuentionẽq; beati Marci martyris.

Vitam S. Dariæ uxoris S. Nicandri.

Scripsit & sermones hos: De S. Marco octo, De eius uigilijs duos.

In Parasceue, in sabbatho sancto.

Homiliam in festo S. patris Benedicti, & aliam in eius octaua.

Sermones in Pascha: in ascensione Domini: in Pentecoste: de S. Ioanne Baptista.

De sanctis Petro & Paulo: de S. Laurẽtio: de uigilia S. Mariæ.

Librum de uiris illustribus Casinensis cœnobij, ad Pandulfum Teanensem episcopum.

Miracula Casinensium monachorũ, quæ scripta non erant.

Historiam de euersione seu restauratiõe cœnobij beati Mauri.

Visionem Senioreti abbatis emendauit, ubi & Prologum scripsit: fecit & Prologũ in libro Priuilegiorum.

Sermones de translatione corporis S. protomartyris Stephani, ex Constantinopoli, ad urbem Romam.

Ortus & uitas iustorum cœnobij Casini.

Sermonem de festo omnium Sanctorũ: de natiuitate Domini duos: de S. Stephão.

Chronicon Casinensis cœnobij, à renouatione ecclesiæ S. Martini, usq; ad hũc diẽ.

Astronomiã ex ueteribus libris cõpilauit.

Scripsit altercationem inter se & aduersarium, Casinensis cœnobij abbatem.

Solinum de mundi mirabilib. breuiauit.

De generibus lapidum preciosorum librum ad Conradum Imperatorem scripsit.

Scholia in ueteri Testamento cõposuit.

Ad Lothariũ Imperatorẽ epistolas duas.

Ad Richizam Imperatricem de obitu Lotharij Imperatoris.

Ad eandem de obitu Henrici ducis.

De electione Conradi 2 Romanorũ Imperatoris, epistolam perpulchram.

Notarum librum ex paruo ampliauit, & Conrado Imperatori dedicauit.

Vitruuium de architectura breuiauit.

Librum Heuæ regis Arabum ad Neronẽ Imperatorem, de preciosis lapidibus, quẽ Cõstantinus Imperator ex urbe Roma Cõstantinopolim asportauerat, ex Græco in Latinum conuertit.

Hymnos duos in laudem S. Iustæ uirginis & martyris.

Visionem Alberici monachi Casinensis corruptam emendauit.

Chronicon regum Troianæ gentis, cõsulum dictatorumq; composuit.

Miracula S. martyrum, Marci, Nicandri & Martiniani exarauit: hymnos sex in eorum laudem composuit.

Cantus B. Marci martyris inuenit.

Scholia in diuersis sententijs.

Exhortationem ad monachos, quid seruare, quid cauere debeant.

De septem uitijs & uirtutibus.

De septem petitionibus.

De Rebecca & Isaac.

De rege Ozia, & sacerdotibus.

De Moyse, & uia trium dierum, ac de tribus temporibus.

De uisione Esaiæ.

Librum salutationum, exornationum & opprobriorum: de terra promissionis.

Itinerarium ex omnibus ueteribus collegit libris, & Guibaldo Casinensi abbati dedicauit.

Vitam S. papæ Leonis.

Historiam Troianæ gentis à principio usq; ad sua tempora: librumq; prodigiorũ & portentorum Ptolomæo secundo, illustri Romanorum consuli, dedicauit.

De tentatione Christi in deserto perpulchram scripsit homiliam.

Altercationem quam habuit cum Constãtinopolitano quodam pro ecclesia Romana, & alia plura.

Plura etiam munera in isto monasterio gessit. Nam chartularius, bibliothecarius & scriniarius fuit. Et quia in disputatione quadam contra Græcum philosophum in præsentia Lotharij palmam obtinuisset, per

per eundem Romani Imperij chartularius designatur. Ibidem cap. 68 & 117.

Contra pontificem Innocentium 2 destinatus est à suo abbate & socijs, ut ipsorum causam coram Imperatore ageret, anno 1138. Quam disceptationem suprà in Capite de Schismatibus integram inseruimus.

Græcum quendam dicentem, Romanā ecclesiam excommunicatam, quòd Symbolo Niceno adijceret, Spiritum sanctum à filio quoque procedere: refutauit eodē artificio, quòd de suo adderent, Spiritum sanctum ex solo patre procedere. lib. 4. capite 117.

Tantopere illum amauit Imperator, ut eius manu apprehēsa, eam in Guibaldi manus traderet, atque ita magno studio abbati commendaret. Cæterùm sua autoritate ab Imperatore Lothario impetrauit, ut Batense monasterium, à ciuibus Casinensibus subtractū, ipsis restitueretur. Et S. Scholasticæ territorium cū alijs possessionibus, quę Robertus comes ad se transtulerat, recuperauit Casinensibus. Perinde contra monachos S. Vincentij palmam obtinet, qui ad Imperatorem Casinenses accusarant, quasi nonnullas possessiones illis abstulissent. lib. 4. cap. 118 & 119.

ALBERTVS.

Facit Chronicon Casinense cuiusdā Alberti præstigiatoris mentionem, qui natione Pelignus fuit, silicernij, tanti hypocritæ, ut reliquis admirationi esset. Nam parum abfuit, quin inedia, battologijs, uigilijs, flagris quotidie sese propediem enecaret. Is diaboli præstigijs fascinatus suasit iussu Mauri (si dijs placet) ut antiphonam B. Mariæ decantarent, & litanias ad mortuum & fœtidum Benedicti cadauer peragerēt, fortè tum habituros propitium suum numen, & finem calamitatibus monasterij imponē dum iri. Sed ipsis quidem monachis Casinensibus, alioquin superstitiosis, uisus est delirare, & fabulam dicere. libro quarto, capite 130.

IOACHIM FLORENSIS.

Ioachim abbas Florensis monasterij Calaber, homo & eruditionis & uitæ sanctitatis nomine celebris, floruit sub Friderico. Gygas eum sub Conrado floruisse asserit. Ioannes de Oppido sub Vrbano III, circiter annum Christi 1186. Nonnulli eum reijciunt in sequens seculum ad annum 1230.

Spiritum propheticū eum habuisse, quidam affirmant. Sed Tritemius de Scriptoribus ecclesiasticis opinatur fuisse coniecturas ex Scripturis sacris petitas. Vnus eorū fuit, qui papæ eiusq; sacrificulis contradixit, quòd in simoniam sint immersi, luxu & libidine penitùs perditi. Item, illos Iudæos & ethnicos suis sceleribus deterrere, quo minus Christianam doctrinam amplectantur.

Scripsit quamplurima, quorum titulos subijciemus ex Tritemio de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Chronico Hirsaugiensi.

In Hieremiam prophetam,	lib. 1.
In Euangelium Iohannis,	lib. 1.
Ad Henricum Sextum,	lib. 1.
In Danielem prophetam,	lib. 1.
In Apocalypsin Iohannis,	lib. 1.
De septem sigillis,	lib. 1.
Psalterium decem chordarum,	lib. 3.
Concordiæ,	lib. 5.
De xv pontificibus,	lib. 1.
De futuris temporibus,	lib. 1.
Epistolarum ad diuersos,	lib. 1.

Scripsit etiam contra Petrum Longobardum tractatum, quem pontificij in quodā concilio Lateranensi dānarunt, quòd quędā minus rectè de Diuinitate docuerit: quę damnatio Iuri Canonico inserta est. Schedelius ætate 6.

De monachis, quos Minoritas uocant, prædixit, tales breui uenturos (nam imaginem eiusmodi monstri in suo cubili expresserat) funibus præcinctos, sandalijs calceatos: sed nihilominus ad finem seculi duraturos. Gygas.

Dissuasit Philippo & Richardo Angliæ regi expeditionem Hierosolymitanam, tāquam parum frugiferam futuram. Iohan. de Oppido.

Vrbano 3 temerariè tempus diei nouissimi prædixit, futurum scilicet intra duas generationes, hoc est, 70 annos, & tunc implenda omnia, quæ de Antichristo prædicta circumferebantur. Iohan. de Oppido.

Balæus refert Centuria 3. cap. 35 in appēdice ex lib. 2. Rogeti Houedeni, aliquando ipsum à Richardo Angliæ rege interrogatum esse de Antichristo, atque respondisse, Romæ iamdiu fuisse natum, & eo quidem tempore, circiter annum 1191, maximè regnare, exaltareq; sese supra omne quod dicitur Deus: eorum causa quæ ab Alexandro 3 contra Fridericum, & à Celestino 3 in coronatione Henrici VI fiebant.

GRATIANVS BONO-
niensis.

Gratianus monachus Bononiensis, patria Hetruscus, ordinis S. Benedicti, doctus & religiosus. Is ex diuersis patrum sententijs, decretis & scriptis uolumen decretorū compilauit, & papæ Eugenio 3 confirmandum obtulit: qui illud approbauit, & publicè legendum concesit, atq; nomen indidit, Concordiæ discordantium Canonum. Scripsit & alia quædam. Tritemius de Scriptoribus Ecclesiasticis, & in Hirsaugiensi Chronico.

Chronico. Nauclerus Generatione 39. Vrspergensis.

Tempus quo decretum iuris cõpilauit, non eodem modo indicant autores. Iohannes de Oppido, Chronicõ Martini, Schedelius & Bergomensis constituunt annũ 1151. Theodorus Bibliãder in Chronologia annum 1129.

Alexander tertius eo usus in legatione est ad Henricum Angliæ regem, in Thomæ Cantuariensis causa. Catalogus testium ueritatis. Sub tribus Imperatoribus, Lothario, Conrado & Friderico, claruisse scribitur.

BENEDICTVS.

Benedictus terræ Maioris abbas præfuit anno 1113. Is Beneuenti in synodo nomine Casinensis abbatis per Capuanum archiepiscopum accusatus est, tanquam ecclesiæ sanctæ Mariæ inuasor, quæ ad Casinenses pertinebat. Citatus uerò sub pœna interdicti, post multam disceptationem ius istius ecclesiæ ad Casinenses sub pontificis priuilegio translatum est. Chron. Casinense lib. 4. cap. 50.

SPARANVS.

Sparanus abbas monasterij S. Martini, Casinum ueniens obtulit suum monasterium cum omnibus pertinentijs, Casinẽsibus monachis. Chron. Casinense lib. 4. cap. 73.

GALLIAE Monachi.

PARISIENSES.

SVB HEINRICO V. & Lothario.

HVGO.

Hugo natione Saxo, presbyter & abbas S. Victoris Parisiensis, ordinis canonicorum regularium Augustini, uir isto seculo inter præcipuos, doctrina præstans habitus est. Multa scripsit, & posteritati reliquit, quorum hic catalogus est:

Summa sententiarum, lib. 1.
De anima Christi, lib. 1.
De Sacramentis, lib. 12.
Didascalon, lib. 6.
De modo orandi, lib. 1.
De arca animæ, lib. 1.
De laude charitatis, lib. 1.
De institutione nouitiorum, lib. 1.
In regulam S. Augustini, lib. 1.
De mystica arca Noë, lib. 5.
In Ecclesiasten. homil. 16, lib. 1.
In Cantica canticorum, lib. 1.
In Threnos Hieremiæ, lib. 1.
In Hierarchias Dionysij, li. 14.
De laude Patrum, lib. 1.
De perpetua uirginitate S. Mariæ, lib. 1.
Super Magnificat, lib. 1.
Super, Tota pulchra es, lib. 1.
De amore sponsi & sponsæ, lib. 1.
De medicina animæ, lib. 1.
De meditatione, lib. 1.
De incarnatione Verbi, lib. 1.
De sapientia Christi, lib. 1.
De uanitate mundi, lib. 1.
De substantia dilectionis, lib. 1.
De disciplina, lib. 1.
De mysterijs Ecclesiæ, lib. 1.
De spiritu & anima, lib. 1.
De oratione Dominica, lib. 1.
De confessione, lib. 1.
In Ezechielem prophetam, lib. 1.
In quosdam Psalmos, lib. 1.
De natura Dei simplici, lib. 1.
De triplici uoluntate in Christo, lib. 1.
De sacra Scriptura, lib. 2.
De natura animalium, lib. 1.
De contemplatione, lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Præterea sermones cõposuit plures, & tractatus uarios.

Obijt anno 1140. Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis, & in Chronico Hirsaugiensi.

SVB CONRADO.

RICHARDVS.

Et Richardus de S. Victore, natione Scotus, isto seculo longè doctissimus est habitus, & in externa conuersatione religiosus, floruitq; circiter annum 1140. Ambitiosum supra quàm dici potest ingeniũ in eo fuit, ut qui in sacris Scripturis multò uoluerit haberi eruditior ipsis Prophetis & Apostolis, cum tamen pleraq; ad allegorias rapuerit. Viam Antichristo strenuè parauit, de autoritate S. Petri scribens. Confirmauit etiam monachorum superstitiones non parum, de Profectu monachorum. Balæus Centuria decimaquarta, capite 48 de Scriptoribus Britanniæ.

Scripsit plurima, quorum tituli hi sunt:

De sancta Trinitate, lib. 6.
De gratia contemplationis, lib. 5.
De duodecim patriarchis, lib. 1.
De arca mystica, lib. 5.
De XLII mansionibus, lib. 1.
In Cantica canticorum, lib. 1.
De exterminatione mali, lib. 1.
De promotione boni, lib. 1.
Contra Iudaizantes, lib. 1.
De tabernaculo fœderis, lib. 1.
De tribus appropriatis, lib. 1.
De autoritate Petri, lib. 1.
De potestate iudiciaria, lib. 1.
De quatuor gradibus charitatis, lib. 1.
De charitate uiolenta, lib. 1.
De peccatorum differentijs, lib. 1.
De instructione nouitiorum, lib. 1.
De spiritu blasphemiæ, lib. 1.

De sacerdotio Melchisedech, lib. 1.
De 12 apparitionibus, lib. 1.
In Apocalypsin Iohannis, lib. 1.
In Danielis prophetiam, lib. 3.
Exceptionum, uel Diuisionum, li. 4.
De studio sapientiæ, lib. 1.
De profectu monachorum, lib. 1.
In Esaiam prophetam, lib. 1.
De uerbis Esaiæ, lib. 1.
De Apostolorum actis, lib. 1.
De oratione mentali, lib. 1.
De triplici holocausto, lib. 1.
De uerbis Apostoli, lib. 1.
Aliud opus de ijsdem, lib. 1.
De uitę nouitate, lib. 1.
De officijs Ecclesiæ, lib. 1.
De diuersis effectibus, lib. 1.
De uisione Nabuchodonosor, lib. 1.
De quatuor uentis, lib. 1.
De Emanuele, dialogorum lib. 2.
Epitomen Bibliorum, lib. 1.
Chronicon à mundi initio, lib. 1.
Explanationes Psalmorum, lib. 1.
In Threnos Hieremiæ, lib. 1.
Aduersus Andream Anglum, lib. 1.
De Paschate gemino, lib. 1.
De sacrificijs Abrahæ & Dauid, lib. 1.
De sacrificijs Abrahæ & Mariæ, lib. 1.
Confessionale quoddam, lib. 1.
De statu interioris hominis, lib. 1.
De eruditione eiusdem, lib. 3.
De Verbo incarnato, lib. 1.
De plagis in mundi fine, lib. 1.
Difficultatum declarationes, lib. 1.
De Spiritus sancti amore, lib. 1.
Quibus prosint eleemosynæ, lib. 1.
De baptismo Christi, lib. 1.
Comparationes Christi & Mariæ, lib. 1.
In signum populorum Christus, lib. 1.
Difficultates ex tabernaculo, lib. 1.
De templo Salomonis, lib. 1.
Regum Iudę & Israel tempora, lib. 1.
De uisione Ezechielis, lib. 1.
De templo Ezechielis, lib. 1.
De die Paschæ, hom. 1.
De Paracleti missione, hom. 1.

Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis, & in Chronico Hirsaugiensi. Balæus Cent. 14. cap. 48 Scriptorum Britanniæ.

SVB FRIDERICO.

ANDREAS.

ANdreas Victorius, natione Anglus, ad S. Victorem Parisijs in Sacris literis & philosophia eruditus, circiter annũ Domini 1150 floruit. Diuina uolumina publicè legit. Cũ Richardo eiusdẽ ordinis & loci monacho concertauit, qui librum mordacem aduersus illum edidit. Monumenta quæ scripsit, hæc recensentur:

Super Genesin, lib. 1.
Super Exodum, lib. 1.
Super Leuiticum, lib. 1.
Super Numeros, lib. 1.
Super Deuteronomium, lib. 1.
Super Iosue, lib. 1.
Super Iudicum, lib. 1.
Super Regum, lib. 1.
Super Paralipomenon, lib. 1.
Super Ecclesiasten, lib. 1.
Super Parabolas Salomonis, lib. 1.
Super Esaiam, lib. 1.
Super Hieremiam, lib. 1.
Super Danielem, lib. 1.
Super Iohelem, lib. 1.

Et super alios utriusque Testamenti, commentarios fecit.

Balæus Centuria 2. capite 83 Scriptorum Britanniæ.

RICARDVS.

Ricardus de Pratellis, magni cuiusdam in Gallijs monasterij abbas, natione Anglus, unus inter doctissimos eius seculi est habitus. Is ea quæ in Sacris literis tradũtur, sufficere Ecclesiæ credidit, sine paganorum nugis. Conscripsit

Expositiones in Iosuam, lib. 1.
Super Iudicum, lib. 1.
Super Rhut, lib. 1.
Super Sapientiam, lib. 1.

Et in alios utriusq; Testamenti libros commentatus est. Balæus Cent. 13. cap. 26 Scritor. Britan.

PETRVS.

Petrus Cantor Parisiẽsis obijt anno 1197 in monasterio Longi pontis, non procul à Parisijs sito. Socius fuit cuiusdam Fulconis in prædicãdo. Miraculosè egit plurima, ita ut surdos, mutos, claudos sanaret. Multos etiam ad restitutionem usurarum docẽdo compulit. Antoninus tit. 17. cap. 9. § 29.

FVLCO.

Fulco prædicator in Gallijs, primò Petrum Cantorem, deinde illo è rebus humanis sublato, Petrum de Roysiaco associauit, & anno 1198 multos à peccatis luxuriæ & usuræ reuocauit. Publicis quibusdam scortis persuasit coniugium: quędam uerò monasterium S. Antonij prope Parisiũ ingressę, ut scilicet ibi castè uiuerent, more monialium: quædam eius hortatu labores diuersos & peregrinationes etiam susceperunt. Antoninus tit. 17. cap. 9. §. 29.

PRAEMONSTRATENSES.

HVGO.

HVgo assiduus Achates Noberti ordinis Præmonstratensium architecti, ab illo, ad archiepiscopatum Magdeburgensem uocato, eo in loco abbas constituitur, anno 1129. Sigeberti Continuator. Anno sexto post

pòst ab Innocentio 2 adeptus est priuilegia. Hedio.

RICHARDVS.

Richardus natione Anglus, Præmonstratensiũ abbas, claruit anno 1190. Scripsit prosa & carmine nõnulla, quorum tituli sunt:

De Canone Missæ, lib.1.
De computo Ecclesiastico, lib.1.
De mysterijs sacrorum, lib.1.
Vitam diuæ Vrsulæ, lib.1.

Atq; alia plura. Balæus Cent.3.cap.34.

SVGERIVS.

Sugerius S.Dionysij abbas apud Parisiẽses, quẽdam agricolam captiuum detinuit in tã arcta custodia, ut ibi diem suum clauderet extremum. Frisingensis lib.1. cap.55. Obijt ipse abbas anno 1151. Cont.Sig.

GVILHELMVS.

Guilhemus Aquitaniæ dux, eremita stolidus, noui Vuilhelmitarum ordinis pater extitit, relictaq; eremo, urbes incoluit, & primum monasterium sub mẽdicationis titulo Parisijs extruxit. Nauclerus Generatione 41. Loricam ad nudam carnem gestauit: proprio corpori debitum honorem non habuit, ciborum necessario usu abstinens. Triplici cinctus cathena Ierosolymam, Romã & S.Iacobum petijt. Miracula etiam superstitiosus sanctulus edidisse dicitur. Claruit anno 1157. Chron. Hirsaug.

HAFFLIGEMENSES.

FVLGENTIVS,

Franco.

FVlgentius primus abbas obijt circiter annum Domini 1109. Hortator is fuit Franconi, ut de gratia Dei libellum conscriberet. Cui Franco doctus, ingeniosus & poeta succedit. Scripsit is

De gratia Dei, lib.1.
De statu futuræ gloriæ, lib.1.carmine.
Epistolarum ad diuersos, lib.1.
Sermones de B.Virgine, lib.1.

Et alia quædam. Bergomensis lib.12. Tritenhemius de Scriptoribus Ecclesiasticis.

SIGEBERTVS

Gemblacensis.

Sigebertus natione Gallus, monachus Gemblacẽsis, uir nemine suo tempore eruditione inferior. Præceptor monachorũ in monasterio Metensi aliquandiu fuit, postea ad suum rediens monasterium, uitam ibi transegit. Chron. Hirsaugiense. Carmine & prosa oratione scripsit, inter quæ nõnulla sunt quæ contra Heldebrandum edidit. Nam Henricum 4 Imperatorem contra eũdem & Paschalem 2 defendit, asserens, papam non habere utrumq; gladium, neq; iuris aliquid super ipsum Imperatorem. Docuit detestabilẽ esse hæresim in papa, politicorum dominorum subditos à iuramentis absoluere. Narrat itidem tetra paparum & cleri facinorum exempla. Balæus Cent. 2.cap.60. Catalogum scriptorum recenset Tritemius:

Vitam S.Theodori episcopi, lib.1.
De Translatione eiusdem, lib.1.
Passionem S.Luciæ metricè, lib.1.
Passionem Thebæorum, lib.1.
Gesta abbatum Gemblacensium, lib.1.
Vitam sancti Theobardi, lib.1.
Apologiam ad Imperatorem, lib.1.
In Ecclesiasten heroico metro, lib.1.
De illustribus uiris, lib.1.
De computo Ecclesiastico, lib.1.
Vitam Sigeberti regis, lib.1.
Vitam sancti Guiberti, lib.1.
Vitam sancti Maclouij, lib.1.
Contra papam Gregorium, lib.1.
Contra epistolam Paschalis papæ, lib.1.
Historiarum post Eusebium, lib.1.
Sermonum quoq;, lib.1.
Epistolarum ad diuersos, lib.1.

Obijt anno 1113. Chronicon Sigeberti.

LVCAS.

Lucas quidam abbas S.Cornelij, ordinis Benedictini, uir doctus, nonnulla conscripsit, quorum tituli sunt:

Ad Milonem Taruanensis ecclesiæ episcopum insigne opus.
In Cantica canticorum, lib.1.
Sermones & epistolas cõplures. Et quædam alia. Tritemius.

GVILIELMVS

Signiacensis.

Guilielmus, uir doctrina præstans, abbas S.Theodori ordinis Cisterciẽsium, quietis causa abbatiæ abdicat, & monachus Signiacensis cœnobij fit. Is summus amicus, illeq; intimus D.Bernhardo fuit.

Scripsit historiam Bernhardi, sed ad finẽ non perduxit.

Speculum fidei, lib.1.
Ænigma fidei, lib.1.
Sententiarum fidei, lib.1.
De natura animæ, lib.1.
De contemplando Deo, lib.1.
De natura & dignitate amoris, lib.1.
De Sacramento altaris, lib.1.
Contra Petrum Abelardum, lib.1.
Meditationes pro nouitijs, lib.1.
In Cantica canticorum imperfectũ lib.1.
In Epistolam ad Romanos, lib.1.

Et alia quædam. Bergomensis lib.12. Tritemius de Scriptoribus Ecclesiasticis.

BVRCHARDVS

Balernensis.

Burchardus abbas Balernensis appendicem ad primum librum historiæ D.Bernhardi adiecit.

BERNHARDVS.

Bernhardus abbas Boneuallis, doctrinę & eloquẽtia præstans, librũ 2 historię Bernhardi Clareuallensis pertexuit: ut ex Præfatione eiusdem libri constat.

HVGO.

Hugo monachus ordinis Cisterciensis in monasterio Macerie, & postea abbas Boneuallis, tantopere seipsum excarnificauit, nullum suo corpori honorem habens, ut penè sensum & memoriam perderet. Temerariè cuidam nouitio monacho, monastico ordini uolenti renũciare, seipsum dedit fideiussorem, si perseueraret, fore ut æternus sanctorũ esset socius. Vincẽtius li.29.ca.33.

GERARDVS DE MORIS.

Gerardus abbas de Moris nocte intempesta simulachrum Bernhardi uidit circumire, illo morbo domi detento, & suo more excitare torpentes, ut maiore spiritu psallerent. lib.4.cap.1 in uita Bernhardi.

HERMES S. NICASII.

Hermes abbas religiosus, prudens & literatus, non modò res Bergẽsium auxit, sed etiam monachos reformauit, idq; hac occasione factum esse fertur: Quendam Philippum Hyprensium uicecomitem mortuum, de nocte fuisse uisum supra suum sepulchrũ stare, atq; æditeo ut pulsaret iussisse, ac conquestum, parũ refrigerij præstari defunctis, precibus piorum. Tandẽ eiectus anno 1170, Remis in monasterio reliquum uitæ transegit. Lib.4. Chron. Fland.

RVCELINVS.

Rucelinus natione Bryto, magister Petri Abelardi, claruit circiter annum 1137. Is primus sciẽtiam uocum siue dictorũ instituit, nouamq; philosophandi uiam inuenit. In eum hoc conscriptum est decastichõ, ut testatur Auentinus li. 6 Annalium Boiorum:

Quas Ruceline doces, non uult Dialectica uoces,
Iamq; dolens de se, non uult in uocibus esse.
Res amat, in rebus cunctis uult esse diebus.
Voce retractetur, res sit, quod uoce docetur.
Plorat Aristoteles, nugas docendo seniles,
Res sibi subtractas per uoces intitulatas.
Porphyriusq; gemit, quia res sibi lector ademit.
Qui res abrodit, Ruceline Boethius odit.
Non argumentis, nulloq; sophismate sentis,
Res existentes, in uocibus esse manentes.

RVDOLPHVS.

Rudolphus monachus modicè literatus, magnam collegit populi manũ, præsertim in illis Galliæ partibus, quæ Rheno adiacent, contra Saracenos. Docuit, Iudæos, tãquam Christianæ religionis hostes, trucidandos esse. Frisingensis lib.1.cap.37 de gestis Friderici.

PINCO.

Pinco abbas in Gallijs à proprijs subditis, utpote Veselai ciuibus, instinctu Niuernẽsis comitis in suo monasterio obsidetur, unà cum reliquis monachis. Verùm regis Ludouici iunioris auxilio liberatus est. Robertus Gag. lib.6 de Francis.

POTHO PRVMIENSIS.

Prumiẽsis presbyter Potho fuit, ut ex ijs uerbis apparet, quæ ex ipso idiographo exẽplo sua ipsius manu descripta hic adscripsimus: Hoc anno, quo mortuus est rex Cõradus, hoc est M.C.LII. ego F. Potho indignus presbyter Prumiensium, ad contemplandũ decorem domus Dei, mentis oculos attentius subleuãs, de statu eiusdem domus Dei, quantũ in ipsum intellectu perspicere mihi datum fuit, secũdum exemplar cœlestium, pręsens opusculum scribere aggressus sum.

Scripsit & de Magna domo sapientiæ librum unum. Cæterùm sic ardenti spiritu, ac planè uegeto ingenio susceptũ argumentũ Potho tractauit, ut domũ hanc Dominicam, qui cum nec Crœsi aut M. Liuij Drusi domus in cõparationem uenire potest, animo uidisse, ingenio complexus esse, ac dictioni neutiquam aspernanda, tãquam Pallas aureo lychno prælucẽs, illustrasse uideatur. Ioannes Alexander in præfatione Pothonis libris præfixa.

BURGUNDIAE Monachi.

CLAREVALLENSES.

STEPHANVS.

Stephanus abbas præfuit circiter annum Domini 1113. Sub quo Bernhardus cum fratribus germanis factus est eius loci monachus. Vita Bernh. Hypocrita insignis fuit. Nam panem suo conuerso donatum à quodam sacrificulo simoniaco, accipere noluit. Vincentius li.26.ca.2. Cum totius mũdi fermè opes monasterijs influerent, conuocauit multos abbates, exponẽs quãta sit res periculi tãtis abũdare opibus. Cõscripsit Chartam charitatis anno 1107, quam pontifex Romanus ratã habuit. Historia Vlmẽsis.

BERNHARDVS.

Bernhardus ex Burgũdia originẽ traxit, natus Fontanis parẽtibus, nobilitate stemmatis claris, patre Tecelino, uiro militari, & matre Alethe, ex castro oriunda cui nomen est Mons Barrus, anno Salutis 1091. Puer mox ab ineunte ætate in ecclesia Castellionis traditur erudiendus præceptoribus. Et quia ingenio ualebat natura, & ad ingeniũ accesit ardens studium, breui tempore insignem in studijs profectum fecit.

A' puero pietati deditus fuit. Nam cum aliquando grauiter dolore capitis uexaretur, muliercula quędã accedens, suis carminibus ipsi mederi uolebat. At ille ad lectum adsistentem

adsistentem repulit fortiter, & paulo pòst mitigationem sensit. lib.1.cap.1 in Vita eius.

Vultu sereno fuit, habitu modesto, circũspectus in uerbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione deuotus. lib.3.cap.1.

Scripta eius hoc ordine Trithemius recenset de Scriptoribus Ecclesiasticis:

De consideratione ad Eugenium, lib.5.
Meditationum suarum, lib.1.
De contemptu mundi ad clericos, lib.1.
De gradibus humilitatis, lib.1.
De gratia & libero arbitrio, lib.1.
Ad milites Templi, lib.1.
Speculum uitæ religiosæ, lib.1.
De scala claustrali, lib.1.
Ad Carthusienses, lib.1.
De conscientia, lib.1.
De ordine uitæ, lib.1.
De duobus oculis animæ, lib.1.
De præcepto & dispensatione, lib.1.
De confessione peccatorum, lib.1.
Ad Henricum Senonensem, lib.1.
Ad Hugonem S. Victoris, lib.1.
Contra Gerhardum, lib.1.
Contra hæreticum ad papam, lib.1.
De miseria huius uitæ, lib.1.
De tentationibus & ocio, lib.1.
De uoluntate, lib.1.
Ad Cluniacenses apologia, lib.1.
De gradibus charitatis, lib.1.
De passione Domini, lib.1.
De diligendo Deo, lib.1.
In Psalmum, Qui habitat, lib.1.
Super Magnificat, lib.1.
In Cantica canticorum hom.86. lib.1.
Super, Missus est angelus, lib.1.
Ad sororem suam de modo uiuẽdi, lib.1.
Vita Malachiæ episcopi, lib.1.
Epistolarum ad diuersos, lib.1.
Sermones plures, lib.1.

Et quædam alia. Sed pleniorem catalogum eius operibus, nuper Basileæ impressis, habes præfixum.

Functiones.

Abbatem egit in Claraualle. Et quanquã sæpenumero ipsi offerrentur episcopatus, semper illos prudẽter solitus est declinare. Item lib.2.cap.4: & lib.3.cap.1.

Opera eius bona.

Ab ineunte ætate, quoties nummos habere poterat, clandestinas faciebat eleemosynas. lib.1.cap.2.

A' fornicatione abstinuit, quanquã non defuit occasio. Nam nocte quadã puella nuda iniecta est in lectum dormiẽtis ad latus: & quãuis impudica ipsum irritaret suis illecebris, tamẽ continuit. Eodem modo cũ iter faceret, & apud matronam quandã diuerteret, illa ter ad lectũ eius uenit. Sed ille ter clamitans, Latrones, ab se eam repulit. Cumq; postero die socij arguerẽt, quòd toties ea nocte latrones somniasset, eorumq; somnũ interturbasset, respondit: Verè latro aderat. Nã hospita castitatẽ, irreparabilẽ thesaurum, mihi ablatura ter uenit. Lib.1.cap.3.

Scripta prophetica & Apostolica incredibili diligentia legit, earumq; intelligẽtiam non ex riuis commentariorum, sed ex ipso fonte Scripturę depromendam censuit. Etsi igitur aliorum Patrũ scripta diligenter euoluerit, tamen illis longè ipsum fontẽ prætulit. Hinc est quod ad amicos per iocũ dicere solitus est, se nullis, præterquam quercubus & fagis, usum magistris. lib.1.cap.4.

Tanta grauitate docere suos solitus est, ut ad eius uerba penitùs obstupescerent, & dura nimium uiderentur. lib.1.cap.6.

Errata sua non excusauit, sed accusauit potius. Cum enim malè aliquando dixisset, tentationes in religiosum aut non cadere, aut si incidissent, religiosum non esse ęstimandum: & hoc modo conscientias non parum turbari animaduerteret, lachrymis suam ignorantiam detestatus est, quòd perfectionem à fratribus scrupulosè exegisset, in qua se ipsum imperfectum inueniret. lib.1.cap.6.

Sacrilegij se solitus est accusare, & rectè etiam addidisset homicidium, quòd corpus suum stulto feruore reddidisset imbecille, & penè inutile, ne & Deo & fratribus inseruire posset. Lib.1.cap.8.

In tentatione sathanę & graui morbo, ut iam de uita periclitari uideretur, de propria iusticia suorum meritorum prorsus desperauit, fide in unico IESV Christo saluatore hærens. Memorabilis quippe oratio est, quod dixit: Fateor, nõ sum dignus ego, nec proprijs possum meritis regnum obtinere cœlorũ. Cæterùm duplici iure illud obtinẽs Dominus meus, hæreditate scilicet patris, & merito passionis: altero ipse contentus, alterum mihi donat: ex cuius dono iure mihi illud uendicans, nõ confundor. Et in omni necessitate ad orationem confugit. lib.1.ca.13.14. Ac nihil se tantopere consolari testatus est, atq; mortem filij Dei. Lib.3.cap.6.

Pacificus fuit, schismata Ecclesiastica & motus politicos magna grauitate & autoritate sedãs. Sic inter episcopum & populum Remensem transegit. lib.1.ca.14. Romæ tumultum, à Petro Leonis cõsortio excitatũ, prudenter compescuit. lib.2.ca.7. Moguntiam profectus est, ut inter Imperatorẽ Lotharium & Conradũ successorem transigeret. Lib.4.ca.3. Eodẽ modo non multò ante finem uitæ inter Metenses & uicinos quosdem uiros principes pacem fecit. li.5.cap.1.

Miraculorum quæ edidit, non se autorẽ,

sed ministrum tantùm esse credidit, soliq; Deo quicquid fecit adscripsit, imò se nihil boni aut uelle aut posse, nisi inspirante & operante Deo, & sensit & dixit. Miracula nō ad sui commendationem, sed potius aliorū commonitionem fieri. Lib.2.cap.4. & 7.

Honores Ecclesiasticos summos, quantū potuit, summa cū modestia declinauit, nec illustribus donis ad superbiam abusus est: & quāuis ab omnib. reputabatur summus, ipse tamē sese omniū infimū esse iudicauit.

Beneficus ad quoscunq;, beneuolus ad omnes fuit, ad amicos gratiā habens, ad inimicos patientiam. lib.1.ca.15. Oppressis diligenter patrocinatus est: ac dicere solitus, se non esse suum, sed aliorum seruitio deputatum. lib.2.cap.4.

Quoties nihil foris erat quod ageret, domi meditationi Scripturę sese totum dedit, adeò ut sæpe alia nec audierit nec uiderit. Rursus quoties foris alicui succurrendum erat, intermissis studijs seriò id fecit. Nullo unquam tempore ociosus fuit. Aut enim legit aliquid, aut meditatus est, aut orauit, aut concionatus est. lib.2. cap.7.

Reliquos monachos humilitatē docuit, ut quamuis nihil sibi essent conscij, tamen non propterea sese iustos existimarent. Deum enim ipsum iudicare eos quos iustificat, & perfectissimum quenq; districtum diuini iudicij examen ignorare. Eodem modo addidit: Iudicari ab humano dienō multùm curetis: neq; uestra propria, neq; aliena iudicia approbantes, sub timore Dei sic state, ut nec uos quempiam iudicantes aliquando extollamini, nec aliorum curantes iudicia excidatis in nugas: singula uerò prosequentes, uos seruos inutiles reputetis.

Theobaldum comitem, magnos facientem sumptus ad uarias abbatias constituendas, nouaq; tēpla ædificanda, rectè monuit, ut domesticis fidei inseruiret, ut templis immortalibus ædificandis plurimum operæ impēderet: eleemosynas ita faceret, ut semper aliquid suppeteret. Xenedochia ipsum uisitare, causas pupillorum & uiduarū tueri, bonis laudi & malis terrori esse iubebat. Lib.2.cap.8.

Patientia etiam in eo haud uulgaris extitit. Sic cum aliquando episcopum quēdam fuisset hortatus, ut de quibusdam regē admoneret, illeq; statim prima fronte respondisset: Salutem, & non spiritū blasphemiæ. respondit: Dæmonium non habeo, neque spiritum blasphemiæ in me habere credo: sed nec maledixisse cuiquam, aut maledicere uelle me scio, præsertim principi populi mei. Nec postea minus propterea dilexit episcopum, quàm antea. Et cum aliquando clericus quidam illi alapam infringeret, nō tantùm se de illo non ultus est, sed etiam sine iniuria iussit eum deduci.

Increpatione rarius, ut plurimū uerò monitis & obsecrationibus usus est.

In colloquio modestus fuit: quam uirtutem solitus ita est prædicare, ut sine ea dulce esse colloquium posse negauerit.

Peccantes arguere sui esse officij solitus est dicere, idq; charitatē proximi flagitare. Et quāuis nihil sępius proficeret, & cū dolore nullā uideret sequi emendationē: tamen illud bonū ad se reuerti, quòd animā suam liberauerit, & mundus sit à sanguine hominis, cui uerbū ueritatis annūciasset, ut à uia mala auerteretur, & uiueret. lib.3. capite 6.

Vnus eorū fuit, qui acriter pugnauit pro iustificatione gratuita per solam fidem, contra operum merita & liberum arbitrium.

Papæ, cardinalium, episcoporum, aliorumq; clericorum impietatem grauiter reprehendit, eos Antichristi ministros uocās. Item prælatos dicit esse factos Pilatos, supra Cantica canticorū. Obijcit etiam Eugenio, quòd neglecto uerbo Dei, humanas traditiones promoueat, quodq; tyrannidē supra Ecclesiam exerceat. Reprehendit & superstitiones monachorum, ac dicit alicubi, se non credere olim tantas superstitiones in monasterijs fuisse. In quodam sermone pulchrè de cōiugio dicit: Tolle de Ecclesia honorabile coniugium, & thorum immaculatum: non'ne replebis eam concubinarijs, incęstuosis, seminifluis, mollibus, masculorum concubitoribus, & omni deniq; genere immundorum?

Hugo cardinalis in Postilla sup. 1 Iohannis citat Bernhardum hæc alicubi dicentē: Videtur bone IESV aduersus te coniurasse uniuersitas Christianorū, & illi in tua persecutione primi sunt, qui in Ecclesia tua uidentur primatum tenere. Catalogus testium ueritatis.

Opera eius mala & superstitiosa.

Cum adolescens in sese ardorem libidinis sensisset (neq; enim castitatis donum ipsi datum erat) idque ex cuiusdam puellæ intuitu, mox stagno aquæ gelidæ insilit, atque tamdiu in ea permanet, donec penè exanguis efficeretur, hoc modo sibi uolens comparare quod cœlitùs non habebat. Rectius regulam Apostoli secutus fuisset: Melius est nubere, quàm uri. Libro 1. cap.3 in Vita eius.

Ipse factus monachus, suis fratribus germanis, quos sex habebat, itidem persuasit, & uni quidem inter eos, qui iam maritus erat, & filias ex coniuge susceperat. Persuasit fratrē, consensit & coniūx, efficaci satanę illusione impulsa, ut ille quidē monachus, illa monialis efficeretur. Præterea

multos

multos alios uerborum illecebris eodẽ modo persuasit abdicare coniugibus, paruis liberis, & Cistercienſium monachorum ordinem acceptare. Lib.1.cap.3. Et cuidam ducissæ Lotharingiæ, ut monasticam uiueret uitam, autor fuit. Lib.1.cap.15.

Iustum honorem suo corpori non attribuit, sed tantopere afflixit, ut sub onere cõcidere uideretur sæpius. Nam uigilauit supra quàm homini possibile est, & conqueri solitus est, nullum tempus se peius collocare, quàm quo dormiebat. Deinde ieiunijs, frigore, labore assiduo uentriculi uim ita fregit, ut cibum assumptum adhuc crudum continuò regereret. lib.1.cap.7.

Orabat stans die nocteq; tamdiu, donec pedes corporis molem præ inedia ferre nõ possent, & pedes intumescerent. Cilicium ipsam carnem uestiuit. Cibus erat lac cum pane, uel pulmentum. Vino rarissimè utebatur, eoq; modicè, aqua frequenter. Nocturnis diurnisq; laboribus sese supra uires excarnificauit. Et quid multa? tãtus sui corporis fuit carnifex, ut alijs solo anhelitu adeò esset molestus, ut solus habitare cogeretur. lib.1.cap.8.

Diuitias & comitatum, tanquam retia diaboli, in sorore germana non secundum scientiam detestatus est. Nam cum ad Claeuallem eius uidendi causa uenisset aliquando, colloquio & aspectu eam non est dignatus, tãtùm quod comitatu aliquo uenisset: quam tamen uerè piam fuisse, res ipsa testatur. Dixit enim ad fratrem Andreã, à quo durius increparetur: Etsi peccatrix sum, pro talib. Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, idcirco consilium & colloquium bonorum requiro. Lib.1.cap.6 in Vita Bernhardi.

Sorori, cum à uiro eam separare non posset, omnem mundi gloriã, & in uestitu cultum exquisitiorem interdixit, & ad uitam prorsus eremiticam illam hortatus est. Lib. 1.cap.6.

Coluit deum Maozim ad nouissimum uitæ suæ articulum. Lib.5.cap.1.

Hostiæ inclusæ in monstrantia (uti uocant) extra usum uim sanãdi attribuit: quę fœdissima idololatria est. Nam quendam non procul à monasterio ueneficijs ab uxore adultera grauissimè excruciatum, ad altare duci iubet, & capiti eius superponit, ut hoc modo panis ille incarceratus ipsum liberet, sicut & factum efficaci illusione satanæ. Lib.1.cap.11.

Monasterium extruxit Fusniacũ in Laudunensi territorio, ubi muscas excõmunicauit, non ridiculè tantùm, sed etiam impiè. cap.12.

Leodij sese Imperatori Lothario opposuit, poscenti ius inuestituræ ab Innocẽtio, qui eò uenerat, papę tyrannidẽ contra Imperatorem defendens. Lib.2.cap.1.

Monachos ociosos alibi etiã sedulò seminauit, ne scilicet ociosi uentres humano generi deessent, ad fruges insumẽdas idonei. Sic in Britanniam examen monachorũ introduxit, & iuxta Nannetum residere fecit, opera comitissæ Ermengardis. Lib.2.ca.6.

Pręmonstratensium, Hospitalariorum & Templariorũ ordinibus addidit splendorẽ, qui olerum loco fagi frondes desumebant, & pane hordeaceo, admixto milio & uitia, utebantur. Robertus Gag. lib.6.

Acerrimus propugnator sedis Antichristi fuit. Cum enim Aquitaniæ comes ab illa defecisset, non solùm supplicãs rogauit, ut cum ea in gratiam rediret: sed etiam hostia, quam suo deo Maozim antea obtulerat, in patina collocata extra templũ adijt, interminans exitium, nisi pontifici reconciliaretur, & reliqua antichristi Romani membra, quæ exterminauerat, in integrum restitueret. lib.2.cap.6. Ranulphum ducem ad committendum prælium cum Rogerio rege Siciliæ, pacem detrectante, adhortatus est, pro defensione Innocentij 2, promittens ei & uictoriam & triumphum. Libro 2. cap.8.

Iussu Romani põtificis anno 1147 in Germania prædicauit, expeditionem esse suscipiendam Ierosolymam uersus (quod crucem prædicare uocant Historiographi) aut ad liberandos fratres, aut ut suas pro illis animas ponerent, in pœnitentiam & remissionem peccatorum suorum. Lib.3.cap.4 in Vita Bernhardi.

Coluit deos alienos adseruatione reliquiarum. Ita cum Romæ aliquando esset, Cęsarij cuiusdã martyris ei exhibitũ est caput, ut inde tolleret quid uellet. Tulit igitur dentem unicũ, non exiguũ suorum laborũ fructum se assecutum existimãs. Quẽ cum ex mãdibula quidã suorum fratrũ cultellis effringere non possent, dixit Bernhardus: Orandũ nobis. Nec enim habere possumus, nisi martyr ipse concedat. lib.4.ca.1. Eodem modo ab Hildegarde anno 1148 postulauit partẽ reliquiarũ S. Ruperti. Chron. Hirsaug. Papiæ dæmoniacam quandã ad templum Syri, quem sanctũ hoc genus hominum uocat, duci iussit, ut eius ope liberaretur. lib.2.cap.4 in Vita eius.

Monasteria plura, quã credibile fermè est, extruxit. Refert enim autor, qui postremũ uitæ eius librũ cõscripsit, illũ 160 monasteriorũ patrem esse. lib.5.cap.2. Tritemius in Chron. Hirsaug. numerat 140.

Errores.

Gerhardũ fratrẽ, detrectãtẽ fieri monachũ,

sensit contra stimulum calcitrare.

Nullum religiosum in desideria carnis posse incidere existimauit: aut si incidisset, nō uerè esse religiosum. quod sicut à Sacris literis alienissimum est, ita ipsis etiam monachis, ad quos talia ebuccinare solitus est, seminarium quoddam desperationis præ se ferre uisum est. Lib.1.cap.6 in Vita Bernhardi.

Veritatem expiscatus est à mortuis. Nam cum satan in specie Galdrici auunculi nuper defuncti ipsi appareret noctu, quæsiuit ex illo, quid illa acerba & repentina commotio antequam expiraret, sibi uoluisset? Respondit nequam spiritus, duos cacodæmones se in puteum uoluisse præcipitare profundissimum, & inde turbatum: sed B. Petro accurrente, liberatum fuisse. Libro 1. capite 10.

Per Missam, precationes ad Deum, signaculum crucis, item patinam impositam capitibus obsessorum censuit satanam posse eijci. Quibus omnibus usus est Mediolani apud mulierem quandam, quā spiritus nequam diuexabat. Inter alia etiam ostiam patinæ imponens, eius capiti superimposuit hisce uerbis: Adest, inique spiritus, Iudex tuus: adest summa potestas, iam resiste si potes. Adest ille qui pro salute nostra passurus inquit: Nunc princeps huius mundi eijcietur foràs. In eius igitur potestate præcipio tibi, ut ab hac eius ancilla egrediaris. lib. 2. capite 3.

Aquæ benedictæ uim eijciendi dæmonia attribuit, si obsesso in os infunderetur. Lib.2.cap.3.

Chartulæ appēsæ collo dæmoniacæ, cui hæc uerba inscripta erant, In nomine Domini nostri IESV Christi præcipio tibi dæmon, ne hanc amodò mulierem præsumas attingere: uim tribuit propulsandi satanā, ne rediret ad uasculum quod prius obsederat. Lib.2.cap.4.

Ad comitem Aquitaniæ apud Perteniacum dixit: Quicquid extra Ecclesiā eamq; Romanam est, illud necessario iudicio Dei interire, sicut ea quæ extra arcam fuerūt, in diluuio absorpta sunt. Accommodauit ibidem exempla Dathan & Abyrō ad Romanam ecclesiam, qui ab ea deficerent, non auferre impunè. Item: Qui papam Romanum antichristum persequitur, huncipsum Dei filium persequi. Cæterùm semel atq; iterū eundem comitem monuerat, ut Romano pontifici Innocentio 2 recōciliaretur, & episcopos, præsertim Pictauensem, sede pulsos loco restitueret. Quod cū se facere posse negaret comes, post cultū exhibitum deo Maozim, hostiam patinæ imponit, comitē foris stantem tanquam excōmunicatū aggreditur uerbis minacibus: Supplicauimus tibi (inquiens) semel atq; iterum, & tu nos spreuisti. Ecce processit ad te filius uirginis, qui est caput & Dominus Ecclesiæ, quē tu persequeris, &c. Romanum pontificem ab ipso Deo eligi censuit. Lib.2.cap.6.

Animabus morientiū putauit cultū dei Maozim prodesse. Nam cū episcopus Malachus in Clareualle uitā finijsset, pro eius transitu Missam fecit. lib.4.cap.4.

Creaturis, ut aquæ, pani, nouam censuit conferri uirtutem curādorum morborum: in quem usum aquam consecrauit, ut hausta partum festinaret. Itemq; panē, quo gustato nonnulli à febribus liberati esse dicūtur. Item panem benedictum à corruptione esse immunem. Item sali benedixit, & animalibus apponi iussit, ut à lue præseruarentur. Ibidem.

De scriptis S.Hildegardis perperam sensit, non esse humanitùs inuenta, sed per Spiritum sanctum inspirata, quæ homo intelligere nō potest, nisi intrinsecus primùm fuerit reformatus. Chronicon Hirsaug.

Certamina.

Certamen ei fuit cum Petro Pisano, uiro eloquente & docto, pro Innocentio 2 contra Anacletum. Et primò quidem ostendit, aut Ecclesiam quā Innocentius regeret, ex Deo esse: aut alteram illam, cuius supremū caput Anacletus erat. At non esse uerisimile, quasi illa Innocentij Ecclesia à Deo reiecta sit, cum præsertim maximę populorum nationes, multi ordines monachorum adhæreāt, quos omnes damnatos esse necesse sit: quod tamen sit impossibile. Anacleti partes solum sectari Rogerium. Deinde uitam Anacleti de ipso testimonium dicere qualis sit. Ac cum superior extitisset in illo certamine, antagonistam Innocentio recōciliauit. Lib.2.cap.7.

Contra Petrum Abailardum, Britannum, perperā de unitate essentiæ diuinæ & personarum trinitate docētem, acriter pugnauit, & ad agnoscendum errorem adegit. Libro 3.cap.5.

Eodem modo contra Gillebertum Porretanum, Pictauorum episcopū pugnauit, qui de Deo sensit malè, quem apud Senonas in concilio refutauit. Ibidem. Et cuidā Heinrico monacho se opposuit, qui in partibus Tolosanis nonnulla de infantum baptismo, aliaq; mouit. Ibidem.

Galdricus auunculus, & Guido eius fratrum primogenitus, soliti sunt eum exagitare, eius facta calumniari, signa ab ipso edita extenuare, præsumptionis accusare, improperijs demum atq; conuicijs sæpe ad lachrymas adigere. Lib.1.cap.9.

Opposuit se etiam cuidam monacho, in multis

multis Galliæ & Germaniæ oppidis docéti, Iudęos in ciuitatibus manétes, ut hostes Christianæ religionis trucidandos esse. Frising. lib. 1. ca. 37. 38 de Friderico. Scripsit multa cótra abbates Vlméses, qui magnis sumptibus pontificalia insignia à papa impetrarunt. Vlmensis historia.

Dona eius.

Tantæ fuit autoritatis, ut omnes ipsum cum timore & amore quodam uenerarentur, non solùm personæ Ecclesiasticę, sed etiam politicæ. Ecclesiastici quidem suum sensum eius sensui & intelligentiæ submiserunt: eodem modo & politici. Lib. 1. cap. 15: & lib. 2. cap. 4.

Peculiare est quod in Vita eius indicatur, eum non habuisse inimicos: quod nec ipsi Christo, nec sanctis eius Apostolis accidisse, ipse Christus testatur: Eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum. Lib. 1. cap. 15.

Stampis in Gallijs concilio interfuit, uocatus eò à rege & præcipuis episcopis, ad sedandum schisma inter Innocentium 2 & Petrum Leonis, qui se Anacletum uocauit. Tantæ ibi autoritatis fuit, ut causæ cognitio tota ad illum reijceretur. Persuasit totũ concilium, ut reciperent Innocétium: persuasit & Heinricum Angliæ regem eodem modo Carnoti, qui Innocentio erat iniquior. Remis papa Innocentius eum & publicis & priuatis deliberationibus adhibuit. lib. 2. cap. 1.

Tantæ sanctitatis opinionis fuit, ut Mediolanenses omnia illa quæ tetigisset, etiã sancta arbitrarentur: uellicabant pilos quos poterant, de uestimentis eius, & ad curandos morbos illis utebantur. Lib. 2. cap. 2.

Dæmonia sæpenumero eiecit, multosq; morbos curauit. Lib. 2. cap. 3.

Futura interdum prædixit, quæ euentus comprobauit. Sic Theobaldo comiti in magnis constituto angustijs prædixit, quintò mense pòst pacem futuram. lib. 4. cap. 3.

Ludouico Francorum regi, bona cleri usurpanti, nec ullas admittenti admonitiones, prædixit filij interitum: Hæc, inquiés, tua rex pertinacia filij interitu mulctabitur. Et euentus id probauit. Nam extra mœnia Parisiensia equo decidens, animam exhalauit. Robertus Gag. lib. 6 de Francis.

Inter amicos, quibus usus est familiariter, fuit Theobaldus comes, q deposita cura gubernationis, Clareuallensi sese mácipauit cœnobio. Eius liberalitate pasſim noua monasteria, noua extructa sunt templa. Lib. 2. cap. 8.

Miracula.

Miracula edidisse fertur seu fingitur quáplurima pasſim, quónam locorũ ueniret, in Gallijs, Italia, Germania, Hispania: quæ tñ si ad amusſim uerbi diuini examinaueris, patebit, pleraq; pro stabiliẽdis errorib. fuisse facta. Nec dubium est, quin superstitionib. inualescentibus, multo plura ei sint attributa, quàm fecerit. Nos recitabimus quædã, saltẽ ut uideãt Lectores, qd ei attribuerint.

Iosberto de Firmitate, sanguine ipsi iuncto, mente & loquendi facultate priuato, promisit leuationem, si ablata ecclesijs restitueret, & onera, quibus pauperes presſerat, relaxaret. Postea ad secretá conuersus orationem & misſificandum, ecce nuncius adest, qui refert, Iosbertũ & loqui, & petere ut ad se ueniat, confessionem eius audiat, & Sacramenta de more impertiat.

Puerulo habenti manum brachiumq; aridum ab ineunte ætate, sanitatem restituit, cum pro illo orasset.

Nantonis in territorio Senonensi cuiusdam iuuenis pedem, qui fistula laborabat, tetigit, & protinus curauit. In Vita eius lib. 1. cap. 9.

Galdricum auunculum febricitanté manu tetigit, & febrem discedere iusſit. ca. 10.

Cum aliquando sub dio Guilhelmo cuidã literas dictaret, largusq; imber decideret, arte Bernhardi charta, licet scribendo ipse pergeret, nullam sensit iniuriam.

Fratri cuidam, quem propter latens crimen à cõmunione suspẽderat, & tamé accedenti, non quidem cõmunionem negauit: sed Deum deprecatus est, ut hominis temeritatem castigaret. Mox ille Eucharistiá in ore retinuit, nec ad interiora traijcere potuit, donec & fateretur delictũ. & ueniá peteret. Quo facto, sine difficultate deglutiuit.

Fusniaci in nouo quodá oratorio incredibilis muscarum multitudo ingredientib. molesta fuit. Cumq; nullum aduersus eas esset remediũ, dixit: Excõmunico eas. atq; protinus ea nocte omnes sunt mortuæ.

Claudum puerũ crucis signaculo signás curauit, cum primùm fuisset nonnihil reluctatus, & diceret, hoc esse Apostolicæ, non suæ uirtutis. lib. 1. cap. 12.

Cùm Catalauno discederet minus idonea tẽpestate, accidit, ut equorum alter elaberetur. Tentant qui unà aderant frustra eũ cõprehendere. Ideoq; dixit: Oremus. atq; uix recitata oratione Dominica, sua sponte redijt, seq; suo sessori reddidit. cap. 14.

Remis fœmina quædam filiũ dæmoniacum (ut putabatur) ad ipsum attulit, mutũ, cæcum & surdum, qui paulo antè matrem penè interfecerat. Quem cũ primùm blandè castigasset, propterea quòd matrẽ ausus fuisset lædere, caputq; demulsisset, incolumem matri restituit. Ibidem.

Nicolao cuidam clerico & monacho Clareuallis

reuallis roganti, ut sibi compunctionem & gratiam (uti uocant) lachrymarũ impetraret, tantam postquam orasset impetrauit, ut semper oculi lachrymis maderent. cap.15.

Mediolani mulierem reddidit incolumem, quæ septem annis à spiritu immundo uexata fuerat, spiritumq; fugat. Libro 2. capite 2.

Puero cuidam manum aridam in integrũ restituit, Albanensi episcopo apud illũ intercedente Mediolani. Ibidem.

Idem ille Albanensis episcopus febri laborans, cum ex patella, ex qua abbas cibũ ceperat, panem & aquam gustasset, mox cõualuisse dicitur. Ibidem cap.3.

Puellulæ cuidam, quę lucem usqueadeò exosam habuit, ut & oculos clauderet, & brachium obijceret (siquidẽ non sine cruciatu intueri se posse diceret) oculos aperuit, ubi crucis eam signo cõsignasset, illiq; benedixisset. cap.3.

Papiæ ad ipsum dæmoniacã quędã adducta fuit, quam primùm ad ecclesiam S. Syri remisit, curationis negocium isti sanctulo, quisquis ille est, demandans. Redit obsessa ad Bernhardi hospitium, multum spiritu immundo garriente: Non me Syrulus eijciet, non expellet Bernhardus porculos edens, & brassicas deuorans. Conuersus igitur ad orationem, dixit: Nõ te Syrus, non Bernhardus, sed Dominus IESVS Christus eijciet. Tunc mutata priorẽ ferocia, respondit spiritus: Quàm libens egrederer, si possem modò. Quid causæ esset interrogatus, respondit: Quia necdum uult magnus Dominus. Cui Bernhardus: Quis ille? IESVS Nazarenus. Vnde eum nosti, an unquã uidisti etiam? Vidi, & quidem in gloria, unde unà cum lucifero decidi. An'ne eam rursus tibi reddi gloriam cuperes, & in pristinum restitui locum? Hoc, inquit, nimis nũc serò est. His dictis, exire se simulauit. Nam cum limen domus attingeret, iterum eam more pristino occupauit & excarnificauit. Rursus igitur Cremonam ad Bernhardum adducitur. Ille ubi tota nocte orasset, sanitatem ei impetrat, iubetq; chartam hæc uerba continentem collo eius appendere: In nomine Domini nostri IESV Christi præcipio tibi dæmon, ne hanc amodò mulierem præsumas contingere. Ab eo tempore nunquam postea aliquid mali perpessa est. Ibidem. cap. 4.

Comitem Pictauensem, qui Petri Leonis partes tuebatur contra Innocentium 2, & nõnullos suæ ditionis episcopos loco mouerat, primùm hortatur, ut Innocentio obedientiã pręstet, & remotos ad suas sedes uenire patiatur. Tergiuersante comite, finita Missa hostiam patinæ imponit, & foràs extra templũ comitem alloquitur gestibus & uoce terribili, An'ne filium uirginis, rerum omnium Dominum suumq; iudicẽ ita uelit ut sese contẽnere, qui ad ipsum iam processisset? Comes perculsus in terrã corruit, saliua per barbam defluente, ita quidem ut epilepticus uideretur circumstantib. Quæ res tãtopere hominem terruit, ut protinus & reconciliaretur papę, & episcopum loco restitueret. Ibidem cap.6.

Vbi de dissipato exercitu, qui crucẽ acceperat, rumor in Gallias peruenisset, allatus ad ipsum est cæcus, & rogatus à patre, ut illi opem ferret. Vbi igitur orasset, manum cęco imponit, addens hæc uerba, Si uerbum prædicationis illius de cruce accipiẽda exiuisset à Domino, ut in illuminatione istius cæci id innotesceret. Et protinus puer dixit, se uidere. Lib.3.cap.4.

Tolosæ clericum quendam regularium S. Saturnini, paralyticum, moribundum, & iam animam agẽtem sanauit, ubi primùm hoc modo orasset: Quid expectas, Domine Deus? Generatio hæc signa quærit. Alioquin minus apud eos nostris uerbis proficeremus, nisi abs te fuerint confirmata signis sequentibus. cap.6.

In ciuitate Auxitanorum, quæ Vasconię metropolis est, miles quispiam multis diebus lecto decubuit. Ad quem cum rumor signorum Bernhardi uenisset, statuit ipsum inuisere. Cumq; aliquot dierum iter confecisset, occurrit illi quidam in uia, qui percũctabatur, quónã iter faceret, & qua de causa? Quæ ubi indicasset, iubetur domum redire, sic fore ut conualescat. Reuersus itaq; domum, in uniuersum sanitati restitutus est. De quo solitus est ipse etiã Bernhardus per iocum dicere, Hoc sibi sic imputãdum, sicut ei qui conscius omnino non fuerit. Libro 4. cap.1.

In Villano castro, quod à Claraualle sex distat miliaribus, mulier ultra tempus consuetum aliquot mẽsibus (si credere fas est) embrionem in lucem edere non potuit. Ducitur ad monasterium, causa aduentus indicatur hostiario. Is misericordia motus, accessit Bernhardum, nomine mulierculæ opem ab illo petens. Sed antequam reuerteretur, ecce iam tum pepererat.

Conæ in territorio Antisiodorensi, parturienti aquam præbuit benedictam. Eam postquam gustasset, protinus parit, quæ antea uiribus fuerat destituta pariendi.

In eodem territorio febricitantib. panẽ præbuit benedictum ad febrem depellendam, quem qui gustabant, conualuerunt.

Girardus quidam clericus Clamiceiẽsis, stulticiam plebis ridens, statim febre & ipse corripitur. Insequitur Bernhardũ Antisiodorum

dorum usq;,fatetur culpam,& multis precibus ab illo benedictionem obtinuit.

Panis cui benedixit,magnos morbos fugauit.Sic militi cuidam in Meldensi territorio,quartanam febrim abegit.

Iuueni cuidã de familia Geraudi Lemouicensis episcopi,ex capitis uulnere epilepsia laboranti,sanitatem reddidit.

Panis ab illo benedictus immunis à corruptione fuit, & multo tempore obseruari potuit. Sic Æschillo Danorum põtifici panẽ benedictum tradidit hisce uerbis: Ecce hunc tolle tecum,nihil deinceps de corruptione solicit9. Héricus & Girardus Sueciæ abbates testati sunt, totis annis undecim apud se eiusmodi panes esse incorruptos.

In Dania monachus quidam,cũ pro anima nobilis cuiusdã adolescentis, in agone iã existentis,missificaret,subito furore correptus est à sathana,ut non tantùm horribilem ederet rugitum,sed etiam sua & astantium membra impeteret atq; morderet.Loquebatur quidem articulatas uoces, sed quas circumstantes minimè intelligebant. Omnib.igitur ex illo casu consternatis,uni eorum in mentem uenit de reliquijs, quas anno præterito Æschillus archiepiscopus recondiderat de capillis & barba Bernhardi,eiusq; dentẽ unum. Adferuntur solenniter,pectori furiosi superimponuntur. Quo facto,lingua Germanica exclamauit furiosus monachus: Tollite, tollite, amouete Bernhardum.Item:Heu quàm ponderosus factus es Bernharde,quàm grauis,quàm intolerabilis factus es mihi.Et protinus liberatus est.

Sali benedixit, & animalib. apponi iussit,ut à lue essent libera. Ibidem.

Gaudi,ubi Caziacenses monachi degũt, iuuenem claudum oratione & benedictione sanauit. In Algorio uico itidem mulierẽ phreneticam.

In territorio Tolosano apud Viride foliũ puer mancus & claudus à prima ætate, ad cuiusdam martyris memoriam utriusque pedis & alterius manus sanitatem acceperat.Eò cum uenisset Bernhardus, alterã manum,tanquam sibi reseruatam,benedicendo curauit.

Caturcij in Aquitania unus seruorum episcopi alterum oculorum amiserat:cui ubi imposuisset manum,uisum restituit.

In pago Engolismensi, in loco cui nomen est Castellare,post cultum dei sui Maozin puerum claudum & mancum, ita quidem ut genua cubitiq; in modum pilæ umbilico adhærerent,& pedes natibus,crucis signo consignatum curauit,membris protinus extensis.

In Lemouicensi pago puero nato annos decem, ab utero matris cæco, uisum restituit,cum sputo oculos eius leniuisset, & orasset.

In Germania,cum crucem accipiendam prædicaret, plurima edidit.In agro Constãtiensi,circa uicum quẽ uocant Doinguent, uno die undecim cæcos, mancos decem, claudos octodecim curauit.

Constantiæ cæco cuidam,qui ab abbate Augiensi ad ipsum missus uenerat,uisum restituit Item in loco Heytereseim cæco nato,surdo itidem & muto opitulatus est.

Basileæ, ubi concionem ad populum habuisset,fœminam mutam,uirum claudum, & alium etiam cæcum curauit.

Spiræ in præsentia Cõradi 3 claudo puero,ubi manum imposuisset,sanitatem reddidit.Item cæcæ cuidam mulieri, atq; claudo nato opem tulit.Ibidem Imperator ipse pueros pauperculos proprijs manibus ad illum adduxit,ut eos curaret.

Francoforti senem quendam, paralysi laborantem,sanauit. Eodem modo curauit paralyticam fœminam ibidem, & puerum surdum & mutum.

Ad ripam Rheni, in uico qui Bobardus dicitur, paralyticum sibi oblatum sanitatĩ restituit.

Treueris duæ sorores, quæ quatuor annis amborum oculorum lumen amiserãt, oblatæ illi sunt: quarum utriq; cum crucis signum impressisset, protinus uiderunt, & ipsum secutæ sunt.

Ibidem, ubi in basilica ad altare B. Petri apostoli missificauerat,claudum,cæcum,& surdam mulierem sanauit.

Confluentiæ claudum ambulare fecit.

Coloniæ adolescentẽ claudum sanauit. Phreneticæ mulieri mentem restituit integram. Moniali surdæ auditũ reddidit. Mulieri quæ toto quinquennio alterius oculi lumen amiserat,& multum medicis erogauerat,per signum crucis uisum restituit. Et aliam etiam in lecto decumbentem, cuius nerui quasi contracti erant,in basilica sancti Petri curauit.Intra triduum ibidẽ,ut summatim dicamus,duodecim claudis, mãcis duobus,cæcis quinq;, mutis tribus, surdis decem opitulatus est.

Aquisgrani claudo homini gressum,& cæcis quatuor uisum restituit inter missificandum.

Fontanis in Leodiensi territorio oculos aperuit puero,qui cæcus natus fuerat.

Cameraci sub Missa puerum surdum & mutum ad se allatum curauit.

In Hispanijs Alberto cuidam fabro,in loco cui nomen est Superadum, paralytico absens opem tulit. Nam eadem hora cum in Clarauallе pro ipso orasset, cœpit habere

habere meliusculè, atq; conualuit.

Ex Musseia uilla uenit ad ipsum hydropicus ad Claramuallē, cui cum manus imposuisset, & orasset, proprio illum cingulo cinxit, mandans, ut postquam cōualuisset, cingulum restitueret. Rediijt homo circa diem uicesimum postea sanus, & gracilis corpore, reportans cum gratiarum actione cingulum.

Paralyticum ex Mundiuilla ipsi oblatū, cum aliquando expaciaretur, tetigit & curauit.

Sic rediens aliquando ad suum monasterium, præ foribus surdum & mutum reperit puerum. Expuit igitur, & tetigit linguam eius, atque digitos in aures eius immisit, & protinus curat.

Cum pertransiret uicum Malenuillam, puellam mancam tetigit & sanauit.

In Burdemonte puerum surdum & mutum, à duobus ad se allatum militibus, restituit in integrum.

In Risnelmo oppido Simoni cuidam adolescēti claudo restituit gradiendi facultatem.

Barris super Albam quatuor claudis, cæcis duobus, surdis & mutis itidem duobus opitulatus est.

Barris super Sequanam cæcus, paralyticus, & claudus ab utero matris puer ab illo sanati sunt.

Chaletę puero paralytico, ita ut caput flectere non posset, nisi ab altero moueretur, medetur, cum eum cruce signasset.

Cistercij ad ipsum allatus puer est, qui subito terrore audiendi facultate fuerat priuatus: & huic sanitatem reddidit.

In diœcesi Bisuntina, in loco cui nomen est Carus, mulier clauda offertur illi. Orans igitur, & signans cruce, protinus erigit & sanat.

In monasterio Moribundo ordinis Cisterciensium monachum paralyticum uisitat, & opem fert.

In Alberipæ monasterio monachus quidam adolescens usum uocis amiserat. Huic aquam cū uino miscet, benedicit & propinat: qua hausta, uocem recuperat, & cum alijs psallere potest.

In monasterio Trium fontiū clerico cæco uisum restituit.

In urbe Trecēsi puellam curuam erexit, ut liberè quocūq; uellet locorum graderetur. Ibidem mutam quandam puellam ex epilepsia sanat, & sub Missa cæcum puerum illuminat.

Argilleriæ, exacta Missa, fœminam claudam signatam cruce sanat.

In Rosnanio oppido paralyticum cruce signat & sanat.

In castro quod Brena dicitur, fœminam claudam tetigit & erexit.

In pago Senonico apud castrum quod Triangulum uocant, inter missificandum fœminam annis decem captam oculis sanat, uisumq; restituit.

Apud monasteriū, ubi Yona & Sequana confluunt, paralyticam fœminam sanauit.

Cum Iouiniacum castrum transiret, oblata illi fœmina cæca fuit: pro qua cum orasset, uisum recepit quamprimùm. Eodē modo monoculus puer ab illo curat⁹ est ibidē.

Chableiæ adolescenti claudo facultatem gradiendi dedit. Lib. 4. cap. 4.

Pater quispiam filium suum, pluribus simul obnoxium malis, utpote fatuum, mente captū, claudum, surdū & mutū, ad Clareuallense attulit monasterium. Ad quem egressus, manus ei imposuit, atq; quamprimùm reddidit incolumem.

In loco qui Lōgus campus dicitur, puellam claudam sanauit cruce signans.

Lingonis in basilica B. Mannetis martyris, cum primùm populum ad faciendas eleemosynas in pauperes fuisset exhortatus, oblata illi est mulier clauda, quam protinus curauit.

Ad Rutinense cœnobium, quod in Treuerensium diœcesi situm est, quidā Guntramus de Sura fœminam claudam reptantē offerri fecit, ubi eo tempore missificabat Bernhardus. Cumq; præ nimia hominum multitudine, qui cōfluxerant, ipsi se sistere nō posset, in media basilica repētè cōualuit.

Rutinæ in eius præsentia eodē die subita lux cœlitùs delabi uisa est, ex qua claudæ duæ fœminæ, & cæci uiri duo sanitatē receperunt.

Friburgi in Constantiensi diœcesi cæco in uia manū imposuit, ex quo lumē recepit.

In oppido S. Florentini in Senonensi territorio surdæ mulieri manum imposuit, moxq; illa sanata est.

Metis oblatus est illi surdus. Conuersus igitur ad nobilem quendā Heinricū de Salinis, qui ciuitatis incolas grauiter afflixerat, dixit: Tu nos audire contemnis, quos continuò corā te audiet surdus. siquidem antea eum ad pacē fuerat frustra hortatus. Imponit surdo manū, signat, & digitos auribus eius immittit, protinusq; sanat. Quod cū Heinricus ille uidisset, ad pedes ipsius sese prosternit, confitetur delictū, & promittit omnia se postulata facturum.

Brenæ cæcam fœminam stipem mendicantem præterijt. Eam aliquantulum intuitus, dicit: Tu argentum petis, & Deus tibi uisum donabit. Cumq; eā tetigisset, uisum protinus recepit.

In uico quem Riuolium nominant, in diœcesi

diœcesi Remensi,in senem quendam claudum mendicantem incidit. Prætergressus paululùm subsistit,eumq; ad se adferri iussit.Quod ubi factum,ait:In nomine Domini & eius uirtute præcipio tibi,ut eas & sis sanus ab hac hora. Et conualuit protinus. lib.4.cap. 5 in uita Bernhardi.

Non diu ante obitū,Metim pacis faciendæ causa iuit:ubi mulier, quæ octo annis uehementi tremore & ualidis motibus laborabat,ipsi oblata est.Pro qua cum orasset, prorsus sanata est.

Ibidem paralyticam impositione manuū, & oratione curauit. Cæco uisum itidem restituit.

In monasterio S.Benedicti,paucis à Metēsi ciuitate miliaribus,puerū claudum monachi alebant, qui solo manuum ministerio reptabat de uno loco ad aliū.Eum currui impositum aduehunt Metim: cui sanitatem reddidit, imponens illi manus, & pro eo orans.

Eodem tempore alij etiam claudo non procul ab illo monasterio opitulatus est.

Prope urbem Leucorum plurimis uidentibus cæcam fœminam illuminauit.Lib.5. capite 1.

In monasterio Bellaualle quidā dæmoniacus erat, ad quem Pontius eius loci abbas stolam, qua inter missificandum usus fuerat Bernhardus, detulit,ut ea dæmonium fugaret. Quid fit? Vix limen attigit cellæ, in qua obseruabatur dæmoniacus, exclamauit nequam spiritus:En egredior,recedo protinus, manere ultrà non possum. Atq; dicēte Pontio: Per nomen Domini & ipsius beati uiri meritum, cuius hæc stola fuit,tibi pręcipio,exi citius,ne moreris. exiuit protinus.lib.4.cap.7.

Hactenus maximam miraculorum congeriem recitauimus.Nunc ipsius etiā Bernhardi de suis miraculis iudicium adscribendum duximus, quod extat libro 3. cap. 6 in uita ipsius. Aliquando ad suos domesticos oratione cōuersa,dixit: Plurimùm miror,quid'nam sibi hæc miracula uelint,aut quid uisum sit Deo talia actitare per talem. Nihil mihi uideor in Sacris paginis super hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa per sanctos homines & perfectos,facta sunt & per fictos.Ego mihi nec perfectionis conscius sum, nec fictionis.Scio enim sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur: confido autem, nec ad eorum sortem me pertinere, qui uirtutes multas in nomine Domini operātur, & à Domino ignorētur.

Visiones eius.

Visiones etiā multas habuit,eiusdem generis cum miraculis, quas efficaces sathanæ illusiones rectè dixeris, si finem spectaueris: quarum catalogus recensetur in historia uitæ ipsius.

Puer adhuc,in nocte natiuitatis Domini, cùm hora nocturni officij celebrandi aliquantisper protelaretur, & ipse obdormisceret,uisus est uidere IESVM infanté quasi ab utero matris in lucem edi. Vnde ipsi toto uitæ tempore persuasum fuit, istam uirginei partus fuisse horam.lib.1.cap.2.

Matrem suam post mortem confessus est se uidisse,serena facie subridentem,& congratulantem filiorum proposito,qui monachi facti fuerant.cap.3.

Aliquando foras extra Claramuallem manè exiens, orabat Deum,ut suum & reliquorum monachorum obsequium benignus acciperet:modicèq; clausis oculis,ingentem hominum multitudinem diuersæ conditionis ad inferiorem uallem uidit confluere,eamq; implere, ut omnes capere non posset. quo uberrimus ociosorum monachorum prouentus significatus est. cap.5.

Nocte quadam puerum claritate fulgentem sibi adstare aliquando uidit, præcipientem, ut omnia quæ ipsi suggererentur, intrepidus loqueretur:ipsum enim Spiritū sanctum esse qui loqueretur.cap.6.

Alia nocte, cum attentius solito orasset, & obdormiuisset, audiuit strepitus tanquam copiosæ multitudinis transeuntis. Euigilās cellam egreditur, & abeuntes insequitur. Consistunt in fruteto,& alternatim canunt: quod cum uoluptate audiuit. Eo in loco postea oratorium extructum est.cap.7.

Galdricum auunculum defunctum post aliquot dies noctu uidit.Sciscitatur quo in statu sit? Respondet auunculus: In prospero.Quærit iterum Bernhardus,quid causæ fuerit,ut in agone infremeret, & corpore terribiliter moueretur? Eadem (ait ille) hora duo nequam spiritus me in puteum profundissimum præcipitare nitebantur, unde ita contremui: uerùm accurrente B. Petro,euasi liber, ne qua mihi uis fieret.capite 10.

Accidit ut grauissimè aliquando laboraret, ita quidem ut finem uitæ suæ instare existimaret. Tunc tale quid uidit: Stans in littore,uisus est uidere nauē rectà ad se nauigare,quę ipsum transueheret.Festinat ter ingredi,sed recedit iterū,nec reuertitur tandem. Hinc intellexit, finem migrationis suæ nondum adesse.

Eodē tempore cū ægrotaret, iubet suos ad basilicam ire, & pro se orare.Orantibus illis,apparet illi Maria (si credere fas) duobus comitata ministris, Laurentio & Be-

nedicto abbate, ad quorum altaria preces fiebant:imponentesq; manus, omnē illi ęgritudinem depellunt.cap.13.

Stampas iturus ad concilium, uocatus à rege Francorum, nocte uidit Ecclesiam magnam, una uoce laudes Deo canentem. lib.2.cap.1.

In urbe Nouiomensium adductus est ad ipsum quidam puer Herueius de Baugenceio, ex regio ortus stemmate, episcopi illius nepos. Hunc nocte sequente præuidit aliquando fore monachum. libro quarto, capite 2.

Lutetias Parisiorum cum aliquando uenisset, tres ibi sectatores ex clero inuenit. Aduentante primo, seorsim monachum assistentem alloquitur: Istum (inquiens) sicut nunc uideo uenientem, nocturna uisione præuidi.lib.4.cap.2.

Malachiæ etiam mortui inter missandū ipsi gloria reuelata est:quam uisionem tamen nemini aperire uoluit, quó nam facta fuisset modo.ibidem cap.4.

Visus est etiam uidere aliquando puerum, de quo spiritus nequam exiuit, iuxta Albam fluuium: qui sequenti die, ut ut eū uiderat, ipsi oblatus est, mente captus, claudus, surdus & mutus. lib.4.cap.5.

Peculiaris casus.

Cum adhuc in carne uiueret, apparuit cuidam monacho nouitio ægrotanti, illiq; mortis diem prædixit, quintum scilicet ab eo quo se ægroto reuelaret. libro quarto, capite 2.

Curriculum.

Cum igitur annos ętatis 64 expleuisset, grauissimo uentriculi morbo laborare cœpit, ita ut nihil quicquam nutrimenti reciperet:accessit pedum tumor, qualis hydropicorum esse solet:quibus incrementum accipientibus, tandem extinctus est, 13 calend.Septemb.anno 1153. Hæc de se ipso in quadam epistola, quam ægrotus dictitauit ad Arnaldum Boneuallensis abbatem.

Moriturus non proprijs operibus confidit:sed se nudū operibus bonis, illisq; prorsus destitui sensit, sicut eadem epistola testatur, his uerbis: Orate Saluatorem, qui nō uult mortem peccatoris, ut tempestiuum iam exitum non differat, sed custodiat. Item: Curate munire uotis calcaneum nudum meritis, ut is qui insidiatur, inuenire non posit ubi figat dentem, & uulnus infligat. Lib.5. cap. 2 uitæ eius. Et paulo pòst ad reliquos monachos, se seruum inutilem dixit, & arborem sterilem, ex cuius uita nullus sibi fructus, nullus alteri cuiquam proueniret.ibidem.

Ante obitum (tria hæc sedulò sectanda) suos monuit fratres, ut neminem offenderent, & si fortè id fecissent, scandalizatos in uiam reducerent: ut minus suo sensui quàm alieno crederent:ut læsi de lædente uindictam non repeterent. Ranulphus lib. 7.cap.20.in Polychronico.

Sepultus est in Claraualle ante altare D. Virginis, indutus ueste Malachiæ. Nā suo pallio Malachiæ exuuias induerat, eius ueste ad suam sepulturam sibi reseruato. lib. 5.cap.2.3.

Eum tandem Alexander tertius canonizauit, & in numerum Sanctorum retulit, sicut ex epistolis Vitæ eius adiectis apparet.

Apparitiones eius fabulosæ, seu diabolica spectra.

Quidam Guilhelmus de monte Pessulano, monachus Grandis syluæ, eadem nocte quæ Bernhardo postrema in hac uita fuit, uisus est ipsum in somnis uidere, ducentem se ad radices montis Libani. Iubetur Guilhelmus ille in pede montis consistere, se ascensurum ad discendum, siquidem nulla hic scientia, nulla ueri cognitio: sursum uerò plenitudo scientiæ, sursum noticia ueritatis sit. lib.5.cap.3 uitæ eius.

Præposito cuidam in uicino monasterio apparuit, inquiens: Noueris quia iam migro, nec ulterius hic morabor. quo etiam die obijt.ibidem.

Proxima nocte, postquam corpus mortuum sepulturæ traditum fuit, cuidam in Claraualle monacho apparuit fulgente facie & uestitu. Quem cum comprehendere & remorari conaretur, dixit, se cuiusdam fratris simplicis causa uenisse. Obijt uerò sequenti die unus ex eorum numero.lib.5. cap.3.

Aliquot diebus interiectis, rursus cuidam apparuit monacho, arguens eos quòd ipsius causa tantopere doluissent, monésque ut in ea doctrina atq; disciplina, quā à se acceperant, constanter perseuerarent.

ROBERTVS.

Robertus Dunēsis abbas, patria Burgensis, ab ipso Bernhardo animam agente Claruallis denominatus est abbas atq; successor. Vita Bernhardi lib.5.cap.3. Chron. Flandriæ lib.5. Is concilio ad Aquas pensiles interfuit. Chron. Cas. lib.4.cap.110.

RICARDVS FASTOLPHVS.

Ricardus Fastolphus, ordinis Cisterciensis monachus, claruit circiter annū 1140. Is Anglus fuit ex ciuitate Eboraco oriundus, probatæ uitæ uir, admodum familiaris S. Bernhardo & Henrico Murdacho, quorum opera factus est abbas Fontanus. Vita Bernhardi uocat de Dunis. Tandem abbas Clareuallēsis cōstituitur:quod multo antè monacho cuidā in Claraualle fuerat reuelatū.lib.4.ca.3 in uita Bernh. ubi præcentoris olim

olim officio functus fuerat. Scripsit librum Homiliarum elegantem & lucidum. Item de Musica librum. Balæus Cent.3.cap.71.

GERARDVS.

Gerardus abbas Clareuallensis à quodã Hugone de Baschoijs, eiusdẽ ordinis monacho, nocte quadã ter cultello petitus, cũ in dormitoriũ iturus esset, eo q; seuerè in ipsum uindicauerat, letaliterq; uulneratus est, anno 1176. Vita Bernhardi lib. 5. cap. 3. Chron.Fland.lib.5. Vincentius lib.29. cap. 31. Vixit post accepta uulnera triduũ, & recitata cõfessione, & sumpta Eucharistia expirauit. Continuator Sigeberti.

PETRVS.

Petrus monoculus, monachus Igniacensis primùm, in eodem monasterio unanimi consensu eligitur abbas. Inde ad Clareuallem citatus post Gerardũ, tergiuersatus aliquãdiu, uenit tandem, & ibi abbas constituitur. Vincentius lib.29.cap.30 &31. Hypocrita autem insignis fuit.

Coluit deum Maosim, & se aliorũ intercessorem fecit, ut Vincentius de ipso narrat, quòd Missam pro Henrico Campaniæ comite celebrauerit. cap.30. lib.29. Eodẽ modo suum deum Maosim obtulit pro interfecto Gerhardo, rogatu aliorum abbatum. cap.31.

Recenset præterea opera plenè monastica, ut quòd cõmunibus usus fuerit cibis, ac de illis ipsis multum sæpe sibi subtraxerit: quòd unico cucullo & tunica contentus uixerit, & ne quidẽ hyeme sese plurib. aduersus frigus muniuerit: quòd noctu strenuè uigilauerit, & similes nugas. Ex uehementi capitis dolore iacturã unius oculi fecit, cũ in Regia ualle abbatẽ ageret. Idem cap.32.

Tanta eius sanctitatis opinio fuit, ut ipse papa ei sit confessus, & Eucharistiam de manu eius acceperit.

Visiones, seu efficaces illusiones satanæ, pro confirmandis idololatricis cultibus factas, plures habuit. Tandem collectus est ad maiores suos.

CONRADVS.

Conradus Henrici Bauariæ principis filius, adhuc iuuenis episcopo Coloniẽsi traditus est, ut isthic disciplinam monasticam & bonas literas addisceret. In quib. cum adeò ꝓfecisset, ut ab omnib. diligeretur, & magnis honorib. dignus iudicaretur, uitaturus dignitates, opes, gloriamq; mundi, in Clareuallense cœnobiũ, aliquot socijs adhibitis, cõcessit, ubi monachũ aliquãdiu egit. Inde peregrinatus est Ierosolymã, atq; cuidã eremitæ in loco deserto inseruiuit. Ibi cum malè haberet, atque ad Clareuallem rediret, in itinere Barris occubuit, ubi & sepultus est. Chronicon Hedionis 3 parte.

BERNHARDVS.

Bernhardus, qui olim uicedominus ecclesiæ Pisanæ, & in Clareuallense monasteriũ fuerat ingressus, ab Innocentio 2 ad Aquas Saluias accersitur cũ alijs nõnullis, ut isti præesset monasterio, circiter annum 1137. lib.2.cap.7 uitæ Bernhardi.

CISTERCIENSES.

ALBERICVS.

ALbericus abbas Cisterciẽsis præfuit annis 9. Obijt anno 1107. Sigebertus.

STEPHANVS.

Stephanus Hardungus, monachus ordinis S.Benedicti, ubi primùm ritus monasticos in Scherburnensi cœnobio Angliç didicisset, in Scotiã, & inde in Italiam contendit, ubi prophanis studijs aliquandiu incubuit. Postea peragrata Roma atque Italia, in Burgundiam redijt, & Molismense monasterium ingressus, denuò se in monachũ ibi tondi fecit. Vbi cum non omnia ad suũ nutum fieri uideret, adiunctis sibi 18 socijs monachis, Cisterciũ adijt, & eius sectę fundamenta ibi iecit. Scripsit

Chartam charitatis,	lib.1.
Vitæ monasticæ ritus,	lib.1.
Exhortationes ad suos,	lib.1.

Atq; alia. Claruit anno 1107. Balæus Cent. 2.cap.63.

RAINALDVS abbas Cistercij obijt anno 1151. Cont. Sigeberti.

ALEXANDER abbas Cisterciensis à papa Alexandro 3 missus est ad regem Galliæ, anno 1175, pro firmanda pace inter Henricum Angliæ regem & filium eius, regem iuniorem. Sed parum effecit.

CLVNIACENSES.

PONTIVS.

POntius abbas Cluniacẽsis arrogantissimus fuit. Nã in synodo Romana se Abbatẽ Abbatũ iactabat: quã tamen dignitatẽ Casinensis minimè ei cõcessit, cũ Cluniacenses porci à Casinensibus regulã Benedicti perceperint. Chron.Cas.lib.4.cap.62.

Peregrinatus est Ierosolymã, spondẽs, si incolumis rediret, se uelle Casinẽsem fieri monachũ. Ad abbatiã fortè eo in loco aspirauit superbus monachus. Et eius rei fidẽ facit, quòd cũ aliquando Casinum uenisset, omniaq; ibi exquisitissimè perlustrasset, dixit, Se malle Casini decanũ, quàm Cluniaci abbatem agere. Ibidem cap.77.

Pontificib. sui temporis charus fuit, ita ut eius familiaritate mirificè delectaretur, multaq; ipsi & dona & priuilegia cõferrẽt. Bergomensis lib. 12.

Lanceã, quã latus Christi perfodisse fabulabatur, prætulit homo stolidus exercitui prodeũti in bellũ aduersus Saracenos, anno 1124. Sigebertus, Vincent.li.26.ca.43.

PETRVS.

Pōtio succeſsit Petrus. Is unus eorũ eſt, qui Romanã nequitiã animaduertit, & accuſauit etiã. Catalog.teſt.ueritatis. Scripta:

Reuelationes multorum,	lib.1.
De conuerſatione eremitica,	lib.1.
Epiſtolæ ad diuerſos,	lib.6.

Trithemius de Scriptorib.Eccleſiaſticis.

ROBERTVS, HVGO, STEphanus.

Robertus Groſſus ſemilaicus, comitis Flãdriç cognatus, p intruſionẽ Petro ſubſtituitur, anno 1158. Sed eo paulo pòſt mortuo, Hugo eius monaſterij prior, abbas deſignatur. Hũc ſubſecutus eſt Stephanus, qui anno 1173 in Angliã uocatus à rege eſt ad concilium. Obijt ſequenti anno.

RADVLPHVS.

Radulphus comitis Theobaldi cõſobrin⁹, prior de Charitate, Stephano ſucceſsit, anno 1174. Pręfuit triennio, & remotus eſt.

GALTERVS, GVILHELMVS.

Galterus prior S.Martini de Cãpis, in locũ Radulphi ſubſtituitur, anno 1177. Is Cluniacũ breui tẽpore magno ære alieno exonerauit. Obijt anno 1180. Huic Guilhelmus abbas Rameſiẽſis ſucceſsit. Is de pprio magnã partẽ reſidui æris alieni perſoluit. Priorem de Stallo depoſuit, habẽtem in equitatu 40 equos, mandans ut tribus eſſet cõtentus. Suſtulit 140 procurationes, quas ex cõſuetudine & liberalitate abbatũ iſtius loci, nobiles, quos Burgẽſes uocat Continuator Sigeberti, habere ſolebant. Obijt anno 1181, in Epiphanijs Domini. Poſt Guilhelmũ Theobaldus: quo ad Hoſtienſem epiſcopatũ translato, eandẽ abbatiam adminiſtrat filius comitis de Claro monte, cuius tamen nomen nõ exprimitur, anno 1185. Sigeberti Continuator.

RICHARDVS.

Richardus monachus Cluniacenſis, uir doctus, nonnulla conſcripſit, quorum hi ſunt tituli:

Hiſtoriam temporum,	lib.1.
Epiſtolarum ad diuerſos,	lib.1.
Accedunt quæ carmine edidit:	
De Cluniacenſi monaſterio,	car.1.
De Anglia & eius laude,	car.1.
De Londino & eius laude,	car.1.
De Maria Magdalena,	car.1.
De D.Catharina,	car.1.
Epigrammatum,	lib.1.

Atq; alia multa congeſsit. Balæus Cent.13. cap.19. Claruit anno 1160, iuxta Tritemiũ. Alij reijciunt ſub finem huius ſeculi.

BERNHARDVS.

Bernhardus Morlenẽſis, monachus Cluniacẽſis, claruit anno 1140. Is inter reliquos ſuos cõmilitones monachos habitus eſt omniũ doctiſsimus. Scripſit proſa & carmine nonnulla, quorum aliqua Petro ſuo abbati dedicauit, quorum tituli ſunt:

De mundi contemptu,	lib.3.
Verſus de mundo,	lib.1.
De Verbi incarnatione,	lib.1.

Et alia nonnulla. Balæus Cent.10. capite 49 Scriptorum Britanniæ.

HISPANIAE MOnachi.

ROBERTVS PAPILONENSIS.

Robertus Retenenſis, natione Anglus, archidiaconus Papilonẽſis in Hiſpania, claruit circa annũ Domini 1143. Is ubi literarũ prima rudimẽta in patria, pcepiſſet, in Gallijs, in Italia, Dalmatia & Græcia ſcholas celebriores adijt. Tandẽ in Aſia inter Saracenos linguã Arabicã exactè didicit. Inde reuerſus, in Hiſpaniã totũ ſe Aſtrologię dedit. Rogatu Petri Cluniacẽſis abbatis, trãſtulit in Latinum ſermonem,

Mahumeti Alcoranum,	lib.1.
Super doctrina Mahumeti,	lib.1.
De Alcorani uerſione,	lib.1.

Ad eruditos uiros epiſtolas plures. Et alia q̃dã. Balæus Cẽt.2.cap.80 Scriptorũ Britan.

ALEXANDER GRANDIS ſyluæ.

Alexãder Coloniẽſis, adiunctis ſibi alijs triginta ſocijs, ſectatus eſt Bernhardũ, eiusque miraculorũ inſpector fuit. Is tandẽ abbas Grandis ſyluæ ab eodẽ conſtitutus eſt. lib.4.cap.5 in Vita Bernhardi.

HENRICVS TOLOSANVS.

Hẽricus quidã monachus in partib. Toloſanis, de Sacramẽtis Eccleſię pperàm docuiſſe fertur, & ipſis etiã ſacerdotib. multũ derogaſſe. Ex eius dogmatib. ſecutũ, ut paruulis baptiſmus negaretur, oratiões & oblationes riderẽtur, Sanctorũ inuocatiões, ſacerdotũ excõmunicationes, peregrinationes ad loca Sanctorũ, baſilicarũ ędificationes, dies feſti, conſecrationes chriſmatis & olei, & omnia deniq; Romanæ eccleſię inuẽta pro nihili haberentur. Ei ſe oppoſuit D. Bernhardus Toloſæ. Paulo pòſt uerò captus, & ab Alberico Oſtiẽſi epiſcopo cuſtodię traditus. lib.3.cap.5 Vitæ Bernhardi.

MONACHI GERmaniæ.

FVLDENSES.

GOTFRIDVS.

Gotfridus, aliàs Gothardus dictus, abbas iſtius monaſterij cõſtitutus eſt anno 1196. Is qa Heinrico 4 addictus fuit, eo ſublato, in calamitates incidit. Nã apud filiũ Imperij ſucceſſorẽ ex inuidia traductus, ut Valẽtin⁹ Mũtz. in Chronol. refert, quaſi pdigaliter monaſterij bona in quoſdã laicos erogaret, neglectis fratrib. quos ſuo demẽſo defrau-

defraudaret, ac loco motus, Coloniæ commoratur, ibiq; moritur, cum 13 annis præfuisset, anno Domini 1109. Bruschius.

VVOLFFHELMVS.

Vuolffhelmus succedit. Is ut homo industrius, ita etiam laboriosus & bellicosus fuit. Arcem Haselstein aliquandiu obsidione cinxit, non sine iactura rerum monasterij. Postea etiam confœderatum abbatem Hersfeldensem in obsidione Vuartenburgi castri iuuat. Sed ibidē captus, deinceps toto triennio detinetur in arce Missenburgo: quo exacto, ab Imperatore Heinrico 5 liberatur. Eam postea arcem demolitus est abbas. Muntzerus in Chronologia. Tandem ad Imperatorem defertur, quasi bonorum monasterij decoctor, & loco mouetur, cū annis 5 præfuisset, anno Salutis 1114, atq; non multo pòst moritur. Bruschius.

EHRLOLFFVS.

Ehrlolffus monachus Murbacensis, uir alioquin ingeniosus, prudentiæ atq; facundiæ singularis, ab Heinrico 5 per intrusionem substituitur. Res hic proprias negligenter egit, aliena uerò curiosè tractauit. Eius tempore monasterium penitùs collapsum est. Haselstenium & Missenburgium arces munire cœpit. Interfuit legationi cum Brunone Spirensi episcopo, ad Romanum pontificem Calixtum 2 missæ Imperij causa: atq; cum Vuormaciam reuersus esset, cū prius Nigromantiam didicisset, ut Munzerus refert, moritur, anno Salutis 1122, cum annis 8 præfuisset. Bruschius.

VDALRICVS.

Vdalricus, uir honestus atq; liberalis, à Calixto 2 consecratus, præficitur, anno 1122. Is ruinas monasterij reparare cœpit: cumq; utramq; porticum, & Orientalem & Occidentalem, fermè absoluisset, mortuo pōtifice, à quo fuerat inauguratus, ecce ab Honorio 2 legatus cum Lothario Fuldam uenit, atq; ciues reliquosq; monachos, quamuis inuitos, à iuramento suo abbati præstito absoluit, eumq; loco mouet. Amotus Herbipoli reliquum ætatis degit ad mortem usq;. Præfuit annis 5. Bruschius, Munzerus in Chronologia.

BERTHOVS.

Berthous uel Bartochus, Schlicko uel Schliczius, prępositus maior. postquā Heinricus quispiam, de quo in Catalogo Frisingensium episcoporum, spontè resignasset, circiter annum Domini 1133 abbas Fuldensis designatur. Vir & ingeniosus & disertus fuit. Is statim facta electione, Romam contendit cum Lothario: ubi ab Innocentio 2 non tantùm consecrationem, ab Imperatore uerò regalia accepit, sed etiam potestatem simul gestandæ mitræ, annuli, baculi, & reliquorum insignium pōtificalium. Lis inter ipsius & Magdeburgensis archiepiscopi ministros fuit, uter eorū primum teneret locum, an abbas, an uerò Magdeburgēsis: quæ tandē per Imperatorē (cuius archicancellarius omni tempore est Fuldensis) dirempta est, & abbati primus designatus accubitus. Præfuit annis duobus. Bruschius, Muncerus in Chronologia.

CONRADVS.

Cōradus præpositus maior ecclesiæ Fuldensis, cuius magna tum temporis autoritas fuit propter religionem, liberalitatem & temperantiam, cōsilio D. Bernhardi abbas constituitur, eumq; cardinalis quispiam legatus protinus confirmat. Is montem D. Petri nouis beneficijs locupletauit. Bellicis expeditionibus per Italiam, Galliam, Germaniam cū Imperatore interfuit. Præfuit annis septem, & postea appositus est suo populo, anno 1140. Sepultus est in monte S. Petri extra Fuldēsem urbē. Bruschius.

ALERHOLFVS.

Alerholfum Conradus 3, quē secutus fuerat, omnibus consentientibus, præfecit. Malè aūt præfuit. Inhumanus in omnes, durus in fratres fuit. Cumq; alia quoq; mala suborirentur, per Eugenium 3 remotus est, anno suæ gubernationis septimo, iuxta Munzerum & Bruschium.

RVGGERVS.

Ruggerus, uir probus, omnium consensu eligitur in antecessoris locum, inuitus, & quantum posset repugnans. Sed uicit tandem etiam Imperatoris maiestas, quæ suā quoq; autoritatē interponebat. Eum Heinricus Bauarus, gener Lotharij, ad concilium Remense misit: ubi pro se illud obtinuit, ut priuatam ipsi uitam agere liceret. Ideoq; cū nondum anno integro præfuisset, in montem B. Virginis secessit, totum sese uitæ comtemplatiuæ dedens. Brusch. Muncerus refert, à Conrado missum Romam, ibiq; mansisse.

HEINRICVS.

Heinricus Hersfeldensis eius successor constituitur, in cuius electionem Imperator consensit. Cūq; res Fuldenses suo tempore admodum uideret affligi, spontè loco cessit, liberum fratribus permittens quærendi magis idoneum quempiam. Præfuit 2 annis.

MARQVARDVS.

Marquardus Bambergensis ex Montis monachorum cœnobio concordibus suffragijs Fuldēsium monachorum in locum Heinrici delectus, confirmatur à papa Eugenio 3, anno 1150. Is magna seueritate gubernationi præfuit. Pro arce Haselstein, ab antecessoribus ui occupata, pecuniam ero-

gauit. Fuldæ ius ciuitatis comparauit, atq; muro cinxit. Arcem Eberstein ui cepit. Turres duas suspendendis campanis extruxit. Sanctuarium Orientale, & D. Virgini olim dicatum, instaurauit. Totius anni spacio in aula Friderici hæsit, ita quidem ut nec à latere eius discedat: ubi cum laborib. penè exhaustus fuisset, abbatiam resignat.

HERMANNVS.

Hermannus Hersfeldensis, anno 1165 electus est abbas Fuldensis. Is Imperatorem per Italiam comitatus est: magis enim rebus Imperatoris occupatus fuit, quàm Fuldensiũ. A' Paschali quodã antipapa confirmationẽ accepit, à quo etiã priuilegiũ adipiscitur minores cõferẽdi episcopatus. Præfuit annis tribus. Obijt anno 1168. Iidem.

BVRCHARDVS.

Burchardus Hersfeldẽsis monachus Hermanno succedẽs, reliquis fratrib. uictũ atq; reliqua necessaria subtraxit. Bona illius ecclesiæ alienauit. Hostium suorum domos diruit, agrosque ipsorum depopulatus est. Tandem clenodijs omnibus collectis, qua potuit celeritate in Vuetterouiam contendit. Ibi excõmunicatus obijt. Sepultus est Rheteris in monasterio monialium in modica cellula. Præfuit octo annis, iuxta Bruschium. Muncerus refert, ipsum Romam fugisse, atq; miserabili genere mortis ibi occubuisse.

RVGGERVS.

Ruggerus 2 diaconus, uirtute atq; probitate insigni præditus, succedit, & abbatiæ insignibus in Italia ornatur. Hospitale in usum pauperum Fuldæ extruxit, & annuis reditib. donauit. Cũq; præfuisset duob. annis, resignauit munus, & montis D. Virginis factus est præpositus, anno 1178.

CONRADVS.

Cõradus diaconus & præpositus in Solhouen, omniũ consensu electus successor, anno 1179, in Italia ab Imperatore regalia accepit: & postea Romæ primùm sacerdos consecratus, deinde abbas confirmatus est ab Innocentio 3. Crucem auream mille talentorum pondo receperat sese Imperatori daturum: sed prohibitus à reliquo conuentu est. Obijt anno 1192, cum præfuisset annis 13. Bruschius. Muncerus eius gubernationi tribuit annos 15.

ALBAE AVGIAE.

HVic monasterio hoc seculo præfuerunt abbates: Hermannus, qui omnium primus fuit, electus anno Salutis 1145, præfuit 30 annis. Albertus præest annis tribus, & resignat. Vdalricus à Thann, oriundus ex familia Dapiferorum à Vualdburg, eligitur anno 1183. præfuitq; octo annis, & resignat. Ortolphus nobilis à Vuysenberg etiã, cum annis quinq; præfuisset, sua sponte cedit. Ac Vdalrico mortuo, reuocatur ad gubernationẽ, anno 1191, & præest altera uice annis 12 laudabiliter. Obijt anno 1203. Brusch.

ANHVSIANI.

ALbertus Anhusianus abbas obijt anno 1127, cũ præfuisset annis 25. Post hunc Leopoldus 29, Conradus 25, Heinricus 40 annos eandẽ prouinciã administrarũt. Quorum hic obijt anno 1121. Brusch.

AVGIAE DIVITIS.

ROdolphus baro à Bottenstein præfuit huic monasterio annis 9. Obijt anno 1132. Eius successor Ludouicus comes à Pfullendorff, Sueuus, à ministris ꝓprijs interficitur, anno 1136, cũ 4 annis præfuisset. Post hunc Vlricus comes Lolleranus, moribus prorsus dissolutis præditus, tantùm uno anno ad gubernacula sedet.

Otto baro de Bottenstein post tertiũ administratæ prouinciæ annum à Conrado Imperatore loco motus est, anno 1140. Pauloq; post corrept' morbo epileptico, obijt.

Fridillo, uel Fridoleus baro de Heydeck, anno 1141 præficitur, præfuitq; annis duodecim. Succedit Vlricus frater eius, anno 1162, factus ex præposito abbas. Post annos uerò decem incurabili morbo correptus, spontè resignauit.

BANTHENSES.

BAlduinus anno 1127 Banthensis monasterij fit abbas per Ottonẽ Bambergensem episcopum, euocatus eò ex Priselingensi monasterio prope Ratisbonam sito.

Cõradus circa annũ 1172 ibidẽ præfuit. Is arcẽ Steglitz dirui & solo æquari fecit, ne quis in posterum ex illa monachis Bãthensibus molestus esse posset. Bruschius.

BVRRONIENSES.

OTto ꝑfuit annis 15. Obijt anno 1116. Rudigerus succedit, præfuitq; annis 6, anno Salutis 1122 è reb. humanis excedẽs. Hunc subsecuti tres sunt, Vuolpoto, Otto 2, qui & Ezelinus dictus est, Vuernherus: quorum hic diẽ clausisse postremum scribitur anno 1159. Eberhardus ꝑfuit annis 19. Obijt 1178. Fridericus 25. ac 1203 in uiuis esse desijt.

KEISERSHEIMENSES.

VLricus monachus Lucellensis cœnobij, primus Keisershemij abbas cõstituitur, anno 1134, cũ monachos Lucellẽses secum eò adduxisset. Monasticæ aũt uitæ studiosissimus obseruator fuit. Præfuit annis 21. Obijt 1155. Cui Cõradus succedit. Is q, bonus fuerit œconomus, cõmendatur. Præfuit annis 10. Diethelmus nouem. Post hunc Albertus, qui bonus fuit architectus. Extruxit enim dormitoriũ atq; templũ nouẽ annorũ spacio. Illeq; primus ibi bibliothecam instituit. Præfuit annis 19. Obijt anno 1194. Ebo

præfuit

præfuit annis sedecim. Obijt anno 1210.

CAMPIDONENSES.

HAtto uel Otto Niderhofius ab Erisheim, uir placidus fuit, & religiosè monasticam regulam obseruauit. Electus est Campidonēsis monasterij abbas anno 1125. Ob infirmam ualetudinē non diu præfuit, sed munus resignauit. Cui Fridericus Festenberg successit.

Fridericus Klingenstein Augustanus, sapiens, honestus atq; uerecundus uir, eligitur anno 1138. Huic Robertus Cōradus Hēnēbergius à Scheydeck nobilis, admodū deuotus & bonus œconomus, surrogatur, anno 1152. Quinto die post electionem obijt morte subitanea, in ipso itinere Romā uersus, cū confirmationem à papa petiturus esset, 5. die Nouembris. Frideiocus Vorburgerus ab Helmshofen, paulo pòst ipsi substitutus, bellū gessit cū Marquardo quodam Isnensi abbate, propter Aschacensis mōtis syluas. Cumq; hic Campidunense monasteriū expugnasset, Frideiocus illum rursus eiecit. Hūc subsequitur Bertholdus Hochbergerus de Sacro ligno, nobili stemmate natus, ingeniosus et eruditus uir, anno 1185. Hūc Bruschius cōmendat solùm inter multos à continentia, quòd libidinis æstu uexatus non fuerit. Is Campidunis domum ex quadratis lapidibus in usum pauperum extruxit. Coniunxit primùm ponte Ilerū amnem, condidit macellum & molā. Itelspurgum arcem, inscijs reliquis monachis, quibusdam nobilibus uendidit.

EBRACENSES.

ADamus ex Colonia Agrippina oriūdus, uir & prudens & probatæ uirtutis, primus istius monasterij gubernator constituitur, anno 1127. Is septem annorum spacio tēplū sui monasterij extruxit. Hoc tempore alia 10 istius ordinis monasteria in Germania cœperunt, quorum Adamus constitutus est primarius inspector. Loco Bernhardi Clareuallensis crucem prædicauit passim oberrans, instructus ad hoc negocium literis pōtificis & abbatis Clareuallensis. Frising. lib. 1. de Friderico, c. 40. Præfuit annis 34. Bernhardus & Alberinus quispiam abbas in quibusdā epistolis ipsum probatęq; uirtutis ac sapientię uirum uocant. Obijt anno 1161. Hūc Beregerus, Burchardus & Nicolaus sequūtur: sed quāto tēpore pręfuerint, ignoratur.

HERMANNVS.

Hermannus successit Nicolao. Is anno 1194 ab Heinrico 6 priuilegiū consecutus est cōtra Heinricū de Biebelriedt, qui bona monasterij ad sese rapuerat: quo non tātùm restitutionē ablati mandat Imperator, sed etiam ne quis in posterum isti monasterio quid abripere præsumat.

EICHENBRVNNENSES.

CHuno dominus de Fachberg, primus huius monasterij fundator, primus etiam præfuit abbas, circiter annum Salutis 1120. Hunc secuti Goteboldus, Gebo, Idulphus, Conradus, Geringus, &c.

FABRARIENSES.

GEROLDVS VVERIchinus.

GEroldus bonus œconomus, & istius monasterij reformator, præfuit anno 1110. Is contra Basiliensem episcopum Rodolphū obtinuit ius aduocatiæ, & alias istius monasterij immunitates atq; priuilegia, implorās auxiliū Paschalis 2 papæ. Vuerichinus, aliàs Vuernherus, pręfuit usq; ad annū 1127.

VICRAMMVS.

Vicrammus, aliàs Vichramus, confirmatus est in abbatem eiusdem monasterij ab Honorio 2, anno 1127. Vsus eo fuerat Geroldus in legatione ad Heinricum 5 & Paschalem 2, contra uim quam Rodolphus Basiliensis episcopus isti monasterio intentabat. Præfuit adhuc sub annum 1139.

VVERNHERVS.

Vuernherus, qui & alijs Heinricus dicitur, magnū inuenit thesaurū in clenodijs uestibus & libris, anno 1155. Accepit priuilegia à Friderico 1, anno 1158. Rodolphus circiter annum 1161, Suuiggerus uerò circiter annū 1180 præfuit. Hos sequuntur Richardus, Vlricus, Sigefridus. Sed præter sola nomina de his memoriæ proditum est nihil.

VVALDSASSENSES.

HEINRICVS.

HEinricus primus abbas eligitur 1134 anno, & unico saltem præest. Succedunt Vlricus & Adeodatus, quorum uterq; unum saltem annum abbatem egit.

GERLACVS.

Gerlacus succedit. Ei Conradus rex in pręsentia quorundam episcoporum Mogūtiæ, anno 1138, priuilegia confert. Ac per eūdem abbatem monasteriū ab exactionibus & aduocatijs liberatur. Præfuit annis 25. Obijt anno 1163. Brusch.

DANIEL.

Daniel in locum Gerlaci substituitur. Is Friderico Imperatori admodum familiaris fuit, quē in Siciliā, Apuliā & Longobardiā secutus est: domūq; reuersus, aliquot auri marcas, clenodia atq; reliquias secū attulit. Ambitū tēpli & hospitale cōstruxit. Priuilegia primùm ab Alexādro 3, deinde etiā à Lucio accepit, anno 1184. Denique & ab Heinrico 6, annis circiter pòst decē, in multorum episcoporum & principum præsentia Herbipoli priuilegium adeptus est. Præfuit annis 33. Obijt anno 1196.

EINSIDLENSES.

GERO, VVERNHERUS.

GEro anno 1101 abbas factus, magnis sũptibus saxeum pontem construxit, quo Sylij amnis utraq; ripa connexa est: uulgò põtem Diaboli uocant. Præfuit annis 21. Cuius successor Vuernherus baro de Altpurẽ, annis 20 abbatiam administrauit. Post hũc Rudolphus annis 29 abbatem egit.

VVERNHERVS, VLRICVS.

At Rudolpho sublato è uiuis, duo inuicẽ per totum biennium de illa abbatia digladiantur. Vuernherus 2 comes à Dockẽburg, qui à cœtu monastico: & Vuarinus Sangallẽsis monachus, comes à Rappersuuil, qui à fratre Rudolpho erat abbas designatus. Sed utroque à Friderico Imperatore repudiato, Vuernherus 3 præficitur, anno 1173. Is tumulandis sui monasterij opibus admodum fuit studiosus, ita quidem ut 200 marcis eius gubernationis tempore sit auctum. Cum annis 19 præfuisset, spontè abdicat, anno 1192. Succedit Vlricus comes de Rappersuuil, præfuitq; annis 14. At postea exauthoratur, anno 1206.

ISNENSES.

POst Vuernherum Isnẽsis fuit abbas Marquardus. Is contra Campidonensem abbatem bellum, ut paulo antè meminimus, gessit, ac S. Hildegardis monasterium occupauit, inque sua potestate retinuit horis sex: sed postea eijcitur rursus cum insigni ignominia.

MORTALENSES.

EBERHARDVS.

EBerhardus primus huius monasterij præpositus fuit annis 7. Obijt 15 calend. Aprilis, anno 1178. Sub eius imagine talis est inscriptio: Iste plantauit. Post quem Vlricus totidem 7 annis præfuit. Obijt 1184, 4 calẽd. Maij. Iste rigauit. Successit Gerlochus: sed post annos 2 uolens, quietis causa cessit. Is semper usus fertur isto Psalmodico symbolo: Gloriabor in infirmitatibus meis. Tandem factus est paralyticus.

MANEGOLDVS.

Imagini Manegoldi, qui post Gerlochũ ibidem egit abbatem annis decem & quattuor, inscriptum est: Bonum certamen certaui, quia plus omnibus laboraui. Quasi uerò monachum esse illud sit, quod Paulus uocat, Bonum certamen certare. Obijt anno 11201. Brusch.

BAMBERGENSES.

GVMPOLDVS.

Gumpoldus è S. Emerani Ratisbonensi cœnobio assumptus, præficitur cœnobitis in Monte monachorum, anno 1094. Eius tẽpore omnis monastica disciplina fermè cõcidit. Condidisse & exornasse fertur prędiũ Gumpoldi fontis. Resignauit iam senex illud munus, anno 1112, cum 18 annis præfuisset, retenta sua pensione reliquo uitæ tempore.

VVOLFRAMVS.

Vuolframus natione Bauarus, uir nobilis, ex Hirsaugiensi monasterio accersitus, succedit Gumpoldo. Ordinatur ab Ottone Bambergensi episcopo, 18 calend. Aprilis. Eius tempore ordo Hirsaugiensis, abolito more Amorbacẽsium, introductus est: qua in re hic abbas procul dubio multùm sudauit. Eumq; & Otto episcopus adhortatus est, ut monasticæ disciplinæ rigorem promoueret, ita quidem ut ad posteritatem etiam propagetur. Laudem uerò eo meretur, quòd bibliothecam congessit. Præfuit annis 11. Obijt anno 1123, 11 calend. Nouembris.

HERMANNVS.

Hermannus eodem anno succedit. Is etiam magna librorum copia bibliothecam auxit. Sacellum S. Trinitati condidit & dedicauit supra portam maiorem, anno 1141. Prædia parentum & fratrum emit marcis 150, eaq; per manus suorum fratrum obtulit super aram S. Michaelis. Eius tempore mirum in modum creuêre bona monasterij. Munus suũ gessit 24 annis. Obijt 1147, 4 calend. Decemb. & sepultus est ante arã S. Petri.

HELMERICVS, IMbricus.

Helmericus ab Eberhardo 2 episcopo Bambergensi priuilegium summæ immunitatis, instar canonicorum summæ basilicæ, consecutus est. Donatus est etiam pluribus bonis à Cumberto quodam, & Bertoldo comite Schuuartzenburgio. Resignauit munus abbatiæ anno decimotertio, qui erat Salutis humanæ 1160. Pòst Irmbertus, aliàs Imbricus dictus, præest annis 12. Obijt 1172.

VVOLFRAMVS II.

Vuolframus 2, primus abbas infulatus fuit. Nam usum annuli, mitræ & infulæ sibi & successoribus consequitur à tribus ordine succedentibus papis, Clemente 3, Alexandro 3, Lucio 3. Præfuitq; annis 29, & postea collectus est ad maiores suos, anno 1201.

SANGALLENSES.

MANIGOLDVS.

MAnigoldus per uim à Conrado Zeringensi Sangallensibus abbas obtruditur. Eã intrusionem etiamsi ægrè ferret initiò Imperator Henricus 5, tandem tamen consentit, eumq; confirmat adhuc iuuenem. Prędfuit annis undecim. Obijt anno 1128, & sepultus

tus est in sacello S. Osuualdi.

VVERNHERVS.

Vuernherus ex monasterij custode constituitur abbas, anno 1128. Eum Lotharius confirmauit. Coadiutorem habuit Héricū quendam. Fuit autem uir grauis & prudēs. Ac cum monachos redigere in ordinē conaretur, apud quos honestas omnis & literarū studia tum penè conciderant, nihil aliud effecit, nisi ut acerbissimo illorum odio se oneraret. Præposituram S. Leonardi suis sumptib. fundauit & extruxit ante muros Sangallenses. Obijt 1166, sexto Iulij, cū prouinciam illam administrasset annos triginta octo.

VLRICVS.

Vlricus comes Veringensis, præficitur anno 1199. Is bona eius monasterij strenuè abliguriuit. Vix annum præfuit, sed paralyticus subitanea morte extinctus est. Eius loci monachi hoc epigrammate eū infestati sunt:

Qui iam consumis terram, quàm nunc bene dormis,
Fortaßis niuus triuisses tempus in hornis:
Sed te, ne damno calcares limina Galli,
Ira Dei iußit maturo funere tolli.

TREVIRENSES.

Abbatiam Sancti Matthiæ hac ætate administrarūt Eruuinus, uel Erueruuinus, annis 13. Eberhardus de Camberg 19, qui magnificè dicitur illud monasteriū illustrasse. Bertholphus secundus 26. Absoluit ille ędificia ab antecessore inchoata. Siboto uel Siboldus 32. Ludouicus, postquā Epternacēse cœnobiū per octenniū rexisset, Treuerim cōmigrat: ibi extruxit hospitale cœnobio uicinū, præfuitq; annis 20. Obijt anno 1207.

Sancti Maximini cœnobium in eadē urbe rexerunt Focelinus, Beriengosus, Gerhardus, Sigerus, Arnoldus, Conradus, Anselmus, qui usq; ad annum 1210 præfuit.

Sancti Martini uerò, Gotfridus, Oliuerus, Gotfridus alter, & Reinherus.

AVGVSTANI.

BERENGARIVS, GVN*therus.*

Berengarius Fuldensis monachus à Sigefrido eius loci episcopo abbas pręficitur Vlrichianis cœnobitis. Sed post annos 11 rediit Fuldam, anno 1107, ubi ocio literario reliquum uitæ tempus attribuit. Guntherus per uim ijsdem rursus obtruditur: sed post biennium ignominiosè loco cedit.

EGINO, VVOLLERAMVS.

Egino natus Augustæ, à puero in isto cœnobio educatus, succedit anno 1109. Is egregius concionator fuisse fertur. Eum uerò Hermannus episcopus per uim eiecit. Proinde Romam contendit, & corā papa causam agit, atq; obtinet. Cū domū rediret, in itinere Pisis in Camaldulēsi monasterio obijt, cum 13 annis præfuisset: ubi in tēplo S. Michaelis sepultus est. Ei post mortem Vdalschalcus quispiam monachus tale scripsit epicedion:

Hic patris occasus, dum ueri Solis ad ortum
Tendit, & ad portum, qui nescit tempora casus.
Est tibi gaudendum pro tam præstante corona,
Fili, mente bona: simul est quoq; mente dolendum.
Nam uelut orbatus remanes patre spirituali,
Et tibi causa mali reputatur is unde beatus:
Sic tamen est pia spes, hic qua dolor alleuiatur,
Est operum quoq; res, qua iustus quisq; beatur.
Nato reddit ibi pacem sinus ille paternus,
Illic iungat ei quoq; nos pater ipse supremus.

Eginoni Vuollemarus ætate grauis atq; eruditus uir substituitur, anno 1122. Præfuit 4 annis, & aliquot mensibus. Obijt 1126.

VDALSCHALCVS.

Vdalschalcus nobilis de Maysak, Eginonis indiuiduus comes, uir præclarè doctus & religiosus succedit. Is inter Theologos sui temporis habitus est unus è præcipuis, atq; bonus uersificator, musicus & componista. Quædam scripta reliquit, qualia sunt:

Liber de Musica.

Ligata oratione multorum Sanctorum historias complexus est, ut S. Afræ, S. Vdalrici, S. Mariæ Magdalenę, idq; non uno uersuum genere, sed uario.

Epigrammata eius parietibus inscripta ibi adhuc extare, refert Bruschius. Præfuit annis 25. Obijt 1151. Epitaphium tale illi inscriptum est post mortem:

Mors animæ triplex, sed in hoc est corpore simplex:
Nam moritur uitijs, post ea supplicijs,
Tertiò damnatur, dum corpus ei sociatur.
Ergo mouendo perit, quod malè semper erit.
Sed tria iustorum sunt uitæ dona, laborum
Expers amor, & spes, quæ Deus ipsemet est.
Hic dum speratur, patriæ requies & amatur,
Illic percipitur, qua Deus aspicitur.
Visio deinde Dei summum confert requiei:
Quæ dum fine caret, gaudia semper habet.
Vos ergo patres, uos in Domino rogo fratres,
Vt memores sitis, quem cinerem teritis.
Viua mei transit, pars uiuificanda remansit:
Vt spes unius, uita sit alterius.

HEZYLO.

Hezylo bonus œconomus multa prędia suo cœnobio emit, dū abbas fuit annis 15. Cui Vdalricus de Biberbach nobilis successit. Auxit is bibliothecam, & multas uillas emit. Præfuit annis 10. Obijt 1174, 4 non. Maij. Heinricus secundus abbatem egit ad annum 1181.

MENIGOLDVS, HEINRICVS.

Menigoldus istius cœnobij prior iam annos fermè 50, senex in locū Heinrici substituitur. Præfuitq; annis 6, & octo mēsibus: cumq;

cumq; in restaurando monasterio occupatus esset, quod flamma uorax ad cineres redegerat, moritur anno 1188. Heinricus 3, qui à puero in eodem monasterio fuerat enutritus & institutus, eligitur à conuentu monachorum unanimiter in locum Manigoldi. Præfuit annis 6, & totidem mensib. quod totum tempus tribuit restaurationi monasterij. Obijt 1195. Huic Erchenboldus successit. Is ornauit marmore, auro & argẽto cœnobium, in primis uerò lapideis pilis per ambitum positis. Obijt 1203, 10 calend. Februarij. Bruschius.

EPTERNACENSES.

GEBHARDVS, GOTfridus.

GEbhardus anno 1110, 4 calend. Maij, pręficitur S. Vuilibrordi monasterio Epternaci. Eum Heinricus 5 & Bruno archiepiscopus exauthorarunt, anno 1122, 3 idus Decemb. quòd multipliciter cœnobio nocuerat, cum præfuisset annis 12. Vixit deinde postquam amotus loco fuerat, 20 diebus. Godfridus substituitur. Sed cum aliquãdiu præfuisset, Prumiẽsis designatur abbas. At post annos 13 exauthoratus, ad priorem redijt locum: ubi cum per triennium æger uixisset, appositus est maioribus suis, anno Salutis 1155, cum utrinque annis 33 præfuisset. Sepultus est ante aram omnium Sanctorum, cũ hoc epitaphio:

Quòd caro sit uermis, quòd homo sit puluis inermis,
Approbat illud homo, uerme scatens in humo.
Hunc pater ad morem Godfridus, carnis honorem
Qui fugit ut fumus, mutat, & hic fit humus.
Prouida mens, habilis complexio, sanguis herilis,
Huic dederant aditum culminis ad meritum.
Sed Gem nos Phœbus cum scanderet octo diebus,
Carnis deliquio transijt è medio.
Annis ter denis, & quatuor, haud modò plenis,
Abbatis titulo functus & huic tumulo.
Ast homo, qui cineris sors, hic dum uiuus, haberis,
Ad cineres hominis, uota fer ipse cinis.

GERHARDVS.

Gerhardus succeſsit, præfuitq; annis 18. Resignauit postea id munus, posito baculo super altare S. Vuilibrordi, annò 1173. Post quem Ludouicus abbas S. Eucharij apud Treueros, ab Imperatore electus præficitur. Exactis uerò octo annis, ac munere resignato, Treuerim redit, anno 1181. Discessurus successorem designat Godefridum diaconum: qui à reliquis comprobatus, Epternacensem hãram, multis porcis refertam, annis uigintiocto gubernat. Obijt anno 1210.

SCHVVARTZACHIENSES.

RVpertus, q anno Salutis 1113 Schuuartzachiẽsis fact, est abbas, sui monasterij bona auxit, ab Heinrico quodam com te de Gerlachshausẽ omnia in istà uicinia emẽs. Præfuit annis 22. Poppo uno tãtùm anno, Vuolframus paucis mensibus, Theodorus annis 5. Gumbertus 7. Sigenhardus 16. Is lapideũ sarcophagũ pro fundatorib. fieri curauit, & S. Ioannis sacellũ extruxit. obijt 1165. Gosuinus 13. Is cryptã infra arã S. Crucis, & magnã ambitus partem condidit. Obijt 1178. Dragobertus 2. Godefridus 32. Obijt 1213.

RVPERTVS TVIciensis.

Rupertus temporibus Heinrici quinti præfuit Tuiciensi cœnobio, Coloniæ uicino. Et is inter eruditisſimos hoc seculo habitus est. In prima ætate in monasterio S. Laurentij in Oesborg prope Traiectum literarum fundamentum iecit. De eo suauiter nugatur Tritemius, in libello quem de uiris illustrib. Germaniæ scripsit, & in Chronico Hirsaugiensi, quòd inspirante B. Virgine, quam lachrymans assiduè preculis suis defatigarat, non solùm ingenium studijs aptum, quod prorsus ineptum antea habuerat, sed etiam omnis generis scientiam sit consecutus: ut ipsum de se multis in locis suorum scriptorum testari dicit. Studium uerò ipsi non defuisse, sacrarum præsertim literarum, idem refert, ita quidem ut dormiens etiam quasi aliquid legens uideretur.

Scripsisse dicitur fermè infinita, sed horũ meminerunt authores:

De uictoria uerbi Dei, lib. 13.
In Genesin, lib. 9.
In Exodum, lib. 4.
In Leuiticum, lib. 2.
In Numeros, lib. 2.
In Deuteronomium, lib. 2.
In Iosue, lib. 1.
In Iudicum, lib. 1.
In Libros Regum, lib. 5.
In Esaiam, lib. 2.
In Hieremiam, lib. 2.
In Ezechielem, lib. 2.
In Danielem, lib. 1.
In 12 prophetas minores, lib. 32.
In Iob, lib. 10.
In Cantica canticorum, lib. 7.
In Matthæum, lib. 13.
In Euangelium Iohannis, lib. 14.
Apologeticum pro eodem opere, lib. 1.
In Apocalypsin Iohannis, lib. 12.
De processione Spiritus sancti, lib. 9.
De officijs diuinis, lib. 12.
Meditationum, lib. 3.
Disputationem Christiani & Iudęi, lib. 1.
In Regulam D. Benedicti, lib. 1.
De quatuor difficillimis quæstionib. li. 1.

Sermonum,

Sermonum, lib. 1.
Epistolarum, lib. 1.

Miraculis pręterea clarus fuisse perhibetur. Obijt anno 1124, iuxta Trithemium.

VTENBVRGENSES.

HENRICVS.

Henricus quidam ætate iuuenis, stultus, ac sine Dei timore, præficitur Vtenburgensibus monachis, anno 1103. Is bona cœnobij dilapidauit, obijtq; anno sequenti.

RVPERTVS.

Rupertus ex cœnobio S. Georgij, quod est in Nigra sylua, uocatus succedit Heinrico, anno 1104. Is instaurator, reformator & locupletator eximius huius monasterij fuit. Dedicauit, quibusdam episcopis adiuuantibus, templum omnium Sanctorum. Nobilibus humili loco natis copiam fecit ingrediendi hoc cœnobiũ. Assumpsit itidem moniales, fortè quòd sine costa uitam transigere fratres non potuerunt. Præfuitq; 41 annis. Obijt 1145, suæ uerò ætatis anno 120.

ISINGRINVS.

Isingrinus de monasterio S. Vlrici Augustani huc transfertur, anno 1145. Is operationem erroris pro uirili adiuuit, tantùm ut hoc cœnobium ditaretur magis magisque. Nam per Salchonem quendam monachũ, ad sepulchrum antecessoris Ruperti, qui iá miracula edere dicebatur, sedentem, eius laudes decantari fecit: quo artificio ingentes opes corrasit. Priuilegia nonnulla impetrauit ab Eugenio 3, quæ postea etiam à Friderico Imperatore confirmantur.

Translatione reliquiarum, ut corporis S Totonis, & quorundam ex Colonia martyrum, coluit deos alienos. Biennio ante mortem in furorem uersus est, iusto Dei iudicio: quamuis ante mortem recuperauit sensus. Præfuit annis 33. Eo tempore quo mente captus fuit, Gernodus quispiam monasterij prior eius uices egit. Obijt anno 1180. Post quem Bernoldus annis 13 sceptrũ monasticum gerit, tandemq; sua spõte munus resignat.

VVEICHENSTEPHAnenses.

Meginhardus electus est anno 1117. Sigmarus genere nobilis, præfectus est ab Ottone episcopo, anno 1138. Is à Conrado 3, & Eugenio papa 3 consecutus est priuilegia, ac monasticam prouinciam administrauit annis nouem. Gũtherus successor, 1. Nam à quibusdam monachis de fastu accusatus: remouetur. Rapotho 23. Is oculis captus resignat, anno 1172. Sibotho 2, & ipse spõtè abdicat. Regimbotho 8. Is morbo diuturno exhaustus resignat, anno 1182. Cui Alto prior succedit, & præest annis 15.

ZVVIFALTENSES.

Vdalricus præfuit annis quadraginta tribus. Obijt anno 1153. Pilegrinus septimanis 9. Haricus annis 16. Ernestus doctor Theologiæ, nouẽ. Eũ Adrianus 4 papa Hierosolymam & ad alia Palæstinæ loca misit ad prædicandum, ubi martyr factus est, & Antiochiæ sepultus, anno 1158. Vuernherus 5. Godefridus 2. Conradus 24. Vuernherus 2 pręfuit 4 annis. Hermannus 12. Obijt 1193.

SCHIRENSES.

Schirensem abbatiam Erchenuuoldus, Bruno, Vlrici duo, Marquardus & Gosoldus usq; ad annum 1135 rexerunt. Hos secutus Vlricus 3, prudens & religiosus, præfuit annis 25. Is à papa Alexandro 3 impetrauit usum mitræ & sandaliorum. Tandem oculis captus, reliquũ uitę tempus transigit priuatus. Post quẽ Eberhardus, aliàs Eckardus homo nobilis quidẽ, sed leuis & tumidus, præest annis 11. sed remouetur per principes de Vuitteleinsbach, anno Salutis 1171. Baldemarus idem munus gessit annis 32. Eius commẽdatur hospitalitas, & quòd bonus fuerit œconomus. At hypocrita insignis, qui non tantùm carne, sed adipe, toto uitæ tempore abstinuit. Is cœnobium igne consumptum instaurauit. Obijt anno 1203. Hæc Bruschius.

ECKHARDVS VRAGIENSIS.

Eckhardus primus abbas Vragiensis cœnobij, uir in diuinis & profanis literis eruditissimis, rhetor & poeta insignis fuit. Scripsit libros 5, quos Laternam monachorum uocat, ad imitationẽ Boetij, gemino stylo.

Item historiam rerum gestarum sui temporis.

Itẽ aliquot sermones conscripsit, uariasque epistolas ad diuersos. Obijt anno 1130, & in eodem monasterio sepultus est. Tritemius in Chron. & de Scriptorib. illustrib.

MOGVNTINI.

BVRCHARDVS DODEchinus.

Burchardus quidam duas simul abbatias administrauit, S. Iacobi, quę extra muros Mogũtinos est, & S. Disibodi, Ruthardo episcopo sic iubẽte. Quod muneris annis sex gessit, obijtq; anno 1113. Post hũc soli Disibodi cœnobio p̃fuit. Adelhunus annis 15. Fulcardus 8. Conno 19. Is Disibodi corpus ex terra eruit, sacrũq; habuit. Helingerus Cononi surrogatur. Appendix Mariani Scoti, quam adiecit Dodechinus eiusdem cœnobij abbas, eaq; annos 116 complectitur, ab anno 1084, usq; ad 1200.

GOTFRIDVS.

Gotfridus abbas S. Iacobi Moguntinensis, cum primùm archiepiscopũ exosum habere cœpisset, atq; contra eum Fridericum Imperato-

Imperatorem interpellasset, cũ quibusdã, quos sibi socios scelerum adiunxerat, antistitem trucidare conatus est, anno 1159. sed tum repulsus fuit. Sequente anno pòst, die natiuitatis Iohannis Baptistæ, extra muros crudeliter illum interfecit. Anno tertio pòst Imperatori, qui tum Pascha Moguntiæ celebrabat, sistitur: cumq; se de obiectis criminibus purgare non posset, abbatia pulsus, iubetur ire in exilium, & Maguntiam abiurare. Trith. in Chron. Hirsaug.

LEODIENSES.

THEODORICVS.

Theodoricus S. Trudonis Leodiensis abbas, claruit circa annum 1120. Is unus eorum est, qui Romanorum clericorum scelera & uidit & reprehendit. Catalogus testium ueritatis.

RVDOLPHVS.

Rudolphus eiusdem cœnobij abbas, uir in primis doctus, circiter annum 1125 claruit. Carmine & prosa oratione nonnulla conscripsit:

Contra simoniacos, lib. 7.
Chronicon exacti temporis, lib. 1.
Carmina multa.
Quosdam hymnos in laudem Sanctorũ.

Tritemius de Scriptoribus Ecclesiasticis, & in Hirsaugiensi Chronico.

RVPERTVS LIMPVRgensis.

Rupertus abbas Limpurgensis, hypocrita insignis, anno 1124 non modò esu carnium, sed etiam piscibus, ouis, lacticinijs, & omnibus quæ uiuere potuissent, suis interdixit, tantùm legumina, ut pisa, fabas, concedens: idq; sibi diuinitùs reuelatum fuisse, horribili iuramento coram Spirensi episcopo Arnoldo confirmauit, qui eius reuelationi fidem adhibendam negabat, nisi euidenti aliquo miraculo eã probaret. Mortuo Arnoldo, à Sigefrido successore annis fermè sex & alijs grauiter diuexatus est, & tandem in exilium pulsus in Hassiam: unde postea reuocatus, in proposito fixus permanet usq; ad uitæ exitum.

Lutetijs Parisiorum operam literis dederat. Scripsit

In Cantica canticorũ, libros quatuor. In quo opere omnia uerba ad laudes B. Mariæ detorsit.
De contemptu mundi, lib. 2.
De S. Iohanne Baptista, lib. 1.
Variarum suarum reuelationum, lib. 1.
Item homilias quasdam de corporibus Sanctorum, quæ in Lympurgensi monasterio cubare credebantur. Tritemius.

HENRICVS IN BREItennauu.

Henricus abbas in Breitennavv, uir doctus, multa soluta atque ligata oratione conscripsit:

Dialogum in persona diuitis Epulonis, & Lazari in sinu Abrahæ quiescentis.
De contemptu seculi.
Libellum complurium deuotarum orationum.
De conflictu uirtutum & uitiorum.
De 12 abusibus.
De lapsu primi hominis, & de tædio præsentis exilij.
Opusculum de ciuitate, cuius nomen Dominus.
De habitu uirginis, & beatitudine.
De resurrectione Sanctorum.
De cogitanda mortalitate.
De Domino nostro IESV Christo.
De corpore Christi mystico.
De fide catholica.
Librum quem Flosculorum prænotauit.
Opus hymnorum complurium, diuersi generis carmine.
Epistolarum ad diuersos uolumen.
Varios insuper sermones, atq; alia.

Claruit circiter annum 1132. Tritemius in Chronico Hirsaugiensi.

HERBIPOLENSES.

SVB CONRADO.

CHRISTIANVS, MAcarius.

Christianus natione Scotus, prope Moguntiam Embichoni episcopo Herbipolẽsi uenit obuiam, petens ut Herbipoli sibi & socijs locum concederet: qui postea eiusdem episcopi auxilio in suburbio in honorem S. Iacobi monasterium, quod Scotorum appellant, & capellam nouam extruit. Primus abbas fuit Macarius, qui uinum in aquã mutasse dicitur. Chron. Hirsaug.

ECKBERTVS SCHONAVgiensis.

Eckbertus abbas S. Florini in Schonaugia, diœcesis Treuerensis, ordinis S. Benedictini, frater beatæ Elizabethæ monialis, circiter annum 1163 in precio habitus est. Ex canonico Bunnẽsi, consilio sororis, monachus primùm, & ex monacho abbas fit. Eum clerus & maiores ciuitatis Coloniẽsis per literas uocarunt ad examinandos Catharos, qui ex Flandria eò uenerant: cum quibus acriter disputãs, uicit eos tandem, ut etiã ora ipsis obstrueret. Scripta quæ contexuit, hæc recẽset Trithemius, inter quæ nonnulla fuerunt orationi ligatæ inclusa:

Aduersus hæreses, lib. 1.
In principium Euangelij Iohannis, lib. 1.
Super Magnificat, lib. 1.
Super, Missus est angelus, lib. 1.
De obitu sororis suæ, lib. 1.
Meditationes, lib. 1.

Sermones

Sermones per annum, lib.1.
Laudes Saluatoris, lib.1.
Epiſtolarum ad diuerſos, lib.1.

Præfuit iſti abbatiæ annis 18. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, & de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Bergomenſis libro duodecimo.

HIRSAVGIENSES.

SVB HEINRICO V.

BRVNO.

BRuno Sueuus natiõe, nobilibus & potẽtibus ortus parentibus, cum aliquãdiu Spiræ canonicum egiſſet, & uitam collegarum diſſolutã uidiſſet, monachus factus eſt Hirſaugiæ. At Gebhardo ad Spirenſem eccleſiam uocato, fit ipſe abbas, anno 1105, ordinatus à Richardo Hoſtiẽſi. Cũq; ad ſecularia negotia ineptus eſſet, totũ ſe orationi, lectioni, meditationi atq; contemplationi dedidit. Numerum tamen prædiorum, cenſuum redituumq; auxit. Miſſas frequenter celebrauit, ac multos perſuaſit uerborum illecebris, ſicut facundia ualuit, ut uitæ monaſticæ ſeſe traderent. Obijt anno 1121, 10 calend. Aprilis, ſepultusq; eſt in eccleſia B. Petri & Pauli, ante altare S. Laurentij. Aliquanto pòſt iterum exhumatus, miracula edidiſſe ſcribitur à Tritemio, ut quòd cæco uiſum reſtituerit.

SVB LOTHARIO ET *Conrado.*

VOLMARVS.

COnſentientibus monachorum ſuffragijs, tertio die poſt obitum Brunonis, abbas eligitur Volmarus. Et quãuis multùm reluctaretur, tandem precibus fratrum acquieuit. Moguntiæ in monaſterio S. Albani Adelbertus archiepiſcopus eũ ad illud munus ordinauit. Sueuus genere fuit, & ab ineunte ætate literis operam dedit. Eloquentiſsimus ſuo tempore inter Sueuos habitus eſt. Grauitatem inſignem præ ſe tulit, atq; acerrimus uitiorum hoſtis extitit. Præfuit annis 36. Obijt anno 1157. Sepultus eſt ante altare S. Michaelis in maiori eccleſia.

SVB FRIDERICO.

HARTVVIGVS.

HArtuuigus Volmaro ſuccedit, communi monachorum ſuffragio electus eodẽ die quo anteceſſor ſepultus eſt. Is genere Francus fuit: cumq; à prima ętate ad literarũ ſtudia ſe contuliſſet, non mediocrem profectũ fecit. Poſtea canonicus Spirenſis effectus, cum ſapienter uitam inſtitueret, camerarius, nec multo pòſt præpoſitus conſtituitur. Tandem, cum ſpurcitiem reliquorum canonicorum creſcere uideret indies, nulliſque admonitionibus amplius eſſe locum, factus eſt monachus Hirſaugienſis, omnia quæ habebat (erat autem mediocriter diues) in manus Volmari reſignans. Electus in abbatem, etſi multùm, & lachrymans quidem reluctaretur, tandem aſſenſum præbuit. A' Gunthero Spirenſi epiſcopo conſecrari noluit, ſed ab Hillino Treuirenſi. In eo itinere collocutus eſt cum S. Hildegarde, quę breue illi uitæ tempus ſupereſſe prædixit, quod euentus comprobauit. Nam deceſsit poſt dies 56 quàm abbas cõſtitutus fuerat, anno 1157. Sepultus eſt in eccleſia maiori coram altari omnium Sanctorum.

MANEGOLDVS.

Manegoldus ſexagenarius unanimi monachorum conſenſu in locum defuncti, eodem die quo ſepultus erat, eligitur. Natione Francus erat, conſanguineus Hartuuigi. Inauguratus eſt à Gunthero Spirenſi epiſcopo. Is monaſticam aſſumpſerat regulam ſub Volmaro: in qua aliquot annos uerſatus, ſuccentor ordinatur: quo tẽpore amicorũ ſumptibus plura quàm 60 uolumina cõſcribi curauit. Ex ſuccentore prior, ex priore cellarius, tandem fit abbas. Fuit autem homo religioſus, bene moratus, omne ſtudium impendens augendæ bibliothecæ.

Quadriennio pòſt grauis inter ipſum & reliquos monachos orta ſimultas eſt, ita etiã ut propterea in contẽptũ adducerentur in tota Sueuia. Cauſę erant, quòd abbas ſuis familiaribus nimiũ indulgeret, at in reliquos monachos delinquẽtes, nimis durus animaduerſor. Sed utrinq; ab Hildegarde per literas moniti, in gratiam redierũt. Præfuit annis 8, menſes 4. & appoſitus eſt ſuis maioribus. Sepultus eſt ante altare S. Michaelis.

RVPERTVS.

Rupertus natione Francus, honeſtis parentibus prognatus, ubi iuuenis literarũ rudimenta didiciſſet, Hirſaugienſis factus eſt monachus. Iſtinc euocatus à Gottzaugienſibus cœnobitis, inter eoſdẽ abbas conſtitutus eſt. Eius functionis cũ eũ tæderet, quòd nõnulli eius admonitiones ſpernerẽt, Hirſaugiã redijt. Rurſus in monaſterio Schonremenſi fit prior: inde reuocatus, Manegoldo ſurrogatur, anno 1165. Monaſticam diſciplinam, quæ tũ tẽporis fermè tota corruerat, ſummo ſtudio atq; zelo conatus eſt reſtituere in integrum. Auxit & cœnobij reditus.

Coluit deos alienos extruẽdis templis. Nam in maiori cœnobio Hirſaugiẽſi ad plagam ſeptentrionalem capellam pulchro tabulatu cõſtruxit, in honorem S. Nicolai magni archiepiſcopi Myreorum, in qua etiam frequẽter ſuũ deũ Maozim colere cõſueuit.

Membrum antichriſti Romani haud poſtremum fuit. Nam in illo ſchiſmate inter Imperatorem & Alexandrũ 3, papæ partes

sectatus est, ut & se & monasteriũ in discrimen adduceret.

Tandem senio confectus abbatiam resignauit, cùm annis 11 præfuisset, præposituram in Rothe reliquo uitę tempore retinẽs pro sui sustentatione.

CONRADVS.

Conradus comes de Kilberg per monachos abbas designatur, anno 1176. Ordinari ab episcopo Spirensi noluit, quòd ille Imperatoris Friderici partibus adhæreret cõtra papam Alexandrum 3, sed à Bãbergensi. Doctus & honestus fuit, liberalis erga suos monachos & hospites aduenas. Præfuit annis 12, & febri correptus, anno 1188 transijt ad patres suos in cella S. Gregorij in Richẽbach. Sepultus est in maiori cœnobio ante altare omnium Sanctorum.

SVB HEINRICO VI.

HEINRICVS.

HEinricus Francus, honestis natus parẽtibus, Conrado succedit, unanimiter electus à reliquo monachorum cœtu, anno 1188. Literatus fuit, & in Sacris literis & in philosophia doctus. Monachus factus, studiosus S. Benedicti regulæ extitit obseruator. Laboriosus fuit, semper habens quod ageret, ut plantando uineas, hortulos excolẽdo, aut diuersi generis arbores inserendo. Ecclesię altaribus singulis lampades appendit.

Cum Musicæ non esset ignarus, cantoris functus est aliquandiu officio. Postea abbas in Bruuiler fit: sed eam functionem resignans, quòd mores monachorum dissolutos cerneret, redijt Hirsaugiam ad pristinum munus, donec abbas designaretur. Monachis laxas habenas concessit, nec rigidus monasticæ disciplinæ exactor fuit, quòd se nimium curis temporalibus immergeret.

Cum quatuor annis præfuisset, graue inter ipsum & reliquos monachos ortum est dissidium, ut ad uerbera etiam res deueniret: in quo Adelbertus quispiam abbatis familiaris grauiter uulneratus, octauo die pòst ex uulnere obijt. Illud tamen ab Ottone Spirensi episcopo sopitum postea est.

Tandẽ munus resignauit, anno 1196, postquam annis 8 præfuisset, pro sustentatione residui ætatis temporis accipiens præposituram in Rothe, cùm se toto illo tempore lachrymis dedisset, propter negligenter administratum munus. Tantùm autem menses sex superstes fuit. Chronicon Hirsaugiense.

CONRADVS.

Conradus natione Sueuus, monachus Hirsaugiensis, ordinis S. Benedicti, doctus in sacris & prophanis literis, philosophus, rhetor, musicus & poeta insignis, claruit circiter annum 1140. Is sub fictitio nomine eleganter multa scripsit & edidit opuscula, ita quidem ut Tritemius illi Tullianam adscribat eloquentiam. quorum hi sunt tituli:

Speculum uirginum,	lib. 8.
In Euangelia per annum,	lib. 1.
De uita spiritus, & fructu mortis,	lib. 1.
Matricularius,	lib. 1.
De laudibus S. Benedicti carmine,	lib. 1.
Diascolon,	lib. 1.
De Musica & Tonis,	lib. 1.

Bergomensis lib. 12. Tritemius de Scriptoribus Ecclesiasticis.

THIEMO.

Hirsaugiensem priorem Thiemonẽ spiritum propheticum habuisse, multisq́; uisionibus illustrem fuisse, idem testatur. Anno 1140 in uiuis esse desijt.

LVNEBVRGENSES.

HANNO.

HAnno abbas Luneburgẽsis interfuit cõcilio apud Aquas pensiles, sub Lothario. Chron. Casinense lib. 4. cap. 110.

BERCHTOLDVS.

Berchtoldus ibidem abbas Heinricum Leonem, in Palæstinam supplicandi gratia peregrinantem, comitatus est anno 1172, ubi & diem clausit extremum. Continuator Helmoldi.

ILSENBVRGENSES.

OTTO, MARTINVS.

OTto abbas Ilsenburgẽsis, quia detrectabat obedientiam Friderico Halberstadensi episcopo excõmunicato, eiectus est cũ reliquis monachis. Peregrinationem itaq; suscepit Ierosolymam uersus, in qua prope Andropolim occubuit, circiter annũ 1104. Sepultus est in templo B. Virginis ibidem. Exilij comitib. reuersis, & post annos quatuor in integrum restitutis, Martinus quidã abbas eligitur, quem Catelẽburgi consecrauit Ruthardus Moguntinus: ut in quodam ueteri Chronico Germ. annotatur.

HVGO CORBEIENSIS.

Hugo Corbeiensis monachus eruditus & ingeniosus, claruit anno 1135. Inter alia quę scripsit, edidit etiam opus quod in quatuor discreuit partes, utpote:

De claustro materiali,	lib. 1.
De claustro spirituali,	lib. 1.
De claustro animæ & paradysi,	lib. 2.

Bergomensis lib. 12. Tritenhemius.

MAGDEBVRGENSES.

EBERHARDVS, ARnoldus.

EBerhardus primus abbas in monasterio Montis ad Magdeburgicæ urbis mœnia cõstitutus est à Lothario Saxone, anno 1135. Eiusdem loci abbas Arnoldus consilium Friderico Imperatori suggesit de intrudẽdo Vuichman-

Vuichmanno apud Magdeburgéses, anno 1152. Chron. Saxoniæ.

ANGLIAE MONACHI.

CANTVARIENSES.

CLEREBANDVS, ROGERIVS.

CLerebandus abbas electus fuerat Cantuariæ monasterij S. Augustini, quem uulgò Anglorum Apostolum uocant. Verùm eum à Thoma episcopo benedictionem accipere nollet, ab eodem eiectus est. Balæus Centuria secunda, capite 97 Scriptorũ Britanniæ.

Rogerius de Cripta, monachus S. Trinitatis, abbas S. Augustini electus est anno 1177. Continuator Sigeberti.

GOTCELINVS.

Gotcelinus natione Gallus, patria Morinensis, & monachus Bertini cœnobij. Vnde euocatus ab Anselmo, primùm Ramesiæ, deinde etiam Cantuariç in monasterio Augustini uixit. Eruditionis suæ monumenta reliquit hæc:

Vitam diui Augustini, lib. 2.
De miraculis eiusdem, lib. 1.
De translatione ac sociorum, lib. 2.
Vitam Laurentij archiepiscopi, lib. 1.
Vitam Suuithuni episcopi, lib. 1.
Vitam D. Grimbaldi, lib. 1.
Vitam D. Erckenualdi, lib. 1.
De origine S. Iuonis, lib. 1.
Vitam Iuonis episcopi, lib. 1.
De translatione eiusdem, lib. 1.
Vitam D. Eadgithæ, lib. 1.
Vitam D. Milburgæ, lib. 1.
Vitam D. Vuiteburgæ, lib. 1.

Balæus Cent. 13. cap. 17 Scriptorũ Britániæ.

ELMERVS.

In eadé urbe in Seruatoris cœnobio priorem egit multis annis Elmerus, qui ueterũ ac recentiorum scripta, diligentia singulari euoluit. Libellos quos edidit, hi ferè sunt:

Homilias eruditas, lib. 1.
Exercitia uitæ spiritualis, lib. 5.
De bono uitæ claustralis, lib. 1.
Recordationes beneficiorum Dei, lib. 1.
Contra huius mundi miserias, lib. 1.
De inquisitione Dei, lib. 1.
De absentia uultus Dei, lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, lib. 2.

Aliaq; multa composuit. Sub annum 1130 in admiratione fuit. Balæus Cent. 2. capite 72.

ALEXANDER.

Eiusdem cœnobij alumnus Alexáder, discipulus & diligens auditor Anselmi archiepiscopi olim fuit, cuius dicta ex ore eius excepta in libellum cógessit, qué inscripsit Anshelmo iuniori, senioris illius nepoti. Claruit anno 1120. Balæus Cent. 10. cap. 41. Inter eosdem & Samson sub annũ Salutis 1170 uixit, diligens sacrorum librorũ lector: in quibus tantũ profecit, ut & ipse sæpius ad populũ conciones haberet, homiliarũq; uolumen contexeret, quod eruditũ, piũ, elegans opus uocat Balæus Cent. 12. cap. 58.

RICARDVS PLVTO.

Ricardus Pluto Cantuariésis monachus, philosophus, historicus & Theologus insignis, carmine & prosa conscripsit

Ecclesiasticam historiam Anglorum, li. 1.
Vnde malum? carmine, lib. 1.
De inquisitione boni, lib. 1.
De gradibus uirtutum, lib. 1.
De uirginitate, lib. 1.
De bono mortis, lib. 1.
De loco & tempore, lib. 1.
De arte iconica, lib. 1.
In canones Apostolorum, lib. 1.
Super opera Philonis, lib. 1.

Et alia plura, sub annum 1180. Balæus Centuria 3. cap. 16.

GVILHELMVS STEPHANIDES.

Guilhelmus Stephanides, secundum Ranulphum Hygden, nobilis Normannicus, Londini natus, circiter annum 1190 claruit. In prima ætate bonarum artium fundamenta in patria iecit, postea in Galliá profectus est, uberioris eruditiõis causa. Scripsit

De uita & passione Thomæ Becketi, li. 1.
De uisionibus post mortem, lib. 1.
De miraculis eiusdem, lib. 1.
Actus Henrici secundi, lib. 1.

Et alia quædam. Balæus Centuria tertia, capite 37.

NIGELLVS VVIREKER.

Nigellus Vuireker monachus, & Cantuariensis ecclesiæ præcétor, floruit anno 1200, uir non solùm in primis eruditus, & multę lectionis, sed etiam uitæ honestate insignis fuit. Vehementer papam eiusq; spirituales insectatus est, & tractauit ꝓ dignitate. Scripta eius hæc recensentur:

Speculum stultorum, carmine, lib. 1.
Monita ad amicum, lib. 1.
Aduersus barbariem, lib. 1.
Super uitijs curatorum, lib. 1.
Distinctiones utriusq; Testamenti, lib. 1.
De abusu rerum Ecclesiæ, lib. 1.
Exceptiones ex Guarnerio, lib. 1.
Commentarios Numerorum, lib. 1.

Et alia plura. Balæus Cent. 3. cap. 50.

GERVASIVS.

Sub idem tépus Geruasius, uir doctus, antiquitatumq; studiosus, floruit in Seruatoris cœnobio. Scripta quæ contexuit, hæc sunt:

Historia gentis Anglicæ, lib. 1.

Britannorum ab origine, lib.1.

Saxonum & Normannorum, lib.2.

Vitæ archiepiscoporum, lib.1.

De regiunculis Britanniæ, lib.1.

De sedibus pontificijs, lib.1.

De monasterijs constitutis, lib.1.

Et alia nonnulla. Balæus Cent.3.cap.48.

EADMERVS.

Eadmerus Dorobernensis, auditor Anshelmi in cœnobio Seruatoris, præstigiator & sophista insignis, Anshelmo proficiscēti Romam socius itineris extitit, sub Vrbano secundo. Tandem in monasterio Albani factus est abbas ditissimus. Scriptorum, quibus Romanæ bestiæ se patronum egit, hi sunt tituli:

De libertate Ecclesiastica, lib.1.

Historia nouorum in Anglia, lib.6.

Vita Anshelmi archiepiscopi, lib.2.

Vita Vuilfridi archiepiscopi, lib.1.

De D.Mariæ laudibus, lib.1.

Instituta Christianæ uitæ, lib.1.

De gestis sui temporis, lib.1.

Querela super morte Anselmi, lib.1.

Et alia plura. Claruit anno 1121. Balęus Cēt. 2.cap.68.

RADVLPHVS.

Radulphus abbas S. Albani, ab ineunte ætate linguam Latinam & artes politiores addidicit, ad maiora Anglorum gymnasia sese conferens. Carmine & prosa conscribēda excelluit. Scripsit

Historiam Alexandri Macedonis, lib.5. licet nonnulli eam historiam Galfrido cuidam monacho adscribant.

Vitam B.Albani carmine heroico, lib.1. Obijt anno 1151, & in eodem cœnobio sepultus est. Balæus Cent.2.cap.28.

IOHANNES.

Iohannes Hanvvillensis, cognomine Archinenius, septem liberalium artium magister Oxonij, cùm Parisijs aliquandiu literis operam dedisset, & in seculo esset peregrinatus, uitæ monasticæ ad Albani fanum sese mancipauit. In bonis literis tantum fecit profectum adhuc iuuenis, & poesin exercuit, ut miraculum eloquentiæ profluentis uisus fuerit. Quæ scripsit opera, hæc numerantur:

Architrenium carmine, lib.9.

De rebus occultis, lib.1.

Epigrammatum, lib.1.

Epistolarum & carminum, lib.1.

Et alia nonnulla. Claruit circiter annum 1200. Idem Centuria 3.cap.49.

GVALTERVS.

Gualterus Albani monasterij bibliothecarius ac præcentor, philosophus ac Theologus insignis, claruit anno 1180. Conscripsit de libris Ecclesiæ librū unum. Balæus Centuria 10.capite quinquagesimooctauo.

LONDINENSES.

RICARDVS.

Ricardus canonicus regularis, Londini in cœnobio Trinitatis floruit, circiter annū 1200. Is ab ineunte ætate bonas literas adamauit, & tātopere profecit, ut orator & poëta sui temporis inter præstantissimos fuerit habitus. Interfuit expeditioni in Syriam susceptę à Ricardo Anglorum rege, cui admodum charus extitit.

Scripsit itinerarium regis Ricardi, lib.1. in quo omnia quæ passim in itinere uidit, fideliter exponit.

Gesta eiusdem regis, lib.1.

Epigrammatum, lib.1.

Et alia nonnulla. Balæus Centuria 3. capite 44.

OSBERTVS.

Osbertus Clarētius, primùm monachus in cœnobio S. Petri Londinēsis, ordinis S. Benedicti, literatus & religiosus, postea prior constitutus est, omnium monachorum suffragio. Scripta eius hæc recensentur:

De uita regis Eduardi, lib.1.

De uita Ethelberti martyris, lib.1.

Vita D.Edburgæ, lib.1.

Miracula martyris Eadmundi, lib.1.

Epistolæ ad diuersos, lib.1.

Aliud epistolarum uolumen, lib.1.

Et alia. Cent.2.cap.75.

VVESTMONASTERIenses.

GILBERTVS.

Gilbertus Anshelmi Cantuariensis discipulus, & Vuestmonasteriensis abbas, cum peragrata Gallia & Italia, ubi & Antichristi sedem inuisit, ad patrios lares pedem refert, in Iudæum quendam Moguntinēsem incidit, cum quo acre ipsi de lege Dei certamen fuit. Scripsit

De fide Ecclesiæ contra Iudæos, lib.1.

Epistolas ad Anshelmum, lib.1.

De casu diaboli, lib.1.

De anima quoq;, lib.1.

Super Esaiam prophetam, lib.1.

Super Ieremiam prophetam, lib.1.

In Cantica Salomonis, lib.1.

Homilias 47, lib.1.

Ad cantorem Sagiensem, lib.1.

Et alia plura. Obijt anno 1117, Vuestmonasterij sepultus. Nonnulli asseuerāt, ipsum olim fuisse Lunicensem in Hybernia episcopum. Balęus Cent.2,cap.64 Scriptorum Britanniæ.

LAVRENTIVS.

Laurentius ex Dunelmensi præcentore fit pręses: tandem Vuestmonasteriensis abbas cōstituitur ab Heinrico secūdo, amoto Geruasio quodā, Stephani regis ex fratre nepote.

nepote. Religiosus & eruditus fuit. Carmine & prosa exercitatus plurima scripsit:

Hypognosticon ad Geruasium, lib. 9.
Sermones de Christi aduentu, lib. 1.
De Christi natali, lib. 1.
De assumptione Mariæ, lib. 1.
Super morte amici, lib. 1.
Excusationem pro Milone, lib. 1.
Inuectiuam in Malgerium, orat. 1.
Pro naufragis, orat. 1.
Pro iuuenibus compeditis, orat. 1.
Ad Hatheuuisam, lib. 1.
Dialogorum in metro, lib. 4.
De conscribendis epistolis, lib. 1.
Orationes pro Laurentio, lib. 1.
Vitam Erigidæ in prosa, lib. 1.
De Cuthberto episcopo, lib. 1.
De Confessoribus, lib. 1.
De uirginibus, lib. 1.
Homilias eruditas, lib. 1.

Et alia plura. Anno 1160. Cēt. 2. cap. 88.

RADVLPHVS.

Radulphus eleemosynarius Vuestmonasteriēsis, Benedicti regulas maiori studio coluit, quàm Euangelium Christi. Cōscripsit

Homilias Epistolarum, lib. 1.
Homilias Euangeliorum, lib. 1.
De peccatore, lib. 1.

Atq; alia quædam. Sub annum 1150. Centuria 2. cap. 89.

RICARDVS VINTONIENSIS.

Ricardus monachus apud Vintoniā, philosophiæ ac Sacrarum literarū cognitione, alijsq; politioribus uirtutibus ornatus, ita ut apud reliquos monachos magnificeret. In primis uerò rerū in Anglia gestarū exquisitā habuit noticiā, quarū Historiā cōtexuit, tēpora Ricardi regis complectentē, ad Robertum eiusdem ecclesiæ priorem. lib. 1.

Epitomen rerum Britannicarum, lib. 2.

Claruit annum circiter 1190. Cent. 3. cap. 28.

VVIGORNIENSES.

SENATVS.

SEnatus Brauonius, abbas Vuigorniensis, literatus, Hērico secūdo regi Angliæ, & Rogero istius sedis episcopo propter eruditionem charus fuit. Scripta quæ edidit, hęc recensentur:

Epistolarum opus, lib. 1.
Pallij pontificij rationem, lib. 1.
Vitam Osuualdi episcopi, lib. 1.
Vitam Vuolstani episcopi, lib. 1.

Atq; alia plura. Anno 1170 in æstimatione est. Centuria 3. cap. 10.

FLORENTIVS.

Florentius Brauonius, Vuigorniēsis monachus, in philosophia & Theologia insigniter doctus, Latino sermone hæc monumenta conscripsit:

Chronicon ex Chronicis, lib. 1.
De regali Anglorum prosapia, lib. 1.
Appendices ad Marianum Scotum, lib. 1.
De rebus sui cœnobij, lib. 1.

Et alia nonnulla. Obijt anno 1117. Cent. 2. cap. 66.

GVILIHELMVS NOVOBVRGENSIS.

Guilihelmus Petrus, Bridlingtonę natus, Nouoburgēsis monasterij canonicus regularis, & Doctor Theologiæ, in Scripturarū interpretatiōe nō usqueadeò infelix, claruit circa annū 1200. Tāto is studio doctrinas & sacras & prophanas prosecutus est, ut nūquā se à doctorū librorū lectione passus fuerit abduci. Contra Galfridū Monemutensem tanta petulantia atq; proteruia scripsit post mortem etiā, in quodā suorum Chronicorum proœmio, ut in hoc cōductum putes. Scripsit

Historiā de gestis Anglorū stylo satis eleganti, ab anno 1066, ad annum 1197. lib. 5.
De Anglorum regibus, lib. 2.
In Cantica canticorum, ad Rogerium abbatem Bellendensem, lib. 1.
Commentarios alios, lib. 1.
Sermones eruditos, lib. 1.

Atq; alia nonnulla. Balæus Cent. 3. cap. 53.

ODO BELLENSIS.

Odonem Cantianum, cū omnes monachos, in Seruatoris cœnobio latitātes, & doctrina & uirtute superaret, Thomas episcopus Cantuariensis primùm ibi præsidem, deinde abbatem Bellensis monasterij constituit. Scripturæ sanctę fuit studiosissimus, scripsitq; hæc sequentia:

In Pentateuchum commentarios, lib. 5.
In capita primi Regum, lib. 1.
Singillatim in libros Regum, lib. 4.
Super Psalterium, lib. 1.
In uetus Testamentum, lib. 1.
De libro uitæ, lib. 1.
De onere Philistijm, lib. 1.
Conciones in Euangelia, lib. 1.
De moribus Ecclesiasticis, lib. 1.
De uitijs & uirtutibus animæ, lib. 3.
De inuentione Milburgæ, lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Atq; alia nonnulla. Post mortem à Romano pontifice in numerum Sanctorum ascitur. Centuria 2. cap. 97.

ADAMVS DORENSIS.

Adamus Dorensis abbas, ordinis Cisterciensis, claruit circiter annum 1200. Is musicus & poeta magni nominis fuit, sed inflatus & superbus. Scripsit

Cōtra speculum Giraldi, lib. 1 carmine.
Rudimenta Musices, lib. 1.

Et alia quædam. Centuria 2. cap. 40.

FORDENSES.

ROGERVS.

FOrdæ monachum egit Rogerus quidā,

monastica superstitione supra modum tumens, suiq; ingenij pręclaros fœtus edidit.

Reuelationes Elisabethæ Schonaugiensis in ordinem redegit, easq; suo abbati Balduino inscripsit, lib.2.

De undecim millibus uirginum Coloniensium, lib.1.

Encomium Mariæ, carmine, lib.1.

Centuria 3.cap.23.

MAVRITIVS SOMMERSETVS.

Eiusdem cœnobij alumnus fuit Mauritius Sommersetus, sub annum Salutis 1190. Is cum Oxonij pluribus annis operá dedisset literis, tandem Fordæ suis contubernalibus artes quas nouit, exposuit.

Scripsit de Schemate pontificali ad Reginaldum Bathoniensem episcopum, carmine lib.1. Et carminum lib.1. Atq; alia quędam. Centuria 3.cap.3.

SALOPIANI.

ROBERTVS.

Robertus Salopiensis abbas coluit deos alienos ueneratione exuuiarum Sanctorũ. Nam Vuenefridæ uirginis exuuias, è Cambria translatas, singulari ueneratione apud se retinuit, de qua etiam libellũ conscripsit, cui titulum indidit, De uita Vuenefridę uirginis, ad Guarinum Vuigorniensem præpositum, anno 1140. Cent.2.cap.76.

HENRICVS.

Eodem tempore & loco claret Henricus Saltereyensis, ex Huntyngtonensi comitatu oriundus, qui ab ipsis fermè incunabulis superstitiõi deditus fuit, deceptus à quodã Florentiano Hyberniæ episcopo, & Gilberto abbate Cisterciensi. Scripsit

Super purgatorio Patricij, lib.1.

De pœnis purgatorij, lib.1.

Centuria 3.cap.77.

ADELBERTVS SPALDINgensis.

Adelbertus Leuita Spaldingensis cœnobij, uir eruditissimus, prudens, disertus, religiosus, & in omni conuersatione mansuetus. Præterea ardens in eo studium fuit legendi Sacras literas & Patrum scripta. Edidit

Speculum quoddam de statu hominis, continens centum & quinquaginta capita, lib.1.

Ad Hermannum presbyterum, lib.1.

Et alia nonnulla. Anno 1160. Balæus Cent. 2.cap.95.

ALANVS TEVKESBVRIENSIS.

Alanus abbas Teukesburij, Thomæ Becketo fuit familiaris, cum æditũum ageret in monasterio Seruatoris Cantuariæ: ideoque in eiusdẽ laudem nõnulla conscripsit, hisce titulis:

Exilium & uita Thomæ, lib.1.

Acta Clarendonensia, lib.1.

Problemata sophistica, lib.1.

Et similes Antichristi feces. Obijt anno 1201. Balæus Cent.3.cap.46.

NICOLAVS.

Eodem ferè tempore Nicolaus Vualkington in uiuis fuit. Is iuuenis, ut maiori quiete bonis literis operam dare posset, cœnobium monachorũ de Kirckeham, ordinis Cisterciensium, ingressus est. Scripsit

De uirtutibus & uitijs, lib.1.

Historiam Gualteri episcopi, lib.1.

Et alia quædam. Centuria 3.cap.35.

GOTFRIDVS SVVITHVnensis.

Gotfridus abbas Suuithunensis, uir literatus, in utroq; scribendi genere, & prosa & carmine, exercitatus, claruit circiter annum 1107. Scripta eius sunt:

Epigrammata Satyrica, lib.1.

Nummi descriptio, lib.1.

De primatum Angliæ laudibus, lib.1.

De diuersis hominum moribus, lib.1.

Disticha moralia, lib.1.

Tetrastica moralia, lib.1.

Hexastica moralia, lib.1.

Epistolæ elegantes, lib.1.

Atq; alia plura. Cent.2.cap.59.

FONTANI.

SERLO.

Serlo Grammaticus, frater Radulphi cuiusdam abbatis de Parcho, rhetor & poeta haud postremus, claruit anno 1160. Is ex Eboracẽsi canonico Fontanus monachus ordinis Cisterciensis, & tandem etiam abbas ibidem factus est. Scripsit

De quodam bello Scotico, lib.1.

De morte Sumerledi, lib.1.

In orationem Dominicam, lib.1.

De dictionibus dissyllabis, lib.1.

De dictionibus æquiuocis, lib.1.

Et alia quædam. Centuria 2.cap.91.

ROBERTVS.

Robertus Fontanensis abbas obijt anno 1180. Cui eiusdem nominis prior S. Petri super Dinam, successit eodem anno. Continuator Sigeberti.

GERVASIVS.

Geruasius monachus S. Mariæ Eboraci, in Fontano cœnobio ordini Cisterciensium sese totũ mãcipauit primùm. Postea Parshensis cœnobij primus designatus est abbas. Edidit libellum, cui titulũ indidit, Speculum charitatis, hortatu Ealredi abbatis. Item epistolæ eius aliquot ad Ealredũ extant Balæus Cent.10.cap.53.

MALMESBVRIENSES.

GVILHELMVS.

Gvilhelmus Sommerset, monachus ordinis S.Benedicti, Malmesburiẽsis bibliothe-

cę pfectus,& eiusdē ecclesiæ præcentor, unus ex doctissimis sui seculi fuit,& in eruendis antiquitatibus studiosissimus.Is nōnullas superstitiōes immodicè extulit. Mores sui seculi graphicè ac genuinè depinxit.Scripta ab ipso edita hæc recensentur:

De regibus Anglorum, lib.6.
De pontificum gestis, lib.5.
Historiam Nouellam, lib.3.
Itinerarium Iohannis abbatis, lib.1.
In Threnos Ieremiæ, lib.4.
Vitam Aldhelmi episcopi, lib.1.
De miraculis D.Andreæ, lib.1.
De miraculis S.Mariæ, lib.4.
Genealogiam Henrici secundi, lib.1.
Chronicorum fragmenta, lib.1.
De serie Euangelistarum, lib.15.
Vitam S.Patricij, lib.3.
Vitam Dunstani archiepiscopi, lib.2.
Vitam S.Benigni, lib.1.
Vitam S.Indracti, lib.1.
De uirtutibus Sanctorum, lib.1.
Epitomen Haymonis Floriacensis, lib.1.
Antiquitates Glasconiæ, lib.1.
Antiquitates Malmesburiæ, lib.1.
De gente Vuydenorum, lib.1.
Sermones & epistolas, lib.2.

Atq; alia plura.Obijt anno 1142.Balęus Cēturia 2.cap.73.

PETRVS.

Petrus cognomento Balduinus,ibidem monachus,in utroq; genere,carmine & ꝓsa, mediocriter doctus, claruit anno 1130. Scripsisse fertur acta quorūdā probioris uitæ monachorum,carmine & soluta oratione.Balæus Centuria 10.cap.45.

GVILHELMVS RVSHEfordensis.

Guilhelmus Rhieuallēsis, monachus de Rusheforde,ordinis Cisterciensis,uir religiosus, scripsit Historiam Anglorum,lib.1. quam dedicauit Eadredo Rhieuallensi abbati. Obijt anno Domini 1146. Balæus Cent.2.cap.92.

ADAMVS EVESHAmensis.

Adamus in Euesham abbas, uir doctus, at superstitiosus fuit, Antichristi membrū: ipse frequētās monialiū claustra,alijs impo suit iugū importabile.Cōscripsit sequētia:

Ad monachos de Godestoue, lib.1.
De miraculo Eucharistiæ, lib.1.
Epistolas ad diuersos, lib.1.
Sermones aliquot, lib.1.

Atq; alia quædam, anno 1160. Centuria 2. cap.93.

BATHONIENSES.

ATHELARDVS.

Athelardus monachus Bathoniēsis, philosophus,astronomus,rhetor & poëta haud uulgariter doctus,facūdus,linguis & artib. excellens,claruit anno Domini 1130. Iuuenis Aegyptum & Arabiam peragrauit,ut ea quæ maximè cupiebat,addisceret.Scripsit, & ad posteritatem transmisit:

De naturis rerū seu naturaliū q̄stionū,l.1.
De causis rerum naturalium, lib.1.
Sic & non sic, lib.1.
De septem artibus liberalibus, lib.1.
Ezichiafarim ex Arabica transtulit, lib.1.
Euclidis Geometriam transtulit, lib.1.
De Astrolabio, lib.1.
Problematum quoq;, lib.1.

Atq; alia nonnulla.Balæus Cent. 2.cap 69.

RHIEVALLENSES.

GVALTERVS.

Gualterus Esper Anglus, nobilitate stemmatis clarus, Stephani Hardingi discipulus,anno Domini 1132 ordinem Cisterciensium omniū primus in Anglia plantauit,ad Rhieuallem cōstructo monasterio. Balæus Cent.2.cap.63. in appendice.

EALREDVS.

Ealredus Rhieuallensium monachorum abbas,genere,doctrina, & inculpatæ uitæ moribus præclarus,floruit anno 1160.Is discendi cupidissimus fuit:atq; ut amplū studiorum fructum assequeretur,solitariæ uitæ se totum mancipauit.Balæus eum alterum Bernhardū uocat, ut qui ingenio mitis,actione pius, & consilio modestissimus fuerit Episcopatum & alios mundi honores recusauit, ut ad prædicationem Euangelij esset expeditior. Dauide Scotorū rege usus est admodum familiariter. Certamina inter uiros principes mira industria & felicitate etiam diremit. Confessiones D.Augustini pro immenso semper habebat thesauro. In scriptis planè Bernhardo similis extitit,quorum hi sunt tituli:

Vita Eaduuardi Anglorum regis, lib.2.
Vita Dauidis Scotorum regis, lib.2.
Vita Niniani episcopi, lib.1.
Vita Margaritæ reginæ, lib.1.
De regibus Anglorum, lib.1.
De miraculis D.Eaduuardi, lib.1.
Miracula Hagustaldensis ecclesiæ, lib.1.
Chronicō ab Adā usq; ad Henricū, lib.1.
Sententiarum flores, lib.1.
Vitam Eaduuardi,carmine, lib.1.
Homiliarum iustum uolumen, lib.1.
In Euangelium accensæ lucernæ, lib.1.
De prælatorum moribus, lib.1.
De ministrorum officijs, lib.1.
De abusionibus claustri, lib.1.
Centum sermones synodales, lib.1.
Speculum charitatis, lib.3.
De uera amicitia, lib.1.
De amicitia spirituali, lib.3.
De aduentu Domini, lib.1.

De militia Christiana, lib.1.
Super onus Babylonis, lib.1.
De oneribus Isaac, lib.1.
Dialogos plures, lib.1.
Inter hominem & rationem, lib.1.
De institutione inclusarum, lib.1.
De quodam miraculo, lib.1.
Super Canticis canticorum, lib.1.
De uirtute Gualteri Esper, lib.1.
Cōtra quasdam episcoporū literas, lib.1.
Epistolas trecentas, lib.1.
De lectione Euangelica, lib.1.
De Christo duodenni, lib.1.
Super Lucam, lib.1.
De uirginitate Mariæ, lib.1.
De natura animæ, lib.1.
De dotibus eiusdem, lib.1.

Atq; alia multa. Ascitus fuit anno suæ ætatis 57 in catalogum papisticorum Sanctorum. Balæus Cent.2.cap.99.

GVALTERVS DANIEL.

Gualterus Daniel eiusdem cœnobij diaconus, claruit anno 1170. Is & celebris uitę & raræ eruditionis monachus fuit, ita etiā ut suū præceptorem Ealredum abbatē multum uicerit. Philosophiæ ac Theologiæ operam dedit summa cura. Scripsit

De conceptione Mariæ contra Nicolaū monachum, lib.2.
De uirginitate Mariæ, lib.1.
De uera amicitia, lib.5.
De onere iumentorum Austri, lib.2.
De honesta uirginis formula, lib.1.
Epistolarum uolumen, lib.1.
Centum homilias, lib.1.
Centum sententias, lib.1.
Super, Missus est, lib.1.
In aliquot Scripturæ loca, lib.1.

Atq; alia quamplurima. Rhieualli tandem obijt, & ibi sepultus est. Cent.3.cap.3.

ROBERTVS BRIDLINtonensis.

Robertus præses Bridlintonensis cœnobij, ab ineunte ætate Sacrarum literarū lectioni intentus usqueadeò fuit, ut nullus Latinorum Theologorum fuerit, cuius scripta non uiderit, legerit, intellexerit: unde etiā cognomē sortitus Scribę est, ꝓpter uarietatē lectionis, ut Balæus coniectat. Scriptorū ab ipso editorum hi sunt tituli:

In Genesin commentarij, lib.1.
In Exodum, lib.1.
In Leuiticum, lib.1.
In Numeros, lib.1.
In Deuteronomium, lib.1.
Super Psalterium, lib.1.
Breuiarium in Psalmos, lib.1.
In Cantica canticorum, lib.1.
In 12 Prophetas, lib.12.
Super Apocalypsin, lib.1.
In Symbolum Athanasij, lib.1.
In cantica Bibliorum, lib.1.
In orationem Dominicam, lib.1.
Super Matthæum, lib.1.
Super Iohannem, lib.1.
Super Epistolas Pauli, lib.14.
De operibus sex dierum, lib.1.
Dialogos plures, lib.1.
De corpore & sanguine Domini, lib.1.
De Ecclesia catholica, lib.1.
Sermones quoq;, lib.1.

Atq; alia. Cent.3.cap.11.

ACHARDVS.

Hoc etiam seculo Achardus eiusdem cœnobij alumnus, uir & literatus & honestus, uixisse putatur. Scripta quæ edidit, hos titulos circumferunt:

De Christi tentatione, lib.1.
De S. Trinitate, lib.1.

Atq; alia plura. Cent.2.cap.67.

GVILHELMVS.

Guilhelmus monachus Benedictinus Crolandiæ, claruit anno 1178. Multa & carmine & soluta oratione scripsit, quorū hæc sunt nomina atq; tituli:

Vitam Guthlaci carmine, lib.1.
Vitam Neoti carmine, lib.1.
Vitam eiusdem prosa, lib.1.
De translatione eiusdem, lib.1.
Vitam comitis Vualdelphi, lib.1.
Gesta antecessorum eiusdem, lib.1.
De passione Vualdelphi, lib.1.
De comitissa Iuditha, lib.1.
Miracula Vualdelphi, lib.1.
De uitis philosophorum, lib.1.
De legendis ethnicorum scriptis, lib.1.
Vitam D. Eadmundi regis, lib.1.
Vitam Birini episcopi, lib.1.
Super Bedam de temporibus, lib.4.
Super Isidorum de Computo, lib.1.

Et alia. Cent.3.cap.9.

HAVGVSTALDENSES.

IOHANNES.

IOannes de Hexham monachus Benedictinæ professionis, & Hangustaldensis cœnobij præses, floruit anno Salutis 1160. Inerat in uultu eius multum seueritatis, in externis moribus candor, facultas & dicendi & disputandi. Prælegit uaria suis monachis. Scripsit

Historiam 25 annorum, lib.1.
De signis & cometis, lib.1.
Descriptionem Scotici belli, lib.1.
Conciones aliquot, lib.1.

Et alia. Cent.3.cap.31.

RICHARDVS.

Richardus eiusdē cœtus alumnus & prior, claruit anno 1190. Is iuuenis traditus Ioanni de Hexham erudiendus, non parum in literarum studijs profecit. Per omnia studuit

studuit suo præceptori in moribus, in uita, in doctrina fieri simillimus. Tandem etiam ei succesit. Scripsit

Gesta regis Stephani, lib.1.
Gesta Henrici 2, lib.1.
De bello Standardico, lib.1.
Chronicon paruum ab Adam, lib.1.

Aliaq; nonnulla. Balæus Cent.3. cap.32.

HVGO REEADINGENSIS.

Hugo monasticæ uitæ eam præcipuè ob causam se mancipauit, ut bonis artibus inuigilare posset. Quæsiuit præceptores doctrina præstãtes. Hinc factum est, ut in Theologia euaderet excellenter doctus, ac Rheadingensis abbas crearetur. Scripsit

Quæstiones plures, lib.1.
Ad Petrum Blesensem epistolas plures.

Et alia quædam. Cent.3.cap.20.

ODO MVREMVNDENSIS.

Odo Muremundensis abbas, in Mathematicis disciplinis pręcipuè excelluit. Scripsit

Dialogum quendam de religione Christiana & Iudaica, lib.1.
De analyticis ternarij, lib.1.
Analytica numerorum, lib.1.
Chronicon quoq;, lib.1.

Et alia quædam. Cent.3.cap.19.

SIMON DVNELMENSIS.

Simon Dunelmẽsis monachus ac præcẽtor, claruit circa annum Salutis 1146. Is & Mathematicus & Chronographus singularis fuit. Scripsit

De rebus Anglorum, lib.2.
De obsidione Dunelmi, lib.1.
De archiepiscopis Eboracensibus, lib.1.
De pasionibus martyrum, lib.1.
Epistolas ad Elmerum, lib.1.

Balæus Centuria 2.cap.98.

GLOCESTRIENSES.

NICOLAVS.

Nicolaus de sancto Albano, abbas Glocestriẽsis, scripsit de cõceptione Mariæ uirginis ad Hugonem quendam Remigij abbatem libros duos, in quib. asseruit, B. Virginem nihil habere ex Adamo originalis cõtagij. Et epistolas ad eundem, aliaq; nõnulla eiusdem generis. Floruit sub annum 1140. Centuria 2.cap.79.

SERLO.

Serlo abbas Glocestriensis, locũ illũ ex humili ad gloriosum prouectũ extulit. Glocestriẽsis religionis autor fuit. Erga bonos humilẽ, erga malos terribilẽ sese præbuit. De eo Godefridus istius loci prior hos cõposuit uersiculos, ut Malmesburiensis lib. 5.cap.52 testatur:

Ecclesiæ murus cecidit, Serlone cadente,
Virtutis gladius, buccina iustitiæ,
Vera loquens, & non uanis sermonibus utens,
Et quos corripuit, principibus placuit.
Iudicium præceps, contrarius ordinis error,
Et leuitas morum non placuêre sibi.
Tertius à Iano mensis, lux tertia mensis,
Cum nece suppreßum uita leuauit eum.

OSBERTVS.

Osbertus ibidem monachus, ab ineunte ætate eloquentiæ & bonis artibus operã dedit, tantęq; fuit eruditionis in Theologia, ut quodammodo cum ueteribus cõferendũ cẽseat Balæus. Scripsit aliquot libellos, quorum aliquos Gilberto Herefordensi episcopo inscripsit:

Super opus Iudicum, lib.5.
De incarnatione Domini, lib.1.
De natiuitate Christi, lib.1.
De pasione eiusdem, lib.1.
De resurrectione quoq;, lib.1.
Panormiam ad Hamelinum, lib.1.

Hos uerò scripsit per Dialogos:

In Genesim, lib.1.
In Exodum, lib.1.
In Numeros, lib.1.
In Deuteronomium, lib.1.

Et alia plura opuscula, anno 1140. Balæus Cent.2 cap 78.

THOMAS MONEMVTENSIS.

Thomas Monemutensis Chronographus fuit, & superstitionũ promotor strenuus, anno 1160 Scripsit

Vitam Guilhelmi martyris, lib.7.
Miracula eiusdem, lib.1.

Atq; alia quędam. Balæus Cent.2. cap.94.

GILBERTVS SEMBRINGAMENSIS.

Gilbertus de Sempringham ex Lincolniensi prouincia oriundus, Iocelini equestris ordinis uiri filius & hæres, corpore & animo deformis, uixit annos 106. Is ubi in Anglorum scholis parum didicisset, in Gallias cõtẽdit studiorũ causa Lincolniam reuersus nihil magis egit, quàm ut superstitionibus hominũ animos demẽtaret fascinaretq;: extruit enim toto suæ uitæ tempore tredecim cœnobia.

Autor fuit Gilbertinæ monachorum sectæ, anno 1148 eiusq; regulas seu decreta examinanda obtulit Eugenio tertio, qui & confirmauit. Scripsit

Gilbertinorum constituta, lib.1.
Exhortationes quasdam, lib.1.

Atq; alia. Obijt anno 1189, & sepultus est Sempringamij. Deinde etiam in Sanctorũ papisticorum Catalogum relatus est. Balæus Centuria 3.cap.25: & Cent 2.cap.63 in Appendice.

CLEMENS LANTHONIENSIS.

Clemẽs Lãthoniẽsis presbyter & canonicus, & tandẽ etiã pses & magister monachorum ordinis D.Augustini, ꝓpter eruditionẽ insignem

insignem celebris habetur anno 1170. Eum locum paulo pòst relinquens, qui Lanthonium Claudianum dicitur, Lanthonium Brechanianum in Cambria petijt, locum ab omni strepitu remotum. Hic nonnulla exarauit, quorum hi sunt tituli:

Concordiam Euangelistarum, lib. 12.
In Euangelia commentarios, lib. 4.
De alis Cherubin, lib. 1.
In Canonicam Iacobi, lib. 1.
In Canonicas Petri, lib. 2.
In Canonicas Ioannis, lib. 3.
In Canonicam Iudæ, lib. 1.
Sermones eruditos, lib. 1.
Epistolas ad diuersos, lib. 1.
Lecturas scholasticas, lib. 1.
De orbibus Astrologicis, lib. 1.

Atq; alia nonnulla. Tandem subitanea percussus paralysi, Lanthonij prope Glocestriam sepultus est. Balæus Cent. 3. cap. 2.

FISCANENSES.

GVILHELMVS.

Gvilhelmus Normannus, professione monachus Fiscanensis, claruit anno 1160. Is admodum literatus fuit, & propter eruditionem Heinrico 2 Anglorum regi percharus, qui ei suasor fuit conscribendæ historiæ: quod fecit. Scripsit igitur

Chronicon Normannorum, lib. 1.
Historiam de Anglorum regibus, lib. 1.
Officiarium Ecclesiæ, lib. 1.

Et alia nonnulla. Balæus Cent. 13. cap. 20.

ROBERTVS.

Robertus eiusdem cœnobij incola, sub annum 1180. scripsit

Chronicorum opus, à Christo incarnato usq; ad sua tempora, lib. 1. Balæus Cent. 13. cap. 29.

FAVTIVS ABINDO- *nensis.*

Fautius Thuscus, Abindonensis monasterij ordinis Benedictini abbas eruditus, claruit anno 1110. Scripsit

Anselmi episcopi uitam, lib. 1.
Epistolas ad diuersos, lib. 1.

Atq; alia multa. Centuria 13. cap. 18.

ROBERTVS.

Robertus abbas in monasterio montis Michaelis, patria Normannus, uir doctus, claruit anno 1158. Conscripsit

Chronicorum opus, lib. 1.
Gesta Vualuuani, lib. 1.
Gesta Morodori, lib. 1.

Et alia eiusdem generis. Centuria 13. cap. 22.

ODO.

Odo Shirton, seu de Ceritona, monachus Cisterciēsis in Anglia, floruit circiter annum Christi 1180. Is in patria primùm, de inde Parisijs literarum studia non infeliciter tractauit. Philosophus & Theologię doctor fuit. Multis magnatibus propter singularem rerum experiētiam fuit charissimus. Scripta eius sunt:

Bestiarium, uel Brutarium, continens Aesopicas fabulas Latinè uersas, & illustratas commentarijs, lib. 1.
Opus 60 parabolarum, lib. 1.
Homelias de tempore, lib. 1.
Parabolarum aliud opus, lib. 1.
Pœnitentiale quoq;, lib. 1.
Partium opus, lib. 1.
Narrationes quasdam, lib. 1.

Et alia nonnulla. Centuria 3. cap. 18.

ROBERTVS.

Robertus Canutus, Crikeladæ non procul ab Oxonio natus, claruit anno 1170. Is ubi Oxonij nō sine fructu literis bonis incubuisset, ubi & omnes titulos uiri docti fuerat adeptus, abbas canonicorū regularium Fridisuuidæ designatus est. Scripsit

Deflorationes historię naturalis ex Plinio, lib. 9.
De connubio Iacob, lib. 1.
Opus de matrimonio, lib. 1.
Commentarios in Genesin, lib. 1.
In Exodum, lib. 1.
In Leuiticum, lib. 1.
In Numeros, lib. 1.
In Psalterium, lib. 1.
In Cantica canticorum, lib. 1.
In Regum, lib. 4.
In Ezechielem, lib. 1.
In 12 Prophetas, lib. 12.
In Euangelium Matthæi, lib. 1.
In Epistolas Pauli, lib. 1.
In Apocalypsin Iohannis, lib. 1.
Speculum fidei, lib. 4.
De benedictionib. Iacob & Mosis, lib. 1.
Vtriusq; Testamenti Sacramenta, lib. 1.
Sermones & epistolas, lib. 1.
Sententiarum Theologicarum, lib. 2.

Atq; alia plura. Balæus Cent. 3. cap. 4.

VALERAMVS VRSICAM- *pianus.*

Valeramus monachus Clareuallensis, primus fit abbas Vrsicampi, anno 1129. A' Simone Nouiomagensi episcopo uocatus, aliquot comitat' monachis eò uenit. Chronicon Flandriæ lib. 5. Vbi cum tres abbatias alias fundasset, migrauit ad patres suos, anno 1142. Continuator Sigeberti.

SAMSON BVRIEN- *sis.*

Samson Buriensis sceleratos monachos luxuq; perditos, quos Hugo Nouantus è collegio Conuentriensi expulerat, restituit in integrum, anno 1198. Balæus Centuria 13. cap. 31.

MARIS

MARIS MORTVI abbates.

ALexander primus abbas Maris mortui, tradidit se suamq; domũ abbati Vrsicampi, anno 1138. Continuator Sigeberti.

Stephanus abbas Maris mortui, ex suo conuentu Richardum de Bloseuilla, cũ alijs monachis misit Botũ, in territorio Rothomagensi situm, ad primordia iacienda ordinis Cistercienſium in illo loco. Idem.

BECCENSES.

ROGERIVS, OSBERTVS.

ROgerius abbas Becci, uir religiosus, honestus & literatus fuit. Archiepiscopatum Cantuariẽsem oblatum recusauit, causans aduersam ualetudinẽ. Multis ædificijs suũ cœnobiũ exornauit triginta illis annis, quibus abbatem egit. Obijt anno 1180. Successit Osbertus Bellimontensis prior.

ROBERTVS.

Robertus de Nouoburgo, dapifer & iusticiarius totius Normanniæ, opes quas ferme innumeras habebat, in monachos & pauperes distribuẽs, ante obitũ uno mense monasterium Becci à se extructum ingressus est, induens cucullum de more. Sepultus est in capitulo Becci, anno 1160. Continuator Sigeberti.

BONVS.

Bonus, quem rectius Malum dixeris, abbas Rugeij, anno 1174, ascitis scelerum socijs Gaufrido de Poemio, & Radulpho de Haia, infestat regis terram castellis carentẽ. Continuator Sigeberti.

BENEDICTVS.

Benedictus prior Cantuariensis ad Seruatorem, doctus & ingeniosus, tandem Petroburgensis fit abbas, anno 1177. Is quantum potuit sudauit, mille excogitans mendacia, ut Thomas Becketus pro sancto coleretur. Scripsit

- Miracula Thomæ martyris, lib. 1.
- Vitam eiusdem, lib. 1.

Et alia quędam. Continuator Sigeberti. Balæus Cent. 3. cap. 52.

PHILIPPVS RHEDOnensis.

Philippus primus abbas Rhedonensis, suæ ecclesiæ caput diruit, admonitus quadam diabolica illusione, in qua magnam pecuniæ uim reperit, qua de integro totũ illud quod demolitus fuerat, extruxit. Obijt 1181. Continuator Sigeberti.

GVILHELMVS RAMEsiensis.

Guilhelmus, à patria dictus Petroburgẽsis, monachus Ramesiensis, doctus, facundus & prudens, cuius cõsilijs sæpe usi sunt magnates, claruit anno 1188. Is inter Theologos summus suo tẽpore habitus est, ad cuius lectiões multi soliti sunt uenire. Scripsit

- Distinctiones Theologiæ, lib. 1.
- Commentarios in Cantica, lib. 1.
- Homilias notabiles, lib. 1.
- Euphrasticam expositionem, lib. 1.
- Opus partium, lib. 1.
- Interpretationes uocabulorum, lib. 1.

Atq; alia plura. Balæus Cent. 3. cap. 22.

GILBERTVS SVVINsetensis.

Gilbertus de Hoylanda, genere Anglus, discipulus olim Bernhardi Clareuallensis, atq; eiusdem familiaris, monachus Cisterciensis. Ei præcipua cura fuit studiũ Theologiæ. Cumq; in Suuinsetensi cœnobio abbatem ageret, singulis id postulantibus, sapiẽtiam, quã maximo labore acquisiuerat, liberaliter communicauit. Scripta eius hæc fermè recensentur:

- In Cantica canticorum, lib. 1.
- Vitam D. Bernhardi, lib. 1.
- Super Epistolas Pauli, lib. 14.
- Super Psalterium, lib. 1.
- In Euangelium Matthæi, lib. 1.
- In Apocalypsin Iohannis, lib. 1.
- Sententias Theologicas, lib. 1.
- De statu animæ, lib. 1.
- Homilias quoq; plures, lib. 1.

Et alia multa. Balæus Cent. 3. cap. 51. Tritemius de Scriptoribus Ecclesiasticis.

ROBERTVS.

Robertus abbas Montis, cum Stephano Cluniacensi & Benedicto Clusino coluit amicitiam. Interfuit electioni Rolandi Dolensium archiepiscopi. Opus Chronicorũ Sigeberti Gemblacensis cõtinuauit. Interfuit concilio Turonensi, anno 1163, habito ab Alexandro 3.

HERLVINVS.

Herluinus monachus doctus, in Britannia cis marina crucem prædicauit, & postea magnæ Anglorum multitudinis ductor Acconem usq; fuit, ubi dispersi sunt, nihil egregij efficientes. Antoninus tit. 17. cap. 9. §. 29.

VVIGMORVS.

Vuigmorus, à frequẽti cõcione dictus Homiliarius, uir doctrinæ multæ, edidit

- Sermones per Aduentum, lib. 1.
- Sermones per totum annum, lib. 1.

GODVICVS.

Goduicus, qui & Geruasius, presbyter, patria Nortumbrianus, doctus, claruit anno 1150. Scripsit uitã & uisiones Orni, quem librũ Simeoni Dunelmensis cœnobij præcẽtori dedicauit. Balæus Cent. 10. cap. 55.

ROGERVS.

Rogerus de Sarisburia, ab ineunte ætate bonas literas didicit: ubi ad maturiorem peruenit ætatem, summa cura incubuit in

ministerio uerbi laborare, moresq; hominum reformare, anno 1160. Scripsit

In Euangelia Dominicalia, lib.1.
Super Psalterium, lib.1.

Et alia. Balæus Cent.10.cap.56.

BILIBERTVS.

Bilibertus Britannus tantæ eruditionis fuit, ut nomen sortiretur Vniuersalis. Claruit sub Innocentio tertio. Platina.

HYBERNIAE monachi.

TVNDALVS.

Tundalus Magus, Hybernus nobilis & eques auratus, uixit circiter annum 1140, uel 1149. Is uisiones habuisse dicitur per spiritum propheticum: quæ cuius sint generis, facile est diuinare. Nam scriptis superstitionem cultus Maosim & purgatorij mirificè confirmauit. Carthusianum ipsum præterea fuisse fertur. Scripsit libellum Apparitionum suarum. Balæus Cent.2.cap.98: & Cent.14.cap.87. Vincentius.

CONGANVS.

Conganus abbas Hybernicus ordinis Cisterciẽsis, doctus, claruit circiter annum 1150. Is ad confirmandas superstitiones & doctrinas dæmoniorum fuit admodum idoneus. Eius hortatu & informatiõe Bernhardus uitam Malachiæ descripsit: ut ipse testatur in Præfatione. Scripsit

Gesta Malachiæ archiepiscopi, lib.1.
Ad Bernhardũ Clareuallẽsem epistolas plures. Balæus Cent.14.cap.86.

FLANDRIAE monachi.

HYPRENSES.

GERHARDVS.

Gerhardus rogatu ciuium Hyprensiũ, ecclesijs S. Martini & Petri præficitur à Iohãne Morinorum episcopo, anno 1101. Is statim in Patris extructo cœnobio, sodales sibi adsciuit, qui iuxta regulam diui Augustini uiuerent, populumq; docerent. Chron. Fland. lib.4.

HELMARVS.

Helmarus Hyprensis abbas, testis additus est actioni de nunquam reparanda arce Taruanica, anno 1142. Chronicon Flan.

GARENBERTVS BORnensis.

Garenbertus ex pago Vulpen, in agro Furnensi sito, ex parentibus Beldralano & Raginalde natus est, circiter annum 1100. Is puer adhuc, cum bonæ indolis esset, canonicis S. Vualburgis in oppido Furnensi erudiendus traditus est. Vitia quæ illa ætas sectatur, strenuè fugit. Vt Gallicam addisceret linguam, Cameraci quadriennium, & postea in oppido sancti Quintini aliquandiu commoratus est. Tandem deserto suo domino Oylardo, in locum desertum, qui Boëni uulgò dicitur, secessit: cumq; ad ipsum hominum ociosorum manipulus confluxisset, ipsorum abbas est creatus à Liethardo Cameracensium episcopo. Chronicon Flandriæ lib.4.

BERGENSES.

Ingelbertus Bergensis abbas, Balduini Barbati comitis Flandriæ ex filia nepos, obijt anno 1104. Thomas, eiecto Hermete, à Iohanne Morinorum episcopo factus est Bergensis abbas, anno 1120. Chron. Flandriæ lib.4. Alfgerus ibidem abbas curauit transferri corpus D. Vuinnoci per Milonem episcopum, anno 1128. Aluisius eiusdem monasterij abbas sigillo confirmauit, arcem Taruanniæ à Theodorico principe demolitam, nunquam reædificãdam, anno 1142. ibidem lib.5.

BERTINICI.

LANTBERTVS.

Lantbertus abbas Bertinicus iuuit consilia Hermetis Bergensis in reformandis monachis. Et inter Atrebatenses quoque ac Blandinenses reformatorem egit. Chron. Fland. lib.4.

IOHANNES.

Iohannes abbas Bertinicus, defuncto Iohanne Morinorum episcopo, successorem censuit constituendum Balduinum Theodorici principis fratrem. In quo proposito cum pertinacius perseueraret, motus est loco, anno 1130. ibidem.

SIMON.

Simon Gandauensis eodẽ anno successit. Is anno 1132 interfuit dedicationi tẽpli Bergensis monasterij.

LEO.

Leo abbas Lobiẽsis, Theodorici comitis eleemosynarius, claro natus loco in Furnẽsibus, fit abbas Bertinicus, anno 1137. Is strenuè sese opposuit Cluniacensibus monachis, qui eam domum sibi subijcere nitebãtur: tantũq; perfecit per alios apud Innocentiũ, ut eius domus abbates perpetui à Romanis pontificibus instituerẽtur. Interfuit, anno 1142, ut testis transactioni de arce Taruãnensi. Superstitionum fuit plenissimus. Nam ex Syriaca expeditione particulam crucis Christi in crystallina phiala secum attulit, anno 1150, quam asseruandã tradidit Brugensibus in templo B. Blasij. Cœnobium conflagratum restituit in integrum. Obijt anno 1163.

GODESCHALCVS.

Godeschalcus earundem cellarũ abbas, Thomã Cantuariensem deduxit ex Morinis in Suessiones, anno 1165.

IOSSIO.

Iosſio monachus Bertinicus obijt anno 1163. in cuius moribunda facie quinque roſas floruiſſe nugantur. Chronicon Fland. libro 5.

DVNENSES.

LIGERIVS.

LIgerius anachorita in littore Furnenſi, anno 1107, uitam duxit ſolitariam: cumque plurimis inciperet eſſe admirationi, ſectatores nactus eſt, quibus præfuit annis 20 in monaſterio quod conſtruxit. Obijt anno 1128.

FVLCO.

Fulco natione Biturix, ſucceſsit Ligerio, factusque primus iſtius loci abbas eſt. Eius tempore & domus illa ſplendidè extructa, & additi ſunt reditus. Chronicon Flandriæ libro 4.

IDESBALDVS.

Idesbaldus ex cantore fit abbas Dunenſis, anno 1157. lib. 5.

ELIAS.

Elias magna ui pecuniæ Richardum Angliæ regem iuuit, ut ſe ex captiuitate Henrici ſexti redimeret, anno 1193. libro ſeptimo.

FVRNENSES.

NICOLAVS.

NIcolaus primus abbas Furnenſium monachorum, ordinis Præmonſtratenſis, conſtitutus eſt, anno 1119. Chronicon Flandriæ libro 4.

HERBERIVS,
Baldumus.

Fuerunt hi duo inter eoſdem monachos prępoſiti. Nam illũ oſſa corporum quorundam ſanctulorum ex terra eruiſſe, hunc uerò templa conſecraſſe, narratur in Chronico Flandriæ, lib. 4 & 5.

BLANDINIENSES.

SIgetus abbas Blandinienſis, ſacræ ſe dedens militię in Aſiam contendit, anno 1116. Remoto autem Ansboldo, qui ſceptrũ monaſticum acceperat à Sigeto, Arnulphus per Balduinum principem & matrem ipſius Clemẽtiam, aliasq; Eccleſiaſticas perſonas deſignatur abbas, anno 1117. Ibidem lib. 4. Eiuſdem ſedis abbas Sigerus rebus humanis ualedixiſſe ſcribitur anno 1159. libro 5 Chronicorum Flandriæ.

RODVLPHVS
Hasbaniensis.

Rodulphus abbas D. Trudonis Hasbanienſis, religioſus & doctus, ſua ſede pulſus anno 1112, ad Arnulphum Blandinenſem confugit, cum aliquandiu Gandaui ſubſtitiſſet. Scripſit contra ambitionem & ſimoniacam auariciam libros ſeptem: & alia hiſtorica & poetica. Chronicon Flandriæ libro quarto.

FORMOSELENSES.

ISAAC.

POſt Alboldũ Formoſelenſis abbas creatur quidam Iſaac, anno 1123, homo ſuperſtitioſiſsimus. Nam inter reliquiarum multitudinem Roma allatarum, partem claui Dominici in precio habuit. A' Romano antichriſto impetrauit & priuilegia quædam, locupletauitque quantis potuit conatibus ſuum monaſterium. Dedicationem templi Bergenſis iuuit. Lib. quinto. Tranſactioni de arce Taruannæ interfuit tanquam teſtis. Obijt anno 1169, cùm totis 47 annis præfuiſſet. Succeſsit ANDREAS, qui tantùm 13 præfuit menſibus. Chron. Fland. lib. 6.

GOSVINVS nobili ſtemmate ortus, abbas & amplificator iſtius monaſterij, obijt anno 1193. Vualterus mox ſuccedens, altero anno moritur. Poſt quem Theodoricus abbatem egit annis quinque. libro ſeptimo.

ALBOLDVS
Middelburgenſis.

Formoſelenſem abbatiam regendã ſuſceperat Alboldus, anno 1100. Sed poſt annos uigintiduos multo auro onuſtus ſeſe ad Middelburgenſes in Vualachia monachos contulit, ubi deinceps abbatem egit. Chron. Fland. lib. 4.

FOLQVINVS
Taruanenſis.

Folquinus abbas Taruannæ, Iſaaciũ Caroli principis parricidam ad ſeſe confugientem recepit, & monaſtico induit habitu, anno 1126. ut ita ſancto tectus cucullo homo ſceleratiſsimus dignas ſceleris pœnas effugeret. Chronicon Flandriæ libro quarto.

ARNVLPHVS AL-
denburgenſis.

Arnulphus abbas Aldenburgenſis diu multumq; Romæ litigauit apud Innocentium papam cum Sueſsionenſibus monachis, qui Aldenburgenſe monaſterium incorporare, & in prioratũ redigere conabantur. Bergenſe templum conſecrare iuuit. Præfuit annis 38. Chronicon Flandrię libro quinto.

LAMBERTVS.

Lambertus abbas D. Gisleni, miſſus eſt legatus ad Fridericum Imperatorem, anno 1187, ut auxilium ab eo peteret contra Henricum Campaniæ comitem. Chron. Fland. libro 6.

DANIEL CAMberonensis.

Daniel abbas Camberonensis, unà cum alijs ad id electis, partitus est Flandriam inter successores Philippi Elsatij, anno 1191. libro 7.

PETRVS.

Petrus de Abreisel claruit circiter annum 1120. Is tanta gratia habendi ad populum conciones præditus fuit, ut maxima hominú multitudo confluere ad ipsum audiendum, & certatim opes innumeras penè cóferrent ad monasterium Fontis Ebrardi, cuius ille architectus extitit. Malmesburiensis lib.5.cap.5.

BERNHARDVS Tirunensis.

Bernhardus abbas Tirunensis, deserto suo monasterio, adscitisq; socijs, eremum ingressus est, circiter annum 1120. Qua re cú multos fascinasset, qui turmatim aduolabant, eosq; opibus emunxisset, monasterium extruxit, ubi maiorem monachorum aluit copiam, quàm in Tirunensi. Malmesburiensis lib.5.cap.51.

DE ABBATISSIS & Monialibus.

SIBYLLA.

Sibylla Theodorici Flandriç comitis cõiunx, in xenodochio D.Lazari Ierosolymis facta est monacha, anno 1159, marito reclamante & inuito. Chronicon Fland. libro 5.

AGNES.

Agnes in Palæstina prope Ierosolymam nouum ordinem incœpit, circiter annum 1110. Polydorus de Inuentione rerum lib.7. capite 5.

CONSTANTIA.

Constantia filia Rogerij regis Siciliæ & Apuliæ, monasticæ uitæ sese mancipauit in cœnobio Panormitano: sed post patris mortem clàm à Celestino pontifice educta, legitimo copulata est matrimonio Henrico sexto Imperatori. Chron. Bamberg.

MARIA.

Maria Stephani Anglorum regis filia, Rammesiensis abbatissa, nupsit Matthæo Theodorici principis filio, anno 1161. Cui cum duas peperisset filias, Idam & Mathildam, coacta est ipsum deserere iterum: ac tandem longo interdicto compulsa, ad monasterium redijt, anno 1169. Lib. 6. Chron. Flandriæ.

SOPHIA.

Sophia Belæ Hungariç regis filia, despõsata est Henrico primogenito Conradi Imperatoris, adhuc impuberi. Missa igitur à parente in Germaniam, cum ad Taurum Carinthiæ montem aduenisset, excepta ab illis est, quos eò Conradus miserat, & in Admuntense cœnobium adducta, donec solennes possent fieri nuptiæ. Sed de die in diem tempus extrahitur, & tandem etiam sponsus moritur, moritur & Bela. Geisa filius in regni administratione succedit. Prima eius cura fuit, ut sororem ex monasterio extraheret, aliquoties mittens ei suos legatos: uerùm id frustra fuit. Tandem etiam uim minatur, nisi eam sua sponte abbas & reliquus conuentus traderet. Sed ne sic quidem effecit quod uoluit, regina præferente monasticen rebus omnibus, toto suo uitæ tempore monacha permanens. In Vita Ottonis Bambergensis libro tertio, capite trigesimoquinto.

HILDEGARDIS.

Hildegardis nobilibus parentibus, Hildeberto & Mechtilde, in Spanheimensi comitatu oriunda, octennis Iuttæ moniali in monasterio S. Disibodi traditur erudienda. Cumque uisionibus, quæ crebrius ipsi à teneris usqueadeò annis offerebantur, passim inclaresceret, Imperatores & episcopi, inter quos & patriarcha Ierosolymitanus fuit, eius se precibus per literas commendarunt. Præterea superstitiosa turba agminatim ad eam cófluxit, præsertim nobiles puellæ, religionis habitum amplectentes. Cumque locus ille tantam multitudinem non caperet, cœlitùs in collem S. Ruperti iuxta oppidum Bingiorum, ubi Nahá fluuius Rheno confluit, cum suo sodalitio commigrare iubetur. Illa assumptis decem & octo uirginibus, magno cum planctu & lachrymis monachorum S.Disibodi, inter quos hactenus uixerat, discedit, ac monasterio, fascinatorum hominum opera extructo, diuino cultui se totum dedit cœtus ille uel uirgineus uel fœmineus, Hildegarde abbatissæ munere fungente.

Libros quos scripsisse fertur, hoc ordine recensent Trithemius & alij:

In regulam S.Benedicti,	lib.1.
Triginta octo quæstionũ solutiões,	lib.1.
Vitam S.Ruperti confessoris,	lib.1.
Vitam S.Disibodi episcopi,	lib.1.
Homilias 58 in Euangelijs,	lib.1.
De Sacramento altaris,	lib.1.
Sciuias, grande uolumen,	lib.1.
Vitæ meritorum,	lib.3.
Compositæ medicinæ,	lib.1.
Diuinorum operum,	lib.1.
Ad Moguntinos,	lib.1.
Ad Colonienses,	lib.1.
Ad Treuerenses,	lib.1.
Exhortatorium secularium,	lib.1.

Ad sorores

Ad sorores suas explicatio Symboli Athanasij, lib. 1.
Ad monachos Griseos, lib. 1.
Carmina diuersa, lib. 1.
Et S. Bernhardo epist. 1.
Epistolarum ad diuersos 135, lib. 1.

Quæ omnia in concilio Treuerensi Eugenius tertius in præsentia Bernhardi approbauit, anno 1150.

Latini autem sermonis ignara fuit, ut ipsa testatur in libro, qui Sciuias prænotatur, his uerbis: Cum quadraginta duorum, septemq; mensium essem, maximæ coruscationis igneum lumen aperto cœlo ueniēs, totum cerebrum meum transfudit, & totum cor, totumq; pectus meum, uelut flamma, non tamen ardens, sed calens, ita inflāmauit, ut sol rem aliquam calefacit, super quam radios suos ponit. Et repentè intellectum expositionis librorum, uidelicet Psalterij, Euangelij, & aliorum catholicorū tam ueteris quàm noui Testamenti uoluminum sapiebam: non autem interpretationem uerborum textus eorum, nec diuisionem syllabarum, nec cognitionem casuum aut temporum habebam. Li. 1 Vitę eius, capite 1. Cæterùm usa est uiro quodam fideli, qui ad euidentiam artis Grammaticæ casus, tempora & genera quidem disponere, sed ad sensum uel intellectum eorum nihil omnino addere præsumebat, uel demere. Ac ad Adrianum papam ipsa scripsisse dicitur, quòd in cœlesti uisione sibi dictum audierit: Cum desuper tibi ostensa, ad formam humanę consuetudinis non protuleris in Latina lingua, quia hæc consuetudo tibi non est data, ille qui limam habet, ad aptum sonum hominum expiere nō negligat. lib. 2 Vitæ eius.

Et ad Vuibertum Gemblacensem monachum de suis uisionibus in hunc scribit modum: Deus (inquit) ubi uult, ad gloriam nominis sui, & non terreni hominis operatur. Ego quidem trementem timorem habeo, quoniam nullam securitatem ullius posibilitatis in me scio. Sed manus meas ad Deum porrigo, quatenus uelut penna, quæ omni grauedine uirium caret, & quæ per uentum uolat, ab ipso sustinear: nec ea quæ uideo, perfectè scire possum, quamdiu in corporali officio sum, & in anima inuisibilis: quoniam in his duobus homini defectus est. Ab infantia autem mea, osibus ac neruis ac uenis meis nondum confortatis, uisionem hanc in anima mea usque ad præsens tempus semper uideo, cum iam plus quàm septuaginta annorum sim, animaque mea, prout Deus uult, in hac uisione sursum in altitudinem firmamenti, & in diuersitudinem diuersi aëris ascendit, atque inter diuersos populos se dilatat, quamuis in longinquis regionibus & locis à me remoti sint. Et quoniam hæc tali modo in anima mea uideo, idcirco etiam secundum uicisitudinem nubium & aliarum creaturarum ea conspicio. Ista autem nec exterioribus oculis uideo, nec exterioribus auribus audio, nec cogitationibus cordis mei, nec ulla collatione quinque sensuum meorum percipio: sed tantùm in anima mea, apertis exterioribus oculis, ita quòd nunquam in eis defectum ecstasis passa sum, sed uigilanter die ac nocte ea uideo. Libro primo Vitæ eius, cap. 8.

Insectatur autem in suis scriptis papisticorum spiritualium uitia accerrimè. Alicubi inquit: Nunc autem in populo spirituali lex neglecta est, qui bona facere & docere contemnit. Magistri quoque & prælati, neglecta & relicta iusticia, dormiunt. In quadā uisione apparet ei Ecclesia in forma fœminæ, querens, à sacerdotibus faciem suam esse puluere conspersam, & uestem discissam, &c. eos nec doctrina nec exemplo populo præluoere, sed contraria potius facere: eos innocentem agnum à se pepulisse. Dixit quoque, omnia instituta Ecclesiastica in peius inclinasse, sacerdotesque legem Dei non docere, sed destruere. Atque ob hæc horribilia scelera & impietates, grauisimam eis iram Dei & tristes pœnas minatur & prædicit. Catalogus testium ueritatis.

Religionis etiam instaurationem, eamque pientisimam fore prænunciat: Tunc; inquit, infula Apostolici honoris diuidetur; quia nulla regio in Apostolico ordine inuenietur: & eapropter dignitatem illius nominis uilipendent, aliosque sibi uiros & archiepiscopos præficient: ita etiam, ut Apostolicus eo tempore ex diminutione honoris uix Romam & pauca adiacentia sub infula habebit. Hæc autem ex parte per bellorum incursionem euenient, ex parte quoque per commune concilium, & consensum spiritualium & secularium personarum. Tunc iusticia sua rectitudine stabit, ita ut in diebus illis homines ad antiquas consuetudines & disciplinas antiquorum hominum honestè se conuertent, & eas obseruabunt, sicut antiqui. Ibidem. Præterea ordinem mendicantium, qui paulò post eam exortus est, uiuis quasi coloribus depinxit.

Et in quibusdam literis ad Anastasium 4 dicit: Et tu Roma, uelut in extremis iacens, conturbaberis, ita quòd fortitudo pedum tuorum, super quos hactenus stetisti, languescet: quoniam filiam regis, uidelicet iusticiam, non ardenti amore, sed

quasi in corpore dormitionis amas, ita ut eam à te expellas. Vnde & ipsa à te fugere uult, si non reuocaueris eam. Chronicon Hirsaugiense. Attributa etiam sunt ei miracula quædam, idq; more solenni eius seculi.

Obijt tãdem anno Salutis 1118, ætatis uerò 82. 15 calend. Octobris. In Vita eius lib. 3.

ELISABETH.

Elisabeth abbatissa Schonaugiensis, Treuerẽsis diœcesis, Eckberto fratri suasit, ut ex canonico monachus fieret. Multas habuit reuelationes, multa miracula edidit. Obijt anno 1162. Vna fuit ex numero earum, quæ prælatorum superbiam & auariciam grauiter reprehenderunt.

Scripta quæ post se reliquit, hæc sunt:

Viarum Dei opus utile, lib. 1.
De XI millibus uirginum Coloniensium, lib. 1.
Reuelationum diuersarum, lib. 2.
Ad fratrem suum Eckbertum, lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, lib. 1.
Ad Hildegardem, lib. 1.

HILDEGVNDIS.

Hildegundis monacha mutato nomine sese Iosephum appellauit, medioq; se monachorum Schonaugiensium agmini immiscuit, simulans se masculum. Ea illibata (si credere fas est) ad mortis tempus permansit. Obijt anno 1188. Chron. Hirsaugiense.

ANGLA.

Angla in Bohemia, coætanea Hildegardis & Elisabethæ, uisiones habuit & spiritum uatidicum: qui qualis sit, hinc patet, quòd Missæ cultum & purgatorij terrorem confirmat. Balæus Centuria 2. capite 98, in appendice.

ADELHEIDIS.

Adelheidis monialis in partibus Rheni in oppido Bingen, claruit anno 1140. illaq; hac occasione facta est monacha: Cum ad tẽplum itura sese exquisitè ornasset, in uia pedem arboris radici tanto impegit impetu, ut corrueret. Eleuata à pedissequis, dixit: Fiat quæso hæc corporis mei offensio & casus, animæ meæ resurrectio & salus. protinusque deposito mundo muliebri, tuguriolum quoddam ad parietes ecclesiæ ingressa est, & toto uitæ tempore se in eo continuit. Frequenter rapta est in somnis, & dicit quę non solùm eloqueretur, sed quod Latinè alijs dictaret. Multa etiam prædixisse fertur. Nauclerus generatione 39. Historia Vlmensis.

IVTTA.

Iutta soror Megenhardi comitis Spanheimensis, in monte S. Disibodi integros annos uiginti quatuor uitam prorsus uixit eremiticam, inter monachos scilicet, ubi & monastica religione Hildegardem imbuit. Miraculis clara fuisse dicitur, ut quòd aquam in uinum mutauerit, & aquas Glani fluminis siccis pedibus pertransiuerit. Obijt anno 1136, 11 calendas Ianuarij. Chron. Hirsaugiensis.

SVMETH.

Sumeth unà cum Hildegarde monasticũ assumpsit habitum in monasterio S. Disibodi. Appendix Mariani Scoti.

MECHTILDIS.

Mechtildis soror Bernhelmi abbatis Spãheimensis, apud S. Albanum Moguntię annis septem fuit inclusa. Postea archiepiscopi consensu Spanheimiũ migrat, ibiq; se ad horam mortis usq;, totis annis 29, ieiunijs & demurmurationibus precularum fatigat. Obijt anno 1154. Chron. Hirsaug.

CLEMENTIA.

Clementia Adolphi comitis Hombergẽsis filia, cuidam Craftoni Spanheimensi comiti iam desponsata, ad monasticum uitæ genus animum appulit: ideoq; à sponso impetrato consensu, facta est monacha S. Irminæ, anno 1149. Chron. Hirsaug.

ADELHEIDIS.

Adelheidis abbatissa Quedlinburgensis, uendidit comitatũ Somerburgẽsem Vuichmanno, anno 1153. Chron. Saxon.

ADELA.

Adela comitissa, monialis Marciniaci apud Anglos, familiariter nota fuit Petro Cluniacensi, ad quem de morte regis Anglorum perscribit. Lib. 3. epist. 15.

DE PHILOSOPHIS *atque alijs huius seculi uiris doctis, qui inter Ecclesiæ doctores locum non merentur, obiter tantùm inserti.*

BVRGVNDIO.

Burgundio iudex & ciuis Pisanus, ex Græco in Latinum transtulit sermonem librum Iohannis Damasceni, quem de Orthodoxa fide composuit, sub annũ 1150. Vincentius lib. 27. cap. 83.

PETRVS.

Petrus Pisanus quispiam, uir eloquentissimus, & in legum atq; Canonum scientia nulli secundus, à Rogerio Siciliæ rege uocatus est, ut in publico quodam consistorio eloquentiæ flumine S. Bernhardo silentium imponeret. Ventum est ad certamen. Succubuit Petrus, & palmam dedit abbati. Tandem per eundem Innocentio reconciliatus est, cuius partes fuerat detestatus. Lib. 2. cap. 8 Vitæ Bernhardi.

VVERNHERVS.

Vuernherus iurecõsultus rogatu Mathildis

dis, Vuelphonis secundi ducis Bauariæ cõiugis, leges populi Romani à Iustino Imperatore inuulgatas, & ad illud usq; tẽpus neglectas, recognouit publicauitq;. Auentinus lib.6.

TAGENO.

Tageno historicus expeditionem Friderici Imperatoris in Asiam, Theobaldi Bathauensis episcopi iussu descripsit. Auentinus lib.7.

DANIEL.

Daniel Churche siue Ecclesiẽsis, ex familia nobilissimi Anglorum regis Henrici 2 oriũdus, circiter annum 1180 floruit. Eques summi ordinis, & nobilitate clarus fuit, quẽ fides, pietas, aliæq; animi dotes ita regi cõmendarunt, ut magno illum fauore complecteretur. In aula regis plus quàm 30 annos mansit. Accessit ad ista doctrina insignis. In utroq; scribendi genere, & carmine & prosa, fuit peritus. Scripta quæ edidit, hæc sunt:

De morũ comitate, lib.1. carmine elegãti.
Carmina rhythmica, lib.1.

Et alia nonnulla. Balæus Cent.3.cap.17.

COLMANNVS.

Colmannus sapiens ex Visisaxonum gẽte oriundus, historiographus percelebris & ueridicus, circa annũ Domini 1200 claruit. Ad posteros hæc transmisit scripta:

Rerum gestarum Chronicon, lib.1.
Catalogum rerum Angliæ, lib.1.
Dialogum de bellis Danicis, lib.1.
Angliæ descriptionem, lib.1.

Et alia quædam. Cent.3.cap.43.

GVLIELMVS
Peregrinus.

Gulielmus Peregrinus, natione Anglus, floruit circiter idem tempus: uir doctus & studiosus, bonus poeta fuit. Is interfuit expeditioni Syriacę, nõ ut miles, sed ut peregrinus. Scripsit heroico carmine Hodœporicon Ricardi regis, lib.1. Balęus Centuria 3. capite 45.

DANIEL MORLEYE.

Daniel à Morleigo natali oppido in comitatu Nordouolgiæ sic dictus, iuuenis Oxonij studia diligenter tractauit. Isthinc Lutetiam Parisiorum abijt. Tandem Mathematicæ artis studio flagrans, Toletũ in Hispaniam contendit ad Arabum scholas, qui ea ętate eius artis doctissimi sunt habiti. In Angliam reuersus conscripsit

De inferiori mundo, lib.1.
De superiori mundo, lib.1.
Principia Mathematices, lib.1.

Claruit circiter annum Salutis 1190. Balæus Cent.3.cap.29.

GALFRIDVS VINESAVF.

Galfridus Vinesauf, seu de Vino saluo, ex Normannis parentibus natus, claruit anno 1199. Is nõ in patria tãtùm, sed etiam in Gallijs & Italia scholas doctorum adijt: doctos legentes aut disputantes audire, & in rebus difficilioribus cum ipsis sermones conferre consueuit. Ea ętate inter eloquẽtissimos unus fuit. Scripta eius:

De arte dicendi, lib.1.
Ad Guilhelmum cancellarium, lib.1.
De noua poëtria, lib.1.
De statu Romanæ curiæ, prosa & carmine Heroico, ad Innocentium 3. lib.1.
Monodia in obitum regis, lib.1.
Ad Cæsarem pro eo liberando, lib.1.
De rebus Ethicis, lib.1.

Balæus Cent.3.cap.38.

IOHANNES
Mercianus.

Iohannes Mercianus, uir multæ lectionis, & in eruendis antiquitatibus studiosissimus, claruit anno 1150. Scripsit de Merciorum regibus librũ 1. Balæus Centuria 2. capite 85.

CARADOCVS.

Caradocus Lancauarensis ex Cambria oriundus, claruit eodem tempore quo Ioãnes. Is luculento sermone descripsit

Britannorum successiones, lib.1.
Commentarios in Merlinum, lib.1.
Vitam Gildæ Albanij, lib.1.
De situ orbis, lib.1.

Atq; alia plura. Balæus Cent.2.cap.87 Scriptorum Britanniæ.

EADMVNDVS
Gryme.

Eadmundus Gryme, natione Anglus, floruit anno Domini 1180. Is ubi in Anglorũ gymnasijs aliquandiu fuisset uersatus, mediocrem in studijs progressum fecit. Indiuiduus Thomæ Beckeri comes fuit, ita quidem ut eo tempore cum istius cædes fieret, hic Eadmundus quoq; uulnus acceperit. Scripsit & edidit Vitam eiusdem Thomæ, mẽdacijs apertissimis, & excogitatis prodigijs refertam, li.1. Balæus Centuria 3.ca.14.

ROGERVS.

Rogerus Herefordensis in citeriori Cãbriæ confinio procreatus, tantopere bonas literas adamauit, ut ne quidem unam horulam sineret preterire, in qua non aliquid ad eas assequendas ageret, si modò per occupationes liceret. Is ubi Cantabriæ philosophiæ & Mathematicæ studuisset, & artifex penè euasisset, hæc scripta edidit:

De rebus metallicis, lib.1.
In artem Iudiciariam, lib.1.
Theoricam Planetarum, lib.1.
De ortu & occasu signorum, lib.1.
Collectaneum annorum Planet. lib.1.
Expositiones Alphidij, lib.1.

Atq; alia. Claruit anno 1170. Balęus Centuria 3. cap. 13.

GVILHELMVS.

Guilhelmus Chierburgus Normannus, liberalium artium cádidatus, poeta bonus, & in soluta oratione doctus, claruit anno 1170. Is in gratiã papistici gregis, impudenti audacia & furẽti rabie aduersus Angliã carmine edidit, Super morte Thomæ Cãtuariensis lib. 1. pluraq; alia. Balæus Cẽt. 13. ca. 24.

GVALO.

Gualo Britãnus, ex Cambria natus, poëta sui temporis insignis, claruit anno 1170. Commẽdatur à prudentia & doctrina. Studiorum causa solitarium quæsiuit locum. Is cum monachorum uideret nequitias, easq; iniquo ferret animo, scripsit inuectiuas in monachos auaros, lib. 1.

Carmina de diuersis rebus, lib. 1.

Et alia plura. Balæus Cent. 5. cap. 3.

THEBITES.

Thebites astrologus & mathematicus doctissimus, aliàs Benchorat dictus, genere Iudęus, secũdum quosdam (alij Hispanum fuisse dicunt) claruit anno 1190. Scripsit

De significationibus Planetarum, lib. 1.
De capite & cauda Draconis, lib. 1.
Mathematum rudimenta quędam, lib. 1.
De motu octauæ sphæræ, lib. 1.
Demonstrationes in Almagestum, lib. 1.
Additiones in sphærica Menelai, lib. 1.
De definitionibus, lib. 1.
De imaginationibus, lib. 1.
De Magia naturali, lib. 1.

Et alia. Balæus Cent. 12. cap. 2.

ALFRAGANVS.

Alfraganus mathematicus coætaneus Thesbytæ fuit. Balæus Cent. 12. cap. 2.

CARADOCVS.

Caradocus Lancaruanensis historicus, contexuit Historiam regum Britannicorũ, annorum 460, usq; ad annum 1150. Balæus.

IOHANNES PYKE.

Iohannes Pyke sub initium huius seculi claruit. Is ut studiosus indagator antiquitatum Anglicanarum fuit, ita etiam eas ad posteritatem transmisit. Scripsit

De regibus Anglorum, lib. 1.
De regibus ex Danis, lib. 1.

Balæus Centuria 2. cap. 61.

CAPVT XI.

DE HAERETICIS.

ABELARDVS.

PETRVS Abelardus, quem alij Bailardum & Baiolardum & Abailardum nominant, è Britannia Galliæ oriundus, præceptorem habuit Rozelinum quendam. Audiuit & Anselmum Laudunensem, & Gulielmum Campellensem. Postea Parrhisijs magistrum indutus, ut refert Otto, philosophiæ & iocis summam impertijt operam. In S. Dionysij monasterio literis magis instructus, deinde ad docendum prodijt. Philosophus fuit summa eruditione & acumine ingenij excellens. In Gallis in territorio Trecasino solitus est legere. Theologiam autem ad philosophię terminos noua quadam ratione attemperare studens, in odia Theologorum incurrit; qui eũ ilico in synodo damnassent, nisi cauens sibi loco, appellatione ad Romanum pręsulem emansionem texisset. Verùm non euasit Romuleum fulmen. Coniugem habuit fœminam religiosam, Hebraicis & Latinis literis instructissimam. Tandẽ monachus Cluniacensis factus, suum patrimonium conuertit in monialium cœnobium, titulumq; Spiritus sancti, in eo quo docuerat loco, adscripsit. Coniugem porrò suam primam ibi monialem constituit. Chron. Hirsaugiense.

Petrus abbas Cluniacensis, egregium ei testimonium præbet, uocans eum seruum & uerè Christi philosophum, sæpe & semper cum honore nominandum. Sed uerba eius adscribemus: Cuius sanctæ, humili & deuotę inter nos conuersationi, quod quantumúe Cluniacus testimonium ferat, breuis sermo non explicat. Nisi enim fallor, nõ recolo uidisse me illi in humilitatis habitu & gestu similẽ, in tãtum, ut nec Germanus abiectior, nec ipse Martinus bene discernẽti pauperior appareret. Cũq; in magno illo fratrum nostrorum grege, me compellente, gradum superiorẽ teneret, ultimus omniũ uestitu incultissimo uidebatur. Mirabar sępe, & in processionibus eo me cũ reliquis pro more pręcedente, penè stupebam, tanti tamq; famosi nominis hominẽ sic seipsum contemnere, sic se abijcere posse. Et quia sunt quidam religionis professores, qui ipsum quẽ gerũt habitum religiosum, nimis esse cupiunt sumptuosum: erat ille prorsus parcus in istis, & cuiusq; generis simplici ueste contentus, nil ultrà quærebat. Hoc & in cibo, hoc & in potu, hoc & in omni cura corporis sui seruabat: & nõ dico superflua, sed & cuncta, nisi ualde necessaria, tam in se, quàm in omnibus, uerbo pariter & uita dãnabat. Lectio erat ei continua, oratio frequens, silentium iuge, nisi cum aut fratrũ familiaris collatio, aut ad ipsos in conuentu de diuinis publicus sermo, eum loqui urgebant. Sacramenta cœlestia, immortalis agni sacrificium Deo offerendo, prout poterat frequentabat: imò postquam literis & labore meo Apostolicæ gratiæ redditus est, penè continuabat. Et quid multa? Mens eius,

eius,

eius.lingua eius,opus eius, semper diuina, semper philosophica,semp eruditoria meditabatur,docebat,fatebatur. Tali nobiscũ uir simplex & rectus,timens Deum, & recedens à malo:tali (inquam)per aliquantum temporis conuersatione ultimos uitæ suæ consecrans Deo,pausandi gratia(nam plus solito,scabie & quibusdam corporis incõmoditatibus grauabatur) à me Cabilonem missus est. Nam propter illius soli amœnitatem, qua cunctis penè Burgundiæ nostræ partibus præeminet,locum ei habilẽ prope urbem quidem,sed tamen Arari interfluente,prouideram. Ibi iuxta quod incõmoditas permittebat, antiqua sua renouãs studia,libris semper incumbebat, nec,sicut de magno Gregorio legitur, momentum aliquod præterire sinebat,quin semper aut oraret,aut legeret,aut scriberet,aut dictaret. In his sacrorum operum exercitijs eum aduentus illius Euangelici uisitatoris reperit, nec eum,ut multos,dormientem,sed uigilantem inuenit. Inuenit eum uerè uigilantem,& ad ęternitatis nuptias,non ut fatuã, sed ut sapientem uirginem,euocauit. Attulit enim ille secum lampadem plenam oleo:hoc est, conscientiam refertam sanctæ uitæ testimonio. Nam ad soluendum cõmune mortalium debitum, morbo correptus,eoq; ingrauescente,in breui ad extrema perductus est. Tunc uerò quàm sanctè, quàm deuotè,quàm catholicè,primò fidei, dehinc peccatorum confessionem fecerit: quanto inhiantis cordis affectu uiaticum peregrinationis,ac uitæ æternę pignus,corpus scilicet redemptoris Domini acceperit:quàm fideliter corpus suum & animam hic & in æternum ipsi commendauerit,testes sunt religiosi fratres,& totus illius monasterij,in quo corpus sancti martyris Marcelli iacet,conuentus. Hoc magister Petrus finę dies suos consummauit:& qui singulari scientiæ magisterio,toti penè orbi terrarum notus, & ubiq; famosus erat, in illius discipulatu,qui dixit,Discite à me,quia mitis sum,& humilis corde: mitis & humilis perseuerans, ad ipsum, ut dignum est credere,trãsiuit. Hunc ergo,uenerabilis & charissima in Domino soror, cui post carnalẽ copulam tanto ualidiore, quanto meliore diuinæ charitatis uinculo adhæsisti, cum quo & sub quo diu Domino deseruisti. Hunc,inquam,loco tui,uel ut te alteram in gremio suo confouet,& in aduentu Domini,in uoce archangeli,& in tuba Dei descẽdentis de cœlo, tibi per ipsius gratiam restituendũ reseruat. Esto ergo in Domino memor ipsius, esto etiam, si placet, & mei: & sanctis sororibus,tecum Domino famulantibus,fratres congregationis nostræ,ac sorores, quæ ubiq; terrarum pro posse suo eidem cui & tu, Domino famulantur,sollicitè commenda.

Epitaphium Abelardi.

Gallorum Socrates,Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles,Logicis quicunq; fuerunt,
Aut par,aut melior, studiorum cognitus orbi
Princeps,ingenio uarius,subtilis & acer,
Omnia ui superans rationis,& arte loquendi,
Abelardus erat.Sed tunc magis omnia uicit,
Cum Cluniacensem monachũ moremq; professus,
Ad Christi ueram transiuit philosophiam:
In qua longeuæ bene complens ultima uitæ,
Philosophis quandoq; bonis se connumerandum
Spem dedit,undenas Maio renouante kalendas.

lib.5.epistolarum, epistola 20, ad Eloysam abbatissam,Abelardi coniugem.

CAPVT XII.

DE MARTYRIBVS.

VTHA.

VTHA Vuelphonem Boiorũ ducem,coniugem,ad terram Sanctam euntem, religionis ergò comitata, à barbaris cũ Ditmaro Boiorum archymista trucidatur,anno 1101. Auentinus libro 6 Annalium.

ARNOLDVS.

Anno primo Conradi, secundum Hugonem,quidam Arnoldus, quem alij Arnulphum uocant, cleri Romani luxum & superbiam publicè reprehendens,clàm suspẽditur. Erfordensis, Martinus in Chronico. Fuerit'ne autẽ uir presbyter,an monachus, an eremita,haud satis constat. Platina in uita Honorij 2.

ALBERICVS.

Albericus miles Beluacẽsis, pro fide Christi passus est martyrium: ut narrat Vincentius lib.29.cap.3. Anno 1156. Antoninus tit. 17. cap.1. §.9.

CAPVT XIII.

DE MIRACVLIS, ostentis & prodigijs.

DE MIRACVLIS SVB Heinrico IIII.

AERE per Palęstinam infecto ex cadauerum fœtore, ac (ut quidã referunt) ueneno, quo barbari fontes corruperant, aut cruore interfectorum,qui in cisternis confluxerat, pestis grassari cœ-

pit, qua multi fideles extincti sunt, inter quos & Gotfridus numeratur, princeps uir tutis gloria clarus, & ob immaturum obitū à reliquis luctu cohonestatus diuturno. Hierosolymis uerò lues ita sæuijt, ut 300 homines uno die absumpserit: quos extra urbē sepulturæ mandarunt, & cadaueribus spaciosum campum Ioppen paruo tēporis spacio compleuerunt. Hedio.

In urbe Syracusana terræmotu amplissima arx corruit, & suo lapsu infinitam hominum multitudinē oppresit atq; extinxit. Chronicon Germanicum. Anno 1100.

Anno 1101 conspectus est ab Oriente uersus Occidentem uolans ignis, non modicę ciuitatis instar. Prętęrea uermiculorū, quos papiliones ob tabernaculorum formam appellant, exercitus incredibilis multitudinis, qui duo itaue miliaria in longitudine occupauit, ut Cuspinianus refert, & tribus continuis diebus à Saxoniæ quasi finibus in Bauariam uolando contendit. Vrspergensis.

Eodem anno Veneta urbs, duce Ordelaffo Faledro, conflagrauit, incendio latissimè effuso. Quod quidem magna dignum est admiratione in ea urbe, quæ diuisa est frequentibus riuis, bis quoq; die ad fluxū refluxūq; maris, aqua uel plenis uel redundantibus, magis quàm in alia & contiguis habitata ædificijs. Blondus decad. secundæ lib. 4.

Prima Quadragesimæ hebdomada, feria sexta circa uesperam, in Austrū & Occidentem insolita stella lucere uisa est, & uigintiquinque dierum spacio splenduit, eadem semper hora. Huic ingens occurrit trabes ex Oriente. Deinde in ferijs Cœnę Domini conspectæ sunt duæ lunæ, antequam dies illuxit, una in Oriente, altera uerò in Occidente. Bergomensis lib. 12. Non multo pòst cometa flammis latè rutilantib. exarsit, anno Domini 1103. Sebastianus Frāck 2 parte Chronicorum.

Eodem anno, prima hebdomada mensis Martij, in foro Fuldensi ingēs subitò incendium est exortum, quo templum parrochiale cum magna ciuitatis parte conflagrauit. Chron. Fuldense.

Anno sequenti in episcopatu Spirēsi sanguis è panibus fluxisse uisus est, nec non in lenticularum edulio prodigiosè repertus. Circa solstitium æstiuale, commutato in tēpestatem aere, in pago Herbipolensi decidisse fertur inter grandinum lapides tantæ magnitudinis glacies, ut in quatuor diuisa partes, totidem hominib. importabilis uideretur. Trithemius in Chron. Hirsaug. Vrspergensis, Erford. Quanquam hoc ad superiorem annum refert Nauclerus.

Vigilia natalis Domini, anno 1105, terræmotus magnus factus est Hierosolymis. Sigebertus, Vincent. lib. 25. ca. 116. Biduo ante Christi natalē, tantus in Occasu solis fulgor apparuit, ut solem ipsum fuisse existimassent, si in Oriente accidisset. Præterea duo orbes in modum solis, forma & lumine quotidiano soli similes apparuerunt, omnium colorum specie radiantes, instar arcus cœlestis. Sigebertus, Erfordiensis.

Anno sequenti, quarto nonas Februarij, stella (quam Appendix Mariani Scoti cometam fuisse prodit) interdiu apparuit in cœlo, ab hora tertia usq; ad nonam, cubito quasi distās à solis lumine. Sigebertus. De eadem, ut apparet, stella Simeonis Dunelmensis monachi uerba ex libro secūdo Historiarū adscribimus: Anno Domini 1106, decimoquarto calend. Martij, ostensa est stella quædā insolita, & per uigintiquinq; dies eodem modo eademq; hora uisa est lucere inter Austrum & Occidentem. Parua enim uisa est, & obscura: sed splendor qui de ea exiuit, ualde erat clarus, & quasi ingens trabs de Orientali & Aquilonari parte claritas ingesit se in eandem stellam. Quidam dixerūt, se plures insolitas stellas eo tempore uidisse.

Terræmotum quoque magnum accidisse, & duos soles apparuisse, Epitome mundi refert.

Pridie idus Februarij apud Barum Italię oppidum conspectæ sunt aliquot stellæ in cœlo per diem, nunc quasi inter sese concurrentes, nunc quasi in terram cadentes. Toto autem tempore Carnispriuij cometa apparuisse scribitur à Vincentio, lib. 25. cap. 116. Chron. Saxoniæ.

Cæterùm multa hoc anno prodigia apparuisse autores plerique scribunt: quòd & mare aliquibus in locis littus præter solitū uiginti occupauerit passus, in aliquibus autem à littore in altum excesserit centum. Præterea miræ magnitudinis cometam exarsisse, qui cadente sole, statim in Occasu apparebat. Platina in uita Paschalis.

Et longum miraculorum catalogū, quæ circa hæc tempora accidisse feruntur, Auentinus texit: Crebra (inquiens) prodigia, superstitiosè & scrupulosè obseruata, animos hominum perturbarūt. Cœlum ardere frequenter uisum. Sol atque luna crebrò præter solitum defecerunt. Complures stellæ de cœlo in terram cadere uisæ, faces ardentes, iacula ignita, ignis uolans sæpius per aera ferri conspecta sunt. Noua astra uisa, papilionum castra, ignei uermiculi atq; ignoti per cœlum uolarunt, qui solis lumē in nubium morem abstulerunt. Fulmine, grandine, uentis, turbine, templa, ædes, casæ, homi-

sæ, homines, pecora, agri afflicti: frumenta, legumina, poma, fruges attritæ. Ignes cœlestes multifariam orti. Igneæ acies, turmæ equitum, peditum cohortes, ciuitates, enses, gladij, arma cruenta in cœlo uisa, inuicem conflixêre. Diluuijs, sterilitate, annonæ caritate, fame, pestilentia sæpius laboratū: ignotis morbis, igne, flamma, ardore inuisibili homines excruciati, & absq; adustionis nota extincti. Sanguinis riuos extitisse dicunt. Sub ipsis flammis, cùm panis clibano esset impositus, ut coqueretur, cū fortè panem quidā frangeret, manantis guttas sanguinis inuenit: quod Spirę accidisse, Abbas attestatur. Signum immortale subitò uestimētis hominum adhæsit. Fœmina biennio uterum ferēs, marem loquentem enixa est. Monstrosi partus editi, pecudes, homines bicipites nati, &c. Auent. 5 Annal.

DE PRODIGIIS ET REbus admirabilibus sub Imperatore Heinrico V.

MVlta in Oriente signa & prodigia in cœlestib. uisa sunt. Ater quadraginta dies & eo amplius cometa circa noctis initium conspectus est, qui longè comam trahebat. Deinde à solis ortu usq; ad horā tertiam uisus est sol duos habere collaterales, magnitudine quidem pares, at splendore minores. Iris quoque circa solem suis distincta coloribus apparuit, anno Salutis 1107. Tyrius lib. 11. cap. 5.

Postquam rex Heinricus in conuentu Goslariensi regni iura disposuit, præter expectationem ingens tempestas exorta, & fulgurum coruscatio cū tonitruis non modò regem totumq; populum grauiter perturbauit: sed etiam fulgur regium ensem perstrinxit, imò partem eius non modicā absumpsit cum baltheo clypei, cuius coriū interius in rugas cōuertit. Fertur etiam uulnusculum regi in summo pedis digito inflixisse, quod retinuit, quandiu superstes fuit. Appendix Mariani Scoti. Chronicon Saxoniæ hæc anno 1111 facta asserit.

In Nordmannia cometes per aliquot dies apparuit. Non multo pòst duæ lunæ suo orbe plenæ uisæ sunt, una ad Orientem, altera ad Occidentē coruscantes, anno 1108. Polydorus Verg. lib. 11. Lycosth.

Anno 1109 in parochia Legiensi porca enixa est porcellum humana facie præditū. Alio etiam in loco pullus gallinæ quadrupes natus est. Sigebertus, Antoninus, Erfordiensis, Polydorus Vergil. lib. 11 Historię Anglicæ. Eodem anno multi sacro igne afflati & consumpti sunt; membris carbonū instar nigrescentibus. Sigebertus.

Et Tornaci nascitur agnus duobus capitibus, quatuor auriculis, totidemq; oculis, & octo pedibus, sed uno tantùm corporis trunco. Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ.

Anno sequente, Iunio mense, sexta die (ut Petrus Diaconus Continuator Chronici Casinensis refert) uisus est cometes radios ad Austrum spargens: quo multi regis Heinrici expeditionem in Italiam portendi conijciebant. Sigebertus, Vincentius libro uigesimosexto, capite 10. Antoninus, Cuspinianus.

In uigilia natiuitatis Christi, uersus Occasum inter reliquas stella maximi ignis instar ardere uisa est, non secus ac si fuisset ipse Phœbus, & quasi in Oriente cōspecta fuisset. Chron. Saxoniæ.

Sterilitas terræ, hyems grauis, gelu diuturnum cum niue, ut ex bibliotheca Vuatinensi Meyerus in Flandriæ Chronico annotat, hunc annum insignem reddidêre. Hæc Ranulphus ad annum Christi 1110 refert.

In monte Castriloco templum S. Vualdetrudis cum toto penè oppido perijt incendio. Præterea S. Michaelis de Periculo maris fanum fulgure afflatum, cum contiguis ædificijs conflagrauit. Domo etiam Vualderici episcopi Laudunensis succensa, Mariæ uirginis, Ioānis Baptistæ, & reliqua proximè uicina sacraria simul sunt concremata, anno 1111. Vincentius libro 26. cap. 11. Anno 1112, iuxta Meyerum in Flandriæ Chronico.

Flumen Trenta per integrum diem spacio mille passuum non fluxit: sed perinde quasi aliò cursum flexisset, eam partem aluei adeò per id interuallū uigintiquatuor horarum reliquit, ut homines per siccam arenam graderentur: postea uerò suo more fluere cœpit. Polydorus Vergilius.

Ranulphus terręmotum apud Salopetū accidisse, stragemq; maximam inter uolucres mutuò concertātes editam fuisse, narrat lib. 7. cap. 14 in Polychronico. Non multo pòst magna flumina, ut pede sicco transiri potuerint, exiccata apud Anglos, multisq; in locis aquam defecisse penitùs, idem testatur ca. 15. Fluuij Trentę, terræmotus & cometæ sub hoc anno meminit & Simeon Dunelmensis, lib. 2 Historiarum.

Anno 1112 matrona quædā monstrosum edidit partum in Anglia, geminum scilicet puerum, qui à clune usq; ad superiores partes ita diuisus erat, ut duo haberet capita, duo corpora integra ad renes cum suis brachijs: qui sacro initiatus baptismo, triduum saltem fuit superstes. Sigebertus, Vincentius & Antoninus. Bina uice eiusmodi mōstrosum partum editum, caninamq; faciē alteram fuisse, in Cosmedromij scribitur Chronico.

Chronico. Eodem anno Rotenburgium iuxta Neccarum ciuitas terræmotu concidit. Lycosthenes. Præterea plus quàm dimidia pars Moguntinæ urbis incendio periijt, unà cum bis mille hominib. inter quos & ducissa Lotharingiæ Mathildis numeratur. Valentinus Muncerus.

Eo ipso anno, quo Heinricus Angliæ rex Guilhelmum filium Normanniæ ducē designauit, sexto iduum Octobris, adeò magnam in Oceano circa insulæ oram diminutionem aquarum factam tradunt, ut per longum spacium unda sese in altum recipiens, siccū littus in æstuarijs reliquerit: idq; durasse totum integrum diē, ac pro miraculo habitum. Præterea ferunt, aliquot flumina, quæ ex æstu Oceani bis semper horarum duodecim spacio augentur minunturq;, ita decreuisse, ut bene multis locis facilè transirentur. Polyd. Verg. lib. 11 Anglicæ historiæ.

Edissanum agrum ob aeris intemperiem & hostium perpetuos incursus fames afflixit. Tyrius lib. 11. cap. 22.

Hoc tempore aues domesticæ, pauones, anseres & gallinæ extra urbes & pagos in syluas se recipientes, omnes redditæ sunt syluestres. Piscium quoq; in aquis interitus est subsecutus. In Arabia monstrum gemini corporis, mulier quædam enixa est, auersis uultibus, & corporibus sibi cohærentibus, ea quidem ratione, ut antè effigies esset hominis, cum cæteris membris humanis: retrò uerò facies canis, cum reliquis membris caninis.

Anno Salutis 1113, nono calend. Maij, tanta cecidit nix in agro Bracatensi circa Tornacum, ut non modò summas arbores & maximos ramos, sed totas quoq; syluas fregerit ac deturbarit. Et apud Rauennam & Parmam Italiæ urbes, pluisse sanguinem in agris & intra mœnia, Iunio mense, Sigeberti Continuator, Vincentius & Schedelius testantur. Bonfinius & Bergomensis in Æmyliano & Flaminio agro idibus Iunijs idem accidisse indicant.

Eodem anno, mense Iunio, tanta æstus uehementia fuit, ut siligines & arbores adustæ, ac spem sui fructus mentitæ sint. Aliquæ etiam syluæ ita exaruêre, ut natiuo calore inflammarentur. Postea grauissimis & diuturnis morbis homines sunt conflictati, in primis autem uentris profluuio & peste nocentissima. Vincentius, Lycosthenes.

Anno 1114. tantus uniuersam Syriam terræmotus concussit, ut multas urbes & oppida infinita dirueret funditùs, maximè autem circa Ciliciam, Isauriam & Cœlesyriā. Nam in Cilicia Mamistram cū multis oppidis solotenus prostrauit, Maresiamq; deiecit cum suburbanis suis, ita ut quorundā uix etiam restarent uestigia. Quatiebantur turres & mœnia: maioribus ædificijs periculosius ruentibus, fiebat populorum strages infinita, & ciuitates amplissimæ, quasi agger lapidum constitutæ, tumulus erant oppressorum, & contritis habitatoribus uicem præstabant sepulchri. Fugiebat plebs mente consternata habitationem urbium, domiciliorum ruinam formidantes, & dū sub dio requiem sperant, timore concussi, somnos interrumpunt, oppressiones quas uigilantes timuerant, in somnis perpessi. Nec erat hoc tam ingens in una tantùm regione periculum, sed usq; ad extremos Orientis fines hęc pestis latè se diffuderat. Tyrius lib. 11. cap. 23.

In suburbio Antiochiæ idibus Nouembris hiatus terræ nocturnis horis accidit, quo turres plurimę, & uicinæ domus complures sunt absorptæ, anno 1115. Sigeberti Continuator, Antoninus tit. 17. cap. 6.

Goslarij quoq; arx Imperatoris, fulmine concussa est, cum aduersus Saxones ad syluam Guelficam die 11 Februarij pugnaret. In Paschate cœlum uasto hiatu discissū, fulgorem nitidum demisit: qui cum integram horam durasset, aurei coloris imaginem in medio ostendit. Chron. Saxoniæ. Cuius prodigij & Vrspergensis meminit, his uerbis: Valde manè Dominicæ resurrectionis die, cœlum à parte meridiana apertum, tantam lucis effudit abundantiam, ut lunæ, quę tunc clarissima nimirum uidebatur, lumen inęstimabili fulgore detergeret, & per unam uel amplius horam (quod multis testibus comprobamus) omni solis luce clarior permaneret. Ipso tamen spacio crux non modica, per idem foramen dependēs, apparuit, cuius tam auri quàm gemmarum uarietas euidenter discerni potuit. Consentit & Cranzius lib. 5. cap. 39 in Saxonia.

Anno 1116, tertio nonas Ianuarij, aliquib. in locis grauissimo terræmotu quarundā urbium partes unà cum templis corruerūt. Vincentius.

S. Michaelis templum apud Bambergenses terræmotu concussum, Otto eius loci episcopus reparauit: ut in Vita eius scribitur, lib. 1. cap. 28.

Terræmotus per dies quadraginta continuos Italiā afflixisse, testatur Ranulphus, ac tum uillam quandā motam, ad aliū procul disitum transuolasse locū, anno 1117. Fides penes Lectorem esto. Lib. 7. ca. 15. Subterraneorum motuum & Flandriæ Chronicon meminit. Tertio calend. Februarij tonitrua cum grandi turbine audita, fulgura creberrimè eodem tempore uisa. Vrspergensis.

Grandine,

Grandine, præter segetes prostratas, hominum & iumētorum maximus numerus corruit. Chron. Saxoniæ.

Eodem anno, in calend. Decemb. extitere runt nimia tonitrua & fulgura cum pluuia & grandine, lunaq; apparebat quasi sanguinea, postea obtenebrata. Simeon Dunelmens. lib. 2. Hist.

Mosa quoq; iuxta Abbatiā fluuius, quasi pendens in aere fundum deseruisse uisus est.

In primis uerò Leodium ciuitas maximā cladem accepit. Nam 5 nonas Maij, cū uesperas in summo templo celebrarent sacrificuli, repentino terræmotu & tonitru omnes ad terram prostrati, nec nō fulmine ad sinistrum templi latus ingresso, ingētes crustæ de muro hac illac sunt disiectæ. In turri quoq; post multas trabes fissas tantus fœtor extitit, ut aromatum odore adhibito, difficulter potuerit propulsari. Septimo idus Iunij pluuia nubes præter expectationem rupta à monte Roberti, nomine Claro, magnam Leodij partem oppressit, ita ut plurimas domos euerteret, frumentiq; plurimum perderet. Triste præterea spectaculum erat, quo matrem cum duobus infantibus, quos complectebatur, enectam cernebes, cum alijs octo hominibus, quos diuersis in locis eadem nubes oppressit. Ad uespertinas preces Saturni die cum pulsaretur, cuidam, dum caput lauat, puero manus fluido sanguine rubescere cœperunt. Septimo calendas quoq; Iulij turbine satis uehementi & obscuro ciuitas cooperta est: nubes uerò decidens, summi templi tectum deturbauit, & imbribus totum pauimentū exposuit. Nec mora, in eodem templo quēdam de pulpito legentem aliquid, aliū coram cruce adorantem, alium egressurum in ipso limine fulmen extinxit. Turbines deniq;, uenti, imbres, tonitrua, ignes cum flāmis creberrimè præ cæteris urbibus Leodium eiusq; ciues horribiliter afflixerunt, anno Domini 1118. Continuator Sigeberti, Vincentius lib. 26. cap. 26. Vrspergensis, & Auentinus lib. 6 Annalium Boiorum. Etsi Dodechinus in Appendice Mariani Scoti superiorem terræmotum anno Christi 1117 bis accidisse, & quidem in uigilia Ioannis Euangelistæ, scribit, eoq; per totum terrarum orbem, maximè uerò in Italia, non modò plurima ædificia corruisse, sed integras quoq; ciuitates, castella & uillas unà cum incolis terræ hiatu esse absorptas, montes scissos, fluuios terra deglutiente exiccatos, ut pedibus transiri possent: Padum quoq; de alueo suo fornicis instar in altum se extulisse, ut inter terram & aquam uia pateret: & hoc pacto aquam diutius pendentem, tandem in semetipsam ingenti fragore demissam esse, qui per aliquot miliaria exaudiri posset. In Chronico Hirsaugiensi ad 1116 Christi annum hæc reijciuntur, quo etiam tempore infans præter naturam locutus esse, & signum in cœlo apparuisse, scribitur.

In oppido Veronensi ædificiorum pars maxima corruit: hiatus etiam in illis partibus ingentes patuerunt, & arbores radicitùs euulsæ sunt, fumoq; obtecta arborum loca. Infans locutus portentosa quædam prædixit, quæ postea rei probauit euentus. Chronicon Casinense.

Eodem tempore duæ lunæ quasi pugnā committere conspectæ sunt, modò enim congredi, modò resilire uidebantur: utráq; tandem atra nubes occuluit. moxque post hæc horrendum tonitru subsecutū. Chronicon Saxoniæ. Erat annus 1118 tempestate fulguris, horrendo tonitru supra modū insignis. Chronicon Flandriæ. Idem & Matthæus Parisius testatur.

Anno 1119 apud Honelam iuxta Sparliacum natus est infans monstrosus, in modū piscis nec brachia, nec coxas habens. Chronicon Flandriæ. Imbres præterea perpetui, & aquarum uis atq; inundatio obstiterunt, quo minus agros serere ac metere potuerint agricolæ, nō modò in Polonia, sed in finitimis quoque regionibus. Hanc cladem denunciauit tale prodigium, quòd cœlum post occasum solis tres continuas horas ardere uisum est. Secuti sunt etiam imbres alij cum tempestatib. maximis. Cromerus lib. 5 rerum Polonicarum.

Editus est Namuti hoc anno infans, duo quidem habens capita, sed reliqua corporis compage simplex.

Tertiodecimo calend. Ianuarij, sub primam noctis horam igneæ acies in cœlo cōspectæ sunt à Septentrione uersus Orientem, quæ per totum deinceps cœlum sparsæ, stupore spectatores affecerunt.

Tertio idus Decembris luna deliquium passa, & sanguineo colore ad integram penè horam suffusa est. Continuator Sigeberti, quanquam hoc superiori anno contigisse, fertur in Appendice Mariani Scoti. Tēpestas præterea uehemēs in natalicijs Christi exorta, integrum diem durauit. Quę ab Antiocheno terræmotu hucusq; recensuimus miracula, uidere licet ordine apud Vincentium libro 26. capite 26 & 27: Antoninum titul. 17. capite 6. §. 22: & Erfordensem.

Refert Auētinus lib. 6 ex Aenea Syluio, eo tempore quo Mathildis Romano pontifici testamento legauit id quod patrimonium Petri nominant, uocem hanc de cœlo exauditam

exauditam esse, Venenum melle litum fœminam Christianis propinasse.

Anno 1120, Iulio mense, grauissima tempestas & grãdo in diœcesi Treuirensi plurima subruit ædificia. Halberstadensibus uerò tantum attulit detrimenti, ut nouem miliarium spacio terra nullas tulerit fruges, & auicularum genus unà cum iumentis interierit. Crantzius lib. 5. cap. 41 Saxoniæ, Erfordensis.

Gandaui 4 nonas Maias grassatur incendium, quo maxima pars urbis, unà cum tẽplis diuorum Michaelis & Nicolai, absumpta est. Chron. Fland.

Eodem anno regnum Hierosolymorũ, præter eas quas ab hostibus circumquaq; degentibus perpetiebatur iniurias, locustarum & edacium muriũ, per quatuor annos iam fruges depascentium, ut panis ferè omnis defecerit, sensit morsus. Tyrius libro 12. cap. 13.

In ecclesia Vincelliacensi, in uigilia transitus B. Mariæ Magdalenæ, incertum quo iusto Dei iudicio, innumerabiles homines promiscui sexus, ætatis atq; ordinis, in ipso crepusculo, ecclesia subitò conflagrante, combusti sunt. Antoninus titul. 15. cap. 19.

Sub idem tempus magna immanitate in homines lupi sæuiêre, quorum plurimos dilaniarunt. Chronicõ Germanicum. Magna etiam terræmotus uis in ualle Tridentina fuit, quæ pleraq; monasterij ecclesięq; oppida afflixit adeò, ut plurimi etiam sub ruina perirent. Nam plerumq; decies, sæpe decies septies, aliquãdo uicies per dies singulos incolæ senserunt. Chron. Cas. & Otto Frisingensis.

Sequente anno in Suuartzagiensi monasterio loquela cuidam muto est reddita: quod plurimi unà cum monasterij fratribus sunt attestati. Hedio, & Chronic. Germaniæ.

Immensus præterea ignis in Orientali plaga sex horarũ spacio flammas tantisper emisit, donec turbo ex Occasu largo imbre illas extinxit. Secuta est non multo pòst hyems sæuissima, qua non tantùm fruges corruptæ (unde fames exorta est miserabilis) sed etiam homines unà cum iumentis perierunt. Bonfinius, Cuspinianus.

Feria septima in hebdomada secunda Dominici aduentus, aliàs clementius, aliàs inclementius terra contremuit. Sigeberti Continuator. Anno Christi 1122. Deinde nonis Aprilis sub diluculum innumerabiles stellæ de cœlo cadere, & quasi pluere uisæ sunt toto terrarum orbe. Chron. Cas. Chronic. Saxon. Secuta est magna annonæ caritas, arefactis segetibus continuo trium mensium uernorum æstu ac siccitate. Cromerus libro quinto de rebus Poloniæ.

Anno 1123 Bergium oppidum unà cum monasterio D. Vuinnoci incẽdio deflagrauit, nonis Septembris. Combustum & cœnobium Hesnonense cum toto oppido, seditione prætoris sui: saluo tamen thesauro & bibliotheca. Chron. Fland.

In purificationis Mariæ festo luna passa est deliquium. Quo multi magni nominis uiri exciti, religionis ergò Hierosolymam petere statuerunt, siquidem uarijs obnoxij delictis ac criminibus essent, quorum ueniam cõsequi cupiêre. Anno Domini 1124. Hedio.

Eodem anno cœlitùs tactum Vuatanense cœnobium. Chron. Flandriæ.

Post Pentecosten acre gelu terras afflixit, quo arbores & uites mirum in modũ læsæ sunt. Prodigia quoque in sole & luna plurima acciderunt. In pago Dullefelt puero sinistrum genu intumuit, & cruciatus grauissimos creauit. Quo aperto, grana aliquot siliginis, hordei & auenæ exciderũt. Chron. German. Lycosthenes.

Proximo abhinc anno hyems solito asperior extitit, & ob niuis sæpius cadentis copiam adeò horrida & molesta, ut multorum, tenuium præsertim, liberi frigoris iniuria enecti, & pisces in multis uiuarijs sint suffocati. Tanta enim spissitudo glaciei erat, ut plaustra graui pondere onusta transmittere posset. In Brabanto anguillæ innumerabiles, propter glaciem paludibus relictis, in fœnilia se abdiderunt, ubi etiam hyemis asperitate extincti computruêre. Secuta est lues, quæ non modò in homines, sed etiã cætera animãtia sæuijt. Magna quoq; intemperies aeris fuit, quæ in Martium mẽsem usque se extendit, & ob uarias uicissitudines niuis, pluuiæ & gelu, non parum detrimenti attulit. Nam uix Maio mense tandem arbores effloruerunt: ægrè terra frigore diuturno oppressa, tandem herbas uirides & gramina protulit. Imber autem singulis mensibus penè deciduus, semina terræ commendata propemodum absorpsit, & auari spem agricolæ est frustratus. Vincentius lib. 26. cap. 45. & Sigeberti Continuator.

In Gallijs magna fames grassata est (quã ferè totam quoq; Italiam inuasisse, Chronicon Martini refert) in qua Carolus Flandriæ comes singularem munificentiæ gloriam consecutus est, quòd innumerabili tenuioris sortis multitudini diuersis in locis necessaria uictus quotidie suppeditarit. Cõtinuator Sigeberti, Chron. Flandriæ.

Anno 1124. fulgore quodam cœlitùs demisso, barbari contra Balduinũ regẽ in acie stantes

stantes prosternuntur. Vincentius libro 26. capite 44.

Pestis etiam maxima & fames tanta Germaniam simul afflixêre, anno Christi 1125, ut tertia pars hominũ interijsse credatur, & uix qui cadauera sepelirent, superstites fuerint. Cuspinianus.

Maxima aquarum inundatio Romæ facta est, die Eleutherij: ut Hedio annotat. Et Vuormaciæ pullus gallinæ quadrupes exclusus est, autore Gygante. Hyems quoque asperrima sex cõtinuis hebdomadib. fuit, & fames adeò inualuit, ut magna utriusq; sexus multitudo pasſim inedia perierit. In Brachbanto uilla, quædã matrona quatuor masculos uno partu enixa est.

In Gemblacensi parochia quidam summa coactus inedia, cum diuersi generis frumenta moleret Dominica die in familię usum, contra expectationem farina ardere uisa est, iusta Dei indignatione, haud dubiè posteris in exemplum, ne quis sabbatũ temerè prophanaret. Anno Christi 1126. Vincentius lib. 26. cap. 46. & Continuator Sigeberti.

DE PRODIGIIS ET REbus admirabilibus sub Lothario Saxone.

Lotharius Romam proficiscens pro inauguratione impetranda, Osterburgum uenit, ubi grauis excitata est seditio inter ciues ac regios ministros: qua feruente, incendium exortum est, quo tota penè ciuitas perijt: plurimi etiam homines cæde ac flamma sunt extincti. Hinc cometes 6 nonas Octobris apparuit. Chronicon Saxoniæ. Eodem anno Moguntiũ ciuitas, & cathedrale templum pulcherrimè ornatũ, ac monasteria aliquot Spirę & Argentorati, & tota penè Goslaria & Salinæ Saxonum conflagrarunt. Quæ incendia ad annum 1136 Saxoniæ Chronicon refert, & uno eodemque die accidisse narrat.

Præterquàm quòd hyems solito acerbior fuit, etiam ignis sacer in Occidentali plaga uehementer grassatus est, & quamplurimos è medio sustulit. Sigebertus, Schedelius.

Quidam Iohannes de Temporibus uitam cum morte commutauit, qui Caroli Magni armiger fuerat, & annum ætatis trecentesimum sexagesimumprimum attigerat. Ioannes de Oppido. Anno Christi 1128. Eodem anno mulier quædam in Liguria porcellum humano capite enixa est. Chronicon Fuldense. Traiecti ipsis ferijs Paschalibus omnia templa cum magna ciuitatis parte incendio periêre. Chron. Germanicum. In ferijs Pentecostes nix magna cecidit. Chronicon Saxoniæ.

Tyrus urbs Syriæ, maxima strage populi, motu terræ tota ferè subuertitur: & Gandaui 6 non. Maij, orto de nocte incendio, dimidia pars urbis cum templis Michaeli & Iacobo dicatis perijt. Chron. Flandriæ.

Ferunt, hoc tempore calendis Iulij, ut habet Chron. German. duos ad solem circulos Padeburnæ conspectos esse, quorum interior ecclesiæ magnitudinem, exterior urbis fuerit cõplexus latitudinem. Euanescentibus his, urbs Padeburna penè tota cum ecclesia conflagrauit, uersaque est lux meridiana in tenebras nocturnas. Chron. Saxon. Metropolis Cranzij.

In Occidentali plaga uiris comam nutrientibus, subitò capilli circum capita multis miraculosè incensi ardere cœperunt. Chron. Hirsaugiense. Cruentum quoq; signum in aëre conspectum, & alia quamplurima, Chronicon German. cõmemorat. Anno 1129.

Philippus puer non multo pòst, quàm regio ornatus esset diademate, Parisijs equo dum uehitur, porcus equi gressum impediuit, illumq; puerum pręcipitem dedit, ita ut rex caballo deturbatus, subita morte perierit, & Francos in luctum grauisimũ coniecerit, tertio idus Octobris, anno Christi 1131. Sigebertus.

Sequenti anno Augusta Vindelicorum combusta est. Chron. German.

Anno Christi 1133, quarto nonas Augusti, hora diei sexta, eclipsis solis facta est, adeò ut stellæ conspicerentur. Chronicon Flandriæ. Angliam subterraneo motu concussam, & solem obscuratæ lunæ formam induisse, Matthæus Parisius indicat. Secuta est posthæc magna aëris inconstantia atque inundatio, quæ mensem durauit integrum. Sigeberti Continuator, Appendix Mariani Scoti, Chron. Hirsaug. De eodem anno Ioannes prior Haugustaldensis scribit: Stella cometæ octauo idus Octobris apparet. Vnde rex (Angliæ) latusq; regium ambientes, & alij quàm plures mirantes, & in cœlum oculos leuantes, solem ad instar nouæ lunæ lucere conspexerunt: qui tamen non diu se uno modo habebat. Nam aliquando latior, aliquãdo subtilior, quandoq; incuruior, quandoque erectior, nunc solito modo firmus, nunc mouens, & ad modum uiui argenti motus & liquidus uidebatur.

Innocentio secundo & Petro, Petri Leonis filio, de Romana sede decertantibus, in Gallia innumeræ aues aperto cœlo dimicarũt, exanimesq; in terram prolapsę sunt. Polyd. Verg. lib. 11 Anglicæ historiæ.

Anno 1135, quinto calend. Nouembris,

magna fuit tempestas, quæ turres & ædificia quamplurima prostrauit. Sigeberti Continuator, & Vincentius.

Eodem anno prodigia uaria uisa dicuntur, quæ Heinrici primi regis Anglorũ mortem, quæ paulo pòst consecuta est, denunciasse, creditum est: nimirum terra tantopere mota est, ut ædificia quamplurima corruerint. Eclipsis solis & lunæ præter modũ facta est. Ignis in plerisq; locis maximo populorum terrore per rimas terræ aliquot dies spirans, & flãmas emittens, neq; aqua, neculla re alia extingui poterat. Polydorus Verg. lib. 11 Historiæ Anglicæ. Vnde non ita multo pòst horrenda pestis in toto penè orbe subsecuta est. Bergomensis.

Calor admodum æstuans in Cisalpina Gallia, tantam siccitatem dedit, ut frugibus uniuersis exiccatis, ualida ubiq; fames, in tota etiã Italia, ut Schedelius refert, fuerit subsecuta. Vincẽtius, Erfordensis, Bergomensis, Gygas. Et Auentinus inquit: Annũ terræ nostræ 1135 feruentissimum fuisse, amnes siccatos esse, syluas cum montibus arsisse, fomitem, & quicquid alendo igni aptum est, in terram ingestũ mox ignem cõcepisse, literis proditur. lib. 6 Annalium Boiorum. Eiusdem siccitatis, ut & Rhenus sine ullo periculo ubiuis locorum transiri potuerit, meminit Chronicon Coloniẽse: sed ad annum 1130 refert.

Quinto calendas Nouembris tanta est exorta tempestas, ut turres & plurima ædificia subuerterit. Vincentius libro uigesimoseptimo, cap. 13.

Præterea Oceanus in continentem sese effundens, bonam Flandriæ & uicinarum regionum partem, cum internecione hominum atq; pecudum, subitò submersit. Continuator Sigeberti, Chron. Hirsaug. Annũ habet 1134 & sequentem Chron. Fland. Nã utroque exundatio facta ibidem narratur. Combusta eodem tempore, Dei (ut aiunt) iudicio, quinq; cœnobia, Corbeia, D. Audoëni, D. Iohãnis Taruannensis, D. Vedasti Atrebatensis, & Hamense. Chron. Flandriæ.

Anno 1136 tanto fulgure, tonitru, uento ac pluuia cœlum inhorruit, ut adesse mundi dissolutionem multi existimarent. Murus oppidi Audomarensis sexaginta in longitudine pedum conuulsus ac deiectus est. Furnis, ubi uiri tres unà equitabant, medius fulmine ictus interijt, reliquis intactis. Chronicon Flandriæ.

Sequente anno tanta fuit siccitas, ut maior hominum memoria non fuerit. Etenim in multis regionibus flumina, quæ naues ferebant, ita sunt exiccata, ut pedibus transiri possent. Fontes quoq; & putei per Galliam planè sunt exiccati, & plurimi aquæ penuria laborantes, siti perierunt. Cõtinuator Sigeberti, Vincentius, Ioannes de Oppido, Martinus Polonus.

DE MIRACVLIS ET *prodigijs sub Conrado III.*

Eclipsis solis cum terræmotu per totã Angliam facta est tanto cum horrore, ut cœlestia defecisse uiderentur. Portendebat uerò illa obscurationem puræ doctrinæ Christi. Anno Christi 1140. Matthæus Parisius, Balæus. Præterea bello & fame afflicta est. Ranulphus.

Imperator Constantinopolitanus, in uenatione arcum uehementius intendens, sagitta ueneno illita in sinistra uulnus accepit, atque expirauit. Continuator Sigeberti.

Anno 1141 Cemercellensis pagus, Fuldæ uicinus, totus in cineres redactus est, omnemq; illum agrũ dira fames afflixit. Chronicon Fuldense. Eidem anno arctiorem annonam ac famem quidam adscribunt, quæ continuos duodecim annos durarit. Chronicon Flandriæ. Hyems aspera admodum fuit, ut ibidem narratur: & tempestas maxima, decimoquarto calend. Februarij, monasteria, domos & arbores solo æquauit. Appẽdix Mariani Scoti, & Cõtinuator Sigeberti. Hac tempestate Flandricorũ mercatorum naues uẽtis disiectas, uel submersas, ait Meyerus in Chronico Flandrię.

Vermiculi extiterunt plurimi in multis regionibus, adeò prope terram uolantes, ut uel manu, uel etiam uirga tangi possent, magnitudine quidem muscis æquales, sed longitudine diductiores: quorum tãta fuit multitudo, ut unius penè miliaris in latitudine, trium uerò miliarium in longitudine spacium occuparent: densitate autem sua ipsam solis lucem obscurare uidebantur. Secuta est hominum & pecudũ inaudita lues, aëre corrupto, unde & illa tum nata animantia, quæ mortua aëris intemperiem adauxerunt. Globos igneos in aëre emicuisse, & postea condidisse se in alia cœli parte, ferunt, anno Christi 1143. Lycosthenes.

Anno abhinc secundo cometes in Maio apparuit, quem sequente anno secutus est terræmotus ingens, uicibus quindecim, in urbe Moguntina. Appẽdix Mariani Scoti. Sed Chronicon Hirsaugiẽse ista ad sequentem reijcit annum.

Fame permaxima in Gallijs grassante, Ecclesiarum Christi munificẽtia tanta fuit, ut multa modiorum millia in pauperes erogarent. In Lingonẽsi parochia apud Morinandum, ubi quamplurimi quotidiana stipe fouebantur, quidam nebulo diuendens carnes hominum à se iugulatorum coctas, depre-

deprehensus,& laqueo punitus est. Apud Noruicum Angliæ ciuitatẽ puer aliquis,cui nomen Vuilhelmo, à Iudæis crucifixus est, & extra ciuitatem contumulatus. Sed luce (ut perhibent) cœlitùs missa, res innotuit fidelibus: qui repertum cadauer summo cum honore in urbem detulêre, & in templo sepelierunt,anno Christi 1146. Continuator Sigeberti.

Cum rex Romanorum natalem Domini Mersburgi celebraret, Mogũtino archiepiscopo & plerisque Saxonię principibus uiris præsentibus, frequente item populo & clero, iris quasi in cœlo apparuit,& cruces in medio conspectæ sunt. Appendix Mariani Scoti.

Vlysbona capta, tres muti loquelam receperunt. Octauo calend. Nouembris sol defecit sub horam diei quintam. Continuator Sigeberti. Et famem cum peste incredibili subsecutam esse, addit Chronicon Hirsaugiense & Appendix Mariani. Eo anno quo Fulcherus Hierosolymorum factus est patriarcha,ecclesia Sepulchri Dominici & mõtis Sion fulmine icta est, uisus est & cometes per multos dies,& alia quędam apparuêre signa. Tyrius lib.16.cap.17.

Anno 1147, Imperatore expeditionem in terram Sanctam suscipiente cum principibus confœderatis, dira prodigia sunt conspecta, quibus uaria belli incommoda denunciabantur. Nam uespere quodã nebula densissima cooperuit castra: & uniuersa papilionum tegmina,quæ sub dio fuerant,ita sanguine aspersa comparuêre, ac si sanguine pluisset. Quod uidens rex cæteriq; duces, pericula imminere maxima coniecerunt. Nec fefellit eos coniectura. Etenim paulo pòst in montis supercilio tonitruum fragorem & tempestatis sonitus exaudiuêre. Deinde circa noctis medium torrens auctior erumpens, quicquid Vallis humile cõtinuit,temporis momento elutũ in mare proiecit. Continuator Sigeb. Helmoldus,Cuspinianus,Annales Nicetæ.

Lauduni 4 nonas Iulij, tonitru facto,in monasterio S.Vincentij,monachis diurnos labores facientibus,duos ex his subitò fulmen corripuit,& è medio sustulit: reliqui tanto periculo consternati,decubuêre quidem,sed tamen pristinę integritati sunt restituti. Fulmẽ etiã altaris linteum adussit,& sacrarium penetrauit, ac alijs in locis multos homines aliaq; animantia extinxit.

In territorio Gebenensi lupus quidã inusitatæ magnitudinis ac ferocię,in ipso hominum conspectu triginta diuersi sexus & ætatis homines deuorauit, anno Christi 1148. Continuator Sigeberti,Vincentius.

Eclipsis lunæ apparuit undecimo calẽd. Aprilis,nona hora noctis: quam statim uentorum intemperies est secuta toto quatriduo. Audita sunt etiam crebra tonitrua & fulmina, quibus in territorio Verniorum iuxta Gandauum sacerdos quidam celebrans Missam afflatus perijt. Et apud Remenses cuidam clerico idem euenit, anno Domini 1149. Quo etiam tonitrua, fulgura, grandines & tempestates multum damni dederunt mortalibus. Continuator Sigeberti. Vincentius lib.27. cap.126. Chronicõ Flandriæ, Lycosthenes.

Ob tonitrua crebra,pestem,famem,hyemis asperitatem,insignis est annus millesimus,centesimus, quinquagesimus, in Saxoniæ Chronico.

Cùm terra hyemali gelu uehementer constricta esset,contra omnium expectationem cæspes quidam summæ longitudinis in pago Suessionico de terra auulsus, longè lateq; ad alium locum est translatus. Quæ quidem res optimorum uirorum, & inter hos nobilissimi principis ac comitis Theobaldi migrationem ex mortalib. denunciauit. Anno Christi 1151. Continuator Sigeberti. Fames etiam & lues maxima homines inprimis afflixit. Appendix Mariani Scoti.

Terra contremuit in partibus Italiæ. Cõtinuator Sigeberti. Mense Ianuario magna aquæ inundatio in partib. Rheni fuit, anno Domini 1152. Ottho Frisingẽsis. Reginoburgum cum sex templis conflagrauit,duodecimo calend. Maij. Auentinus.

Eodem anno dimidia pars oppidi Audomari cum templis Dionysij, Ioannis & Martini,surgẽte ex cœnobio D. Bertini incendio,nonis Septembris conflagrauit. Numinis ira,inquit Meyerus, id accidisse creditum,propterea quòd ex duodecim monasteriorum antistitibus,epulis uinoq; mersis (eò enim conuenerant die Bertino sacro ad solenne conuiuium) nemo inuentus sit qui ad nocturnas matutinasúe surrexerit preces. Chronicon Flandriæ. Imò præter idololatriam, & crapulam horum nebulonum, magna hypocrisi uitæ sanctimoniam præ se ferentium, Deus ultus est, ijsq; gehennę incendiũ,in quod breui cõijciendi essent,ni matura pœnitẽtia sibi cõsuluerint, ob oculos quasi poner euoluit.

Terrã sanctam fames grauiter sub idem tẽpus afflixit, ita ut tritici modius quatuor ueniret florenis. Tyrius lib.18.cap.1.

Sequente anno in sole prodigium horribile conspectum est, 7 calend. Februarij. Appendix Mariani.

Fama celebris est, Guilhelmũ Cauillonẽsem comitẽ,Ecclesijs infestũ,& armis inerme sacerdotum pecus oppugnantem,dũ

frequēti procerum conuiuio epularetur, ab ignoto quodā, in equo pro foribus sedente, euocatū exisse, coactūq; eue stigiò conscendere, è cōspectu procul raptū, nec dein ceps usquam comparuisse. Et Niuernensiū comitē, immunitatis Ecclesiarum hostem, obtorquente spontè se in terga uultu, obiuisse. Paulus Aemylius lib. 5 de gestis Frāc. sub Ludouico iuniore.

DE MIRACVLIS ET PRODIGIJS SUB *Imperatore Friderico Barbarossa.*

FAmis totā Europā affligentis meminit Platina in uita Anastasij quarti. Sub eodem pontifice, inquit Balæus, Thamesis fluuius in Anglia memorabilis ita gelabat, ut rhedas & plaustra ferret. Et parum antea eclipses erant tam solis quàm lunæ, teste Massæo, quas secuta sunt fulgura, tonitrua & pluuiæ, tēpestasq; horrida cœlū cōmouit & undas. Cent. 12 de Scriptoribus Britanniæ, cap. 64, in appendice de Romanis papis. Fames & pestis Scotiam inuaserunt. Boethius lib. 13. de Scotis.

Robertus de Batua, uir omni plenus nequitia, œstro zelotypiæ commotus, ubi uirum quendā sibi admodū familiarē cum alio quopiā homine ac muliercula intra domunculā cōburendos includi iussisset, illic instar antiquorū trium puerorū, ardente domo, & flamma super capita eorum in modū lucidæ nubis uolitante, illæsi permā serunt. Quos foràs exeuntes, cū improbus ille minister, cui facinus illud iniunctum erat, insequeretur, & in unū ex illis gladium stringeret, subitò aliquis, quē nemo tamē cernebat, comā ipsius apprehendēs, unà cū equo cui insidebat nefariū hominē dedit pręcipitē, maximūq; ei terrorem incussit.

Vndecimo calend. Iunij in posteriori Geminorū parte luna deliquiū passa est, anno 1154. Continuator Sigeberti. Obscuratus est eodē anno calēdis Octobris sol per integrū diem. Fūccius in Chronologia. Fuit item maxima aquæ inundatio. Appendix Mariani Scoti.

Gandaui infans biceps, quatuor manib. & totidem pedibus partu editus est. Chronicon Flandriæ.

In Burgundia, 15 calend. Februarij, plurima ædificia motu terræ cōciderunt. Luna quoq; defecit Dominica ante natalē Domini, anno 1155. Continuator Sig.

Anno 1156, calend. Octobris, triū penè horarum spacio circa solē uisi sunt tres circuli: quibus subinde euanescentibus, duo soles creari uidebātur. Decimoquinto calēd. Martij una nocte ter contremuit terra, maximè in Burgūdia. Toto Quadragesimę tēpore sępius subterranei accidēre motus, & castellū quoddā, non procul à Cluniaco sitū, absorptum est, loco repleto aqua profundissima. Decimoquinto calēd. Iulij, hora prima, luna eclipsin passa est. Continuator Sigeberti, Vincentius.

Nix magna & gelu asperrimum fuit, æstasq; sicca cum peste secuta est. Calēdis Iunij grandinis uehemētia & tempestatū uis adeò inualuit, ut nō modò segetes perderet, arboresq; deijceret, sed ædificia quoq; ac munitiones plurimas humi sterneret, & campanas aliquot turribus deturbatas cōfringeret. Vrspergensis. Signum quoque crucis in luna apparuit. Vincentius, Ranulphus lib. 7. cap. 22 in Polychronico.

Anno sequente, tertio calend. Iunij circa meridiē, dimidiæ propemodū horæ spacio circulus haud paruæ magnitudinis in solis ambitu, ignei & cærulei coloris apparuit. Sigebertus.

Mense Iulio in Normannia itidē fulgura & tēpestates frequenter acciderunt, & pluribus in locis fulminis afflatu homines extincti sunt. Subsecuta est inundatio maxima, quæ & frugū collectioni & sationi postea impedimēto fuit: cūq; diutius duraret, multæ turres ac maceriæ in Normannia & Anglia corruerunt. Sigebert.

Nonis Septēbris, ut Erfordēsis habet, cœlo serenissimo tres soles, & paucis pòst diebus totidē lunæ cōspectæ sunt, & in luna mediū locū occupāte crux maximi candoris apparuit. Vincētius. Vnde astrologi sunt uaticinati discordiā inter cardinales de creando pōtifice maximo, ac inter Electores in Imperatore eligēdo. Nec fefellit homines summis ingenijs ꝓditos euētus. Secuti quoq; sunt terręmotus crebriores, quib. nō tantū urbes & castra, uerùm etiā nationes quassatæ, cōcussæ, & omnino euersæ sunt, anno Domini 1157. Vincen. lib. 29. cap. 3. Antoninus, Lycosthenes. Tyberis exundatio magno cū Romanæ urbis malo facta est. Et mēse Augusto igneus quasi circulus solem circumdedit. Chron. German.

Suenone Erici, Vualdemaro Canuti, & Canuto Magni filijs de regno Daniæ dimicātib. uisę sunt Aquilonē uersus, species quasi ignearum facularum, & humani cruoris similitudo rutilantis. Nec fefellerūt portenta. Nam omnia longè lateq; bello sunt uastata. Helmoldus, Lycosthenes.

Anno sequente, sabbato infra octauas Paschæ, in Abrincatio uilla, quę dicitur Landaaronis, circa meridiē quasi de terra emergēs turbo maximus, proxima queq; inuoluit & abripuit. Deinde quasi colūna quædam rubei & cærulei coloris sub turbine ascendente in sublime stetit, & uidebantur & audiebantur quasi sagittæ ac lanceæ

in ipsam columnam defigi, licet intuentibus non appareret quis eam agitaret. Super columnam apparebant diuersæ quasi species uolucrum in eadem uolitātium. Secuta est non multo pòst sæuissima pestis, & dominū istius uillæ absumpsit, & in multis Normanniæ ac finitimarum regionum locis grassata est. Cōtinuator Sigeberti. Sol quoq; sub meridiem deliquium passus, & fames ualida est secuta. Magni prętereа terræmotus acciderūt uarijs in locis, ita ut Antiochena urbs cum Tripoli ceciderit, Damascus cum multis alijs sit subuersa, & plus quàm 20000 hominum perierint. Chronicon Martini Poloni, Fasciculus temporum. Ioannes de Oppido addit, mare retrogradum esse conuersum, & ultra quinque hominum millia interijsse in Sicilia. Et in Italia grandines anserum ouis maiores cecidêre, inquit Bergomensis libro duodecimo. Tempestates item crebræ, & fluuiorum excrementa fuêre maxima, terræ fluuiatiles & maritimæ complures interierūt, domus integræ aquis innatarunt: quibusdam in summitate sedentibus pueri in cunis uisi sunt, in dolijs alij, omnes perituri. Metropolis Crantzij.

Hanc calamitatem mox alia subsecuta est, terræmotus scilicet, & tonitrua prostrati bouis mugitum referentia: fulgure multorum enses comburebantur, illæsis uaginis: & equitantium crura torrebantur, ocreis saluis: segetes concidebantur. Chron. German.

Eclipsis lunę facta est, quam obitus reginæ Franciæ statim est secutus, anno 1160. Lycosthenes. Anno eodem, nonis Aprilis, urbs Frisingensis penitùs cum uniuersis templis, tam maioribus quàm minoribus, sacerdotumque contubernijs, iusto Dei in idololatriam iudicio, igni absumitur. Hanc calamitatem, inquit Radeuicus, nonnulla prodigiorum indicia præcesserunt. Quadā enim uice in die circumcisionis Domini, dum ad Missam solennem presbyter altari maiori assisteret, & iam sacri secreti ultimum resoluisset silentium, calix cum sanguine ita prorsus euersus, & super altare in conspectu omnium effusus est, ut nec stilla superfuisset. Sed prudentissimus episcopus omine tali nihil prosperum auguratum esse præsciens, ieiunijs & letanijs diuinam animaduersionem præueniri atque placari persuasit. Per idem quoque tempus monstra quædam quadrupedia, aliaque fantasmata de nocte uisa sunt tam à clericis ueracibus, quàm à laicis hinc inde uolare. Feræ bestiæ, utpote uulpes & lepores, pastoforia ecclesiæ, ac officinas canonicorum ingressæ, uelut domesticæ, laqueum sibi captionis imponi non abnuebant. Pueri ac puellulæ per mediam ciuitatem sæpius processionem agētes, uerasque letanias imitantes, iocis suis grauia feria portenderunt. Nam & sequenti anno locus ipse, ubi maior ecclesia & cathedralis sedes fabricanda erat, fulmine ictus, cœlesti igne conflagrauit. Vlulæ, upupæ, bubones toto anno in tectis funebria personantes, lugubri uoce aures omnium repleuerunt. Pilosi, quos Satyros uocant, in domibus plerumque auditi. Radeuicus libro quarto, capite decimotertio de gestis Friderici Imperatoris. Eadem fuit & Spirensis ecclesiæ ferè ijsdem diebus fortuna. Ibidem capite decimoquarto.

Gandaui natus est infans triceps cum cauda pecudis. Et apud S.Au o narum biceps uirilis & muliebris sexu', podicē habens unicum, sed quatuor brac ia. Chronicon Flandriæ.

Terra contremuit calendis Ianuarijs in pago Constantino, castro S.Laudi, circa horam primam, anno 1161. Continuator Sigeberti.

Nix inusitata in agro Mediolanensi uicibus duodecim cecidit, quæ non solùm afflixit humana corpora, sed etiam uites & reliquas arbores quascunq;, germina quoque adussit omnia, ut nihil penitùs in isto agro remanserit, anno 1162. Bergomensis. Fames & pestis, & foris bellum durissimè afflixêre Mediolanenses. Radeuicus lib.3 de gestis Friderici. Anno 1162. Chron. German.

Circa dies illos, quo primùm promotus est ad summi sacerdotij gradum in ecclesia Lubecensi Conradus (quod factum est annum Salutis circiter 1162, 14 calend. Martij) orta est tempestas maxima uentorum, procellæ fulgurum, coruscatio & tonitrui fragor, quæ passim multas ædes aut incenderunt, aut subruerunt. Insuper tāta maris exundatio oborta est, quanta non est audita à diebus antiquis, quæ inuoluit omnem terram maritimam Frisiæ & Hadelen, & omnem terram palustrem Albię & Vuirrę, & omnium fluminum quæ descendunt in Oceanum mare, & submersa sunt multa millia hominum & iumentorū. Helmoldus libro 2.cap.1 de Sclauis. Sub idem tempus grandinis, qua arbores, domorum fastigia, & homines non pauci prostrati sint, mētio fit in Saxoniæ Chronico.

Apud Polonos grauiter fame laboratum est. Cromerus lib.6.

Mense Iunio in Britannia, minore scilicet, in Recello sanguine pluit, & de ripis cuiusdā fontis ibidem effluxit, anno 1163. Fame item & peste Cismōtani, maximè in

Aquitania laborarunt. Continuator Sigeberti. Brugis concidit turris tépli B.Mariæ. Chronicon Flandriæ.

Anno 1164 apud Senonas, die Parasceues, cũ Alexander pontifex Romanus Missam celebraret, horribiles factæ sunt tenebræ: & in recitatione passionis Dominicæ, dum lector peruenisset ad hæc uerba, Consummatum est: fulgur tam stupendum cecidit, tantusq; fragor intonuit, ut Alexander relicto altari, & lector omissa lectione, ac omnes qui aderant, fuga sibi consulendũ existimarent. Metropolis Crantzij, Chronicon Cosmedromij.

Præterea Oceanus in partibus inferioribus limites suos egressus per miliaria 12, decimoquarto calend. Martij, multa hominũ millia utriusq; sexus, & diuersæ ætatis, maximè circa Visurgim absorpsit. Trithemius de rebus Hirsaugiensium. Chronicon Saxoniæ addit uentorum turbines, quibus multa ædificia concussa, segetum calamitatem maximam, & multorum infantum obitum, & tonitrua frequentia.

Eodem anno, calendis Octob. trium penè horarum spacio uisi sunt tres circuli circa solem: quibus inde euanescentibus, duo soles oriri uidebantur. Ranulphus libro septimo, capite 22. Polydorus Vergilius.

In episcopatu Dolano mense Augusto sanguinea pluuia decidit, anno 1165. Continuator Sigeberti.

Instante Malcolmi Scotorum regis fatali die (obijt anno 1165) quatuordecim diebus antequam rex è uita decederet, cometa duobus longissimis radijs ardere uisus est. Boëthius lib. 13 de Scotis.

Eodem anno in Norfolohia & Sothfolohia terræmotus plurimos prostrauit homines. Matthæus Parisius.

Præterea tempestate quadam in Ruthenẽsi agro homines grauiter sunt afflicti. Lupi quoq; incredibili ferocia paruulos ab uberibus maternis raptos, crudeliter deuorarunt. Vincentius lib. 29. cap. 16.

Friderici exercitus, qui Romá oppugnabat, maxima pars fame & peste occubuit, anno 1167. Helmoldus li. 2. c. 10 de Sclauis.

Anno abhinc quarto, in uigilia natalis Domini, in Occasu duę stellę ignei coloris, quarum una erat magna, altera parua, apparuêre, fuerũtq; initiò quasi coniũctæ: postea disiunctæ, & longo spacio distátes, apparere desierunt. Ciuitas hinc Turonensis, ac templum cathedrale incendio perierunt.

Luna bis defecit, nimirũ nonis Martijs, prima hora noctis. Deinde quarto caléd. Septemb. Idibus eiusdem mensis sol penè totus circa meridiem obscuratus est. Continuator Sigeberti.

Sequenti anno tres soles simul uisi sunt in Occasu, nonis Septembris, & post duas horas deficiétib. duobus, is qui medius fuerat, solus óccidit: & simili planè modo annis proximis tres lunæ apparuerũt. Adhæc terræmotus ciuitates plurimas & uillas subruit, & multa hominum millia terrę hiatus deglutiuit. Chron. German. Anno 1173. Bergomensis.

Vrbs Sicilię Cathama subterranea cõcussione subuersa est: quo casu episcopus cum clero, abbas item de Mileto cũ quadraginta monachis, & de plebe circiter 15000 subitò interierunt. Plura etiam castella eiusdem insulæ commota sunt, & in partibus transmarinis plurimi homines urbesq; ceciderunt. Contremuit quoq; Antiochia, & urbs Hierosolyma. Vincentius lib. 29. ca. 17. Sed de his Tyrij uerba adscribimus: Anno Almarici regis quinto, qui fuit Christi 1170, mense Iunio, tantus tamque uehemens circa partes Orientales terręmotus factus est, quantus qualisque memoria seculi præsentis hominum nunquam legitur accidisse. Hic uniuersi Orientalis tractus urbes, antiquissimas & munitissimas, funditùs diruens, habitatores earum ruina inuoluens, ædificiorum fastus contriuit, ita ut ad exiguam redigeret paucitatem. Non erat usq; ad extremum terræ locus, quem familiaris iactura dolorq; domesticus non angeret: ubiq; luctus, ubiq; funebria tractabátur. Inter quas & prouinciarum nostrarum, Syrię & Phœnicis, urbes quàm maximæ, & serie seculorum antiquitate nobiles, solo tenus deiectæ. In Cœlesyria multarum prouinciarũ metropolim, olimq; multorũ moderatricé regnorũ Antiochiá, cũ populo in ea commorante strauit funditùs: mœnia, & in eorũ circuitu turres ualidissimas, incomparabilis soliditatis opera, ecclesias & quælibet ædificia tanto subuertit impetu, quòd usq; hodie ecclesię sumptibus immensis & multis laboribus, cõtinua solicitudine & indefesso studio uix possunt saltem ad statũ mediocré reparari. Ceciderunt in eadem prouincia urbes egregiæ, de maritimis quædam, Gabulum & Laodicea: de Mediterraneis uerò, licet ab hostibus detinerentur, Nerea, quæ alio nomine dicitur Alapia, Cæsar, Haman, Emissa, & aliæ multæ: municipiorum autem non erat numerus. In Phœnice autem, Tripolis, ciuitas nobilis & populosa, tertio calendas Iulij tanto terræmotus impetu circa primam diei horam subitò concussa est, ut uix uni de omnibus, qui intra eius ambitũ reperti sunt, salutis uia patêret. Facta est tota ciuitas quasi agger lapidũ, & oppressorũ ciuium tumulus, & sepulchrum publicũ. Sed & Tyri, quę est eidem

eidem prouinciæ metropolis, terræmotus uiolẽtior, absq; ciuiũ tamẽ periculo, turres quasdam robustissimas deiecit. Inueniebãtur tam apud nos quàm apud hostes oppida semiruta, & insidijs hostiũ latè patentia. Sed dum quisque districti iudicis iram sibi metuit, aliũ molestare pertimescit. Tyrius lib.20.cap.19 Belli sacri.

Per Germaniam quoq; terræmotus maximi, & ingens aquarũ inundatio facta est. Callina Siciliæ urbs terræmotu quassata, concidit cum magna hominum multitudine. Lycosthenes.

Fiscanensis ecclesia incendio conflagrauit, anno 1170, quarto calend. Iulij: ut Sigeberti narrat Continuator.

Sacerdos quidam in Danorum terra, quę dicitur Alsse, sacro assistens altari, sublato calice sumpturus hostiam, uidit in calice sanguinis & carnis speciem. Cõsternatus itaq; pontifici ac clero calicem exhibuit. Hic cũ multi affirmarent, diuinitùs id fieri ad cõfirmandam in plebe fidẽ, pontifex rectius rem considerans, inquit, grauissimã Ecclesiæ imminere calamitatem, & plurimũ sanguinis Christiani effusum iri. Cuius uaticinij ueritatem euentus post dies quatuordecim comprobauit, exercitu Sclauorum irruente, ac omnia occupante, & ecclesias subuertente. Idem.

Anno 1171 mare limites suos in Quadragesima excessit. Messis etiam multis in locis perijt, à fluctibus absorpta.

Ossa cuiusdam gigantis in Anglia alluuiõne detecta sunt, cuius longitudo fuit pedum quinquaginta. Sigebertus. Pestis in homines & pecora sæuiẽtis meminit Chronicon Saxoniæ.

Vrbs Cenomanensis, castrum pontis Vrsonensis, ac Noruuicium anno 1172 conflagrarunt, cum sede episcopali & cellis monachorum. Continuator Sigeberti.

Anno eodem, calendis Februarij, Heinricus secundus marchio Austriæ, casu equi in glacię improuidè lapsus, dum cum suis satellitib. uoluptatis gratia obequitat, expirat. Cuspinianus in Austria.

Eodem anno in uilla Ecmunda natus est agnus unum habens caput, pedes sex, & duas caudas. Erfordensis.

Anno 1172 mulier quædã apud Xanthũ peperisse dicitur infantem, duo capita, tria brachia, & tres pedes habentem. Chronicõ Cosmedromij.

Anno 1173, calend. Ianuarij, crebra audita sunt tonitrua, & diuersa loca, sacra & prophana, horrẽdis fulminibus tacta sunt. Vincentius lib.29.cap.17. Tertio idus Feb. igneas acies noctu in cœlo uisendas se prębuisse, Antoninus testatur tit. 17. cap.1.§.11.

Luna bis eclipsin passa est postridie Marci euangelistæ, hora noctis prima. Deinde 14 calend. Nouemb. tertia noctis hora, anno 1175. Continuator Sigeberti. Sub idẽ tempus Angliam pestis & fames afflixère. Polydorus.

Nix & gelu continuum fuit à natalitijs Domini ad purificationis Mariæ ferias. In uigilia Paschæ circa meridiem tantus uentorum impetus fuit, ut non modò domos, sed totas quoque syluas eradicarit, anno Christi 1176. Continuator Sigeb.

Eodem anno, 7 idus Ianuarij, Oceanus ruptis in Hollandia repagulis, iumenta ferè omnia, hominum uerò ingentem multitudinem submersit, reliquis procerarum arborum uel domorum beneficio ægrè saluatis. Neubrigensis lib.3.cap.1.

Vrbis Florentinæ maior pars incendio perijt. Chron. German.

Sequente anno sol defecit, idibus Septembris. Vincentius lib.29.cap.21.

In æstate & autumno tanta fuit siccitas, ut & sata agrorum, messis & fœnum perierit. In autumno inusitata aquarum inundatio accidit. Et ut in Germanico Chronico habetur, naufragia plurima audita sunt.

Tertio calend. Decembris sub noctem exorta est tempestas maxima, & in ipsa festi Andreæ celebritate lux manè ab Oriente ueniens, usq; ad Occidẽtem apparuit. Pugnatum est tunc inter Christianos & paganos apud S. Georgium de Ramula. Continuator Sigeberti.

Vrbs Carnotum incendio perijt, unà cũ monasterio sancti Petri de Valle. Immune tamen ab hac calamitate fuit templum Mariæ sacrum, & collegium clericorum, anno 1178. Idem. Sanguinis quoque imbrem è cœlo fluxisse, tradunt Polydorus Vergilius & Historię Anglicæ. Sidus immensum, plurimis circùm stellis paulò rubicundius fulgentibus, noctem diemque perpetuò in Occidente fixum tenuit. Boethius lib. 13 de Scotis. Paucis exinde numeratis annis, in natali Baptistæ grando decidens, oues & capras occidit, ipsos etiã homines prostrauit. Idibus Septemb. adeò sol ipsa meridie obscuratus est, cùm nulla tum eclipsis, nullæq; cœlo nubes obductæ essent, ut pallidus esse horas propè duas appareret. In diœcesi Eboracensi tonitruum & fulgurum impetu monasteria quædam concidère. Ibidem.

Sequẽti anno idibus Septemb. sol defecit, & secuta est hyems asperrima. Aquæ etiam exundarunt, inprimis uerò apud urbẽ Cenomanensem & Andegauensem, ubi pontibus fluuiorum ruptis, ædificia quam-

plurima cum ingenti hominum multitudine sunt aucta. Polydorus Vergilius, Chronicon Germanicum.

Anno eodem, cum Francorum regis filia Constantinopolin duceretur, nuptui tradenda Imperatoris filio, uniuersus comitatus ad D. Benedictum super Ligurim diuertit. Sed hospitibus iam abitum meditantibus, incuria ministri cuiusdam, ignem accendentis, uniuersum cœnobiū conflagrat. Continuator Sigeberti.

Sub obitum Manuelis Comneni Constantinopolitani Imperatoris, mulier quædam in Propontide habitans, puerum peperit, cætera perexilem & imbecillem, sed capite ingenti. Id principatus multorum, quē omnis Imperij & disciplinæ contemptus sequitur, omen habitum. Nicetas sub Imperio Alexij Comneni, Manuelis filij. Diebus illis (Alexio Comneno ad regni culmen sedente) cometa in cœlo conspectus est, qui grauissimas clades, quæ consecutæ sunt, portendit, atq; ipsum adeò Andronicum expressit. Nam serpentem sinuosum repræsentans, nunc porrigebatur, nunc in spiras se colligebat, nunc cum horrore intuentiū, quasi inferiores ex alto deuoraturus esset, humani sanguinis auidus, uastū rictum aperiebat. Sed cum non ultra diei illius reliquū & secutam noctem durasset, euanuit. Accipiter quoq; aucupio exercitatus, albus, uincula pedibus gestans, qui plumis in nido sæpe amissis repubuerat, ab Oriente in VRBE maximum templum tetendit, ac Thomaiticam ędem ingressus, multos ad sui spectaculum attraxit. Erant etiam qui eum comprehendere studerent: uerùm ipse inde in magnū palatium peruolauit, & super eo conclaui consedit, in quo recēs Imperio potitos, diademate redimitos ab omni populo celebrari moris est. Paulo pòst ad templum reuertitur: & hoc circuitu ter peracto, tandem à quodā captus, ad Imperatorem affertur. Id auspicium quidam planè ad Andronicum referentes, qui & sæpissime in carcerem coniectus, & canus esset, eum statim pœnas grauissimas daturum interpretabātur. Sed prudentiores, & sublimioribus præditi ingenijs, uolatum illum ter repetitum, triennium significare asserebant, quo in Imperio exacto, Andronicus rursus in custodia & compedibus futurus esset. Nicetas sub Imperio Alexij Comneni Porphyrogeniti.

Sol deliquium passus est 5 calēd. Februarij, anno Salutis humanæ 1180. Continuator Sigeberti Vrspergensis refert ad idus Septembris.

Magdeburgi duo templa, alterum Sebastiano, alterum B. Mariæ sacrū, cum duodecim sacellis conflagrarūt. Chron Saxoniæ.

Mulier quædam, cùm feria quarta uitam cum morte commutasset, sabbato proximo uitæ restituta est.

Solis lumen defecit, tertia propemodū parte obscurata, unius æqualis horæ spacio & 38 minutorum. Postea 11 calend. Ianuarij eclipsata est luna noctis hora tertia, & quidem paulò minus quàm medietas obtenebrata, duas ferè horas apparuit. Cōtinuator Sigeberti.

Regni Ierosolymitani interitum prodigia quædam denunciasse creduntur, quæ Lucij tertij temporibus cœlo ostensa sunt. Atroces uenti undique exoriebantur, solis lux obscurata per aliquot horas, grando ad instar oui anserini cœlo delapsa. Terra quoque motibus tremoribusq; crebris ac horrendis agitata. Nec mare obticuit nuncians iram, solito maiore redundans æstu. Ignis in modum domus ardentis cœlo discurrebat. Iurares omnia elementa, totumq; Creatoris opificium, luxū, facinora ac flagitia exagitare & detestari. lib. 24 Sacræ historiæ, cap. 1.

Augustæ cœnobium Vlrico sacrum, die Alexio dicato penitùs per Vulcanum in cineres redigitur, anno 1183. Chronicon Germanicum.

In media Quadragesima (ut uocāt) terræmotus accidit in Gothia, & mense Aprili luna ex parte obscurata est, anno 1185. Vincentius.

Herebertus archiepiscopus cum clero & familia, & magno ciuium numero in Apulia terræmotu quodam absorptus est. Baleus ex Nicolao Triueto.

Anno sequente eclipsin sol passus est, quem non modò pestis acerrima in Polonia & Russia, sed etiam hyems adeò calida est subsecuta, ut terræ fructus solito maturius prouenerint. Messis enim in Maio, uindemia autem in Augusto fuit. Lycosthenes.

In Carinthia ingens locustarum multitudo cum insigni corporis magnitudine, arborum germina & sata depasta, magnam terræ sterilitatem induxit, quam caritas annonæ, fames & pestis est subsecuta. Cuspinianus.

Sol iterum defecit in ferijs Baptistæ, hora diei sexta, anno Christi 1187. Funccius. Exundationis prætereа maximæ Chronicon Saxoniæ meminit.

Anno abhinc quarto horrēda solis facta est eclipsis, nono calend. Iulij. Ab hora enim tertia ad nonam usq; durauit Chronicon Martini Poloni. Bonfinius scribit, hunc defectum apparuisse sequenti anno post coronationem Heinrici sexti.

Isaacij Angeli temporibus stellæ aliquãdo interdiu conspectæ sunt, aër turbulẽtus fuit, circuli quos areas uocant, solem ambiuerunt, unde lumen eius non purum, sed pallidius emicuit. Nicetas lib.1 de Imperio Isaacij Angeli.

Ferunt, Ricardo Anglorum rege funeri patris obuiam facto, sanguinem è naribus demortui subitò manasse, quasi indignantis propter impij filij aspectum. Mors eius mirabili prodigio præcognita dicitur, sicut in credulum uulgus iam tũ exijt: paucis diebus ante mortem, ex quodam lacu in Normannia pisces noctu in terram exilientes, tanto strepitu ferunt congressos, ut multi mortales accurrerint illuc uisum miraculum, nullumq; piscem in lacu superstitem inuenerint. Polydorus Vergilius Ang. Hist. lib.13.

Dum Philippus Francorum rex, ad sacrum bellum iturus, Genuæ cum classe uentum expectat, uno eodemq; die quinquies fulmen cœlo decidit Ingressus mare, aliquandiu prosperè cursum tenuit: at cum iam ipsam Siciliam in conspectu haberet, tempestate uehementi exorta, naues disiectæ sunt, aliæ fractæ, alię fluctibus submersæ, alię armamentis laceratæ & nudatæ. Tandem miserè iactatus rex Messanam uenit. Dum ibi classem reficit, superuenit Richardus, qui ad Dunstabulum uicum sereno cœlo, medio die in aëre crucem, & in ea hominis pendentis imaginẽ uiderat, quod prodigium rei bene gerendæ putat indicium. libro secundo Continuatæ sacræ Historiæ, capite octauo: Neubrigensis libro quarto, capite sexto. Ranulphus libro septimo, cap.25 in Polychronico ad annum 1187 refert. Polydorus.

Eodem anno ecclesia Cicestrensis cum uniuersa ciuitate in fauillas redigitur. Matthæus Parisius.

Pridie idus Ianuarij, anno 1191, Christianis Acconem urbem post Friderici Imperatoris obitum obsidentibus, horrendo fragore cœpit cœlum frigidissimum intonare, decidebant grandines densissimæ, micabat cœlum ignibus crebris, inde imber uento permixtus, secutus fragor cadentium fulminum, uis magna aquarum ex aëre se profundit, ipsa terra tremoribus concutitur, Acconensis muri partem magnam prosternit: sæua tempestas in mari orta fluctus maris in molem & aggeres urbis illisit, submersit naues quatuor, triremes duodecim, annona & commeatu plenas: uirorum quoque non paruus numerus in ijs absumptus. libro secundo Continuatæ historiæ Sacri belli, capite nono. Et addit Paulus Aemylius, regis Hierosolymitani cubicularium, uisum sibi per quietem uidere pergrãdem aquilam, septem iacula unguibus uncis gestantem, copias Latinorum circumuolitare, ac uocem huiusmodi humanam edere: Væ Ierosolymis. libro quinto de gestis Franc.

Apud Rugianos precib. sacerdotũ (quos Absolon Roschildensis deuictis illis populis præfecerat) complures infirmos subitò sanatos, Saxo asserit. Et addit: Ibidem quoque nuper clarum inauditi generis miraculũ incidit. Matrona quædã à uiro immerẽs adulterij insimulata, cũ purgandæ infamiæ gratia candenti laminæ dexterã obtulisset, subitò ferrũ quod exceptura erat, perinde atq; innoxiæ manus contactũ fugiens, neglecto pondere in sublime se extulit, penduloq; motu gradientis fœminæ incessum comitans, cum ante aram iactandum erat, inter religiosam astantium admirationem proprio impulsu humi decidit. Ea res & mulieris infamiam leuauit, & uisentium animos religioni proniores effecit. Saxo Gram. lib.14.

Ludouico iuniori Francorum regi, priusquam illi nasceretur filius Philippus, hoc somnium oblatum est: Videre uisus est filiũ calicem manu tenere humani cruoris plenum, eumq; suis proceribus propinare, ex quo ipsi biberẽt imperterriti. Robertus Gaguinus lib.6 de gestis Francorum.

DE PRODIGIIS ET MIRAculis sub Heinrico sexto.

Fames in Gallia uehemẽter grassata est. Funccius.

Apud Nongentum in Pertico, militum acies ex aëre in terrã descendere uisæ sunt, ibiq; facta inter se pugna, iterũ euanuerũt. Mense Nouembri luna deliquium patitur. Vincentius lib.29. cap.53. Eclipsis solis meminit Antoninus.

In pago Beluacensi inter Clarum montem & Compendium, tantę pluuiæ cum tonitruis ac fulminibus tempestatibusq; factæ sunt, ut omnem hominum memoriam superarint. Lapides enim ad quantitatẽ ouorũ quadranguli mixtim de cœlo cũ pluuia cadentes, arbores fructiferas, uineas & segetes omnino destruxerunt. Antoninus. Villæ quoq; in pluribus locis à fulminibus deiectæ atq; cõbustæ sunt. Corui quoq; & alterius generis aues immensæ multitudinis hinc inde uolitãtes, ardentes carbones rostris portare uisi sunt, quibus domos plurimas incendebãt. Flores temporũ Gygantis. In episcopatu quoq; Laudunẽsi castrum quoddam circa Clauimontem fulminibus de cœlo penitùs destructum est, anno 1194. Vincentius lib.29. cap.56.

Tantus etiam apud Thuringos æstus fuit,

fuit, ut Vnstrotum fluuium multis in locis sicco pede transire homines possent. Chronicon Mersburgense.

Anno 1193, mense Ianuario, signum in cœlo terribile uidimus, inquit Guilhelmus Neubrigensis. Nam circa primam noctis uigiliam media inter Boream & Subsolanum cœli plaga ita rubuit, ut quasi ardere uideretur, cum nec leui obduceretur nubecula, sed sidera clarè micarent: eodem tamen rubore igneo, & quasi albentibus lineis interciso, ita infecta, ut luce quadam sanguinea rutilarent. Cumque hæc horribilis species per cunctos Angliæ fines duarū feré horarum spacio oculos animosq; cū stupore intuentium tenuisset intentos, tandem paulatim euanescens disparuit. Anni uerò sequentis mense Februario similimū, plaga cœli nō mutata, per uniuersam Angliam signum emicuit post mediam noctem. Eodem anno, 4 nonas Nouembris, ante crepusculum matutinum idem ipsum signum in eadem cœli plaga tertiò apparuit. lib. 4. cap. 36.

Anno 1195 Brunsuigę primariū templum fulgure tactum comburitur. Quo incendio, cùm humana arte non posset, per largum imbrem sedato, mox Heinricus Leo, præstantissimus Saxonum dux, animam reddidit. Chron. Saxoniæ.

Eodem anno tanta uiolentia lego, inquit Meierus, flauisse Africum, ut templa, turres, arbores terræ æquauerit. In Chronico Fládriæ.

In Martio mense subita & nimia aquarum fluminumq; inundatio facta, pluribus in locis uillas destruxit, oppida diruit, & incolas magna ex parte extinxit, anno Christi 1196. Vincentius, Antoninus.

Et de huius anni uentorum tempestate, & fame subsequente, hos (inquit Meierus in Chronico Flandriæ) inuenio triuiales rhythmos:

Turbine uentorum fit magna ruina domorum,
Fabrica multarum confringitur ecclesiarum,
Decidit & cuncti generis radicitùs arbor.
Clade famis diræ plures cœpère perire,
Sæuijt in miseros nimium quæ quinq; per annos:
Sex denis solidis emptus tritici chorus unus.

Anno 1197, dum apud uicum quendá, qui Audelaicus dicitur, in Rothomagensi diœcesi arcem extruit Richardus Angliæ rex, ipso aliquando præsente & operas urgente, largus imber multo sanguine mixtus cœlitùs destillat. Neubrig. libro quinto, capite 24.

Terræ tremor quarto nonas Maij orbé terrarum grauiter concussit, casas, ædes, téspla subruit. Apud Longionas, pagum Boiariæ, qui cum Hercinio iugo ad Bohemiam pertinet, annum & sex menses cōtinuatus est: incolæ relictis ædificijs, sub dio manere coacti sunt. Apud Rossetum, dum sacrificulus more solito Missam celebraret, uinum in hominum conspectu mutatū est in sanguinem, & panis in carnem. Sic olim Augustæ Rhetorum hostia sacra in carnem cruétam uersa est. In Vermendesio miles quidá, qui mortuus fuerat, reuixit, multaq; futura multis prædixit, & postea etiam sine cibo & potu longo tempore uixit. In Gallia circa festum Baptistæ, ros in nocte de cœlo cadens, mellis dulcedinem superabat. Mense autem Iulio orta est tempestas ualida, tantæq; magnitudinis lapides de cœlo ceciderunt, ut suo impetu à Tremblaco usque ad monasterium Chale & loca uicina, non segetes modò & uineas, sed ipsa etiam nemora, & hominum preciosa ædificia destruxerint, anno 1198. Vincentius lib. 29. cap. 60. Antoninus.

Anno sequente ingens terræmotus, tépore meridiano excitatus, aliquot diebus consequentibus plurima ædificia in Polonia & uicinis regionibus conquassauit. Cromerus.

Sub ordinis Teutonici exortum Aquilonares uenti, continuos annos duodecim apud Borussos magno impetu spirátes, maximarum tempestatum causa extitère, quibus Prutenicæ naues penè omnes in nihilum redactæ sunt. Chronicon Borussiacū.

DE MIRACVLIS SVperstitiosis & fabulosis.

HVgo de S. Victore infirmatus ad mortem, cùm uicio stomachi ad uomitū laboraret, ne Sacramento irreuerentiam faceret, ait: Ascendat filius ad patrem suum, & seruus ad Dominum suum, qui fecit illū. Et Eucharistia disparuit. Et Deo suo spiritū reddidit. Schedelius ætate 6.

ILLVSIONES ET MENDAcia pro Sanctorum cultu & inuocatione stabiliendo.

ANno 1117 apud Cremonam quidam infantulus in cunis iacens, matrem cibum familiæ parantem compellauit, ut à uentris cura cessaret, Deum enim grauibus pœnis peruersam hominum uitam ulcisci constituisse: sed Dei genitricem, ante tribunal Christi astantem, instantissimis precibus obstare. Hæc cum dixisset, iterum conticuit. Dodechinus in Appendice Mariani Scoti.

Ad corpus D. Benedicti Casini, Hugonis cuiusdam crura fracta in integrum restituū tur. Chron. Casinense lib. 4. cap. 46. Et quidam claudus, mutus, surdus, cæcus curantur. Ibidem cap. 67.

In

In castro Sanctorum septem fratrum, Albericus quidam nobilis puer, cum decimũ ageret ætatis annum, morbo correptus, ad extrema perductus est. Quo tempore diebus nouem & totidem noctibus immobilis, ac sine sensu quasi mortuus iacuit. Hoc autem interuallo à B. Petro apostolo duobusq; angelis per loca pœnarũ deductus, ad infernale barathrum deuenit. Demum ad paradisi amœna delatus, uidit sanctorũ mãsiones: atq; in cœlum subleuatus aereum, à B. Petro sufficienter edoctus de ueteri Testamento, de peccatorum pœnis, gloriaque sanctorum, uidit arcana quædã, quę loqui prohibitus est: sicq; per prouincias septuaginta duas ab eodem Apostolo deductus, uitæ redditus est. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 68.

Ioannes patriarcha Indorum Romã ueniens Calixto retulit, S. Thomam quotannis in ciuitate Hulna se conspiciendũ semel præbere, ac sacram Cœnam distribuere: sed si qui indignè accedant, mox manũ retrahere. Schedelius ætate quarta.

Ad Anshelmi Beluacensis sepulchrum diuinitùs lampades accensæ sunt, excepta una, cui usurarius quidam oleum subministrabat. Idem.

Sacro igne incensi in Suessionensi urbe in B. Mariæ templum conuenêre, ibiq; Dei misericordiam, & B. Mariæ opem implorarunt. Ad horũ preces mox aduenit Maria, sanctorum spirituum agmina secum trahẽs tanto strepitu, ut ter subterraneo motu tẽplum concuti crederes, multiq; territi fugã capessunt. Sed cum animum ijdem recepissent, redierunt: moxq; omnis languor sublatus est. Cæterùm erat in sanatorum numero puer quidam annorum undecim, bubulcus, qui se in Dei conspectum raptum asserebat, ibiq; Mariam pro populi salute interpellantem conspexisse, ipsamq; hoc responsi inde reportasse: Mater, tu es maris stella, fiat omnis uoluntas tua. Causam etiam morbi tum simul ibi proditam, quòd uidelicet matris suæ templum non splendidius exornarét. O' extremam pontificiorum impudentiam confingendi mendacia, pro sua religione stabilienda. Vincentius libro uigesimoseptimo, capite 23. Sigeberti Continuator.

Contigit ut uice quadam S. Nicolai natalitia Vicelinus celebraturus Paderburnæ (cuius obsequio se totum manciparat) in oratorio S Brigittæ, socios consciuerit: ubi uespertino & matutino officio solenniter expleto, angelicæ uoces à quibusdã auditæ sunt, psallentes iuxta morem cleri Responsorium: Beatus Nicolaus iam triumpho potitus. Helmoldus in Chronico Sclauorum, capite quadragesimotertio.

Heinricus Leo terram Sanctam uisurus, in magnum cum uniuerso comitatu periculum in mari incidit, ita ut præsens mors omnium oculis obuersaretur. Erat autẽ inter eos quidã bonæ conuersationis homo, qui ob imminens periculum grauiter anxiebatur: & inter ipsas mẽtis & pelagi fluctuationes repentè somno depressus, uidit astãtem sibi uirginem pulcherrimam, quæ dixit ad eum: Times maris periculum? Et ille: Domina, inquit, clarissima, tenent nos angustiæ, & nisi Deus cœli respexerit nos, quã tocyus peribimus. Et illa: Confide, inquit, non peribitis: sed propter orationes cuiusdam, qui in hac naui me inuocare non cessat, ab instanti periculo liberi eritis. Heinricus autem Brunsuigensis abbas notabatur. Nec eos fefellit uisio. Nam salui omnes periculum euasêre. Chronicon Sclauorum capite 6.

Mariæ beneficio nauicula quædam in Rodano submersa ex fundo reducitur, saluis mercibus & ipsis hominibus. Et mulier, quæ menses triginta uterum gesserat, eiusdem ope implorata, onere leuatur. Nam fœtus putrefactus, aperto diuinitùs umbilico, frustillatim inde exemptus est. Vincentius lib. 29. cap. 4.

Dum octauam natiuitatis B. Mariæ aliquando Bruno Hildesianus episcopus solennem ageret, in templo inter boandum ipsi uisendam se præbuit Maria. Quam in genua procidens episcopus sic compellat: O' cœli regina, quid ex sublimi ad me miserum homuncionem uenire dignata es? Cui illa respondit: Ex animo lætor, quòd te autore, meæ natiuitatis memoria tanta celebritate peragitur, unde & singularis meo filio honor emergit. His dictis, in teneras auras euanuit. Hinc deinceps octaua natiuitatis Mariæ maximè sacra haberi cœpit. Chron. Saxoniæ.

Trium regum (quos uocant) ossa, expugnato Mediolano, Reinholdus episcopus camelo imposita Coloniam uersus misit: ac cum in itinere camelum cum tanto thesauro perdidissent custodes, orationibus & ieiunijs tantum obtinuerunt apud deum suum, quicunq; ille tandem fuerit, ut per aëra iterum camelus ille reuersus, reliquo cœtui se adiungeret. O' crassum & inauditum mendacium. Chron. Saxoniæ.

Galdricus beati Bernhardi auunculus, cum in Claraualle aliquantos iam peragerez annos, feruẽs spiritu, & totius boni ęmulator, ex hac luce migrauit. Qui ante unã ferè horam mortis turbatus ad momentum, & toto corpore terribiliter motus, infremuit: sed ad pristinã serenitatẽ reuersus, uultu

deinceps

deinceps placidissimo expirauit. Noluit autem Dominus solicitum abbatis animũ huius rei cognitione fraudari. Siquidem post aliquot dies idem Galdricus apparẽs ei in uisu noctis, cum erga se omnia prospera esse sciscitanti responderet, & in magna sese gratularetur felicitate locatum, demũ interrogatus est: Quid nam sibi uoluit tam acerba illa in morte, tamq; repentina commotio? Dicebat autem, quòd ea hora duo spiritus nequam uelut in puteum horrendæ profunditatis eum præcipitare parassent, unde territus ita cõtremuisset: sed beato Petro accurrente, ereptus, nihil sensisset deinceps læsionis. lib. 1 Vitæ Bernhardi, capite 10.

EOSDEM SVI CONTEMptum & uiolationem ulcisci.

Lotharij Imperatoris cancellarius, qui Casinensibus monachis malum crearat, apud Salernum decumbens, sępius has uoces iterauit: Benedicte & Maure, cur me occiditis? Ac inter hosce clamores spiritum reddidit. Eiusdem anima à Crescẽtio quodam monacho in lacu igneo uolutari in somnis uisa est. Chron. Cas. lib. 4. capite 102. 103.

Miles quidam in Mariam de Rochemador leue quoddam conuicium iactitans, mox membris contractis prosternitur. Sed pœnitentia ductus, & eius opem implorãs, sanitatem recuperat. Vincentius libro 29. capite 5.

Cum in ecclesia S. Stephani inuenta fuissent corpora monachorum Paulini & Augustini, Benedicti discipulorum, cum duobus alijs sepulta, dæmoniacus quidã illuc adueniens, clamare cœpit, ac dicere: Paulinus & Augustinus Benedicti discipuli cum duobus socijs suis hinc me eijciunt. Hæc dum crebrò per os illius diabolus diceret, egressus cum sanguine est. Chronicon Casinense lib. 4. cap. 24.

Dum de pace agitur inter Heinricũ Anglorũ & Philippum Francorum reges, quidam introducti à Ricardo Heinrici Anglorum regis filio satellites, quos illa ætas Cotarellos appellauit dum alea ludunt, quidã perditis nummis blasphemus in Deum, dũ simulachrum Virginis filium dextra gestantis in templi uestibulo aspicit, iacto in imaginem lapide, brachij partem à filio abrupit: ex quo profluens cruor, multis ægrotãtibus remedium pręstitit. Satelles autẽ Virginis contemptor à dæmonio mox abreptus, eodem die spiritum miserabiliter efflauit. Nemo igitur uenerabiles imagines Sanctorum despuat: quæ tametsi nihil in se diuinitatis obtinent, sunt tamen ad monumentum uirtutis populo exhibitæ, admonentque humanam mẽtem i nitari eorum spectatissimam uitam, quorum imagines in honore haberi uident: ut Robertus Gaguinus libro sexto de Francis loquitur.

PRO CONFIRMANDO ERrore, sanctos mortuos, homines quid facere debeant, docere.

Benedictus, Casinensium monachorũ patronus per quendam Hispanũ eosdẽ monet, ut tũ ipsi, tũ omnes eius terrę incolæ nudis pedibus ad templũ ueniãt, peccatorũ ueniam petitũ, pœnis atrocibus iam imminentibus. Quo facto, terræmotus, qui alioqui plurima irrogabat damna, nihil eis attulit incommodi. Hęc cum innotuissent, Benedicti scilicet interuentu hoc mali auersum fuisse, magno impetu ad eius sepulchrum se prostrauêre obesi illi monachi, ipsius porrò intercessionem apud Deũ expetentes. Chronicon Cas. lib. 4. cap. 67.

Vicelinus post mortem apparuit, primò sacerdoti cuidam Volchardo, negligẽti dare constitutas eleemosynas pro anima ipsius. Deinde uirgini cuidam, quam iubet indicare Epponi, ut cesset flere propter ipsius mortem. Tertiò mulieri cæcæ, cui uisum restituit. Helmoldus in Chronico Sclauorũ cap. 79.

Anno Christi 1182, uel circiter, apparuit Domina nostra fabro lignario, opus facienti in quadam sylua, & obtulit ei sigillum imaginis suæ & filij sui, Saluatoris nostri, cuius talis inscriptio erat: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem. & dixit ei, ut ferret illud sigillum ad episcopũ Podiensem, ut prædicaret in prouincia sua & alijs circumquaque, ut omnes, qui uellent pacem tenere S. Ecclesiæ & filijs suis, facerent huiusmodi sigilla, & portarent in signum pacis & innocentiæ, & dato Sacramento pacem tenerent, & inimicos pacis destruerent: quòd & factum est. Nam multi episcopi, consules, uiriq; consulares, mediocres & pauperes hanc sectam amplexi, pacem colunt, & inimicos pacis persequuntur. Continuator Sigeberti.

PRO RELIQVIARVM cultu.

Bartholomæus Laudunensis antistes, cum suam ecclesiam, quæ igne absumpta fuerat, reparare studeret, decem & quatuor ex uniuerso clero elegit uiros, qui feretrum S. Mariæ Laudunensis, aliarumque reliquiarum capsulas per diuersas prouincias circũferrent: per quas plurima tum miracula facta, Laudunẽses clerici pdidêre: ex quibus Vincentius, ut ipse ait, ędificationis, sed uerius dixisset ludificationis, causa hęc

annotat

annotat: Apud Isoldunum duo contracti, quorum calces natibus adhęrebant, sanati. Buscenti puer quindecim annorum surdus & mutus curatur. Turonis mulier, quæ annos octo graui cum morbo conflictata fuerat, iussu Mariæ, quæ ei in somnis noctu apparuerat, ad feretrum illud delata, sanitati restituitur: & iuuenis surdus & mutus organorum integritatem recipit. Monachus quidam, sui commodi gratia, minus honorificè feretrum tractans, epilepsia corripitur: & maior campana, turri rupta decidens, confracta est. Carnoti duæ mulieres curantur, & captiuus quidam uinculis liberatur. Tantum autem quæstum fecêre hi mendici, ut inde ecclesia Laudunensis magna ex parte reparata sit. Sed cum iam sumptus ad reliqua etiam ædificia deficerent, in Angliam mendicatum abierunt: ibi earundem reliquiarum beneficio Iohannes quidam surdus & mutus sanatur: uir quidam senex annos duodecim uisu priuatus, aqua lotus, qua tinctæ fuerant reliquiæ, lumen recipit: & puella manum habens aridam curatur. Tanta etiam earum uis fuit, ut piratas reprimerent, pariendi facilitatem concederent. Cantuariæ cæci, surdi, muti quàm plures restituuntur. Ad Christi Kerkam cum uenissent, à clero hospitium Mariæ denegatum est: sed ijs discedentibus, draco quinque habens capita è mari prosiliens, & flammas sulphureas è naribus spirans, templum illud sacerdotumque domos succendit: ac cum in nauiculam clerici corrasam subitò deportassent supellectilem, eò magno impetu transuolat draco, eamque in cineres uno momento redigit. Excestriæ sedecim infirmi curantur. Ac cum quidam ad feretrum osculandi gratia accederet, oreque oblatæ partem pecuniæ surripuisset, ad desperationem compulsus laqueo se strangulauit. Narrantur hæc miracula facta anno 1114, & sequenti. Vincentius libro uigesimosexto, capite duodecimo, & aliquot sequentibus. Sed quis sanæ mentis homo non detestetur hæc mendacia? Ac idem autor testatur capite uigesimoprimo, fuisse quosdam qui quæstus gratia per magiam hæc miracula fieri apertè contestati sint: sed mox aliò deflectit orationem. Denique de Tundali uisionibus idem uerba facere cessans, subiungit: Hæ uisiones & similes apud doctores nostros calumniam patiuntur, &c. Tanta scilicet est mendaciorum impudentia, ut ipsos eorum propemodum pudeat: attamen quæstus gratia non contradicunt grauius.

Cum aliquando Cæsarij martyris caput Bernhardo offerretur, ut inde quod uellet eximeret, ipse dentē unum sibi dari petijt. Sed is nulla ui uel arte erui ualuit per monachos, fractis etiam cultellis. Tū Bernhardus: Orandum nobis est, ait, nec enim habere possumus, nisi martyr ipse concedat. Facta oratione, facillimè ipse Bernhardus dētem euulsit. libro quarto in Vita Bernhardi, capite 1.

PRO CONFIRMANDA *Missa pontificia, Romanorumq́; primatu.*

CVm Armeniorum episcoporum eorūq; metropolitani, legati sacro altari, Eugenio Romano pontifice Missam celebrāte Viterbij, astarent intenti, unus ex eis, pontificali dignitate præditus, sicut postmodum in plena curia retulit, in B. Martini octaua, quando dedicatio ecclesiæ B. Petri celebrari solet, splendido fulgore radium solis super caput pontificis coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes & descendētes uidit. Cumq; diligentius hac illacq; oculos circumferret, nullumq; aditum, per quem lux illa transfunderetur, inueniret, deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ sedis amplius accensus, cunctis quæ uiderat aperuit. At Romanus pontifex non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius fide cœlitùs hoc sibi monstratum affirmabat, ut uidelicet Ecclesia à qua ipse missus fuerat, sacramentorum uirtutem, ueritatis luce perfusam, cognosceret, & deinceps quali ea reuerentia ac forma tractare deberet, addisceret. Otto Frisingensis lib. 7. cap. 32.

Ad Victoris Romani sepulchrum cæca quædam mulier uisum recepisse, scribitur in Saxoniæ Chronico. Sed fides penes Lectorem esto.

Deuicto Rutgero Neapolitano rege, in Barensem urbem concessit Lotharius Imperator. Venit eò & Innocentius: ac cum in ferijs Quinquagenalibus Missæ officium idem perageret, aurea corona in templo uisa est, cui candens insidebat columba: sub corona thuribulum fumigans dependebat, ac iuxtà duæ ardentes faces. Quo miraculo papæ Imperatorisque concordiam notari, multi credidêre. Chronicon Saxoniæ.

QVOD REBVS CON- *secratis insit singularis quædam uis.*

QVidam febri correptus, cum aquam qua reliquiæ lotæ fuerant, bibisset, sanatur. Vincentius libro uigesimosexto, capite 20.

Dauidis Scotiæ regis filium aspersum aqua benedicta, Malachias sanauit, adijciens: Cōfide fili, non morieris hac uice. Qui

altero die pòst conualuit. In Vita eius.

Virum quendam pauperem, non longè à monasterio Clareuallensi habitantem, uxor adultera maleficijs cruciabat. Sicut enim ei in ira & furore fuerat comminata, egerat per malignas incantationes, ut miser homo, consumptis carnibus, nec posset mori, nec uiuere sineretur. Sæpius denique & uocis usum, & sensum omnem corporis amittebat: iterumque redibat, non ad uitam, sed ad mortem prolixiorem crudeliter reuocatus. Adducitur tandem homo ad uirum Dei, in monasterio demorantem, & ei tragœdia miserabilis explicatur. Qui uehementer indignans, antiqui hostis maliciam tantum sibi in Christianum hominem usurpasse, uocans duos è fratribus, ante sanctum altare hominem deportari, ibique superposito capiti eius uasculo Eucharistiam continente, in ipsius Sacramenti uirtute à læsione Christiani iubet dæmonem prohiberi. Factum est ut præcepit, & miserum hominem post tantos cruciatus fides perfecta perfectæ reddidit sanitati. In Vita Bernhardi lib. 1. cap. 11.

Diuertit aliquãdo nobilium cohors militum ad Clarãuallem, ut uideret locum ipsum, ac reuerendissimum eius abbatẽ. Prope autem erat sacrum Quadragesimæ tempus, & illi omnes ferè iuuenes, dediti militię seculari, circũibant, quęrentes execrabiles nundinas, quas uulgò tornetas uocant. Cœpit itaq; ab eis petere paucos illos qui ante Quadragesimam supererãt dies, ne armis interim uterentur. Quibus obstinato animo renuentibus, nec concedere acquiescentibus: Confido, ait, in Domino, quòd ipse mihi dabit inducias, quas negastis. Et accersito fratre, iubet eis cereuisiam propinari, benedicens eam, & dicens, ut potionem biberent animarum. Biberunt ergo pariter, quidam tamen inuiti præ amore seculi, metuẽtes eum, quem postea sunt experti, diuinæ uirtutis effectum. Vt enim egressi sunt monasterij fores, mutuis sese cœperũt inflammare sermonibus: quia cor eorum ardens erat in eis. Inspirante igitur Deo, & currente uelociter uerbo eius, eadem hora reuersi, & conuersi à uijs suis, spirituali militiæ dextras dederunt. In Vita Bernhardi lib. 1. cap. 12.

Ad eundem in urbe Mediolanensi inter Missarum solennia puella quędam tenella, quã uehementi impetu diabolus uexabat, defertur. Is mox patinam calicis, in qua diuina celebraturus erat mysteria, accipit, & digitis latice superfuso, orans intra se, & de Domini uirtute confidens, ori puellæ salubrem potum applicat, & corpori eius stillã medicinalẽ infundit. Nec mora, quasi ureretur satanas, infusionis illius uirtutem ferre non potuit: sed urgente intrinsecus crucis antidoto, festinanter egrediens, uomitu sordidissimo tremebundus erupit. In Vita eius lib. 2. cap. 2.

In eadem urbe matronam quandam honoratam, multos annos dæmon quidam cruciarat, oculorum, aurium & linguæ usu ipsi adẽpto. Ea quoq; ad Bernhardũ deducta, superstitiõe multa adhibita curatur. Inuocato enim prius diuino auxilio, ipse ad immolationẽ hostiæ salutaris accedit. Quoties tamen eandem sacram hostiam signat, toties ad mulierem quoq; conuersus, eodẽ signo crucis edito, spiritum nequam athleta fortis impugnat. Nam & ille malignus, quotiens aduersus eum signum crucis intẽditur, percussum se indicans, acrius sæuit, & recalcitrans contra stimulum, quid nam to leret, prodit inuitus. Expleta autẽ oratione Dominica, efficacius hostẽ aggreditur. Patinę siquidem calicis sacrum Domini corpus imponens, & mulieris capiti superponens, talia loquebatur: Adest, inique spiritus, iudex tuus: adest summa potestas, iam resiste, si potes. Adest ille qui pro salute nostra passurus inquit: Nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Hoc illud corpus, quod de corpore uirginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo iacuit, quod de morte surrexit, quod uidentibus discipulis ascendit in cœlum. In huius ergo maiestatis terribili potestate tibi, spiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla eius egrediens, contingere eam deinceps non præsumas. Cumq; eam inuitus deserens, & manere ultrà non ualens, atrocius afflictaret, tam magnam iram, quàm modicum tempus habens: rediens pater ad altare, fractionem hostiæ salutaris ritè compleuit, diffundendamque in populum pacem ministro dedit: & confestim pax & salus integra reddita est mulieri. Sic ille nequam, diuina mysteria quantę sint efficacię & uirtutis, non confessione, sed fuga coactus ostendit. libro secundo, capite 3 in Vita Bernhardi.

Multi hominum panes & aquam deuehebant secum ad Bernhardum, quibus benedictioni eius suppositis, pro beneficijs sacramentalibus ea referebãt. Et puer quidam dæmoniacus, cũ ad pedes Abbatis diu quasi mortuus iacuisset, baculo eius tactus, & cruce in tergo signatus, infremuit, & in eos qui eius curam agebant, sæuijt. Tandem in Bernhardi lectum delatus, & aqua benedicta in os per uim infusa est. Qua recepta, dæmon euolauit. Febricitantibus manus imponens, & aquam consecratam bibendam porrigens, & crucis

signo

signo crucis medicatur. In Vita eius libro 2. capite 3.

Albanensis episcopus, cum ex ea paropside, qua in cœna usus fuerat Bernhardus abbas, aquam biberet, ex ardenti febre conualescit. Ibidem capite tertio. Et in Papiensi agro cuidam mulieris collo, à qua secũda uice dæmonem expulerat, chartam alligari iubet, hæc uerba continentem: In nomine Domini nostri IESV Christi præcipio tibi dęmon, ne hanc amodò mulierem præsumas contingere. Quod mandatum ita expauit diabolus, ut mulieri nunquam deinceps appropinquare pręsumpserit. Ibidem cap. 4. Mulier quædam, cuius consuetudine turpi impurus spiritus per annos septem usus fuerat, baculo Bernhardi, quem in lectum iuxta se deposuerat, liberatur. Minatur tamen acerrimè, quòd discedente uiro Dei, ipse in eius supplicia reuerteretur. Instabat dies Dominica, & uoluit uir Dei per edictum episcopi populum in ecclesiam accersiri. Cumque ipsa die maximus populus ad ecclesiam conuenisset, inter Missarum solennia, comitantibus episcopis, Gaufredo Carnotensi, & Bricio Nannetensi, ipse ambonem cõscendit, & ut omnes qui in ecclesia erant, accensas candelas in manibus teneant, locuturus edicit. Quod & ipse cum episcopis & clericis faciens, inauditos diaboli ausus publicè aperit, & fornicatorem spiritum, qui in tã horrenda inquinamenta etiam cõtra naturam suam exarserat, cum omnium fidelium qui aderant subscriptione anathematizat, & autoritate Christi tã ad illam, quàm ad omnes mulieres deinceps interdicit accessum. Extinctis itaque sacramentalibus illis luminibus, extincta est deinceps tota uirtus diaboli: & mulieri post confessionem communicanti, nunquam postea apparuit inimicus, sed irregressibiliter eliminatus aufugit. Ibidem cap. 6.

Quidam ciuis Salernitanus aqua, qua manus lauerat idem abbas, sanitati restituitur. Ibidem cap. 7.

Et in Tolosana prouincia multi infirmi, gustatis quibus Bernhardus benedixerat panibus, sanitatem recipiunt. Libro tertio, capite quinto. Aquam consecratam pariendi difficultate laboranti cuidam mulieri propinante Bernhardo, fœtus statim in lucem prodijt. lib. 4. cap. 4. Quidam lethaliter sauciatus, gustata buccella panis Bernhardina consecratione insignis, ualetudinem suam recuperat. Eiusmodi autem panis per multos annos incorruptus seruari potuit, nec colore, nec sapore mutato. Ibidem.

Consecrato sale pecorum morbos propulsat. Eiusdem pileus Petro Asturensi episcopo capitis dolores adimit. Cingulo suo ligatus hydropicus curatur. Monachus quidam linguæ usu aliquandiu priuatus, hausta aqua per Bernhardum sacrata, & uino permixta, eum recuperat. Ibidem.

AD CONFIRMANDAM *peccatorum omnium enumerationem.*

MVlier quædam Cantuariensis, dies octo partus dolorib. cruciata, cùm sacrificulo, iubẽte id in somnis B. Maria, fideliter peccata sua recensuisset, & de aqua, qua reliquiæ lotæ fuerant, bibisset, sanata est. Ac subijcit Vincentius: Nemo nisi qui peccata sua prius confessus esset, per Mariam Laudunensem sanari obtinuit. libro 26. capite 17.

Guilhelmus puer annos natus quindecim, noctu per uirum quẽdam splendidum in locum tormentorũ infernalium duci sibi uisus est. Ac cùm uarijs modis miserè homines excruciari uidisset, tandẽ ad ipsum diabolum, in medijs flammis ignea sella quasi pro tribunali sedentem, defertur. Mox teter quidam spiritus prosilit, puerum accusans: Omnia, inquiens, praua huic puero semper suggessi. Verùm eorum peccatorum, quæ puer paulo antè presbytero confessus fuerat, nulla prorsus facta est mentio. Puer suadente ductore, crucis signo se muniens omni damnationis metu eximitur. Vincentius lib. 27. cap. 84.

Puero quodam continuas effundente lachrymas, quæ nulla consolatione uel arte medica curari poterant, Bernhardus, cum prius puer suorum peccatorum confessionem edidisset, solo osculo hoc morbi tollit. In Vita eius lib. 1. cap. 12.

PRO CONFIRMATIONE *uitæ monasticæ.*

EREmitã quendam ab Elia pastum, narrat Gerhardus à Nazareth de Conuersatione seruorum Dei, cap. 2.

Temporibus Calixti papę Capuana urbs conflagrauit incendio: cumq; ferè consumpta urbe, monasterio ignis iamiam imminere uideretur, monachi sumpto corporali calicis, incendio illud obiecerunt. Mirum in modum cohercitus ignis ultrà progredi ausus non est. Ciuibus quoq; uisum est, ignem manu quadam à monasterio propelli. Corporale illud ab ignis iniuria prorsus mansit illæsum. Chronicon Casinẽse libro quarto, capite 74.

Agnes Leopoldi Austrię marchionis cõiunx, deuota mulier, marito suadet, ut locum aliquem designet, in quo laudes Christo dicantur, & diuæ eius genitrici Mariæ, pro monasterio condendo, ut misericordiã

à Deo consequerentur ambo: id utrisque uisum est pium opus, pro reconciliatione. Dum has inter se cogitationes meditantur (ex arce enim in altissimo mõte Cecio, ubi Leopoldus habitabat, sua in fenestra arcis, tum fluenta Danubij fortè sic contemplantes, conspiciebant) leui Zephyro flante, est è capite Agnetis flammeolum in nemus & syluam proximam in ripa Danubij delatũ: quod cum post multos annos marchio, dum uenaretur, inter dumeta insperatò illæsum & recens inueniret in frutice sambuci, post nouem annos scilicet, non sine Dei Opt. Max. numine factum animo reuoluens, lætus ac hilaris arripuit, & coniugi charissimæ gestiens præ gaudio attulit. Quæ læta id accipiens: Charissime marite, is locus, inquit, est à Deo designatus, quem sibi uult dicari: huc opes nostras congeramus, admissa scelera diluamus, Deumque nobis propitium reddamus. Mox aduehuntur saxa, accersuntur architecti, secantur ligna, locus senticosus, arboribus & dumis desectis purgatur, area constituitur, ac fundamenta firma pro templo & cœnobio iaciuntur. Cuspiniani Austria.

Tundalus in interius beatorum domicilium deductus per angelum, uidit plurima sedilia de auro & gemmis & uniuersis lapidum preciosorum generibus constructa, & preciosissimis ornamentis cooperta: in quibus sedebant seniores uiri & fœminæ, uestiti sericis & stolis candidis & uarijs & uniuersis ornatibus, qualia nec antè uiderat, nec cogitare poterat. Et erat facies uniuscuiusque splendida sicut sol splendens in meridie: & capillos habebant auro simillimos, & coronas aureas ijsdem gemmis ornatas. Sed & lectoria posita erant coram eis aurea, quibus superpositi erant aurei libri, aureis literis scripti, & cantabant Domino Alleluia, cum nouo cantico, & tam dulci melodia, ut cunctorum præteritorum obliuisceretur anima, quæ semel audiret uoces eorum. Tunc ait angelus ad Tundalum: Isti sunt sancti, qui pro testamento Domini sua corpora tradiderunt, & in sanguine agni lauerunt stolas suas: & continentes, qui de seculari uita ad Dei seruitium conuersi sunt, & qui semetipsos cum uitijs & concupiscentijs crucifigentes, sobriè & iustè & piè uixerunt. Cum autem Tundalus curiosius circumspiceret, uidit quasi castrum & papiliones plurimas purpura & bysso, auro & argento & serico mira uarietate confectas, in quibus chordas & organa, tympana & citharas, cum organis & cymbalis canentes. Cætera quoque omnium musicorum genera suauissimis sonis audiuit concinentes, & quæsiuit quæ hæc essent. Cui angelus: Ista est religiosorum requies monachorum & conuersorum, canonicorum & sanctimonialium, qui promissam obedientiam his qui præsunt, hilariter & deuotè impendũt, & qui magis gaudent subesse quàm præesse, qui uoluntatem propriam relinquunt, & alienæ obtemperant. Qui dum sunt in corpore, cœlestia sapiunt, qui refrẹnant linguas suas non solùm à malis, sed etiam à bonis, propter taciturnitatis amorem. Tunc ait Tundalus: Domine, si tibi placet, uolo propius accedere; & eos qui intus sunt uidere. Placet, inquit, ut uideas eos & audias: sed non intrabis ad eos. Isti quoque fruuntur præsentia sanctę Trinitatis: & qui semel ad eos intrârit, omniũ immemor præteritorum, ulterius nõ disiũgitur à cõsortio sanctorum, nisi fortè uirgo fuerit, & coniungi mereatur choris angelorum. Et accedentes propius, uiderunt utriusque sexus animas, quarum splendor & odor delectabilis, quæ assimilabantur angelis, & sonis suauissimis omnium gloriam, quam ante uiderant, superabant, omnia instrumenta nemine tangente sonos reddebant. Sed hãc omnem dulcedinem superabãt uoces ipsorum spirituum, quibus nullus labor erat in exultatione uocum, nec labia uidebantur moueri, nec manus ad instrumenta musica leuare curabant, & tamen ad libitum cuiusque melos reddebant. Firmamẽtum quod erat super capita eorum, multum splendebat: de quo cathenæ pendebant auri purissimi, uirgulis argẽteis intermixtæ, pulcherrima uarietate contextę: de quibus cyphæ, & phialæ, & tintinnabula, & cymbala, & lilia, & sphærulæ pendebant aureæ. Inter quas multitudo maxima uersabatur angelorum uolantium, & aureas alas habentium, qui leui uolatu inter cathenas uolantes, suauissimũ atq; etiam dulcissimum audientibus reddebant sonum. Cũ ergo Tundalus nimis delectatus, ibi uellet stare, dixit ei angelus: Respice. Et respiciẽs uidit unam arborem maximam & latissimam, frondibus uiridissimam, floribus pulcherrimam, omniumq; generibus fructuum & frugum fertilissimam. In cuius frondibus aues multùm diuersorum colorum & diuersarũ uocum generibus cantantes & organizantes, morabãtur. Sub cuius ramis lilia & rosæ & cũctarum herbarũ specierumq; odoriferarum genera oriebãtur. Et sub eadem arbore uiri multi & fœminę in cellis aureis & eburneis, semper benedicẽtes & laudãtes Dominũ pro uniuersis beneficijs & donis suis. Et habebat unusquisq; coronã aureã in capitè suo, mirabiliter ornatam, & sceptrũ aureum in manu

in manu sua. Et erant uestiti talibus uestimentis, quibus antè uisi monachi. Tunc ait angelus ad Tundalum: Hæc arbor typus est sanctæ Ecclesiæ. Hi qui sub ea sunt, constructores & defensores sunt Ecclesiarum, qui pro beneficijs quæ sanctis Ecclesijs largiti sunt, fraternitatem ipsorum consecuti sunt: quia per illorum commonitionem secularem habitum reliquerunt, & religiosè uixerunt. Vincentius lib. 27. cap. 100 & 101.

Quidam uir illustris apud Anglos monachum induerat: sed postea facti pœnités, uitæ genus mutare uolebat. Dum hæc animo, diurno nocturnoq; uoluit tempore, aliquando dum uesperi lectum petit, diabolum in simiæ specie ibi conspicit, à quo multis uerberibus afficitur. Clamore excitati fratres, eum semimortuum offendunt. Delatus in locum infirmis destinatum, mortuo per triduum non absimilis fuit. Sic uerò decumbenti Benedictus apparet, seque iubet sequi. Ille spiritu raptus sequitur, ac cum altos conscenderet gradus, à multis dæmonibus impetitur, plagasque accipit, ut ægrè Benedictum ducem subsequi ualeret. Tandem ad iudicium coram B. Maria sistitur, ubi iuramento obstringitur, se promissis fideliter staturum. Post hæc per Benedictum reductus per florida, amœna & suauiter redolentia loca, multos monachos habuit obuios, pulcherrimis redimitos coronulis: inter quos unus Matthæus nomine eum compellat, & abbatem suum sub quo uixerat, ut uitam emendet, moneri iubet. Vincentius libro uigesimonono, capite 6. 7. 8.

Vuilhelmo Machariatensi monacho animam efflãte, pater monasterij per somnum uidit, à latere suo stellam in cœlũ tolli. Gerhardus à Nazareth cap. 26 de Conuersatione seruorum Dei. Fertur, ad sepulchrũ Ranulphi eremitæ, qui Tripoli obijt, temporibus Emanuelis Constantinopolitani Imperatoris, multis redditam fuisse sospitaté. Idem cap. 47.

Mulier quædam de Castellione Bernhardo eiusque monachis duodecim libras offerens, & orationum suffragia suo marito grauiter decumbenti implorans, eidem sanitatem impetrat. In Vita Bernhardi. Monachus quidam ægrotans Bernhardi cucullo impositus sanitatem recepisse, ac eiusdé stola diabolum ex quodam uiro eiectum fuisse, scribitur libro 4 de Vita eius, cap. 1.

DECEPTIONES AD ERRO-
res de exequijs, purgatorio, de operum meritis, de inferno, corroborandos.

Extat apud Vincentium longa & multis ineptijs referta narratio de Tundalo, cuius anima tum in locum suppliciorum infernalium, tum beatorum, duce angelo deducta fuerit, ac in utroq; loco multos sibi notos uiderit. Cæterùm in primo beatorum aditu offendit magnam uirorum & mulierum multitudinem, pluuiarum & uentorum iniuriam sustinentes, erantque tristes, fame & siti tabescentes: lumine quidem fruebantur, nulloque fœtore molestabantur. De his qui nam essent quærenti Tundalo respondet angelus comes: Isti quidem non admodum mali fuerunt, sed non ualde honestè uixerunt, bonaq; temporalia pauperibus non sunt largiti. Ideoq; per aliquot annos patientur pluuiam, uentum, famem & sitim. Sed pòst ducentur ad requiem. Euntes paululum uenerunt ad portam, quæ ultrò aperta est eis: quam cum intrassent, uiderunt campum pulchrum, odoriferum, floribus plenum, lucidum, & satis amœnum, in quo multæ animæ erant utriusque sexus exultantes: & nox ibi nunquam fuit, neque sol illic unquam óccidit, & est ibi fons aquæ uiuæ. Tunc ait: Hic habitant boni, sed non ualde, qui de cruciatibus erepti, nondum merentur sanctorum consortio coniungi. Fons iste uocatur uiuens, sed qui ex hac aqua gustauerit, uiuet in æternum, nec sitiet unquam. Et procedentes paululum, uiderunt laicos sibi notos. Inter quos erant Concober & Donatus reges. Quibus uisis, ait anima ad angelum: Domine, quid est hoc? Isti duo uiri erant in uita sua nimis crudeles, & inter se inuicem multùm inimici. Quo ergo merito huc uenerunt? Respondit angelus: De hac inimicitia ante mortem pœnituerunt. Concober autem diu languit, & uotum uouit, quòd si uixisset, monachus fieret. Donatus autem per multos annos in uinculis religatus, omnia quæcunque habuit, dedit pauperibus: & ideo eis iusticia manet in seculum seculi, & tu etiam narrabis uiuentibus hæc omnia. Vincentius libro uigesimoseptimo, capite 98. Vlterius progressi incidêre in Cormartum regem, sub quo Tundalus in seculo uixerat: qui in argenteo degens palatio, regio prorsus tractabatur more, tantaque ipsius ibi erat gloria, ut uix maior esse potuerit. Ministrorum copia assistebat maxima. Tunc ait Tundalus ad angelum: Miror domine, de tot ministris, inter quos nec unum de familia sua recognosco. Ad hoc angelus: Non sunt illi de familia sua, sed pauperes Christi & peregrini, quibus rex bona sua largiebatur: & ideo per manus eorum retribuitur ei merces æterna. Tunc ait Tundalus: Domine, passus'ne est dominus meus aliqua tormenta post mortem? Passus est,

inquit, & quotidie patitur, & adhuc patietur. Expecta igitur paululum, & uidebis. Et cum paululum expectasset, obscurata est domus, & omnes habitatores eius ilico consternati sunt. Et rex contristatus exiuit cum fletu. Quem cum Tundalus sequeretur, uidit hanc multitudinem, quam antè intus uiderat, expansis in cœlum manibus Deum deuotissimè deprecantem, & dicentem: Domine Deus omnipotens, sicut uis & sicut scis, miserere serui tui. Et respiciens, uidit regem in igne usq; ad umbilicum, & ab umbilico sursum cilicio indutum. Hanc pœnam, inquit angelus, quotidie patitur per tres horas, & per uiginti horas & unam requiescit. Et hoc ideo, quia legitimi coniugij maculauit sacramentum, & ideo patitur ignem usque ad umbilicum. Cilicium uerò portat, quòd iussit comitem interfici iuxta sanctum Patricium, & præuaricatus est iusiurandum. Exceptis his duobus, cuncta ei crimina dimissa sunt. Vincentius libro 27. capite 99.

Alterius cuiusdam anima, per Raphaelem ad inferos deducta, uidet hominem in sella ignita sedentem, in cuius os muliercułæ ornatissimæ ardentes faces immittebāt, & per posteriora retrahebant: eosq; cruciatus perpetuò patiebatur. Hic homo, inquit angelus, carnis illecebris, gulæ, luxui ac libidini deditus fuit. Pòst uidet hominem, quē diaboli excoriabant uiuum, saleq; conspersum & craticulæ impositum assabant. Hic, inquit angelus, in subditos crudelis fuit. Hinc alius oblatus, equo ardenti insidens, antè capram, post terga monasticam uestem gestans. Hic, inquit angelus, de rapinis uixit, ac mulierculæ cuidam suam capram surripuit: tandem monachum simulata pœnitentia induere uoluit. Posthæc uidet diuersi ordinis & sexus religiosos, quorum alij risu cachinnoq;, alij conuicijs, alij gulæ ac libidini explendæ studebant, dæmonibus eos ad similitudinem perpetratorum scelerum ad hæc cogentibus. Denique Iudam proditorem, omnibus dæmonibus damnatisq; hominibus inuisum, in imo barathro, ubi omniū ludibrijs, conuicijsq; expositus erat, conspicatur. Quas monasticas ineptias, cum contra interdictum homo ille ad se reuersus narrare adstātibus fratribus cœpisset, statim S. Benedictus baculo os eius ferijt: Et quia, inquit, loquendo peccasti, usu sermonis per dies nouē priuaberis. & iniuncta pœnitentia, discessit. Nouē autem diebus exactis, rem omnem suo tādem abbati, ut iussus fuerat, aperit. Abbas uerò, qui tacendi pręceptum non acceperat, porrò in publicum produxit. Vincentius li. 29. capite 8. 9. 10.

In agro Vuormatiensi uidebatur per aliquot noctes armata multitudo equitum euntium & redeuntium, & quasi ad placiti colloquia nunc hic, nunc illic turmas facere: citra nonam uerò horam cuidam mōti, à quo & exisse uidebantur, se reddere. Tandem quidam regionis illius huic prodigiosæ concioni, signo crucis se muniens, appropinquauit, & mox quendam ex ijs per nomen omnipotentis adiurat, manifestare causam postulans, quî sic appareret. Cui ille: Non sumus, inquit, ut putatis, phātasmata, nec militum, ut uidemur, turbæ, sed animæ militum, non longè antehac interfectorū: arma uerò, habitus & equi, quia nobis prius fuerunt instrumenta peccandi, nunc nobis sunt materia torméti: & totum ignitum est quod in nobis cernitis, quamuis id corporalibus oculis comprehendere non possitis. In huiusmodi comitatu etiam Emicho comes de Lyningen, ante paucos annos occisus, apparuit, & ab hac pœna orationibus & eleemosynis fertur se redimi posse docuisse. Nauclerus generatione 38.

Frater quidam bonæ intentionis, sed durioris erga cæteros fratres conuersationis, & minus compatiens quàm deberet, in monasterio defunctus est. Post paucos autē dies Bernhardo apparuit uultu lugubri, & habitu miserabili, significans, non ad uotum sibi cuncta succedere. Interrogatus autem quid sibi esset, quatuor dilaceratis sese traditum querebatur. Ad quod uerbum continuò impulsus est, & quasi præcipitanter expulsus à facie Bernhardi. Qui grauius ingemiscens, post tergum eius clamauit: Præcipio tibi in nomine Domini, ut qualiter tecum agatur, in proximo mihi iterum innotescas. Et cōuersus ad orationem pro eo, & oblationem hostiæ salutaris, aliquos etiam fratrum, quorum ampliorem nouerat sanctitatem, eidem similiter subuenire monebat. Nec uerò destitit, donec pòst, sicut præceperat, per aliam reuelationem, cognita eius liberatione, meruit consolari. In Vita Bernhardi libro primo, capite decimo.

PRO CONFIRMANDO ERRORE, *quòd eleemosynæ in pauperes & sacerdotes erogatæ mereantur æternam felicitatem.*

TVndalus in beatorum domicilium per angelū deductus, uidit choros sanctorum exultantium & dicentium: Gloria tibi Deus pater, gloria tibi Deus fili Dei, gloria tibi Deus Spiritus sancte. Erāt autem uiri & fœminę uestiti candidis uestimentis & preciosissimis, sine macula & ruga, iocundi & hilares, semper gaudentes, & sanctam Trinitatem

Trinitatem laudantes. Candor autem uestimentorum, sicut nix recens percussa solis radio: uoces uerò consonãtes, quasi musicum melos reddebant sonos. Claritas autem, iocũditas, amœnitas, hilaritas, pulchritudo, honestas, sanitas, æternitas, unanimitas omnibus erat ęqualis, & charitas. Odor illius campi ubi erant isti, superabat omnia aromata & odoramenta. Tunc Tundalo ait angelus: Hæc sunt gaudia coniugatorum, qui fidem coniugij seruauerunt, & familias suas in timore Dei bene & iustè rexerunt, & bona sua pauperibus & Ecclesijs Christi communicauerunt, qui in iudicio audituri sunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi. Vincentius lib. 27. cap. 100.

ILLVSIONES QVAEdam *satanicæ.*

IN Præmonstratensi ecclesia fratri cuidã, altius de ineffabili Trinitatis mysterio cogitanti, in matutinis astitit dęmõ, tria habens capita, seq; Trinitatem esse affirmãs, & ob fidei suæ meritum, Trinitatis apparitione ipsum dignum habitum. Monachus diaboli deprehendens illusiones, conuiciãdo eum à se abegit. Continuator Sigeberti. Sub annum 1121. Vincentius libro 26. capite 29.

Narrat Trithemius de quodam dæmone, quòd familiariter in diœcesi Hildesiana cum hominibus conuersatus fuerit, maximè uerò in aula episcopi, ubi culinæ ministeria diligenter obierit. Sed ipsius autoris uerba subijcere libet: His temporibus spiritus quidam malignus, in diœcesi Hildesheimensi multo tempore multis uisibiliter apparuit in habitu rustico, pileo caput opertus, unde & uulgò Pileatum appellabant eum rurales: hoc est, ein Hedeckin, lingua Saxonica. Iste Spiritus Hutgin multa mirabilia fecit, & delectabatur esse cum hominibus, loquens, interrogans, & respondens familiariter omnibus, aliquando uisibiliter, aliquando inuisibiliter apparens. Neminem læsit, non prius læsus: sed iniuriarum seu irrisionum memor, uicem irrogantibus sibi contumeliam impendit. Cũ Burcardus comes de Luca per comitẽ Hermannum de Vuinsenburg fuisset interfectus, & comitatus ipse Vuinsenburgẽsis in direptionem uideretur expositus, præfatus spiritus dormientem in lecto suo Bernhardum episcopum Hildesheimensem accedens, eum excitauit, dicens: Consurge, ô calue, exercitum conuoca, quia comitatus de Vuisburg propter homicidium uacuus & desolatus, tuo facilè parebit imperio. Qui surgens, milites suos commonuit, comitatum inuasit & obtinuit, quem ecclesiæ Hildesheimensi de Imperatoris consensu in perpetuum coniunxit. Eundem quoque pontificem non rogatus idem spiritus sæpe de multis periculis auisare consueuit. In curia eiusdem præsulis frequens apparens, coquis ministrare plerunque satis diligenter consueuit, crebrosq; in culina cum ipsis miscere sermones. Vnde cum iam ex consuetudine familiariter factus, à nemine timeretur, puerulus quidam in coquina seruiens, eum despicere, subsannare, & contumelijs afficere cœpit, & quoties potuisset, immunditias coquinæ in eum effudit. Qui cum sępe magistrũ coquinę rogasset, ut puerum ab iniurijs suis cõpesceret, minitatus se tandem contumelias ulturum, irridetur ab eo, dicente: Tu spiritus es, & puerum times? Cui dæmonium respondit: Quia puerum tuum ad petitionem meam emendare contemnis, ego quantum illum timeam, post dies paucos tibi ostendam. His dictis, spiritus abscessit iratus. Non multo pòst, cũ die quadam post uesperam puer solus in coquina fatigatus dormiret, uenit spiritus, & suffocatum in frusta conscidit, ollæq; impositum ad ignem coquere cœpit. Quod magister coquinæ cum percepisset, spiritui maledicere cœpit: qui exacerbatus, assaturam postero die pro episcopo & curialibus ad ignem in uerubus positam, compressis desuper bufonibus horrendis, ueneno & sanguine eorundem aspersit: rursusq; contumelijs affectus, per pontem in foueã de alto illum præcipitauit. Supra muros ciuitatis & castelli uigilias nocturno tempore diligentissimè peragens, omnes custodes uigilare coegit. Vir quidam longè profecturus, cum uxorem haberet impudicã, quasi per iocum dixit ad spiritum Hutgin: Bone socie, tibi commendo uxorem meam, donec reuertar: uide custodias eam. Cumq; uiro absente cum adulteris mulier portionẽ suam poneret, & amatores multos successiuè tentaret, ita se spiritus iste inuisibiliter medium semper interposuit, proiectisq; in terram de lectulo uiris, nullum peruenire uel ad tactum ipsius fœminæ, taceo de cõmixtione illicitã, permisit. Sic mulier singulis noctibus, & ferè singulis toto tempore horis nouos semper amatores introduxit: quos tamen spiritus, mox ut eam contingẽre tentassent, procul in terrã proiecit. Tandem reuertenti marito, & adhuc lõgè à domo existenti, spiritus commissarius lætus occurrit, dicens: Gratus est mihi ualde tuus aduentus, quo liberer à tam inquieto labore, quem mihi imposuisti. Cui maritus: Quis ergo tu es? Ego sum, inquit, Hutgin, cui pridem abiturus uxorem cõmisisti tuẽdam. Ecce custodiui eam tibi, licet cũ maximo &

mo & continuo labore, ab adulterio saluã. Sed oro te, ne illam mihi deinceps custodiendam tradere uelis. Malo enim totius Saxoniæ porcos, quàm unam ipsam uxorẽ custodire tuam, tantis me dolis circumuenire, tantis uijs totq; modis abuti suo corpore tentauit. Innumera quoq; & alia tam seriosa quàm ridiculosa spiritus iste miracula fecit, quæ omnia nec facilè scribi possunt, nec si scriberentur, multorum credulitatem inuenirent. Idiotam quendã & simplicem hominem clericum, ad synodum citatum, per annulum factum ex folijs lauri, alijs quibusdam additis, aliquanto tempore doctißimum reddidisse ferunt. Tandẽ à præfato episcopo Bernhardo per censuras Ecclesiasticas eliminatus, de prouincia recedere compulsus est. Hæc Trithemius. Sed quis episcopum ipsum magiæ studiosum fuisse dubitabit?

CAPVT XIIII.

DE REBVS IVDAICIS *externis, siue politicis.*

VDAEORVM fæces hoc etiã Seculo mãserunt, & in primarijs quidem urbibus, inq; multis regnis sua habuerunt hospitia, utpote:

In Anglia. Nam maxima eorum multitudo paßim in uniuerso regno diffusa fuit: ac cum nullibi ipsis locus sepulturæ concederetur, quàm Londini, eò omnia defunctorum corpora, multis cũ molestijs & laboribus, perferre cogebantur. Quare ut ab hoc incommodo uacui essent, ab Heinrico secundo rege mercantur, ut ubicunq; degerent, eo loci agrum sepulturæ suorum assignatum haberent. Polydorus lib. 13.

Eboraci & Lincolniæ suas etiam sedes habuisse, idem annotat.

Blesis habitãtes Iudęi puerum Christianum in crucem egerũt, anno 1177, ipso die Cœnæ Dominicæ. Sig. Contin.

In Gallia. Parisijs magnam Iudęorum cateruam latitasse, Sigeberti Continuator & Nauclerus produnt.

Braiæ quoque eos uixisse, meminit Vincentius lib. 29. cap. 53.

Prædicatione cuiusdam monachi Rudolphi, Galliæ Germaniæq; uulgus motũ, ut contra Iudæos paßim ciuitates uicosq; incolentes sæuiret, eosq; neci traderet. Verùm Conradus Imperator profugos recipit, ac eis in suis municipijs, in primis uerò Norinbergæ tutum hospitium cõcedit. Frisingensis lib. 1. cap. 37 de gestis Friderici. Auentinus lib. 6 Annalium Boiorum narrat, Bernhardi Clareuallensis beneficio eos à uulgi furore, quod hoc hominum genus omnino excisum uolebat, seruatos. Nam is Deum mendacij non arguendum asserebat, qui se reliquias eorum seruaturum polliceatur.

Romę. Nam Petrus Leonis, contra Innocentium in pontificem electus, auro ex sacris imaginibus templiq; ornamentis, quæ per Iudæos undique conquisitos comminuebantur, conflato, fautores mercatus est. Antoninus.

Mediolanum Friderico Imperatori per Iudæos proditam, Bergomensis testis est libro 12.

Constantinopoli. Nam Ducas quidã lapidibus obrutus, in Iudæorum cœmiteriũ sepelitur. Annales Nicetæ.

Landeshuttã, inferioris Vindeliciæ ciuitatem nobilißimam, Iudæis etiam inhabitandam concesit Otto Boiorum regulus. Auent. lib. 6 Annalium.

DE OPERIBVS EOrum contra Christianos.

Coniuncta sunt semper mendacia & homicidia. Simili pacto utroq; modo suam immanitatem occæcati illi homines exercuerunt contra eos, qui suæ religioni addicti non fuerunt. Nã Nornici puerum quendam, Christiano natum parente, Vuilhelmum, ludibrio paßionis Dominicæ in crucem egerunt, eumq; occisum ante ciuitatis portam terræ mandarunt, anno 1146. Antoninus. Et Blesensem urbem incolentes Iudæi, sub annum Salutis 1172 idẽ facinus perpetrarunt, ac occisum in cruce puerum, & sacco insutum, in Ligerim amnem proiecerunt. Braiæ degentes Iudæi hominem quendam Christianum, quem furti homicidijq; insimulabant, captum serto spineo coronant, per oppidum circumducunt, multisq; uerberibus affectum, tandem in crucem agunt, domina illius loci, auro uicta, id permittente. Vincentius lib. 29. cap. 53. Gaguinus lib. 6 de Francis. Parisiani etiam Iudæi, Christiani hominis sanguine se polluisse leguntur apud Nauclerũ. Ac testatur Gaguinus, hunc morem apud perditam gentem receptum fuisse, ut surreptum quotannis Christianum aliquẽ puerum, in subterraneis locis miserè affligerẽt, ac tandem eo die, quo Ecclesia Dei paßionis Dominicæ recolit memoriam, cruci affigerent. lib. 6 de Francis. Idem & Vincentius lib. 29. cap. 25 annotat. Et Petrus Cluniacensis de eorundem indefesso studio Christianis nocendi inquit: Non de simplici agricultura, nõ de legali militia, nõ de quolibet honesto & utili officio, horrea sua frugibus,

gibus, cellaria uino, marsupia nummis, arcas auro siue argento cumulant, quantum de his quæ Christicolis dolosè subtrahũt, de his quæ furtim à furibus empta, uili precio res carissimas cõparant. Si fur nocturnus Christi ecclesiam fregerit, si sacrilego ausu candelabra, urceos, thuribula, ipsas etiam sacras cruces, uel consecratos calices asportauerit, cum Christianos fugiat, ad Iudæos confugit, & apud eos damnabili securitate securus, non solùm latibula accipit, sed & quæ sacris ecclesijs furatus fuerit, sathanæ synagogis uẽdit. Distrahit uasa corporis & sanguinis Christi, occisoribus corporis & effusoribus sanguinis Christi: qui & tunc eum inter mortales conuersantem, quantis potuerunt contumelijs & iniurijs affecerunt, & nunc in maiestate diuinitatis æternæ sedentem, quãtis audẽt uerborum blasphemijs lacessere non desistunt. Nec sacra illa uasa quæ penes ipsos, sicut olim penes Chaldæos, modo quo prædixi captiua tenentur, licet sint insensibilia, iniuriarum expertia sunt. Sẽtit planè in his quę nõ sentiunt, sibi sacratis uasis Iudaicas adhuc cõtumelias Christus. Quia, ut sæpe à ueracib. uiris audiui, eis usibus cœlestia illa uasa, ad eiusdẽ Christi nostrumq; dedecus, nefandi illi applicant, quos horrendum est cogitare, & detestandũ dicere. Insuper ut tam nefariũ furum Iudęorumq; cõmercium tutius esset, lex iam uetusta, sed uerè diabolica, ab ipsis Christianis principib. processit, ut si res Ecclesiastica, uel, quod deterius, aliquod sacrum uas apud Iudæum repertum fuerit, nec rẽ sacrilego furto possessam reddere, nec nequam furem Iudæus prodere compellatur. Manet inultum scelus detestabile in Iudæo, quod horrenda morte suspẽdij punitur in Christiano. Pinguescit inde & delicijs affluit Iudæus, unde laqueo suspenditur Christianus. Lib. 5. epist. 33.

Fuêre tamen aliqui, horum conatib. aduersantes. Nam Rudolpho monacho pro concione frigidã suffundente, nusquam ferè apud Gallos Germanosq; ipsis tutò uagari licuit: ut Frisingensis refert. Et ad Ludouicum Francorũ regem scribens Petrus Cluniacensis, grauiter eum monet, ut hoc hominum genus, Christianis maximè molestum, compescat, eorumq; bona surrepta, in bellicos usus contra Saracenos conuertat: Si, inquit, detestãdi sunt Saraceni, quia, quamuis Christum de uirgine, ut nos, natũ fateantur, multaq; nobiscum de ipso sentiant, tamen Deum Deiq; filium, quod malus est, negant, mortemq; ipsius ac resurrectionem, in quibus tota summa salutis nostræ est, diffitentur: quantum execrandi & odio habẽdi sunt Iudæi, qui nihil prorsus de Christo uel fide Christiana sentientes, ipsum uirgineum partum, cunctaq; redemptionis humanæ sacramenta abijciunt, blasphemant, subsannãt? Nec ad hoc ista dico, ut regalem uel Christianum gladiũ in necem nefandorum illorum exacuam: quia scriptũ de eis in Psalmo diuino recolo, loquente sic in spiritu Dei Propheta: Deus (inquit) ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos. Non uult enim Deus prorsus occidi, non omnino extingui: sed ad maius tormentum, & maiorem ignominiam, ut fratricidam Cain, uita morte deteriore seruari. Nam cum Cain post fraterni sanguinis effusionem Deo diceret: Omnis qui inuenerit me, occidet me, dictum est ei: Non (inquit Deus) ut æstimas, morte morieris: sed gemẽs & profugus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Sic de dãnatis damnandisq; Iudæis, ab ipso passionis mortisq; Christi tẽpore iustissima Dei seueritas facit, & usq; ad ipsius mundi terminum factura est. Qui quoniã Christi sanguinem, utiq; iuxta carnem fratris sui fuderunt, serui, miseri, timidi, gementes ac profugi sunt super terram, quousq;, iuxta Prophetã, miseræ gentis reliquiæ, iam uocata gentiũ plenitudine, conuertantur ad Deũ, & sic, secundum Apostolum, omnis Israel saluus fiat. Non (inquam) ut occidãtur admoneo: sed ut congruẽte nequitiæ suę modo puniantur, exhortor. Et quis congruentior ad puniẽdos illos impios modus, quã ille, quo & dãnatur iniquitas, & adiuuatur charitas? Quid iustius, quã ut his, quæ fraudulenter lucrati sunt, destituantur? quæ nequiter furati sunt, ut furibus, & (quod peius est) hucusq; audacibus & impunitis, auferantur? Et paulo pòst: Auferatur ergo, uel ex maxima parte imminuatur Iudaicarum diuitiarum malè parta pinguedo: & Christianus exercitus, q ut Saracenos expugnet, pecunijs uel terris proprijs, Christi Domini sui amore, non parcit, Iudęorum thesauris tam pessimè adquisitis non parcat. Reseruetur eis uita, auferatur pecunia, ut per dextras Christianorũ, adiutas pecunijs blasphemantiũ Iudęorũ, expugnetur infideliũ audacia Saracenorũ. Seruiant populis Christianis, etiam ipsis inuitis, diuitiæ Iudęorũ, sicut olim, cùm Deo placerent patres eorũ, Deo iubente, sunt eis ad seruiendum traditę diuitię Ægyptiorũ. Hęc tibi, benigne rex, scripsi amore Christi, tuiq; atq; exercitus Christiani: qa & stultũ esset, nec offensa (ut arbitror) diuina careret, si sacræ expeditioni, cui iuxta congruentẽ modũ impendendę sunt res Christianorũ, multò amplius nõ seruirẽt pecuniæ prophanorũ. Li. 5. epist. 33.

Ricardo

Ricardo Anglorum rege, anno 1189, coronando Lundonijs, maximus primatum totius regni confluxit cœtus, inter quos & Iudæorum primi fuerunt. Hi enim suis rebus metuentes, noui regis fauorem amplissimis muneribus redimendū duxerunt. Sed rex, edicto publicè proposito, aditu templi, dum coronaretur, & palatij, dum conuiuaretur, eos prohibuit. Verùm illi turbę immixti, simul in palatium regium se recipere tētant. Ibi agnitus Iudæus quidam, ab homine Christiano repellitur. Mox & alij proditi pulsantur strenuè. Sparso autem per urbem rumore, regem omnes Iudæos extinctum uelle, populus, qui tum frequens ob coronationis solennitatem aderat, prædæ cupiditate accēsus, arma induit, & Iudęorum ædes, quas expugnare nō ualebat, succendit, & quoscunque obuios prosternit, rege frustra ciues ab armis recedere iubente. Sedato tumultu, rex Iudæis pacem edicto sancit: quæ tamen diuturna non fuit. Nam ipso ad sacram expeditionem apud Normannos se accingente, iterum ciuium excanduit contra Iudæos furor, non quidē religionis ergò, sed potius spe prædæ capiendæ: & quidem Linnæ ciuitatis incolæ initium fecerunt, idq; hac occasione: Ex Iudæis quispiam ad religionem Christianam accesserat: quod illi indignè ferentes, in ipsum impetum facere non sunt ueriti: sed beneficio Christianorum templi, quò se receperat, liberatur. Clamore autem fugientis exciti ciues, arma quidem capessunt: sed regis iram metuentes, nihil contra Iudæos agunt. Cæterùm aderat tum in eadem urbe negociatorum non exiguus cœtus: illi Iudæorum turbam, quæ ad oppugnationē templi confluxerat, miserè trucidant, ædes expoliatas Vulcano tradunt, conscensisque suis nauigijs, fuga sibi consulunt. Ciues à rege in iudicium uocati, omnem in profugos reijciunt culpam: qua tamen ipsi omnino non caruerunt.

Et apud Stanfordiam eadem ferè usi sunt fortuna Iudæi. Nam cum Quadragesimali tempore sub ipsis nundinis magna peregrinorum hominum, ac in primis militū, qui cruce insigniti sacram sectabantur militiā, cohors eò conuenisset, ac itineris tam longinqui sumptibus destituerentur necessarijs, mox conglomerato agmine, Iudæorū domos corona cingunt, nonnullos ex eis captos trucidant: tandem effractis ędibus, præda ingenti potiuntur, cœptumq; deinceps iter summa securitate & hilaritate ingrediuntur, ciuibus odio Iudæorum quiescentibus. Lincolnienses quidem aliorum exemplis instigati, idem contra suos Iudęos acturi erant: sed hi consilio cognito, in arcem regiam secesserunt: ac præfectis regijs de seditionis autoribus diligenter inquirentibus, res minimè tum successit. At Eboracenses nihil ueriti regis edictum, cōfœderati nobilibus, quos fœnore ad extremam paupertatem redegerat improba Iudæorum gens, & sacris quibusdam militibus, noctu principis Iudæorum ędes, regis palatio conferendas, confringunt, trucidata familia bonisq; direptis, igni tradunt, ac tenebrarum beneficio clàm facti autores in sua se recipiunt. Non multo pòst promiscua multitudo, impetu in Iudæos facto, sine discrimine uel sexus uel ætatis eos mactant, pręter paucos, qui Christo per baptismum nomina se daturos pollicerentur. Quin & arcem, quò se multi receperant, oppugnāt. Obsessi de salute desperantes, suadēte suæ legis doctore primario, hoc consilij ineūt, moriendum esse pro lege Domini. At ne suis opibus oppugnantes ditarentur, uestes preciosas comburūt, uasa aurea latrinis cōmittunt. Dictante uerò inueterato illo doctore, ut uiri quibus constantior esset animus, uxores & liberos occiderent, Ioceus quidam primarius uxoris guttur cultro incīdit, nec à proprijs filijs manus abstinet. Ioceum ipse legis doctor iugulat. Morituri autem ignem arci, quo cremarentur, subiecerant. Ex incendio nonnulli seruati, ab oppugnatoribus trucidantur. Cæde peracta, coniurati cathedralem ecclesiam adeūtes, monumenta debitorum, quibus Christiani premebantur, à Iudæis fœneratoribus regijs ibidem reposita, à custodibus resignari fecerunt, eaq; in medio templi comburūt. Ricardus rex re cognita, tum ob læsionem regiæ maiestatis, tum ob magnam fisci iacturam grauiter indignatur. Fisco enim cōpetebat, quidquid Iudęi, quos fœneratores constat esse regios, in bonis habere uidentur. Dato itaq; ad Eliensem episcopum cancellarium suum mandato, ut de seditionis autoribus iustum supplicium sumeret, idē episcopus, homo ferocis animi, & glorię cupidus, Eboracum ciuitatem cum numeroso exercitu adit, summaq; diligentia de singulis inquirit. At qui huius tumultus faces extiterant, ad Scotos transfugerant. A' senatu uerò Eboracensi, cum præter suam uoluntatem hæc acta esse, nec furentem multitudinem se cohibere potuisse affirmaret, mulcta pecuniaria exigitur: nec quisquam ultimo supplicio affectus est. Acciderunt hæc anno Salutis 1190. Neubrigensis libro 4. cap. 1. 7. & sequentibus aliquot.

CAPVT

CAPVT XVI.

DE ALIIS RELIGIONIBUS extra Ecclesiam.

DE IVDAISMO.



ETSI ex Iudæis aliqui ad Christianam religionem conuersi in Historijs legantur, tamen maxima eorum pars nō tam pietatis amore, quàm imminentium periculorum metu postulatis magistratuum annuit. Nam, ut ex sequentibus patebit, manibus pedibusque (quod dicitur) ad sua ut sibi redire liceat sacra, contenderunt.

CAPITA DOCTRINAE.

DE fonte erroris Iudæorum inquit Petrus Alphonsus: Quomodo uideo eos solam legis superficiem attendere, & literam non spiritualiter, sed carnaliter exponere: unde maximo decepti sunt errore. Itē ait, eos Prophetarum dicta superficietenus exponere. Titulo primo.

Deinde Iudæi non tam Scripturam sacram allegant, quàm quòd prætendūt subinde, DOCTORES suos sic sensisse, sic intellexisse. Item, per ueterum successores, ad nostrorum tandem Doctorum peruenisse noticiam. Petrus Alphonsus titulo 1. Inde idē autor eodem libro inquit, hanc gentem alienam esse à cognitione diuina.

DE DEO.

1.

Deo corpus & formam adscribunt, & de eius natura talia annotant, quæ rationis ueritas abhorret. Hæc ipsorum opinio extat in prima parte doctrinæ, cuius uocabulum est Benedictiones.

Dixerunt, Deū habere caput & brachia, & in cæsarie pyxidem gestare ligatam corrigia, ipsiusq; corrigiæ nodum à postera capitis parte sub cerebo firmatum: intra pyxidem uerò quatuor esse chartulas, Iudæorū laudes continentes: in summo autem sinistri brachij gestare aliam pyxidē, simili modo corrigia ligatam, chartamq; ibi esse continentem omnes laudes, quæ in prædictis quatuor scriptę dicuntur. Titulo 1. Testimonia hæc proferunt: Videbis posteriora mea, facies enim mea non uidebitur. Tunc enim Moyses nodum corrigiæ uidit. Nodum autem ipsum alicuius pyxidis esse, necessariū est. De ea autem quam gestat in brachio, autoritas profertur ab Esaia dicente: Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ. Per brachium enim fortitudinis, uult intelligi sinistram, in qua illa pyxidis uirtus continetur. Ibidem.

2.

Dicunt, angelum nomine Mitatron, singulis diebus capiti Dei imponere coronā. Petrus Alphonsus tit. 1.

3.

Doctores in doctrinæ libro asserūt, quòd Deus in Occidente est tantùm, auctoritate Esdræ illud confirmantes, dicentis: Exercitus cœli supplicat tibi. exponētes hoc, quòd cum omnes stellæ in Occidentem decidunt, tunc exercitus cœli supplicat Deo: & quoniam hæc stellarum supplicatio fit in Occidente, ideo Deum in Occidente asserunt esse. Pet. Alphon. tit. 1.

4.

Doctores in doctrinæ libro tertio Deum in loco asserunt, sex partibus terminato, affirmantes testimonio Danielis, qui ait: Cū egrederer, ecce princeps Græcorū ingressus est. Concipiunt enim ex hoc, quia in loco tali est Deus, ubi introitus fit & exitus. titul. 1.

5.

Corporea Deo accidētia adscribunt. Dicunt siquidem, eum singulis diebus semel in die irasci, afferentes in medium testimonium Dauid, dicentis: Fortis irascitur quotidie. Prima etiam hora diei eum irasci asserunt, causam huius iræ esse dicentes, quòd in illa hora reges iniquitatis exurgentes, diademata sibi imponunt, & solem adorāt. Petrus Alphonsus tit. 1.

Dicunt, eum de tali re irasci, de qua se nō possit ulcisci. Ibidem.

Aiunt præterea, quòd ipsius horæ qua irascitur, punctum nemo nouerit unquam, nisi Balaam filius Beor. Petrus Alphonsus titul. 1. Eosdem Iudæorū errores & apud Petrum Cluniacensem libro secundo contra Iudæos uidere licet, cap. 5.

6.

Nec hoc sufficit eis de Deo dicere, sed eū etiam quotidie semel in die plorare, & ab eius oculis duas prodeuntes lachrymas in magnum mare dicunt concidere. & has fulgorē esse affirmant illum, qui tempore nocturno de stellis uidetur cadere. Petrus Alphon. tit. 1.

7.

Fletus quoq; ipsius, quem Deo indignè adscribunt, Iudæorū captiuitatem causam esse dicunt: quin etiam propter dolorem eum ter in die ut leonem rugire asserunt, & propter id cœlum pulsare pedibus, more calcantium in torculari: more etiam columbæ quendam susurri sonitum dare, & quaque uice caput mouere, & dolentis dicere uoce: Heu mihi, heu mihi, ut quid domum meam in desertum redegi, & templū meū cremaui, & filios meos in gentes transtuli? Heu

Heu patri, qui transtulit filios suos: & heu filijs, qui translati sunt de mensa patris sui. Dicunt etiam, quòd quidam doctorum uestrorum hanc audierit uocem in quodã loco ruinoso. Præterea quòd tanquam parturiens inuicem collidat pedes, & more dolentis manibus plaudat: & quia quotidie orat, ut misericordia eius sit super irã eius, & ut eat in populo suo in misericordia. Petrus Alphon. tit. 1. Petrus Clun. lib. 2. cap. 5.

DE CHRISTO.

1.

Christum filium Dei non credunt.

2.

Deum ipsum esse negant.

3.

Regum mundanorum more eundem regnaturum autumant, talemque expectant, iuxta Hieremiæ uaticinium: Ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iusticiam in terra.

4.

Quòd non uenerit, sed uenturum, & terrenam ipsis libertatem redditurum, affirmant. Petrus Cluniacensis in Prologo libri 3 contra Iudæos.

5.

Legem Mosaicam à Christo mutatam, quam Deus perpetuam fore prædixerat: ut de agno Paschali: Celebrabitis eam diem solennem Domino in generationibus uestris, cultu sempiterno. Item: Custodi uerbũ istud legitimum tibi & filijs tuis usq; in æternum. Docete filios uestros illa, ut meditentur, &c. ut multiplicentur dies tui & filiorum tuorum in terra, quam iurauit Dominus patribus tuis, ut daret eis, quamdiu cœlum imminet terræ.

6.

Omnes de gentibus ortos, quantum in eis est, repellunt. Dicunt enim, sibi tantùm Deum locutum, sibi legem datã, ad se missos Prophetas. Christum insuper post omnes mittendum, eiusq; regnum non nisi ad Iudæos pertinere affirmant. lib. 2 contra Iudæos, cap. 3.

7.

Fabulam præterea de Christo blasphemam idem autor recitat, quam subijcere hic libet: Dicunt Iudæi (prout à quibusdã audiui) circa Vespasiani tempora suũ Christum natum, & Romam, nescio qua arte, translatum. Ibi eum à canibus dilaceratum & corrosum, in cryptis uel specubus subterraneis latêre, & corrosionis illius dolores ac uulnera pro peccatis uel iniquitatibus Iudaicis tolerare, indeque dictum esse: Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Victurum autem, & hos dolores in illis terræ uisceribus toleraturum, donec disposito à Deo tempore, inde exeat, & Iudæos de uniuersis gentibus congregans, ad primum suę repromissionis terræ locum reducat. Tunc impleri omnia quæ de Iudæorum futura felicitate à Prophetis prædicta sunt, tunc illum suum Christum multis gentibus imperaturum, tunc pacem absque alicuius inquietudinis timore futuram, tunc eos in summis delicijs & gloria uicturos affirmant. Hunc olim cuidam ex ipsis, magno suorum doctori, in habitu mendici & miseri apparuisse testantur. Cumque is cui apparuerat, tantam apparentis uilitatem ac deformitatem abhorreret, mutatum subitò in speciosi hominis formam, uestesque uilissimas in preciosa indumenta conuersas. Iactant insuper, una manu eum mox prætendisse lapidem sapphirum, altera iaspidem, & ei cui apparebat, dixisse: Quid miraris? En ego, en ego, ille uester Christus, tamdiu à uobis expectatus, in proximo est ut ueniam, propè est ut appaream. Reducam enim uos de omnibus gentibus, congregabo de uniuersa terra, & reducam uos in terram uestram. Tunc implebitur in uestra Hierusalem quod scripsit Esaias: Paupercula, tempestate conuulsa, absque ulla consolatione. Ecce ego sternam per ordinẽ lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponã iaspidẽ propugnacula tua. En sapphirus, in quo fundãda est Hierusalẽ, en iaspis de quo uestrę ciuitatis propugnacula sunt construẽda. Li. 2. cõtra Iudæos, ca. 3.

DE CREATIONE.

1.

Iudæi omnes animas in mundi principio simul asserunt esse creatas, & in loco uno repositas: & quousque incorporentur omnes, non esse diem uenturum iudicij: ex quo incorporabuntur, statim prouenire finem mundi. Petrus Alphonsus tit. 1.

2.

Dicunt, & in suis, imò satanæ synagogis docent, quòd qñ Deus firmamentum hoc, quod oculis nostris conspicuũ est, fecit, nõ illud ex integro perfecit, sed cuiusdam magni foraminis spaciũ in Septẽtrionali eius parte imperfectũ reliquit. Causam aũt cur hoc fecerit, ualde cõgruã & rationabilẽ reddunt. Affirmant enim, hac prouidẽtia istud eum fecisse, ut si qñ procedente tẽpore aliquis exurgens, Deũ se esse, Deoq; æqualem diceret, Deus illi iam dictã firmamẽti imperfectionẽ obijceret, dicẽs: Si Deus es ut ego, fac saltẽ ex parte quod feci & ego. Feci ego maiores firmamẽti partes, fac & tu, si potes, hanc quã imperfectã ego reliqui partẽ. Pet. Alph. tit. 1. Pet. Clun. li. 2 cõtra Iudęos, ca. 5.

DE PARADISO.

Dicunt, angelum mortis cuidam uiro apparuisse nomine Iosue, filio Leui, doctori, eiq; dixisse: Ad hoc uenisse me scias, ut animam tuam suscipiam, & moriaris. Nequaquam, inquit ille, quod commones faciam, nisi prius mihi paradisum ostenderis. Susceptum igitur angelus in alis suis duxit ad locum, unde uideret paradisum. Callidus autem ille de alis eius delapsus, in paradisum cadere se permisit. Angelus deceptum se esse dolens, irato nimis uultu, Egredere, ait, ut moriaris. Nequaquam, ait ille, egrediar. Cumque secundò ac tertiò angelus ad ipsum cum magno clamore repeteret, & ille eius uerba negligeret, commotus nimiū angelus, ad Deum pergens, huius rei querimoniam fecit. Deus autem eum redire rogauit, ut hominem illum ex Dei nomine de paradiso egredi præciperet. Veniēs itaque angelus ad paradisum, ait: Deus ut egrediaris præcipit. Iurauit ille, & ait: Per Deum, non egrediar. Redijt angelus ad Deum, & dixit: Iureiurando se nunquam inde egressurum firmauit. Dans itaque iudiciū Deus, respondit: Omnia uolumina uitæ & actuum eius reuolue, & diligenter relege. Si quando eum iurasse & periurasse inueneris, modò quoque nihil sibi iurasse ualebit. Si autem nunquam periurum esse probaueris, non in hac uice timebis. Volumina itaque omnia angelus studiosè discutiens, nunquam periurasse inuenit. Dimisit ergo eum uictus: qui, ut dicitis, usq; in præsentem diem incolumis permanet atq; uiuus. Petrus Alphonsus tit. 1.

DE LEGE.

Aiunt, quòd Moyses pro lege suscipienda in cœlum ascenderit, & ibi taliter cū angelis altercatus sit. Dicebant enim (inquiunt) angeli: Legem hanc te minimè ferre si nemus, quam nobis plus quàm filijs Israel necessariam scimus. Ad hæc Moyses, insolita uisione perterritus, nihil respondere pręsumpsit: sed Domino se confortante, ut securè responderet, & præcipiente, ait angelis: Cum lex hæc regendorum corporum præcepta contineat, nō satis cōsidero quid uobis, qui spiritualis tantùm creatura estis, sit necessaria. Angeli quid ad hæc dicerent non habentes, uicti conticuerunt. De Moysi igitur uictoria Deum risisse, & ualde lætatum esse dicitis, & ita Moysen post triumphum cum lege alacrem descēdisse. Petrus Alphonsus tit. 1.

MENDACIA ALIA.

1.

Dixerunt, quoniam Chore, dum heremū cum Mose & filijs Israel præteriret, trecentos habebat camelos onustos, nihil aliud ferētes nisi solas claues thesauri eiusdē: quę claues de uaccarū corrigijs factæ erant omnes, ut leuius ferri possent. Pet. Alph. tit. 1.

2.

Dicunt, filijs scilicet Iacob patrem suum ad sepulchrum portātibus, filios Esau similiter suum patrem ad sepulchrum deferentes, cū magno comitatu eis occurrisse. Cūque utrinq; magnus esset exercitus, & singulæ partes sepulchrum sibi uēdicare uellent, filium Dan montem ascendisse dicūt, & tantę magnitudinis pręscidisse lapidem, quanta multitudo esse poterat totius exercitus Esau, ipsamq; molem capiti impositā attulisse, ut super hostiū cuneū eū proijciēs, omnes uno prosterneret ictu. Cumq; adueniens iam ambos cuneos concordes inuenisset, molem quam attulerat, in mare proiecit: cuius magnitudine aqua maris terminos suos excedens, duas ciuitates sui effusione subuertit: & ipsæ sunt, quas longo tēpore pòst Pharao rex Aegypti filios Israel ædificare præcepit. Pet. Alph. tit. 1.

3.

Non minus stupendū est illud monstrū, quòd Og rex Basan, uidens ingētem exercitum Israel, sexcenta scilicet milia & quatuor milia, & D. uiros, à XX annis & suprà, exceptis mulieribus & paruulis, qui supputari non poterant, molem inauditæ magnitudinis capiti suo imposuit, & cum ea expeditionem totam prosternere uoluit: sed upupa auis minima moli ipsi subsedit, & tādiu rostro suo eam contudit, donec foramine magno iuxta quantitatem capitis eiusdem regis peracto, moles caput transiliens, in eiusdem humeris subsedit. Capite autē sano, & toto corpore incolumi, fortasis adhuc à collo subleuasset, nisi adauctorum subitò dentium quantitas impediuisset. Mox enim ut lapis in collum descendit, dentes sibi repentè ita sunt adaucti, quòd cum uoluit iam subleuare, minimè potuit. Quod Moyses intuens, cuius corpus decem cubitos habuisse asseritis, & totidem eius uirgulæ adscribitis, se super terram in modū salientis decem cubitos erexit, ut eū in aliquo corporis loco cū uirga percuteret. Si ergo computes decem cubitos quibus à terra eleuatus est, & decē eius corporis cubitos, & decem alios, quos uirga in altum porrecta habebat, à terra ad summitatem uirgæ triginta inuenies cubitos. Sed cum in tantum erectus esset Moyses, uirgę tamen summitas, qua eum percutere intendebat, nequaquam ulterius attingere potuit, quàm ad eum nodū quo sura iungitur pedi, quæ uulgò cauilla uocatur. In quo quidem cū eum percussisset, continuò cadens expirauit. Pet. Alph. tit. 1.

4.

Credunt, collectis iam ab uniuersis mũdi partibus, & in suæ repromissionis terra cõgregatis iam à suo Messia Iudæis, impletũ iri illud quod olim Abrahæ Deus promiserat: Multiplicabo semẽ tuũ sicut stellas cœli, & uelut arenam quæ est in littore maris. Hoc autem ita, ut unaquæq; mulier unoquoq; die unum filium pariat. Petrus Cluniacensis lib. 2. contra Iudæos, cap. 5.

5.

Omnes Christianos diuino maledicto subiectos esse, ni Iudæi efficiãtur, cõtẽdũt, quia scriptũ: Maledictus omnis qui non permanet in sermonib. legis huius, nec eos opere pficit, & dicet omnis populus, Amẽ. Ibidẽ.

DE LIBRIS EORVM.

Verba doctorũ uestrorũ nõ aliud uideri, quàm uerba iocãtiũ in scholis puerorũ, uel nẽtiũ in plateis mulierũ. Petrus Alph. tit. 1.

Hebraici Canonis Iudæorũ, quem & sacrũ appellat, meminit Petrus Cluniacensis lib. 2 contra Iudæos, cap. 1.

Talmuth propheticis libris & cũctis sententijs autenticis pręferunt, imò Deũ nihil aliud facere in cœlo, quàm legere assiduè scripturam illam, & de illa cum sapientib. Iudæis, qui eam composuerunt, conferre.

DE RITIBVS ET CEremonijs.

Synagogas in quibus sua sacra tractarũt, publicas habuerunt. Nam eiectis Lutetia Iudæorum fęcibus, synagogæ eorum ad diuinum cultum, regis iussu conuertuntur. Erford. In synagogis suis ipsos docere, Petrus Cluniacensis testatur lib. 2 contra Iudæos, cap. 5.

Philosophicis studijs eosdẽ occupatos fuisse, ex Vincẽtij narratione patet, qui ait, Iudæos quosdã astrologos mense Septembri anni 1186 ualidorũ uentorũ turbines, terręmotũ, hominũ internecionem, & nescimus quæ alia mala prædixisse: uerùm euentum minimè respondisse. lib. 29. cap. 41. Sigeberti Continuator, apud quẽ harũ pręditionũ etiã mẽtio fit, ab astrologo eas ait editas: uerùm an is Iudæus fuerit, non exprimit.

Patronos habuerunt quosdam inter Ecclesiarum doctores, maximè uerò Romanos pontifices. Nam eorũ aliqui in ipsorum gratiam decreta cõdidêre: ut ex Capite de Politia uidere licet.

REFVTATIO ERRORVM IVdaici populi, & per quos facta.

Horum autem ferociam compescuêre Ecclesiarum doctores. Nã Rudolphus quidam monachus publicè pro concione suũ cœtum contra Iudæos irritauit, eos tanquã Christianæ religionis hostes trucidãdos, & è medio penitùs tollendos esse. Nec inefficax fuit eius prædicatio. Nam uulgus apud Gallos Germanosq; mox liberè in eos sæuire cœpit, ut nusquã ferè ipsis tutus esset locus. Verùm hosce monachi stimulos Bernhardus Clareuallensis abbas tum literis tũ legatis nonnihil repressit, & hoc ariete expugnauit, ut Auentinus indicat, ne scilicet Deus mendacij arguatur, qui se reliquias eorum seruaturum pollicetur. Otto Frisingensis libro primo capite 37, & 38 de gestis Friderici.

Contra Iudæos Petrus Alphonsus, factus ex Iudæo Christianus, dialogos, & Petrus abbas Cluniacensis librum ediderunt, ubi grauiter in extremam & maximè detestandam inuehuntur pertinaciam, eorumq; pręstigias refellunt, & contrarium ex Prophetarum testimonijs adstruunt.

DE DEO.

Contra 1.

Autoritas hæc nullum tibi confert patrocinium. Cum enim Lex perhibeat, Deum Moysi dixisse, Posteriora mea uidebis: & quoniam Deum mentiri non posse constat, ita postea factum licet Scriptura tacente non dubitemus: nusquam tamẽ lex meminit, quòd Moyses in eius posteriorib. aliquid uiderit. Qualiter igitur eum corrigiæ nodũ, quod sine risu uix dici potest, uidisse dicitis? Item cum per posteriora non solùm ceruix, sed etiã quælibet corporis pars conuenientius intelligi possit, hoc quòd uos ceruicẽ eum uidisse asseritis, non ratione, uel legis autoritate, sed sola probatis uolũtate. Petrus Alphonsus tit. 1.

Item: Sed hoc cõcesso, unde quæso Moyses intelligere chartas potuit intus cõtineri, nedũ scisse eũ dicas, quid in eis scriptum haberetur? Sed & quod super hæc omnia admiratione dignissimum est, quòd in illa charta, ut creditis, nihil aliud scriptum est, nisi uersus quos Moyses longe post moriens, Israeliticum populum docendo ex semetipso eum laudans edidit, & post multa annorum curricula Salomon Deum adorans composuit de eorum laude: nulla est ratio, quare in Dei capite scriptum esse debeat credi. Ibidem.

Item: Si concedamus, Moysen horũ quædam uidisse, quædam sancto reuelãte Spiritu cognouisse, cũ nec ipse Moyses usquam scriptũ reliquerit, nec ullus post eũ Propheta prodidit, unde uestris doctoribus tam secretæ rei arcanum patuit? Ibidem.

Et uos Deum caput, brachia & totam corporis formã habere contenditis. Quòd si hoc est, igitur Deum longitudinis & altitudinis dimensionibus constare, necesse est fateamini. Si uerò his tribus dimensionibus clauditur, sex nẽpe corporis partibus terminatur:

terminatur: quod est inconueniens, ut suo ostendetur in loco. De corrigia autem, quã eum in capite habere dicitis, duo tibi ꝓpono. Tua enim corrigia aut est de ipso, aut aliunde. Si de ipso est, iam Deus à se diuisus est: si uerò aliunde est, aut creator, aut creatura est. Si creator est, ergo duo sunt creatores: si creatura est, iam quædam creatura maior est quadam parte creatoris: quod inconueniens est. Item quæro, hoc quod in capite uel brachio gestat, utrum necessitate aliqua, an sine necessitate illud gestet? Si necessitate gestat, iam creator indiget creatura: quod aliud est inconueniens. Nunc itaq; apertè potes cognoscere, quod tibi ostendi ea qua postulabas ratione, scilicet quod de corrigia creditis, quàm sit uile. Ibidem.

Contra 3.

Si mundi saltem figuram agnoscerent, non de Deo tã indigna sentirent. Pet. Alph. tit. 1. Item: Multò minus credi debet, Orientis & Occidentis mutationem cœlestib. accidere creaturis, quibus nulla unquam interuenit obscuritas, sed sempiterna indeficientis luminis irradiat claritas, sicut Dauid propheta dicit: Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebrę eius, ita lumẽ eius. & Daniel ipse inquit: Reuelat profunda & abscõdita, & nouit in tenebris constituta, & lux cum eo semper erit. Cũ etiam nulla in cœlo ascensus uel descẽsus possit esse localis mutatio, apertissimè igitur cuiuis patet, quòd in cœlo nec Oriens sit, nec Occidens. Quo probato, fatuitas euidens est dicẽtiũ, quòd Dei locus Occidens est, ubi stellæ supplicãt Deo. Ibidem.

Contra 4.

Quod si ita est, patet ergo, quia in loco cõsistat sex partibus terminato. Si uerò terminato circumscribitur loco, tunc aliquis locus uacuus est à Deo. Quod si est, quomodo scit quod fit in alio loco, ubi ipse nõ est, aut quomodo operatur in eo? Petrus Alphõsus tit. 1. Item: Volo igitur mihi respondeas, utrum illa sapientia atq; uolũtas sint in eo & cum ipso semper, an extra illum, & sic quandoq; sine ipso? Si enim dicas quòd in eo sint, & non extra illum, idem de eis proueniet quod de ipso, quia non in omni erit loco. Quomodo ergo scire potest quid alibi fit, aut operari? Si uerò dicas extra illum esse, & omnem locum implere, tunc ab illo sunt diuersæ. Sciunt enim aliquid quod nescit ipse, & operantur per se quod non operatur ipse. Igitur ipsæ creatrices, & non indiget mundus Deo. Ibidem. Et: Si ita est, sequitur ergo, quòd illa sapientia atque uoluntas non æqualiter ubiq; cõsistant. Quicquid enim ita diffunditur, non eandẽ uim in ultimo, quã in suo habet principio: quod minimè conuenit Deo. Ibidem.

Contra 5.

Vides'ne quàm absurdus sit sermo iste, & quoniam fatui sint qui hęc protulerunt, cum iræ discretionẽ prorsus ignorent: quã si nossent, non hoc de Deo sentirẽt. Petrus Alphonsus tit. 1. Et: Ira est, quando audito aliquo quod displiceat uerbo, cholera rubea, id est fel feruet, & super epar diffunditur, & sanguini commiscetur. Inde siquidẽ homo calescit, & in facie pallescit. Hoc autem nulli conuenit rei, nisi quæ ex quatuor componitur elementis. Deus autem talibus non subiacet lineamentis. Ibidem.

Itẽ: In hoc aũt uerbo uobis ipsis contrarij estis, cum ex una parte Moyses eum uocet ariolum, uos etiam uocetis iniquum: ex altera uerò parte eum prudentiorem Moyse esse significetis, quia punctum horæ nouerit, quod Moysen latuit. Ibidem. Et: Vilescit tamen maioris fatuitatis comparatione, qua dicitis, gallum irrationale animal ipsius horæ punctum quotidie scire. Ibidem.

Contra 6.

Hæc autem ratio Deum ex quatuor elementis ostendit compositum esse. Neque enim fiunt lachrymæ, nisi ex humiditatis abundantia, descendentis de capite. Si uerò ita est, ergo elementa sunt Dei materia. Omnis autem materia, prior est & simplicior forma. Ergo & hæc priora & simpliciora Deo sunt: quod nefas est credere. Pet. Alphonsus tit. 1.

Contra 7.

Dic, ô Moyses, cũ Deus oret, quem quæso adorat? seipsum, an aliũ? Si alium, is quẽ adorat, potentior est eo. Si seipsum adorat, aut potens est eius propter quod orat, aut impotens. Si impotens est, frustra se adorat: si uerò potens, aut uult id pro quo orat, aut non uult. Si non uult, pro nihilo orat: si autẽ uult, non est necesse orare. Vides igitur, ô Moyses, quàm omnino sit gens hæc aliena à cognitione diuina. Pet. Alphon. tit. 1.

Rationem suam ita exponunt: An nescis Prophetas dixisse, Deum caput, oculos, nares, manus, brachia, & uniuersa corporis lineamenta habere? Ipsi etiam dixerunt, singulis diebus irasci, & ut leonem rugire, & multa alia, quæ illorum probantur autoritate. Sed Petrus ita confutat: Obscura sunt Prophetarum dicta, nec omnibus satis aperta. Ob hoc etiam, ne cum in Prophetis talia inuenimus, quæ secundum literam accipientes, à rationis tramite exorbitemus, ea allegoricè interpretamur, ut ad rectitudinis semitam reducamus. Necessitas enim

cogit nos agere, eo quòd aliter non poteſt literæ ratio ſtare. Veſtri autem doctores nō cognouerunt ut oportuit Deum: ideo dicta Prophetarum ſuperficietenus exponētes, in eum errauerunt. Titul. 1. Item: Corporea accidentia, quæ Deo adſcribitis, non niſi corporeæ ſubſtantię & rei imaginariæ cō gruūt. Deum autem huiuſmodi eſſe, indecens eſt credere. Non igitur conuenit, quæ de Deo tanquam corporeo dicta ſunt, ad literam ſolam exponere. Si enim quis hoc ſentiat, & Scripturæ pariter & rationi contrarius extat. Ibidem. Item: Quoniam Deum imaginem aut ſimilitudinem ullam habere dicamus, multis Prophetarum autoritatibus contraimus. Moyſes enim dicit filijs Iſrael: Cuſtodite ſollicitè animas ueſtras. Non uidiſtis ſimilitudinem aliquam in die, qua locutus eſt uobis Dominus in Oreb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis uobis ſculptam ſimilitudinem aut imaginem uiri uel fœminæ, ſimilitudinem omnium iumentorum quæ ſunt ſuper terram, uel auium ſub cœlo uolantium, aut reptilium quæ mouentur in terra, ſiue piſciū qui ſubter morantur in aquis. Pet. Alph. tit. 1. Et: Eſaias propheta ait: Cui aſsimilaſtis me, & æquaſtis? dicit Sanctus. Et rurſus: Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginē ponetis ei? Et iterum: Cui aſsimilaſtis & adęquaſtis & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem? Dauid quoque uerba, Deū non eſſe localem comprobant, ut per hoc conſequēter eundem corporeum non eſſe innuant. Ait enim: Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum, ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Salomon quoque idem ſentiens, dicit: Ergo'ne putandum eſt, quòd uerè Deus habitet ſuper terram? Si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto minus domus hæc quam ædificaui? Et alibi: In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Et Hieremias: Si occultabitur uir in abſconditis, & ego non uidebo eum? dicit Dominus. Nunquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus. Nunc liquidò aduertere potes, quoniam ſi Deum corpus & omnia corporis mēbra habere dicentes, Scripturas, quarū hoc autoritate uolumus probare, ſuperficietenus exponamus, omnibus ſupradictis teſtimonijs contraimus. Ibidem.

DE CHRISTO.

Contra 1.

Primæ autem de Chriſto hypotheſi quatuor opponit argumenta Petrus Cluniacēſis, quibus Chriſtum filium Dei eſſe demōſtrat. Quorum primum ex Eſaiæ ultimo capite ſumptum eſt: Nunquid ego, qui generationem alijs tribuo, ſterilis ero? ait Dominus. Si enim, inquit, Deus genuit, quantum ad illum quem genuit, neceſſariò pater eſt: & filius Dei, quantum ad illum qui genuit, neceſſariò filius eſt. Aeterna autem Deitatis generatio, carnali generatiōi aliqua uel tenui ſimilitudine comparari non poteſt. Vnde hoc propheticum teſtimonium cogit uos, nō iuxta quod homo eſt, ſed iuxta quod Deus eſt, intelligere & confiteri, Chriſtum eſſe filium Dei.

Alterum argumentum ſecundus Pſalmus ipſi ſuppeditat: Ego inquit, cōſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctū eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Deitatē ipſius, qua naturaliter eſt Dei filius, indicat.

Tertium Pſalmus centeſimusdecimus ſuggerit, ubi introducit Dauid Dominum cuidam ſuo Domino loquentem, & inter alia dicentem: In ſplendoribus ſanctorum ex utero ante luciferum genui te.

Quartum ex trigeſimo capite Prouerbiorum deſumptum eſt, ubi dicitur: Quis aſcēdit in cœlum, atq; deſcendit? Quis cōtinuit ſpiritum in manibus ſuis? Quis colligauit aquas, quaſi in ueſtimento? &c. lib. 2 contra Iudæos, cap. 1.

Contra 2.

Ad ſecundam idem reſpondet: Filij Dei dicuntur aut naturaliter, aut uocaliter. Sed Chriſtus ante omnem creaturā ex ipſa patris eſſentia genitus eſt. Ergo naturaliter Dei filius eſt. Quòd ſi naturaliter Dei filius eſt, utiq; non aliud quàm pater eſt. Pater autem Deus eſt. Non igitur aliud filius, quàm Deus eſſe poteſt. Poſthæc Scripturæ teſtimonijs deitatem filij probat. Ex Geneſi capite 19: Pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo, &c. Pluit planè Dominus à Domino, filius à patre, Deus à Deo, qui ſicut habet ut à Deo Deus ſit, ſicut habet ut à Domino Dominus ſit: ſic ab ipſo eſſentialiter habet, ut remuneret iuſtos, puniat peccatores, glorificet bonos, condēnet prophanos. Quod & tunc fecit, quando pluit ſuper Sodomā & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo. Nā nec pluere, ningere, tonare & ſimilia alicui creaturæ conueniunt: ſed ad ſolum creaturæ autorē ſpectāt, qui facit iſta quādo uult, prout uult, & producit. Ex Pſal. 44: Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, uirga directiōis, uirga regni tui. Dilexiſti iuſticiam, & odiſti iniquitatē: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitię præ conſortibus tuis. Baruch cap. 3: Hic Deus

Deus noster est,& non ęstimabitur alter ad ipsum. Hic inuenit omnem uiam disciplinæ,& dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Posthæc in terra uisus est, & cũ hominibus conuersatus est. Item Esa.9: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, &c. Micheæ cap. 5: Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Et egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Et Psalmum 71: Deus iudicium tuũ regi da,&c. de Christo Deo loqui asserit. Denique Sibyllæ testimonium, de Christi Dei passione & resurrectione uaticinantis, subijcit. lib.2. ca.2 contra Iudæos.

Contra 3.

Tertiam eorum opinionem, de regno Messiæ mundano, refellit testimonijs Zachariæ: Ecce Rex tuus uenit tibi mãsuetus, sedens super asinam. Esaiæ capite quinquagesimotertio, de seruo Dei exaltando. Daniel cap.7: Potestas eius, potestas ęterna. Ezechiel 37: Percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis. Deniq; ipsam mortuorum resurrectionem, quam Iudæi minimè negent, regni Christi æternitatem comprobare, Petrus indicat.

Contra 4.

Quartò, quòd Christus uenerit ex uaticinio Iacob, Gen.49 de sceptro Iuda, Daniel 9 de septuaginta hebdomadibus, miraculis à Christo & ipsis Apostolis uirtute Christi factis demonstrat. cap.4.

Contra 5.

Ad quintam hypothesin refellendã ait: Aeternum non semper intelligitur absque termino, perpetuum non semper in Sacris accipitur absq; fine, ut infinita extant exẽpla: Stabiliam thronum eius in æternum: Fidelis erit domus tua & regnum tuum usque in æternum. Et hæc quidem exempla, ad probandam æternitatem finitam prolata, de semine Dauid, de regno seminis Dauid, Christiano sensu de Christo accipimus: eoq; intellectu sicut thronum, id est regnum eius terrenum negamus: sic non tẽporale, sed absque ullo fine æternum omnimodo affirmamus. libro secundo contra Iudæos, cap.4.

Contra 6.

Ad sextam: Sicut stultum fuit putare, pro rebus solummodo præsentibus & perituris Deum tanta tamq; miranda opera fecisse (de Christi missione eiusq; operibus loquitur) sic non minus stolidum & pecuale est, sentire, uniuersitatis autorem, gentibus postpositis, de Iudæis tantùm curasse, nulliq;, præter ipsos, spem ad uitam respirãdi dedisse. Non ita sensit, cui de omnib. cura est Deus, nec tam arctis limitibus suam misericordiam clausit, ut pauxillum tumultuosæ ac sibi ingratæ gentis eligens, gentiũ infinitatem abijceret, & uelut ad se nõ pertinentes, per errorum deuia ad perditionis profunda perpetuò delabi permitteret. Decebat eum, qui omne mortalium genus cõdiderat, omnium congruo tempore misereri, & Iudæis nequitia propria urgente repulsis, plenitudinem gentium ad salutem larga benignitate uocare. Omnes gentes, inquit Psalmus, quascunque fecisti, uenient & adorabunt coram te Domine. capite tertio.

Deniq; fabulam illam, quam diximus, ipsius diaboli instinctu prolatam esse ait: O' humani generis fęces (Iudæos appellat Petrus) talia uos leniunt, talia mulcent, talia pro Christo Antichristum uobis præstolari suadent? Verè satanas de uobis, ut homines de simijs, ludit: uerè, ut iumentũ uilissimũ, chamo stulticiæ quo uult trahit: uerè, ut pater mendacij, multa uobis promittit, ut cũcta subtrahat: somnia dat, ut res auferat: fabulis pascit, quos Christo, pane angelorum hominumq;, defraudat. Et quid dicam? deficiunt uerba ad tam profundam stolidorũ hominum stulticiam confutandam. Ecce caninum Christum nobis profertis, & quia à Iudæis occisum erubescitis, canibus hoc imponitis. Nec istud nos diffitemur. Verè à canibus, uerè ab immundis, uerè ab oblatrãtibus corrosus, ut dicitis, & ut nos fatemur, occisus est Christus. Audiatur ipse Christus in Psalmo: Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me, foderunt manus meas & pedes meos. Nónne canes fuistis, quando canum more sanguinẽ sitistis, & nimia rabie penè linxistis, dicentes: Sanguis eius super nos & super filios nostros? Nónne latrastis, quando iudici scelus uestrum execranti, & declinare conãti, toties inclamastis: Crucifige, crucifige eum? cap.3.

DE CREATIONE.

Contra 1.

Christiani uerò astruunt, nouas quotidie animas procreari, formatisq; nouis in uentre corporibus infundi. Petrus Alphonsus tit.1.

Contra 2.

Hoc autem quàm patens mendaciũ sit, nullius oculi aciẽ latet. Septentrionalis etenim poli axem altissimum semper super nos, nec unquam occultari conspicimus, ipsumq; totum integrum perfectumq; uidemus. Pet. Alph. tit.1.

DE PARADISO.

Considera quæso, quàm risu dignissima in hoc possunt notari sermunculo. Quid enim plus miremur? an fatuitatẽ angeli, qui callidã hominis artẽ non prius agnouit: an hominem,

hominē, audito per angelū Dei præcepto, cōtra ipsum præceptū ausum fuisse iurare: an dicamus Dei impotētiā fuisse, quòd nō nisi per nuncium eum de paradiso potuisset expellere: an adscribamus Dei ignorantiæ, quòd non aliter scire potuit, utrum periurus fuisset, nisi eius uitæ libros reuolui iuberet? Pet. Alphon. tit. 1.

DE LEGE.

Quot quæso fatuitatis diuersitates in hac cōtinētur lasciuia? Quomodo enim Moyses corporis mole depressus, altitudinē cœli cōscēdere potuit: aut quomodo Deo dare legē uolēte, angeli prohibere? Quid iterū stolidius est, quàm dicere, Deum angelis uictis exultare, & puerili more ridere? Itē si angeli, ut dicitis, tā auidi illius legis retinēdæ erāt, cur eā nō prius à Deo quęsierāt? uel quid contentionibus proderat eis desæuire? poterāt enim legem ipsam etiam simul cū Iudæis obseruare, nec erat ratio cur eā Moysi deberent inhibere. Pet. Alphonsus tit. 1.

MENDACIORVM CONFVTATIO.

Contra 1.

Cōputemus ergo, si placet, ô Moyses, & utrū hoc stare possit uideamus. Demus ad minus libræ VI claues, & quòd quisq; camelus ad minus sexcētas tulerit libras, erātq; claues quas unus camelus ferebat, ter mille sexcentæ. Fient itaq; claues CCC camelorū, mille & LXXX millia. Sed cū quæque clauis ad minus unius sit arcæ, quot sunt claues, totidem proculdubio erunt & arcæ. Dentur itaq; cuiq; camelo ad minus duæ arcæ, & erunt cameli arcas ferentes quingenta & quadraginta millia. Sed & secundum consuetudinem diuitum, quibus maior cura de custodiendis diuitijs est, oportuit ad minus duos camelos unum habere custodem, qui thesauros cum summa seruans diligentia, uix etiam dormitaret: inuenienturque camelorum custodes ducenta & quadraginta millia. Libro autem attestāte didicimus, quomodo exercitus Chore per domos & cognationes & familias suas non erant nisi octo millia sexcenti. Pet Alphonsus tit. 1.

Contra 2.

Nónne quæso hæç adinuentio tibi iustè summo risu digna uidetur? Cū enim Iacob filij duodecim adhuc tantummodo essent, uiri Esau de tribu sua iam CCCC existebāt. Nunc igitur numero filiorum Iacob aucto, quāto maior existimari potest filiorum Esau numerus fuisse? Tantam igitur oportuit eorum esse multitudinem, ut & filijs Iacob, & toti Aegyptiorum gēti, quæ cum Ioseph uenerat, obsistere potuisset. Nunc igitur iudica, quid horum admiratione sit dignius, scilicet uel ubi tantum inuenerit mōtem, uel quo monte tam miræ magnitudinis molem, uel quomodo in capite tanti ponderis gestare potuisset lapidem, ut tam magnam prosternere posset cohortem. Pet. Alph. tit. 1.

Contra 3.

In hoc cognoscere quilibet potest, quòd à planta pedis, quam in terra fixam tenebat, usq; ad nodum, in quo percussus est, triginta cubitos habebat. Ab eo igitur loco usque ad summū nō minus quàm octingenti cubiti erant, solūq; caput decem cubitis facilè constare poterat. Vnde sequitur, quòd auis illa molē ipsam decē cubitis perforauit. In quo facto quot sunt miranda, quidue potius mirer, cū cōsidero, stupeo. Vbi enim uel tantum lapidem inuenire, uel qualiter tantū pondus potuit portare? Aut quomodo tā paruula auis tantū, tā durū, tamq; spissum saxi corpus tā citò ualuit penetrare: quóue pacto dentes ei tam citò crescere? Aut qua ratione tam immensæ & inauditæ magnitudinis credendus est fuisse, pręsertim cum lex dicat, lectum eius ferreum non nisi nouem cubitos habuisse: quóue pacto tantus homo tam facili uulnere cecidisse? Petrus Alphonsus titulo 1.

Et politici suo neruo Iudęos castigarunt. Nam Nornicēses, seu, ut Balæus habet, Nordouicenses, cædis rei in crucē acti, reliqua cohors urbe excedere iussa est. Ex Lelādo Cent. 2. cap. 94 Scriptorū Britannię. Et Theobaldus Carnotēsis comes cunctos Blesensem urbē incolētes Iudæos, quos puerū occidisse diximus, igni tradidit, ijs solùm exceptis, qui religioni Christianæ colla submittebāt. Sigeberti Cōtinuator ponit circa annū Domini 1190 Et Philippus rex Frācorū ex Palęstina ab oppugnatiōe Acconis urbis regressus ad patrios lares, dum apud S. Germanū de Laio morā trahit, de cæde in hominē Christianū à Iudæis apud Braiā cōmissa cognoscit. Mox eò cū comitatu aduolat, portas uiarumq; exitus occupat, suisq; custodiendos tradit. Ipse uerò castrū ingressus, ex Iudęorū cohorte octoginta & eo amplius Vulcano deuorandos tradidit: ut referūt Vincentius, Gaguinus & Nauclerus, qui Parisijs hæc accidisse subindicare uidetur. Sigeberti Continuator annū 1177 annotat. Tandē uerò Philippus rex de Iudæorū immanitate, qua quotānis Christianū mactarēt puerū, edoctus, omnes Iudæos cōprehēsos auro, argēto, uestibusq; pciosiorib. expoliat. Ac cū penè totius regni facultates fœnore exhausissēt, et[?] seruos, famulas ex Christianorū cœtu domi suę cōtra Ecclesiæ decretū alerēt, obæratosq; captiuos intra domesticos parietes tenerēt, Bernhardi autoritate, q debita, qb. obstricti erāt Iudęis Christiani,

ſtiani, remitti, & quintã eorũ partẽ ad regiũ fiſcũ cõferri cõſuluerat, omnib. facultatib. Iudæos exuit, regnoq; ſuo ad certũ diẽ excedere iuſsit. Quod regis edictũ nullis magnatũ precib. infringi potuit: ijs tamen qui ad Chriſtianã religionẽ animũ adijciebant, & baptiſmi ſacris imbuebantur, & manendi libertatẽ cõceſsit, & facultates reſtituit. Facta ſunt hæc anno 1182, teſte Vincẽtio lib. 29. cap. 25: Henrico Erfordenſi, Gaguino lib. 6 de Francis. Verùm aulici, ut ijdẽ haud obſcurè produnt, muneribus corrupti, regem à iuſta ſeueritate retrahere ſummo conabantur ſtudio, quiq; etiam tandem uoti ſui compotes facti ſunt. Nam ſub annũ 1197 hoc hominũ genus perditiſsimũ ab eodem rege reuocatũ aſſerũt. Anto. tit. 17. ca. 9. §. 30.

Deniq; nemo nõ hanc gentẽ abominatur, ut Petrus Cluniacẽſis teſtatur: Quę gentes, inquit, Iudæis nõ imperant? Quib. populis Iudæi nõ ſeruiunt? Quod genus hominũ nõ eos, ut uiliſsima mancipia cõculcat? Verè, ſicut olim eis in Deuteronomio interminatus eſt Deus, cum, quantũ ad religionem, cunctorũ populorũ caput extiterint, nũc in caudam omniũ gentium cõuerſi ſunt: qui nihil ſibi tutum alicubi arbitrantes, etiã nõ metuenda timentes, atq; ad omnes rerum euentus ſuſpenſi, ut fratricida Cain uagi & profugi ſunt ſuper terrã. Pendet aſsiduè uita eorum ante ipſorum oculos, & multa ui formidinis tremefacti, non credunt uitæ ſuæ. li. 2 cõtra Iudæos, cap. 4.

DE GENTILISMO.

NEc gentiliũ uanitas prorſus extingui potuit. Nã plurimis in locis eam uiguiſſe, Hiſtoriæ produnt, quos ſubijcimus.

In Armeniæ confinio gentes quædã habitant, quæ filios ſuos recens natos ad Armenos, ut baptizentur, mittunt: ſed pòſt patriam religionem docentur. Otto Friſing. lib. 7. cap. 32.

In tantas anguſtias Boleslaus Polonorũ princeps Boruſſos adegerat, ut ſupplices pacẽ petere cogerentur. Quæ quidẽ eiuſmodi cõditione ipſis cõceſſa fuit, ſi prẹter arma ethnicas ſuperſtitiones quoq; abijcerent. Placet cõditio, uotiq; cõpotes facti, certatim nõ tam amore religionis, quàm metu cõpulſi, ut paulo pòſt euentus declarauit, Chriſto nomina dant. Nã exercitu diſsipato, ad auitã religionẽ maxima pars redijt, Chriſtianorũ ritus explodũt, ſacrificulos ſuos, aliosq; tenacius inhęrẽtes nouę religioni eijciũt, ac tẽpla priſtinis cultib. iterũ prophanant. Boleslai aũt ueriti indignationẽ, legatos mittũt ampliſsimis cũ donis, qui regi nũciarent, ſe in fide eius manere, ipſiusq; iuſſa facturos lubẽtes, modò ad patrios cultus religionemq; ſibi reuerti liceat, pro qua quiduis perpeti omnes eſſent paratiſsimi. Muneribus & promiſsione ſplendidiſsima delinitus Boleslaus, ſic legatos dimiſit, ut factum eorum approbaſſe uideretur. Cromerus lib. 6 de rebus Polonorum.

Sclauos & Vindelicos paganos appellat Sigeberti Cont. ſub annũ Salutis 1169. Et Sclauorum terrã ſatanæ ſedẽ, & habitationẽ omnis ſpiritus immundi uocat Helmoldus in Chronico Sclauorũ, cap. 70. Apud Vandalos oppida & agros dijs redũdaſſe, Crantzius teſtatur lib. 3. cap. 37. Saxones, gentes quaſdam ſpurcicijs idolorum deditas, uicinas habere, Otto Friſingenſis lib. 1. cap. 48 de geſtis Friderici indicat.

Roſtochio à Vualdemaro Danorũ rege capto, quædam ſtatua, quã gens prophana perinde ac cœleſte numẽ diuinis honorib. colebat, incendio regis iuſſu traditur. Saxo Grãmaticus lib. 14. Danicæ Hiſtoriæ.

Finlandi idololatræ ab Erico Suecorum rege uicti, fidem Chriſtianam amplectũtur. lib. 19 Gothicæ Hiſtoriæ.

CAPITA DOCTRINAE.

De Deo.

Sclaui ꝓſperã fortunã à Deo, aduerſam à malo dirigi ꝓfitẽtur: ideoq; malũ deum ſua lingua Diabol, ſiue Zerneboch, id eſt, nigrũ deum appellant. Helmoldus cap. 53.

Inter multiformia deorum numina, quibus arua, ſyluas, triſtitias atque uoluptates attribuunt Sclaui, non diffitentur unũ Deũ in cœlis, cæteris imperitantẽ: illum præpotentem, cœleſtia tantùm curare. Hos uerò diſtributis officijs obſequentes, de ſanguine eius proceſsiſſe, & unumquẽq; eo præſtantiorem, quo proximiorẽ illi Deo deorum. Ibidem cap. 84.

De regimine ſacro.

Habuerunt ſacerdotes. Nam Mikæ flaminis, qui ſacris gentilibus Aldẽburgi præfuerit, meminit Helmoldus cap. 70. Et templi Cyzinorum & Circipanorum, quod ait fuiſſe celeberrimum, cap. 72.

Tẽpla apud Rugianos, in quib. Viti aliorũq; idola extiterũt, ob ædificiorũ ſplẽdorẽ à Saxone Grãmatico cõmendantur, lib. 14.

Apud eoſdẽ maior flaminis, quàm regis, ueneratio eſt. Ille enim reſponſa perquirit, & euentus ſortium explorat. Ille ad nutũ ſortium, & porrò rex & populus ad nutũ illius pendent. Helmoldus lib. 1. cap. 80: & lib. 2. cap. 12.

Apud Vandalos ſacerdotis munus erat, de crimine ſuſpectos per ferrum uel uomerem candentem probare. Crantzius lib. 4. cap. 26 Vandaliæ.

De ceremonijs & ritibus.

Dæmonijs immolabant: ut de Sclauis Helmoldus ſcribit, quòd Proue, Siuuam

deam Polaborum, & Radigast sacrificiorum libamentis placent: quorum solennitates sacerdotum aliquis iuxta sortium nutum publicè denunciat. Conueniunt tum utriusq; sexus omnium ætatum homines, mactantur hostiæ de bobus ouibusq;: sæpius etiam Christiani homines miserè iugulantur, quorum sanguine in primis suos deos delectari autumant, si aspergatur, & oraculis capessendis plurimũ inde accedere emolumenti. Posthæc populus ad epulas & plausus conuertitur. Circumgestatur tum inter compotationes patera quædam, in quam conferunt uerba quædam sub deorum nomine prolata, boni scilicet atq; mali: quorum ille prospera, hic uerò aduersa immittat. Helmoldus cap.53. Chronicon Sax. Crantzius lib.3.cap.37.

Habuit eadem gens lucum quendam sacrum, firmissima sepe cinctum, ob deorum multitudinem maximè in delicijs: in cuius medio ruinosæ quædam stetêre quercus, Prouen deo dicatæ, cui flamen quidam præerat, ad quas uarij sacrificiorum ritus peragebantur. Illic secunda feria populus cum flamine & regulo, qui tum ad tribunal sedere solebat, conueniunt. Atrium ingredi fas nemini erat, præter sacerdotes, ac sacrificare uolentes, aut quem mortis periculum urgebat, cui tutum hic asylum dabatur. Tantum enim sacris locis reuerentiæ exhibent, ut nec hostium suorum sanguine ea pollui patiantur. Ibidem.

Suis dijs munera offerebant, ut ex sancti Viti cultu apud Rugianos uidere licet, de quo paulo pòst dicemus. Iidem populi, quascunque gentes armis subegerint, fano suo censuales faciunt, uictoresque è prælijs regressi, aurum & argentum in ærariũ sui idoli conferunt, reliquam partem prædæ inter se partiuntur. Helmoldus capite 37. Vuagirenses etiam, & omnes Sclauorum populi, tributa eò annuatim transmittunt. Helmoldus libro 2. capite 12. Et Borussi, deuictis (sub annum Salutis 1167) Polonis, spolia dijs suis, quibus uictoriam acceptam referebant, consecrarunt: ut Cromerus indicat.

DE IDOLOLATRIA VITI.

Præ cæteris populis ad maris Balthici littus, Rugiani magis ethnicis dediti fuêre cultibus. Maximè uerò haud uulgari superstitione Vitum coluerunt, cuius fanum primarium ipsaq; statua in metropoli Archon fuit. Ac copiosus est Saxo Grammaticus in eius idoli cultusq; descriptione, cuius uerba, tanquam testis fide dignissimi, adscribere uisum fuit: Medium, inquit, urbis planicies habebat, in qua delubrum materia ligneum, opere elegantissimum uisebatur, non solùm munificentia cultus, sed etiam simulachri in eo collocati numine reuerendũ. Exterior ædis ambitus accurato cælamine renitebat, rudi atq; impolito picturæ artificio uarias rerum formas cõplectens. Vnicũ in eo ostiũ intraturis patebat. Ipsum uerò fanum duplex septorũ ordo claudebat. E quibus exterior parietibus contextus, puniceo culmine tegebatur. Interior uerò quatuor subnixus postibus, parietum loco pensilibus aulæis nitebat, nec quicquã cum exteriore, præter tectum & pauca laquearia, communicabat. Ingens in æde simulachrum, omnem humani corporis habitum granditate transcendens, quatuor capitibus, totidemque ceruicibus mirandum perstabat, è quibus duo pectus, totidemq; tergum respicere uidebantur. Cæterùm tam antè quàm retrò collocatorũ unũ dextrorsum, alterum læuorsum cõtemplationem dirigere uidebatur. Corrasæ barbę, crines attonsi figurabantur, ut artificis industriam, Rugianorum ritum in cultu capitum æmulatam putares. In dextra cornu uario metalli genere excultum gestabat, quod sacerdos sacrorum eius peritus, annuatim mero perfundere consueuerat, ex ipso liquoris habitu sequentis anni copias prospecturus. Læua arcum reflexo in latus brachio figurabat. Tunica ad tibias prominens fingebatur, quæ ex diuersa ligni materia creatæ, tam arcano nexu genibus iungebantur, ut compaginis locus non nisi curiosiori contemplatione deprehendi potuerit. Pedes humo contigui cernebantur, eorum basi intra solum latente. Haud procul frænum ac sella simulachri, compluraque diuinitatis insignia uisebantur. Quorum admirationem conspicuæ granditatis ensis augebat, cuius uaginam ac capulum, præter excellentem cęlaturæ decorem, exterior argenti species commendabat. Solennis eidem cultus hoc ordine pendebatur: Semel quotannis post lectas fruges promiscua totius insulæ frequentia ante ædem simulachri, litatis pecudum hostijs, solenne epulum religionis nomine celebrabat. Huius sacerdos, præter communem patriæ ritum barbæ comæque prolixitate spectandus, pridie quàm rem diuinam facere debuisset, sacellum (quod ei soli intrandi fas erat) adhibito scoparum usu, diligentissimè purgare solebat, obseruato, ne intra ædem halitum funderet. Quo quoties capescendo uel emittendo opus habebat, toties ad ianuam procurrebat, ne uidelicet Dei præsentia, mortalis spiritus contagio pollueretur. Postero die populo præ foribus excubante, detractum simulachro

lachro poculum curiosius speculatus, si quid ex inditi liquoris mensura subtractum fuisset, ad sequentis anni inopiam pertinere putabat. Quo annotato, præsentes fruges in posterum tempus asseruari iubebat. Si nihil ex consuetæ fœcunditatis habitu diminutum uidisset, uentura agrorum ubertatis tempora prædicabat. Iuxta quod auspicium, instantis anni copijs nunc parcius, nunc profusius utendum monebat. Veteri deinde mero ad pedes simulachri libamenti nomine defuso, uacuefactum poculum recenti imbuit, simulatoque propinandi officio, statuam ueneratus, tum sibi tum patriæ bona, ciuibusque opum ac uictoriarum incrementa solennium uerborum nuncupatione poscebat. Qua finita, admotum ori poculum nimia bibendi celeritate continuo haustu siccauit, repletumq; mero, simulachri dexterę restituit. Placenta quoq; mulso confecta, rotundæ formæ, granditatis uerò tātę, ut penè hominis staturam æquaret, sacrificio admouebatur. Quam sacerdos sibi ac populo mediam interponens, an à Rugianis cerneretur, percontari solebat. Quibus illam à se uideri respondētibus, ne post annum ab ijsdem cerni posset, optabat. Quo precationis more non suum aut populi fatum, sed futura messis incrementa poscebat. Consequenter sub simulachri nomine præsentem turbam consalutabat, eamque diutius ad huius numinis uenerationē sedulo sacrificij ritu peragendā hortatus, certissimum cultus præmium, terra mariq; uictoriam promittebat. His ita peractis, reliquum diei plenis luxuriæ epulis exigentes, ipsas sacrificij dapes in usum conuiuij & gulæ nutrimenta uertēre, cōsecratas numini uictimas intemperantiæ suæ seruire cogentes. In quo epulo sobrietatem uiolare, pium æstimatum est: seruare, nefas habitum. Nummus ab unoquoq; mare uel fœmina annuatim, in huius simulachri cultū, doni nomine pendebatur. Eidem quoque spoliorum ac prædarum pars tertia deputabatur, perinde atque eius præsidio parta obtentaq; fuissent. Hoc quoq; numen trecentos equos descriptos, totidemq; satellites in eis militantes habebat: quorum omne lucrum, seu armis, seu freto quęsitum, sacerdotis custodiæ subdebatur: qui ex earū rerum manubijs, diuersi generis insignia, ac uaria templorū ornamenta conflabat, eaq; obseratis arcarum claustris mandabat, in quibus præter abundantem pecuniā, multa purpura uetustate exesa congesta fuerat. Illic quoque publicorum munerum ac priuatorum ingens copia uisebatur, studiosis beneficia poscentium uotis collata.

Hancitaq; statuam, totius Sclauiæ pensionibus cultam, finitimi quoq; reges, nō absque sacrilegij respectu, donis prosequebantur. Quam inter cæteros etiam rex Danorū Sueno, propitiandi gratia, exquisiti cultus poculo ueneratus est, alienigenæ religionis studium domesticæ præferendo: cuius postmodum sacrilegij infelici nece pœnas persoluit. Alia quoq; fana compluribus in locis hoc numen habebat, quę per supparis dignitatis, ac minoris potentię flamines regebantur. Pręterea peculiarem albi coloris equum titulo possidebat, cuius iubæ aut caudę pilos conuellere nefarium ducebatur. Hunc soli sacerdoti pascendi insidendiq; ius erat, ne diuini animalis usus, quo frequentior, hoc uilior haberetur. In hoc equo, opinione Rugię, Suantouitus (id simulachro uocabulum erat) aduersum sacrorum suorum hostes bella gerere credebatur. Cuius rei præcipuum argumentum extabat, quòd is nocturno tempore stabulo insistens, adeò plerunque manè sudore ac luto sespersus uidebatur, tanquam ab exercitatione ueniendo, magnorum itinerum spacia percurrisset. Auspicia quoque per eundem equum huiusmodi sumebantur: Cum bellum aduersum aliquam prouinciam suscipi placuisset, ante fanum triplex hastarum ordo, ministrorum opera disponi solebat: in quorum quolibet binæ è transuerso iunctæ, conuersis in terram cuspidibus figebantur, æquali spaciorum magnitudine ordines disparante. Ad quos equus ductandæ expeditionis tempore, solenni precatione præmissa, à sacerdote è uestibulo cum loramentis productus, si propositos ordines antè dextro quàm læuo pede transcenderet, faustum gerendi belli omen accipiebatur. Sin læuum uel semel dextro prætulisset, petendæ prouinciæ propositum mutabatur. Nec prius certa nauigatio præfigebatur, quàm tria continuè potioris incessus uestigia cernerentur. Ad uaria quoque negocia profecturi, ex primo animalis occursu uotorum auspicia capiebant. Quæ si læta fuissent, cœptum alacres iter carpebant: sin tristia, reflexo cursu propria repetebant. Nec sortium eis usus ignotus extitit. Siquidem tribus ligni particulis, parte altera albis, altera nigris, in gremium sortium loco coniectis, candidis prospera, furuis aduersa signabant. Sed ne fœminę quidem ab hoc scientiæ genere immunes fuēre. Quippe foco assidentes, absq; supputatione fortuitas in cinere lineas describebant. Quas si pares numerassent, prosperæ rei præscias arbitrabantur: si impares, sinistri pręnūcias autumabant. Hęc Saxo li. 14

Danicæ

Danicæ historiæ. Suanteuith Rugianorum deum,inter omnia Sclauorum numina primatum obtinuisse, clariorem in uictorijs,in oraculis reddendis efficaciorem, deorumq; deum extitisse, Helmoldus lib. 2.cap.12 tradit. Cæterùm cunctis mercatoribus liber patebat accessus, negociandiq; facultas, si illius terræ numini prius suum cultum præstitissent. Crãtzius lib.5 Vandaliæ,cap.11.12,& sequentibus.

Iidem etiam Arconenses turrim quandam,supra portam ciuitatis extructam, signis tantùm aquilisq; protegebant. Inter quas erat Stanitia (alij legunt Stuatira) magnitudine ac colore insignis,cui tantum uenerationis à populo Rugiano tributum est, quantum penè omnium deorum maiestas obtinuit. Eam enim præ se ferentes, in humana diuinaque grassandi potestatem habebant, nec quicquam eis quod libitum foret,illicitum habebatur. Populari urbes,aras demoliri, fas ac nefas in æquo ponere,cunctosq; Rugiæ penates aut ruinis aut incẽdijs euertere potuisset: tantũq; superstitioni indultum est, ut exigui panni autoritas, regiæ potestatis uires transcẽderet. Plectentes signo perinde ac diuino gestamini honorem habebant, officijs damna, iniurias obsequijs rependentes. Saxo Grammaticus lib.14.

Apud eosdem urbs Carentia triũ præpollentium fanorum ædificijs insignis erat. Iis tantum penè uenerationis,priuatorum deorum dignitas conciliauerat, quantum apud Arconenses publici numinis autoritas possidebat. Maius fanum uestibuli sui medio continebatur:sed ambo parietũ loco purpura claudebãtur,tecti fastigio solis duntaxat columnis imposito.In templo ex quercu factum simulachrum erat, quod Rugiæuithum uocabant,deforme,in cuius capite septem humanę similitudinis facies consedẽre, quæ omnes unius uerticis superficie claudebantur.Totidem quoq; ueros gladios cum uaginis uni cingulo appẽsos eius lateri artifex conciliauerat. Octauum in dextera districtum tenebat. Hunc pugno insertũ firmissimo nexu ferreus clauus adstrinxerat, nec manui, nisi præcisæ, auelli poterat.Spissitudo illi supra humani corporis habitum erat, longitudo uiri staturam longè excedebat.Hoc numẽ perinde ac Martis uiribus præditũ, bellis præesse credebant incolæ.In proxima æde Poreuithum simulachrum colebatur, quinq; capitibus instructum,sed armis carẽs. Tertia ædes Porenutij idolo conspicua fuit. Hæc statua quatuor facies repræsentans, quintam pectori insertam habebat, cuius frontem læua,mentum dextra tangebant. Saxo lib.14. Danicæ Historiæ.Et Crantzius de Vandalorũ reb.lib.5.cap.12.13. Et Helmold⁹ inquit: Inter multiformia Sclauorũ numina præpollet Zuuanteuith, deus terræ Rugianorũ, utpote efficacior in respõsis,cuius intuitu cæteros quasi semideos æstimabant.Vnde etiam in peculium honoris annuatim hominem Christicolã, quem sors acceptauerit, eidem litare consueuerunt.Quin & de omnibus Sclauorum prouincijs statutas sacrificiorũ impensas illo trãsmittebant.Mira aũt reuerentia circa fani diligentiã affecti sunt,nam neq; iuramẽtis facilè indulgent,neq; ambitum fani uel in hostibus temerari patiuntur.Helmoldus cap.53 de rebus Sclauorum.

PROVE, PODAGA.

Præter lucos penatesq;,quos in agris & oppidis Sclauorũ magna frequentia uidere licebat,in agro Aldenburgensi,ubi olim episcopalis fuerat sedes,Proue idolum cultum.Apud Polabos Siuua muliebre numẽ dominabatur.Obotriti Radigast idolũ uenerabantur.Helmoldus cap.53.70. Et cap. 84 idem ait, multiplicem idololatriæ cultum apud Sclauos uigere, non enim omnes in eandem superstitionis consuetudinem consentire. Alij enim imaginarias simulachrorum formas in suis templis urbanis habent, ueluti Plunense idolum, cui nomen Podaga:alij deorum syluas uel lucos inhabitant, ut est deus Proue, quibus nullæ sunt effigies expressæ.Multos & duobus uel tribus, uel eo amplius capitibus exculpunt.

Cæterùm idolorum quæ diximus forma,in Saxoniæ Chronico describitur:Proue idolum columnæ impositum stetit, altera manu uomerem,quo innocentia probari solebat, altera uerò hastam cum uexillo tenens,cuius tempora coronis redimita erant,aures prominentes,pedes ocreati, & sub alterius calce tintinnabulum pẽdebat. Radegasti, cuius Mechelburga erat domicilium,pectus clypeus, cui nigrum bubali caput impressum erat, tegebat, manus securi militari armata, capiti auicula insidebat. Siuua dea altera manuum, quas tergo impositas gerebat, aureum malum, altera uuas uirenti pampino adhærentes gestabat: coma uerò ad suras usque dependebat.

FLINS.

Præterea aliud quoddam Vandalis,Lusatiam incolentibus, erat idolum,Flins nomine,qua uoce silicem appellant Saxones, silici prægrandi impositum,eam qua mortis imago pingi solet,formam præ se ferẽs: sed lõgo pallio tectum,manu gestans baculum cum tumente suis uesica. At sinistro humero

humero leo insidebat, per quem tandem à mortuis se excitandos credebant barbari. Chronicon Saxoniæ Germanicum.

TRIGLAS.

Triglas idolum triceps, Stetinenses coluerunt. Apud eosdem & equus generosus nigri coloris, qui magno studio à quodam sacerdotum curabatur, in precio fuit, à quo in bellum ituri, rei euentum explorabant certa quadam ratione: Sacerdos, cui equi cura commissa erat, nouem hastas, spacio unius cubiti ab inuicem distantes, in terra disponebat, ac per transuersum frę no equum ter ducebat reducebatque, ac si nullo pedum ad hastam offendisset, felicis belli ipsis omen erat. In Vita Ottonis libro 2.cap.21.22.

HERONITVS.

Heronitus, qui lingua Latina Mars dicitur, Vuolgasti deus fuit, ac in omni prælio uictores sese, hoc præuio, futuros confidebát incolæ. In cuius templo, mirę magnitudinis clypeus eidem dicatus, de pariete dependebat, aureis laminis, miro artificio exculptis, obtectus, quem nemini mortalium fas erat attrectare. Ibidem lib.3.cap.5.

Pomeranos prægrandem nucé sacro honore prosecutos, ibidé cap.21 indicatur.

IODVTE.

Cęso ad syluam Vuelphonis, prope Másfeldiam, exercitu Cæsaris, Saxones, qui Romano studebant pontifici, uictores in locú istum trophæum quoddam statuunt. Imaginem uiri armati trunco imponunt, qui sinistra clypeum equo candenti insigne, dextra uerò clauam gerebat. Quod idolum postea à uicinis colonis diuino honore cultú fuit, indito ei nomine Iodute, quasi eius beneficio Saxones eo bello superiores extiterint: pugnæ enim tessera ipsis fuerat, Io adiute mi. ibiq; conditum sacellum quoddam. Chron. Saxoniæ.

Lucos & fontes Falderenses colunt, quá impietatem Vicelinus abrogat. Helmoldus capite 48.

Malleos Iouiales pagana superstitione Sueones colunt. Gothica Hist. lib.18.ca.16.

MORES GENTILIVM.

Coniugij leges transgrediebantur. Nam non solùm Vratislauus Pomeranorú dux, iuxta gentilium ritum, quatuor & uiginti concubinas, præter legitimam coniugem, domi suæ alebat: sed & reliquú uulgus plurium muliercularum amore implicitus erat. Chronicon Bambergense.

Apud eosdem uulgare erat, recèns natos infantes occidere, pithonissas accedere, immundo, morticino, suffocato, idolothyto sanguine animalium uesci. Nam ut deinceps ijs rebus abstineant, monentur ab Ottone Bambergensi. Vrspergensis.

Fuit Sclauorum genti innata crudelitas, saturari nescia, impatiens ocij, uexans regionum adiacentia, terra marique. Helmoldus capite 53. Attamen nulla gens ijsdem honestior hospitalitatis gratia. In colligendis enim hospitibus omnes quasi ex sententia alacres sunt, ut nec hospitium quenquam postulare necesse sit. Quicquid enim agricultura, piscationibus, seu uenatione conquirunt, totum in largitatis opus conferunt, eo fortiorem quenquam, quo profusiorem iactitantes: cuius ostentationis affectatio multos eorum ad furta uel latrocinia propellit. Quæ utiq; uiciorum apud eos quidem uenialia sunt, excusantur enim hospitalitatis palliatione: Sclauorum enim legib. accedens, quod nocte furatus fueris, crastina hospitib. disperties. Si quis uerò, quod rarissimum est, peregrinum hospitio remouisse deprehensus fuerit, huius domum uel facultates incendio cósumere licitum est: atque in id omnium uota pariter conspirant, illum inglorium, illum uilem, & ab omnibus exibilandum dicétes, qui hospiti partem negare non timuisset. Idem cap.83.

Iuramenta difficulter ijdem admittunt, ac iurare ipsis quasi peierare est. Idem capite 54.

Vandali in arboribus, sentibus & lapidibus iurabant. De criminibus suspectos sacerdoti per candens ferrum examinandos dabant. Crantzius libro 4. capite 26 Vandaliæ.

Rugiani crudeles sunt, omnibus imperare, sed nemini ipsi parère uolunt. In bellum ituri, quà sors ostendit, exercitum dirigunt. Hospitalitate insignes, & erga parentes maximè benefici habentur, in infirmorum cura fideles. Mendicus apud eos nullus. Helmoldus libro secundo, capite 12.

De Vngarorum moribus in hunc modum Otto Frisingensis scribit: Sunt Vngari facie tetri, profundis oculis, statura humiles, moribus & lingua barbari & feroces, ut iurè fortuna culpanda, uel potius diuina patientia sit admiranda, quæ, ne dicam hominibus, sed talibus hominum monstris tam delectabilem exposuit terram. In hoc tamen Græcorum imitantur solertiam, quòd nullam rem magnam sine crebra & longa consultatione aggrediuntur. Denique cùm uilissima in uicis uel oppidis ibi, id est, ex cannis tantùm, rara ex lignis, rarissima ex lapidibus habeantur habitacula, toto æstatis uel autumni tempore papiliones inhabitant. Ad curiam regis sui, singulis ex primoribus

moribus sellam secum portantibus, conueniunt, ac de suæ reipublicæ statu pertractare & discutere non negligunt: hyemis algore in domicilijs, qui habent, idipsum facientes. At omnes sic principi suo obsequũtur, ut unusquisque, ne dicam manifestis illum contradictionibus exasperare, sed & occultis susurrijs lacerare nefas arbitretur. Hinc est, ut cum prædictum regnum per LXX uel amplius diuisum sit comitatus, de omni iusticia ad fiscum regium duæ lucri partes cedant, tertia tantùm comiti remaneat: nullusque in tam spacioso ambitu, rege excepto, monetam uel teloneum habere audeat. Quòd si aliquis ex comitum ordine regem uel in modico offenderit, uel etiam de hoc, quanquam non iustè, infamatus fuerit, quilibet infimæ conditionis lixa, à curia missus, eum, licet satellitibus suis stipatum, solus comprehendit, in uinculis ponit, ad diuersa tormentorum genera trahit. Nulla sententia à principe, sicut apud nos moris est, per pares suos exposcitur. Nulla accusato excusandi licentia datur: sed sola principis uoluntas apud omnes pro ratione habetur. Si quando uerò exercitũ rex ducere uoluerit, cuncti sine contradictione quasi in unum corpus adunantur. Coloni quidem, qui in uicis morantur, nouemdecimum, uel etiam septemoctauum, uel infrà, si necesse fuerit, cum supellectili ad bellum necessaria instruunt, cæteris pro cultura terræ domi relictis. Qui uerò de militũ ordine sunt, nulla occasione, nisi grauißima, domi remanere audebunt. At in ipsa regis acie hospites, quorum ibi magna copia est, & qui apud eos principes dicuntur, latus principis ad muniendum ambiunt. Omnes penè tetri, tetris in armis procedunt, nisi quòd iam ab hospitibus, quos nunc solidarios dicimus, educati, uel ab eisdem etiam geniti, quandam non innatam, sed quasi extrinsecus affixam uirtutem trahentes, principes tantùm & hospites nostros in pugnandi peritia armorumq; splẽdore imitantur. lib.1.cap.3 de gestis Friderici.

Rauenellæ (urbs est Græcorum Imperatori parens, in uasto nemore sita) incolæ, qui & Serui dicuntur, filij sunt Belial, sine iugo Dei, illecebris carnis & gulæ dediti, omnibusq; immundicijs seruientes, ipsisq; beluis uita beluina agrestiores. Helmoldi Continuator cap.4.

A' QVIBVS ET QVOMODO *propugnatus sit Gentilismus.*

A' sacerdotibus gentilibus: ut ex Helmoldi cap.70 patet. Ottoni in Stetinensi urbe idola demolienti, sacerdos quidam acriter restitit: uerùm is tandem nocte crepuit medius. lib.2 in Vita Ottonis, cap.23.

A' QVIBVS ET QVO*modo contra Gentilismum laboratum sit.*

Ex doctoribus Ecclesiæ aliqui maximo cum labore uitæque periculo hisce uanitatibus se opposuerunt, hominesque de ueritate cœlesti erudierunt: cuius rei illustre sanè testimonium est, Otthonis Bambergensis ad Pomeranos profectio, & idolorum, quæ paßim ijdem uenerabantur, demolitio: & Vicelini apud Nordalbingos uicinosq; populos in extirpando lucorum, fontium idolorumq; superstitioso cultu feruor: de quo Helmoldus in Sclauorũ Chronico cap.48.70. Hartuuigus Hamburgensis ad Sclauos plures misit episcopos, qui plebeculam illam, deditam ethnicæ impietati, de salute erudirent. Idem capite 70. Geroldus Aldenburgẽsis episcopus, cum fortè in quendam Sclauorum lucum, quẽ maximè sacrum habebant, incidisset cum Helmoldo Buzouiẽsi canonico, ignẽ mox subiecit, totumq; in cineres redegit. idem cap.84. Chron. Saxoniæ.

Et politici contra idola egerunt. Nam Vandalorum idolum Flins, Lotharius Imperator destruit. Chron. Saxoniæ. Adolphus Holsatorũ comes, & Nicolotus Obotritorum princeps, Kyzinorum & Circipanorum fanum celeberrimum cum idolis subuertunt. Helmoldus cap.72. Absolon & Iaimirus Dani, Rugianorum idola in Arcone & Carentia concîdunt, eorumq; cultu cunctis deinceps interdicunt: ut Saxo prodit libro 14. Helmoldus libro secundo, capite 12. Finlandos armis Christianam fidem, abiecta auita religione, amplecti cogit Ericus Suecorum rex. libro 19 Gothicæ Historiæ.

DE MAHOMETISMO.

Qvanta felicitate sacri Belli milites terram Sanctam, profligatis simul cũ religione impia & blasphema Turcis, recuperarint, superiori Seculo diximus. Attamen multis in locis hoc uirus mansit integrum. Nam Iconium, ut habet Sigeberti Continuator, Tripolin, Gibeletum, Cæsareã, Mahumetani multos annos tenuerunt. Bergomensis. Iconij Sultani crebrius meminit Nicetas sub Manuele Imperatore, cum quo continuũ gesit bellũ.

Cum Turcis Persiam incolentibus, perpetuum fuit bellum Ierosolymitanis Christianis: ut ex Tyrio uidere est.

Ab Antiochena ecclesia tres archiepiscopatus Turcæ auulserunt, Edissanum, Hieropolitanum & Toritiẽsem: quorum, inquit Tyrius, ecclesias infidelitas & gentilis

tilis superstitio inuitas detinet.lib.17.ca.17.

Leupus Valentiæ & Musciæ rex gentilis & Agarenus, Henrico Anglorum regi splẽdidissima obtulit munera, sub annum 1136. Cuius religionis & subditos fuisse, certè nõ est quòd quisquam dubitet. Sig.Cont.

Chasiorum, quæ Agarenis uicina gẽs est, summam erga suos magistratus reuerentiam esse, Nicetas lib.2 de gestis Isaacij Angeli refert.

Tyrum, Berythum, Sidonem, aliquandiu hoc seculo Turci tenuerunt: unde tamen eiecti narrantur apud Tyrium.

CAPITA ERRORVM

Mahumetistarum.

De opinionibus eorum in hunc modum Otto Frisingensis scribit: Constat, uniuersitatem Saracenorum unius Dei cultricem esse, librosq; legis, nec nõ & circũcisionem recipere, Christũ etiã & Apostolos, & Apostolicos uiros non improbare. In hoc tantùm à salute longè esse, quòd IESVM Christum, humano generi salutem afferentem, Deum uel Dei filiũ esse negat, Mahometq; seductorem tãquam prophetam magnum summi Dei ueneratur & colit. Cuius seductionis, ut ipse fabulatur, prędicationis tale apud eos traditur esse exordium: Initium Euangelij Mahumet, filij Dei, prophetæ altissimi. Lauamini, mũdi estote. Quod pręceptum prædicta gens stolidè seruans, secretiores corporis partes quotidie abluere solet. Lib.7.cap.7.

Saraceni Christum Deum Deiq; filiũ negant, mortemq; eius ac resurrectionẽ diffitentur. Petrus Cluniacensis li.5.epistola 33.

DE RITIBVS, CEREMONIIS

& moribus eorum.

Circumcisionẽ sanctè obseruarunt: ut ex lib.1 Continuatæ Historię Belli sacri, cap.4. constat.

Saladinus Ægyptius, postquã Hierosolyma expugnasset, Salomonis tẽplũ prius ingredi noluit, quã aqua rosacea lotũ esset: ut in Bambergensi Historia, & li.1 Continuatæ Historiæ sacrę, cap.7 scribitur. Idem suis exuuijs terrę mandãdis pręferri iussit pannũ nigrũ de lancea suspensum, pręcone has addente uoces: Salahadinus Asię totius dominatur, ex tãto regno tãtisq; opib. moriẽs, nihil aliud secum defert. Bergomẽsis lib.12.

Gens Chasiorũ suos principes ita uereri & obseruare, & in iussis eorum exequendis adeò alacris esse dicitur, ut si tãtùm supercilio magistratus innuerit, statim de rupibus se pręcipitẽt, & in enses irruãt, in undas desiliant, in ignẽ se conijciant, & ad eos missi, quos eorũ principes occisos uolũt, ut hospites & amici adeũt. & aut se habere quod eis dicant, aut legatos uenire simulantes, sæpe dominorum suorũ aduersarios pugionibus occidũt: nulla difficultatis & explorat i supplicij ratione habita, etiamsi alterũ nõ occiderint. Nicetas lib.2 de gestis Isaacij Angeli.

À QVIBVS ET QVO-

modo propugnatus.

Et sacerdotes, & reges ducesq; hæc uenena pro suo quisq; uirili propugnarũt. Nã ea de causa sumpserunt arma Turcæ, ut uera religione è medio sublata, sua tantùm ui geret. Et cum Tripolitanus comes odio regis Ierosolymorũ se ipsis adiungeret, circũcidi prius eũ oportuit: ut ex Tyrio constat.

Memorabile est, quòd Manuel Cõnenus Cõstantinopoleos Imperator sub uitę finẽ anathema illud in Mahometi Deũ, catecheticis tabulis inter cęteras sanctiones inscriptũ, passim aboleri & exscindi, & à magnę ecclesiæ tabula initium fieri uoluit. Ac ne quid temerè in hac re facere uideretur, honestum scilicet, ex aulicorum cerebro natum, prætextum quendã adferebat, Agarenos nimirum blasphemijs eiusmodi in suũ deũ, magis magisq; irritari & offendi, & lõgius à pia religione recedere. Insuper edictum suapte autoritate, & aulicorum eruditorum, quos tempori seruire norat, ministerio, repugnãtibus sacerdotibus, proponit, quo & Mahometi delirium defendebatur, & superiores Imperatores sacrorumq; antistites apertè taxabantur, qui Deum uerum ineruditè & inconsideratè anathemate notari passi essent: & id decretũ in sacro palatio publicè recitandũ curat, principibus senatus & cognatis suis literarũ studiosis, qui ueluti uiam præpararent atq; applauderẽt, præmissis: ut habent Annales Nicetę Choniatæ, lib.7 rerum à Manuele gestarum.

À QVIBVS ET QVO-

modo repugnatum.

Constãtinopoli catecheticis tabulis anathema in Mahometi Deum inscriptum fuit, quẽ nec genuisse nec genitũ, sed holosphyron esse, affirmat. Nicetas lib.7 de rebus gestis Manuelis.

Petrus Cluniacensis cõtra eandẽ sectam calamum strinxit, ut ipsemet testatur lib. 5 Epistolarum, inquiẽs: Hoc ego de hoc pręcipuo errore errorum, de hac fęce uniuersarum hæresium, in quam omnium diabolicarum sectarum, quæ ab ipso Saluatoris aduẽtu ortę sunt, reliquiæ cõfluxerunt, facere uolui, ut sicut lethali eius peste dimidius penè orbis infectus agnoscitur, ita quàm sit execrandus & conculcandus, detecta eius stulticia & turpitudine, à nescientibus agnoscatur.

Quomodo denique politici magistratus in extirpando hoc religionis genere sudarint, sequenti Capite annotabimus.

CAPVT XVI.

DE MOTIBVS ET MVtationibus politicis.

TVRBIS & motibus admodum funestis hoc Seculum superiori uix cedit. In Oriente enim Turcæ suum regnum, quod sacra illa expeditione grauiter fuerat debilitatum, summo conamine restaurare contenderunt. Præterea Constãtinopolitani tam domesticis quàm exteris bellis lanienisq; occupati fuêre. Occidentẽ uerò intestina illa bella, quorum Romani pontifices eorumq; mancipia faces & tubę extiterant, ut superiori Libro diximus, non minus affligebant. Verùm de his initium faciemus.

IN EVROPA.

SVB HEINRICO *quarto.*

COnrado, qui contra parentem ad Imperij dignitatem, pontificum quorũdam instinctu aspirarat, extincto, pax aliqua affulsit, præsertim cum Paschalis pontifex tragico fortè multorum suæ farinæ hominum exitu nonnihil à sæuitia, quę hæreditario quasi iure in Romanos pręsules hac ætate deuolui uidebatur, retraheretur: uel quòd alter filius Imperatoris Heinricus, qui post Cõradum fuerat regio diademate ornatus, patris adhuc sectaretur partes. Prętereà apud Saxones tumultuum faces primariæ uiolento mortis genere ijsdem ferè diebus interierant. Reliquos Imperator beneuolentia præmijsq; facilè placauit, & in officio continuit. Pacem in quadriennium initam Sigebertus refert. Dehinc Reginoburgum ad comitia contendit Imperator. Ibi cum de Hermanni Coloniensis archiepiscopi cognouisset obitu, statim itineri se accingit, eoque delatus, Fridericum successorem designat. Heinricum pòst Limburgensem parêre detrectantem, sua ditione exuit: uerùm supplici non modò reconciliatur, sed & totius Lotharingiæ ducatum attribuit. Inde in Robertum Flandrensem, Cameracum liberam urbem infestantem, mouet. Sed hyemis asperitate, expugnatis tamen prius aliquot Roberti castellis, Leodium in hyberna se recipere compellitur, anno 1102, iuxta Flãdrię Chronicõ. Comitijs ibi celebratis, pax confirmata est, Roberto in Imperatoris uerba, ut ibidem scribitur, iurante. Latrocinia, quæ iam tot annos, Imperij dignitate fluctuante, inualuerant, prohibita, & latrunculorum receptacula diruta sunt. Quibus peractis, Reginoburgum cum filio rege petit. Sed inter eundum pater, mutata sententia, Moguntiæ subsistit: at filius cœptum iter perficit. Post hyberna uerò Romam, pacis ineundæ gratia cum Paschali põtifice, quem, Auentino teste, ut pacis amatorem, à cæde & sanguine abhorrentem colebat, ire decreuerat Imperator. Interim Paschalis Romæ concilio celebrato (Nauclerus Florentiæ factum asserit) non solùm approbat antecessorum suorum contra Imperatorem decreta, sed etiam atrociori excommunicationis fulmine contra ipsum sæuit. Quo cognito, Imperator Romam proficisci differt. Cum itaque sub initium anni 1105 patri filius non adesset, proceres non pauci, quos inter primi fuêre Diethboldus à Vogburg, Berengarius à Sultzbach, Otto, Vuelpho & Heinricus Boiorum duces, & Albertus regius cancellarius, filio, ut contra parentem arma capiat, autores sunt. Ac mira arte impium hoc consilium ipsi imprudenti instillabant iuueni. Mirari se, dicebant, quòd tam durum parentem ferre posset, nihil eum à seruo differre: patrem senem esse, & regni molestijs inualidum, ac metuendum, si pater Romanorum pontificum hostis & excommunicatione irretitus moreretur, fore ut alius ipsi præriperet Imperij dignitatem. Nec sibi obseruandum quod incautè iurarit, imò tum demum se sanctificasse, si iuramentum excommunicato iuratum, ut loquitur autor Vitæ Heinrici, irritum faceret. Longum porrò erat filio, patris mortem expectare. Specie igitur pietatis & religionis, ut Frisingensis loquitur, filius à patre, contra ius naturæ & fas legum, ut Vincentij & Vrspergensis utamur uerbis, defecit, ac in Romani pontificis potestate se totum futurum, eiusque ac totius Christianæ reipublicæ dignitatem, quæ tot iam annos patris sui contumacia plurimùm sit periclitata, pro uirili tutaturum promittit. Confluunt statim ad Henricum iuniorem Centauri Cyclopesque, quibus pax exosa, & ex rapto uiuere animus erat, collaudantes eius factum pietate plenum, si Dijs placet, suamque ipsi operam addicentes. Quin & ecclesiarum episcopi, quos rectius satanæ mancipia dixeris, igni oleum addebant, impietatem filij extremam contra parentem suo suffragio comprobantes, quòd patrem terrestrem spirituali, Romano nimirum præsuli, iurè postponeret. Hisce turbarũ facibus stipatus iunior Heinricus, in Saxoniam contendit ad ueteres parentis inimicos: à quibus perbenignè accipitur. Insuper Ruthardi Mogũtini (qui octo

annos

annos apud Thuringos ob cædem Iudæorum & prædas exularat) & Gebhardi Constantiensis atte, tota ferè Saxonia in ipsius uenit potestatē. Vto Hildesianus, Heinricus Padebornensis, & Fridericus Halberstadensis episcopi, qui patris antea fouerāt partes, ad pedes illius deuoluti ueniam impetrāt.

Reuocat quidem filium pater, & mentione datæ fidei debitæq; pietatis, imò lachrymis largis: sed surdo fabulam narrat, filio subinde excommunicationem, qua ab obedientia eximatur, contumaciter patri obijciente. At Heinricus pater, ubi hæc accepit, Paschali scribit, quem ob pacis studium aliasque uirtutes collaudat. studiosissimumque concordiæ appellat, ac de tanta filij perfidia conqueritur: aperit tandem, se amicum cum mandatis legasse, cui fidem habeat, cum quo arcano sermone conferri, se denique certiorem fieri, quid nam sibi de eo sperare liceat, postulat. Filius quoque splendidiores Romam mittit legatos, Brunonē nimirū Treuerensem, Heinricum Magdeburgēsem, Gebhardū Constātiensem, Eberhardum Eichstetensem, Ottonem Bambergicum, & Vuigbertum comitē, qui Romanum pontificem in Germaniam adducant. Verùm ij per Boiariam profecti, Tridēti ab Alberto præside in uincula conijciūtur. Solus Gebhardus euasit, ac Mechtildæ opera ad Paschalem in Italiam uenit. Albertus Ottonem & Brunonem episcopos cū Vuigberto comite ea lege dimittit, ut petita ab Imperatore uenia, cum eo in gratiā redeant. Hi cum uix discessissent, Guelpho quidam Boiorum dux Tridentum obsidet, & Albertum reliquos captiuos reddere cogit. Qui omnibus exuti rebus, Mersburgum ad regem reuertuntur.

Cæterùm primum Henrici iunioris erat studium, ut episcopos, passim suis sedibus à patre pulsos, restitueret. Collectis itaq; uiribus, Heinricū Magdeburgicum primùm reducit, pòst Ruthardum Moguntinum restituere parat. In qua urbe pater commorabatur. Ad urbis itaque mœnia, trans Rhenum tamen, filius castra ponit: sed bonorum ope, qui ultrò citroq; missi, patricidiale detestabantur bellum, absque prælio discessum est. Nauigijs prętrea, quibus exercitus traduci posset, destituebantur oppugnantes. Inde Herbipolim profectus, Herlungum, quem olim pater ibi constituerat episcopum, urbe eijcit, eiq; Rupertum substituit. Sic eadem ecclesia Romano episcopo unita fuit. Dehinc Norinbergam oppugnare cœpit, quæ post alterum obsidionis mensem in ipsius uenit potestatem. Rerum successu creuit temerario iuueni & animus, solutoque exercitu, Ratisbonam, quæ hactenus in patris fide semper permāserat, nemine prohibente se contulit. Filij uestigia insecutus pater, Vuirciburgi Erlungum restituit, eiecto Ruperto: fautorum filij ditiones inter eundum miserè uastat, & omnium opinione celerius Ratisbonam ingreditur. Nam maxima copiarum pars, ciuibus Imperatori fauentibus, iam urbem tenebat. Cum de periculo suo cōmonefieret filius, mox urbe excedens, apud Sueuos, Bauaros & Carinthios militem cogit. Pater etiam Bohemiæ regis Borisboij, seu Boroes, & Leopoldi Austriæ ducis se munit haud uulgaribus præsidijs. Vterq; autem exercitus ad Reginum fluuium, qui eos disiungebat, opposita habebant castra. In uado leuibus pugnis sæpe congressi sunt: ubi Hartuuicus, qui patris erat partium, ferro occubuit. Tandem Bohemiæ regem, & Leopoldum marchionem, filius pollicitationibus satis splēdidis domum pedes cum copijs referre persuasit. Otto Frisingensis li. 7. ca. 8 & 9. Suos uerò milites, quo eos in officio contineret, blanda & fucata admodum compellat oratione, ut ex Vrspergēsi patet: Grates, inquiens, ô boni commilitones, affectui circa me uestro summopere refero, unicuiq; uestrûm par pari referre, si res exegerit, nō abnuo: nemo tamen in hoc me sibi uelit uel credat fore fœderatum, ut dominum & patrem meum per se glorietur occisum, uel unquam æstimet occidēdum. Ego quidem Christianis mihi legibus subarratū regnū, ut hęres & successor Augusti tenere, si tamē rerum omnium Dominatori placuerit, cupio: parricida uocari uel esse nolo. Quòd si pater meus Apostolicæ se obieceri t obedientiæ iugo, ego mox in his, quæ sua duntaxat mihi clementia concesserit, contentus ero: interim me non impugnatorem patris esse, sed paterni regni propugnatorem noueritis. Verùm rei euētus alium fuisse regis animum, quàm os loquitur, satis superque testatur. Sed aulica sunt hæc strategemata.

A' suis desertus Imperator, & ipse, cum iam uiribus diffideret, ab armis discedere cogitur, arreptaq; fuga, ad Bohemum contendit: qui licet turpiter eum prius deseruisset, honorificè eum excepit, & usque in Saxoniam deduxit: qui odio in commiserationem uerso, ad Rheni oram usque saluum deducunt: ut habet autor Vitæ Heinrici quarti, cui Crantzius & Auentinus adstipulantur.

De fuga Imperatoris reliqua nobilium uirorum multitudo edocta, prorsus à fide ipsius deficiunt, & ad felicius nauis latus se inclinant. Reginoburgum filius reuersus, patri fideles multa beneuolentia & auro sibi conciliat: Vlricum, qui patris autoritate

episcopatum tenebat, loco mouet, eique Hartuuigum quendam substituit. Pòst in Franconiam profectus, Herbipolin in suam recepit potestatem. Inde digressus, Spiram occupat, ubi Cæsarea gaza potitur. Vrspergensis.

Dum hæc geruntur, Romani adsunt legati, Robertus Albanus & Gebhardus Cõstantiensis, sub calendas Ianuarias ipsum pontificem aduenturum nunciantes. Imperator mox ad illud tempus comitia Moguntiæ indicit. Filius de die certior factus, multo milite instructus eò abit. At eorum suasu, qui parentis metuebant uires, ac Moguntinum populum parenti fauere, ac contrà filij scelus, nec immeritò, execrari, norant, filius uiliori ueste, maximam præ se ferente humilitatem, indutus, patrem accessit Confluentiæ agentem, eique supplex factus, peccati ueniam impetrat. Deinde iuramentum dicit, se in potestate ipsius totum futurum, modò pontifici Romano obtemperet. Imperator fraudem filij non persentiscens, dimisso in filij gratiam exercitu, exiguo admodum stipatus comitatu, Moguntiam cum eo ire parat. Bingo appropinquantibus nuncius quidam offertur, Sueuos & Bauaros Imperatori aduersantes, bellico apparatu ad comitia uenisse, referens. Prȩterea episcopos, quos inter Ruthardus Moguntinus, harum technarum fortè autor, facilè primas tenebat, pro concione non obscurè plebi indicasse, nolle se ullo pacto contagione pollui, eiusque hominis, cui sacris interdictum sit, colloquio, aspectu, sermone, conuersatione contaminari. Ibi patrem interpellat filius, ac ut in uicinum oppidum ex itinere diuertat, obnixè rogat, sanctè iterum promittens, se omnem moturum lapidem, ut quoscunque habeat aduersarios, ipsi reconcilientur. At ubi cum tribus alijs comitibus oppidũ ingressus esset pater, statim reliquo comitatu excluso, portæ obserantur, & Imperator inimicissimis traditur custodiendus: ubi præter opprobria, iniurias, minas, gladios in ipsius ceruicem exertos, fame & siti nefario scelere ad mortem usque maceratur: ut ipsius Imperatoris epistola ad Celtarum regem scripta loquitur. Filius quasi re bene gesta, cum tripudio Moguntiam properat. Populus patri magis quàm filio fauens, sequi cœpit: indignissimum facinus clamitant pleriq;, Augustum in uincula à filio coniectum: inauditum scelus haud leui uniuersæ reipublicæ malo expiandum esse, uociferãtur: ut in Vita Henrici 4 scribitur.

Vrspergensis pontificijs plus iusto in hac causa æquior, licet filij perfidam impietatem erga parentem magno studio occultare conetur, tamen ueritati etiam inuitus testimonium dare cogitur. Ait enim, filiũ Bingi commorantem parẽtem, & comitia Moguntina impedire uolentem, monuisse, ut anathemate se expediat, in rempublicam commissa corrigat, & ad saniorem mẽtem redeat: eoq; debitam ipsi promisisse obedientiam, sicq; simul Moguntiam contendisse. Verùm nonnullos ex consiliarijs filio fidelibus ipsi suggesisse, patrem non quæ paci communique tranquillitati, ac in primis suis rebus conueniant, spectare. Visum itaque esse, ut pater cum suis in munitissimo aliquo castello extra principum conuentum, eorum sententiam præstolaretur, præsertim cum episcopi eius consortium, ratione anathematis, tantopere fugerent. Cȩterùm ne quid noui moliretur pater, nẽue ultrò citroque nuncijs patẽret liber aditus, custodes à filio esse adhibitos. Indeque, ut eiusdem uerbis utamur, uulgarem stultitiam, patrem à filio dolo captũ, & custodiæ mancipatum, circumquaque diffamasse. Superiori narrationi & Ottonis Frisingensis testimonium, qui paulò post hæc tempora, ubi in recenti hominũ memoria adhuc esse potuerunt, uixit, fidem facit, Imperatorẽ in quodam castro positum, ac custodiæ mancipatum fuisse asserentis. Lib. 7. cap. 11. Prȩterea in ueteri quodã de Bauariæ ducibus Chronico reperimus scriptum, quòd Heinricus quintus dolosè contra patrem papæ confœderatus, ipsum captiuarit. Et Antoninus inquit: Multi principes, relicto patre, filio adhæserunt: ad postremum cunctis illum relinquentibus, à filio capitur, & carcerali custodiæ mancipatur. Vbi dum audientiam peteret, filius unà cum principibus dolo circumuentum cogunt Imperialia signa filio resignare. titulo decimoseptimo, capite sexto. Testatur Sabellicus, patrem à filio prælio uictum, captum, arctissimè uinctum, & deniq; mœrore & tristicia ad mortem compulsum. Ennead. 9. libro quarto. In carcere patrẽ extinctum, in ueteri quodam Chronico de rebus Coloniensium, scribitur.

Aderat iam comitiorum dictus dies, calendȩ nimirum Ianuarij, anni 1106. Coëunt Mogũti ecclesiarum præsules duo & quinquaginta, præter Richardum Albanensem, Romanæ curiæ legatum, principes alijque proceres. Varias ibi audires sententias de Imperatore, filij perfidia capto: ac quo quis grauius in eum debacchari ualuit, eo maius pondus habuit oratio. Si quis leuiorem dixerat sententiam, à reliquis mox conuicijs exagitatur. Tandem sententia excommunicationis in Heinricum seniorem à tot sibi succedentibus pontificibus, terrificis

uerborum

verborum fulminibus lata, denuò promulgatur: imò uniuersę Ecclesię, toto terrarum orbe diffusæ, eius consuetudine interdicitur. Acta Hildebrandi rata censentur. Henricus omnium suffragijs Cæsar nuncupatur: cui mox sacerdotes ac reliqui proceres, more maiorum, iuramentum dicunt. Vrsperg.

Ex concilio Vuigbertus Misnensis marchio ad Imperatorem captiuum ablegatur cum mandatis, siquidem suæ uitæ consultum uelit, mox Imperij insignia promat, ac Moguntiam perferenda tradat. Imperata facit pater, dat coronam, sceptrum, crucem, lãceam, gladium: eaq; ad filiũ deferuntur. Hac patris promptitudine minimè contenti pontificij, filium, ut ipse regalia de patris manu accipiat, adigunt. Horum itaque impulsu mox Ingelheimum petit, suæ causæ addictis solum stipatus hominibus, ijs quos patri nonnihil fauere constabat, exclusis. Aderat huic comitatui & pontificius legatus. In frequenti itaque hominum corona ad filium adducitur captiuus pater, omnes circumsistunt, minantur, imò præsentem intentant necem, ni uoti sui eos compotes reddat, regno spontè cedat, ipsiq; filio regalia manu propria tradat, omnibus spectantibus. Tantis angustijs constrictus senior Heinricus, quæcunq; illi imperabant & dixit & fecit. Post hæc ἄστοργος filius, relicto in Ingelheim parente, ut ibi priuati more uiueret, discessit: ut ex epistola Heinrici quarti ad Celtarum regem, & Auentino uidere est.

Helmoldus in Sclauorum Chronico cap. 32 habet, ex cõcilij mãdatis tres episcopos, Moguntinum, Coloniensem & Vuormatiensem, ipsum Imperatorem Ingelhemij cõsistentem adijsse, ut ipsi inuito Imperialia insignia auferrent. Ac licet Imperator tum graui coram ipsis oratione de obiectis criminibus, quòd scilicet Ecclesiæ dignitates uenales habuerit, se purgarit, ipsis etiã accusatoribus regis innocentiam contestantibus (nam tres legati quos diximus episcopi ingenuè coram eo profitebantur, se absque ullo precio suas dignitates ab ipso accepisse) ac ad principũ iudicium competẽs, ubi sibi comparere, suamq; causam coràm agere liceat, prouocarit, ipsosq; simul beneficiorũ acceptorum, fidei iuramentiq; immemores notarit: nihil tamẽ apud furiosos illos præsules Imperatoris orationem habuisse ponderis. Deniq; cum necessitati parendum esse uideret Imperator, omni humano præsidio destitutus, secessit, moxque regio indutus cultu redijt, legatosq; sic cõpellauit: Hæc quidẽ Imperialis honoris insignia mihi præstitit æterni regis pietas, & principum regni electio concors. Potẽs autem est Deus, qui me ad hoc culmen sua dignatione prouexit, mihi conseruare quod concesserit, manusq; uestras à cœpto opere cohibere. Diuino enim præsidio nos enixius inniti oportet, omni scilicet militia & armis destitutos. Hactenus quidem externis bellis impliciti, semper in custodiæ nostræ diligentia cõstitimus, omnes impugnationũ iacturas, propitia diuinitate, partim consilio, partim uirtute prælij euincentes. Hoc autem intestinum malum, sicut nec suspectũ habuimus, ita nec præcauimus. Quis enim in orbe Christiano tantum nefas cõsurgere crederet, ut iurata principi sacramenta fidelitatis irritentur, suscitetur filius aduersus patrem, postremò nulla beneficijs gratia, honestati reuerentia exhibeatur? Certè maiestas Imperatoria eam etiam erga hostes honestatis disciplinam seruare consueuit, ut proscribendis siue damnandis, uocationum siue induciarum remedia non negauerit, antè præmuniens, quàm feriens: prius inuitans per gratiam, quàm damnans per sententiã. At nobis contra fas uocationes & audientia negantur. Ideoq; præfocamur, ne audiamur. Quis tantã mentis alienationem à fidissimis amicis, maximè uerò à pontificibus crederet? Dominum ergo factorem orbis uobis proponimus, ut ipsius terror uos coherceat, quos pietas nõ reuocat. Quòd si nec Deum nec honestatem uestrã reueremini, ecce præsentes sumus, uiolentiam explodere non possumus, necessarium est uim sustinere, cui refragari locus nõ est. Cœperunt ergo pontifices hęsitare quid agerent. Magnarum enim rerum ingressus, semper sunt difficiles. Tandẽ Moguntinus allocutus est socios, dicens: Quousq; trepidamus, ô socij? Non'ne officij nostri est regẽ consecrare, cõsecratum inuestire? Quod ergo principum decreto impendere licet, eorundem autoritate tollere non licet? Quem meritum inuestiuimus, immeritum quare nõ diuestiamus? Statimq; accepto conamine, regem aggressi sunt, eiq; coronã de capite abruperunt. Deinde sublatũ de sede, purpura, cæterisq; quæ ad sacram inuestituram pertinent, funditùs exuerunt. Tunc rex cõfusione circũdatus, ait ad eos: Videat Dominus, & iudicet: quia iniquè agitis cõtra me. Ego quidem luo peccata adolescẽtiæ meę, recipiens à Domino stateram æqui ponderis, ignominiam & confusionem, quantam nemo regũ, qui ante me fuerũt, sustinuisse dinoscitur. Non uos tamen ideo immunes à peccatis, qui leuastis manus aduersus dominum uestrũ, & pręuaricati estis iusiurandum quod iurastis. Videat Dominus, & ulciscatur in uos, Deus, inquam, ultionũ Dominus. Non cõsurgatis, neq; crescatis, neq;

prosperetur honor uester, sitque portio uestra cũ eo qui tradidit Christum Dominũ. At illi obturantes aures suas, pertexerũt ad filium, deferẽtes ei Imperialia, firmantesq; eum in regnum. Cranzium autem li.5.ca.20 Saxoniæ Helmoldi narrationem secutum, cuiuis patet.

Ad pedes etiam legati pontificij aduolutus pater, orat & obsecrat, ut se anathemate eximat, Ecclesięq; cõsortio reddat. Legatus autem denegabat, asserens, nõ hoc suę potestatis esse, oportere eum ab ipso Apostolico absolutionis gratiã expectare. Vita Heinrici quarti.

Post hęc ad Romanũ pontificem mittuntur legati, non uulgares uiri: sed uirtute, eruditione & generis splendore maximè insignes, è cœtu qui tum coierat, deliguntur, tũ Ecclesiarum pręsules, tum seculi principes, Bruno Treuirẽsis à Lotharingis, Heinricus Magdeburgicus à Saxonibus, à Francis uerò Otto Bambergensis, à Bauaris Eberhardus Eichstetensis, ab Alemannis Gebhardus Constantiensis, à Burgundis Curiensis. Quibus Imperator nouus suo nomine principes quosdã adiũxit. Hi mandata Romam perferenda accipiunt, de concilij senatuscõsulto, quo Heinricus senior regno exutus, ab Ecclesiæ consortio exclusus, & filio sceptrum traditũ. Porrò magna crudelitate in Heinricianos & Vuigbertinos (sic enim Imperatori iã remoto & Clemẽti tertio adhærentes uocitabant) & Nicolaitas, sacerdotũ nuptias legitimas comprobantes, per põtificios illos sęuitũ est. Quoscunq; episcopos offenderunt, suis sedibus exturbant, ac contrà suæ factionis homines substituũt. Vuigberti cadauer, quod Clementis tertij antipapæ nomen fuerat, post multos sepulturæ annos è terra erutũ, in locũ nõ religiosum, ut ipsi iudicãt, deponitur. Eadẽ & reliquorũ ferè fuit cõditio. Nec deniq; fas erat cuiquam, contra Romani põtificis immanem & stupendam crudelitatem uel hiscere quidem. Vrspergensis, Cranzius lib.5.cap.21.

Per fas nefasq; sceptro potitus Heinricus quintus, dimisso conuentu, quem diximus, Moguntino, Burgundiam inuisit. Rheno cõtiguas perlustrãs regiones, hos beneficio, alios iniuria sibi subijciens. Et cum ad Aquas russas, Alsatiæ est oppidum, armis & uiris fortibus potens, Cæsareani multa superbè & auarè agerent in ciues, ad arma cõclamatum est. Fit utriusq; sexus concursus maximus, ac furore arma ministrãte, iacula, ligna, lutũ, lapides, puluisq; in aduersarios mittũtur, ac perfidi, impij, parricidęq; proclamantur. Tandem Imperator cũ suis fuga sibi cõsulere cogũtur, relictis ibi regalibus, quæ modò parenti per uim extorserat. Iudicium iræ Dei est, inquit autor Vitæ senioris Heinrici, ut fugeres, qui patrem fugasti: & insignia perderes, quæ patri abstulisti. Verùm hoc Dei iudicium in perfidum filium egregiè occultare nouit Vrspergensis.

Filius, cum hoc mali patrẽ sibi creasse falsò suspicaretur, mox Ingelheimum contendit, ut eum arctiori constringat custodia. Verùm pater per amicos, qui clàm ei addicti erant, certior factus, fugam arripit, nouem eum uiris comitantibus. In fuga fortè incidit in Heinricum Limburgensem ducẽ, uenationibus deditum, quem paulo antè ipse Imperator ducatu suo exuerat: sed tamen eundẽ rursus ei iam concesserat. Agnitus à duce Imperator fugitiuus, mox in uicinã arcem recipitur, coactaq; octingentorum uirorum manu, Coloniam usq; saluus deducitur. Colonienses perbenignè comiterq; eũ, non ut priuatum, sed ut summam Imperij adhuc tenẽtem accipiunt fouentq;, ac prætereà ab ipso imperata, cupidissimè facturos se pollicentur. Pòst Leodium cõmigrat ad Otbertum episcopũ, qui eũ pari beneuolẽtia accepit. Inde ad Christianos principes, & maximè ad Philippum Frãciæ seu Celtarũ regẽ mittit literas, quibus suas calamitates explicat, eorumq; cõsilia opẽq; expetit.

Pactus fuerat Rubeacensibus Imperator iunior pacẽ ueniamq;, si regalia redderent. Verùm ijs receptis, summa ui oppugnatum castrum cepit, diripuit, incẽdit, misereq; incolas, nulla uel sexus uel ætatis habita ratione, concidit: ut in Heinrici Vita scribitur.

Posthæc cũ Leodium sibi domicilij locũ patrẽ delegisse cognosceret, & ipse eò magno apparatu ire parat, Paschalia sacra, ut simulabat quidem, ibi peracturus: sed pœnas de episcopo & à Lotharingiæ duce sumere, quòd patrem hostem reipublicæ recepissent, imò ipsum patrẽ opprimere, animus erat. Pater de filij aduẽtu edoctus, mox nuncium cum hisce mittit literis: Si interrogem te, fili dulcissime, traditio hominum, an mandatum Dei præstantius magisq; tenendum sit? respondebis, nisi à uero deductus sis, similem esse iumentis, qui cœlestia terrenis, humanis diuina non pręferat. Cur ergo magis audis eos, qui tibi suggerunt, Persequere patrem tuum: quàm uerbũ ipsius Dei, Honora patrem tuum? Isti te decipiunt, non instruunt: isti honori tuo non prouident, sed inuidẽt: isti sub specie fidei, perfidiæ laqueos nectunt: non aliter peruenire poterunt ad destructionem honoris tui, nisi per destructionem nostri. Fuerit sanè, ut peccatis meis exigentibus (quę sentẽtia aduersariorũ meorũ est) abiecerit me Deus, ne regnẽ. Attamen tuũ nõ erat, in abiectionẽ meam operã dedisse, & regnũ, quod tibi para-

ueram, mihi præripuisse. Barbara regna tam inhumanum facinus damnant & deuouét, ipsi pagani abhorrent: & qui Deum nesciunt, quid in diligendis hominibus naturæ debeant, recognoscunt. Sed quid mirum, si maligna surreptio seductilem & immaturã ætatem decepit, cum etiam senes, & fixum animi statum, ad malum mala consilia nõnunquam inflectant? Fortuna mea alieni potius, quàm tui sceleris est. Nam tu in manibus suadentium eras, non illi in tuis. Si autem iniuriam addideris, non iam excusari poteris, cum & factam crimen esse scias, & infectam non facere queas. Audiui enim quòd Pascha Leodij celebrandum decreueris, quo in loco fides & pietas episcopi me recepit, cum non esset qui uel beneficiorum nostrorum recordaretur, uel fortunæ compateretur: cuius profectò beneficijs in me te decet regia liberalitate respondere, tantoq; certior de eius fide poteris esse, quanto fidelius erga nos probatur egisse. Hic nisi te fortè domo receperit, me secum in festiuitate Paschali retinẽdum decreuit. At dicis, dignum & conueniens esse, ut ea festiuitas nos iungat potius, quàm diuidat, te uelle, te cupere, ut ibi tecum agam dies Paschalis lætitiæ: quod quidem & ego admodum cuperem, si non esset quod timeré. Neq; enim nõ possum nõ timere eos, quos mihi uitam permisisse pœnitet, dum in manibus eorum mors & uita mea fuisset. Omnia mihi suspecta sunt, omnia timẽda sunt, maximè in turba, ubi tãto difficilior est periculi cautio, quanto maior sceleris occasio. Inde est, quòd ex medio eorum qui me oderunt, longè recessi, & in extremis regni tui finibus me contraxi, ut uel secessu loci tutus sim, uel si fortuna mea postulauerit extraneam humanitatem expetere, citius regno tuo cedere possim. Precor ergo, ut causa patris tui, Paschalem curiam alibi disponas, & in domo eius qui me humanitatis gratia recepit, cum non liceat Imperatorem, saltem hospitẽ esse sinas, ne uel in meũ ludibrium, uel in tuum opprobrium narretur, quòd in solennitate Dominicæ resurrectionis incerta hospitia fortuna mea quærere cogatur. Si feceris quod postulo, maximas gratias habeo: sin autem non, malo uillicus esse in externis regnis, quàm ludibrio haberi in regnis quondam meis.

Verùm filius in sententia immotus persistens, trecentos equites, qui pontem Mosæ occupent, præmittit. Pater Heinricus, ne quid mali episcopo, urbi, uel Heinrico Lotharingiæ duci, qui tum episcopo aderat, crearet, dimitti se petit, ad regem Francorum iturus. Sed ab episcopo & duce confirmatus manet. Lotharingi filius in ripæ crepidinibus equitatum in insidijs locat, ipse cum paucis pontem transit, aduenientesq; Cęsareanos lacessit, simulataq; fuga, eos in insidias usq; pertrahit. Cęsareani intrepidè fugientes Lotharingos sequuntur. At ubi pontem superarunt, mox illi ex insidijs erũpunt, & à tergo Cæsareanos petunt. Aduolat Heinricus Lotharingus cum nouis copijs, filioq; cõtra hostem suppetias fert. Cæsareani in fugam uersi, cum pontem transirent, põderis grauitate is corruit, infinitaq; hominum multitudo submergitur, ac inter Heinrici iunioris copias Bruno quidam comes, ut Vincentius refert, occumbit. Hac clade accepta, Heinricus Imperator iunior cum reliquo comitatu Coloniam petit: sed Friderico episcopo, quòd nouo Imperatori faueret, iam à ciuib. urbe pulso, ipse quoque ab ijsdem excluditur. Bonnã secedens, Paschalia ibidem celebrat. Vita Heinrici, Helmoldus cap. 33.

Postridie inde mouens Moguntum petit, uocat eò regni proceres, eorumq; suffragio Heinricum Lotharingũ maiestatis reũ proscribit, & ducatu priuandum censet. Reliquos, qui longius aberant, principes per legatos huiusmodi literis compellat, quas hic inserere uisum fuit, ut maior sit rei ueritas, magisq; pontificiorum fraudes, quas mira arte plerique Scriptorum tegere conantur, omnium oculis pateant. Si per inuasionem regnum occupassem, tamen resistentes potestati nostrę retunderẽ in quãtum possem. Nunc autem cum in sumpta regni dignitate uestris paruerim præceptis, ausus est quispiam impunè in publicã contumeliam regnum & nos armis uexare. Cũ enim Leodiũ ituri, ubi nobis curia Paschalis habenda fuerat, ad fluuium Mosam uenissemus, episcopus Leodiẽsis & dux Heinricus, de quorum fide & obsequij deuotione multùm præsumebamus, nobis latenter insidias posuerant, & nostros inscios, & ad pugnam imparatos cædebant, capiebãt, fugabant: quæ & quanta clades ibi acciderit, tam pudet referre, quàm inultum dimittere. Igitur constrictus & euentus asperitate, & temporis articulo, Coloniã diuerti: quę cùm me recipere satis superbè refutaret, apud uillam Bonnam sanctum diem Paschę utcunq; peregi. Cui unquam regiæ personæ tanta contumelia facta est? Nec solùm me petit hæc cõtumelia, uos despecti estis: isti præsumptores decreta uestra authoritatem habere nolunt, sua tantùm statuta firma esse uolunt: denique in quos totum regni pondus se reclinet, haberi cupiunt. Regem quem constituistis, destituere parant, ut nihil eorum quæ uos decernitis, ratum fit. Igitur hæc iniuria mea regni potius est

quàm mea. Nam unius capitis, licet summi, deiectio, reparabile regni damnũ est. Principum autem conculcatio, ruina regni est. An hæc impunè feremus? & ex ignobili patientia nostra, magis tumebit eorum superbia. Absit, ut qui dicimur inhonorati, dicamur & inulti. Pauca dixisse sat est: desides animi prolixæ cohortationis stimulo opus habent. Causa magis ad incitamentum facit, quàm uerba. Quia igitur contra tam superbos hostes R. P. uiribus utendum est, expeditionem uobis & rogando præcipimus, & præcipiendo rogamus. Cuius collectioni & tempus calendas Iulias, & locũ Vuirtzburgensem urbem præfinimus. Vita Heinrici quarti.

De suo periculo certiores facti Lotharingus, Colonienses & Leodienses, cuncta quæ ad bellum usui esse poterant, curant, seseque ad resistendum parant, ac Heinrico seniori autores sunt, ut Imperij dignitatem, quam non ratione, sed minis conuictus amisisset, resumeret (ut in uita ipsius legitur) eaq́; occasione plures principum ad ipsum accessuros iterum, cum apud quosuis filij ac complicum impietas exosa sit. Verùm Heinricus grauibus in medium prolatis causis, quæ eum retrahant, postulatis non annuit. Rem enim impossibilem fore, cum prius illud quod tenuisset, armis tueri minimè contra uim potuisset: quid igitur opus esset multo sanguine terram rigare? Se denique causæ bonitate fretum, priuatam uitam regijs molestijs præferre.

Collecto militum numero amplissimo, Vrspergensis uiginti circiter milia fuisse scribit, Heinricus filius primùm Colonienses petit: sed uirtute ciuium sæpe erumpentiũ, & paruulis prælijs cum hoste confligentiũ, non modò longius ab urbe castra ponere cogitur, uerùm etiam ijsdem omnem commeatum intercipientibus, frustra eos dies uiginti & unum obsidet. Ac ipsi obsessi omne robur in hostes conuertissent, quo suam urbem ab obsidentibus uindicarent, nisi pater, semper de filio meliora sperans, cruentum dissuasisset bellum.

Dum hæc fiunt, pater ad filium cum legatis literas in castra mittit, quibus sua in filium beneficia, & uicissim filij in se perfidiam commemorat, ad Deum & ius prouocat, seq́; decretis Romanæ sedis ac cæterorum principum acquieturum affirmat. In eandem fermè sententiam & ad archiepiscopos, duces cæterosque principes scribit, insuper hostium uirulentiam, fraudes, uimq́; iniustam inculcat, filium ut ab armis discedat, moneant.

Lectis his in frequenti procerum senatũ literis, filius ex consilio archiepiscoporum, episcoporum, ducum, comitum, ac reliquorum, Richuuinum & Albertum ad patrem legatos mittit, qui fide publica interposita, ipsum in castra ad colloquium intra dies octo adducant, ubi armis sepositis, lege potius quàm ferro coram primatibus disceptaret. Respondet per eosdem pater, quem Leodij offenderant legati, Iniqua à se postulari, ut exercitu dimisso, intra dies octo hostibus se crederet, cum leges diuinæ & humanæ in minoribus negocijs longius concedant spacium. Neque rem tantam absque Moguntino, Treuirensi & Bremensi archiepiscopis, Frisingensi, Augustano, Curiensi & Basiliensi episcopis, atque his ducibus, Magno Saxone, Theodorico Bohemo, Flandriæ & Burgundiæ comitibus, transigi uel posse, uel debere. Hoc responso ad filium relato, ijdem denuò ad regem ire iubentur, ut si uerè pacem expetat, resque cordi ipsi sit, concitato cursu Aquisgranum ad filium se conferat. Ob pestis uiolentiam, quæ exercitum infestabat, fortè mitius agere cum patre cœpit filius. Dum Leodij moram trahunt legati, responsum ab Heinrico seniore expectantes, ipse morbo corripitur, ac paulo pòst uita excedit, anno Imperij quinquagesimotertio, ætatis uerò quinquagesimosexto, septimo idus Augusti, anni Saluatoris 1106. Per eosdem filio annulum & ensem, paterni amoris pignus extremum misit. Vita Heinrici quarti.

Variant hic autorum sententiæ nonnihil, quod breuibus annotandum nobis est. Nam Vrspergensis ait, legatos à filio ad patrem, quem odioso nomine Eximperatorem uocat, missos, minus honorificè acceptos, ac ægrè in regis conspectum admissos fuisse: eosque tandem, nescimus per quos, liberatos è carcere, fuga arrepta mortis periculum euasisse. Subijcit tamen, eosdem hoc responsi à seniore retulisse filio, Tum se eorum uoluntati uelle acquiescere, quatenus ad præsens ab armis discederetur, & in futurum super huiusmodi simultatibus curiale colloquium indiceretur. Sed quomodo (uenia Vrspergensis dixerimus) hæc ex Imperatore cognoscere potuerunt, quos paulo antè aufugisse dixit? Cæterùm soluta ad Coloniam obsidione, bellum in Lotharingiam translatum esse, ubi obuia quæuis prostrata, omniaque prædæ fuerint. Sed nunciata tandem Cæsaris morte, hoc bellum sopitum fuisse.

Helmoldus, qui sanè non inter postremos huius seculi historicos censendus est, cuiq́; fidem minimè derogamus, affirmat, patrem

patrem à filio in pugna captum, & in castris filij cunctis ludibrio expositum fuisse. Insultabant, inquit, & amici, illudebant & inimici. Ac cum Spirēsem episcopum, tum inter cæteros astantem, compellaret, ut inter canonicos Spirēses locum ipsi daret (ô extremam Romani monarchæ paupertatē) quo uictum habere posset, ingratus episcopus, maximis olim beneficijs ab Imperatore affectus, recusauit. Tunc Cæsar suspirans & illachrymans, ad circumstantes ait: Miseremini mei, miseremini mei, uos saltem amici mei, quia manus Domini tetigit me. O' magna, idem autor inquit, Dei iudicia, quę completa sunt in tam præpotenti uiro. Fuit autem ecclesijs admodum bonus, his uidelicet quas sibi fideles persensit. Porrò Romanum antistitem Gregorium, & cæteros insidiatores honoris sui, sicut infestos habuit, ita etiam infestare studuit. Impulit autem eum ad hoc facinus, ut multi dicunt, grauis necessitas. Quis enim uel minimā honoris sui iacturam ęquanimiter ferat? Legimus autem, quia multi peccauerunt, quibus tamen subuentum est pœnitentiæ remedio. Certè Dauid peccans & pœnitens, rex & propheta permansit. Rex autem Henricus, ad uestigia Apostolorum iacens, orās ac pœnitēs, gratis pessundatus est, nec inuenit tempore gratiæ, quod ille obtinuit duro legis tempore. Sed disputauerint de his qui scierint, uel ausi fuerint. Vnum hoc scire licet, quia Romana sedes adhuc hodie luit factum illud. A' tempore enim illo, quotquot regnant de stirpe illa, omnibus modis nituntur humiliare ecclesias, ne resumant uires cōsurgendi aduersus reges, nec inferre quæ intulerunt patribus eorum. Hæc Helmoldus capite 33 Historiæ Sclauorum.

Gratissima erat. Cæsareanis fama de Heinrici quarti obitu, ac mutuò sibi quasi congratulantes illi nominib. odiosis, quibus eum appellent, quasi certare uidebantur, modò archipiratam, modò hæresiarcham, alij Nabuchodonosorem, Iulianum apostatam, Aman uocant. Et deniq;, quod dictu nefas, horrendum auditu, & ab omni pietate alienissimum est, in mortuum eius cadauer immanitate prorsus diabolica à pontificijs carnificibus sæuitum est. Nam Leodiensis præsul eius exuuias, in monasterio quodā honorificè conditas, è tumulo iterū eruere cogitur ab archiepiscopis & episcopis. Quin & tātæ crudelitati fucus qdā pōtificius attexitur, quia inquiunt, quib. uiuis Ecclesia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare posit. Quo facto, Spiram exuuiæ deferuntur, & in sacello quodam repositæ, ad quintum usque annum humana sepultura indignæ iudicantur. Hic finis, hic interitus, hæc sors ultima tanti fuit Monarchæ, quo, ut Vrspergensis ait, nemo ijs temporibus natu, ingenio, fortitudine & audacia, statura etiam, totaque elegantia corporis uideretur fascibus Imperialibus aptior. Sexagies bis acie collata cum hostibus dimicauit. Vincentius lib. 25. capite 117.

SVB HEINRICO V.

POst patris obitum, quem diximus, miserabilem & tristem, congratulabantur sibi pontificij de pace Ecclesiæ & reipublicæ restituta: & Vrspergēsis ait, ultimum quarti Heinrici annū, qui erat Imperij quinquagesimus, uerè iubilęum fuisse. Sed ante uictoriam trophęum statuunt, ut ex sequēti historia patebit.

Sub initium Imperij sui Heinricus quintus primarias ciuitates, quas patris partib. ad extremum usq; studuisse cōstabat, oppugnat: maximè uerò Coloniēses infestat, quos tandem, multis auri talentis ab ipsis erogatis, in deditionem accipit. Frisingensis lib. 7. cap. 13. Lotharingum captum in uincula conijcit, eius ducatum Gotfrido Barbato Louaniensium comiti attribuit: ut habet Flādriæ Chronicon. Deinde in Robertum Flandrensem mouet, quem cum toto populo igni & ferro suo iugo subijcit: ut in Appēdice Mariani Scoti scribitur. Quāuis Iacobus Meier, rerum Flandricarū scriptor, referat, Imperatorem uirtute Roberti Orientis domitoris territum, re infecta inglorium pedem inde retulisse, anno 1108. Anno subsequenti, Mogunti Domini natalem celebrans, procerum simul agit conuentum, in quo Fridericum palatinū quendam comitem, quòd Imperium affectasset, Vuirciburgensi episcopo custodiēdum tradit, & Gotfridum Fuldensem abbatem, eiusdem facti conscium, sua dignitate spoliat. Inde Reginoburgum contendit, ibiq; conuentus agit. Venit eò Almus Vngarus, à Colomanno fratre regno eiectus, Imperatorisq; opem implorat. Infesto igitur exercitu eò contendit, atque inde ad Polonos deflectit. Vrspergensis, Appendix Mariani Scoti.

Dum hæc fiunt, Paschalis, Romanū monstrum horrēdum & ingens, ad Germanos iturus, ut rebus tum in Ecclesia & republica turbatis, sua opera succurreret, cum Germanos postulata, imò imperata non mox facturos metueret, Burgundiam Galliasq; perlustrat, & Trecis concilio habito, inter cætera scelerati Hildebrandi decreta rata habuit: maximè uerò à laicis personis Ecclesiasticas dignitates accipere, suo fulmine ue-

ne ue-

ne uetuit. Imperator contrà, licet ad illa comitia põtificalia uocatus nõ esset, ex Saxonia tamen, ubi cum Lothario Saxone bellũ gerebat, ut Helmoldus ait cap. 40. eò cõtendit, inq; uicino loco subsistit, ac per legatos ius illud Cæsareum, Ecclesiasticas scilicet dignitates conferẽdi, à Carolo Magno usq; deductum, sibi saluum relinqui postulat. Verùm pontifex hunc locum tantæ causæ minus commodum ratus, ad synodum cogendam Romæ, ubi ipse pro libitu dominabatur, euoluto anno integro reijcit, ubi Imperatore præsente, cõmodissimè res transigi possit. Cæterùm episcopos Germanos, quos Imperatori in conuentu Moguntino, ut Crantzius indicat, hoc consilij suggessisse cognõrat, officij suspẽsione multat.

Exacto autem, quod papa dixerat, tempore, Heinricus quàm maximo potest apparatu expeditionem Italicam meditatur, eamq; in Epiphania Domini principibus, quos Ratisponam conuocârat, regia autoritate indicit. Mense itaque Augusto Rex nõ solùm armatis, sed etiam doctis uiris (quos inter Dauid quidam Scotus fuit) qui pro arbitrio motus illos domesticos, & diuturna dissidia componerent, munitus, bipartito agmine ex Germania in Italiã mouet. Exercitus pars per iuga Tridẽtina, pars Cottias alpes in Italię campos penetrat. Eporedia coniunctis copijs egressus Imperator, Nouariam expugnat, & incendio tradit. Paduam pòst transit, & Placentiæ positis castris, statiua habet. Parmæ Mathilda, Vuelphonis Boiorum ducis uxor, in fidem ipsius se dedit. Inde rectè Florentiam contendit, ubi natalem Domini sacrum agit: & quicquid, dum hoc iter perficit, ausum fuit resistere, perdomitat.

Post ferias natalitias anni 1111, Aretium ui subegit, destructis eorum turribus, quas ad propulsandos Cæsareanos erexerant. Inde ad Aquam pendentem procedit, ubi legatos suos Aretio ad pontificem missos, cum pontificijs offendit: qui papam ad consecrandum regem promptum nunciabant, si prius episcoporum clientela se abdicet, à sacerdotibus & templis uerò ipse ducatus, præfecturas, uectigalia, prætoria, tributa, prædia stipendiaria, agros, uicos regios, ius cudendæ monetæ, & huiusmodi reipublicæ neruos recipiat. Placuit eatenus conditio Imperatori, si in conuentu procerum & pontificum, dato diplomate, confirmaretur. Conuentione ex utriusque sententia facta, Imperator Romam accedit: cui pontifex cum omni clero ac penè uniuersa Romana turba occurrit, ac eo honore, quo tantum principem decuit, exceptum, per portam argenteam ad templum D. Petro sacrũ deducit. Ibi lecto conuentionis diplomate, statim tumultus exoritur. Nam episcopi quidam, inter quos, ut Auentinus autor est, primas tenuit Conradus Iuuauiensis, inter Boios præsules primarius, mox uociferari incipiũt, Paschali minimè fas esse, ecclesias earumq; præsules suis dignitatibus ac facultatibus, à maioribus acquisitis, sibiq; relictis, spoliare. Ac nisi Imperator obstitisset, Conrado paratum fuisset exitium, Heinrico quodam Boiorum nobili, stricto gladio eius iugulum petente. Sic dies ille Dominicus iurgijs ac rixis in multam usq; noctẽ protractus est. Conticescentibus nonnihil turbis, Romani ciues cruentum præliũ meditantur, & noctis beneficio quosdam Cæsareanos acerrimè inuadunt. Verùm hi, Imperatore ipso opem ferente, impetum fortiter sustinentes, tandem in fugam actos Romanos in Tyberi submergunt. Post triduũ Imperator, dirutis prius Romanorum propugnaculis, præsidijs suis hinc inde dispositis, & pontifice Romano cum sacrificulorum cohorte captis, urbe excedit, & ad mœnia tentoria fixit. Vlrico Aquileiensi patriarchæ Romanus præsul custodiendus traditur. Hæc omnia consilio Friderici cancellarij Imperatoris, qui postea Moguntinã sedem regendam accepit, gesta creduntur: ut Frisingensis lib. 7. cap. 14. testatur. Sacra Paschalia tum in castris peracta sunt. Ibi bonis uiris mediantibus, seu, ut Helmoldus testatur, nece quæ cardinalibus intentabatur, pontificem pro libertate Ecclesiæ mori paratissimum flectente, res tali pacto cõposita est, ut Imperator deinceps sine ullo precio pontifices assumeret, episcopi regia beneficia quæ possiderent, retinerent. Res utrinque diplomate confirmatur. Octauo itaque à Pascha die Romam magno populi & cleri applausu iterum ingressus, in D. Petri templo à pontifice consecratus, Augustus salutatur Heinricus. Vrspergensis, Crantzius. Otto Frisingensis, uis cardinalibus captiuis intentatæ non meminit: sed Imperatorem pœnitentia ductum, auro ciuium & ipsius pontificis tum gratiam, tum coronationẽ redemisse, anno Domini 1111, post resignata uerò à patre Imperialia quinto. Lib. 7. cap. 14.

His peractis, Romani honesto comitatu Augustum ad alpes usq; deducunt: qui in Germaniam reuersus, Spiræ regio cultu patris funus curat. Dehinc in Reginaldum, quem hostem Imperij pronunciârat, bellũ mouet, eumq;, expugnato castro Barro, ubi latitabat, captiuum abducit. Moguntiam reuersus, nuptias cum Mathilde Anglorũ regis filia celebrat. Ibi Lotharius Saxo, ad pedes Imperatoris prouolutus, ueniam delictorum

delictorum impetrat. Confluxerant eò omnes ferè Imperij principes, tum Imperatoris potentia territi, tum ob fœdus, quod cũ Romano inierat pontifice. Verùm Alberto eius loci archiepiscopo incentore, pleriq;, in primis Saxonum proceres, contra Imperatorem, ut Helmoldus indicat, ea occasione conspirant:

Postquam Italia excessisset Imperator, Iamq; copias dimisisset, Romani, coacta synodo, Paschalem eò adigunt, ut non solùm quod Imperatori dato scripto concesserat, retractaret, sed eum etiam anathemate feriret, atque per uniuersum orbem Christianum per legatos hoc decreti ebuccinaret: quod & factum est. Hinc nouæ turbæ. Re ad Imperatorem delata, Moguntinum eius mali facem ipse uinculis constringit. Helmoldus cap.41.

Addidit igni oleum, quòd apud Saxones Sigfridus, quem Helmoldus cap.36 uocat Stormariæ comitem, Vdalrici cuiusdã Saxonum principis defuncti bona hæreditario iure sibi arrogat, præter Imperatoris uoluntatem, qui ea suo fisco adiecta uolebat. Ille enim quotidianis querimonijs, quas in uicinorum suorum gremium effundebat, Lotharium ducem, Rudolphum marchionem, Fridericum comitem palatinum, Vuigbertum & Ludouicum à Cæsaris partibus auertit, & arma capere permouet. His & Halberstadensis episcopus, & Gertrudis prępotens apud Saxones uidua, Albertus Moguntinus à suis ciuibus uinculis solutus (quemq; Helmoldus præ cęteris in Cæsareanos crudelem extitisse scribit) Fridericus Coloniensis, Conradus Iuuauiensis, suam addicunt operam: ut habet Vrspergensis. Episcopi, quos diximus, cõfœderati Coloniæ coeũtes, quibus & Theodoricus Paschalis legatus aderat, ipsum Imperatorem & ab eo constitutos episcopos diris deuouent. Auentinus.

Imperator quoq;, cuius salus petebatur, in maximo belli est apparatu, Coloniẽsem agrum igni & ferro uastat. Pòst in Saxoniã contendit, eamq; depopulatur. Occurrunt tum ei Lotharius dux, Rheingerus, quem alij Rheinhardum uocant, Halberstadensis episcopus, Fridericus comes de Arnsberg, alijq; confœderati, & ad syluam Vuelphonis, ut uocãt, in agro Mansfeldensi, cruento prælio cõfligunt, in quo Saxones superiores extiterunt. Facta sunt hæc anno 1115, ipsis calend. Februarij. Cecidit in eodẽ prælio per manũ Vuigberti comitis de Greutschẽ Hoierus comes Mansfeldensis, fortiter, & ut Vrspergensis testis est, leonina ferocitate Imperatoris partes contra perfidos sacrificulos defendens. Cui, ut Helmoldus & Saxoniæ Chronicõ testatur, de Saxonię ducatu spes ab Imperatore facta fuerat, si res ex sententia succederet. Visuntur hódie adhuc in sacello ibidem extructo uersiculi lapidi incisi, de anno & die pugnę testificantes, quos adscribere libet:

Anno milleno, centeno, ter quoq; quino,
Syluam Vuelphonis perfundit unda cruoris:
Sunt ferè necati quadraginta millia quinq;,
Ipso nempe die Dionysi martyris almi.

Nonnulli tamẽ ex historicis, omissis duobus postremis uersiculis, hoc distichon substituunt:

Salui Saxones, Francones atq; Thuringi,
Heinrici regis exercitus est superatus.

Extremæ aũt crudelitatis indicium est, quòd Rheinhardus Halberstadẽsis episcopus Cęsareanos, qui in pręlio ceciderãt, sepeliri uetuit. Vrspergensis. Discedentib. uerò inde Saxonib. accolæ cadauera collecta terræ mandarunt. Vnde hodie uicino pago nomẽ esse uulgò creditur Todtendorf, uel Tondorf. Duo etiam Vandalorum millia, Cæsareanis opẽ latura, Otto comes de Balenstede anteuertit & dissipauit, multis cæsis. Crãz. li.5. c.26 Sax. Chrõ. Cosmidromij.

Ex hoc conflictu Saxonibus animus nimium creuit, ac plures eis accesserunt: quò enim fortuna, ut ille inquit, eò etiam fauor hominum inclinat.

Rerum angustijs constrictus Imperator, ad comitia sub calendas Nouembris celebranda principes Moguntũ uocat. At pręter unum atq; alterum episcopum, principum nemo comparet. Moguntini, arrepta quæ offerebatur occasione, mox classicum canunt, & armati Regis palatium oppugnant, Albertum in integrum restitui postulant. Imperator suæ saluti consulturus, eorum postulatis annuit, ipseq; urbe excedit. Ipso uerò die natalitijs Christi saluatoris insigni, ab episcopis, quorum plures eò cõuenerant, Albertus Coloniæ consecratur episcopus, anno 1116.

Sub idem ferè tempus Romę Paschalem põtificem domestica mala hand parum afflixerunt. Petebat plebs Romana, ut in defuncti Petri locũ filius eius, decẽ annorũ puer, præfectus designaretur. Quorũ petitioni cũ refragaretur põtifex, illi arma corripiũt. Pontifex urbe excedere coactus, per Ptolomæum quendam, ab Aricia cum ualida manu accitũ, Romanos uicissim officium facere coegit. Nauclerus Generatione 38.

Cæterùm adsciuerãt episcopi Germanię Theodoricũ quendã põtificiũ ad Vngaros legatum, ut is Romanæ curiæ autoritate, Alberti consecrationẽ perficeret. Verùm dũ is gratificari conatur sacrificulis, in itinere uita fungitur. Imperator de episcoporum conuenti-

conuenticulo edoctus, ac in se excommunicationis fulmen mittendũ metuens, Herbipoleos episcopum eò pro sui defensione mittit. Sed is ad Imperatorem cum responso inde reuersus, cum alteri parti se magis addictum haud obscuris indicijs proderet, Orientalis Franciæ ducatu exuitur, quo Cõradus Imperatoris ex sorore nepos donatur, qui episcopi territorium ferro & igni postea sæpius infestauit. Mogũti, ut inquit Crantzius, publicata sunt Romani pontificis contra Imperatorem mandata. Indeq; multorum animi ab eo auersi sunt. Lib. 5. cap. 36. Cęterùm Imperator, scandala principum declinaturus, ut Vrspergensis utamur uerbis, in Italiam cum tota familia cõmigrat, & circa Padum subsistit. Inde ad Paschalem legatos mittit, quorum primas erat Cluniacensis quidam abbas, pontificis consanguineus, petitum, ut pontificiũ fulmen contra se emissum amoueatur. Et papam, ad concilij iudicium causa reiecta, interim tamen excommunicationis uinculum laxasse, Helmoldus testatur: cui reliqui hac in parte Historici contradicunt. Minimè tamen, licet pontifici supplex fieret Imperator, cessarunt in Germania motus. Nã Moguntinus nil nisi sanguinem spirans, quoscunque potuit, contra Imperatorem eiq; fideles armauit: imò ipse Vrspergensis uerba sibi deesse queritur, in huius episcopi insidijs & seditionib. describendis, quibus plures episcopi eiecti, castella plurima destructa, regiones igni & ferro uastatæ, oppressiones pauperum, & Christianorum in Christianos omnem barbaricam feritatem excedentes, mutuæ cędes factæ sint. Ac denique, cum per legatos creberrimè supplex pontificis reconciliationẽ efflagitaret Henricus, solius Moguntini literis ad papã omnis ei spes ueniæ præciditur. Inter hasce turbas Paschalis è rebus humanis sublatus, ad maiores suos descendit, anno 1118. Huius uestigijs Gelasius & Calixtus successores insistere magnis uiribus conabantur. Cũq; tandem pontificiæ factioni imparem se esse animaduerteret Imperator, suisq; rebus diffideret, cum Calixto Vuormaciæ in gratiam redijt, omne inuestiendi ius ipsi concedens, anno 1122. Deinde in Hollãdos mouens, eos suo iugo subijcit. Ac tandẽ, cùm Heinrici Anglorum regis soceri sui consilio uniuersum regnum sibi tributariũ facere attentaret, Traiecti morbo correptus, diem claudit extremum, omni prorsus sobole destitutus, anno regni sui decimonono, Imperij decimoquarto, qui fuit Christi 1125. Otto Frisingensis libro septimo, capite decimosexto. Vrspergensis, Crantzius, Auentinus.

Lotharius Saxonum dux, Monasteriensibus bellum admodum cruentum mouit, quo tandem ab ipsis eiectum episcopum restituit, anno 1121. Crantzius lib. 5 Saxon. capite 41.

Apud Vandalos trucidato, ut superiori Seculo diximus, Crucone uel Critone, Hẽricus Godeschalci filius cum Sclauina ipsius coniuge simul omni prouincia potitur. Holsati, Stormarij, cæteriq; Vandalis contigui Saxones, de Cruconis obitu lætãtes, Heinrico se adiungunt, fidemque sanctè in omnibus promittunt. At qui Austrum Orientemq; uersus, Vandaliam incolunt, cũ ethnicæ suæ religionis mutationem metuerent, arma capiunt, & ex Critonis genere sibi principem constituunt: fortè Vuarcislaus est, ut ex lib. 3. cap. 28 Vandaliæ Crãzij colligere licet. Contra hos Heinricus in belli societatem adsciscit Magnũ Saxoniæ ducem, Bardos, Holsatos, Stormarios atq; Thietmarsos: qui in Polaborũ terra castra ponentes, in loco Smilow, ubi Vandalorũ uagabantur copiæ, prẹlium ineunt, Magno id iubente, ruptoq; arte militari Vandalorum ordine, Saxones illos cædunt, inq; fugam conijciunt. Ex eo tempore Orientales Vandali Heinrici dominio paruerunt, & latrocinia, quæ his populis quasi innata erãt, inhibita sunt. At de religione mutanda uerbum nullum.

Rugiani amicorum calamitatem ulturi, Lubecã, quę Heinrici sedes erat, oppugnãt. Sed is, cum præter opinionem hæc sibi acciderent, noctu cum duobus alijs socijs urbe excedit, subsidium quæsiturus. Vrbani interim fortiter oppugnantium uim sustinẽt. Redit post quatriduum cum maximis copijs, Rugianos prosternit, paucissimis in de nauigio elapsis. Ex ea clade quam Rugiani accepêre, uicinus mons Ranorum nomen sortitus est: teste Marscalco. Ac cum amplissimis Heinricus dominaretur populis, regis nomine cæteri duces eum ultrò salutarunt.

Brisani etiam atq; Stoderani (ij sunt, qui Hauelburgum & Brandẽburgum incolũt) Heinrico bellum indixerunt, sed admodũ infeliciter: idẽ enim armis eos perdomuit. Helmoldus. Vualdemarus Heinrici filius, cum pro iuuenili ætate grauius imperitaret Rugianis, occiditur. Pater, collectis undiq; militibus, bello eos petit: uerùm ipsi supplices facti, quater mille & quadringentis marcis pacem redimunt. At cum soluendo nõ essent (rarum enim tum apud ipsos numismatum usum fuisse, autores prodũt) Heinricus iterum, adiuncto sibi Lothario Saxone, brumali tempore per glaciem eosdem oppugnat. Verùm frigore nonnihil remittente,

ter.te, copias ipsi per glaciem reducũt metu futuri periculi, ne ipsis in hostium agris fortè laborantibus omnis recedendi facultas denegaretur.

Nicolaus Danorũ rex Heinrico Vandalo, suo ex sorore nepoti, Gotschalci filio, maternã ademerat hęreditatẽ. Heinricus, cum neciure, nec amicorũ precibus, regis auunculi animũ expugnari posse uideret, armis correptis, quicquid Slesuico suberat, infestat. Rex instructa classe ad Vandalorũ terrã appellit. Elinus Slesuici præfectus, ut cũ iusto equitũ numero adsit, iubetur. Rex expositis militib. uicinũ quoddã littori oppidũ, Zuartoto appellat Crantzius, diripit. At Elino, quẽ pecunia Heinricus retraxerat, nõ cõparente, facili labore Sclaui equites, Danos pedites profligant. Postridie Dani, cũ fugæ eos puderet, præliũ redintegrant: sed infeliciter admodum confligunt. Nã locorum ignari paludib. immergũtur, multi trucidantur: reliqua multitudo in fuga salutis spem ponens, naues conscendit, aufugitq;. Heinricus felici pugnæ euentu erectus, à Danorum infestatione deinceps minimè abstinuit. Cui Canutus Erici filius, Elino p̄fido in prę fectura Slesuicẽsi substitutus, fortiter restitit, ac parũ aberat, quin Heinricũ incautum in quodam suo castello oppressisset, nisi magno quidẽ cum periculo uitæ ipse fluuio se cõmittens, hostẽ delusisset. Canutus uicissim Sclauiam, quæ Heinrico parebat, omnem ferro ac igni perdit. Sed tandem Heinricus omni robore exutus, & Canuto reconciliatus, eodem intercedente, regis quoq; gratiam meretur. Tanta præterea inter ipsos deinceps fuit coniunctio, ut Canutum ex asse hæredem scriberet omnis suæ terræ, ob suorum liberorum inertiam. Saxo Grammaticus, Crantzius lib. 5. cap. 6 Daniæ.

Apud Gallos Ludouicus Crassus, quem pater adhuc uiuus in regni consortium acciuerat, contendit cum primatibus quibusdam, sacerdotum fundos tenẽtibus, & diuturna possessione, sui iuris eosdem factos asserentibus. Qui cum iubente rege ultrò cedere nollent, aperto Marte eos aggressus Ludouicus, duce Roberto Flandro, qui omnibus ob domitam Asiam facilè terrorem incutiebat, ab armis & suo iure simul discedere coegit. Cæterùm Hugone quoque Pomponensi comite, qui nauib. transitũ, nisi multo auro exoratus, nõ cõcedebat, ac præterea equos aliquot ad regẽ perducendos interceperat: & Vidone à Rupe forti, cuius filiã uxorẽ duxerat Crassus, sed ob propinquã cognationem rursus dimiserat, qui Hugoni suppetias ferebat: & Vmbaldo Bituriges infestante, domitis, Philippo patri regi summum ocium securitatẽq; præbuit filius. Patre è uiuis sublato, anno 1109, ad filiũ totius regni administratio deuoluitur, Aureliani Gilberto Senonum archiepiscopo, reliquis Galliæ pontificibus astantibus, eum consecrante.

Nouum regem mox aliæ excepe rũt turbæ, eæq; intestinæ. Nam Vido, quem paulo antè diximus, nouas res molitur, Odonẽ Coruoliẽsem comitem, regi familiarissimum, inter uenandum cepit, omniq; eum exuit ditiõe. Rex amici calamitate motus, Boruoliũ, quod Vido præsidio munierat, oppugnat: at deditione eius, bellum finitũ est. Hugonem etiam Puteaci comitẽ, Cornotensium agros depopulantem, captum uinculis constringit.

At grauius bellum ipsi cũ Heinrico Anglorum rege fuit, ob Gisortianam arcem ad Heptam flumẽ, utriusq; regni limitem, quam modò Francus, modò Anglus sui iuris esse uendicabat. Et quia perpetua belli materies erat, eoque Crassus illam destructam, Heinricus uerò rerum summa apud Normannos etiam potitus, eam integram seruare uolebat. Ad Gisortium pugna cõmissa, quam nox diremit: tandem Anglus uictus in oppidum se recepit. Franci Caluũ montem petunt. Inde cum die altero Gisortium oppugnarent, à Normannis ex oppido erumpentibus repulsi sunt. Quod bellum altero anno finem accepit, Guilhelmo Heinrici filio, Franco se subijciente: qui liberam ei concessit arcem, de qua hactenus pugnatum fuerat. Omissa Normãnia, Crassus ad Meldos bellũ transfert, quòd ij cum Heinrico Anglo cõsilia uiresq; cõiunxerãt: ubi Robertus Flandrus belli dux equo lapsus interijt. Bellum inter hosce duos potentissimos reges annos continuos ferè tres gestum esse, Hector Boëtius lib. 12 Scoticæ Historiæ testatur.

E' carcere certis conditionibus & fide interposita liberatus Hugo, cum Carnotensibus gratia inita, Puteacũ à Crasso solo æquatũ restaurat, & Theobaldi ac Stephani munitus subsidio, Thurium Belsię oppidũ, quod Franco parebat, obsidet. Crassus Hugonis perfidia cognita, mox itinere cõuerso (nam ad Flandros ire parabat) Flandro & Rodulpho Viromanduo in societatẽ belli accitis, Puteacum contendit. Acriter utrinq; dimicatum est. Illi militum numero, hi uerò uirtute præualuêre, uictoriaq; potiti sunt. Theobaldus in gratiam regis receptus, Carnotum retinet. At Hugo turbarum fax, diruto Puteaco, exilio mulctatur. Reliqui cõiurationis socij uel corpore uel bonis pœnas luebãt. Exinde rex in Thomã Marlẽsem, Ecclesiasticarũ facultatũ in Laudunensi

dunēsi diœcesi prædonē, armatas copias educit, eiq; Creciacū Noningentūq; ui adimit: capti furcis plectūtur. Thomas cū Viromanduo cōgressus, uulnus accepit, ex quo interijt. Mirū sit, inquit Paulus Æmylius, uel singulos Francos ꝓceres regi suo infensos infestosq; extitisse, ac æquo ꝓpè Marte pugnasse. Anglus rex eos solicitabat, iuuabat, armabat. Ac ut undiq; Crassū premeret, cū Heinrico Cęsare fœdus icit, eiq; unicā filiā Mathildem in spem regni despondet. Gaguinus lib. 6.

In cōcilio Remensi Calixtus papa Heinricū Cæsarē ab Ecclesiæ consortio separauit. Ea ignominia irritatus Imperator, uniuersæ Frāciæ, maximè uerò Remis excidiū minitatur, omnēq; penè Germanię nobilitatē contra Francos educit. Ab altera parte Anglus eosdē oppugnaturus in armis est. Huic Almericus à Mōte forti, à rege opponitur. Germanas copias ipse Francorū rex tāto ardore ac pugnādi cupiditate expectauit, ut Imperator animo fractus suos reduceret. Sic utrinq; ab armis discessū fuit, anno 1124, mēse Augusto: iuxta Sigeb. Continuatorē. Crassus nō multo pòst Anglo bellū indicit. Verùm hic oppidis partim fraude hostili, partim ꝓditione populariū amissis, ille Balduini Flandri acerrimi ducis nece motus, arma deponunt. Aemylius lib. 5.

Aruernorū comes, qui Claromontēsem urbē episcopo ademerat, Crassum denuò arma induere coëgit, qui eum facili labore cōpescuit. Aruernis quidē Guilhelmus Aquitanię dux auxilio uenerat: uerùm cum is Crasii copias, quas habebat insigniter instructas, ex eminentiori loco cōtemplatus fuisset, ultrò pacem petijt. Gaguinus lib. 6.

Et Vngaria turbulēta extitit, ob Colomāni regis & Almi fratris simultates, quę iam, aulicis frigidā suffundētibus, in apertū eruperāt bellū. Nā utriusq; ad Tibiscū amnem castra aduersa posita sunt, fluminis alueo eos disiungēte. Cūq; iamiam cōfligendū esset, saniores ꝓceres, exclusis bellorū ducibus, quib. mutuę lanienę uoluptati plerūq; sunt, infestos ducū animos placant: ut Bonfinius lib. 5. decad. 2 Vngaricarū rerū annotat. Attamē diuersum alij testantur autores. Nā Vrspergēsis ait, Almū à fratre regno exturbatū, Heinricū quintū Bathauij adijsse, eiusq; opem expetiuisse. Cuius querelis motus Imperator, auxiliares pollicetur copias. Nam & Romani Imperij urbes quasdā maritimas Colomānus inuaserat, & milites terrā Sanctam petentes sæpius uexarat: ut Cromerus indicat. Contendit eò cū infesto exercitu Imperator, Colomannū urbes restituere, & cum fratre in gratiā redire cogit, anno 1108.

Contra Rutenos, quos olim Roxolanos uocabant, idē rex infelicissimè pugnauit. Nam illi, cū à Colomanno pacem multis lachrymis impetrare nō possent, noctu incautos, & in utrāq; aurem securè dormientes obruunt, eosq; castris, uasis, armis opibusq; regalibus exutos, ad internecionē usq; cędunt. Rex ipse cum paucissimis fuga elabitur. Secutum est dehinc bellum cum Venetis, quorū dux erat Ordephalus: ubi de Dalmatica prælio maximè cruento disceptatū est administratione. Verùm Vngarus uictoriam inde reportauit, ac Venetorum uires, cæso simul duce pręstantissimo, adeò attritæ, ut ultrò missi legati uel pacem, uel inducias quàm longissimas peterent. Quibus induciæ ad annos quinq; dantur.

Cæterùm recruduit quidē inter fratres discordia: at Henrici Imperatoris autoritate bis tamē ea sopita fuit. Tandē improbis quibusdam regi suggerentibus, uiuo Almo Belaq; nepote, Stephani filij in regno surrogationē sperare nō licere: ipse fratrem ac nepotē, è gremio matris ereptū, oculis priuari, Belæ insuper uirilia amputari mandauit. Carnifex uerò catuli cuiusdā testiculis exectis & mōstratis, regis sęuitiam delusit. Tandem iam animā efflaturus rex, Benedictum quendam ad trucidandū Almum in Demesiēse cœnobium, ubi in carcere erat, mittit: sed per monachos à cæde prohibetur. Indeq; ob monachorum, quam intentabant, uim, concitato cursu fugiens, ex equo elisus ceruicem fregit: quem canes insecuti, ita frustillatim dilaniarunt, ut ne minima quidem particula superfuerit. Tertio exinde die & Colomannus ex capitis dolorib. expirauit, anno regni uigesimoquinto, qui fuit Christi 1114.

Stephanus secundus, cū post patris obitum annos octo aliorū ductu rebus pręfuisset, res Vngarica bene habuit: uerùm iugo excusso, patris uestigijs insistere maluit, eū asperitate, superbia, ferocitate & crudelitate quasi superare laborans. In Polonos & Bohemos bellum mouet: illos quidem magna præda exuit, ab his uerò in fugam uertitur. A' Rutenorum bello, quod non tam restituendi eiecti ducis, cui Bezen nomē erat, quàm ulciscendæ iniuriæ gratia, ut paulo antè diximus, susceperat, ægrè à ducibus retrahitur. Nondum exinde tribus exactis annis, Poloniā, deinde inferiorē Mysiam, & uniuersam ferè Macedoniam cum Mysia superiore infestauit, ac deuastatis regionibus, in Thraciam & Græciam castra mouit. Belli causa erat, quòd immitem eum & dirum Constantinopolitanus Imperator appellasset. Verùm eo bello Vngarus uictus, pacis conditiones accepit.

Almum, quem occæcatum diximus, idē in Thraciam relegarat: sed pòst ipsum extinctum Albam referre iubet, ibiq; honorificè iusta perficit. Quam enim ex relegatione impia sibi conflarat inuidiam, ex honore sepulturæ abolere uolebat. Belam præterea filij loco adoptat, eumq; regni hæredē, ipse enim sobole destituebatur, designat, Helena, Macedoniæ principis filia, in matrimonium ipsi iuncta. Dysenteria confectus obijt Stephanus, anno regni 18, Christi 1131. Bonfin. lib. 6. decad. 2.

Boleslaus Polonus, Bohemorum in suā terram irruptione irritatus, Morauiam una æstate bis infestam reddit, multaq; præda onustus inde recedit. Pomeranos etiā, qui prædas in Poloniam egerant, bello petens, Colbergum oppugnat, sed frustra: direptis tamen incensisq; uillis quamplurimis, in patriam regreditur. Sed paucis interiectis diebus, præter expectationem rursus Pomeraniam inuadit, Suatoborum maritimæ illius oræ ducem, suum cōsanguineum, ob iniustum & crudelem dominatū uinculis constrictum, liberaturus. Verùm Pomeranis ducem ultrò dimittentibus, exercitus reduxit Polonus.

Anno insequenti Scarbimirus quidam Palatij comes cum prædatorum cohorte Pomeranorum agros depopulatur. Hi uicissim sua damna cōpensaturi, in Polonia prædantur. Scarbimirus cum suo comitatu è conuiuio quodam nuptiali discedens, in uicina sylua feras insectatur, ibiq; fortè in Pomeranos incidit. Fit conflictus. Sed Scarbimirus uulneribus confectus, cum paucis qui supererant, spem salutis in fuga posuit. Ad conuiuium multo sanguine madidus, unoq; orbatus oculo reuersus Scarbimirus uenator, ab omnib. temeritatis incusatur: attamen arma ijdem capessunt, amici iniuriam ulturi. Ex fœdere Rusi auxilia mittunt, ex Vngaris mercede milites conducuntur. Dum hæc fiunt, Bohemorum princeps contra Polonos bellum mouere nunciatur. Boleslaus, quem hostium prius adoriretur incertus, hinc inde distrahitur. Tandem Rusis & Vngaris munitus, utrumq; bellum persequi statuit. Scarbimirum Pomeranis cum exercitus parte opponit, ipse Bohemo occurrit. Verùm his pedem referentibus, Boleslaus etiā suos reducit. Scarbimirus quoque miserè, nemine obstante, uastata Pomerania, cum præda domum redijt. Anno sequenti rursus bellum facit Pomeranis Boleslaus, expugnatoq; ui Bialogrado, urbe ditissima & populosissima, Colberga, Camenum, Velenum, Cosminū, aliaq; oppida ultrò ipsius fidei se dedunt.

Domum regressus uictor Boleslaus, ob hyemem instantem copias dimittit. Interea de fratre Sbigneo, multis testimonijs conuicto, quòd cum Pomeranis fœdus contra datam fidem inijsset, cum suis consilia confert. Consent omnes bello eum persequendum, ac è medio, tanquam reipublicæ hostem, tollēdum. At Sbigneus per Balduinum Cracouiensem episcopum & Iaroslaum Russorum ducem, fratri supplex factus, ueniam meretur.

Porrò dum Imperatori pro restituendo Almo Vngaro operam præstat Bohemiæ dux, Boleslaus Polonus, qui Colomanni partibus studebat, Bohemiam inuadit, & Vascone ac Mutina, quibus rerum summā dux demandarat, profligatis, magna præda potitur. Nec dubium, quin maiora damna ipsis intulisset, nisi coniugis morte & Pomeranorū defectione inde retractus fuisset, in quos omnem belli uim trāsfert. Duce Sbigneo, Pomerani noctu Polonos inuadunt: uerùm admodum infeliciter. Nam ij fortiter hunc impetum sustinentes, magnā inter eos stragē edunt, capto Sbigneo: qui per Castrēsem senatum capitis damnatur, sed clemētia fratris in exiliū ad Bohemos mittitur. Expugnato Veleno, milites ob pfidiam in omne hominū genus, sine sexus & ætatis discrimine, desæuiunt. Hoc bellū tandem hyems, quæ Boleslaum exercitum dimittere coegit, diremit. Anno insequenti contra Polonos exercitum è Germanis & Bohemis collectum educit Imperator. Causa erat, quòd Colomāno Vngaro suppetias tulissent, & Bohemū è suis castris retraxissent. Lubus arcem & oppidum ac Recenū capit. Inde ad Glogouiam transijt: in cuius oppugnatione Bohemiæ dux Suentopolcus per equitem quendam Bohemum, consilio Boleslai, & præmio percussori proposito, occiditur. Bohemi curandi funeris gratia inuiti ab Imperatore ex castris dimittuntur. Instante iam hyeme, Polonus per legatos ab Imperatore pacis conditiones præscribi petit. Hic ut Sbigneus in principatū suum restituatur, & ut Poloni tributarij sint Romano Imperio, pōstulat. Sed respuisse has conditiones Boleslaum, ac Martis aleam experiri maluisse, tandemq; Cæsarem profligatum Cromerus indicat. Verùm Erfordēsis, Vispergensis, Appendix Mariani Scoti, Poloniam hac tempestate Romano Imperatori tributum, per multa secula negatum, soluere coactam, testantur. Deniq; Bambergæ inter ipsos fœdera renouantur, & noua affinitate confirmantur, Boleslao sororē, Vuladislao eius filio filiam Imperatoris matrimonio sibi iungentibus.

De Bohemiæ regno Otto Morauiæ marchio, Suentopolci frater, & Vuladislaus patruelis,

truelis, qui prius iureiurando interposito, Suētopolco successor fuerat designatus, digladiabātur. Boriuoius ea occasione arrepta, principatū, unde eiectus fuerat à Suentopolco, repetit, ac acceptis à Polono Boleslao auxiliarib. copijs, Praga & Vissegrado potitur. Imperator arbiter cōstitutus utrūq; uocat, & Boriuoiū captum in uincula cōijcit, Vuladislaū Bohemię ducē declarat. Verùm Imperator ꝓ corona Romā contendit, Boleslaus fortunæ Boriuoij misert⁹, Bohemiā depopulatur. Cū quo ad Cidlinā amnē cōfligētes, Vuladislaicopię supiores extitère. Pręliū cōmissū 8 idus Octob. anni 1111.

Massouiā, dum Polonus cū Cæsare bellū gereret, Pruteni & Pomerani deprædātes, à Magno Massouiæ comite, cū noctu poculis & somno indulgerēt, trucidātur. At Boleslaus nō satis pœnarū eos sic luisse ratus, expeditionē in Pomeraniā suis indixit. Ab educto exercitu Naclū primò oppugnatur. Verùm cū incolæ de Prutenorū & Pomeranorū clade, qua circiter uiginti hominū millia cæsa fuerant, certiores redderentur, deditionē fecerunt. Horum exemplū mox alia sex oppida secuta sunt. Quibus Suentopolcus, de Gryphium familia apud Polonos, præfectus datur.

Exarsit deinde rursus Bohemicū bellum, Sobeslao Bohemo cōtra fratrē Vuladislaū, Polonū arma capere suadente. Qui infesto exercitu ingressus Bohemiā, Closcū oppidū exurit, & quæuis obuia prosternit, prædatur, igni & ferro omnia uastat. Et cū ad Cidlinā fluuiū aduersa locata essent castra, Bohemi noctè quadā intēpesta ultrò discedunt. Polonus etiā, cōmeatu deficiēte, pedes referre cogitur. Cæterùm ex insidijs eosdem Bohemis uellicantibus, multo sanguine utrinq; dimicatū est, anno 1114, iuxta Hagecū. Anno sequēti pax inter eos sancita est. Boriuoius ab Imperatore è carcere dimissus, Boleslai opera Bohemo recōciliatur, & Bohemici principatus partē obtinet. In Prutenos tamē Boleslaus, ne sui domi ocio torpescerēt, bellū mouet, eorūq; agros impunè uastat. Tandem sub annum Salutis 1120 uniuersam Pomeranorum terram domat, suoq; subijcit dominio, populumq; religionem Christianam, sæpius iam receptā & repudiatam, amplecti cogit.

Reuixit & inter Vuladislaū Bohemorū, & Sobeslaum Morauorū duces simultas, ac cōductis utrinq; copijs, pręliū cōmissum est, in quo Sobeslaus uictus, Boleslai opem implorat: uerùm eo in reducendo Iarislao Russorū duce occupato, nihil impetrat.

Ad Angliæ statū nunc accedimus, cuius gubernatio sub annū Salutis 1101 ad Heinricum, Ruffi defuncti fratrem natu minorem, deuoluta est, cum ipse multa beneuolentia regni ꝓceres in suas partes alliceret. Verùm ex bello Hierosolymitano reuersus Robertus frater natu maior, Normannorū dux, amicis, maximè Ranulpho Dunelmēsi episcopo, sollicitantibus, regnū repetit. Heinricus rex re cognita, tā nauales quàm pedestres copias cogit, fratrisq; aduentum præstolatur. Nec etiā Robertus dux quod è re sua esset negligit, impositoq; in naues milite, classem regiā accedit, & oratione blanda donisq; maximā copiarū partē sibi adiungit. Rex de fratris aduētu & suorū defectione edoctus, pedestri itinere ei occurrit, & fortunæ casum quicunq; accidat, prælio experiri nō abnuit. Sed principes Anglię uiri à laniena fratres cohercēt, certisq; cōditionib. pacē sanciūt, ut scilicet Heinricus, q patre rege natus esset, Anglię regnū obtineret, & in singulos annos terna millia marcharū Roberto daret: & qui prior sine liberis discederet, alterum hęredem testamēto scriberet. Posthæc Robertus ad Normannos redit.

Robertus etiā quidā Salopiæ comes, cū sua factione, noua turbādi regni cōsilia cōferebat: sed capto Arundello, ubi ipse degebat, à rege in exiliū eijcitur seditiosus. Secutus est exinde regni status pacatissimus.

Aliquāto pòst, cū Robertus Normannus Heinricum regē inuiseret, marcharū quas diximus persolutione eum liberum ꝓnunciauit, fratre blanditijs inter pocula nimiū instante. Sed pœnitet paulo pòst Normannum in fratrem liberalitatis, seq; fallaciter circumuentū apud quosuis queritur. Heinricus ubi se à fratre traduci resciuit, armatorum manum, quæ Normannię fines uexarent, mittit. Hos subsecutus rex maioribus cum copijs, cruentoq; cōmisso prælio, fratrem uniuerso regno exuit, & captū in perpetuo carcere detinuit. Accidère hæc anno Salutis 1108. Atq; sic Normannia Anglię regno unita est.

Fulco Andegauensis comes, Anglorū odio & Roberti amore, cuius uicē dolebat, in partibus transmarinis Cōstantiā, corruptis auro ciuibus, occupat. Rex in Normanniā ꝓfectus, urbem recuperat, raptis nōnullis ciuiū ad suppliciū, multisq; comitē incōmodis afficit. Vuallos etiam domuit, anno postquam regnare cœperat decimoquarto.

Normanniæ ducē Guilhelmū filiū Heinricus rex designarat: is cū aliquando cū fratre Ricardo & Maria sorore Angliā peteret, nauis per incuriā nautarū scopulo illisa, perfracta est: quo casu centū & quinquaginta circiter perierūt, uno duntaxat incolumi. Diuina id factū ultione creditū fuit. Nā ij omnes ferè Sodomitica labe polluti dice-

dicebantur, cum alioqui mare tũ esset pacatissimũ, anno 1120. Matthæus Parisius. Hac arrepta occasione, Robertus Melani comes Normanniam turbat. Rex cum copijs aduolat, & Roberti castrum quoddam primũ expugnat. Robertus interim, Almerico Montifortis comite suppetias ferẽte, Normanniam igni & ferro depopulatur. Occurrit hosti Guilhelmus regij exercitus dux, ac Robertum in insidias pellectum capit. Polydorus.

Apud Scotos Edgarus, Donaldo eiecto, rerum summa potitur, sub annum Salutis 1098. fuitq; is omnium Scotorum primus rex sacra unctione inauguratus. Nullũ autẽ toto regni sui tẽpore bellũ gessit, ob probatã subditis uirtutẽ magis uenerãdus, quàm metu tantæ potestatis terribilis. Mortuus est anno regni sui nono. Cui, cum liberis destitueretur, Alexander Fers, quod fortẽ sonat, suffectus est. Quem cum Moraui & Rossi sacris rebus intentum cernerent, eius ditiones maximo cum maleficio incursant. Alexander, collecta quadam cohorte, eximprouisò eos opprimit, ac latronũ duces captos capitis dãnat. Vitę præterea insidiatores habuit plurimos, etiã inter domesticos, quos uel bello, uel uarijs tormẽtorũ generib. sustulit, pacemq; in regno constituit, cui præfuit annos decẽ & septem. Obijt sub annum Salutis 1123. Ioannes Maior lib. 3. cap. 10. 11. Boethius lib. 12.

Erico Danorum regi tres erant filij, quorum Haraldus ex concubina, Canutus ex legitima coniuge, Ericus uerò ex adulterio nati erãt. Pater ad terram Sanctã profecturus, Nicolao fratri, ex concubina, ut Helmoldus testis est, nato, & filium Canutum & regni administrationem interea tẽporis demandat, usque dum filius adolesceret. At nunciata Erici regis nece, qui in Cypro insula uitam cum morte commutarat, Haraldus ad regium aspirat fastigium. Verùm cum multa insolenter absente patre egisset, reijcitur, ac omniũ suffragio Nicolaus Danorũ rex creatur. Haraldus repulsam passus, ad latrocinia se cõuertit, furum manipulũ colligit, & inprimis fratri Erico dãna infert: quos Canutus Slesuicẽsis compescuit, cuiq; fratrũ suã paternæ hæreditatis portionẽ attribuẽs. Saxo Grammaticus lib. 13. Crantzius lib. 5. cap. 8 Daniæ.

SVB LOTHARIO

Saxone.

SVccessit in Romani Imperij administratione Heinrico quinto, Moguntini cõuẽtus autoritate, Lotharius Saxõię dux, cuius supius iam facta est mẽtio, Gebhardi de Supplingeborg Saxonię comitis filius, sed ab Heinrico Imperatore, Magno extincto, Saxoniæ ducatu donatus, ut ex Saxoniæ Chron. Erfordẽsis annotat, moxq; ab Apostolicæ sedis legato, qui comitijs aderat, consecratur. Astu & fraude Alberti Moguntini (qui, ut habet Casinense Chronicon lib. 14. cap. 89, ferali odio contra Heinricum accensus, & uniuersam eius cognationem tanto honorum fastigio deijcere cupiebat) & Conradi Salisburiensis id factum, asserunt Otto Frisingensis lib. 1. ca. 16 de gestis Friderici, & Auẽtinus. Anno 1126. Chron. Saxon. Antoninus habet 1127.

At Fridericus Sueuię & Conradus Franciæ duces, fratres germani, Heinrici 5 ex sorore nepotes, penes quos ipse insignia Imperij deposuerat, se neglectos dolentes, Lothario bellum faciunt. Conradus quorundam procerum suffragio Imperator salutatus, & Mediolanum ab Italis accitus, per Anthelinum archiepiscopum ibidem consecratur. Verùm Lotharius non modò acriter resistere, sed utrumq; opprimere penitùs conabatur, iusto, ut inquit Otto Frisingensis, Dei iudicio, qui ex peccatis & præuaricatione patrum, semen ipsorum affligi patitur. Lothario militabat Heinricus Boiorum dux, cognomento Catulus, cui nuper filiam suam desponderat, celebratis in frequenti principum corona Mersburgi nuptijs. Dos ei data Brunsuiga comitatusq; Northeimensis, & omnis ad Visurgũ ditio: quæ omnia eodem iure ad Imperatorem deuoluta olim fuerant. Ac is quidem primus ei ad ducatum Saxoniæ aditus fuit: ut ait Cranzius li. 6. ca. 4 Saxoniæ. Dumque in Saxonia commoratur Imperator cum genero, Fridericus quidã à Bogen, adiunctis sibi quibusdam Boiorum primarijs uiris, Reginoburgensium præfectum occidit. Imperator rebus cognitis, è Saxonia uersus Bauariam bellum mouet: Norinbergam, quò præsidium locarant prædicti duces, obsidione cingit. Sed ijsdem, obsessis in auxilium uenientibus, Imperator recedit, Rheni oram perlustrat, ac Spiram Limburgiumque Friderici castellum obsidet. Heinricus, relictis ad Falckenstein, quæ Friderici à Bogen arx erat, militum cohorte, socero suppetias fert, ac ultra Rhenum contra incursiones Friderici Sueui, castra ponit, eumque noctu irruentem, cum de eius conatibus edoctus esset, in fugam uertit Groningam usq;. Moguntino præsule mediante, Spira fidei Imperatoris se dedit. Heinricus ad obsidionem arcis Falckẽstein regressus, eam expugnat & diripit. Fridericus, collecta manu, plerosque Sueuiæ uicos, qui Heinrico parebant, inter quos Memminga, Altorff, Rauensbergum, diripit & exurit. Par pari re-

fert Heinricus, ac Friderici sororis suæ Iudithæ mariti ditiones igni & ferro uastas reddit. Posthæc Heinrici Ratisponẽsis episcopi agrũ, quòd se inscio eã cõscendisset sedem, ac Haimerani monachos spoliasset, & Ottonis Vuolfrathshusiani comitis, episcopi ex fratre nepotis, ditiones depopulatur. Albertũ comitem à Calb cũ Vuelphone fratre Vuirtẽbergo exuit, castellũq; igni tradit. Conradũ Saringiũ, Schonburgiũ oppugnãtẽ, Lotharius Impator superueniẽs recedere cogit. Tãdẽ cũ se imparẽ Vuelphoni esse uideret, Albertus supplex ueniã petit, & assequitur. Posthæc Heinricus dux ad Vuolfrathshusiũ castra ponit At Ratisponẽsi episcopus, patriæ suæ calamitate motus, Ludolphũ Austriacũ, Fridericũ à Bogẽ, aliosq; in auxiliũ uocat. Ad Isarã amnẽ castra posita sunt. Sed persuadẽte Ottone à Vuittelsbach, Fridericus à Bogẽ eiq; cõfœderati ueniã à duce petũt. At Vuolfrathshusium igni traditur. Tãdẽ episcopo Ratisbonẽsi Hoch-burgẽsem prefecturã eidẽ donãte, Bauariæ pax restituitur. Præterea Lotharius in Imperio confirmatus est, Cõrado apud Italos latitãte. Vrspergẽsis, Auẽtinus. Hãc autẽ inter Imperatorẽ & Fridericũ dissensionem ad annos ferè decẽ protractã, narrat Frisingensis lib. 1 de gestis Frid. cap. 20.

Sed dũ Germania intestinis turbata est bellis, Romæ duo de sede pontificia armis digladiãtur, Anacletus & Innocẽtius: quorum ille Rogerij Siculi suffultus præsidio, hunc Roma eijcit. Is ad Lotharium in Germaniam fugit: à quo reuerenter Leodij excipitur, & de se restituẽdo spe amplissima recreatur, modò episcoporũ diẽtelam reddat. Postulatis pontifex annuere differt: ac tandẽ Bernhardi Clareuallensis instinctu, Imperator id petere desistit. Cogũtur interea copiæ: quibus Romã deductus Innocẽtius, in æde Constantiniana Lothariũ Augustũ salutat. In Leodiensi urbe id factũ, in Catalogo Leodiensiũ episcoporũ annotatur, in uita Alexandri. Feliciter inde ad Germanos reuersus, Bãbergę comitia celebrat: quibus Conradus & Fridericus, Bernhardi quẽ diximus intercessiõe, gratiã Imperatoris merẽtur. Inde ad Saxones profectus est: ubi Polonus & Danus eiusdẽ se subdũt Imperio, atq; in eius uerba iurãt. Heinricũ generũ, ut Crantzius lib. 6. cap. 7 Saxoniæ testatur, ducatu Saxonię donat. Halberstadię Danorũ regẽ bello uictũ Imperatori iuramentũ præstitisse, se suosq; posteros tãtùm Romanorum Imperatorum autoritate regia insignia accepturos, in Cosmidromij & in ueteri Coloniẽsiũ Chronico annotatur.

In Italia iterum Innocentius cum Rogerio confligit, & superatur, ab eoq;, cum cardinalium manipulo capto, regium nomen extorquet Rogerius.

Imperator, conscripto haud uulgari militum numero, denuò in Italiã redit. Heinricus Bauarus mille quingentis equitibus stipatus, socerum comitatur. Adest & cum iustis copijs Conradus Imperatori iam amicissimus. Hi coniunctis uiribus Gardam & Garistallum oppida in fidem accipiunt. Ea etiam expeditione Cremonẽses & Mediolanenses, qui diuturnũ iam bellũ gesserant, ab armis discedere iubet Imperator, proscriptis Cremonensibus: quorum agri & uillæ Cæsareanis prædæ sunt, castella destruuntur. Papienses multo auro persoluto, in gratiã accipit. Bononiẽses & Aemylienses, quibus despectui fuerat Imperator priori in Italiam expeditione, ob minus instructũ & copiosum exercitũ, ui & armis supplices fieri cogit. Pòst usq; ad Taurinũ totã citeriorẽ Italiã subigit. Citra Apenninũ Ancona & Spoleto, alijsq; urbibus & castellis potitur. Heinricus cũ exercitus parte Thusciã perlustrat: cumq; eã in suũ redegisset ius, Romã cõtendit, & assumpto armigero pontifice, Albã Beneuentũq; expugnat. Ex Barro coniunctis copijs profecti Imperator & duces, Rogeriũ antipapæ fautorẽ petũt, eumq; omni exuũt regno: cui Reginaldus (Rainonẽ uocat Antoninus) imponitur. Rebus sic feliciter gestis, Impatori in Siciliã traijcere animꝰ erat. Verùm Germaniæ principibus, quos amor patrię, rerũ administratio, & dulcissimarũ cõiugũ ac liberorũ retrahebat desideriũ, detrectãtibus, in Germaniã pedẽ refert. Tridẽti morbo, seu, ut Crantzius uult, peste correptus, in uilissimo quodã tuguriolo in sylua animã reddit, postquã rerũ summę annis prefuisset tredecim, anno Christi 1138, in autumno. Vrspergensis. Corpus in Saxoniam delatum, in Lutharia cœnobio humatur. Res ab eo gestæ in æs incisæ eòdem reconduntur. Otto Frisingensis libro 7. capite 17. 18. 19. 20. Auent. libro sexto. Huius Lotharij mores, inquit Vrspergensis, quidã his uerbis describit: Erat uir ille strenuus belli ductor, præcipuus in armis, prouidus in consilio, terribilis inimicis Dei & sanctæ Ecclesiæ, ueritatis amicus, iusticię socius, iniusticiæ inimicus: cuius probitas patuit in Sicilia, uiguit in Saxonia: quãdiu uixit, totũ Romanũ Imperiũ, quod eius custodię deputatũ fuerat, titubare nõ potuit. Hic expulso Petro Leonis, Innocẽtiũ papã manu forti, inuitis hostib. & aduersarijs, in sede sancta restituit, ab eo quoq; restituto cõsecrationem Imperialem accepit. Hæc ille. Et ipse Vrspergensis inquit: Huius Imperatoris laus est à uendicata religione & legibus. Ad Gallos transimus.

Gallus,

Gallus, rebus domi pacatis, in Flandriā ea occasione bellum mouet: Carolus Flandriæ comes eleemosynis, quæ quotidie in egenos grauissimę famis tēpore ex fisco erogabātur, Tamardum quendam pręfecerat. Is cum ex alieno multorū beneuolentiam conciliaret, animosq; sibi deuinciret, cristas ac spiritus sumpsit. Lambertū Stratensem pręfectum in æde Donatiani, qui plena habebat horrea, incusabat, q, tantæ calamitatis autor esset, cū suppresso frumēto fame deficientes nō subleuaret. Fractis itaq; comitis iussu horreis, ingentē frumenti uim ditioribus pro iusto precio, egenis uerò gratis distribuit Tamardus. At cum pecuniam oblatā, quę suæ auariciæ nō respōderet, Lambertus accipere detrectaret, egenis ea restituta fuit. Quo beneficio Carolus & Tamardus mirè sibi populū addictū, Lamberto uerò maximè infestum reddiderunt. Igni oleū addidit Bertinianus abbas, Lambertū, quòd triennio integro nihil decimarū soluisset, grauiter accusans. In aulā uocatus Lābertus, eo ipso die Bertinianis easdem reddere iubetur, nisi pœnas nō leues experiri malit, omni simul dignitate amissa. Tamardus præterea litē eidem simul mouet, quòd limites in suos terminos promotos fixisset. Lambertus, expoliatis à Tamardo horreis suis, cū qd Bertinianis penderet, nō haberet, armis se tutari uoluit, ac duce Burchardo filio, cum armata cohorte Tamardi castellū expugnat, muros disijcit, ciuium bona diripit, & quoscūq; resistētes trucidat. Cecidit inter hos & Tamardus. Carolus re cognita, eā in Burchardum, non quidē ꝓ delicti grauitate, fert sententiā, ut limites, quo prius steterāt loco, reponātur, castellū reparetur, & ablatū duplex restituatur. Hinc contra Carolū excandescūt Stratenses, eiusq; exitiū tentant. Tandē oblata occasione, ipsum in D. Donatiani æde ad altare confodiūt. Mulierculæ cuiusdam clamore, quę stipē rogarat à comite, Themardus Brugburgensis cū duob. filijs excitus, accurrunt: sed simul ibidem occumbunt. Regia direpta, Donatiani ædē in modum arcis cōmuniunt cędis autores. Proceres & plebs uniuersa, mortem sui comitis ulturi, ad arma conclamant. Superuenit his Ludouicus Crassus Franciæ rex, qui expugnata Stratensium urbe, nouo & inaudito supplicij genere turbarum cædisq; tam atrocis faces afficit. Nulli coniuratorum temperatū, nec ijs etiam qui aliqua necessitudine eos cōtingebant. Vuilhelmus Roberti Normāni filius, Flandris comes à rege datur. Eandē aūt dignitatē plures ambibant, armisq; præterea attentabant. Sed Franco milite armatus Vuilhelmus, Theodoricum Alsatiensem, qui acrius rem agebat, bello superat. Qua quidē uictoria elatus, nihil non audebat Vuilhelmus, omniaq; ꝓsperè cessura sperabat: uerùm cū incōsideratius Alusti mœnia, quò se Theodoricus ex pugna elapsus receperat, subiret, ex muro telo ictus interijt. Plurimorū insuper is odia ꝓpter exactiones immodicas in se cōcitarat. Ac cum precib. Theodoricus Francū militē sibi adiunxisset, Guilhelmus Hyprensis cōpetitor arma deposuit. Sicq; res Flādrica in unum coijt. Paulus Æmylius lib. 5. Iacob Meier in Chronico Flandriæ.

Confecto hoc negocio, Francus in Borbonium paruam expeditionem facit: quē dominatum solus Hanno, eiecto defuncti fratris filio, appetebat. Sed is armis depositis, procerum iudicio stare cogitur. Exinde Aruernorū comitem, qui episcopū urbe eiecerat, domat. Digresso rege, Aruerni nouis motibus studebant. Sed reuersus Francus Ferrariam arcem, quæ eregionè urbis est, occupat. Et Vuilhelmus Aquitanię dux, qui obsessis auxilio uenerat, pacis conditiones à rege accipit. Theobaldus Campanus comes, cum ob uulgi nobilitatisque gratiam, qua plurimùm ualebat, Crassum senē morbisque confectum, ac filium Ludouicū iam regem salutatum, rerumq; ob ætatem imperitum, minus reuereri uideretur, ab ijsdem bellis petitur. Bonauallis, ubi comitis sedes erat, ui capta, solo æquatur. Eadem etiam Briconeti castelli fuit fortuna, cuius dominus cuncta prædis latrocinijsque infesta passim reddiderat. Cumq; iam Galliæ ab intestinis motibus quies data, & Ludouici iunioris cum Guilhelmi Pictonum comitis filia maiore Leonora nuptiæ peractæ essent, Crassus rebus humanis excedit, anno 1138. Paulus Æmylius, Gaguinus libro 6.

Alphonsus septimus Hispaniarum rex sub annum Salutis 1121 creatus, cum uitrico Alphonso Aragonum rege, cui mater Viraca iterum nupserat, de regno bellum gerit. Nam Hispaniarum Imperator uitricus dici uolebat. Succedit huic filius Sanctius, eius nominis tertius, cognomento Desideratus. Verùm cùm uno pręfuisset anno, hominem exuit: cui frater Ferdinandus secūdus in regno suffectus, annos decem & septem præest, usq; ad annum Salutis 1142. Ritius lib. 3 de regibus Hispaniæ.

Vngarorū regno potitus Bela secundus, quē oculis orbatū diximus, pacis studiosus, & de honestis legibus pro regni salute cōdēdis admodū sollicitus fuit. Cæterùm Helena cōiunx grauius in eos, qui excæcationis autores extiterāt, animaduertit, ne qs postea in principē uirū tale quid tētare auderet:

deret: sexagintaocto uarijs tormentis necat, alios uel perpetuis carceribus, uel exilijs longissimis cum coniugibus & liberis mulctat. Vngari modum in pœnis irrogandis reginam excedere indignius ferentes, noua moliuntur, Borichium adulterinum Colomanni filium ad inuadendum regnũ cohortantur, ac auxilia pollicentur. Borichius Rutenorum & Polonorum ope stipatus, ad Seum fluuium castra ponit. Bela, procerum conuentu habito, quoscunq; nutare persentisceret, mox reliquorum iudicio capitis damnat: pòst eductis copijs, eodem loci castra aduersa locat. At Vngariæ proceres cum Ruthenorum & Polonorum ducibus, utrinq; fide præstita, in colloquium conueniunt: ubi Budus Rutenis & Polonis, ut arma ultrò deponerent, graui persuasiv oratione. Cæterùm Borichius, licet à suis destitueretur, cum Bela tamen prælio decertare non abnuit: sed admodum infelicem res sortita est euentum. Nam trucidatis copijs, ipse Borichius cum paucis alijs fuga elapsus, ægrè uitá seruauit. His factionibus sedatis, rex ocio & luxui se totum dat: tandem hydropisi correptus, nono regni sui anno è uiuis excedit, qui fuit Christi 1141. ut Bonfinius lib. 6. decad. secundæ indicat.

Aliter hęc narrat Cromerus ex Duglosso: Boleslaum, inquiens, Polonorum principem, Rutenorum auxilijs stipatum, Stephani Vngarorum regis filios (quos tamé nullos habuisse legitur, ut suprà indicauimus) in regnũ contra Belá cæcũ restituere uoluisse. Verùm Vngarorum & Austriacorũ copijs munitum Albertum superioris Pomeraniæ marchionem, cui Belæ soror nupta fuerit, illis occurrisse & strauisse. Sed nõ multo pòst eorundem exulum precibus exoratum Polonum, denuò parasse bellũ: uerùm admodum infeliciter, ut deinceps omni restituẽdi ipsos labore supersederit. Lib. 5 de rebus Polonorum. Cuius narratio magis fidem mereatur, penes Lectoré esto iudicium.

Bohemorum duce Vuladislao mortuo, Sobeslaus populi ac procerum fauore rerum summa potitur. Aegrè id ferebat Otto Morauiæ marchio, ac cum uiribus impar esset, Lotharij Cæsaris, qui nuper Imperij fastigium conscenderat, opem implorat & impetrat. Verùm auxiliares illæ copiæ ex Saxonibus collectæ, ad Chlumecium oppidum profligantur à Sobeslao: inter quos ipse Otto occubuit, & Sobeslaus cũ Lothario, cui cum Conrado Sueuo bellum tum erat, in gratiam redijt. Suorum principum proditione hác stragem Cæsarem passum, Vincentius & Antoninus indicant.

Eadem tempestate & Volodor Polonos iterum bello attentat, sed in ipso rerum apparatu moritur. Cuius duo filij, Volodimirus & Rocislaus, bellum cœptum persequi uolentes, paucos ad Polonorum fines exusserunt pagos: sed cũ inter ipsos fratres dissidium suboriretur, domesticum ei genti fuit bellum. Posthæc Boleslaus ad sacras res animum adijcit, templa condit, ditat, & superstitiosis se dat peregrinationibus.

Ab Vngarica expeditione, ubi domesticum uigebat bellum, Boleslaus per Bohemum, qui in eius regnum inuasiones faciebat, retrahitur. Ac cum in eundem uindicandum omnem belli uim collaturus esset, ab Vngaris, qui eum euocarant, prius cœptam expeditionem persequi exoratur. Dumq; his moré gerit, & apud exteros rebus gerendis occupatur, maiori ui Bohemus Silesiam infestat, fugatis, uel partim sua sponte fugientibus militibus, quos præsidij loco reliquerat, cum hostium impetus sustinere non ualerent. At de domestico malo certior factus Polonus, relicta Vngaria, ad suos concitato cursu aduolat: magnam inter eũdum Morauiæ partem igni ferroq; uastat. Ad Vngaricum bellum exinde non redijt, præsertim cum Lotharium Romanorum Imperatorem aduersæ parti suppetias laturum cognouisset. Anno sequenti, qui erat partæ per Christũ salutis 1134, Polonus Bohemorum ulturus iniurias, rursus arma induit, ac coniunctis sibi Russorum copijs, hostium agros ingressus, miserè eos uastat. Bohemus uiribus impar, aperto Marte congredi supersedet. Cæterùm præda, eaq; haud uulgari contentus Polonus, exercitum domum reducit, ac dimittit.

Porrò Russi sæpius se hactenus euocatos indignius ferentes, ea fortè elati opinione, quasi sine se Poloni rebus præclaré gerẽdis inepti essent, res nouas duce Iaropelco Kiouiensium principe contra ipsos moliuntur, præsertim cum duobus illis, Vngarico & Bohemico, bellis eos distentos scirent. De Russorum intempestiua defectione & molitione clàm edoctus Boleslaus, procerum cõsilia, quid in tantis rerum difficultatibus agendum, inquirit. Præ cæteris Petrus quidam opem in opprimendo turbarum capite Iaropelco promittit. Res ex sententia succedit: hostis fraude captus, uiuus in Poloni manus traditur. Sed precio redimitur per fratris filium, ac data fide suo principatui restituitur.

Posthæc in Bohemos bellum denuò mouet Polonus. Sed Lotharius, interposita sua autoritate, utrumq; principem Bambergã ad se euocatum, cum simultates omnes simul tolli non possent, ad trienniũ inducias pacisci

pacisci persuadet, quo Bohemus, rebus domi tranquillis, Imperatori in Italiam pro restituendo Romano præsule contendenti, ex fœdere auxilia mittere posset.

Dum abest Boleslaus, Vngarus quidam Visliciensis oppidi præfectus, ex pacto Iarópelcum Russorum, quem diximus, principem euocat, ut cum expeditis copijs certo die adsit, munitionéq; à se accipiat. Confluxerat uerò eò, proditoris hortatu, frequẽs hominum ex uicina multitudo, hostiũ aduentu perculsa, cum ijs quæ chara habebat. Noctu intromissi hostes, miseram plebeculam magna crudelitate sine sexus ætatisq; discrimine mactant, & oppido succẽso, qui supererant captiui abducuntur. Nec ipse proditor impunè euadit. Nam lingua, oculis, & deniq; genitalibus ab ipso Iaropelco priuatur. Rei indignitate commotus Boleslaus, cogit exercitum, ac Russorum agros, nemine obstante, miserè uicissim depopulatur: pòst ad suos redit.

Russi, cum Haliciensium ducem Iatoslaum, quòd sua consilia Polonis proderet, suspectum haberent, eum eijciunt. Is ad Polonos fugit. Halicienses reliquorum instinctu quasi facti pœnitentes, & sui ducis desiderio maximè flagrantes, per legatos ducẽ sibi restitui petunt. Dictis fidem habet Boleslaus, ac minori apparatu, nihil suspicatus mali, eum reducit. Verùm illo inter medios hostes in terra hostili cõcluso, pugna atrox cõmittitur. Poloni multitudine Russorum uicti cæduntur: ipse Boleslaus, gregarij cuiusdam militis ope, fuga elabitur. Hæc pugna infelix, quam suæ credulitati attribuebat, tantũ dolorẽ angoremque ei attulit, ut paulo pòst mortem obierit, cũ regnasset annos triginta sex. Acciderunt hæc anno Salutis 1139, ut Cromerus lib. 6 de rebus Polonorum indicat.

Angliæ res hac tempestate tranquilliores fuisse patet, fortè ob Vuilhelmi Flãdriæ comitis obitum, qui patri suo illatã ab Anglo rege iniuriã, armis se ulturũ minabatur. Polydorus tamẽ eundẽ regẽ Galli, tũ Flandricis rebus occupati, aliquas regiunculas uastasse narrat, quòd Vuilhelmũ Flandriæ comitem designasset: sed quo euẽtu, porrò non indicatur. Febri occubuit Anglus anno ætatis 67, Salutis uerò 1135, cum regno præfuisset 35. Polyd. lib. undecimo Anglicæ Historiæ.

Ad Vandalos nũc accedamus. Post Heinrici Vandalorũ principis fata, Zuentepolch & Canutus filij turbas mouent: quorũ ille natu maximus, sibi soli regnum rapiebat, adiunctisq; Holsatis, fratrem in Plunensi oppido oppugnat. Canutus non armis, sed iure potius litem ab Holsatis dirimi expetens, haud parum beneuolos & æquos ipsos sibi reddit. Mox enim illi depositis armis, fratres conciliant, partita inter ipsos prouincia. Sed non multo pòst trucidato in Lutilinburg, seu Lutkenburg, ut legit Crantzius lib. 6. cap. 14 Metrop. cum insolentius egeret, Canuto, Zuentepolch rerũ summa solus pro uoto potitus est. Et cùm Obotritis bellum indixisset, Holsatorũ Stormario tumq; auxilio Vuerlo Ciniũq; urbes in suam redigit potestatẽ. Post hanc uictoriã dolo cuiusdam Dasonis Holsati nobilis occiditur: nec nõ eius filius Zuinike (Porcellũ uocat Crantzius) qui solus supererat de Heinrici stirpe, apud Ertheneburg trucidatur. His sublatis, Canutus Erici filius Vandalorum principatu ex Heinrici legato potitus, regio diademate insignitur à Lothario Imperatore, Obotritorum (quos nunc Megapolenses uocamus) regem eum appellante. Attamen Pribislaus & Nicolotus Obotritorum terræ Maior, ut Helmoldus loquitur, Heinrici fratrueles, contra eundẽ pro repetenda Heinrici terra, quæ ad ipsos iure hæreditario deuoluta erat, arma sumpserunt: quibus nouus & armatus rex obuiam procedens, utrumque capit: & cùm arctiori custodiæ Slesuici aliquandiu eos detinuisset, tandem datis obsidibus & magno auri pondere, in sua uerba iurare facit, nunquam se deinceps regni causa quicquã moturos, sicq; liberos dimittit. Helmoldus capite 49. 50. Crantzius libro 3. capite 31. 33 Vandaliæ.

Vuarcislao quoque Orientales Vandaliæ principi graues cum Danorum & Polonorum regibus simultates intercedebant: quorum illi mari, hic terra eum petit. Orna, uel Cosna, ut Crantzius uocat, & Iulinum oppida expugnantur. Tandẽ cùm potẽtissimis duobus regib. resistere nõ ualeret Vuarcislaus, pacẽ petit. In colloquium uerò admissus, statim præter fidẽ datam uinculis iussu Magni filij Danorum regis, constringitur. Hoc factum graui oratione Canutus reprehendit, perpetuam regio nomini perfidiæ notam inustam asserens. Comprobata à primarijs belli ducibus Canuti sententia, Vuarcislaus uinculis solutus ad suos remittitur. Cæterùm ab eo tempore Magnus à Canuto fit alienior, in primis regiã dignitatẽ, qua nuper potitus fuerat, ei inuidens. Nec deerant Gnathones aulici, qui frigidam suffundebant, ut omnino eum extinctũ cuperet Magnus: maximè uerò mater, ut quod meditaretur, quamprimùm perficeret, hortatrix ei fuit. Vocatur Canutus ad singulare colloquium per Magnũ Roschildam: cui ille, licet Ingiberga coniunx, animo aliquid mali ipsi præsagiente, dissuade-

dissuaderet, morem gerit, dictoq; die cum uiris quatuor adest. Ibi cum consedissent, dulcesq; sermones miscerent, ex insidijs erumpunt sicarij, Canutumq; nefario scelere transfodiūt. Saxo Grammaticus, propria manu Magnum hoc sceleris perpetrasse, indicat. Maximi inde existūt motus. Haquinus enim & Petrus, Skyalmonis filij, atrocitatē facti ubiq; in cœtu hominū deplorabant, ac uestē sanguine copiosissimo fœdatā oculis obijciebant, quo magis eorū animi cōtra Magnū cæsorē irritarentur. Nicolaus Danorū rex Ringstadij in conspectū populi ob imminēs ipsi periculū prius non audebat prodire, quàm sanctè populo iurasset, se & aula regia & uniuerso regno cędis autorē eiecturū & proscripturū. Posthęc homicida illo ad Gothos exulatum abeunte, populus furere desijt.

Cæterùm cū ad suos redijsset Nicolaus, à domesticis, qui Magno perpetrādæ cędis autores fuerant, haud minori cū periculo petitur, indignum facinus esse uociferantibus, unicum filium, regni spē ac hæredem, metu quorundam hominum agrestium eijci. Victus suorum importunitate Nicolaus rex, filium ab exilio, quod hactenus simularat, reuocat. Hinc & populi furor recrudescit: periurij rex incusatur. Ericus Canuti interfecti frater, licet ex concubina natus, paribus populi suffragijs rex creatus, arma induit. Adest etiam Lotharius Imperator cū frequenti exercitu, tam nefandam amici cędem ulturus, & ad Slesuicum castra ponit. Magnus, cùm suis rebus diffideret, dolo Imperatorem circumuenit. Nā cùm se Romani Imperij militem perpetuò futurum iuraret, multaq; simul auri talenta expenderet, ipsum placauit. At cum suas copias Imperator reduceret, Magnus ex insidijs erumpēs non solùm milite eū exuit, sed insuper Imperatorem, ut Saxo & Crantzius referunt, turpem fugam capessere cogit.

Ericus, licet ab Imperatore desertus esset, ac sæpius ipse quoque in fugam conijceretur, unde ignominiosè cognominatus est Pes leporinus, Hasenuoeth, ut Saxonū habet idioma: acriter tamen porrò instat, bellumque summis uiribus persequi attentans, hincinde auxilia conquirit. His motibus durantibus, superueniunt fortè, cum in hybernis ageret Ericus, ex Noruegia missi legati, maiorem Canuti filiam, nondum nubilem, suo regi uxorem petentes. Quorum uotis cum annuisset, ipse Ericus regis Noruegiæ nouercam uxorem uicissim accipit. Eductis ex hybernis militibus, bellum terra mariq; restauratur. Nā Christiernus quidam, clarissimo loco apud Iutios natus, odio Magni à Nicolao deficiens, Erico suam operam addicit, ac terrestri prælio cum hoste çontendit, sed infeliciter admodum. Nā ipse uictus, in manus hostium uiuus deuenit, & Slesuicum missus, arctiori custodiæ mancipatur. Ericus mari bellum gerit, ac cū in conspectū Danicæ classis, cuius Magnus dux erat, ueniret, suos ut pugnam ineant, hortatur. Horum uirtute Magnus in fugam conijcitur. Exinde ad Iutios Ericus, euentus terrestris prælij ignarus, contendit, ibique copias exponit. Sed exinsperatò adueniens Nicolaus uictor, multos ex ijs, antequam ad naues redire possent, trucidat.

Militabat Erico & Haraldus frater, quē ex concubina suprà natum diximus: uerùm infelici hoc rerum euentu fractus, hostibus, à quibus splendidissimis inuitabatur promissionibus, se adiungit. Eius castra, Saxonibus, qui Roschildiæ erant, bellica instrumenta subministrātibus, Ericus expugnat: dolo quodam Haraldus elabitur. Ex Iutia etiam Nicolaus mouens, ad Vueram pontē grauissimo prælio Ericum uincit, & Haraldo, ut Saxones, qui Ericum contra se iuuerant, ad supplicium rapiat, permittit. Quib. nares amputantur.

Bello superatus Ericus, ad Magnum Noruegię regem, suum (ut diximus) priuignum fugit. Sed cum is Nicolai instinctu ipsi insidias strueret, regina dolum patefaciēte, noctu clàm iterum discedit, custodibus qui ei erant adhibiti, delusis. Slesuicum delatus, perbenignè à ciuibus excipitur. Quo cognito, Nicolaus cum filio urbem obsidione cingit. Adolphus Holsatiensis comes ab obsessis interpellatus, auxiliares copias mittit: de quarum aduentu edoctus Magnus, eisdem occurrit, ad Egdoram amnem ad unum omnes trucidat: fluuij beneficio comes euadit. Frustra à Danis oppugnabatur Slesuicum: tandemque solis calore glacie nonnihil liquescente, ab incœpto desistere compelluntur. Obsidione itaque soluta, Ericus ad Sconenses, quos semper hucusque fidos habuit, fugit: ubi collectis copijs, Lundiæ regem Nicolaum, ubi Quinquagenales ferias celebraturus erat, incautum opprimere molitur, omnemq; cōmeatum eò deferendum intercipit. Danus, hostis aduētu cognito, & suos educit: ac cū utrinq; atroci prælio ancipitiq; Marte diu confligeretur, Magnus tandem occumbit, fuga salutē Nicolaus quærit. Crediderim, inquit Saxo, hác uictoriam humanis parum uiribus partam, sed Deo pijssimi uiri interitum ulciscēte concessam. Neq; bellum aliud crebriorē pontificum cruorem absumpsit. Quippe Petrus Roskildensis & Heinricus Sueticarum partium pontifex, omnesque Iutiæ, præter unum, antistites hoc prælio oppressi dicuntur.

cuntur. Hæc Saxo.

Filio orbatus Nicolaus, ut hosti æmulum obijceret, Haraldum post se regem designat. Dehinc Slesuicum se confert, ut se rursus ciuium beneuolentiæ, quos ob cædem à filio perpetratam habebat infensissimos, insinuaret: sed ab ijs trucidatur. Sic pater & filius iusto iudici Deo, & scelerum uindici seuerissimo pœnas tandem dedêre. Haraldi duo filij, Ericus & Bero, patrem calamitate eius moti deserunt, uictori Erico se adiungunt. Quos ille benignè exceptos, pòst Christierni instinctu clàm aquis submergit. Ipse Haraldus, qui aliquandiu in Noruegia delituerat, in Iutiam tandem uenit, ibiq; rex salutatur. Ericus magnis cum difficultatibus eductis nauibus, quæ inter glaciem cõcretę hærebant, eò contẽdit, incautũ apud Slupetorp uicũ opprimit, ipsumque cum filijs immaniter morti tradit. Solus ex filijs Olauus sub ueste muliebri saluus in Noruegiam defertur. His sublatis, Daniæ regnum ad Ericum uictorem deuoluitur. Helmoldus cap. 51 & 52. Saxo lib. 13. Crantzius lib. 5. cap. 9. & aliquot sequentibus Danicæ Historię: & lib. 3. cap. 30 Vandaliæ. Annus uerò quo solus Daniæ præesse cœpit Ericus, uidetur fuisse millesimus, centesimus, trigesimusquintus, uel circiter.

Obiter & hoc annotandum uenit, Adolphi à Scouuenburg, cuius paulo antè meminimus, Holsatorum comitis beneficio Lubecanam urbem, quæ olim ad Suartouiam sita fuerat, iamq; inter Trauenam & Vacenissam flumina exædificari cœpta, magna incrementa accepisse. Erat enim Adolphus uir bonus, ad concordiam amicitiamq; cũ uicinis colendam propensus, facileq; ab omnibus amari obtinuit. Historia Lubecẽsis.

Nec Gothorum Sueonumq; populi usqueadeò à motibus bellicis immunes fuêre. Nam Ingone rege extincto, Gothi rerũ summam Magno deferunt. Sueones cõtrà, penes quos regem constituendi omnis potestas erat, ut Saxo indicat, Ragualdum hominem ferocem & arrogantem rebus præficiunt. Verùm hoc à Gothis trucidato, Magno regnum cessit, in quo, ut Gothica Historia habet, plurimum turbarum dedit.

IOHANNES COMNENVS, QVEM *uulgò Caloioannem uocant, Imperator Constantinopolitanus.*

Sub annũ Salutis 1117 è rebus humanis excedit Alexius Comnenus. Cæterùm iam iamq; animam agẽs, inter filios quos habebat tres, natu maximũ Iohannẽ, quẽ Latini scriptores Caloioannem uocãt, successorẽ in gubernatione designat, & Augustũ inter turbas non mediocres salutat. Irene enim mater acriter reluctabatur, quę Nicephoro Bryennio genero eas partes dãdas cẽsebat. Et anno nondũ reuoluto, ad Bryenniũ deficiũt pleriq; cognati, qui ipsum Imperatorẽ incautũ oppressissent, nisi solius Bryennij socordia irritũ eũ fecisset conatũ. Eius cõiurationis princeps erat Anna Cæsarissa, Bryennij cõiunx. At domesticis litibus cõpositis, & Anna, Axucho suadẽte, in gratiã recepta, Persis contra fœdus cum patre suo ictũ Phrygiæ urbes ad Meandrũ fluuiũ infestãtibus bellũ fecit, eosq; multis prælijs deuicit Ioãnes. Sozopolim Pãphylię urbẽ aliaque oppida secundo contra barbaros bello idem cepit.

Anno regni sui quinto, qui est Salutis circiter 1121 annus, cõtra Scythas, qui Istrũ trãsgressi Thraciã populabãtur, copias educit, eosq; fũdit. Nõ multo pòst Triballos, quos Seruios uocãt, prędę assuetos homines subigit. Dehinc Hũnicũ bellũ secutũ est. Hũni enim Branizobã & Sardicũ spoliarãt, eo quòd Impator Almũ, Nicetas uocat Almucẽ, Stephani Hunnorũ regis fratrẽ exulẽ, ut suprà meminimus, multa beneuolẽtia complexus fuisset. Quos Alexius terra marique adortus, magna clade afficit, multis eorum oppidis expugnatis, copiosaq; inde abducta pręda. Pacatis autẽ quæ Occidẽtem spectabãt gẽtibus, in Persarmenios exercitum ducit, expugnataq; Castemõe urbe, satrapã eorũ fugã capessere cogit. Sed dũ ex deuictis hostibus triumphum domi agit Impator, Tanismanius Cappadox Castemonẽ, trucidato præsidiario milite, expugnat. Eò denuò cũ copijs profectus Imperator, præter Castemonem recuperatam, & Gangra maxima Ponti urbe potitur. Quas tamen urbes Persæ non multo pòst in suam iterũ redegêre potestatem.

Lebunes Armeniæ princeps, Cõstantinopolitanorũ quædã oppida subegerat, & Seleuciæ grauis erat. Ei bellũ indicit Iohãnes Impator, & cũ copijs in Ciliciam ingressus, Adana Tarsoq; urbibus, uniuersaq; potitur Armenia. Anabarzæ & Bacæ urbium expugnatiões præ cæteris difficiliores erãt. Multis denique prælijs Turcis & Persis uictis, post trieniũ Byzãtiũ redijt. Sed cum denuò cõtra Persas bellũ gereret, ad Neocæsareã, Ioanne fratris filio ad Iconiensem Sultanũ deficiente, magna clade affectus est. Nicetas de gestis eius.

Gallorũ in Asiã profectionib. plurimùm ipsum obstitisse, narrat Cuspinianus, ac eorũ successus minus ipsi gratos fuisse: ideoq; Venetos Gallis cõiũctos afflixisse. Sed dux Venetus cõmotus, Rhodũ insulã capit: dehinc Samũ, Lesbon, Andrum & alia Graij Imperij loca opprimit. Cæterùm regno præfuit annos uiginti & quatuor, menses octo.

octo. Vitæ finem ei attulit uulnus ex uenenata sagitta acceptum inter extremos digitos, dum aprum insectatur in Ciliciæ finibus, ubi tum bellum gerebat. Nicetas, Tyrius lib. 15. cap. 22. 23. Annum Salutis circiter 1142.

SVB CONRADO III Imperatore, Sueuo.

ANno incarnatiõis Dominicæ 1139, cũ in autumno obijsset Lotharius, Moguntię conuentus ad Pentecosten, ut regni successor constituatur, indicitur. Verùm cũ nõnulli procerum Heinrici Sueuiæ Saxoniæq; ducis potentiam, qua cæteris facilè præstabat, metuerent, dictum diem ad medium Quadragesimæ tempus retrahunt: & tum quidem Confluentiæ coeuntes, Conradum Heinrici 5 sororium, cuius & suprà mentionem fecimus, Imperatorem salutãt, pręsente Theoduino quodam cardinale & Romanæ sedis legato. Inde ad Aquas Graneas ductus, regio diademate per eundem Romana autoritate insignitur. Coloniẽsis enim, cuius illæ partes erant, tum pallium nondum pro more redemerat.

Indignabantur alij principes, in primis Saxones, inter quos primas tenebat Heinricus, quem alij Catulum, alij Superbũ uocant, se posthabitos, eoq; nouum Imperatorem minimè recipiebant. His ut Bambergã ueniant ad Pentecosten, autoritate Imperatoria demandatur. Qui mandato parentes, Imperatori se ultrò subijciunt. Solus Heinricus, penes quem Regalia, ut uocant, reseruabantur, aberat. Cui ut die Petro & Paulo apostolis sacro Ratisbonę adsit, grauiter indicitur. Ibi quidem Heinricus præstò est, & Regalia multis, ut Otto Frisingẽsis ait, promissis uictus promit: sed à Cæsaris conspectu tũ prohibitus, ad comitia Augustæ breui celebranda reuerti iubetur. Non multo pòst fit ibi principum conuentus. Eò cum magno comitatu uenit Heinricus, & ad urbis mœnia castra locat. Imperator in urbe erat. Ac cum frustra ultrò citroq; commeantes amici utrinq; reconciliationem tentassent (Imperator enim quædam à Lothario accepta resignari ab Heinrico postulabat, quæ tamẽ ipse reddere noluit) Imperator cubitum se ire simulãs, cum paucis clàm urbe excedit, Vuirciburgum se conferens: ubi in frequenti procerum conuentu Heinricus læsæ maiestatis reus iudicatus, posthęc in Goslariensi cœtu proscribitur, & utroq; ducatu exuitur. Saxonia Albertus comes de Balensted & Soltuuedel, siue Anhold, ut uult Crãtzius, qui licet uiribus impar, diuturnum cum Heinrico de eodem ducatu iam bellum gesserat, Cæsaris beneficio potitur. Luipoldus, quem Bauaria donarat Imperator, primùm Reginoburgum occupat, pòst uniuersos Boiorum fines ad Lycũ amnem perlustrat, iusiurandumq; exigit. Interim Heinricus Saxonum & Bauarorũ quorundam ope Alberto bellum infert, eius castra diruit, agros uastat, ipsumq; latebras capessere cogit. Exinde dũ in Bauariã contra Luipoldum bellum transferre attẽtat, in ipso apparatu morbo correptus occũbit, non sine ueneni suspicione: ut Saxonię Chronicõ & Crãtzius testantur. anno 1139. Heinricum à cunctis ob contumaciam desertum, in paupertate uitam finijsse, Antoninus prodidit. Cæterùm Saxones amore filij, qui supererat, paruuli, eiusdem cum patre nominis, cuiq; Leonis nomẽ postea inditum fuit, arma minimè deponunt, Alberto Saxoniã denuò infestante. Otto Frisingensis lib. 7. cap. 22. 23. 25.

Apud Bauaros Otto & Cõradus comites de Valeia, fratres, Luipoldo resistunt. Quorum arcem cum hic oppugnaret, Vuelpho Heinrici defuncti frater, qui eundẽ ducatũ hęreditatis iure ad se pertinere adserebat, superuenit, obsidentesq; trucidat, cæteros in fugam cõijcit. Hoc successu animus uictori creuit, ipsumq; Imperatorẽ ad Vuinsbergum (qua urbe iã potitus, singulari clementia erga deuictos, mulierum arte usus fuerat) petit, & terga dare cogit. Ex fuga Reginoburgũ diuerterat Luipoldus: sed inde ob Ottonis præfecti petulantiam, ad quã cõniuere uidebatur, à uulgo eijcitur. Discedens aliquot in urbe uicos prius succẽdit. Collecto itaq; milite, agrisq; uastatis, urbẽ obsidet. Verùm illi auro pacẽ mercãtur. Dehinc ad Lycum aduersantiũ agros & oppida perdit. Posthæc Ratisbonã, quæ ipsi sedes erat, remeans, Fruxinensem agrum nõ sine maleficio transit. Cũ ad Altaichiũ inferius deuenisset, rebus humanis sine hęrede excedit, 12 calend. Nouemb. anno 1141.

Luipoldi dignitate potitur, autoritate Cęsaris, frater german⁹ Heinricus Austriacus. Dehinc ad Saxones cõtẽdẽs Imperator, clemẽtia & beneficijs eos sibi cõciliat. Nã Heinrico puero, Catuli filio, Saxoniæ ducatum attribuit, Albertum marchia donat, & Gertrudin Lotharij Imperatoris filiam, Heinrici uiduam, Heinrico Austriaco, nouo Bauarorum duci, dat uxorem. At Vuelpho pro Bauaria sibi uendicanda denuò bellũ mouet, eius partem igni ferroque uastat. Heinricus, collecto milite, in quoscunque Vuelphonis fautores sæuit, arces uillasque eorum destruens. Cui dum Vuelpho occurrere, apertoq; Marte decertare parat, fortè nunciatur Imperatoris cum copijs aduentus: itaq; suos ipse retrahit. Tota tunc Bauaria, Vuelphone concitante, bellis ardebat.

Nam

Nam ad rebellādum in primis Cæsari eum instigabant Rogerius Siculus, qui mortuo Reginaldo regnum receperat, eiectis quicunq; ei rebelles extiterant proceribus. & Vngarorum rex: quorum uterq; suis rebus metuebat, nisi intestinis hostibus Imperator alijq; detinerentur. Bauarorum rebus nonnihil pacatis, hortante Bernhardo Clareuallensi monacho, qui & Vuelphonem Imperatori recōciliarat, ad bellum Sacrum itum est, ut suo loco dicemus. Vrspergensis, Auentinus.

In Palęstina morbo correptus Vuelpho, in Germaniā reportatur: ac cum in itinere ad Rogerium Siculum appulisset, ab eodē, ut Conrado denuò bellum inferret, multo auro coëmitur. In Bauariam itaq; reuersus, nouas dat turbas. Imperatoris quoddā castellum Flochberg obsidet atq; oppugnat. Sed cū minus cautè copias reduceret, à Cęsareanis in fugam uertitur, plurimis sociorum captis. Tandem Fridericus Sueuorum dux Vuelphonem Imperatori reconciliat. Non multo pòst, dum in Italiam expeditionem parat Imperator pro Imperij diademate, ut uult Cranzius li.6.ca.14 Saxoniæ, Bambergæ moritur, 15 calend. Martij, anno 1152. Vrsperg. Auentinus. Imperialem benedictionem à Romano pontifice nunquā accepit Conradus. Vincent. li.27.ca.12.

Holsatiam Vuandali hac ætate, cùm exteris bellis detineretur Imperator, cui primarij Saxoniæ principes tum militabant, turbasse narrantur apud Cranzium: quorū princeps Pribislaus contra pacta, quorum suprà meminimus, Zegeberg arcem, olim ab Imperatore Lothario sibi ereptā, inuadit: sed frustraneus fuit conatus: attamen monasterium uicinū igni tradit. Heinricus comes de Badeuuide. Holsatorum quorundam & Stormariorum ope Plonēsem, Lutkenburgensem & Aldenburgensem agros ad maris usq; littus depopulatur. Præterea nobilis quidam ex Critonis familia oriundus, Race nomine, furum manipulo cinctus, per Trauennam amnem Lubecā peruenit. Pribislaum, qui iam urbem receperat, & à sua cohorte rex declaratus fuerat, ut ait Marschalcus lib.2.cap.38. bello petiturus: quem cum ibi non offendisset, nec qui acrius resisterent, præstò essent, arcem uastat, magnaque præda onustus regreditur. Rugianorum hæc fiebant instinctu: teste Marschalco. Inter hos uerò motus Pribislaus in uiuis esse desijt, anno 1146.

Anno sequenti bellum iussu Conradi Imperatoris paratur contra Nicolotum fratris successorem, principem ethnicæ religioni deditum. Milites qui suam rum duci bus operā addixerant, cruce insigniti erant. Belli duces Adelbero Bremensis archiepiscopus, Heinricus Saxoniæ dux, Conradus de Saringia, Albertus marchio, Cōradus de Vuithin fuère. Nicolotus re per exploratores cognita, ab Adolpho Holsatiensi, ratione fœderis initi, sibi suppetias ferri postulat: uerùm ille hoc ei officij detrectabat. Nicolotus itaq;, coacta suorum multitudine, antequam hostes aduenirent, terra mariq; Lubecam, quę iam in Adolphi potestatem redierat, petit, ac cum ipsarum nūdinarum tempore incautos uinoq; sepultos offenderet, impunè ciues iuxtà & extraneos mercatores suis mercibus exuit, pluribus trucidatis. Adolphus quoque, coacto milite, ad hostē contendit. At Vandali per indiciū de eo certiores facti, naues conscendunt, & ad patrium solum remeant. Sacri quos diximus milites in Vandalorū terrā effusi, quibus & Ericus Danorum rex in auxiliū uenerat, Dobinum atq; Deminum Nicoloti propugnacula oppugnant, sed frustra. Tādem duces, cū incommoda quæ bellū comitātur, & Saxoniam simul tangere uiderent, conditionibus agunt: quas licet reciperent Vandali, parum tamen fidei ab ipsis pręstitum fuit. Cranzius li.6.ca.12 Saxonię: & li.4.ca.3 & 4 Vandaliæ. De Dano inquit Saxo Grammaticus, ubi de hac ipsa expeditione loquitur: Non eadem uirtute peregrina & domestica bella cōfecit. Expeditiones enim quas aduersum Sclauos ductabat, non tā timori eis quàm ludibrio fuère. Adeò enim apud eum inertia omniaq; soluta fuère, ut ne à uiro quidē edita putarentur. Infimi cuiusq; in soluenda militia arbitrium sequebatur. Sæpe lixarum redeundū uociferantium clamorem secutus, classem dimisit. Ob cuius mollitiem animata barbarorū atrocitas, non solùm eum foris peruagantem contempsit, sed etiam domi cōsistentem inuasit. Hæc Saxo lib.14.

In regno Franciæ, quod pater Ludouico filio, qui Iunior appellatur, pacatum reliquerat, Theobaldus comes turbas mouet. Dederat enim Biturigibus Innocētius Romanus Petrum quendam, præter regis uoluntatem, episcopum. Ea ex re Frācica Ecclesia plurimùm turbabatur. Petri & pontificis partes agebat Theobaldus contra regē. Præterea Rodulphus Viromandorum comes, repudiata uxore, Petronillā Leonorę reginę sororē matrimonio sibi iunxerat. Repudiatæ causam agebat Campanus quidā comes: cuius precibus motus Romanus pontifex, legatos, qui causam cognoscant, mittit. Illi episcopis diuortij autoribus sacris. Rodulpho & Petronillæ aqua & igni interdicunt. Hæc à Theobaldo fieri suspicatus Ludouicus, arma contra eum sumit, Vi-

ctoriacum expugnat,& tā in puberes quàm impuberes sæuit. Tandē Bernhardo Claræuallensi intercedēte, bellū sopitur,& sacra expeditio suscipitur. Paulus Æmilius lib.5.

Alphonsus octauus, cognomēto Bonus, Sanctij tertij filius, post Ferdinandi obitum Hispaniarum rex creatus, Angliæ regis filiā Elionoram accipit uxorem. Is Arabes graui prælio fundit, ac ad Tolosam eosdē nauali pugna superat, pluraq; loca, quæ olim Arabes occuparāt, eorum præsidijs eiectis, recuperat. Præfuit annos circiter quinquaginta tres. Ritius lib.3.

Quatuor Bela Vngarorum rex cęcus reliquit liberos: quorū natu maximus Geisa, secundus eius nominis, procerū consensu & populi uotis paternum decus accipit. Quòd is procerū,& in primis pontificū cōsilio regnū administrarit, prędicat Bonfinius. Verùm quòd eundē, Heinricum Austriacum graui fudisse prælio idē narrat, cæteri Scriptores non meminerunt. Hoc tamen constat, quòd Heinrici potentia & uirtus ipsi formidolosa fuerit, eoq; Vuelphoni, ut ei bellum intra suos faceret limites, autorē fuisse, ut paulo antè diximus.

Maiores motus Poloniam hac ætate exceperunt, ea occasione: Boleslaus moriturus uniuersum regnū in quatuor filios distribuerat, principatū uerò & rerū summā penes Vuladislaum natu maximum cōstituerat. Cazimiri filij infantuli (is quintus erat) ratio nulla in distributione habita est, cū & à patre neglectus esset. Hoc decreto magnatū suffragijs cōprobato, cuiq; post patris obitum sua cedit prouincia. Eodem etiā anno, qui erat Salutis 1140, Bohemia suo duce orbatur. Nam dum is Polonis bellum intentat, febre ab incœpto retrahitur, qua paulo pòst extinguitur.

Vuladislaus diuisum paternum regnum, tantūq; dominatū sibi soli prędereptū, admodū dolebat. Cuius ægrum & regnandi cupidum animū Christina coniunx, Heinrici quinti Romanorū Imperatoris filia, ambitiosa & procax fœmina, magis inflāmabat. Russorū itaq; copijs clàm accitis, in fratrū ditiones grassatur: ne cuiquā fratrum obediant Poloni, edicit: contumaces uinculis, uerberibus, & facultatum direptione cohercet. Fratres omnia prius experiri, quàm armis rē gerere, magis consultū fore arbitrātes, ad Vuladislai eiusq; cōiugis pedes deuoluti, pacē petunt: sed frustra. Abalienātur ob id ꝓcerū animi. Sed ab aperta rebellione terruit eos in Petrū comitē Scrimiēsem, maximę autoritatis uirū, perpetrata sæuitia, quem Vuladislaus, instinctu reginę, lingua & oculis priuarat. Creuerūt tamē indies omniū odia. Interim Russorum magnis auxilijs fretus, Heinricū & Boleslaū fratres suis sedibus eijcit. Dehinc ad Miecislaum, qui Maiorē, ut uocant, Poloniam tenebat, magnis itineribus contēdit. Posnaniā, quæ portas ipsi pręcluserat, obsidione cingit. Vastant Rusi agros, exurunt uicos, misereq; homines mactāt, nec sacris nec prophanis parcētes bonis. Sed superueniūt, his incautis, libereq; prædas agētibus,& poculis indulgentibus, tres fratres cum parua militū manu,& occasiones hostem uellicandi captantes, extremū agmē inuadunt. Quos cōspicati oppidani obsessi portis & ipsi erūpūt, hostesq; uino madidos cædunt. Vuladislaus cū paucis fuga elapsus, Cracouiam uenit. At quò se belli fortuna, ut ille inquit, eò & fauor hominū inclinat. Omnes itaq; à uicto ad uictores deficientes Poloni, eorū augebāt exercitū. Acciderūt hęc anno 1145. Vuladislaus, cū iratos fratres ad oppugnandam Cracouiā aduentare cognosceret, fugam arripit in Germaniā, Conradi Imperatoris, suæ coniugis sobrini, opē petiturus. Expugnata arce, Christina, quæ belli fax erat, cū tribus filiolis sine maleficio dimittitur. Principatū tenuit Vuladislaus annos ferè septē. Sed hoc eiecto, Boleslaus natu proximus, cognomento Crispus, rerū summa potitur, erga fratres beneuolus & liberalis, quo quidem magis eos sibi deuinxit. Cromerus lib.6 de rebus Polonorum.

Nihil non tentabat Vladislaus exul, pro sui restitutione, apud Bohemum & Cōradum Cæsarē. Verùm illo domesticis malis, hoc Asiatico bello impedito, exulis ratio haberi tū non potuit. Legatis tamē missis, per Imperatorem sæpius restitutionē efflagitatam fuisse, prodit Vincentius.

Eadē tēpestate Russicum bellum exortū est, quorū dux Isaslaus, fratrū conspiratione principatu eiectus, ad Polonos fugerat. Qui cū eū restituere uellēt, ignauia Isaslai re infecta domū redeūt. Tādemq; Lusci ab hostib. obsessus Isaslaus pacem impetrat.

Cæterùm expeditis in terra Sancta parū feliciter negotijs, Imperator ex Germania in Polonos bellū transfert: quod Boleslai quodā consilio, & opportuno simul nūcio, quod Imperatori adferebatur de nouis quibusdam in Germania motibus ipso absente exortis, breui finē accepit. Tentabat quidem sæpius deinceps Vladislaus bello Polonos: sed irriti tū omnes extitēre conatus, è rebus humanis Cōrado Imperatore sublato. Cromerus li.6 de rebus Polonorū.

Anglorū rex Heinricus, nullo regni hærede masculo ex coniuge relicto, decedens (nam Robertum ex cōcubina natum, Glocestriæ comitem designarat) atrocium bellorum causam præbet. Mathildim filiam,

quæ

quæ sola ipsi supererat, Heinrici quinti cõiugem, Gaufredo Andegauorum, Turonũ & Cenomannorum comiti locarat: ex quo cõiugio tres nati sunt filij, Heinricus, Gaufredus & Guilhelmus: quorum natu maximum rex, cum matre regni hæredem constituit, & cunctos proceres, habito cõcilio, in eorum uerba iurare fecit. Verùm ipso rege sene extincto, Stephanus Francus, eius ex sorore nepos, Stephani Blesensis filius, ad quem nuper, mortuo Eustachio socero, Bononiensis comitatus hæreditatis iure deuolutus fuerat, regnum occupat, duorum fratrum, Theobaldi Blesensis comitis, & Heinrici Vintoniensis episcopi, tum potentia tum autoritate fretus, licet & ipse iam dudum in uerba Mathildis ac filij iurasset. Multorum itaq; sibi conciliata beneuolentia, Vuestmonasterij 8 calend. Ianuarij in frequenti cœtu rex creatur, & per Vuilhelmum Cantuariensiũ præsulẽ cõtra fidem datã regi cõsecratur. Voces præterea in uulgus iactatę sunt, quibus Mathildis notabatur, Nimis turpe esse fœminæ parêre.

Hector Boetius inqt, Stephanũ primùm ueluti per cuniculos regnum inuasisse. Nã cum prius eius administrationẽ, usq; dum Heinricus puer adolesceret, postulauisset, eamq;, cũ reliqui proceres æquã iudicarẽt, petitionẽ facilè obtinuisset: sed postea, firmatis aliquot arcibus præsidijs, regiũ nomen usurpasse, ac indicto concilio, cunctos sibi iurare coëgisse. Li.12 Scoticæ Historiæ.

Cæterùm quo magis uulgi animos sibi deuinciret, haud uulgaria tributa aliaq; onera remittit, uenationes liberiores concedit, primatibus quouis loco pro arbitrio arces extruendi dat potestatem. Omnia deniq; in Stephani imperio mansuetudinis, humanitatis, clementiæ plena erant.

Interim ex nobilibus Angliæ nonnulli, quibus iusiurandũ uiolare religio erat, Dauidẽ Scotorum regem, ut armis hanc iniuriam uindicaret, rogant. Quorum precibus excitus Dauid, sumptis armis Angliam inuadit. Carliolum & Nouum castrum, quæ ad fines Anglię erant, capit. Occurrit ei Stephanus: cuius instructas acies cum ex longinquo cõspicaretur Dauid, in gratiam cũ eo redit, retẽto pro captiuorum dimissione, ut Iohannes Maior li.3 de gestis Scotorum indicat, comitatu Cũbria, in quo Carliolum urbs est. Hector nõnihil uariat: Stephanus, inquiens, ne quid deesset, quo minus omni ex parte regiam autoritatem ostentaret, legatos in Scotiam mittit ad Dauidem regem, qui eum primo quoq; tempore ad se accirent, ut Cumbrię, Northumbrię, Hundintoniæq; nomine se beneficiarium fassus, fidei iuramentum præstaret: si imperium eius aspernaretur, bellum indicerent. Scotus se Mathildi iuramento adstrictum respondet, quod uiolare nefas fore. Hoc responso motus Stephanus, Northumbriam depopulatur. Scotus uicissim, coacto milite, Angliam inuadit, tantamque stragem in exercitu Stephani edit, ut fermè omni spe regni conseruandi deciderit. Captiuos uerò, omni beneficij iure quod postularat remisso, redemit. Li.12 Scoticæ historiæ. Posthæc Stephanus Londinũ redit, brumales ibi ferias agens. Sub hoc tempus per uniuersam ferè Angliam rumor quidã uolitat, Stephanũ esse mortuũ: ex quo magni exorti sunt motus. Normanniam turbat Gaufredus, Hugo Bigotus Nordouicũ, Balduinus Reduersus Oxonium, alij alia loca occupãt. Rex Balduinum, capta Vecte insula, ubi latebat, exilio mulctat. Rebusq; domi pacatis, cũ fratre Theobaldo in Normanniam traijcit, ubi Gaufredum superat.

Cum iam in Angliam uictor redijsset rex, constans de Scotis, quòd denuò in armis essent, fama spargitur: resumptis itaq; armis, Bedfordiam, quod in finibus Anglię sub Scoti dominio oppidum est, post trigesimum obsidionis diem expugnat. Scotus de accepto damno certior factus, in Northumbricum agrum copias deducit, data militibus libera prędãdi & sæuiẽdi potestate. Hos ut compesceret Stephanus, magnis eò cõtendit itineribus. Eius aduentu territi Scoti, fuga arrepta pedẽ referũt. Stupẽdę Scotorum immanitatis meminit Ricardus Hagulstadẽsis prio in Vita Stephani, quæ fortè hoc tempore accidit: Fertur, inquit, quòd in quodam loco multos paruulos cõgregatos Scoti occiderunt, & eorũ sanguinem in quendam riuum effuderunt. Deinde, proh dolor, nobiles matronas & castas uirgines mixtim cũ alijs fœminis & cũ pręda pariter abduxerunt. Nudatas quoq;, & turmatim resticulis & corrigijs colligatas & copulatas, lanceis & telis suis cõpungentes, ante se abegerunt. Deniq; illi bestiales homines adulteriũ & incęstũ ac cętera scelera pro nihilo ducẽtes, postquã brutorum more illis essent abusi, & pertęsi, alijs barbaris pro uaccis uendiderunt, &c. Et Iohãnes Haugulstadensis: Scoti, inquit, pręgnantes mulieres cũ paruulis dissecuerũt, uirgines & uiduas, occisis cũctis maribus, funiculis colligatas, nudas cateruatim sub iugo seruitutis in Scotiã abigerũt, anno 1138. Idẽ & Guilhelmus Neubrigẽsis li.1.c.24 affirmare uidetur, cũ inqt: Dauid Scotorũ rex, aliàs q. dẽ bonus & pius, Scotorũ gẽtẽ, ex effręnata barbarie sanguinis auidã, & neq; ętati neq; sexui, licet eo nolẽte & frustra ꝓhibẽte, parciturã, Anglorũ immisit ꝓuinciæ, dũ ꝑ ne-

pte sua,olim Impatrice,cuius iustã,ut crede bat,partẽ fouebat,pl9 iusto ęmularetur,&c.

Roberti Glocestrię comitis cõsilio maximè in bello administrãdo Mathildis utebatur. Is,dum Scotico bello detinebatur Stephanus(nã ut Dauidẽ Scotũ suo subijceret imperio,animus ipsi erat,quo deinceps exinde omni bellorũ cura liber esse posait)domi res nouas molitur, multorũ animos & studia à Stephano auellit,ipsiq; inuidiã cõflat. Cõiuratione itaq; nobiliũ facta,Bristolliũ nobilissimũ oppidũ aliaq; loca,& natura & opere munitissima,occupátur. Hęc ut nũciãtur Stephano,omisso Scoto,domesticũ bellũ anteuertẽdũ statuit.Sed dũ hoc cõpescẽdo laborat,& qdẽ satis feliciter Scot9 uicissim Angliã infestat. Verũ Thrustinus Eboracẽsis antistes,cui belli summã eo loci interim demandarat Stephanus,fortiter resistit, & in fugã Scotos miserè trucidatos uertit. Rebus domi ex sentẽtia pacatis, Stephanus anno postquã regnare cœpisset tertio, Scotis,quos iam omni ferè neruo resistendi destitutos sciebat, bellum intentat. Sed Dauid per legatos,dato filio obside,pacem impetrat. Dehinc Ludlollium, Vualliç totius primarium oppidum,ab aduersarijs occupatum,expugnat Anglus.

Tãto rerũ successu elatus Stephanus,etiã in eos quos suorũ honorũ autores & fautores hactenus habuerat, petulãter agit, eoq; ab ipsis odio haberi cœpit. Mathildis interea,quæ se Augustã appellabat,undecunq; auxilia cõquirit,ac post sextum cũ regnare cœpisset Stephanus annũ, cũ Roberto fratre in Angliã uenit. Certatim ad ipsam principes deficiũt. Lincolniã,ubi sedem fixerat Augusta,cõtra hostẽ cõmeatu & uallis munit. Stephanus eã insectatus,oppidũ oppugnat. Obsessis opem ferũt Robertus & Arnulphus Cestrẽsis. Ibi cõmisso cruento admodũ pręlio,Stephanus rex à Cestrensi capitur,Mathildi traditus,Bristollium in carcerem mittitur. Gaufredus Mathildis maritus,cognita uictoria,Normanniam, Dauid Scotus Northumbriam occupant.

Post hanc uictoriã Mathildis Vintoniam abit: ubi autore Heinrico episcopo,Stephani fratre,honorificè à ciuib. excipitur,ipsaq; urbẽ pręsidio munit. Ad Oxoniũ omnis ꝓuincia ultrò in ipsius uenit potestatẽ. Lõdinũ dehinc delata,obuijs quoq; ulnis à ciuibus accipitur. Hic dũ cõmoratur,Stephani cõiunx,cui etiã Mathildis nomen erat, pro salute uiri supplex facta,probrosè reijcitur. Quę cũ precib. nihil impetraret,Eustachio filio,ut exercitum cogeret,suggerit. Matris cõsilio haud difficulter paret filius. Londinenses etiã apud Augustã de patris sui iniurijs conquerẽtes,ac Edouardi leges restitui postulantes, eius indignationẽ incurrunt. Cæterùm cũ insidias sibi à populo fieri ipsa persentisceret Augusta,Oxonium clàm fugit. Heinricus Vintoniensis, cum plurimorũ animos à uictrice Mathilde auerti cerneret,omnibus suę diœcesos arcibus pręsidia imponit: ipse uerò in Vintoniẽsem se recipit arcẽ. Quẽ mox ibidem Mathildis,accito Scotorũ rege Dauide, obsidet. Eustachius cũ copijs superueniẽs,cui Londinẽses omnesq; alij,qui Stephani erant partiũ,cõiuncti erãt,obsidẽtes cędit. Robertus,qui Stephanum in uinculis tenebat,ea pugna captus est. Permutatiõe aũt facta,uterq; liberatur: ab armis tamẽ tũ discessum nõ est. Nã Robertus,collecto iterum milite,Stephani operas in extruẽda Vintoniẽsi arce turbãs, ipsum in fugã conijcit. Rex uicissim Oxoniũ,ubi Mathildis latitabat,oppugnat. Sed ciues post tertium obsidionis mẽsem, postquã regina muliebri quadã arte hostiũ excubias,quas ob frigoris iniuriã segniter agebant,delusisset,obsidẽtibus oppidũ tradunt. Sed cum & arcẽ tentaret Stephanus, à præsidiarijs militibus tanta ui reijcitur, ut Oxonij tutus subsistendi locus ipsi non daretur. Ac dũ alid cõtendit, ex improuisò à Roberto obrutus,in fugã uertitur. Londinum delatus graui oratione ciues dehortatur,ne fœmineo iugo turpiter colla submittant, sed libertatẽ potius armis uindicent, quemcũq; tandẽ res sortiatur euentũ. His dictis facilè eos in suam pellexit sententiã.

Lincolniã tenebat Arnulphus Cestrensis: qua cum facili labore se potiri posse Stephanus speraret,pręsidium enim inesse nõ magnũ norat, noctu cum suis accedit. Obsessi,cũ rarũ cernerent militẽ,eruptione facta cunctos profligant. Post biduũ uerò gratia inter ipsos rursum facta est: ac cũ liberè Stephanũ accederet Arnulphus,perfidiosè capitur, nec prius dimittitur, quàm omnia loca quę regię fuissent ditionis,restitueret. Ea fortuna elatus Stephanus,regia redimitus corona Lincolniam ingreditur: quamuis multos ex suis fautoribus ea quam diximus perfidia alieniores reddidisset, ut minus ei iam fidei haberent.

Delituerat apud Dauidẽ Scotiæ regem Lugubaliç(quę uulgò Carleil dicitur)multos annos Heinricus Mathildis filius, quẽ auus maternus Angliæ regem designarat. Is cognito patris Gaufredi obitu,domum reuertitur,& paternũ dominatum assequitur. Dehinc Normanniam inuisens,ad omnia populum habet paratissimũ. Inde haud parũ cupiditas regnũ Anglię recuperãdi in animo iuuenili succreuit. Eò itaq; ꝓfectus, ab optimatib. quicũq; matris erãt partium, obuijs, quod dicitur, ulnis excipitur. Erat

autem

auté in Marlebrigiensi arce Stephani quoddam præsidium, quam primùm omnium tentat Heinricus. Superuenit Stephanus suis opem laturus: sed dum aciem instruit, prælio tam de uita quàm regno decertaturus cum aduersario, Eustachius filius, quem habebat unicum, è rebus humanis excedit. Quo casu adeò fractus fuit Stephanus, ut omnem belli gerédi curam abijceret. Optimates Heinricum ac matrem adeuntes, hortantur & supplicant, ut æquis potius conditionibus, quàm armis cum Stephano agerent. Annuunt illi. Fit de utriusq; partis uoluntate procerum Vallinfordię conuentus, ac pax hac ratiõe initur, ut Stephanus, quoadusque uiueret, rex Angliæ, & Heinricus Normannia iam contentus esset, ac ueluti uerus hęres illi succederet: Roberto & alijs, qui alterutram partem secuti essent, nullũ suarum dignitatum sit periculum. Acciderunt hęc anno Salutis 1153. Rebus dispositis, Heinricus cum matre in Galliam ad paternum dominatum abit. Anno sequenti, 8 caléd. Octobris, è rebus humanis excedit Stephanus, cum Angliæ præfuisset annos decé & nouem, menses undecim. Sub idem tempus & Scotus in uiuis esse desijt. Hector Boetius libro 12. Polydorus Vergilius libro duodecimo.

Ex sacra reuersus expeditione Ludouicus Francorum rex, cum Helienora, ex qua duas filias, Mariam & Alisam, susceperat, diuortiũ facit. Causas autores non exprimũt. Ob sanguinis autem propinquitatem factum, Boetius annotat lib. 12. Repudiatam Heinricus regni Angliæ hæres uxorem ducit, & omni cũ ea Aquitania & Pictauia potitur. Fuit ea res deinceps multorum motuum occasio. Nam urebat Ludouicũ Heinrici potentia & felicitas. Bellum itaque ipsi indicit, & Nouum mercatum oppidum expugnat. Quo cognito, Heinricus cũ copijs in fines Galliæ exit, & ad Ligerim fluuium uasta reddit loca. Tandem, cum aliquandiu ancipiti Marte bellum gestum esset, cõcordia inita est, restitutis Nouo mercato & Vuernone oppidis, quæ Gallus in suam redegerat potestatem. Ibidem.

Daniæ sceptro potitus Ericus, in Rugianos bellum mouet, missis eò centum & quinquaginta nauibus: quæ Archonensem urbem, quæ terræ metropolis est, omnium primùm obsident, & in tantas angustias cogunt, ut incolæ imperata se facturos promitterent. Illa uerò erant, ut tributum penderent, & religione barbara relicta, ueriorem amplecterentur. Datur mox genti episcopus: cateruatim baptismi sacris se initiari patiũtur pleriq;. Verùm Erico ad suos reuerso, cum religione antistes profligatur, & superstitio ethnica cũ idolo Viti restituitur.

Eadem tempestate Haraldus quidã nobilis, è regio semine in Noruegia se natum adstruens, à Magno, qui tũ rei summæ præerat, armis æquam regni partem extorquere conatur. Verùm inde eiectus ille, ad Ericũ Danorum regem, qué Magno ob repudiatã ex fratre neptem infestum sciebat, se recipit, eius contra hostem implorans opé. Qui expedito Rugiano bello, classem instruit, & in Noruegiam contendit. Magnus collatis signis uictus, oculis & genitalibus priuatur, ac tandem monachum induere cogitur. Magni partes Siphardus quidã Noruegiæ primas strenuè fuerat secutus. Is ut regi suo illatam uindicaret iniuriam, nullã non captabat occasionem: tandem Haraldum nocte quadam in pellicis amplexu transfodit, & è monastica cauerna extractum Magnũ regno restituit. Cranzius li. 5. ca. 78 Noruegię.

Cæterùm apud Danos Ericus rebus pacatis, maiorum leges, quæ inter bellorum tempestates & armorum usum penè interciderant, restituere summo conamine annititur, ac non tam fortitudinis quàm iusticię laude insignis haberi laborat. In quosuis enim delinquentes, nulla personę aut dignitatis habita ratione, uel ferro uel laqueo, prout res postulabat, animaduertebat. Qua seueritate facilè magnatum odia incurrit: qui coniuratione facta, regis saluti insidiabantur: quem tandem in tribunali sedentem Plogus lancea transuerberat, sub annum Salutis 1140. Supererãt ex regiæ apud Danos sanguine nati tres pueri, Sueno Erici, Canutus Magni, & Vualdemarus Canuti filij: at cum ob immaturam ętatem regno maximis iam motibus exposito commodè præfici nullus eorum posset, procerum iudicio Ericus Haquini filius, ex Erici filia nepos, animi fortitudine insignis, sceptro & diademate regio ornatur. Interea Olauus, quem suprà sub muliebri ueste seruatum diximus, ex Noruegia reuersus, paternas ditiones hæreditatis titulo ab Erico reposcit. Cuius petitionem rex hoc prætextu reijcit, patrem contra antiquitatis legem peregrino milite patriam turbasse, ideoque iustè bonis iuxta decretam sententiam mulctatum. Hoc responso irritatus Olauus, salutem regis impetit, eumq; in Lundensi hospitio incautum ferè trucidasset, nisi suorũ accursu liberatus esset. Non multo pòst ex Scania rege excedente (ad Suecos enim, cũ uoti compos nõ fieret, fugerat Olauus, minusq; periculi iam esse existimabant Dani) Olauus in Arnensi ualle, splendidis propositis edictis, cœtum quendam cogit, & uulgi fauore conciliato, regiũ usurpat nomen. Cui Eskyllus Lundensis episcopus mox

bellum infert, uerùm infeliciter. Nam suis cęsis, ipse captus est: at obsidibus datis, salutem paciscitur. Cæterùm oblata fugiendi occasione, nulla uel obsidum uel iurisiurádi habita ratione, in pedes se conijcit, & ad Ericum redit: moxq; classi præfectus, Scaniam, quę Olauum fouebat, oppugnat. Sed infelici iterum commisso prælio, uix fuga sibi consuluit episcopus, pontificalium sacrorum quàm rei militaris peritior, ut ait Saxo. Olauus, parta uictoria, episcopi & regis opes passim inuadit, Lundensibus nouum dat pontificem. Exinde ad alia loca, quasi iá omnes labores, hostiumq; conatus superasset, liberè, paucis eum comitátibus, proficiscitur. Quo cognito, Ericus cõtractis nauigijs ad Lundiam appellit, eamq; facili labore recuperat, fortissimos quosq; milites ibi captos aquis submergit, adulterinũ episcopũ laqueo suspendit. & sumptis quę Olauus reliquerat, armis, eũdẽ insequitur, ac prælio uictũ in fugá conijcit. Dehinc in Sialandiam, pręter incolarum opinionem, bellum transfert Olauus: & cũ in Ramsola uico Eskyllum episcopũ hærere cognouisset, acrius instat, ac cùm ferro nihil proficeret, ignem subijcere parat: dumq; per fenestrá, culpam deprecaturus, caput exereret episcopus, trucidatur. Haud longè quidem aberat Ericus: sed priusquam hęc ad ipsum perferretur fama, Olauus cum suis nauigia conscenderat. Ericus episcopi cędem ulturus insequitur. Verùm apud Aristadiũ pontis beneficio Olauus euasit, qué post terga diruit. Erant & qui clàm uitę Olaui insidiarentur: nunquam tamen res successit. Inter hasce turbas Ericus Bremensis episcopi Hartuici sororem uxorem ducit. Tandẽ ad Thrutham amné cõmisso iterum cũ hostæ prælio, Olauus interijt. Cæterùm interiectis paucis annis, febri correptus & Ericus, monachum in Fionia induit. Ac cum tandem suos, desperata regis salute, de successore circumspicere animaduerteret, mœrore magis quàm morbi ui expirat, sub annũ Salutis 1150, uel circiter. Saxo li. 14. Cranzius lib. 5. cap. 17. 18, & aliquot sequentibus.

SVB FRIDERICO PRImo, *cognomento Barbarossa.*

CVm magnum apud quosuis hac ætate principes uiros Friderici Sueuiæ ducis, qui Conradi tertij ex fratre Friderico nepos erat, nomen esset, ob animi robur, consilij promptitudinem, & comitaté, omniũ Germaniæ, plurimorumq; Italiæ principũ suffragijs Francoforti Imperator designatur, anno 1152. Inde ad Aquas Graneas deductus, per Arnoldũ Coloniẽsem sacro oleo perfunditur. Mittũtur pręterea ad Eugeniũ Romanum pontificem Hilinus Treuirensis & Eberhardus Bambergensis, qui ipsius electionem significarent: ut Frisingẽsis lib. 2 de gestis Friderici, cap. 4 indicat.

Turbata admodum erat tum Germania, maximè apud Saxones & Bauaros, Heinco Saxone, Guelphone, & Heinrico Austriaco, quorum suprà mẽtionem fecimus, de Bauariæ ducatu digladiantibus. Verùm hos dissidentes Imperator pacis studiosus hac ratione in Herbipolensi conuentu mẽse Octobri cõciliat, ut Heinricus, quẽ Leonem uocant, præter Saxoniam, & Bauariã teneret, quos ducatus pater auusq; possedissent: Heinricus Austriacus marchio ducis nomine cõtentus esset: Guelphoni auũculo Thusciam, Spoletum, Sardiniam, omnemq; Mechtildis terram attribuit. Veniũt eò ad Imperatorem principes quidá Apuliæ uiri, à Rogerio solo patrio eiecti, supplices sui restitutioné rogantes. Eadẽ tẽpestate mortuo palatino comite ad Rhenũ Hermanno, eiusdem Cęsaris autoritate Conradus frater, sed non germanus, surrogatur.

Sedatis apud Germanos motibus, Imperator anno regni sui tertio, ut refert Otto Frisingensis lib. 2. cap. 11 de gestis Friderici, expeditionem Italicam suscipit, tũ pro restituendis exulibus, tum ut pontificijs cerẽmonijs Augustus salutaretur, Octauiano & Iordane cardinalibus id negocij inprimis urgẽtibus. Accedebat & hoc, quòd ipsa Roma intestinis affligeretur malis, quæ Cæsaris iudicio tollenda erant. Ná Romani precibus minisq; põtifici suo reipublicæ administrationem extorquere nitebãtur, eamq; penes solos cõsules esse uolebát: sed resistit eorũ conatui fortiter Hadrianus pontifex arrogantissimus, & dominádi libidine flagrãtissimus. Inter hosce factionũ tumultus fortè cardinaliũ cuidá unum atq; alterũ uulnus infligitur. Eius iniurię occasione atrox anathematis fulmẽ in Romanos ciues põtifex immittit, quo tádẽ eos ad officiũ cogit.

Collecto itaq; sub principiũ mẽsis Octobris ad Lycum amnem copioso milite, Italiam, multis Germaniæ principibus eum comitantibus, ingreditur Imperator. Inter eundũ Longobardis, imperata facere detrectantes, armis domat. Mediolanenses, quos ipse Imperator apud Frisingẽsem uersutos & superbos uocat, cũ uicinarũ ciuitatũ, Cumæ & Laudæ dominiũ nec precibus nec auro ab Imperatore sibi redimere possent, exercitui Cęsareano, q ad miliare ferè Germanicũ inde castra posuerat, quæ esui esse poterãt, denegãt. Qua iniuria commotus Imperator, Rosatum arcem eorum expugnat, & igni tradit. Milites Cæsareani, ad ipsa urbis mœnia progressi, quoscunq; offendunt, prosternunt. Inde motis castris,

Ticinum

Ticinum amnem transeunt, destructis post se duobus pontibus, quò liberius in Mediolanensium urbes sibi grassari liceret. Incenduntur tria maximè munita eorum castella, Mumma, Gailarda & Treca. Post natale Domini per Vercellas & Taurinum euntes, Cairam & Astam solo æquant. Dum his occupatur Imperator, Papienses aduolant legati, de Terdonensiũ petulantia conquerentes. Ii enim urbis suę munitione & Mediolanensium auxilio freti, uicinos plurimùm molestabant. Cum ad eorum mœnia accessisset Imperator, tanta ui ac feruore eos oppugnare cœpit, ut primo statim impetu muros milites conscenderent, urbeq; potirentur. Cæterùm noctis & ingruentis tempestatis beneficio ciues in arcem se recipientes, uitam seruant. Quam tandé post multos labores multo cum sanguine obsidentes etiam capiunt. Dehinc Papiam triumphantis more ingressus Imperator, ferrea corona, ut Cuspinianus refert, insignitur. Triduana ibi lætitia peracta, Apenninum transcendit, Longobardiam & Tusciam peragrat, rectaq; ad urbem cõtendit.

Romæ appropinquanti occurrit senatus Romani legatus, de ipsius erga Imperatorem uoluntate & beneuolentia summa referens, si more solito ipse ingrederetur, népe in curru aureo, purpuratus, hostib. quoscunque Roma haberet domitis, currumq; præcedentibus, & denique senatui quindecim argenti librarum millia distribueret: quod nisi præstiterit, nullum ei in urbem patêre ingressum. Cui rex subridens respõdit: Grata quidem promissio, sed cara emptio, cum hæc uires sanè nostras longè exuperent. Sed magis fortè Romanis consultũ foret, amicitiæ potius nostræ quàm armorum experimentum capere. Helmoldus, Otto Frisingensis libro 2. capite 21 de gestis Friderici.

Post hæc Imperator Roma pontificem, qué ciuibus infensum sciebat, euocat, eius in hoc negotio consilium petiturus. Cranzius pontificem, cognito nimirum cũ tanta armatorũ multitudine Imperatoris aduentu, sua sponte ipsum accessisse narrat. Quem aduenientem Imperator, qui tũ Sutrij hærebat, honorificè excipit: ac cùm sinistra strepam tenuisset, quod iudicio põtificis dextra fieri debebat, non leuis inter eos in ipso congressus principio exorta est disceptatio: ut alibi indicauimus. Tandem pontifex suam in coronando ipso operam quidem promittit, si scilicet prius Romanę sedi Apuliam recuperaret, ac Vuilhelmum Siculum, qui nuper, ut Platina ait, Beneuentana suburbia, Ceperantum Baucumque ecclesiæ Romanæ oppida inuaserat, domuisset. Dura hæc erat conditio, copiarum quę tum unà erant, uires omnes longè excedens. Sed belli ducibus, quos penes se habebat Imperator, fidem interponentibus, breui se instructiori apparatu adfuturos, põtifex, ut eorum iam uolũtati acquiesceret, permouetur. Post hæc, qua ratione Romanorum insidiæ auertere, & urbem sine iniuria simul ingredi possint, deliberant. Mox communi consilio noctu nongenti loricati mittuntur ad B. Petri ædem: his pontifex suos legatos præmittit. Quibus cum porta per custodes aperiretur, milites simul irrũpunt. Hos paruo interstitio subsecutus cũ pontifice Imperator, urbem intrat, & in æde Petri Augustus solenni more consecratur, circumquaq; armatis uiris templũ cingentibus. Consecratione peracta, Imperator mox urbe iterũ excedit, & in pratis Neronianis, ubi exercitus aliqua pars substiterat, & tentoria fixerat, prandiũ sumit. Cũq; liberius iam milites poculis indulgerent, Romani arrepta occasione, è Laterano in castra hostilem impetum faciunt. At Heinricus Saxoniæ dux tanta uirtute resistit hostibus, ut intra urbis mœnia, plurimis desideratis, se recipere cogerentur. Ob quam uictoriam Heinrici nomen, cui ferè soli uictoria adscribebatur, apud quosuis tum celebre est factum. Noctis beneficio diremptũ tandem prælium, testatur Otto Frisingensis lib. 2. cap. 22 de gestis Friderici. Hadriano intercedente, Imperator Romanis tandem reconciliatur. Aduersus Siculum arma mouere iam quidé appetebat Imperator: sed principibus detrectantibus, ad Germanos pedem retulit.

Quo digresso, ipse papa arma induit, magnaq; regni parte Siculum exuit. Ac cum in belli societatem Constantinopolitanũ Imperatorem pellexisset (Platina & Nauclerus testantur, quòd spontè se obtulerit, numeratis põtifici quinquies mille auri libris; ea lege, ut ipsi, rebus feliciter gestis, tres in Apulia ciuitates maritimæ cederent) Siculus pontifici per legatos supplex factus, pacé petit: sed ipse prædę dulcedine captus, omnes pacis conditiones, cardinalib. suadentibus, respuit. Siculus itaq;, cùm armis sibi dimicandum esse uideret, educto milite, & Emanuelis Constantinopolitani Imperatoris, & Romani pontificis copias fundit, & capto pontifice, utriusque regni Siciliæ Apuliæq; titulos extorquet. Sed postquam Romam ex captiuitate regressus esset, tutò ipsi prę furore ciuium, liberum suæ reipublicæ statum acriter postulantium, ibi uersari non licuit. Vrbe igitur excedens, & per Casinates, Marsos, Reatinos, Narnienses, Tudertinos iter faciens, ad Oruetum

tandem subsistit. Nauclerus lib. 2. Generatione 39.

In reditu Imperator Spoletum captum funditùs euertit, pueris solùm & mulierib. sine maleficio dimissis. Duplici enim de causa ipsius iram Spoletani incurrerant, tū quòd fraudulenter pecuniam debitam soluissent, & Guidonem Thusciæ comitem, dum Imperatoris nomine legatione quadā fungeretur, ad ipsos ex itinere diuertētem, uinculis cōstrinxissent. Pòst, tota Italia peragrata, Longobardos domat. In Veronensium agro durius tractātur Cæsareani. Sed pontem dolo fabrefactum à Veronensibus, & insidias in montium angustijs locatas, astu superat. Accepto precio, rustici in deuia loca, uix hominibus penetrabilia, milites, quorū dux erat Otto palatinus de Vuitilisbach, ut refert Nauclerus, perducunt: ubi insidiatores, qui exercitum Imperatoris lapidibus erant oppressuri, reperti. Quorum multi ex ijs, desperata salute, per præceps corruerunt. Sexingenti capti, diris affecti sunt supplicijs. Emensis his periculis, nocte illa in Tridētinorum agro stationes habuerunt. Inde in Germaniam reuersus Imperator, secundas nuptias cum Beatrice Bisontini comitis filia celebrat, cùm anno superiori, Constātiensis cōcilij iudicio, Adilam de Vogburg ob sanguinis uicinitatem repudiasset. Eadem tempestate Ladislaum Bohemiæ ducem, quòd fidelem ipsi in bello Italico nauasset operā, regem designat, ea tamen lege, ut Auentinus ex diplomate Imperatoris refert, ne ea dignitas ad posteros transiret, sed ei honori successor exhæres foret.

Bauaria minus erat quieta, Heinrico Austriaco ad eius ducatum, quo Cæsaris sententia nuper exciderat, iterū aspirante: cui tamen ut pacem redderet Imperator, plurimùm laborat: & habito Ratisbonæ conuētu, Heinrico Saxoni cuncti Bauariæ proceres, Cæsaris iussu, sacramento obligantur. Veniunt eò & Veronensium legati, urbis episcopus cum duobus nobilibus, & Cæsaris iram, quam ob locatas insidias conceperat, deprecantur, se inscijs hæc facta sanctè iurantes. Quos tū Imperator, persolutis prius multis auri talentis, & subsidio contra Mediolanenses promisso, in gratiam recipit. In eodem conuentu Arnoldus Moguntinus archiepiscopus, & Hermannus palatinus comes, qui occasione belli Italici, quod Imperatorem remorabatur, igni ferroq; sese mutuò attriuerant, caussam dicere iubentur. Ac cum uterque culpa non careret, episcopo ob senij morumq; grauitatem, & episcopalis ordinis reuerentiā, pœna commerita condonatur: at Hermannus cum alijs decem nobilibus, qui consiliorū participes fuerant, canes per milliare Germanicum portare coguntur. Acciderunt hæc, ut Auentinus ex diplomatibus Cæsaris annotat, anno Salutis 1156, regni Friderici quinto, Imperij secundo, mense Septembri. Otto Frisingensis libro secundo de gestis Friderici.

Interea Mediolanenses, multis ex Longobardis ciuitatibus, inter quas Brixia & Placentia primæ erant, in fœdus bellique societatem accitis, imperata detrectant. Papiam & Nouariā urbes, suo iugo colla submittere recusantes, grauiter bellis affligūt, destructo Vegeualo, alijsq; Papiensium oppidis. Cumas atque Laudam funditùs euertunt. Terdonam solo æquatam, contra Imperatoris edictum restituunt. Cremona uerò, quæ Imperatori fidelis erat, cruentum cum Mediolanensibus gerebat bellum.

His malis excitus Imperator, Mediolanensibus bellum indicit, omissa in Vuilhelmum Siculum expeditione, quam in comitijs Ratisponensibus principes iurarant. Et Otto palatinus, cum ingentibus copijs iam præmissus, Græcos Anconam, Rauennam, Ariminum tentantes, Italia eijcit: ut Auentinus narrat. Infesto itaq; exercitu in Italiam contendit Imperator. Primas copias ducebat Bohemus, regia nuper dignitate ab Imperatore donatus, ac is primo impetu Brixianos domat. Hunc sequitur Fridericus, Conradi regis filius. Post hunc ipse Imperator, quem Heinricus Bauariæ atque Saxonum dux, Vuelpho, Heinricus Austriacus, Bertholdus de Zaringen, & Conradus Imperatoris frater comitabantur. Positis autem ad Padum fluuium castris, ex altero fluuij littore conuicijs Imperatorem quidā Mediolanensium proscindunt. Quibus irritatus ille, mox traducto exercitu, conuiciatores ad Trecium, quod Mediolanensium erat castrum, insequitur, & admotis machinis, ad deditionem cogit. Solis mulieribus & paruulis, ut incolumes decedant, permittitur, cætera omnia prædæ fuerunt. Hinc Melegnanum se confert, Mediolanensium expectans satisfactionem. Verùm cum ex alto Imperatoris bonitatem aspernarētur, ibi publicè hostes Imperij iudicantur. Ex Longobardiæ ciuitatibus, auxiliaribus accitis copijs, mox Obertus Cremonensis episcopus cum triginta milibus armatorum adest. Papienses & Nouarienses quoque maximum adducunt exercitum. Quibus stipatus Imperator, propius ad urbis mœnia accedit. Mediolanenses quidem infracto animo hosti occurrūt, sed in fugam uertuntur. Posthęc urbs obsidetur, & summis totius multitudinis oppugnatur uiribus:

suburbijs ignis subijcitur. In primis Cremonenses & Papienses uineta, ficeta & oliueta perdunt: ut Radeuicus testatur. Obsessi econtrà strenuè suam tuentur urbem. At porta Romana, quo nomine turris quędam munitissima uocabatur, cuique maximè confidebant, expugnata, fame præterea & peste ingrauescentibus, animis franguntur. Ac cùm nulla salutis spes affulgeret, per Boemorum regem, ducem Austriæ, Coloniēsem & Bambergensem episcopos, Reinaldū cancellariū & Ottonem palatinum, quorum autoritas erat summa, suadente Guidone comite Blāderatēsi, offensam deprecantur, & sine ulla pactionis conditione pacem postulant. Horum quos diximus precibus & intercessione uictus Imperator, irā deponit, & ciues armis exutos, nudisq; pedibus ad sua genua prostratos, in gratiā his conditionibus recipit: Cumarū & Laudæ restaurationem non prohibeant, nec ijs in posterum molesti sint, sintq; liberæ ciuitates. Omnes Mediolanenses fidem Imperatori iurent & seruent. Palatium Imperiale eleuent & uenerentur. Mulctam statutis temporibus soluant. Trecentos dent obsides. Noui consules à populo constituti, per Imperatorem confirmentur. Legatos Imperatoris urbem transeuntes uenerentur. Captiuos restituant. Cum uicinis pacem colant. Annum quo hæc facta sunt, Vrspergensis annotat 1158, sexto idus Septembris. Pax summa populi lætitia confirmata est: ut Radeuicus libro 3 de gestis Friderici refert. Mediolanensibus domitis, Imperator Bohemum, Austriacum, Moguntinum & Bertholdum cum copijs ad suos redire permittit. Tantus enim terror omnem Italiæ oram inuaserat, ut qui apertè rebellaret, nemo esset. Ipse Imperator cum reliquo exercitu omnia perlustrat loca, ius dicit, pacem constituit, quam si quis uiolare tentauerit, centum auri marcarum pœnam statuit. Tandem Astensium quoque urbe cum arce expugnata, Germaniam reuisit.

De Imperatoris ex Italia discessu edocti Mediolanenses, tributum soluere negant. Trecium, ubi præsidium relictum fuerat, recuperant, Cæsareosq; ergastulis mancipant. Horum exemplo omnis penè Longobardia arma induit, iugumq; Cæsareum excutere laborat. Hadriani pontificis instinctu Mediolanenses adeò feroces extitisse, Radeuicus libro 4. capite 18 de gestis Friderici testatur. Reuocatis itaque, quos prius secum habuerat, belli socijs, tertiò in Italiam ire parat Imperator, in perfidos animaduersurus. Qui cum conuenissent, rectà Mediolanum petunt, segetes maturescentes excidunt, pedibusque conterunt, ac quicquid ex superiori bello de arboribus uitibusque relictum fuerat, succidunt, omnemq; agrum circumquaque deuastāt. Ac cùm sæpius, ut causam dicerent coram principibus, euocarentur ab Imperatore, ipsi uerò comparere detrectarent, publicè hostes proclamantur: ut Radeuicus libro quarto, cap. 24 indicat. Cremonenses de Cremensium ciuium iniurijs, præter Imperatoris decretum castri cuiusdam munitionem prohibentium, & aquarum meatus intercipientium, conquesti, ijsdem malum creant. Mox enim Imperator, ut ui rem agant, non solùm autor est, sed insuper Conradum fratrem, Bertholdum de Zaringa, & Robertum quendam comitem cum iustis copijs adiungit. Qui simul profecti, Cremenses oppugnant. Hi erumpentes, magna clade afficiuntur. Hostes castris ad urbis mœnia positis, arctius quidem eos, sed frustra aliquandiu constringunt: nam oppidum erat munitissimum. Fridericus itaque, cum iam Imperatrix, Heinricus Saxo & Conradus Augustanus cum maximis copijs superuenissent, suis auxilio uenit, omnemque belli uim in eos conuertit. At ciues, Mediolanensium & Brixianorum subsidijs freti, ludibrio obsidentes habebant, quin & mulieres decantabant, inglorium inde Fridericum discessurum, sicut olim Lothario accidisset. Qua iniuria irritatus Imperator, acrius eos oppugnare cœpit. Captiui utrinque de patibulis suspenduntur. Denique cum tantam obsidentiū uim subsidijs destituti sustinere non ualerent Cremenses, Imperatoris se dant fidei, uitæ solummodo pactione intercedente. Miseræ plebeculæ calamitate motus Imperator, uita cunctos donat, ac quantum humeris una uice efferre liceret, permittit. Reliquæ facultates militibus cedunt. Oppidum uerò funditùs diruitur, anno 1160. Multos menses obsidionem durasse, ex Radeuico colligitur, qui 6 calend. Februarij urbe potitum Imperatorem narrat, libro 4. capite 66 de gestis Friderici. Ex Iohanne quodam Cremonensi annotat Vrspergensis, quòd eadem tempestate maxima cardinalium, procerum ciuitatumq; caterua contra Imperatorem fœdus icerint, quibus & Hadrianus pontifex, acceptis prius multis auri nummis, suā addixerit operā, ipsumq; Imperatorem anathematis fulmine ferierit. Sed paulo pòst à musca suffocatur papa. Chronicon Cosmidromij idem habet.

Domitis Cremensib. Mediolanum bellum omne transfertur: cuius incolas ut prima quasi fronte Imperator terreret, hoc usus est stratagemate: Papiēses, qui bello strēnui habebantur, propius ad mœnia acce-

dere

dere iubentur, quò hostes elicerentur. Imperator suos in insidias collocat. Illis urbe egreßis, Papienses fugam simulant: hos illi insecuti, lõgius ab urbe recesserunt. Mox Imperator ex insidijs exiliens, à tergo Mediolanenses petit. Ibi Papiensibus etiam terga uertentibus, atrox prælium commissum est, quo Mediolanenses intra hostem conclusi, non exiguam accepêre cladem. Sexcenti ex ijs uiri fortes cæsi, centũ quinquaginta capti. Vulneratorum & in aquis submersorum numerus haberi non potuit. Placentini, qui & Cremensibus clàm auxilia miserant, ac Mediolanensium partibus studebant, frumentum aliaq; necessaria ipsis ministrando, hostes iudicantur.

Cæterùm cum à Mediolanensium oppugnatione per Romanum dißidium, Octauiano nimirum & Rolando de galera pontificia contendentibus, Imperator retraheretur, Tarentasinum archiepiscopum, Clareuallensem, Moremundensem, & cum his alios octo cucullatos abbates mittit, eorum uoluntatem exploratum. Quibus illi respondent, se iuramento papæ cardinalibusq; obstrictos, sine quorum uolũtate fas sibi non esse Imperatori pacem dare. Adeò, inquit Cremonensis scriptor (uerba apud Vrspergensem & Nauclerum extant) conspiratio Mediolanensium & Brixiensium cum Apostolico Adriano iuramentis firmata fuit, ut nullus ab altero recedere posset, uel Imperatoris gratiá, nisi omnib. consentientibus, requirere, & quòd, si moreretur papa, de numero cõspiratorum reliqui designarent sibi pontificem. Quod & ipse Imperator in quadam testatur epistola, quę apud Radeuicum libro quarto, capite 73 extat.

Compositis Romæ rebus, in Mediolanẽsium agrum Imperator redit, eumq; tertiò uastat. Causa huius mali hæc fuisse narratur apud Nauclerum, quòd Mediolanensium princeps Gualfagus Alexandri pseudopapæ partibus addictus esset, eumq; clã foueret. Cumq; sæpius confligeretur, Cæsaris copiæ plurimùm diminutæ sunt. His itaq; laborantibus, Fridericus Conradi regis filius, dux Boemorum, regis cuius suprà meminimus, filius, Daniel Pragensis, Reinaldus Coloniensis episcopi, cum nouis copijs suppetias ferunt. Fit denuò atrox utrinque prælium. Imperator, equo confosso, pedes pugnat: tandem tamen uictoria potitur. Captiui Mediolanenses nobiliores circiter mille Laudam missi, frigore & fame torquentur. Quibus denique malis attriti Mediolanenses, urbem primo die Martij anni 1162, ut Erfordensis indicat, Imperatori sine omni conditione tradunt. Ciues supplices facti, in gratiam recipiuntur, omnisq; urbs solo æquatur.

His ad eum modum domitis, qui nouarum rerum caput extiterant, Placẽtini, Brixienses, alijque cõfœderati ultrò ad officiũ redeunt: urbiũ tamen propugnacula deijcere coguntur, anno 1162. Otto Frisingensis & Radeuicus de gestis Friderici, Vrspergensis, Nauclerus.

Cùm anno sequenti in Germaniam, reliquis belli ducibus eum comitantibus, reuersus esset Imperator, mox Hugo palatinus comes de Tubingen, & Vuelpho dux arma induunt. Nam Hugo quosdam Vuelphonis milites, præter officium suum agentes, captos strangularat, eorumque castrum Moringen destruxerat. Vuelpho itaq; pater, accito ex Thuscia (quam beneficio Imperatoris tenebat) filio, Hugoni bellum indicit. Vuelphoni militabant Heinricus comes de Veringen, Augustanus, Spirensis, Vuormaciensis episcopi, Bertholdus de Zaringen, alijq; maximæ autoritatis uiri. Ac licet his militum numero longè impar esset Hugo, cui Fridericus Conradi regis filius suppetias ferebat, in fugam tamen illos uertit. Tandem Imperatore suam interponente autoritatem, pax utrinq; facta est: quæ ad annum unum nondum durauit. Nam Vuelpho, recuperatis copijs, palatini terram uastat, Kelmuntz & Vuilar oppida destruit. Hugo Friderici ducis consilio Boemos in auxilium uocat: qui aduenientes, omnem ferè Sueuiam Bauariamq; in solitudinem redigunt. Tandem, cùm Imperatoris prouidentia Hugo in Vuelphonis manus traderetur, pax restituitur, anno 1165. Vrspergẽsis. Hugonem in exilium missum, narrat Nauclerus.

Recruduit interim in Italia bellum, duorum pontificum, Alexandri & Victoris nomine, quorum uterque sua factione muniebatur. Eò quartò iam contendit Imperator, Victori è rebus humanis exempto, cuius ipse partes fouerat, Calixtum surrogaturus, Alexandro eiecto. Præmittit Rainoldum Coloniensem & Christianum Moguntinum cum iustis copijs, ut Romam bello tentarent. Ipse Imperator Longobardos, & Ianuam inprimis, ad officium prius cogit. Episcopis ad Thusculanum accedentibus, infinita Romanorum multitudo occurrit, pro Alexandri salute pugnatura. Verùm ex illis ad duodecies mille à Germanis uno prælio cæduntur. Eodem die Ianuensem urbem expugnat Imperator, Anconá uocat Nauclerus. Adueniẽte Imperatore, cõiunctis uirib. beati Petri domus, quã Romanorũ pręsidiũ tutabatur, oppugnatur & capitur, multo sanguine

in templi atrio diffluente. Ac cum Alexander clàm urbe excessisset, Calixtus eius locum occupat. Lateranensem urbem funditùs euersurus erat Imperator: sed cum ad quæuis eius postulata annuerent ciues, ea seruatur. In ea expeditione cum pestis suborta esset, primarij belli duces, Coloniẽsis, Verdensis, Spirensis, Ratisponensis, Pragẽsis, Leodiensis episcopi, Fridericus Sueuiæ dux, Guelpho iunior, Berengarius comes de Sultzbach, alijq; complures extinguuntur. Germanos milites haud uulgaribus insigniuit dignitatibus in Italia Imperator: ut Vrspergensis refert. Dehinc ad Longobardos abit: uerùm cum eorũ insidias metueret, in Germaniam se confert. Indicto autẽ in Bamberg principum conuentu, grauiter Saxones tumultuantes reprehendit, quòd motibus eorum fretos, Longobardos minus habuisset fidos, ac dissidentium animos unit. Helmoldus lib. 2. cap. 10. 11 de Sclauis. Accidêre hæc sub annũ Salutis circiter 1168. Posthæc à bellis aliquandiu feriatur Imperator: ut ex Vrspergensi & Nauclero colligere licet.

Gualfagus Mediolanensium princeps, ruptis quibus detinebatur ferreis uinculis, sub ueste rustica in Italiam reuersus, ciues colligit: quorum ope, uicinis etiã ciuitatibus & Græcorũ Imperatore sumptus subministrantibus, urbem nõ modò restaurat, sed & aliam quandam dirutam restituit, indito ei ab Alexandro pontifice, in odium Imperatoris, nomine. Ab Alexandro enim nuper anathemate percussus fuerat Imperator. Ex Longobardis etiam plurimi suos iudices ab Imperatore datos uel eijciũt, uel neci tradunt.

Principijs obstandum ratus Imperator, collecto milite, mox itineri se accingit, ac quintò iam in Italiam bellum mouet, Secusam oppidum Lombardis fœderatum diruit, Astenses in deditionem accipit. Posthæc nouam Alexandriam, ad quam unius anni spacio quindecies mille uiri confluxerant, tẽtat, sed frustra, pluuijs autumnalibus impeditus. Sicq; obsidio eius ad Pascha usque protrahitur. Tãdemq; Heinrico Saxone, per fulmẽ pontificium in Imperatorem missum, à fide Imperatoris absterrito, & ut Vrspergensis autumat, cui & Colonienses & Saxoniæ Chronicon adstipulãtur, pecunia accepta, Imperator re infecta inde discedit, & in Germaniam non sine uitæ periculo, serui conditione sæpius assumpta, redit.

Heinricus Saxo, qui prius in Germaniã reuersus fuerat, cum Zolorensibus & Vetingensibus comitibus contra Imperatorẽ fœdus icerat apud Sueuos, & ad cruentum maximè bellum omnia spectabant. Hunc Imperator crebrius, sed frustra ad conuentus uocatum periurij & læsę maiestatis dãnat, ducatum Noricũ Ottoni palatino de Vuitilsbach donat. Saxoniæ gubernationẽ Bernhardus Anhaldinus accipit, anno 1170. ut paulo pòst dicemus. Autores sunt Vrspergensis, Nauclerus & Auentinus.

Grauiter his contradicit Cranzius, qui illorum temporum Scriptores testari asserit, Imperatorem in comitijs quibusdam uehementer quidem institisse, obnixeq; rogasse, ne ipse dux bello Italico deesse uelit. Ducẽ etiam omnis generis officia promisisse, modò ipsi propter senectam apud suos manendi potestas detur: ipsumq; tandem, inuito Cæsare, in sua perstitisse sententia. In eoq; bello Christianum Moguntinum strenuã nauasse operam Imperatori, cuius maximè studio Mediolanenses Cæsareo iugo subiecti sint. Prętereà idem narrat, capto Mediolano, ea conditione uitam ciuibus donatã, si è mulæ (detur dicto uenia) posterioribus ficum dentibus eximant. Id facere detrectãtes mox capite mulctati sunt. Eius uerò rei obscœnæ hæc fuisse perhibetur occasio, quòd ijdem Imperatoris coniugem, quæ aliquando ad uisendam urbẽ uenerat, mulæ impositã obuersa facie per ludibriũ urbe eiecissent. Indeq; natum in Mediolanenses prouerbium Eccolafico. Hæc Crantzius libro 6 Saxon. cap. 35. 36. Chron. Saxoniæ, Erfordensis, Chron. Coloniense. Anno 1166 Heinricus Leo, dux inclytus, super basin erexit leonis effigiem (quę adhuc hodie extat) in Brunsuick, quasi colossum suum, cũ ipse Leo uocaretur. Erfordensis.

Cæterùm ut omni Italiæ pax, quæ multos iam annos ob ambitiosos Romanorũ pontificum conatus exularat, integrè restitueretur, quidam boni uiri egerunt. Placuit tum Imperatori, tum ipsis Italis pius horũ conatus. Scribuntur conditiones, placent & illæ. Verùm Italis Alexandri quoq; pontificis (quem Imperatorem excõmunicasse, urbes Italiæ ad defectionem solicitasse, sæpius iam diximus) Emanuelis Græcorum Imperatoris, & Guilhelmi Siciliæ regis in pacis formula rationẽ haberi postulantib: re infecta iterũ disceditur. Anno itaq; 1176 Imperator rursus in Italiam bellũ mouet, estq; ea sexta expeditio. Primùm uerò Lõbardos petit, Mediolanensibus, Alexandri acerrimis fautoribus, cõfœderatos. Vbi nihil præclari utrinq;, ut Vrspergẽsis indicat, gestum est. Pòst Mediolanenses, cum equitum cohorte occurrentes, in fugam conijciuntur. Sed sumpto iterũ animo, magnã in Cæsareano exercitu stragẽ edunt: primariũ uexillũ, quod aquila insigne erat, amissum:

Ipse

Ipse Imperator hostium agmini immixtus, equo deturbatur: ac cum ab omnibus occisus crederetur, Itali ardentius, Cæsareani uerò remißius pugnant. Ipse tamen Imperator saluus euadit, tandemq; pacem cũ Alexandro Venetijs init. Nauclerus, Platina, Vrspergensis. Hoc bello Moguntinum à Montisferrati marchione captũ, scribit Nicetas lib. 7 de gestis Manuelis. Sed uide põtificiorũ adulatorum improbitatem, mira arte Alexandri flagitia reticentiũ. Nam de ipsius proditione, ac qua tãdem occasione inter ipsum & Imperatorem Venetijs pax constituta sit, quãtaq; immanitate collũ Imperatoris supplicis pontifex sceleratus calcarit, ut in uita eius plenius scripsimus, uerbum nullum. Imperator dehinc, fortè iniuriæ illius turpitudine motus, armis depositis, quieti se dat, filiorumq; commodis deinceps studet: Heinricũ natu maximũ successorem, Fridericum Sueuorum, Ottonem Burgundiæ ducem designat. Conradus & Philippus ex ephebis egreßi nõdum erãt. Sub eodem ocio Itali ad curiam Constantiẽsem uocati, Imperatori eiusq; filio Heinrico fidem & obsequium iurant, anno Salutis 1183, regni 32, Imperij uerò 29.

Lucium, Alexandri in pestilentiæ cathedra successorem, peßima in Imperatorem molitũ narrat Vrspergensis. Verùm in Veronensi conuentu, cui etiã Imperator intererat, mortuo põtifice, cõsilia eius impia finẽ sortita sunt. Succedit Vrbanus: uerùm cum & is antecessoris uestigijs insistere summo conamine laboraret, atq; ob id Turbanus, quòd scilicet Ecclesię turbas reuocaret, uulgò diceretur, è rebus humanis eximitur.

Demũ in nuptijs Heinrici filij, cũ Rogerij Siculi filia Cõstantia Mediolani celebratis, pax inter Imperatorem & Italiæ ciuitates ad integrũ reformatur & stabilitur. Posthæc Tusciæ ciuitates perlustrat, ius dicit, in primis uerò nobiles, quos ciuitatum senatores suis castris uel exuerant, uel suo iugo subiecerant, libertati restituit, eosq; Imperio subesse iubet. Ad Germanos reuersus, Norinbergæ comitia agit, pacẽ in Imperio sancit. Tandem anno 1189 in Armenia, ubi contra Turcas pugnabat, in rapido quodã amne, in quem refocillationis gratia descẽderat, submergitur. Nauclerus. Tyrius uerò huius temporis autor tradit, Imperatorẽ, dum Solephium amnem transmitteret, equo offendente, sella excussum fuisse, & inter tollentium manus expirasse.

Saxoniam nunc ingredimur, quæ Heinrico duce Imperatori apud Italos militante, motibus non caruit. Sclaui enim ea occasione freti, contra Leonis interdictũ, qui Nicoloto, ut se absente pacẽ coleret, iniunxerat, Danos uicinosq; Saxones molestarũt: ac ipsa Lubecana urbe eximprouisò potiti fuissent, nisi Athelo sacerdos pensilem põtẽ trans Vacenissam ilico subtraxisset. Cęterùm ea urbs tum Heinrico Leoni parebat. Nam cùm Bardeuico, cui Leo dominabatur, ob uicinitatẽ plurimũ officeret, Leo dimidiam eius administrationẽ ab Adolpho efflagitabat. Sed cum hic postulatis minimè annuere uellet, indignatus Leo inhibuit, ne quid à suis subditis Lubecam importaretur, exterosq; negociatores cum maximo urbis damno impediuit ac remoratus est. Acceßit huic malo & alterum, nempe totius urbis conflagratio. Cumq; inde mercatores euocaret Leo, & ad Vacenissę fluminis littus suę ditionis ijsdem commodum extruẽdæ urbis locũ aßignaret, Adolphus tempori & loco cedens, neceßitate adductus, Lubecã cũ uniuersa eius iurisdictione & dominio Leoni ceßit. Hist. Lubecensis.

Ex Italia itaq; reuersus sub annum Salutis 1158 Heinricus, Sclauis bellũ indicit. Extimulabat eum & hoc, quòd sæpius religionem sacrã contra fidẽ datã ijdem repudiassẽt. Nicolotus Sclauorũ princeps, cùm tanto hosti se imparẽ esse cerneret, aliquot sua castra, quæ hostiũ uim sustinere nõ ualebant, succẽdit: inter quæ fuerunt Ilowe, Mechelburg, Suerinũ, Dobinũ. Ipse in Vuurle ad Vuarnouiũ amnẽ se continet. Sed cũ hostes, qui ad Mechelburg castra posuerãt, pabulis ꝓhibere uellet, occiditur. Vuercislaus uerò & Pribislauus filij, desperata salute, nauigijs discedũt. Sic facili labore omni Obotritorũ terra potitur Heinricus Saxo. Suerino reparato & cõmunito pręfecit Gũcelinũ, eiq; & Ileborg attribuit. Kißinũ Ludolpho cuidã nobili Brũsuigẽsi, Malacouu Ludolpho de Paina, Mechelburg Heinrico de Scatẽ donat. Eiectisq; qui supererãt Sclauis, ex Hollãdia Frisiaq; incolę substituuntur. Helmoldus cap. 88. Anno 1158, uel circiter, iuxta Chronicon Saxoniæ.

Aliquanto pòst Nicoloti filij, quos Kycinorũ & Circipanorũ terra iterum donarat Heinricus, sua sorte nõ contenti, omnẽ suã terrã ut recuperarent, annitũtur. Sed Guncelinus hos conatus anteuertit, Vuercislaũ in Vuurle (castrũ munitißimũ erat, Herulã uocat Marschalcus lib. 2. cap. 40) obsidet. Superuenit & Heinricus cum Adolpho Holsatorum comite. Ac cum acrius arx oppugnaretur, Vuercislaus sagitta uulneratur: ac tandem, cũ spes nulla resistendi superesset, Heinrici fidei se dedit per Adolphũ Holsatũ. Quẽ dux secum Brunsuigã deduxit, Lubemaro cuidã ueterano tradita terræ illius administratione. Pribislauus natu maior, qui in nemorũ abditis cum quadã uagabatur

tur cohorte, fratris calamitate motus, ab armis discedit. Idem cap. 93.

Carceris pertæsus Vuercislauus, fratrem per internuncios clàm instigat, ut suæ fortunæ, quæ esset miserrima, memor, si non alia ratione posset, armis ei subueniret. Pribislaus itaque, coacto milite, Mechelburgũ expugnat: ibi ad unum omnibus masculini sexus trucidatis incolis, quos Flamingos uocat Helmoldus, urbs solo æquatur, ut adhuc hodie uidere est. Marschalcus. Ab Ilovv uerò per Guncelinum repelluntur. At Cussinum & Malacovv deditionẽ faciunt. In tantis rerum angustijs Heinricus Saxonum dux, Vualdemari classe, & Alberti marchionis stipatus copijs, aduolat, & ad Malacovv Vuercislaum, quòd belli incentor fuisset, suspendio necat in terrorem hostium. Ad Deminum tádem atroci commisso prælio, superiores existunt Saxones, quamuis ancipite Marte diu utrinque pugnatum fuisset. Dehinc Pomeraniam, quòd eius duces Sclauis se coniunxissent, uictores subigere tentant. Sed cum ad Stolpensem urbem subsisterent, Heinricus dux per nuncios Brunsuigam reuocatur, ubi Cæsarei eum præstolabantur legati: sicque bellum finem accipit. Helmoldus lib. secundo Historiæ Sclauorum, cap. 4. 5. Chronicon Saxoniæ.

Ex eo tempore omnibus Heinrici potẽtia, qua facilè quosuis totius Imperij principes superabat, exosa esse cœpit. Fortunæ enim prosperæ indiuiduus comes est Inuidia: quæ tandem, ipso Italica expeditione impedito, in publicum erumpit. Conspirãt episcopi, Vuichmannus Magdeburgicus, Hermannus Hildesianus, Ludouicus Thuringiæ dominus, Adelbertus marchio Solduedelẽsis cum filijs, Otto marchio de Canburg & fratres eius, Adelbertus comes palatinus de Sommersburg, Otto de Asle, Vuedekindus de Dasenburg, Christianus de Aldenburg. Reinoldus Coloniensis, licet Imperatoris castra sectaretur in Italiam, illorum consilia tamen haud parum iuuit. Obsidetur primùm Aluensleuen. Christianus Aldenburgensis Bremam occupat, indeque uicina loca infestat. Heinricus de domesticis motibus certior factus, omissa quam meditabatur in Italiam profectione, ad patrios lares remeat, & cum domesticis confligit hostibus. Orientalem Saxoniam usque ad mœnia Magdeburgicæ urbis cum copijs perlustrat. Dehinc Bremam petit, inde Christianum fugat, urbem militibus diripiendam concedit, quòd tam facilè hostem admisissent. Episcopi ducis successu & seueritate moti, amicitiam rursus simulabant. Conradus Lubecensis, conspirationis non postremus autor, eijcitur. Hartuuicus Bremensis apud Magdeburgensem se occulit. Eius castra Horeborg & Friborg, ubi præsidiarios milites reliquerat, cum ijdem inde prædas in uicinos agerent, dux solo æquat. Tota Saxonia hoc bello cædibus, rapinis seditionibusque ardebat. Inter has turbas Angliæ regis filiam uxorem accipit Heinricus. Clementiam enim sanguinis prætextu nuper repudiarat. Ex Italia uerò reuersus Imperator, hos motus sedat, restitutis Hamburgensi & Lubecano episcopis. Idem libro secundo, capite septimo & sequentibus. Saxo Grammaticus libro decimoquarto.

Conuenerat etiam inter Danorum regem Vualdemarum & Heinricum Saxonem, coniunctis se uiribus contra gentes, quæcunque subigendæ essent, pugnaturos, & æqua lance prædam diuisuros. Verùm Danus, dum domesticis motibus impeditur Heinricus, ope Pomeranorum Rugiana potitur terra. Dux itaque prædæ partem ex fœdere bellico petit: quam cum rex denegaret, ad arma conclamatum est. Heinricus ex Sclauis coacto milite, Dano subiectas insulas uastat, & incolas abactos pecorũ more diuendit. Danus uicissim Cyrcipanam regionem depopulatur, eiusque filius Christophorus Aldenburgum deprædatur: attamẽ ecclesijs & sacerdotibus parcit. Sed Sclaui decupla ultione damna à Danis illata uindicant. Tandem rex suorum motus calamitate postulatis Heinrici annuit, Rugianæ terræ administrationem ex parte ei concedit. Et ut firmius sit concordiæ initæ uinculum, rex suo filio ducis filiam, quę iam uidua erat (nam Fridericus, cui nupta fuerat, Romæ peste obierat) uxorem petit & impetrat. Pribizlauus etiam quieti se dat, & Mechelburgum, Ilovv & Rostochium urbes exędificare cœpit. Idem capite decimotertio & decimoquarto. Saxo Grammaticus & Crantzius dissensionis quidem inter Danum & Saxonem meminère, sed causam aliam annotant, uidelicet, quòd rex Bugislauum, qui Heinrici se dedisset fidei, Christianamque religionem amplexatus fuisset, bello peteret, cum prius iudicio publico eum sisti necesse fuerit coram Heinrico. Saxo lib. 14. Crantzius libro 6. cap. 25 Danicæ Historiæ. Hac tempestate Hannoueram, quæ tum pagus erat exilis, incrementa accepisse tradit Crantzius libro sexto, capite uigesimoseptimo Saxoniæ.

Dehinc Heinricus Leo, rebus in Saxonia & Sueuia, quæ ipsi, ut diximus, parebant, pacatis, ex superstitione Hierosoly-

mam contendit, Vuichmanno Magdeburgensi archiepiscopo, & Ecberto de Vuolfen buttel regni gubernatione demandata. Inde anno reuoluto reuersus, Imperatoris gratia excidit, quòd missis tantùm copijs, ipse propter ætatem bello Italico adesse recusaret. In Chronico Cosmidromij & ea dissensionis causa inter eosdem refertur, quòd uidelicet Imperator cum quibusdam præfectis, quibus primariarum urbium administrationem interim Leo demandarat, pactus fuerat, quorum aliquos uel promissionibus largis, uel minis eò adegerat, ut si fortè humanum quid duci in itinere tam longinquo, & plurimis periculis exposito accideret, ipsi urbes tradantur. In Chron. Coloniensi constanter affirmatur, quòd accepta à Mediolanensibus pecunia, Cæsaris castra reliquerit. Sed ut ut se res habeat, eius dissensionis occasione maiores in Saxonia motus exorti sunt. Vlricus enim Halberstadensis episcopus, duci infestissimus, cœlum terræ miscere cœpit, cunctosq́; contra ducẽ instigat. Ac licet dux de hac iniuria quereretur apud Imperatorem, tamen præualuit aduersariorum factio, & proscriptionis in Gelhusano conuentu factæ prętextu ad arma conclamarunt. Coloniensis omnem Vuestphaliam subigit, multis oppidis dirutis, eiusq́; ducem deinceps se uocitat. Aluẽsleuen, cui Bernhardus de Lippia præerat, Vuichmannus Magdeburgicus fame expugnat. Vlricus, quem diximus igni oleum addidisse, ducẽ anathemate ferit. Ad cuius pedes prouolutus dux, ueniam quidẽ impetrat: sed episcopus quietis & ocij impatiẽs, res turbare non desistit. Nam dum Heinricus Vuestphaliã recupat, ipse ex Halberstadio suos emittit in Heinrici agrum milites, qui cuncta igni ferroq́; uastant. Aduolat iterum Heinricus, ac prædatores tanto feruore in fugam conijcit, ut eius milites simul cum fugiente episcopali cohorte urbẽ ingrederentur, quam ipsi mox succendũt. Episcopus captiuus abducitur: sed non multo pòst, cum fidem sanctè iurasset, dux iterum ipsum dimittit. Dehinc in Thuringiã mouet Heinricus, Northusam depopulaturus. Occurrens Ludouicus comes prouincialis, capitur cum Hermanno fratre, cæsis eorum copijs. Posthæc uictor, exustis Northusa & Mulhusa, ut habet Cosmidromij Chronicon, Brunsuigam redit.

Imperator felici euentu omnia ab Heinrico geri uidens, ipse contra eundem belli fortunam experiri statuit. Eius igitur aduẽtus cunctis Heinrico apud Saxones aduersantibus fuit gratissimus: multi etiam, qui hucusq; in fide ducis perstiterant, metu periculi in Imperatoris castra transeunt. In quascunq; Heinrici arces Cæsareani incidunt, expugnãt. Nulla enim uel arciũ uel urbiũ, tantã uim sustinere ualebat. Inter cæteras urbes & Lubeca potitur Imperator, quã multis priuilegijs donatã, Imperialẽ ciuitatẽ esse iubet, & in certũ rei testimoniũ aquilã donat: iuxta Chronicon Coloniense. Venit eo loci Vualdemarus Daniæ rex, salutãdi Imperatoris, confirmãdæq́; amicitiæ causa. Danus Cæsaris filio impuberi, fide utrinque interposita, filiã uxorem promittit: ut Crantzius lib. 6. cap. 19 Vandaliæ: & lib. 3. cap. 43 Saxoniæ refert. Ibidem & Pomeraniæ principes Ducũ nomine clariores reddidit Imperator. Cæterùm ipse dux Stadij se continebat, ut, si fortè Imperator oppidi expugnationẽ tentaret, ipse rebus desperatis nauigio clàm discedere posset. Sed mutato cõsilio, acceptaq́; fide publica, sẽ in cõspectum Imperatoris admitti petit. Datur hoc ei: ac cũ multa in sui purgationẽ dixisset, ad principũ conuentũ rẽ reijcit Imperator. At dicto die in Quedelenborg solus Bernhardus Anhaldinus, qui iam ducatus Saxoniæ gerebat insignia, ducis causam, cuius felix sperabatur euẽtus, turbat, ut re infecta inde discedere cogeretur. Indicitur alter conuentus Erphordiam. Ibi supplex ad pedes Imperatoris prouoluitur Heinricus: quem ipse nõ sine lachrymis leuãs, optima quidẽ sperare iubet: ac cũ ob minus frequẽtẽ principũ cœtum res penitùs transigi nõ posset, in spontaneũ ut abeat exiliũ, ei autor est, fore enim ut sic aduersariorũ animi nonnihil mitiores reddantur. Paret cõsilio Imperatoris dux, & ad socerũ Angliæ regẽ exulatũ abit, dimissis & in integrum restitutis, quoscunq; bello ceperat, principibus uiris, anno 1181. Remansit tamen Heinrico maior Saxoniæ pars, illa uidelicet quæ hæreditario iure ad ipsum olim deuoluta fuerat. Vuestphaliam Coloniensis præsul obtinet Philippus. Nam eam prædam captans, duci quacũq; ratione poterat, molestus erat. Pòst in conuentu Geilhusano, Vuestphaliæ dux creatur ab Imperatore episcopus. Chron. Coloniẽse. Deniq; ad sacrũ bellũ iturus Imperator, in quo cõcidit, Heinricũ ab exilio reuocat, & ea Saxoniæ parte, quã diximus, contẽtũ esse denuò hortatur. Verùm Imperatore iã profecto, Saxonia iterũ bellis ardere cœpit. Confluunt enim ad Heinricũ plures magni sanè nominis uiri, de reditu gratulantes, operãq́; ipsi addicentes. Horum studijs excitus Heinricus, amissa recuperare tẽtat. Bardeuicũ, ubi Bernhardus Saxoniæ dux pręsidiũ locarat, post multos tandẽ labores omniũ primùm ui occupat, anno 1188, die Simoni & Iudæ apostolis dicato, ac solo æquat. Ex cuius urbis in-

teritu

teritu Lubecæ, Luneburgo & Hamburgo haud exigua accessere incrementa. Posthęc Lubecā oppugnat: sed ciues, Bardeuici fortuna territi, urbem spontè tradunt. Lauuenburg eius quoq; se dat fidei. Iamq; omnis Holsatia, præter Segebergam, ad Heinricū redierat. Reliquerat in Germania Imperator Heinricū filiū, nuper regni successorē designatū. Is coacto milite, Heinricū Saxonē petit, Brunsuigam aliasq; eius arces infestat. Verùm re infecta in Sueuiā redit, Hartuuico Magdeburgensi, quo instigatore Saxo usus fuisse credebatur, in exiliū acto. Tādē Moguntino archiepiscopo mediatore, Fuldæ, quò euocatus fuerat Saxo ab Heinrico rege, pax certis quibusdam conditionibus statuitur. Verùm filio Ludero, quē obsidem dederat Saxo, nō multo pòst defuncto, pax simul sublata est. Adolphus Holsatiæ dux, Adolphi cuius suprà meminimus, filius, Tyri (sacrum enim bellū sectabatur) de amissa sua terra edoctus, concitato cursu ad suos redit, & manu coacta, Lubecam, Stadium, aliaq; loca recipit. Crantzius lib. 5 & 6 Vandaliæ: & lib. 6 & 7 Saxoniæ.

Galliæ turbandæ occasio fuit, Ludouici regis diuortium cum Leonora, quam Heinricus Andegauensis comes, Stephani in Anglorum regno successor, uxorem duxit. Nā is mox bellum mouet Franco, uxoris nomine Tolosatium comitatum repetens. Tolosa itaq;, eius comitatus primaria urbe, obsidione cincta, Francus occurrit, & oppugnātes profligat. Post id tempus, inquit Aemylius, nunquam fida inter eos pax iungi potuit, sępe arma posita, sæpe repetita, oppida utrinq; capta, uastati agri, leuia prælia facta, dextræ iunctæ, mox rursus enses stricti. Sed his tandem motibus utcunque sedatis, Aniciensis & Cauillonensis comites Ecclesiasticis uiris bellum indicunt, ecclesiasque spoliant: quorum utrumq; Ludouicus armis compescit, Cauillonensi omni comitatu exuto. Posthæc pax Galliæ redijt. Mortuo autem sub annum Salutis 1181 Ludouico, Philippus filius succedit: cui Philippus Flandriæ comes ex sorore neptem Elisam uxorem desponsat, Viromanduo comitatu ei in dotem attributo. Verùm cum Flandrus pòst promissis stare nollet, exortum est inde bellum. Flādrus incursiones in interiorem Franciam facit, depopulaturque. Occurrit regius miles, hostemq; repellit. Et licet in Ambianorum finibus opposita conspicerētur castra, tamen incruento prælio discessum est, ea lege pace sancita, ut Viromanduis usq; dum uiueret, Flandrus dominaretur, eius morte ad Francum redirent. Aemylius lib. 5 & 6.

Vngaria ijs annis, quibus Friderico repugnante præfuit Geisa, uno prælio eoq; insigni grauiter attrita fuit. Boritius quidam, Colomanni quōdam regis filius, ad paternum adspirabat regnum, multosq; ex Græcis Romanisq; principibus, inter quos non postremus erat Heinricus Saxo, suæ causæ addictos habebat, precio interueniente. Cohors itaq; militum quædam ex Orientali marchia egressa, Bosan, quod & Bresburg, Vngariæ regis oppidū expugnat. Nō multo pòst Vngariæ rex idem castrum obsidet & recuperat. Ac cum Heinricum Saxonem eius mali autorem suspicaretur, bellū ei indicit. Cogitur utrinq; exercitus, ponūtur ad Danubij littus aduersa castra, fit conflictus atrox. Germani pulueribus impliciti, cum socios agnoscere non ualerent, fugam ex prælio arripiunt, seque in uicinum oppidum Hienis recipiunt, pluribus suorū desideratis. Maior tamen Vngarorum strages fuit. Otto Frisingensis lib. 1. cap. 30 & 32 de gestis Friderici. Denique cùm annis pręfuisset uiginti, mensibus tribus, designato prius natu maiore filio Stephano, eius nominis tertio, successore, Geisa è reb. humanis excedit. Stephano negotium faciūt Belæ cæci filij. Ladislaus enim, haud uulgarium optimatum suffragijs corona potitus, sex mensibus imperat: sed subitanea morte extinguitur. Cuius fratri Stephano, cum idem tentaret, bellum indicit rex, hostemq; reprimit: & is etiam non multo pòst mortē obijt. Veneno eum extinctum scribit Nicetas lib. 4 de gestis Manuelis Constantinopolitani. Eodē anno, qui erat Salutis 1173, & Stephanus Geisæ filius rex diem claudit extremum. Cui Bela frater succedit, & ad annum usque Domini 1191 præest. Is cum Venetis de Dalmatia dimicat: sed sacri belli occasione, inducias ad annos duos cum ijsdem init. Bonfinius decad. secundæ libro septimo.

Vuladislaus, quem suprà Polonia eiectū diximus, non destitit & Fridericum Imperatorem de sui restitutione sollicitare. Qui cùm Italica expeditione distraheretur, per legatos rē agit. Verùm illi re infecta redeūt. Expeditis autē Italiæ negocijs, in Polonos bellū mouetur satis feliciter, anno 1157, mēse Augusto. Nam copijs Germanorū per Oderā fluuiū præter Polonorum opinionem traductis, ipsi fuga sibi consulunt, licet Ruthenorum, Parthorum, Borussorum & Pomeranorum stipati essent auxilijs. Cęsareani fugientes insecuti, cuncta in solitudinē igni ferroq; redigunt. Extremo tandem suę terræ casu motus Boleslaus, fit Imperatori supplex, gratiāq; certis cōditionibus impetrat: quas tamē, ut Radeuicus inquit, uiolato sacramēto mētitus est. lib. 3. cap. 1. 2. 3. 4. 5.

Vuladislaus post tredecim annorum exilium beneficio Imperatoris in patriam reuer surus, in ipso apparatu moritur. Christina coniunx in exilio consenescit. Supererant tres eius filij, Boleslaus, Miecislaus & Conradus, qui quarto post patris obitum, Imperatore precibus & minis instáte, anno 1163, Silesiam omné, ex fœdere patri promissam, in suam recipiunt fidem, eamq; inter se diuidunt. Cromerus lib. 6.

Dehinc Boleslaus, penes quem summa tum rerum administratio apud Polonos erat, fratrum & filiorum fratris, totiusq; regni senatus consilio, bellum facit Pomeranis, à religione Christiana tum alienis, eosque & fidem amplecti, tributumq; péndere cogit. Sed uix anno circũacto, illi ad ingenium redeunt: nec Boleslaus deinceps eis religionis gratia bellum amplius facit. Nam pecunia ad pristinam religionem redeundi libertatem redemerant. Sed cum non non multo pòst à ducis fide penitùs desciscerent, & Culmensem tractum Masouiamq; deuastarent Borussi, rursus arma induit Boleslaus. Primum agmen Heinricus frater ducebat: quod in insidias Borussorum delatum, miserè cõciditur, ipso duce simul occumbente.

Cæterùm Heinrici ditio, quæ Sendomiriensis erat, in principum cœtu Cazimiro, quem suprà in diuisione regni paterni, nescimus quo consilio patris sui, neglectũ diximus, quiq; iam uirilem attigerat ætatem, adiudicatur. Liberis enim carebat Heinricus. Verùm Vuladislai filij, qui Silesiam tenebant, eius quoq; partem iure hæreditario ad se deuolutam adserentes, noua moliuntur: accedebat & hoc, quòd arces quasdam Silesiæ munitas sibi reseruaret Boleslaus. Bellum autem haud dissimulanter parabant, Germanorum auxilia hinc inde cõquirentes. Quorum conatus Boleslaus beneuolentia frangit, ac restitutis arcibus, bellum repressum est. Cazimirum quoq; procerum nonnulli contra Boleslaum fratrem instigabant. Verùm ille consultoribus pessimis obsequium minimè præstitit. Posthæc quietum habuit regnum Boleslaus ad uitæ usque exitum. Vnicum autem post se reliquit filium, Lescum nomine. Obijt anno Salutis 1173, cum Poloniæ principatum annos tenuisset uigintiseptẽ. Succedit Miecislaus frater, grauis & prudens: sed improbo quodam consultore usus Heinrico Ketlicio, tyrannum cõtra suos induit, exactionibus & supplicijs, ob res leuissimas, atrocissimis irrogatis. Quarto itaq; regni anno magnatum consilijs reprobato Miecislao Cazimirus sufficitur, anno 1177. Ad pristinã quidem dignitatem subinde aspirabat Miecislaus: sed tum ab exteris desertus, tum ab Ottone filio omni principatu exutus est. Pomeranorum ope suam quidem ditionem, conniuente Cazimiro, recuperat: sed summa rerum administratione se abdicare cogitur. Otto etiam patri reconciliatur. Cazimirus, dum regno præest, quatuor Russię prouincias, Brestensem, cuius & Vincẽtius meminit, Diochicinensem, Vuladimiriensem & Premisliensem in suam potestatem redigit, ut ex Duglosso Cromerus annotat, & Miecislaum Rutenorum ducem, à fratribus eiectũ, forti manu restituit, fugato Vulodimiro.

Interim Miecislaus regno abdicatus, subinde ad pristinam dignitatem aspirare non destitit. Lesco Boleslai fratris filio, qui lento morbo absumebatur, persuadet, ut ipsum hæredem designet, quin & Cazimirum idipsum uelle, constanter affirmat. Masouij itaque & Cuiauij, iubente Lesco; in Miecislai uerba iurant Res quidé ad bellum spectare uidebatur, postquam reuersus esset Cazimirus: sed cum eius potentia uirtusq; omnibus formidolosa esset, hoc mali sine sanguine sopitum est.

Cum superbius Rutenis imperitaret Miecislaus, suæque gentis hominibus parum fidens, Polonos impensius amaret fo ueretque, ueneno è medio tollitur, & Vulodimirus reuocatur. At Bela Vngarus, apud quem ille exul delituerat, ipsiusque auxilijs restitui petebat, mox ei uincula inijcit: ac missus Andreas Vngari filius, Haliciensi principatu facilimo labore potitur, cum Vulodimiri se causam agere apertè profiteretur. Post biennium è uinculis elapsus Vulodimirus, Haliciam peruenit. Cognitus à Russis magno applausu excipitur, coactaque manu prædas agit. Cazimirus etiam rogatus, suppetias ferre pro ipso restituendo non detrectat. Mox Halicia obsidione cincta, fame ad deditionem urgetur. Vngari uitá pacti discedũt. Vulodimirus arce & dominatu potitur. Filio illatam iniuriam ulturus Vngarus, in Poloniá mouet, agrosq; finitimos uastat. Idem & Cazimirus Vngaris infert incommodi. Tandem triennes induciæ constituuntur. Cromerus lib. 6.

De Stephani Anglorũ regis morte certior factus Heinricus Normanniæ dux, mox aduolat, gratusq; omnibus hospes, rex salutatur, anno 1154, estq; eius nominis secundus. Is initio regni, dissipata bellis bona recupat, & iustos dominos passim eiectos restituit. Cũbriá Northũbriáq; recipit. Vuallos defectioné meditantes, excisis eorũ syluis, quibus cõfidebãt, perdomat. Fratrem Gaufredum, à iuramento, quod patris iussu episcopis

episcopis præstiterat, ab Hadriano quarto absolutus, comitatu Andegauensi exuit.

Reuixit & inter Anglum & Francum reges bellum de comitatu Aquitaniæ: ac cum uterq; exercitus in acie staret, iam iamque confligendum esset, procerum rogatu, armis sepositis, pax inita est, quæ noua confirmatur affinitate. Nã Margarita Franci filia, Heinrico Angliæ regis filio natu maximo nuptũ traditur. Acciderunt hæc anno, quo regnare cœpit Heinricus Anglus, octauo, qui fuit Christi 1162. Hyberniam etiam cum quadringentarum nauium classe ingressus domuit, barbarosq; incolarum mores cultiores reddere conamine summo laborauit.

Arrogans erat Heinrico regi filius natu maximus, eiusdem cum patre nominis: maximè uerò cum à patre regni consors acceptatus esset, cristas erigere cœpit. Nam peracta coronatione eius, pater regio conuiuio cunctos excepit. Ac cum pater ipse ferculũ filio apponeret, insolentius solito circumstantes aspexit. Eboracensis præsul hoc animaduertens: Lætare, inquit, optime rex, non enim in uniuerso orbe principem facilè reperies, qui talem habeat ministrum. Cui nouus rex respondet: Ne mireris, non enim hoc contra decorum est, patrẽ materno duntaxat genere clarum mihi ministrare, qui & patre rege, & matre regina natus sum. Frigidam suffundit Francus socer. Nã cum Heinricus aliquando officij gratia cũ coniuge ipsum inuiseret, autor ei fuit, ut repudiata patris societate, solus rem gubernaret: quin & auxiliares ad eam rem copias pollicitus est. Regnandi cupidus adolescens sceptra penitùs sibi tradi à patre postulat. Anglus per legatos Francum hortatur, ut generum ab iniquo proposito cohibeat. Verùm ille superbè respondet, cum se ipsum iamdudum regia maiestate abdicasset, soli filio eam nunc iurè competere. Arma utrinq; corripiuntur Helienoræ instinctu, quæ ob pellices in maritum etiam odium conceperat. Gaufredus & Richardus Heinrico fratri se coniungunt. Ab aperto bello eos hyems retrahebat. At primo uere Franci conflictus auidissimi, iũctis cũ Heinrico iuniore armis, Normanniam, Aquitaniam Britanniamq; uastant. Guilhelmus Scotus, paulo antè in conuentu Parisiensi Northumbria donatus ab Heinrico iuniore, uieam subigit. Verùm incolæ exosi Scoti imperium, obsistunt fortiter, hostemque profligant.

Omnia præterea factionibus apud Anglos ardent, nõ parcitur sexui, nõ senibus, non pueris, neq; sacris prophanisq; abstinetur in oppidorum expugnatione, modò ad patrẽ, modò ad filium belli fortuna sese inclinante. Ad Alneuicum atrox prælium cõmissum, in quo Scotus ab Anglis Heinrico patri adhærentibus capitur, anno 1176. Hector Boetius annum, quo hæc facta sint, habet 1174. Tandem infelici rerum euentu Richardus filius motus, patris se dat fidei: cuius exemplum cum & cæteri imitarentur, pax Angliæ redit, quæ noua affinitate stabilitur, Adela Franci filia Richardo desponsata. Cæterùm malis cõsultorib. usus Heinricus iunior, uix sopitũ bellũ denuò excitare moliebatur: quod tamẽ repressum est, ac nõ multo pòst diẽ extremũ claudit. Aliquanto pòst Gaufredus etiã Luteti e rebus humanis excedit. Neubrigensis lib. 3. cap. 7.

Heinrico filio Anglus Vellocassinũ dotis nomine attribuerat, quod illo mortuo uterque rex suo iuri uendicare uolebat: sed mediãte Ioãne cardinali, ad pacificandos hos duos reges à põtifice Clemente misso, pax æquis cõditionibus sancitur. Tandẽ calamitatibus magis quàm morbo cõfectus Anglus, anno ætatis sexagesimosecũdo mortẽ obit, Salutis uerò 1189. Regnũ annis triginta quinq;, mensibus nouem administrauit. Et hic, inquit Polydorus, Normannorum, Francorũ, id est, externorũ hominũ principatus in Anglia finis fuit, post annos 122, quàm Guilielmus primus regno Angliæ potitus est. lib. 13 Anglicæ Historiæ.

Dauidi apud Scotos nepos ex filio Heinrico succedit, Malcolmus nomine, annũ decimumtertium agens: sub cuius regni initium fames pestilensq; lues tam in homines quàm pecudes sæuierũt. Qua occasione Sumerledus quidã regnũ inuadit: sed Gillechristus regius præfectus bello eũ deuincit, trucidatis ad duo millia hostibus. Sumerledus fuga uitã seruat. Tandẽ suorũ odium in se cõcitat Malcolmus, eo quòd Anglo contra Francũ de Aquitania certanti tulisset opẽ. Domũ itaq; reuersus, à Thano Erneuallensi alijsq; confœderatis in Bertha oppido obsidetur. Cũ uerò ipsum inuitum, & arte quadam per Anglum eò pertractũ cognouissent, obsidionem soluunt, ueniãq; deprecãtur. Dehinc Anglo bellũ indicit Malcolmus, quod post data acceptaq; utrinq; uulnera, hoc modo finẽ sortitur, ut Scotus Cũbria Hundintoniaq; cõtẽtus esset, Northũbria Anglo cederet. Iis conditionibus Scoti minimè assentiebantur. Angusius Gallouidianus igitur regi bellum facit, cui Gillechristus obiectus hostẽ fundit. Morauos præterea Gildone duce plurima loca deuastantes, per eũdẽ uno atq; altero prælio ad internecionẽ usq; cædit. Domesticis motibus sedatis, rex pacis munia tractat. Instante eius obitu, cometa duobus longissimis

radijs ardere uisus est. Extinguitur anno regni duodecimo, Salutis 1165. Cui Vuilhelmus frater germanus, cognomento Leo, succedit, qui cũ Anglo pro recuperãda Northũbria cõtinuũ bellũ gerit, à quo & captus est, ut paulo antè meminimus. Sed inde liberatũ per fratrẽ Dauidẽ Leucestriæ comitẽ, & ad suos reuersum, grauiores exceperũt turbæ. Nam Gilbertus quidã, assumpto regio nomine, totius Scotiæ regnũ subigere summis uirib. connitebatur. Contra quẽ Gillechristus cum exercitu missus, cruentissimo prælio eum deuicit. Hector Boetius li. 13 de Scotis.

Dania etiam hac tẽpestate magis quàm unquã antea turbata fuit. Nã Canutus Magni, & Sueno Erici filij, ambitiosa cõtẽtione regiũ appetebant nomẽ. Suenoni Sialãdẽses, Iutij uerò cũ Eschillo summo Daniæ põtifice Canuto adhærebãt. Fit utrinq; bellũ: episcopus copiarũ ducẽ agẽs capitur, & in tẽplo uinculis cõstringitur: sed metu Ecclesiasticæ cẽsuræ, multis ornatus muneribus iterum dimittitur. Non multo pòst & Canutus ad Slangentorp, Sialandiæ uillã, bello superatus, fugam arripit, & ad Iutios redit. Eadem tempestate Romanus põtifex passim per Germaniã literis missis, Vandalis toties religionẽ abijciẽtibus bellum inferri quosuis hortatur: quibus cum Dani simul deesse nollent, pax cõstituitur. Sed ea diuturna non fuit. Nam illo ipso bello, Rugianis Suenonis classem exurentibus (cũ Danorum maxima multitudo egressa, terra pugnaret) non modò non obstiterũt Canuti milites, sed ea clade delectari se haud obscurè prodiderunt. Relicta itaq; Dobini oppugnatiõe, Sueno Sialãdiã occupat, Roskildiãq; muris & fossis cõtra regni æmulũ munit. Hunc insequitur Canutus, ac noctu amicorum ope Roskildia potitur. Sed ad Thorstã uillã cõmisso utrinq; prælio, & uictoria modò ad Suenonẽ, modò ad Canutũ inclinãte, Sueno tandẽ superior extitit.

Hac tempestate Vualdemarus Diui Canuti filius, Suenoni se coniungit, in eius castris militiæ tyrocinium habiturus: à quo Slesuicensi donatus ducatu, Canutũ quẽdam Heinrici filium, Canuto regni Danici æmulo militantem, eiusque fauore ad eundem ducatum aspirantem, perdomuit. Ethlerus quidam homo perfidus Suenoni persuadet, ut Holsatis, à quibus auxilia mutuatus esset Canutus, bellum faceret, copiosas asserens haberi naues, quibus Eidoram traijcere posset. Paret fucati amici consilio rex: cumque ad amnem accederent copiæ, duæ tantum aderant scaphæ. Quibus cum exercitus partem transmisisset Sueno, mox ex insidijs prosilientes Holsati eos trucidant: fugæ enim spes omnis præcisa erat. Interim Iutiam Canutus ingressus, perbenignè excipitur, militiæq; sumptus impetrat. Viribus exhaustus Sueno, cum hoste cõgredi aliquandiu supersedet: sed pòst reparatis copijs, cum hoste manus conserit, eũq; superat. Canutus ad Suerconem regem Sueciæ, uitricum suum fugiens, aliquandiu ibi delituit. Dehinc Sclauis piraticam exercẽtibus Sueno bellũ facit: uerùm cũ semper ad regni æmulum respicere cogeretur, minori cura illud administratum fuit.

Grauis erat Suerconi hospitis mora, & Ioannes filius ludibrijs eum sæpius lacessebat: ideo in Poloniam profugit. Verùm ne ijs quidẽ gratus fuit. Inde ad Heinricum Saxonem abijt: apud quem minorem spe sua fortunam expertus, ad Hartuuicũ Hãburgensem diuertit: à quo belli subsidia mutuatus, Vuibergam, ubi rex obsidionem ferre constituerat, fame expugnare tentat, omni commeatu eis intercepto. At nocte quadã Suenonis milites, duce Vualdemaro, ex urbe erũpentes, hostẽ incautũ obruunt, eũq; in fugã uertũt. Qui reparatis ex Frisijs denuò uiribus, in Daniã pòst redit: sed iterum eius cæduntur copiæ. Tandem ad Fridericum Romanorum Imperatorem se confert Canutus, infelix bellator, eique regni subiectionem, si restituatur, promittit. Imperator sua interposita autoritate, utrũq; Mersburgi adesse sibi iubet. Quibus comparentibus, litem hac ratione dirimit, ut Otto Frisingensis libro 2. capite quinto de gestis Friderici annotat, ut Canutus Sialandia contentus, regio se abdicaret nomine: quo solus Sueno frueretur, Romanoque Imperio parẽret. Et ut utriq; promissis starent, Vualdemarus, qui Suenonem eo usque secutus fuerat, fidem suam interponit. Ad suos reuersus Sueno, mox procerũ cõsilio Cæsari rescribit, pacisq; cõditiões, quas nemo ante se Daniæ regũ accepisset, respuit, nec Canuto, ut cõuenerat, Sialãdiã cessit: sed Iutiæ, Sialãdiæ, Scaniæq; prouincias quasdã, Vualdemaro cõprobãte, adscribit. Rebus ita cõpositis, luxui uitæq; splẽdori magis indulgere cœpit Sueno: uiris grauib. posthabitis, histriones ac saltatores, hominesque leues fouebat extollebatq;. Accessit auaricia, miserorũq; expilatio. His studijs mox fauorẽ plebis amittit. Cæterùm uxorẽ tum duxit Conradi cuiusdam Germanorum principis filiam.

Eadẽ tẽpestate Ioannes Suerconis Sueciæ regis filius, Caroli cuiusdã Hollãdiæ præfecti, ex Danorũ sanguine nati, coniugem cũ sorore per insidias abripit, fœdeque alternis noctibus ijsdem aliquandiu abutitur: pòst domũ eas remittit. Carolus tantã contumeliam

tumeliam indignissimo,ut par erat,animo ferens, Suenonis contra Suecos implorat opem:ea impetrata,mox bellum Suecis indicit.Sed aëris inclementia, hybernum enim tempus erat, & Suecorum fortitudine repulsus,nihil præclari gessit, lacerasq; reducere coactus est copias.

Et uulgus Danicum publicorum onerũ, quæ modum omnem excedebant, impatiens,arma induit, & in Arna uilla cõfluit: ad quos placandos cum Sueno accederet, parum abfuit quin lapidib. fuerit oppressus.Sed pòst tumultus incentores aut ære aut uita mulctat, multis uicis uastatis. Ea occasione & Canutus res nouas molitur:at Vualdemari metu, qui regi addictus, & apud quosuis maximæ existimationis erat, reprimitur.Sed cùm hac res nõ succederet uia,aliam tentauit faciliorem:Sophiã sororẽ germanã,eximię pulchritudinis uirginẽ, cũ amplissima dote Vualdemaro despondet:tãtaq; inter se ijdem deinceps necessitudine iuncti fuêre, ut nulla unquã dissensionis offensa intercederet. Sueno amici cũ hoste coniunctionem molestè ferens,illum perfidiæ & ꝓditionis insimulat, ac nisi milites Vualdemari amantes obstitissent, in uincula eum coniecisset.Deniq; habito colloquio,pax inter Suenonem & Canutũ & Vualdemarum firmata est. Eodem tempore cum & Vandali Daniam infestarẽt, Sueno pecunia pacem mercatur. Nam Heinrico Saxoni mille quingentas argenti libras expendit,ut eosdem terrestri prælio lacesseret,quo à mari auocarentur.

Porrò cum sæpius uitæ suę insidias Suenonem struxisse,Vualdemarus ex certis indicijs cognouisset,apertè cum Canuto socero ei bellum facit, & uterq; regium nomen sibi adsciscit.Sueno à suis desertus, & commeatus inopia pressus, fugam arripit, ac integrum triennium apud socerum latitat.Pòst per Heinricum Saxonẽ & Hartuicum Bremensem reducitur.Sed Vualdemari beneficio,qui colloquio potius litem dirimendam consulebat, à sanguine manus cohibentur,regnumq; in tres partes diuisum est.Iutiam Vualdemarus, Sialãdiam & Fioniam Canutus,Scaniam Sueno accipit,ac singuli regio nomine insignes erant. Pactum sacramento firmatur, cuius tamen Sueno turpis extitit uiolator: nam utrique ad conuiuiũ uocato necẽ intentat. Et Canutus quidẽ occisus est,Vualdemarus uerò in fœmore grauissimè sauciatus,noctis beneficio euadit, & in Iutiam delatus, militẽ scribit, belloq; necessaria parat. Suenonis scelus exosi pleriq; illi se adiungunt.Appellit ad Iutiã Sueno.Verùm ibi atroci cõmisso prælio,captus est: & cũ ad Vualdemarũ se duci peteret,quidã subitò aduolans,securi ipsi caput præscidit.Sicq; solus Danię regno potitur Vualdemarus.Dehinc in Vandalos bellum paraturus,tempestatum procellis retrahitur:pòst insulam Hythim Rugianis uicinam spoliat,ac cum inde Rugianis bellũ intentaret, repulsus est. Heinricũ quoq; Vandalos oppugnantem, strenuè iuuit.Quibus deuictis, in Rugianos expeditionem uterq; susceperunt:sed ij pacem petẽtes,ac obsidibus cõfirmantes, gratiã merentur.Inter has turbas procerum consilio Canutũ filiũ regni consortem accipit, ne si fortè regi aliquid humani acciderit, nouæ exorirentur turbæ.

Cæterùm cũ in Noruegia bellũ gereret Vualdemarus, Rugiani à pacto desciscunt. Quorũ perfidia cognita,rex cũ classe adest, Arconẽ & Carentinã Rugianorũ metropoles(quarum tamen hodie nulla extant uestigia) ui expugnat, eorum idola destruit, Rugianorumq; terram suæ penitùs subdit potestati,ac simul Christiana eos religione imbuere finit,anno 1169. iuxta Chronicon Saxoniæ.

Piratarum magna frequentia erat hac ętate.Rebus itaq; ex sententia apud Rugianos compositis,quasdam naues contra piratas mittit idem rex.Duobus prælijs quidem infeliciter contra hosce pugnarũt Dani.At tertio prælio, quod terrestre erat, ad internecionẽ omnes piratæ cæsi sunt. Dehinc in Vuandalos mouet. Belli causa erat, tum ut eos religioni Christianæ subderet, tum à piratica cohiberet. Stetinum expugnatur,frustra Sclauorum opem Pomeranis implorantibus. Sed quia halecum captura instabat sub Rugianorum terra, arma deponi necesse fuit.Absolon igitur Roschildẽsis episcopus, ut dedititij in fide ꝑmanerẽt,cũ præsidio ibidẽ relinquitur.Verùm pòst renouata expeditione,magnis cladibus Vuãdali afficiũtur, Heinrico Saxone exteris bellis implicito. Tandẽ febre correptus rex,cùm sudore difflueret,animã reddit.Saxo Grammaticus lib.14 & 15: & Cranzius lib.6 Danicæ Historiæ.

EMANVEL COMNENVS, *Ioannis filius.*

Caloioannes ex uulnere incurabili mortem sibi uicinam persentiscens,Manuelem filium natu minimum (alij Emanuelem appellant) quòd moderatioris ingenij esset, Isaacio iracundo præfert, eumque ex lecto coram cognatis, amicis & magnatibus pia & graui oratione Imperatorem in castris designat. Cui mox diuinis prolatis oraculis, studium quisque suum & fidem confirmat,omnisq; exercitus eum Imperatorem salutat.

Extincto patre, Ioannem Axuchum Emanuel in urbem imperatricem pro nouo Imperio firmando, ingressuq; sibi præparãdo mittit. Is Isaacium rerum adhuc ignarum, captum in monasterium concludit, & splendidis promissionibus magni templi clerum populumq; omnem Emanueli cõciliat. Dum ad urbem contendit cum exercitu Imperator, Andronicus Comnenus & Theodorus Dasiotes à militari uia uenationis gratia digressi, à Persis capiuntur. Verùm Imperator, ne mora diuturnior rebus suis obesset, nullam captiuorum tum habẽdam censuit rationem. Constantinopolim cum uenisset, in templo Domini per Michaelem patriarcham diademate ornatur, præsente & consentiente fratre Isaacio.

Primùm omnium in Persas, quorum dux Masutus Orientem infestabat, bellum mouet, eosq; duobus prælijs fundit. Contra Raimundum Antiochiæ principem, qui Ciliciæ urbes Constantinopolitanis subditas uexabat, Ioannem, Andronicum & Prusuchum cum exercitu ablegat. Ad Philomelium cum Turcis cõgressus, in planta sagitta ictus est: inde hortantibus suis, in imperatricem urbem regreditur.

Vxorem posthæc ducit Alemannam, sororem Gertrudis, quæ Cõradi Cæsaris coniunx erat: ut testatur Otto Frisingensis lib. 1 de gestis Friderici, ca. 23. 24. de qua in hũc modum Nicetas scribit: Ex illustri principũ familia nata erat, quæ non tam formã corporis curabat, quàm animi pulchritudinẽ. Itaq; omnibus fucis & ascititijs ornamentis repudiatis, ut quæ uecordes mulierculas decerent, naturali rubore contenta, uirtutũ ornamentis fulgebat, cõstantia & grauitate animi gentilitia prędita. Quam tamẽ Emanuel, licet regium splendorem ei non denegaret, minus dilexit, fidemq; coniugalem non seruauit, usus neptis suæ cõsuetudine. At reipublicæ curam studiose gessit. Lib. 1 de gestis Manuelis.

Comitabatur ad sacrum Bellum Conradum Romanorum Imperatorem Rogerius Siculus. Is cum ad Corcyrã appulisset, quæ Manueli parebat, primo impetu eam capit, aliaq; ad littus maris loca infestat, & in suam redigit potestatem. Classis etiam præfectus, educto ex nauibus milite, in Bœotiã irrumpit, multaq; oppida expugnat, & omni ea exuit auro: Corinthum & Acrocorinthum diripit. Suorum clade excitus Emanuel, Orientales atq; Occidentales legiones conuocat, & terra mariq; Siculos petit. Classi præficit Stephanum sororium. Pedestribus copijs Ioannes Axuchus pręest. Tertium exercitũ ipse Imperator educit. Corcyram graui obsidione cingunt: sed frustra ultra menses tres in eius oppugnatione laborant. Stephanus classis præfectus, ictu lapidis prima impressione occumbit. Belli socij erant etiam Veneti: inter quos & Cõstantinopolitanos grauis oborta est contentio, quæ tandem in cruentũ euasit bellum. Et cum Veneti uiribus longè impares, ad naues se recipere compellerentur, fugæ turpitudine accensi, Emanuelis classem exurunt, ac ipsum regis nauigium summo probro afficiunt. Imperator dissidentibus mutuò urbis oppugnatoribus, hostem superari non posse intelligens, per legatos, iniuriarum omnium data uenia, Venetos reuocat. Ita coniunctis iterum animis uiribusq; urbem oppugnant. Cumq; diu inanẽ sumpsissent operam, iam iamq; cum turpitudine de abitu cogitarent, milites præsidiarij, quorũ Theodorus Capellanus præfectus erat, fame compulsi, ultrò deditionẽ faciunt, uitæ incolumitatem pacti. Quorũ aliquos Imperator suis copijs adiungit: alijs discedere uolentibus, liberè id facere licuit. Inde in Siciliam traiecturus, uentorum turbine plures amittit naues, ipseq; Imperator serò periculum euadit. Hinc collectis uiribus in Seruios mouet: qui hostis aspectu territi, relictis suis domicilijs, montana cum suo duce petierũt. Imperator nemine resistente, igni ferroq; cuncta domat, uictorq; ad suos pedem refert. Vere appetente, Michaelem Palæologum cum iustis copijs in Siciliam mittit: qui Alexandri cuiusdam comitis opera in Longobardia Siculos exercitus illustribus uictorijs superat, multasq; urbes in suam potestatem accipit. Eadem tempestate & Seruij, in auxilium Hunnis accitis, Constantinopolitanis bellum faciunt: quibus cum cõgressus Imperator, eos dissipat. Dehinc in Vngaros, quòd Seruijs auxilia tulissent, bellum transfert (eorum rex cum Rossis pugnans tum aberat) magnaq; Vngariæ parte uastata, cum spolijs amplissimis triumphabundus in urbem imperatricem redit. Interim contra Scythas Calamanus & imprudenter & infeliciter bellum administrat. nam ipse cum multis uiris fortibus cæsus est.

Palæologo ob ingenium inquietum & immodicas pecuniarũ profusiones ab officio remoto, Alexius Comnenus, Bryennij filius, eius partes sortitus est, eiq; Ioannes Ducas adiungitur. Ii Siculos magnis initio fuderunt prælijs. Verùm Siciliæ rex, conducto milite extero, eosdem adortus uincit, capit, & uinculis mancipat, ijs omnibus simul paruo momento euersis, quæ Constãtinopolitani maximis laboribus & impensis consecuti fuerant. Mittitur quidem Cõstantinus Angelus Philadelphiẽsis. Verùm is à tri-

is à triremibus Siculis interceptus, carceri traditur. Tanta clade accepta, Emanuel pacē cū Siculo, hortante Romano pontifice, facit, & captiui libertate donati sunt. Verùm ea nō extitit diuturna. Nulla enim utrinq; ægrè faciendi nocendiq; occasio neglecta fuit. Idem lib. 2 de gestis Manuelis.

Pæonibus, quos Hungaros & Hunnos uocant, bellum illaturus erat Imperator, cum apud Siculos res ex sententia non succederet. Verùm ijs ultrò pacem petētibus, arma deponit. Anno tamen sequenti Hungarorū princeps, Andronici Comneni instinctu, ut apparet, qui ad Imperatoriam dignitatem aspirabat, res nouas molitur, Branizobam obsidet, uicinaq; loca pro libidine depopulatur. Andronicus itaq; carceri includitur. Contra Hungaros quidem pugnat Imperator: sed post aliquot prælia, quæ minus erant ipsi felicia, pacis conditionibus bellum componitur. Posthæc in Armeniam profectus Imperator, Torusem cōpescit. Domum reuersurus, copiarum maximam partem dimittit: ac cum illæ temerario ordine incederent, à Turcis non pauci ex ijs trucidantur.

Masutus Turcarū Imperator moriturus, filijs & generis omnes prouincias urbesq; distribuit. Verùm eo extincto, inter illos nō conuenit: tandemq; res in apertum exijt bellum, ac commisso prælio, penes Iagupasanē uictoria fuit. Clizasthlenes uerò, cui Iconium obtigerat, ad Emanuelē confugit, ab eoq; regio cultu excipitur. Tandē icto inter ipsos fœdere, Clizasthlenes Iconium redit: cęterùm cùm maximo auri pondere ab Emanuele donatus esset, Daduni affini bellum facit, eumq; omni prouincia exuit. Dehinc in Iagupasanem mouet: sed hoc inter ipsos apparatus bellicos extincto, omni Imperio facili labore potitur Clizasthlenes. Tanto rerum successu elatus uictor, cōtra fidem datam Emanuelis infestat ditiones, Laodicæamq; Phrygiæ diripit. Sed ab Emanuelis copijs cruento prelio, quod integram noctem durabat, tessera in tenebris eos discernente, uincitur. Quod cum Vngaris porrò gessit bellum Emanuel, Ladislai & Stephani fratrum, Belæ filiorum nomine, parum fuit felix. Contra Aegyptios Saracenos Andronicum Contostephanū misit. Verùm Almarico Hierosolymorum rege subsidia subtrahente, frustranea fuit ea expeditio.

Porrò magnus Venetorū numerus apud Cōstantinopolitanos mercaturę gratia cōsederat, qui cū opib. abundarēt, cōtumaces facti sunt, ac nō solùm Cōstātinopolitanos odisse, sed & ipsius Imperatoris edicta minasq; parui facere cœperūt. Eoq; Imperator cūctos p uniuersum Imperiū capi, eorumq; bona publicari pręcepit. Verùm illi de suo periculo edocti, cōparatis clàm nauigijs, noctu discedūt. Hinc nouū anno sequēti exortum est bellū. Nam Veneti, instructa classe, insulas Emanueli subiectas infestant: ac licet Andronicus Cōtostephanus cētū quinquaginta naues cōtra eosdē duceret, nihil tamē memoria dignū est gestum. Tandem Venetis non modò pacem concedit, sed etiam pro publicatis bonis quindecim auri centenarios soluendos promisit. Nicetas lib. 5 de gestis Manuelis.

Sultanus Persicus, & datæ fidei & munerū ab Emanuele acceptorū immemor, semper res nouas moliebatur. Eductis itaq; utrinq; exercitibus, in Dorilęi cāpis fit cōflictus, in quo Persæ superiores extitēre. Manuel maiori undiq; collecta manu, ex Italis, Frācis, Gallis (quos Latinos Nicetas uocat) potissimùm, & Scythis ad Istrū habitātib. bellū restaurat. Sultanus, licet & ipse ex Mesopotamia alijsq; locis exercitū coegisset numerosissimū, pacē tñ Emanueli offert: uerùm ijs, quas ipsemet præscriberet, cōditionibus. Emanuel, posthabito magnatū cōsilio, paci præfert bellū: quod tandē infelicissimū habuit exitū. Nā ex montiū angustijs omnē Emanuelis exercitum trucidant barbari, ipso Imperatore cū parua admodū manu saluo. Victi calamitate motus Sultanus, ultrò pacē certis cōditionib. denuò offert: quā cū auidè Emanuel amplecteretur, p easdē montiū angustias, quo cadauerum, montiū instar passim iacētiū, spectator esset, à Persicis iussu Sultani saluus reducitur.

Inter pacis cōditiones & hęc erat, ut Emanuel Subleū & Dorilęum, oppida maximè munita, & ad Persarū impetus sustinendos aptissima, dirueret. At cū Imperator pmissis nō staret (Dorilæū enim, Subleo euerso, integrū reliquerat) Atapacū ducē Sultanus Persa cū delecta uigintiquatuor milliū manu ablegat: cuius aduētus cum improuisus esset, plurimis ciuitatib. Emanuelis exitiū attulit. Attamē hostib. iam cū præda pedem referre uolētibus, superuenit subitò & Cōstātinopolitanus exercitus sine buccinis & tubis, hostēq; cædit, Atapaco simul occumbente. Cæterū cùm Turcis Characenis bellum inferret Andronicus Angelus, cui belli summa demādata erat, præsenti periculo milites obiecit. Ipse enim nocturno quodā clamore hostiū pculsus, mox equū conscēdit, fugāq; arripit. Exercitū uerò sui ducis uestigia sequentē Manuel quidā Cantacuzenus, qui pximas ab Andronico tenebat partes, magno labore retinuit. Dehinc Claudiopolin obsidēt Turci: sed fulgore armorū auxiliarium copiarum, quas Manuel adduce-

adducebat,territi, relicta obsidione fugam capessunt. Idem lib.6.

Narrat Crantzius,ad Fridericum Romanorum Augustum Manuelem de felici cũ Sultano belli euentu, sub annum Salutis 1177 in hunc modum scripsisse,Sultanũ totum se ipsius dedisse fidei, iuramentoque subiectionem confirmasse. Verùm idẽ subijcit,rei euentum,Turcos præualuisse, testatum.lib.6 Saxon.cap.37.

Deniq; cum uitæ finem imminere persentisceret Manuel,monasticũ induit habitũ,sicq; animá exhalauit, cũ præfuisset annos 38,dẽptis tribus mẽsibus.Nicetas.Vixit uerò annos sexaginta. Cuspinianus. Obijt anno Salutis 1181.Sigeberti Contin.

ALEXIVS COMNENVS

Porphyrogenitus.

Emanuel astrologorum,quos mirè colebat, deceptus uanitate, annos uitæ decem & quatuor sibi adhuc superesse certò persuadebat,eoque minus de successore, licet morbo penitùs conficeretur,sollicitus erat. Tandem omni salutis spe euanescente,uix pauca lecto astantibus de filio Alexio locutus est.Mortuo itaq; patri,immatura ætate filius, ex sorore Raimundi Antiochiæ principis natus, in Imperio substituitur. Quo puerilibus dedito lusibus,procerũ quisque suo uiuebat ingenio, indiesq; in peius regni ruebat administratio:in primis Alexius quidã Sebastocrator,sua potentia & Imperatoris gratia fretus, summam rerum sibi uẽdicabat,& insolenter se gerebat.Andronicus,ut erat callidus, hac arrepta occasione,ex Oenæo,ubi in spontaneo uiuebat exilio,ut dicemus,per literas Theodosio patriarchæ ac cæteris, in quibus aliqua erga defunctum Emanuelẽ amoris scintilla apparebat,persuadebat,ut ipsorũ opera summam autoritatẽ ipse obtineret.Quin & Maria Cæsarissa Imperatoris soror eum incitabat, quæ ab Alexio Sebastocratore rempublicá suo arbitrio administrari,indignissimè præ cæteris ferẽs,nihil non in eius pniciẽ conabatur, eumq; palatio penitùs exigi sedulò laborabat.Concitata itaq; plebe,in ædes Alexij aliorũq; ipsi addictorum sęuitur.Alexius uicissim,collecto haud uulgari exercitu, cũ Mariæ copijs intra urbis mœnia cruentum cõmittit pręliũ,in quo & superior extitit.Ac cum denuò pręlium instauraretur,Theodori patriarchæ autoritate pax sancitur.Dum hæc intra palatiũ geruntur,Andronicus qualicunque exercitu pedestri & nauali instructus aduolat: ad quem aulæ primates,neglecto Sebastocratore,deficiunt.Ipse Sebastocrator cum sua factione captus,in uincula cõijcitur,& pòst ad Andronicũ missus,ab eodẽ oculis priuatur.Rebus deniq; omnibus pro Andronici sententia in aula cõstitutis,ipse ad urbẽ accedit, palatiũq; magno applausu ingreditur.Deinceps rempublicá p suo libitu administrat. Alexio Imperatori uenationes quidẽ indulget,sed tamẽ custodes ei adhibet,ne cuiquã cũ ipso secretò colloquendi potestas esset.Optimos quosq; palatio eijcit,in multos stupenda sæuit immanitate, suosq; filios & amicos, quorũ opera fideli usus fuerat, ad summos honorum gradus euehit.

Horũ motuũ, qui post Emanuelis obitũ Cõstantinopoli extiterunt,occasione, Iconij Sultanus Sozopolim capit,circumiacentemq; regionẽ depopulatur,Attali urbẽ oppugnat,Cotyaliũ uastat,aliasq; complures prouincias in deditionẽ accipit.Ioánes Cõnenus Philadelphię degens,grauiter etiam Andronico aduersabatur:& inter eos commissum est prælium,in quo Iohánis cohors superior euasit.Nõ multo pòst mortuo Cõneno, Philadelphienses Andronico se dedũt.Manuel & Alexius Comneni filij, Andronici crudelitatẽ fugiẽtes, à Cretæ quæstore capti, ad Andronicum missi sunt:qui mox oculos ipsis exculpit.Porrò Andronicus callidus & uersutus,ne adipiscendi regni cupiditate talia à se fieri quis crediderit,Alexiũ humero suo in magnũ templum deportatũ,coronari facit.Sed tandẽ,remotis omnib.aulæ primoribus, animũ suũ regnandi cupidissimũ penitùs prodit, ipsam Xenen Imperatoris matrẽ carceri sordidissimo includit,& filio Imperatore, pessimo scelerati Andronici impulsu, damnationis chartę subscribente,nefanda morte interimit. Pòst indicto cõcilio, regio diademate se quoq; insigniri curat, populo acclamante:Alexius & Andronicus Cõneni, magni Imperatores & principes Romanorũ,multos annos uiuunto. Sed postridie ordine mutato, ijdẽ pclamãtur summi Imperatores, Andronici nomine ob ætatem,is enim prætextus afferebatur,pręposito.Denique cum in sceleratorũ quodam cõcilio,ab Andronico coacto,Homericũ illud ab omnibus in medium proferretur:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
εἷς βασιλεύς.—

de Alexio capitalis fertur sentẽtia.Noctu itaq; strangulatur,& capite auulso, reliquũ corpus plũbeæ arcæ inclusum in mare demergitur. Annũ ætatis Alexius tum agebat decimũquintum,Imperij uerò tertiũ.Nicetas.Annũ Salutis circiter 1162. Sigeberti Cõtin.qui Andronicũ cum Alexio matrem & sororẽ in mari demersisse scribit.Mariam,q̃ Imper.soror erat,eiusq; maritũ,ueneno Andronici arte cõfecto sublatos,Nicetas pdit.

ANDRONICVS COMNENUS.

Andronicus Emanuelis Imperatoris patruelis, quòd cum Hunnis contra Græcos cõspirasset, & Imperiũ, Emanuele deiecto, Hunnorum præsidio sibi uendicare uoluisset, in carcerem coniectus est. Accedebat & altera causa, quòd cũ Theodora patruelis filia rem apertè haberet. Inde quidem elabitur: sed ad Melangia iterũ captus, arctiori custodia, & duplicibus ferreis cõpedibus cõstringitur. Inde etiã serui cuiusdã opera liberatus, Galizæ aliquandiu latuit. Verùm cũ Scythicas copias, quib. Cõstantinopolitanos infestaret, adducere diceretur, Imperator eũ data acceptaq; fide reuocat, ac rei bellicæ præficit. At cũ Philippã Antiocheni principis filiã, cuius sororẽ cõiugẽ habebat Emanuel, in sui amorẽ pellexisset, Imperatoris odiũ denuò incurrit. Andronicus, ut insidias euitaret, Hierosolymã uersus iter instituit. Sed cùm Ægyptio bello rex Hierosolymorũ tum occuparetur, & Andronicus honesto tum stipatus comitatu, hostib. Palæstinæ terrorẽ incussisset, omniũ gratiam facilè demerebatur, eũq; rex domũ reuersus Berythẽsi donat urbe. Sed pòst arrepta occasione, Theodorã Balduini Frãci, qui toti Palæstinæ nuper imperarat, uiduam, quę Isaacij Sebastocratoris erat filia, incæstat, eaq; ex Anconẽsi urbe, quã ex mariti donatione tenebat, abducta, ad Sultanum se cõfert. Tyrius lib. 20. cap. 2 de Bello sacro. Nicetas lib. 4. de gestis Manuelis.

At cum per Trapezuntis principẽ Theodora in Manuelis potestatẽ iterũ uenisset, sui desiderio & Andronicum attraxit. Qui accepta fide publica, in urbẽ reuersus, supplex Imperatori factus, delictorum ueniam impetrat: ac ne simultates recrudescerẽt, si unà degerent, Oenæum abijt Andronicus. Nicetas sub Alexio Porphyrogenito.

Perpetrata autẽ Alexij nece, ut antè diximus, alio scelere, certè non minori, se polluit. Nam Alexij nuptam, undecim annorũ puellam, quę Francorum regis filia erat, incęstuosis nuptijs sibi adiungit. Porrò omnibus ferè, quos metuendos sibi censebat Andronicus, è medio sublatis, Theodorus Cantacuzenus & Angelus Isaacius supererãt, qui Nicæã urbẽ tenebant. Eã itaq; summis uiribus quidem oppugnare cœpit Andronicus: cuius impetus uiolentos magna ui ciues aliquandiu sustinuerunt. Verùm Theodoro ex equi lapsu, cum uehementius in Andronicum ferretur, occumbente, omnis obsessorum uirtus simul elanguit: Isaacius enim ad res præclarè gerendas ingenio præditus erat segniori. Fit, Nicolao pontifice suadente, urbis deditio. Victor ingressus, contra fidem datam nobiliores quosq; in exilium abigit, nõnullos de mœnib. præcipites agit, Persas, qui in auxilium à Nicæensibus accersiti fuerant, palis affigit. Isaacium uerò amanter complectitur & fouet. Dehinc Prusam expugnat. Quanta ibi usus sit in deuictos immanitate, dici nõ potest: facilè enim omnes tyrannos, qui unquam fuerunt, superauit. Eadẽ ferè Lopadij urbis fortuna fuit.

At Alexius quidam Comnenus, Emanuelis Imperatoris ex fratre nepos, ad Scythas ab Andronico relegatus, Guilhelmũ Siciliæ regem, ut afflictis rebus Constantinopoli opem ferret, exorat. Collectis tam pedestrium quàm equestrium copiarũ multis millibus, Siculus Andronico bellum indicit, Dyrrachiũ & Thessalonicã, Dauidis Comneni ducis ignauia, facilè in deditionem accipit: in huius urbis incolas crudelissimè à Siculo milite sæuitũ est. Mittebat quidem ijs subsidio Andronicus plures duces cum copijs: uerùm parum feliciter illi bellum administrarunt.

Deniq; cùm pessimorum consultorũ hortatu, quoscũq; captiuos tenebat, eorumq; amicos, ne ultio sibi metuenda esset, in animo haberet Andronicus exquisitissimis tormentis occidere, ipsosq; magos de uitę suæ sorte consuleret, subita rerum mutatio ingruit. Dum enim Hagiochristophorita Stephanus, homo impiger, & ad omnis generis scelera, modò Andronico mos gereretur, paratissimus, Isaacio Angelo necem intentat, ab ipso trucidatur. Isaacius spe salutis ad templũ fugit, plebẽ conuocat: quæ cum Andronicum odisset, ipsi statim Imperiũ defert, imposito regio diademate, eũq; ad magnũ palatiũ simul deducit, effractis portis. Andronicus suæ uitæ cõsulturus, cõscenso nauigio fugã arripit: sed à satellitib. ab Isaacio missis retrahitur, & ignominiosissimo mortis genere atrociter necatur. Nam præcisa dextra, in Auernæ castello aliquot dies sine cibo, potu, sine ullo cuiusquã officio seruatur. Pòst oculo uno priuatus, scabioso camelo imponitur, & in urbe circũducitur: ubi uulgus nihil qđ ad extremã eius faceret ignominiã, omittit. Tandẽ pedibus suspensus, multis uulneribus conficitur: &, ut Sabellicus inquit, eò demum processit ira, ut pendens laqueo, uncis & harpagonibus à mulieribus petitus, multæque particulam corporis ex laniatu adeptæ, mandere sint ausæ. Ennead. 9. lib. 5. Imperauit autem annos duos: unum uerò rerum potitus est sine purpura & regio diademate. Nicetas de Andronico. Annum Salutis circiter 1184.

SVB HEINRICO *sexto.*

Viuo patre Friderico, Heinricus filius successor principũ suffragio erat designatus. Sed de patris obitu allata fama, mox Romam contendit: ubi cum Imperatrice Constantia, annuente uniuerso Romano populo, regio diademate ornatus, Augustus salutatur: ea tamen cõditione, ut Thusculanam urbem Romanis restitueret. Quam illi receptam diruunt. Inde digressus Imperator, Neapolin obsidet. Sed æstu & pestis sæuicia Germanus miles exhaustus, rebus præclarè gerẽdis abstinuit. Inter hæc Imperatrix à quibusdam Apulię latronibus capta est: sed Romani pontificis fulmine liberatur. Ad Germanos reuersus Imperator, in Vangionum urbe Heinricum Saxonem in gratiam recipit, Brunsuiga, Luneburgo, alijsq; Saxonię ciuitatibus ipsi restitutis. Militabat Imperatori Heinricus Saxonis filius, corporis proceri & formæ dignitate maximè insignis. Ei filiam despondet Conradus palatinus, qui patruus erat Imperatoris: ac licet minimè probarentur illæ nuptiæ Cæsari, tamen cum legitima ratione factę essent, impedire fas nõ erat. Intercedente itaq; socero, Heinricus iunior Cæsari commendatior deinceps fuit. Cranzius lib.7.cap.6 Saxoniæ. Chron. Saxoniæ.

In ijsdem comitijs Imperator à Richardo Angliæ rege tricies auri marcas extorquet. Nã is in expugnatione Ptolomaidis Luitpoldi Austriaci signa directa pedibus contriuerat, & Cypri dominum, cui Luitpoldi matertera uxor erat, capitali supplicio affecerat. Sed dum ad suos redire parat, naufragium patitur. Vnde cum paucissimis euadit, sub serui cõditione Viennam uenit: sed proditus, à Luitpoldo in uincula cõijcitur, & pòst ad Imperatorem mittitur.

Angli pecunia, quam pro sui redemptione erogarat, fulcitus Imperator, Tancredo Siculo è rebus humanis exempto, Marquardo de Anneuuyler & Bertholdo de Kunsberg ducibus, copias in Apuliam mittit, quorum opera multarum ciuitatum dominium acquirit. Posthæc in Campaniã arma conuertit. Richardum comitem de Sterre, inter eundum Capuę captum, pedibus de patibulo suspendit, quòd Imperatricem cepisset, ut modò diximus. Domita uniuersa Apulia Campaniaq;, quarum urbes uel in deditionem acceperat, uel reluctãtes penitùs euerterat, in Calabriam Siciliamq; bellum transfert. Rei summæ tum præerat Heinricus quidam, ac ut haud obscurè colligitur ex Nauclero & Cranzio, Leonis ille fuit filius. Cæterùm in Catanẽsem urbem confluxerant omnes ferè primates: quam expugnatam Heinricus exurit, ipsos uerò uiros principes Imperatori uiuos tradit, qui uarijs tormentorum generibus interfecti sunt. Hac uictoria tantam gratiam apud Imperatorem inijt Heinricus, ut principatum Rhenanum in ipsius tutelam commiserit, anno 1193. Hinc Saxoniæ aliqua iterum affulsit spes, suum ducem recuperãdi. Sed Heinricus senior religioni totus Brunsuigæ deditus, ubi urbem & templa exornabat, non multo pòst uitam cum morte commutat. Sub idem tempus Imperatrix Panormi in castris infantulum partu enixa est, cui Friderici nomen inditum. Anno sequenti Falernũ ciuitatem, quæ Sicilię metropolis, & ubi thesauri regij ærarium erat, in deditionem accipit Imperator. Tancredi Apuliæ regis filium, ut refert Ottho de S.Blasio, oculis priuatum perpetuæ captiuitati addicit. Eius sponsam Irenen, filiam Imperatoris Constantinopolitani, suo fratri desponsat, eique Thusciam & Mathildę terram attribuit. Tancredi uiduam Sibyllam cum filia monasterio uirginum in Hohenburg apud Alsatos includit. Nauclerus uolumine secundo Chronographiæ, Generatione 40. Crantzius libro 7. cap. 6. Auentinus lib.7 Annalium. Narrat Bergomensis lib.12 magnam Heinrici in deuictos immanitatem, quòd scilicet regias puellas miserè trucidarit, episcoporũ & religiosorum plurimos indicta causa è turrib. præcipites dederit, alios alio tormentorũ genere interemerit. Cumq; ea de causa à Celestino sacris ipsi fuisset interdictum, Romam iuerit, ibiq; peccatorum ueniam & regni Siciliæ titulum simul à pontifice acceperit. Scribit & Vrspergensis, quòd postquã copiæ longius recessissent, Apuliæ quidã barones rebelles facti fuerint. Quo cõperto, Imperator quos acceperat obsides oculis priuarit, prěter Salernitanũ episcopũ. Confecto bello, Marquardum ducatu Rauennę cũ Romania & Anconẽsi marchia, Bertholdum uerò Apuliæ quibusdã prouincijs Imperator donat. Eadem tempestate Conradus, frater Imperatoris, Sueuię ducatu insignis moritur, & ut multorum opinio est, à quodam, cuius uxori uicium obtulerat, interfectus. Philippus frater Thusciæ princeps, relicta Italia, Imperatoris beneficio Sueuiam accipit, ac Augustæ nuptias cum Irene celebrat. Vrspergensis.

De Sicula expeditiõe Nicetæ Græci scriptoris uerba etiã hic adscribere libet: Regis Alemanniæ mors (de Heinrico sexto, quẽ Amerigũ uocat, loquitur) cùm omnib. alijs gentib. optata fuit, tũ Siculi ea tanto magis sunt exhilarati, quòd insula capta, grauissimis ab eo malis affecti fuerant, quæ uix satis

satis describi possunt. Non enim tantùm cædibus, rapinis, exilijs, cruciatibus intolerabilibus & morte grauioribus affecti fuerant: sed multæ etiam urbes euersæ, multa opportuna castella diruta erant. Metuebat enim rebellionem eorum, & quò libertatis cupiditatem opprimeret, omnem fortunæ melioris spem, quam uel pecunia, uel currus, uel equi, uel munitæ urbes, uel uiri nobiles, uel tuta castella suppeditare queunt, eis ademit. Dum autem futurum periculum tanquam iam urgens reformidat, & id quód nondum aderat, propulsat, quorundam insidijs est appetitus: quorum conatus cum anteuertisset, insidiatores nõ gladio puniuit, sed uarijs modis miserabiliter excruciatos interfecit. Nam alium feruenti aqua excoctum, in canistro pro missu ad suos remisit, alium in ingenté rogũ coniecit, alium culeo insutum in fundum maris abiecit. Factionis uerò principem & regem delectũ, grauiori supplicio destinauit. Iussit enim coronam æneam fieri cũ quatuor foraminibus, quam eius capiti totidé magnis clauis affixit, atq; ita hominé abire iussit, his uerbis: Habes homo coronã quá uenatus es, nemo tibi inuidet, fruere usque adeò desiderata re. Is uerò uertigine oborta humi prolapsus, paulo pòst in miserabili illo diademate expirauit. Capta Sicilia, unà cũ cęteris Irene Isaacij Imperatoris filia captiua est abducta, & desponsa notho fratri regis Alemanię Philippo, amisso priore coniuge, qui post obitum Tancredi patris Siciliæ imperarat. Nicetas lib. 2 de gestis Alexii fratricidæ.

Rebus etiã afflictis in Asia, hortãte Celestino Romano, opẽ laturus erat Imperator: sed Messanę, ut Bergomensis refert, morbo correptus, subsistere cogitur, belli summa Mogũtino archiepiscopo & Heinrico Saxoni iuniori demãdata. Ac cũ uitæ finis immineret, filiũ Fridericũ, triũ annorũ puerũ, regẽ designat, eumq; fidei Philippi fratris tradit, usq; dũ adolesceret. Apud Italos defunctus Imperator, anno 1198, in Panormitana ecclesia terræ mãdatur. Vrspergensis.

Philippus Franciæ rex, sacri belli miles, post captã Ptolemaidẽ morbo correptus, ad suos remeat. Interea Flãdrię comes Philippus sine prole morté obierat: cuius soror Margarita cũ filio Balduino totam occupat Flãdriã, Atrebates & Viromãduos inuadit. In Balduinũ bellũ mouens Philippus, Viromãduos & Atrebates facili labore in suã fidẽ recipit: & Balduini coniuge, quę Franci ex sorore neptis erat, intercedente, in gratiam ipse ea lege recipitur, ut Annonię possessione, & quod Flandriæ à Noua fossa in Orientem spectat, contentus esset.

Eodẽ tẽpore Isabella regina, partus doloribus, quo gemellos enixa fuerat, mortua, rex eiusdẽ nominis Dalmatarũ, ut uult Gaguinus, Æmylius uerò Danorũ regis sororẽ (Neubrigẽsis, filiã fuisse ait) eãq; Gelbergã uocat, uxorẽ ducit. Qua post mẽses tres ob sanguinis honorẽ repudiata, Mariã Morauię ducis filiã supinducit. Quod cõiugiũ infelix regi fuit. Nã suscepto prius ex ea filio Philippo, è uiuis paulo pòst excedit Maria.

Eidem regi & cum Richardo Anglo bellum fuit, nomine dotis, quam Francus ob repudiatam sororem ab Anglo, per bellum repetebat. Eburouicensem urbẽ, Ruelli arcem, Albam malam Frãcus euertit. Anglus Lochias, Milionem in Biturigum finibus cepit & euertit. Nouã Cortẽ à custodibus auro idem mercatus est. Sed dum Calacum in Lemouicum finibus oppidum tẽtat, teli ictu interijt, anno 1199. Paulus Æmylius li. 6. Gaguinus, Polydorus Vergilius libro 14. Anglicæ Historiæ.

Vngariæ Emericus Belæ tertij filius pręesse cœpit anno 1191. Recruduit huius tẽporibus bellum Dalmaticum. Nã Veneti Gallorum ad sacrum bellum proficiscentium auxiliũ mercati, Istria & Dalmatia potiuntur, & Iadra urbe Emericum exuunt. Erat eidẽ Emerico Andreas frater, qui regnandi libidine accensus factione quadam haud uulgari se munijt, apertoq; bello regem aggredi non est ueritus. Sed Emericus oratione graui, ut Bonfinius testis est, factiosos repressit, & fratrem officiũ facere coëgit. Cæterùm obijt Emericus anno Salutis 1200. Decadis 2. lib. 7.

Apud Polonos, cum Cazimirus procerũ odium Vulodimiri Rusi restitutione incurrisset. Miẽcislaus, illo ad Russos componendarum litium causa profecto, reuocatur, ac ut populi animos ipsi adiungant, nouarum rerum autores, Cazimirum ueneno sublatũ, constanter affirmant. Cunctis itaq; gratus, Cracouia potitur Miẽcislaus: arce tamen prohibetur. De suorum defectione certior factus Cazimirus, Russorum ingentibus copijs stipatus aduolat, Cracouiã recuperat. Aberat Miẽcislaus: nã pro comparãdo milite maiorem Poloniã petierat, filio Boleslao urbe demandata. Quem Cazimirus uictor nõ modò uita donat, sed amplissimis quoq; munerib. ditat. Ea beneficẽtia & fratris animũ adeò sibi deuinctũ reddidit, ut nũquã deinceps tale qd molitus sit.

Cum Vngaro etiam pax quædam constituta est, ea lege, ut omni Rusiæ dominatu ille abstineret, communesq; hostes & amicos Vngari & Poloni haberent. Dehinc in Borussos mouet, eosq; subigit: religionem tamen Christianam, quam abiecerant, ut

iterum amplecterentur, cogi non potuêre. Cumq; rebus iam ex sententia compositis, quieti se dedere uellet, subitanea morte cõcidit, nõ sine ueneni suspicione, anno 1194. Cromerus lib. 6 de Polonis.

Succedit patri Lescus filius natu maximus, Fulconis episcopi & Nicolai palatini Cracouiensium suffragijs. Nam licet non pauci contradicerent, easq; partes Miecislao seni, aut Silesiæ ducibus Vuladislai filijs potius deferendas censerent, illorum tamen sententia præualuit. Ac cum Lescus ratione ætatis tanto regno par non esset, summa rei penes matrem Helenam stetit, ea lege, ne quid sine episcopi & palatini, qui fratres erant, autoritate statueretur.

Miecislaus non tam quòd posthabitus, quàm comitijs in uniuersum exclusus fuisset, indignius ferẽs, arma capeßit, ex fratre nepotes Silesiæ duces facilè socios adsciscit. cũ Pomeranorũ duce, ijs stipatus, Cracouiã contendit. Occurrit his Cracouiẽsis palatinus cũ ingenti multitudine ex Polonis & Rußis coacta. Cõmittitur ad Mosgauem amnẽ atrox prælium, cadunt multi duces, durat conflictus totũ diẽ, modò huc, modò illuc belli fortuna inclinante. Tandẽ Miecislao sauciato, & è pugna clàm educto, cũ occisus putaretur, sui remißius pugnarũt, superioresq; extiterunt Lesci copiæ, anno 1197. Anno sequẽti Lescus in Haliciẽses expeditionẽ suscipit ꝑ Romano Russorũ duce, quẽ, Vulodimiro mortuo, ijs pręesse uolebat: ipsi uerò eũ extremè auersabãtur. Sed uicti imperata facere coacti sunt. Ibidẽ li. 7.

Anglię sceptro post patrẽ potitus Richardus, anno 1189, cum matre Eleonora, cui summã Imperij cõcedebat filius, comitate & beneuolentia cunctorũ animos sibi conciliant. In primis Hierosolymitanum bellũ pro uirili iuuit Richardus, exercitũ eò deducens triginta peditum, ac quinque equitum millia. Inde uerò pedem referẽs, in Adriatico mari naufragiũ fecit, claßisq; dißiecta est. Ipse fluctibus in Illyrici orã eiectus, deposita maiestate, & Templarij, seu serui, ut aliqui uolunt, sumpto habitu, Germaniã petijt: sed in itinere ex annulo regio cognitus, Austriaco proditur, à quo in uincula cõijcitur, ut & suprà indicauimus. Ea occasione Francus Ioãnem Richardi fratrem, ut regnum capessat, incitat. Paret is consilio, & gregario milite collecto, quædam loca expugnat: sed regni proceres, factiosos illos proturbant. E' uinculis autem liberatus, cũ Franco, qui Normanniam interea turbarat, ad uitæ finem bellum cruentum geßit. Regno pręfuit annis 10. mensibus nouem, diebus uiginti & uno. Polydorus lib. 14 Anglicæ Historiæ.

Post Vualdemari Danorum regis obitũ, ad Canutum filium tota rerum gubernatio deuoluitur. Contra quem Scani, Haraldo cuidam, regio apud Suecos sanguine nato, belli partibus demandatis, assurgũt. Is Canuti Suecię regis & Brigeri principis munitus præsidijs, Lundensem urbẽ oppugnare cœpit. Obseßis in auxiliũ aduolant Danorum quidam primates cum exigua manu, inq; hostẽ impetu facto, magis uenti beneficio, quem aduersum habebant obsidẽtes, ipsisq; clypeos reijcientem, quàm propria uirtute armisq;, in fugã eũ conijciũt. Superueniens cũ armatis copijs Absolõ archiepiscopus, seditiosos Scanos placida oratione non modò cõpescuit, sed & ut Haraldum, quẽ regẽ dixissent, abdicarent, persuasit. A' rege tamẽ seditiosi, intercedẽte eodẽ archiepiscopo, uita donati, ære tãtũ mulctantur.

Dum hęc fiunt, Heinricus Imperator Canutum per literas uocat, regniq; ius ut ab ipso accipiat, postulat. Cui Danus respondet, nihil ab ipso cuiquam donari posse, nisi prius in sua potestate id habeat. Quo irritatus Imperator, Bugislaũ Pomeranorũ principẽ contra Danorũ regẽ multis præmijs amplißimisq; promißionibus sollicitat. Is quingentarũ nauiũ classe hinc inde cõtracta, in altũ uehitur, primumq; Rugianos tentat. Danus tanta hostium multitudine perterritus, Absolonis petit consiliũ. Qui ex Sialandia omnis ætatis uiros armis habiles euocari iubet, comparatisq; in uniuersum uiginti nauigijs, occurrendum statuit: ac cum per Rugianos nunciaretur, hostes crapulæ indulgere, magno animo ex improuisò ad Strelam insulam eos adortus, tantam in hostẽ stragem edidit, ut de tanto nauigiorum numero, triginta quinque salua abierint. Cęterę naues uel in Danorum potestatem ueniunt, uel mari mersæ intereunt. Dehinc Vuolgastum mari oppugnant Dani: sed cum frustra laborarent, nauibus egreßi, igni & ferro omnia uastãt. Ciues ut hostẽ cohiberent erumpentes, cęduntur. Deniq; liberè depopulato & Iuliuẽsiũ agro, ad suos remearunt uictores Dani. In autumno in Orientales Vãdalos denuò expeditionẽ suscipit Canutus. Tribusonã & Circipanenses perlustrat, Lubuinam & Deminum oppugnat quidem, sed frustra. At Bugislao pacẽ petente, in hyberna deduxit milites Danus. Verno tẽpore maiori cũ multitudine redeuntes Dani, Grozuinam destruunt, omnemq; Pomeraniam uastant. Tandem uiribus ex continuis itinerib. laboribusq; fracti milites, pedes referunt, Camĩnũq; aggreßi expugnant: sacerdotũ tamen supplicib. precib. urbs ab incẽdio liberatur. Bugislaus captus, mulctã luit pecuniariã.

Saxo

Saxo Grammaticus lib. 16. Cranzius lib. 6 Danicæ Historiæ, capite 17. 18. 19, & aliquot sequentibus.

Sub idē tempus, Heinrico Leone, ut suprà scripsimus, in extremis angustijs cōstituto, Bureuuinus & Nicolotus fratrueles, quorum ille Pribislai, hic uerò Vuerzlai fuit filius, sæuis animis discordias aluerunt. Nicoloto Bernhardus Saxonię dux, & Iarimarus Rugiæ princeps fauebant. Bureuuino Bugislaus Pomeranus addictus erat. Sed Bureuuino, qui Rugianos infestabat, capto, per Daniæ regē Canutū lis hoc modo derempta est, ut Nicolotus Rostochio cum Cifsinorum terra, Bureuuinus Ilouu & Magnopoli, Obotritorum ditione contentus sit, regemq; Danię dominum feudi uterq; agnoscat. Quin & Vualdemarus Slesuicēsis episcopus, ex regio sanguine apud Danos natus, occasione inimicitiarū inter Romanorū Imperatorē & Danorū regē, ex Noruegia classe adducta, regiam dignitatē appetiuit. Huius conat⁹ Otto marchio Brādenburgensis, Bernhardus Saxoniæ dux, fratres, & Adolphus Holsatiæ comes iuuabant. Ottonē in primis urebat, Danorū regem Vandalorū quibusdā principib. imperitare. Vualdemarus à rege ad priuatū colloquiū accitus, uinculis cōstringitur. Terrestres copiæ ad Eidoram amnē subsistebāt: uerùm rege non occurrente, illi agmina reduxerunt: solus Adolphus in armis māsit. Ea de causa in Ottonē aliquāto pòst mouet Danus, sed infeliciter: nā Petrus Roschildēsis episcopus captus, & Durbernus episcopi frater, qui belli duces erāt, cū copijs cæsus est. Anno sequēti Adolpho Holsatię comiti bellū rex infert, eūq; Reinoldesborg arce, quę terrę clauis erat, exuit. Eiusdē regis iussu Bureuuinus & Nicolotus in Adolphū de Dasle mouēt, quòd nup Thithmarsos Dano subiectos infestasset. Cōserta manu, Nicolotus sub initiū pugnæ occubuit. Sui ducis cęde Vādali magis irritati, maiori animo pugnant, hostemq; prosternūt. Nō multo pòst, quibusdā nobilib. quos Adolphus Holsatus proscripserat, instigātibus, Vualdemarus Canuti regis frater german⁹, Slesuicēsis dux, Holsatiā bello petit. Hosti impar Holsatus, facilè in fugā cōijcitur: ac cū Hāburgū se recepisset, à Vualdemaro eā expugnante capitur, omniq; ditione exuitur. Lubeca etiā per uictorē tētata, regi Danię, qui belli cōsors erat, se dedit, eūq; Lubecę dominū salutat. Acciderūt hęc sub annū Salutis 1200. ut ex Crāzij Dania lib. 7: & Vandaliæ li. 6. ca. 37. 38: & lib. 7. ca. 1 apparet.

E' uinculis dimissus Adolphus, Schouuēburgensis ditione iterum donatur, eaq; solis contentus esse obstringitur. Sed Stadensi comitatu pòst recuperato, Hamburgo etiā ciuium fauore potitur, eiecto, quod ibi reliquerat Vualdemarus, præsidio. Aduolat mox Vualdemarus, urbemq; necessario cōmeatu destitutam, ad deditionem iterū cogit. Comes captus, & ęreis uinculis colligatus, in Iutiam trahitur, & uincto Vualdemaro episcopo, cuius paulo antè meminimus, associatur, anno Salutis 1202. Canutus rex immatura morte obijt.

ISAACIVS ANGELVS.

Isaacius Angelus crudelis & sacrilegus, cum Siculorū duces, quos suprà Andronico bellum mouisse diximus, multis precib. & muneribus post Andronici casum, ut depositis armis pacem colerent, frustra sollicitasset, quātas potest copias cogit, easq; hostibus obijcit, inter quos tum pedestri tum nauali prælio maximam stragē edit, uictoria penes Isaacium existente. At cum Comneno Isaacio Cypri tyranno infelicissimè congressus est. Exactionibus Mysis, quos & Blachos Nicetas uocat, deficiendi occasionem dedit: unde infelix quoq; ipsi enatum est bellum, ducū quos bello præfecerat, temeritate. His igitur repudiatis, Alexius Branas, magni ingenij & prudētiæ uir, rei summæ præficitur. Verùm is, acceptis copijs, animi sui morbum, quem in hūc usq; diem occuluerat, prodit. Nam cum regni cupiditate ęstuaret, mox rubrum calceum induit, & ab exercitu Adrianopoli Imperator salutatur. Inde Byzantium copias ducit, urbem obsidet, eámq; tradi sibi postulat. Obsessi instructa acie cum hoste pugnantes, eum uincunt. Nam per Conradum Cæsarem Montisferrati marchionem trucidato Brano, reliqua turba fugæ se dedit. His seditiosis repressis, Mysis Isaacius denuò bellum facit, quod multos durauit annos: sed Græci tandem exercitus ab hostibus, qui ex mōtium angustijs pugnabant, trucidantur. Fridericum Romanorum Imperatorem ad sacrū bellum eūtem magnificè excepit: sed pòst cōmeatu prohibere summopere annisus est, cum suspectum illud haberet bellū. Tādem cum multorum ad Imperij sceptra per fas nefasq; aspirantiū propulsasset insidias, à fratre Alexio Angelo in castris, dum contra Blachos Scythasq; bellum gerit, capitur, oculis exuitur, & ad Perę monasterium relegatur, postquam Imperium annos tenuisset nouem, & menses octo.

ALEXIVS ANGE*lus Commenus.*

Fratris uestitu & corona ornatus Alexius Angelus, à militari turba & senatorijs uiris rex salutatur. Reliquos multa auri profusione, & summorum honorum gradib. cōcessis, sibi deuinctos reddit. Omissa autem

aduersus Blachos expeditione, ad urbem imperatricem instituit iter. Interim uulgi quædam colluuies Alexium Contostephanum astrologum Imperatorem salutant: uerùm ea factio facilè per Alexij Angeli cõiugem domi sedata est. Sacrificulus quidam auro uictus, ex suggesto Angelũ Imperatorem proclamat, inscio patriarcha: qui tamen & ipse metu perculsus in Imperatoris concessit partes.

Cum è tẽplo corona redimitus egrederetur, maxima difficultate equum conscendit, qui eum ferocissimè auersabatur. Tandem iterum excutitur, & corona confringitur. Ab eo tempore Angeli nomine abiecto, Comnenum se appellari uoluit. Seposita autem regni cura, delicijs & luxui totum se dedit, Euphrasina coniuge interim Imperatoris partes agẽte. Bellũ contra Blachos, per Isaacium Sebastocratorem suum generum administratum, infeliciter gessit, omniq; successu, etiam commodissima sępius pro rebus præclarè gerendis oblata occasione, caruit.

Rapinis & sacrilegijs fœdissimè se polluit. Nam cum Heinricus Germanorũ Imperator ob Siciliæ regnum bellum ei intentaret, tributumq; exigeret, Alexius, cũ subditi ac sacerdotes sacrum argentum denegarent, maiorum sepulchra omni precioso ornatu ad cẽtenarios argenti & auri septuaginta spoliat, pacem redempturus.

Interim Isaacius Angelus ex carcere monastico, qui cuiuis patebat, per legatos & literas Irenen filiam, Philippi pòst Germanorum regis coniugem, ad ferendum sibi auxiliũ instigabat. Alexius etiam filius eodẽ carcere liberatus, arrepta fuga ad sororẽ uenit. Illa maritũ, ut patris excæcati & fratris exulis rationẽ habeat, sedulò instigat.

Eadẽ tempestate Heinricus Dundalus Venetorũ dux Cõstãtinopolitanis, quòd mercatores suos sæpius facultatibus exuissent, modumq; in exigẽdis uectigalib. excessissent, Venetisque subiecta loca crebrò armis infestassent, bellũ infert, & Gallos ad sacram expeditionem magnis agminibus contendentes, belli socios sibi adsciscit, inter quos erãt maximè insignes Bonifacius Montisferrati marchio, & Balduinus Flandriæ comes. Horũ opẽ in se restituẽdo Alexius exul, Romani põtificis & Philippi affinis instructus literis, quibus idẽ obnixè petebatur, implorat: quẽ ipsi auidissimè excipiũt. Alexius uerò Imperator, licet rumores de hostiũ aduentu spargerentur, ociosus tamẽ domi desidebat, & cuticulã curabat. Illi cum ducentis & quadraginta nauibus, tãtum enim numerũ exprimit Nicetas, mare tenentes, Iadaros ob uiolatũ pactũ domãt. Epidamnij tanta hostium multitudine territi se dedunt, & Alexium puerum Imperatorem salutant. Inde ad Constantinopolitanum littus delati, exposita copiarũ parte, terra mariq; urbẽ imperatoriam obsident. Ac licet Imperator nihil aliud præter fugã in extremis constitutus angustijs meditaretur, tamen leuia utrinque certamina fiebant, Theodoro Lascare Imperatoris genero copias ducente. Exteri, igni in urbem misso, magnam edũt stragem. Hoc tristi rerum statu nihil tũ mouebatur Imperator. Vulgi conuicijs tandem excitus, nolẽs uolẽs arma induit: cumq; instructissima acie quasi cum hoste conflicturus egressus esset, mox primo aspectu territus, cum dedecore pedem retulit, noctuq; cum mulierib. quibusdam, conscẽsa nauicula, Debeltum fugit homo timidissimus, cum rerum gubernacula annos 8, & tres menses tenuisset. Apud Nicetam eo celebratur, quòd nõ oculos effoderit, membra mutilarit, aut hominum carnificina delectatus fuerit, quod superiorum ætatum Imperatoribus solenne fuerat.

ALEXIVS IVNIOR *cum patre Isaacio.*

Alexio profecto, populus Imperij dignitatem Isaacio cæco iterum defert, & eductum ex cœnobio in soliũ collocat, statimq; Alexio filio, & cæteris belli ducibus urbem obsidentibus, quicquid actum sit, denunciat. Verùm duces filium ad patrem prius nõ miserunt, quàm ipse Isaacius quoq; assentiretur, se rata illa habiturum esse, quæ filius pollicitus esset. Ea erant, solueret triginta millia marcarum auri, ac commeatuũ copiam: ut Vincentius li. 29. ca. 64, & Cuspinianus habent. Nicetas tantùm auri aceruorũ, non expresso certo numero meminit: hoc tamen addit, Alexium Latinam deprauatam religionẽ amplexum, & priuilegiorũ papalium innouationem, & ueterẽ Romanorum (quo nomine Cõstantinopolitanos uocat) institutorum mutationem pollicitũ. Dehinc urbem simul ingressi sunt, & Alexius Iunior Imperator salutatur. Pro restitutionis officio Isaacius pater cum filio in Venetos & Frãcos amplissima munera, ex sacris profanisq; thesauris conflata, erogãt. Militum turba pro sua in ciues agũt libidine, rapinis, incendijs ferroq; intra ipsa urbis mœnia sæuiunt. Quibus calamitatibus excitus populus, arma capit: cui cùm solus Alexius Ducas Murzuflus, regnãdi libidine mirum in modum æstuans, se ducem belli præbuisset, magnum ad Imperij fastigium conscendendum aditum sibi parauit. Quã dignitatem tãdem, Alexio per dolum sexto Imperij sui mense capto, & in carcere occiso,

occiso, sine ulla controuersia accepit. Isaacius enim pater inter hosce motus diē clauserat extremum. Nicetas. Annus quo Constantinopolis à Venetis capta est, 1200 ab autoribus annotatur.

Alexius etiam senior, quem fugisse diximus, occupata Adrianopoli, subinde Imperium repetebat: quem Bonifacius marchio repressit. Nicetas.

REGNVM IEROsolymitanum.

BALDVINVS IEROSOLYmorum rex secundus.

Gotfrido, primo omnium post recuperatam terram Sanctam, ut in superioris Seculi fine scripsimus, Ierosolymorum regi, Balduinus frater eius surrogatur, Edessæ comitatu, cui hactenus præfuerat, Balduino de Burgo suo consanguineo tradito, & à Daiberto patriarcha in ecclesia Bethlehemitica in die natiuitatis Dominicæ inungitur, anno Salutis 1101. Vincentius lib. 25. ca. 105. Romani pontificis autoritate eundem fratri succesisse, Otto Frisingensis lib. 7. ca. 7 testatur. Verùm ea de re Tyrius & Iacobus de Vitriaco, alijq; Scriptores uerbum nullum.

Primam dehinc in Arabiam expeditionem suscepit, cuius incolas præter omnem opinionem adortus, magnam inde prædā hominum, armentorumq; copiam ingentē abegit. Philarchus princeps eorum, qui hostium aspectu territus, ulteriora solitudinis petierat, resumpto animo Balduinum insectabatur. Verùm cum in itinere in coniugē, quam parturientem illi benignè deposuerant, incidisset; tanta perfusus est lætitia, ut non modò omnem iniuriam hostibus condonaret, sed etiam fœdus cum ijsdem sanxerit.

Sub hoc rege nouæ copiæ per Vuilhelmum Aquitaniæ ducem, Hugonem Magnum Philippi regis fratrem, qui & superioris seculi expeditioni interfuit, Gotfridum Vindocinensem, Hugonem Lusinianum, Stephanum Blesensem, Stephanum Burgundiæ comites, & Guelphonem Noricorum ducem, in terram Sanctam ducuntur: inter quos tamē magna strages Turcæ, Alexio Constantinopolitano rem curante, edidère. Nam cū ad Antiochiam delectus haberetur, circiter quinquaginta millia desiderata scribūtur. Tarsi Ciliciæ Hugo Magnus rebus humanis ualedicit.

Genuensium auxilio Balduinus rex Antipatrida Cæsaream Stratonis occupat, Ægyptias cohortes in Ramulæ urbis finibus fundit. Ac cum nouas ex Occidentis partibus in Christianorum subsidium aduentare cognosceret copias, lætus his obuiā procedit, tutumq; iter præter Ptolemaida, Tyrum, Sidonem, Beritum, quas urbes barbarorum præsidia tenebāt, parat, Hierosolymamq; perducit. Sanctis locis conspectis, Lusinianus Ioppæ, naui cōscensa, domum redit. Reliquos duces idem molientes aduersi uenti reiecerunt. Ascalonitæ barbari, Arabum Ægyptiorumq; auxilijs stipati, Ramulensium fines petunt, Latinos ibi incautos oppressuri. Fit atrox ancipiti Marte utrinq; prelium. Cadunt duo Stephani, Blesensis & Burgundus. Rex Philarchi beneficio, quo coniugis suæ salutem compensabat, ut modò diximus, hostium manus euadit. Ramulensis urbs à barbaris expugnata, cunctis habitatoribus spoliatur, quorū aliqui atrocissimo mortis genere afficiuntur, alij pecudum more colligati, in perpetuam abiguntur seruitutem. Rex exuperatis mille periculis, tandem Ioppen præter omniū expectationem (constans enim de ipsius quoque nece rumor sparsus fuerat) redit. Mox reparatis ibi uiribus, hosti denuò occurrēdum statuit, quem bellicis machinis extruendis occupatum eximprouisò obruit, magnamq; stragem edit, hostibus terga dantibus. Preda amplissima Ioppen delata, inter belli socios diuisa est.

Nec reliqui Palestinę principes ocio torpebant, sed quisq; suum dominium latius subinde extendere pro uirili annitebatur. Tancredus enim, qui Galilęę præerat, coacta suorum manu non exigua, Apameā Cœlesyrię metropolin ac Laodiceā post multos labores expugnat. Balduinus de Burgo, Edessæ dominus, in omnes occasiones pro ampliando suo regno intentus, uicinis barbaris maximè fuit formidabilis. Illi cōiūctis operis Carrā Mesopotamiæ urbem, Edessæ uicinam, obsidentes, fame ad deditionem eam cogunt, anno 1104. Sed dū inter se certando, uter prius urbem ingrederetur, moram aliquam traherent, Turcorū exercitus obsessis auxilio aduolat, qui strictis gladijs in obsidentes irruunt, mactant, dispergunt. Edessanus comes cum episcopo suo Benedicto, & quodā Ioscelino consanguineo captus est. Raimundus Tolosanus comes subinde nouas arces extruxit, quas firmis muniebat pręsidijs, non tā barbarorum insultus sustinendi, quàm sui dilatandi dominij gratia.

Septem ferè menses iam elapsi fuerant, quibus à bellis immunis fuerat Balduinus rex: ac cum barbari eū non lacesserent, ipse in eos bellum mouet, conuocatisq; omnibus, quotquot in uniuerso regno uiuebāt, militibus, postquam Paschales peregisset ferias, Ptolemaidem Phœniciæ, quæ & Ac-

con dicitur, obsidet: sed re infecta inde discedere cogitur, solis hortis, qui erãt amœnißimi, uastatis, & paucis ex ciuibus trucidatis. Pedem inde referens, in latronũ quãdam cohortem incidit, quibus cum congressus, lethale uulnus accepit, ac licet à medicis etiam incisione curaretur, perpetuos tamen inde sensit dolores. Hæc contra Ptolemaidem expeditio suscepta est anno Salutis 1103. Tyrius libro decimo de bello Sacro.

Anno sequenti reparatis uiribus, maximè uerò Genuensis clasis subsidio erectus Balduinus, eãdem urbẽ arctiori cingit obsidione, qua post uiginti dies, certis utrinque conditionibus prolatis, potitur.

Anno 1105 Rodoan quidã Alapię dominus, suorum & aliunde accitorum magnatum auxilio, Antiochenum regnum ferro igniq; infestum reddit: sed à Tancredo, cui eiusdem urbis administrationẽ Bohemundus ad Francos profectus demandarat, in fugam uertuntur. At maiores copias Ægyptius Calyphas terra marique contra Hierosolymorum regem mittit: sed pedestres gladio, nauales uentorum procellis occubuêre.

Ingens Bohemundum ad terram Sanctam redeuntem, ex Francia alijsque locis secutus est exercitus: equitum ferè quinq; millia, peditum quadraginta millia fuêre. Ac cum sæpius contra fidem datam sacros milites Cõstãtinopolitanus Alexius molestasset, his pœnas luit: Epirum enim depopulantur, Dyrachij agrum uastum reddunt, usque dum Imperator in ipsorum iuraret uerba. Hinc digreßi Hierosolyma petunt. Antiochiæ moram nectens Bohemundus, è rebus humanis excedit, anno 1108, relicto filio paruulo in cunis Antiochensis principatus hærede Bohemundo.

Occasione captiuitatis Balduini Edesseni & Ioscelini, Turcæ ad Orientem habitãtes magna immanitate Mesopotamiam uastant, uicos quoscunque, tantam uim sustinere non ualentes, igni tradunt, occisis uel abactis incolis eorum, frustra Tãcredo repugnante. Cæterùm cum post quintum annũ è captiuitate duo illi se redemissent, Tãcredus Balduinũ Edessa urbe prohibet, ac utrumq; præterea omni principatu priuare molitur: sed tandẽ iuramenti religione, quo rerũ administratio eius curæ interim demandata fuerat, in memoriam reuocata, à sua sentẽtia cedit. Illi rerum summa iterum potiti, Tancredo bellum indicunt. Sed is Turcorum auxilio Ioscelinum in fugã uertit. Vicini principes ex mutuis lanienis plurimum emolumenti Turcis accedere perpendentes, bellum componunt.

Raimundo Tolosano extincto, Vuilhelmus Iordanes rerum administrationem suscipit, multaque loca armis in suam redigit potestatem. Bertrannus Raimundi filius, cum septuaginta Genuensium nauibus superueniens, Vuilhelmo bellũ facit. Sed amicis suam autoritatem interponentibus, cõuenit inter ipsos, ut Arca & Antarado Vuilhelmus contentus esset, ac principis Antiocheni beneficiariũ se profiteretur: reliqua Bertranno Hierosolymorum regis beneficiario cederent. Sed non multo tempore interiecto, inter utriusq; milites contentione quadam fortè oborta, Vuilhelmus aduolat, & casu sagitta feritur, ex quo uulnere mortem obijt.

Anno 1111, die uigesimatertia Aprilis, Berythẽsem urbem Balduinus expugnat, magnãq; in ciues stragẽ edit. Eodẽ anno Noruegiana quędam clasis religionis ergò eò loci deuenit: cuius ope Balduinus Sydone potitur, ciuibus ultrò se dantibus, die decimanona Decẽbris. Noruegios dehinc splẽdidis donis onustos dimittit. Sydonis calamitatẽ ulturi Persici Turcæ, magnis agminibus Mesopotamiã peruagantes, dãna incolis inferũt maxima, ac tandẽ ad Cæsareã castra ponentes, urbem oppugnãt. Sed Tãcredus, Balduino rege & Bertranno Tripolitano suppetias ferentibus, hostem inde propellit. Cęterùm cũ sola Tyrus ex maritimis ciuitatibus, à Laodicea Ascalonã usq;, Turcorũ premeretur iugo, Balduinus rex belli fortunã tentãdam statuit, eamq; dura obsidione cingit: sed cùm quatuor mensibus in eius oppugnatione frustra laborasset, inde discedere cogitur.

Anno 1113 maior Turcorum colluuies ex Persia aduenıẽs, Cœlesyriam omnẽ uastat, & ad oram maritimam Tyberiadem castra locat. Balduinus rex, uocatis in auxiliũ Rogerio Antiocheno, qui Tancredo superiori anno defuncto successerat, & Tripolitano comite, suas contra hostes copias educit, & non procul ab ijsdem tentoria figit. Mendur (id nomen erat belli principis inter Persas) aliquot equites ad lacessendum Balduinũ præmittit, at maiorem cohortem in insidias ponit. Balduinus in illos temerè impetum faciens, in fugam, quam simulabant, eos uertit. Cumque longius à castris processissent, illi qui latuerant, erumpũt, & magna quidem utrinq; clade pugnatur: penes Turcos tamen mãsit uictoria, Balduino cũ Arnulpho patriarcha ægrè elapsis. Eius belli occasione Ascalonitæ Hierosolymã, militaribus uiris destitutam, affligunt, corona cingunt, horreaq; nuper frugibus referta incendũt. Sed cũ regẽ aduenire certò nũciaretur, omissa obsidiõe ad sua redeũt.

Post

Porrò cum indies Christianorum exercitus, ex nauigijs ad portum illum appellentibus, accresceret, Turcæ suis uiribus diffidentes pedem referunt. Damasci Persarum princeps à sicarijs interimitur, Doldequino Damascenorũ rege, qui regno suo metuebat, consentiente.

Anno sequenti Persicus exercitus, duce Borsequino, in Damasceno agro castra ponit, unde & Antiochenos affligit. Sed Doldequinus de cæde, ut diximus, suspectus, uicinorum principum, Christiano nomine insignium, per munera obsidesq; amicitia conciliata & firmata, eorundem opera hosti occurrit, ac retrocedere cogit. Eadem tempestate Ascalonitæ Ioppensem urbem oppugnant: sed ciuium fortiter resistentiũ uirtute abiguntur.

Borsequinus dilapsis, quæ prius contra ipsum in armis steterant, copijs, bellum redintegrat, & in Antiochenorum agro prædas agit, omniaq; oppida munitionibus carentia solo æquat. Sed Bohemundus Antiochenus, coniunctis cum Edessano uiribus, hostem profligat, omniq; uicissim prȩda exuit.

Vltimo regni sui anno, qui erat Christi 1118, expeditionem in Ægyptum suscepit Balduinus rex, illatas hactenus sibi iniurias ulturus. Cæterùm Pharamia urbe maritima, non procul à Nili ostio, fortiter expugnata, in morbum, quo cũ & superiori anno fuerat cõflictatus, recidit, eoq; extinctus est. Eius exuuiæ Hierosolymam delatæ, iuxta fratrem sub Caluaria regio cultu conduntur. Annos præfuit 18. Vxores habuit duas: repudiata enim priori coniuge, Siciliæ regis uiduam duxit, quam conscientiæ stimulo agitatus, tertio anno reiecit, priori iterum assumpta. Tyrius lib. 10 & 11.

BALDVINVS EIVS
nominis secundus.

Balduinus de Burgo Edessæ comes, uir religiosus, & bellica fortitudine insignis, patrueli suo Balduino in Ierosolymitano regno succedit, & secunda die mensis Aprilis, anno 1118, consecratur. Huic Aegyptius princeps eadem ęstate, superioris expeditionis cladem uindicaturus, bellũ terra mariq; facit, cui Damascenus se adiũgit: ac licet in hostium conspectum etiam sua poneret castra Balduinus, nihil tamen utrinque præclari gestum est, his barbarorũ multitudinem, illis uerò Christianorũ uirtutem & felicitatem timẽtibus: ac sine prȩlio inde post menses tres, quibus opposita semper steterant tentoria, discessum est.

Anno 1120 Turcomannorum (sic enim Tyrius loquitur) dominus, Gazi nomine, Doldequinus Damascenorum, & Debeis Arabum reges, cum ingenti multitudine Antiochenum agrum ingressi, ad Alapiam castra locant. Rogerius Antiochenus princeps, non expectato auxiliarium aduentu copiarum, quas rex Hierosolymitanus, Ioscelinus, qui in Edesseno comitatu nuper Balduino successerat, & Pontius Tripolitanus subministrabant, temerè cum hoste cõfligit, sed admodum infeliciter: ad unum enim ferè omnes milites ipsius trucidantur, ipso Rogerio simul occumbente. Sed dum liberè passim grassatur hostilis exercitus, Balduinus rex cum suis aduolat. Instructis utrinq; aciebus fortiter pugnatum est: tandem Balduinus superior extitit, ipsis regibus, cum infinitam suorum multitudinem cadere cernerent, terga dantibus. Acciderunt hæc mense Augusto, in uigilia assumptionis Mariæ. Hac uictoria Antiochenus principatus in Balduini regis uenit potestatem: qui rebus ibidem dispositis, in regiam urbem regressus est.

Anno sequenti reparatis uiribus, Gazi bellum in eodem loco restaurat: sed dum Balduinus cum Ioscelino & Antiochenis primatibus occurrere parat, Gazi apoplexia tactus interijt: sicq; ea expeditio finem suum sortita est.

Anno 1122 Doldequinus Damascenus, associato sibi Arabum rege, Antiochenos infestat (nam cum ij principe destituerentur, & Balduinus, qui eorum patrocinium agebat, rebus Hierosolymæ distineretur, omnium incursionibus magis expositi fuẽre) & Tyberiadensium fines in primis affligit. Sed Balduinus re cognita, cum cohorte præter omnem hostium opinionem prȩstò est. Cuius aduentu territus hostilis exercitus, pedem refert. Balduinus, cum è re sua hostem longius persequi, non esse animaduerteret, ad latus declinat, & Garazæ, quæ una Decapoleos est, firmissimam Damasceni arcem, superiori anno extructam, fundidùs euertit.

Paucis annis interiectis, & Balachus Turcicus princeps Antiochenos depopulatur, Ioscelinũ & Galeramum captos carceri tradit. Balduinus rex, qui afflictis auxilio uenerat, cùm nocte quadam, paucis eũ comitantibus, loca illa perlustraret, ab hoste intercipitur, & eodem cum Ioscelino & Galeramo carcere in quadam arce concluditur. Quinquaginta Armenij uiri fortes & audaces, monastico habitu induti, arcem illam accedũt, & in prȩfecti conspectum, de graui sibi illata iniuria questuri, se admitti petunt. Voti sui compotes facti, sicis quas sub uestibus occultarant, præsidiarios milites trucidant, uinctosq; liberant. Ioscelinus, ut copias in subsidium cogat & addu-

cat,emittitur.Sed uicini Turcæ de internecione suorum edocti, ad arcem accurrunt, regem cum cæteris exitu prohibent. Balachus eadem nocte somnio,quo à Ioscelino oculos exculpi sibi uisus fuerat,exterritus, mox capite plecti missis nuncijs eundem iubet.Sed cum rei gestæ ueritatem ex ijs redeuntibus cognouisset, subitò exercitum conscribit, arcemq; oppugnat, & eosdem ad deditionem cogit. Regi quidē & Galeramo uita donatur, sed sicarij illi uarijs tormentorum generibus interempti sunt. Ioscelinus quas interim Hierosolymis collegerat copias adducturus, Antiochiæ rei euentum quidem cognoscit: sed suis diffidens uiribus,arma deponit.

Balachus occasione capti regis extrema quæque terræ,ut uocant, Sanctæ moliebatur,conuocatoque per uniuersam Ægyptū milite, eam intrat, & ad Ascalonam, quæ Turcis adhuc parebat, sedes figit. Classis ad Ioppen appulit,egressi milites dura obsidione urbem premunt:cumq; iam iam ad deditionem adegissent, Eustachius Grener,cui interim in Hierosolymitano regno rerum summa demandata fuerat, cum septem ferè millibus obsessis auxilio uenit. Obsidentes horum conspectu territi, nauigijs conscensis discedunt. Hinc Ascalonam uersus iter instituit Eustachius, ubi hostem in acie stantem offendit, commisso prælio in fugam eum uertit,cunctisq; Ægyptijs gazis potitur. Dux Venetorum, Syriæ oram cum classe tenens, Ægyptios mari fugientes excipit,multas naues demergit, plures capit: reliquæ numero quidem paucissimę fugam capessunt.Præterea in decem hostiū naues, omnis generis mercimonijs onustas,incidit.quæ militib. prædæ fuēre. Inde ad Ptolemaidem urbem applicuit. Paulò post hanc uictoriā Eustachius rebus humanis excedit: cui Vuilhelmus de Buris, uir magnanimus, Tyberiadensium dominus,substituitur.

Venetæ classis aduentu satis opportuno Hierosolymitani plurimùm erecti,nihil quod ad summæ beneuolentiæ declarationem erga aduentitios faceret, intermiserunt.Coniunctis itaq; uiribus, calendis Martij anni 1123, Tyrum urbem munitissimam obsident,& acriter undique,uarijs bellorū machinis admotis,oppugnant. Nec minori labore obsessi suas agunt partes.

Interim Balachus Hierapolin urbem corona cingit,eiusq; dominum,saluo ipsi cōcesso conductu, decollari facit. Ioscelinus hostē suo capiti imminere animaduertens, exercitum quantum habere potuit,conscribit, in eum eximprouisò ruit, Balachumq;, in quem ipse Ioscelinus inciderat, licet ignarus,gladio transuerberat, ac caput amputat. Sic somnio euentus tandem respondit.

Hac uictoria erecti qui Tyrū obsidebant milites,acrius urbem oppugnant, ac nihil, quantumuis arduum, intentatū relinquūt. Tandem fame adacti ciues deditionem faciunt: nam quinque tantùm frumenti modij in urbe reperti sunt. Capta est urbs 3 calend.Iulij,anno 1124. Eodem anno Balduinus rex,centum millibus Michaelitarū redemptus, è carcere liberatur, postquam menses decem & octo regno exutus fuisset.

Borsequinus, assumpto belli socio Doldequino Damasceno, Antiochenum agrū uastat. Occurrens Balduinus, cæso hoste, tanta pręda potitur,ut quinquennem filiā, quam pro sui redemptione obsidem dederat,liberarit. Dehinc in Damascenum regē ob sæpius illatas iniurias animaduertit, eius urbes aliquot uastando. Ascalonitas etiam,qui superioribus annis Hierosolymitanos molestarant,nonnihil compescit.

Anno 1126 denuò Damasceno bellū indicit Balduinus,in quo & superior extitit,fuso hostium exercitu, eorumq; arcibus aliquot expugnatis. Eadē tempestate & Borsequinus à suis confoditur.

Bohemundus iunior, cum iam annū attigisset decimum octauum, Antiochiam à rege repetit: quam non modò rex ultrò ei reddit, sed & filiam Halim ei despondet. Primum autem is uirtutis suæ specimen edidit, expugnatione Caphardan oppidi,ab hostibus olim suis maioribus prærepti.

Anno 1130 Hugo de Paganis, Templariorum militum Hierosolymis primus magister,qui regis iussu ad Occidentales principes pro petendo auxilio ablegatus fuerat,ingēti multitudine stipatus redit. Quibus uniuersam terram Sanctam incolentes principes coniuncti,Damascum urbem potentissimam obsident:sed tum ab hoste,tū aeris intemperie diuinitùs immissa, inde profligantur. Bohemūdus domum regressus, à Turcis Antiochenos infestantes occiditur.Cuius nece cognita, rex Antiochiam petit. Sed contra filiæ uoluntatem in urbē à ciuib. admittitur.Expulsa principissa Laodicea & Gabulo urbibus contenta esse iubetur.Antiochenum principatum rex Constantiæ Bohemūdi filiolæ, tutoribus ei adhibitis,attribuit.Constitutis rebus,Hierosolymam redit,morboque graui correptus, cum prius Fulconē generum regni successorem denominasset,in monastico habitu animam reddit,anno Salutis 1131, undecimo calend.Septembris,regni 13. Sub monte Caluariæ, ubi & antecessores,reconditur.

tur. Eadem tempestate & Ioscelinus Edissanus in uiuis esse desijt, eiusdem nominis relicto filio regni hærede.

F V L C O.

TVronensium, Cenomanensium & Andegauensium comes Fulco, sexagenarius ferè, dispositis rebus domesticis, ad terram Sanctam religionis ergò iter parabat. Sed dum hoc molitur, Balduini Hierosolymitani regis legati superueniunt, regis filiam natu maximam ipsi matrimonio iungendam offerunt, dotē ei promittunt successionem in regno, si regi superuixerit: interim Tyro & Ptolemaide urbibus contentus sit. Post annum itaq; abhinc tertium ex uoluntate morientis regis, procerum suffragio, decimooctauo calend. Octobris, rex consecratur à Vuilhelmo patriarcha.

Primum post acceptum regnum cū Pontio Tripolitano comite affine ipsi bellum fuit, qui Bohemundi uiduæ ad pristinā dignitatem, qua à patre propter extremā insolentiam & contumaciam exuta fuerat, iterum aspirantis partes tutabatur. Nam ad Antiochenos regem contendētem comes ui & armis prohibere conabatur: sed irritus ipsius fuit conatus, rege hostes in fugam conijciente. Amicorum tandem precibus Tripolitanus in gratiam recipitur. Rex negotio, ob quod Antiochiam uenerat, composito, rei summam Rainaldo cuidam demandat.

Alterum etiam bellum, quod non multo pòst pro Antiochenis, quos Persici Turcæ molestabant, gessit, felicissimum fuit. Nam cum incautos eos obruisset, castris eorum splendidissimis paruo labore potitus est. Sub idem tempus procerum consilio, rege consentiente, ad Raimundum Pictauiensem comitem clàm legati mittuntur, pro ineundo matrimonio cum Constantia Antiocheni principatus hærede. Quod consilium etiam succedit.

Inde in regiam sedem redeūtem Fulconem domesticum excepit dissidium. Hugo enim Ioppensis cum alijs coniurationis aliorumq; criminum accusatus, cum monomachiam cū priuigno suo subire detrectaret, omnium suffragio absens etiam damnatur. In tantis angustijs constitutus Hugo Ascalonitis, Christiano nomini inuisis, se cōiungit. Hi occasione arrepta, Hierosolymitanis bellum faciunt, agrisq; damna inferunt non exigua. Rex conuocatis copijs, Ioppen, ubi Hugo latebat, obsidet. Verùm cum ex mutua discordia bellisq; intestinis, exteris hostibus plurimum accedere emolumēti, omnibus in conspectu esset (nam Tegelmelud Damascenus Paneadensem ciuitatem expugnatam, in suam interea redegerat potestatē) Vuilhelmus patriarcha medium se interponit, pacisq; inter utrumq; autor est: quæ ea lege sancitur, ut per triennium Hugo in exilium excedat. Qui in Apuliam delatus, à Rogerio Garganensi comitatu donatur, ubi & immatura mortē obijt.

Pontius Tripolitanus, à Turcis in conflictu quodam interfectus, filium Raimundū successorem in regno habuit: qui uirtutis specimen illustre editurus, patris necē magno animi robore, & initiò singulari felicitate in hostes ulciscitur. Sed pòst Sanguinus Turcorum princeps denuò in Tripolitanum mouet, & Montem Ferrandum (castri cuiusdam nomē est) obsidet. Fulco rex obsessis auxilium ferens, cum hoste, sed infeliciter, confligit. Nam copijs cæsis, ipse cū paucis intra Montem Ferrādum recipitur: Tripolitanus uerò comes ab hoste captus est. Posthæc grauiter castellum barbari oppugnant: grauius ipsi intra castrum cum fame conflictabantur, cū nihil quod esui esset, amplius superesset: omnes enim equos, à rege & cæteris, quos ex fuga receperant, adductos, iam deglutierāt. Interim Sanguinus de magnis copijs, quas Antiochenus princeps, Edissenus comes & Hierosolymorum patriarcha adducebant, certis sermonibus edoctus, obsessis ultrò pacem offert, ac si castrum ipsi tradatur, non modò cunctos qui inerant, uita donaturum, sed & Tripolitanum cum cæteris captiuis saluum se dimissurum promittit. Illi obuijs (quod dicitur) ulnis, non sine admiratione quadam, conditiones amplectuntur, & sic utrinque discessum est. Cæterùm durante hac obsidione, Bezzeuge Damascenus quidam præfectus Neapolin igni & ferro perdit.

Anno subsequenti Fulco rex barbarorū quoddam præsidium in finibus Ammonitarum iuxta montem Galaad obsidet & expugnat. Interim Turcę, Iordane transmisso, Thecnam urbem capiunt, trucidatis ad unum omnibus incolis.

Sanguinus homo inquietus, non solùm Christianis molestus erat, sed & rerum successu ad montem Ferrandum elatus, Damasceno regi bellum inferebat. Is hostium uiribus impar, Ierosolymitanum regem amplissimis promissis in belli societatem uocat. Rex magnatibus in consilium adhibitis, auxiliares eò mittit copias, præsertim cū inter cæteras conditiones Peneas urbs nuper amissa, restituēda promitteretur. Verùm Sanguinus contra duos pugnare difficile fore ratus, pedem retrahit. Coniunctæ itaque Hierosolymitanæ & Damascenorum copię, Peneadem urbem, cuius præfectus à Damasceno deficiens, Sanguino se

coniunxe-

coniunxerat, oppugnant, & recuperata per uim urbe, Rainerius restituitur.

Cæterùm rebus regni pacatis, dum ad Acconésem urbem leporem insectatur Fulco rex, equo excutitur, ex quo lapsu quarto die expirauit, idibus Nouembris, anno Salutis 1142, regni uerò undecimo.

BALDVINVS
tertius.

PAtri surrogatur in regno Balduinus filius, tredecim annorũ puer, & per Vuilhelmum patriarcham Hierosolymis cum matre, quæ regni consors erat, in die Christo natali coronatur. Medio autem illo tempore Sanguinus, occasione simultatis inter Edissenum & Antiochenum principes, Edissam urbem per cuniculos expugnauit, magna in ciues Christianos usus immanitate. Ioscelinus tum urbe aberat. Hac uictoria elatus Sanguinus, Cologenbar obsidet. Sed nocte quadam uino æstuans, à familiaribus confoditur, sicq; obsidio soluitur. Paternum regnum accepit Noradinus filius.

Primo regni sui anno Balduinus castellum quoddam trans Iordanem, à Turcis olim occupatum, in suam redigit potestaté. Anno sequenti Stantain quendam, Bostrensis urbis gubernatorem, à Damasceno rege eiectum, restituere parat: sed infelicem res sortita est euentum. Nam copiæ fame, siti, alijsq; tam longinqui itineris molestijs exhaustæ, urbi ad quam oppugnandam uenerant, nihil inferre damni poterant. Præterea tanta Turcorum cohors ad eam defendendam confluxerat, ut copijs quas adduxerat, etiam saluis, ab ijsdem eam iterum extorquere haud possibile foret. Reuertentes Noradinus Damasceni regis gener excipit, eorumq; cursum impedire conatur: sed ferro illi sibi uiam aperiũt, ac demum post mille labores exuperatos, ad patrios lares redeunt.

Qui Edessam incolebant Christiani, cum præsidiariorum militum ibi relictorum numerus ob domesticos motus, quos regni causa sustinebat Noradinus, indies decresceret, ciuium porrò augeretur, Ioscelinum comitem reuocant, eumq; noctu in urbem intromittunt. Arces uerò, quæ erant intra urbem, Turcæ obtinent. Noradinus re cognita, cum exercitu quantumcunq; ex uniuerso regno cogere potuit, accurrit, urbem corona cingit. Ciues in maximis angustijs constituti, intus enim à præsidiarijs militibus affligebantur, extrema quæuis tentanda potius censent, quàm hosti irato urbem tradendam. Stat sententia, gladio exitum parandum. Ex urbe itaque agminatim effusi, in hostes irruunt: quos hi uicissim excipientes, miseram plebeculam sine sexus ætatisque discrimine mactant. Ipse comes cum paucis alijs Samosatum se recipit.

De capta Edessa, & in ciues crudelitate perpetrata, mox per uniuersum Occidenté rumor sparsus, omnium animos perculit. Eugenius pontifex, missis hinc inde suis legatis, magnates ad ferenda afflictis Christianis auxilia incitabat sedulò, inter quos Bernhardus Clareuallensis facilè primas tenebat: is Gallorum regem & Romanorũ Imperatorem Conradũ arma induere persuasit. His se coniungunt Theodoricus Flãdrensis, Heinricus Blesensis, comites: Heinricus Ratisponensis, Otto Frisingensis, Reginbertus Bathauiensis, Stephanus Metensis, Heinricus Tullensis, episcopi: Heinricus Noricorũ dux frater Imperatoris, Guelpho, Bohemorum dux Iabeslaus, Odoacer Styriæ marchio, baronum nobiliumq; plurimi: ac deniq; ex Anglia, Francia, Pãnonia Germaniaq; tanta confluxit multitudo, ut numerum penè excederet: ut narrat Otto Frisingensis lib. 1 de gestis Friderici, cap. 34, & aliquot sequẽtibus. Inter quos & mulieres erant, non coniunctis pedibus, sed uirorũ instar diuisis, super pallijs equitantes, hastatæ atq; armatæ, ac uirili habitu ornatę, Martio uultu, Amazonibus audaciores. Iis quidem Constantinopolitanus Manuel non modò liberum per suam terram transitum, sed & omnium rerum uenalium copiam splendida oratione pollicetur: attamen clàm insidias struit. Sæpius enim in extremis agminibus, Græcis Germanos lacessentibus, pugnatum est. Præterea contra datam fidem non modò forum hospitibus denegatum est, sed calce farinæ immista panem pestiferum reddebant perfidi Græci. Et ut uno uerbo dicamus, nullum mali genus fuit, quod Imperator non uel ipse in eos machinaretur, uel alijs machinandi autor esset. Idem & Turci imitati sunt, Manuelis literis ad bellum Alemannis faciendum concitati. Quibus cum fortiter congressi sacri belli milites ad Meandrum fluuium, tanta strage eos conciderunt, ut ossium tumuli crebri & alti collium instar adhuc cõspiciantur: ut Nicetas testatur lib. 1 de gestis Manuelis. Anno Salutis 1146 hæc suscepta est expeditio, ut Tyrius lib. 16. cap 22 annotat. Sed ut principium belli & infelix & difficile fuit, ita exitum sortitum est infelicissimum. Nam præter Turcorum iniurias, & famem quam perpessi sunt milites maximam, inglorij inde iterum discesserunt.

Obsessa omnium primùm Damascena urbs, anno 1147, uigesimoquinto die Maij, & Pomeria, trucidatis ijs quos eò in insidias locarant ciues, occupata. Obsessi suis rebus diffidẽtes, de urbis quidem deditione cogitant:

cogitant: attamen unicum prius medium tentandũ censent, quod & successit. Quosdam uidelicet inter oppugnantes primarios duces, multis talentis interuenientibus, sibi conciliant: quorum consilio & autoritate exercitus ab ea urbis parte, qua primũ & quidem rectissimè oppugnari cœperat, discedit. Facilius enim ab eo latere, quod Austrum & Orientem spectabat, obsessis uim inferri posse, spem cunctis faciebant: quæ omnes fefellit. Isthic enim commeatu destituti, cum fame sæuissimo hoste conflictabantur, nec ad priorem stationem, Damascenis ingentes trabes molesq; obijciẽtibus, reuerti concedebatur. Sicq; non sine dedecore inde discessum est. Cæterùm eius mali ea perhibetur fuisse occasio, quòd Flãdrensi comiti, qui Francorum regi militabat, de Damascena urbe possidenda, si ea potirentur, spes facta fuerat. Tantum bolũ quidam terræ Sanctæ principes sibi præripi ægrè ferentes, castrorũ translationis autores fuisse perhibentur. Alij Antiocheni principis suasu, nescimus cuius inter ipsum & Francorum regem simultatis causa, id factum narrãt. Sed utut se res habeat, ea perfidia non solùm moti reges ad sua inglorij pedem referunt, sed & reliqua magnatum multitudo in uniuersis regnis deinceps minus de rebus Palæstinæ sollicita fuit.

Ab eo tempore confidentiores semper fuère Turci, & cognito exterorum abitu, ipsi ad arma conclamant. Noradinus Antiochenum depopulatur agrum. Raimundus princeps hostem propulsaturus, cũ minus cautè se gereret, trucidatur: eius caput cùm dextero brachio à reliquo corpore dissectum, ad Calypham maximum Saracenorum principem mittitur. Hac edita strage, reliquam terram non sine maleficio perlustrat, oppida expugnata uel diruit, uel suo munit præsidio. Ioscelinus Edessenus comes Antiochiã contendens, cum longius à suo comitatu fortè secessisset, à barbaris prædas passim agentibus intercipitur, & perpetuo carceri mancipatur. Aimericus quidem Antiochenus patriarcha, uocato in auxilium rege, afflictis rebus subsidium ferre laborabat: sed urbe solùm defensa, tantã hostium multitudinem foris reprimere minimè ualuit: qui pro libidine interim ad satietatem usque impunè quæuis perpetrabant.

Porrò pace aliquanto pòst restituta, Gaza reparatur contra Ascalonitas, eaque militibus Templi custodienda traditur, ut inde hostes à prædis coercerent & reprimerent.

Præter barbarorum bellum, quo uniuersa terra multos iam annos attrita fuerat, & intestinum inter regem Balduinum & matrem, improborum quorundam instinctu, obortum est. Nam filius, cùm inscia matre, dissuadentibus etiam patriarcha & alijs, se regem coronari fecisset, regni diuisionem ab eadem extorquet. Re in procerum conuentu deliberata, & optione Balduino data, rex Tyrum & Acconem urbes maritimas occupat, Hierosolymam & Neapolin matri gubernandas relinquit. Sed nõ multo pòst, instigantibus ijsdem improbis magistris, omni prouincia matrem exturbare molitur, Neapolin ui expugnat, dehinc Hierosolymam contendit. Occurrit Fulcherus pontifex, eiusq; animum lenire studet: sed laterem lauat. Vrbem obsidet, & à ciuibus regia indignatione territis intromissus, arcem quam mater tenebat, summa ui oppugnat. Tandem Neapolitana urbe contenta mater, Hierosolymam regni caput filio resignat.

Domino orbatus Edessenus comitatus, de uoluntate comitissæ, quæ certos inde annuatim percipiebat reditus, & regis Hierosolymitani, Constantinopoleos Imperatore eò potitur. Quod cum Noradinus cognouisset, sumpto animo, in Græcos, quos effœminatos & molles esse norat, exercitũ ducit, eosq; omnes loco illo expulit. Decesserũt eo bello Antiochenæ ecclesiæ tres archiepiscopatus, Edessenus, Hierapolitanus & Toritiensis. Non minus periculum Antiochenæ imminebat urbi, quæ à uidua regebatur: quam patriarcha, ut uulgi erat fama, quo solus ipse rerum summa potiri posset, inuitis omnibus à secundis nuptijs retrahebat. Eodem tempore Raimundus Tripolitanus comes ab Assissinis in quodam tumultu confoditur.

Inter hasce turbas & ipsa Ierosolyma à Turcis tẽtatur. Nam Hyaroquini, quorum maiores olim eam tenuerant, undiq; conductis copijs, socijsque bellorum accitis, Oliuetum occupant. Sed ciues præsidiarij erumpentes, hostes terga dare cogunt. Fugientes Neapolitani cruentis gladijs excipiunt, ac cæsa sunt ex barbaris eo die ad quinq; millia, anno 1152, nono calend. Decembris, anno regni Balduini nono.

Tanta uictoria & hostium spolijs amplissimis erecti illi, Ascalonam, unicum Ægyptiorum refugium, terra marique anno sequenti, mense Ianuario obsident. Præstò sunt huic expeditioni præter seculi principes patriarcha Hierosolymitanus, archiepiscopi, episcopi & abbates plurimi. Obsessi oppugnantium multitudine & robore territi, crebris nuncijs Calypham Aegyptium de ferendo auxilio solicitant: qui obsidionis mense quinto expeditissimam mittit classem,

classem. Cuius aduẽtu & obsessis animus, qui iam penè ipsis interciderat, redijt. Sub idem tempus Noradinus, Ainardo forti duce mortuo, Damascenorum uniuersum regnum, profligato rege, occupat. Dehinc Paneadensi urbi exercitum admouet, ea spe, Ascalonæ obsidionem ita solutum iri: sed ciuium fortitudine inde repulsus est.

Acrius Ascalonam oppugnantes milites muri partem deijciunt: sed dum de primo in urbem ingressu inter se rixantur, magna clade accepta reijciũtur, trabibus ruina resarcitur, & cæsi milites per funes ex muro suspenduntur. Quo spectaculo exciti duces belli, ecclesiarum nimirum præsides, summo conamine, licet multi ex secularibus id dissuaderent, urbem tentandam, extremumque periculum subeundum censent. Præualet pontificum sententia, mox tuba personat, ad arma coguntur milites, hostes ad pugnam prouocantur: in quos uehementius milites irruentes, tanta eos concidêre strage, ut omne militię robur cõsiliumq́; obsessis perierit. Primarij enim ipsorum duces simul occubuêre. Missis itaque ad regem legatis, supplices pacem petunt, ac urbem tradunt. Ciuibus libera discedendi potestas cum uniuersa familia cõceditur. Capta est urbs anno 1154, die 12 Augusti. Præda amplissima inter milites eorumque duces distribuitur: at Almerico regis fratri, Ioppensi comiti, urbis cessit dominium. Iisdem ferè diebus apud Ægyptios Calypham, quẽ ipsi numinis cuiusdam loco colebãt, Soldanus interficit, quo suum filium Nosceradinum ad eam honoris sublimitatem eueheret: sed populo arma contra homicidam corripiente, ipse cũ filio fuga sibi consulit, uersus Damascum iter arripiens. Re cognita, uicini Damasco Christiani profugos adoriuntur, ijsque cæsis, tantis spolijs potiuntur, quanta uix unquam uisa fuerant. Nosceradinus, qui sorte in prædæ distributione Templarijs militibus contigit, ab ijsdem Ægyptijs repetentibus uenditur sexaginta aureorum millibus, qui in minutissimas eum discerpserunt partes.

Eodem tempore Rainaldus gregarius miles, qui ducta in uxorem Constantia Raimundi uidua, Antiochenis imperabat, Cyprum præter meritum miserè depopulatur, & omnibus exuit facultatibus, plurimis sine sexus & conditionis discrimine trucidatis.

Noradinus Paneadensem urbem, quæ Hemfredo regis Hierosolymitani constabulario parebat, obsidione denuò cingit, grauiterque obsessos affligit: qui tandem, re ad extremum perducta casum, erumpentes atroci prælio cum hoste confligunt: sed à barbaris fugam capessere coguntur, qui eosdem tanto impetu insequũtur, ut & porta totaque urbe præ multitudine potirentur. Ciues in arcem, quæ munitissima erat, se recipiunt. Rex Hierosolymitanus, cognita Paneadensium calamitate, suppetias fert: qua de re edoctus Noradinus, succensa prius urbe, cum præda excedit. Liberati ciues, regijs eos tutantibus copijs, mox urbis mœnia reparant. Noradinus interea cum suis in uicina sylua latitabat, in quasuis occasiones damna inferendi intentus: nec eum sua spes fefellit. Nam rex, dimissis pedestribus copijs, solo cum equitatu, & eo quidem non satis copioso, proficiscebatur. In quos Iordanem iam transituros barbari irruentes, ordinem turbant, & facto conflictu, barbari superiores extiterunt. Rex cum paucissimis ex pugna se subducens, in Saphet oppido se occuluit. Nobilium uirorum non exiguus numerus uiuus in hostium manus uenit. Acciderunt hæc anno decimoquarto regni Balduini, qui fuit Salutis 1150, 13 calendas Iulij. Post hanc uictoriam Noradinus, uir strenuus & impiger, contracto nouo milite ex agro Damasceno, iterum Paneadem obsidet, ea spe, regis uires ex accepta clade ita fractas, ut nihil inde sibi periculi sit metuendũ. Et ut hoc obiter Lectorem moneamus, hanc ipsam urbem, ait Tyrius, in sacris monumẽtis Lesen Dan & Cæsaream Philippi appellari. Rex quoscunque milites cogere poterat, in auxilium mittit obsessis: idem & Antiochenus princeps & Tripolitanus comes præstant. Noradinus horũ aduentu cognito, licet urbis muros propemodũ effregisset, iam iamq́; ad deditionem inclinarent Paneadenses, obsidionem soluit, & in ulteriores regni sui partes se confert.

Inter hosce motus Theodoricus Flandrensium comes, coniuge eum comitante, quæ Balduini regis ex patre soror erat, ad portum Berithensem haud paruo militum numero stipatus appellit, anno, ut habet Flandriæ Chronicon, 1157. Terræ sanctæ principes tantorum hospitum aduentu in spem erecti, mox quisque exercitum cogere cœpit, uocatoq́; in auxilium Armeniorum principe, Noradinum ad Nepam urbẽ castra habentem petere statuunt: sed de desperato eius morbo certiores facti, animum mutant, & Cæsaream, Syriæ quandam urbem super Orontem fluuium, arcta concludunt obsidione. Ciues negociationibus magis, quàm bellicis rebus exercitati, & de sui principis Noradini, quẽ decumbere nesciebant, potentia confidentes, minus prudenter

dêterbellum administrant. Haud magno itaque labore obsidentes urbem, licet ea munitissima esset, primo statim impetu potiuntur. Ciues non defendendi, sed potius occultandi se gratia, intra arcem, quæ urbi contigua erat, confugiunt. Cæterùm orto ex prædæ diuisione inter duces dissidio, arce salua, ipsi diuite præda contenti, Antiochiam simul rediêre. Dissidij uerò ea erat occasio: Balduinus rex Theodoricum Flandrum ea urbe, si caperetur, donarat. At cum Rainaldus Antiochenus suo eundem dominio subesse postularet, Theodoricus regibus solùm, non autem principibus se hactenus paruisse asserens, id facere renuit. Principes porrò recõciliati, uicinũ quoddam Antiochiæ oppidum, Arethusam nomine, expugnant. Dehinc quisq; ad sua redit. Cum rege Theodoricus Flãdrus Hierosolymam proficiscitur.

☞ Noradinus, qui iam præter omnium opinionem ex morbo conualuerat, de soluta principum expeditione certior factus, ipse rursus arma induit, & Suetam arcem, quæ Hierosolymorum regis erat, grauiter oppugnat. Obsessis Balduinus rex cũ Flandro suppetias fert, à quibus Noradinus cõfligens uincitur, idibus Iulij, anno 1157. Eodem anno Balduinus rex Theodoram, Emanuelis Constantinopolitani Imperatoris ex fratre neptem, uxorem ducit.

Aliquanto pòst Noradinus, Iconensis Soldani agros igne ferroque perdit: Hierosolymorum uerò rex ea occasione Damascenum agrum impunè depopulatur.

Rainaldus Antiochenus, qui aulicorum impulsu prædas in fideles populos, inter Maresiam & Tulupam habitantes, egerat, ab Alapiensi præfecto, dum reditum parat, capitur, anno 1160, 9 calend. Decembris. Principatus administrationem Balduinus rex in se, populo id petente, recipit. Sed dum Antiochiæ aliquando commoratur, ante ingruentem hyemem pro more pharmaco quodam utitur, cui uenenũ immixtũ credebatur, ex quo paulo pòst dyssenteria & febri simul correptus, interijt. Veneni suspicionem auxit, quòd pharmaci reliquum cani porrectum eum enecuit. Obijt anno regni uigesimoquarto, Salutis 1163, idibus Februarij, ætatis uerò trigesimotertio. Ob eius obitum non amici tantùm, sed & hostes doluerũt. Nam Noradinus, cum ad hostiles irruptiones, dum exequiæ pararentur regi, à suis instigaretur, dixisse fertur: Compatiendum est, & humanè indulgendum iusto eorum dolori, eo quòd principem amiserint, qualem reliquus hodie non habet orbis.

AMALRICVS.

Balduino, cum is hæredibus prorsus destitueretur, Amalricus frater, Ioppêsis & Ascalonitanus comes, clero & populo uniuerso, ex magnatibus uerò paucis assentientibus, substituitur, & 12 calend. Martij ab Amalrico patriarcha Hierosolymitano coronatur. Cæterùm antequam hoc fieret, à patriarcha & Iohanne quodam cardinale põtificio legato coniugem, quæ quarto gradu eum attingebat, abiurare cogitur.

Huic regi Aegyptij tributum péndere omnium primi denegant: sed rex contra eosdem copias educens, ac prælium cum ijs iniens, superior extitit, fugatis hostibus: qui tamen, ne terræ suæ maiora inferantur incommoda, ruptis Nili aggeribus, aditum intercluserunt. Dum in Aegypto moram trahit rex, Noradini copię, cum rerum suarum successu elatæ, sine maiori aliqua solicitudine cubarent in finibus Tripolitanis, à cohorte quadam Christianorum cæduntur. Noradinus è strato exiliẽs, relicto gladio, & altero pede nudus, equo insidens fuga saluti suæ consulit. Tantam autem fugæ ignominiam postea deleturus, uires reparat, uicinorum opem undecunque conquirit, & Arethusam oppidum corona cingit militari. Obsessis Antiochenus princeps, Raimundus iunior Tripolitanus comes, Galamannus Cilicię pręses, & Toros Armeniorum princeps auxilia subministrant. Quo cognito, hostes inde secedunt. Quos uerò illi acrius gloriolæ cupidissimi insectantes, magnum sibi crearunt malum. Turci enim locorum periti, cum insequentes palustribus quibusdam locis conclusi essent, magnam inter ipsos stragem edunt. Belli duces quos diximus, omnes capiuntur, præter Armeniorum principem, qui & pedem retraxerat, & hostem longius persequi cęteros fuerat dehortatus sedulò. Dehinc ac prædictum oppidum reuersus Noradinus, intra paucos dies illud expugnat, anno 1165. Posthæc rerum successu & regis absentia fretus, Paneadensem urbem petit, eaque, ciuibus libera discedendi data potestate, potitur.

Ex Aegypto, bello feliciter administrato, reuersus rex, & ab Antiochenis, ut afflictis & penè iam desperatis rebus opem ferat, uocatus, eò mox cum Flandrensi comite itineri se accingit, uiris aliquot prudentia insignibus regni administratione demandata. Exacto autem ferè captiuitatis anno, princeps eorum regis studio, multo prius argento persoluto, liberatur. Eadẽ tempestate Syraconus Noradino militans

duo quædam præsidia, quorum alterum in Sydoniensi agro, alterum uerò ultra Iordanem in Arabiæ finibus situm erat, expugnat. Huius proditores duodecim numero, qui de consortio fratrum Templi erant, Amalricus rex de patibulo suspẽdit, anno 1166.

Aliquanto pòst Syraconus, maximi Saracenorũ principis omni stipatus militia, in Aegyptum pro ea subigenda descendit. Aegyptij extremum sibi exitium intẽtari, seque tantæ hostium multitudini impares fore facilè animaduertẽtes, Hierosolymorum regem in subsidium uocant, præter annuum tributum ei pollicẽtes quadringenta aureorum millia, si à tanto eos hoste securos redderet. Pactis utrinq; ritè confirmatis, arma induit Amalricus, & Syraconum, qui præcesserat, insequitur. Ad Nilum uerò opposita locarunt castra: Syraconus enim cum suis flumen iam transierat. Mox ex nauigijs & trabibus, quorum magnã copiam regio illa subministrabat, pontem super Nilum Hierosolymitani exercitus pars extruit. Reliqua multitudo noctu nauigijs transportata, hostium cohortem, quæ insulam Mahelech ditissimam occuparat, trucidat, & qui gladium effugerant, aquis submerguntur omnes. Ea clade animo fractus Syraconus, motis castris uniuersis, in solitudinẽ quandam clàm secedit. Rex, relictis ad põtem custodibus, magno animo, licet militum numero longè inferior esset, cũ Aegyptio milite subsequitur, & in arenoso quodam loco hostem in acie stantẽ offendit: ac omnium primùm in eam legionem, cui ipse Syraconus præerat, impetu facto, ea prosternitur, ipse dux in fugã uertitur. Cum reliquis ancipiti prælio diu fuit dimicatum: tandem & isti in fugam uersi, in impedimenta regis, in quæ fortè inciderant, sæuiunt: & præda quidem hi amplissima, illi uerò uictoria potiuntur. Hostes tamen Hugonem Cæsareẽsem captiuum unà abduxêre.

Syraconus, ex fuga iterum suis collectis, Alexandriam contendit: quem ciues intra mœnia recipiunt. Rex subsequens, ad præterlabentem Nilum, quo commeatu eos intercluderet, castra tãtùm ponit. Nam inde alimenta ciuibus adportabantur. Syraconus famem persentiscens, relicto Salahadino cum mille equitibus, ipse cum reliquo milite per solitudinem nocturnis temporibus excedit, & superiores Aegypti partes non sine maleficio peragrat. Hunc rex insectari uolebat: sed ab Aegyptijs ducibus, Alexandriæ expugnationem maturãdam consulentibus, retrahitur. Admotis itaq; ad urbem machinis, muros turresque concutiunt. Ciues mercimonijs, nõ armis assueti, cædium, uigiliarum perennium, timoris famisq; in primis pertæsi, hospites quos receperant, eijcere statuunt. Salahadinus ciuium animo perspecto, patruum Syraconum, ut rebus afflictis citissimè opem ferat, reuocat, ciuesq; ne moram impatienter ferant, orat, obsecrat. De qua re obsidẽtes certiores facti, acrius instant, hortos amœnissimos uastant, omnisq; generis machinas ad expugnationem profuturas, urbi admouent, obsessosq; premunt. Syraconus opem laturus, cum ad pontem Nili nuper extructum, Hugonem de Hybelim, qui ab Amalrico rege repudiatam duxerat uxorem, residere offenderet, animo frangitur, & Hugonem Cæsareensem, quem secum captiuum ducebat, ut ipso mediante pax utrinq; sanciatur, solicitat. Hugonis iussu Arnulphus quidam nobilis, eodem prælio captus, regem adit, ac rem omnem exponit. Placet cunctis Arnulphi sermo. Mox in obsessorum potestatẽ uenit urbs, Salahadinus cum suis saluus dimittitur, ac utrinq; omnes captiui restituuntur. Syraconus, relicta Aegypto, ad suos retulit pedes. Rebus ad hunc modum pacatis, rex uictor ad suos quoq; remeauit, & 12 calend. Septembris Ascalonem ingressus est, regni eius anno quarto, Christi 1167. Domum reuersus rex cum maximo omnium applausu, nouo perfunditur gaudio. Nam Mariam sponsam, Ioannis Protosebasti filiam, Constantinopoli sibi adductam domi offendebat. Quarto itaq; calend. Septembris Tyri regio apparatu nuptias celebrat.

Anno regni sui quinto Amalricus rex, icto cum Constantinopolitano Imperatore fœdere, Aegyptijs, regni illius opulentia extimulatus, bellum infert, quod hoc prætextus titulo ornabatur, Aegyptiũ Soldanũ contra fidẽ datã, Noradini fœdus amicitiamq; expetere. Belli fax primaria erat Gerbertus quidam Hospitalis domus magister. Mense itaq; Octobri educti exercitus in Aegyptum contendunt. Primo impetu Beleis urbem, quæ alio nomine Pelusiũ dicitur, expugnant, 3 nonas Nouẽbris, & sine sexus ætatisq; respectu miseros ciues iugulãt, aut uinculis ligãt. Dehinc Chairus urbs obsidetur. Præterea classis Hierosolymitana Tapiũ ciuitatẽ diripit. Soldanus Amalrico auri cupidissimo uicies cẽtena millia promittit, si bellũ auertat. Cẽtena millia mox soluit, quib. filiũ & nepotẽ Pelusij captos redimit, pro reliquo intra paucos dies soluẽdo, duos nepotes dat obsides. Cæterùm solutionẽ studiosè de die in diẽ differt, quo omne Aegyptium robur cogi, &

Turcicum

Turcicū auxiliū interim aduolare posset. Ac cum iā imminere diceretur Syraconus Turcorū dux, Amalricus rex, solutis castris, obuiā ei procedit: sed ab ea uia qua hostis proficiscebatur, aberrat: sicq; in Aegyptum uenit Syraconus. Territus duorū exercituum multitudine Amalricus, in Syriā redire parat.

Syraconus iā iā, quod superiori expeditione tētauerat, assequēdi tēpus & occasionē offerri optatissimā, facilè perspiciēs, ad Chairū castra locat, amicū se simulat egregiū. Soldanus hospitē excipit summa beneuolētia, inuisit eū sępius: sed tandē iussu Syraconi, cū uisendi gratia ueniret, occiditur à militibus. Sicq; Syraconus uoti sui cōpos efficitur, & Aegypti Soldanus per Calyphā designatur: sed uix anno exacto uno, è rebus humanis excedit. Cui fratris filius surrogatus, Calyphā summū Aegypti gubernatorem claua interimit, omnemq; eius progeniem penitùs excindere laborat.

Cęterùm illa in Aegyptum expeditione rex nō tam Aegyptijs, quàm suo regno magnū malū creauit. Commercia enim interciderunt, & quod maius est, erat nūc Noradino acerrimo hosti terra mariq; loca sancta pro arbitrio, nemine resistere ualente, infestādi aperta fenestra amplissima: nec ullā occasionē ipse neglexit. Rebus itaque omnib. ad interitū tendētibus, ad Occidētis principes cōmuni cōsilio legati mittuntur, Amalricus patriarcha, Ernestus Cæsariensis archiepiscopus, & Guilhelmus Acconēsis episcopus: sed oborta tēpestate subitanea, uix naufragiū euadētes, post triduū reuertuntur. Eæ pòst partes Friderico Tyrio & Ioanni Paneadensi episcopis demandantur. Sed hoc Lutetię Parisiorum defuncto, ille post biennium infecto negocio domum redijt.

Anno Christi 1169 Cōstantinopolitanus Imperator, ut promiserat, copias ad bellū Aegyptiacū subministrat, quę cētū & quinquaginta nauib. uectæ ad Tyrū appellunt: ac præterea alias sexaginta ad cōmeatum portandū paratas. Amalricus quoq; omnē ex uniuerso regno militē cogit, ac dispositis regni negocijs, 18 calend. Octobris hospitibus cōiunctus, Ascalona soluunt. Nec pedestris exercitus exiguus erat. In Aegyptū delati Damiatā obsident: sed frustra in eius oppugnatione uterq; exercitus desudat, ciuib. & Turcico præsidio fortiter mœnia tutātibus. Fame insuper Græca classis premebatur maxima. Et oppidani repletū quoddā nauigiū aridis lignis & sarmentis succendunt, flumine & uēto secūdo in classem oppugnātiū immittunt: quo stratagemate quinq; naues in fauillas redactę sunt. Tandem pace utrinq; facta, discessum est. Rex cum equestri quidem comitatu saluus ad patrios regreditur lares: ex classe uerò paucissimæ nauiculæ seruatæ sunt. Reliqua nauigia mare absorbuit.

Anno 1170, mense Decēbri, Salahadinus Aegyptius Palæstinam bello petit, & Daron oppidum expugnat: arx tamen salua mansit, in quam, urbe amissa, ciues se receperant. Ex regijs etiam copijs, quæ obsessis suppetias laturæ aduenerant, plurimi cæduntur. Posthæc in suum regnum Salahadinus redijsse scribitur: causæ tamen abitus non indicantur, cum tantus fuerit eius exercitus, quantum terra Sancta in eum diem non uiderat unquam. Soli enim equites ad quadraginta millia fuisse reputantur.

Mortuo Thoro Armeniorum principe, ipsius ex sorore nepos Thomas procerum regni suffragio sceptris potitur. At Melier frater Thori, assumptis à Noradino Turcis, nepotem eijcit, sibiq; regnum cōtra pietatem (Christianus enim ipse Turcis se cōiūxit, eorumq; amicitiam sanctè deinceps semper coluit, maximo cum Christianorū malo) rapit.

Anno 1172 Montēm regalem (castrum est trans Iordanem) Salahadinus Aegyptius tentat: sed cum res minimè succederet, ab incœpto desistit, & patrios iterum inuisit lares. Anno sequenti reuersus, omnem trans Iordanem depopulatur prouinciam.

Eodem ferè tempore Raimundus Tripolitanus comes, octauo captiuitatis suæ anno è uinculis aureorum millibus octoginta liberatur, pro solutionis fide obsides dantur.

E' rebus humanis exēpto Noradino, anni regni sui uigesimo nono, mox Paneadē urbē Almericus rex obsidet: sed defuncti principis uidua certa pecuniæ summa expensa, & uiginti equitibus ex carcere emissis, regē placat, ut soluta obsidione discederet. Dimissis copijs, cū familiari comitatu Tyberiadē uenit, ubi dysenteria laborare cœpit. Hierosolymā inde delatus, curata dysenteria, in febrē incidit, qua & extinctus est, anno Domini 1173, quinto idus Iulij, regni duodecimo, ætatis trigesimooctauo.

BALDVINVS
quartus.

Amalrico in regno succedit Balduinus filius annorum tredecim, & elephātiasi correptus, ex Agnete, pòst à patre repudiata, ut suprà diximus, prognatus, & in Hierosolymorum tēplo ab Almerico patriarcha, quarto à patris obitu die, diademate regio redimitur. Regni negocia ob ę-

tarē regis iuuenilē Milo quidā de Planci, homo superbus & arrogans, administrabat. Verùm is nō multo pòst à sicarijs, quos æmuli subornarant, Accone trucidatur. Eius dignitate Raimundus Tripolitanus comes ornatur.

Iisdem ferè diebus Noradinus Damascenorū princeps obijt, relicto Melesala impubere filio, regni hęrede. Cuius imperiū detrectātes magnates, Salahadinū Aegyptiū clàm uocāt, eiq; urbē produnt. Posthęc Cœlesyriā idē petēs, Heliopoli, Emissa & Cęsarea magna nullo cū labore potitur. Ardebat animus regni & gloriæ cupiditate, ideoq; Melesalā omnino eiectū uolebat, & ut toti Oriēti imperitaret, manib. pedibusque laborabat. Sed Melesalā euerti, & Orientis opes Aegyptijs coniungi, minus è re Hierosolymitanorū erat. Tripolitanus itaque cū copijs hosti obijcitur. Cotobedus Parthorū princeps potētissimus, pupilli, cuius res agebatur, patruus, in subsidiū aliquot equitū turmas mittit: sed illi ad Alapiā, ubi Melesala se cōtinebat, cædūtur. Tripolitanū etiā, obsidibus, quorū paulo antè meminimus, gratis ipsi restitutis, quos Emissa seruabat, placat. Aliquāto pòst & Rainaldus Antiochenus & Ioscelinus Edissanus multo auro ex uinculis liberantur.

Anno Balduini quarto Philippus Flandriæ comes Hierosolymam uenit: aderant & Cōstantinopolitani Imperatoris legati. Tractatum est ibi de expeditione in Aegyptū: sed Flandro tergiuersante, bellum nō successit. Conspectis autē locis sacris, Flandrus iūctus Tripolitano comiti, qui ab Aegyptiaca eū retraxisse credebatur expeditione, Bohemūdo, Hospitalarijs & Tēplarijs, circa Emisā & Cæsareā magnā hostium agros liberè depopulātur. Salahadinus enim de expeditione in Aegyptum, quā prius illi moliti fuerant, edoctus, omnes militiæ uires eò contulerat. Arethusam dehinc, quam Melesalæ omni regno exuto solam reliquerat Salahadinus, obsident, grauiter oppugnant. Salahadinus, qui hactenus in procinctu hostem expectans steterat, rei præclarè gerendæ occasionem diuinitùs quasi sibi nūc offerri ratus, & Christiano exercitu Arethusæ expugnatione occupato, facilem ad regnum Hierosolymitanum inuadendum patēre sibi aditum. Rex de hostium aduentu præmonitus, uocato qui supererat milite, Ascalonem contendit. Barbarus, infinita eum comitante multitudine, in Christianam delatus terrā, agros populatur, pecora abigit, cædem miserorum facit, uicos uillasq; succendit, & haud procul ab Ascalone tentoria figit. Ascalonitis prælium detrectantibus, ipse ferocior factus est. Qui Hierosolymis erant, de fuga, si qua euadere liceret, cogitabant. Diffusis hincinde prædandi gratia hostibus, Ascalone rex militem clàm educit, ut inopinantem Salahadinum opprimeret, nec eum spes fefellit. Nam expedito prius diuino auxilio, in hostem impetum facit: ac cùm æquo aliquandiu pugnatum esset certamine, tandem ad regem inclinat uictoria, Salahadino cum suis fugam arripiente. Præda uictoribus cessit amplissima. Pugnæ dies erat uigesimusquintus Nouembris anni quarti Balduini, Salutis 1177. Diuinitùs hanc uictoriam contigisse, tum ex pugnantium multitudine impare constat (Salahadinus enim equitum circiter millia uigintisex habuit: Balduinus uerò trecentos & septuaginta, cum paucissimis peditibus) tum quòd continuis imbribus hostis impeditus, suos ex fuga colligere non ualuerit. Præterea fame & frigore maxima hostium multitudo absumpta est. Ab Arethusa uerò re infecta oppugnatores discessere.

Sæpius deinceps acceptam ulturus iniuriam, Salahadinus in Christianam terram hostiles facit impetus, Sydoniensem agrum præ cæteris maximè affligit. Rex arma corripiens, hostem reprimere tentat, eiusque cohortem quandam prædas agentem fundit. Salahadinus de suorum clade edoctus, subitò aduolat, & spolia omni metu seposito diuidentes obruit, plurimos trucidat. Otto militiæ templi magister, & Hugo de Tyberiade, Tripolitani comitis priuignus, capiuntur. Rex cum reliquis fuga elabitur.

Aliquanto tempore ab exteris hostibus quies iam fuerat terrę Sanctę. Salahadinus enim, cū Damascenorum regio, quæ integrum ferè quinquennium nulla pluuia rigata fuerat, omni alimentorum genere destitueretur, pacem cum Balduino sanxerat. Verùm domestici motus, quos regij amici ciebant, tranquillitatem illam diuturnam esse passi non sunt. Tripolitanus comes, cui regni administrationem demandatam diximus, Hierosolymā uersus iter faciēs, & Biblij subsistens, æmulis apud regem eum traducentibus, quòd regni diadema appeteret, nō sine dedecore pedem referre iubetur. Eius rei autores primarij erant, regis mater, mulier importuna, & eiusdem frater regius Senescallus, qui absente comite, pro suo libitu regem ducebant. At regni principes, magnarum calamitatum telam inde facilè texi posse animaduertentes, illis inuitis comitē multo cum labore reuocant, & regi reconciliant. Sicq; hoc malum sopitum est.

Salahadi-

Salahadinus, affulgente iterum belli gerendi commoda occasione, paci contra fœdus initum renunciat, & côuocatis copijs, ex Ægypto Damascum redire constituit. Rex aduentu hostium cognito, & ipse regni robur uniuersum cogit, ac hosti, quem ad mare mortuum aduenturum putabat, occurrere parat, & iuxta ueterem quandam urbem, cui Petra deserti nomen, in secunda Arabia sitam, castra ponit. Sed Salahadinus ab itinere instituto deflexerat, & in terram regis delatus ad Montem Regalem (arcis cuiusdam nomen est) sedes fixit. Aberant autem à se inuicem uterque exercitus ad miliaria triginta sex. Qui circa Damascum, Bostrum Emissamque degebant Turcici satrapæ, cùm eo sc ci regnum Hierosolymorum defensoribus destitutum scirent, Iordanem transeunt, Galilææ partem deprædantur, & Buriam castellum ad radices môtis Thabor situm, haud procul ab urbe Naim, præter ciuium opinionem corona cingunt, & intra paucos dies expugnant. Cædes ibi plurimorum facta est, & quingenti circiter in uincula abducti sunt. Cum ad Regalem Montem fessum ex continuis itineribus militem non sine incolarum maleficio refecisset, nemine obstante Damascum usque peruenit Salahadinus. Eò mox omnem Damasceni regni uocat militem: qui Ægyptijs coniunctus, terram Sanctam ingreditur. Barbarus exercitus ad uiginti millia æstimabatur. Balduinus in extremis rerum angustijs constitutus (Tripolitanus enim comes, ex quo omnis belli salus pendére uidebatur, acuta decumbebat febri) cũ septingentis equitibus fortiter ad hostem ad Frobolet uicum residentem, procedit, factoq; prælio, superior euadit: hostis enim Christianorum fortitudine territus, terga dabat. Et gladio & calore solis intensissimo maxima eorum pars cecidit. Salahadinus dehinc Damascum iterum contendit.

Hac cùm Salahadino res non succederet uia, alia aggreditur, ex Aegypto classem uocat, & ad Berythensem urbem, quam oppugnare animus erat, appellere iubet. Aduolat illa circa calendas Augusti. Salahadinus pedestres copias adducit, ac terra marique urbem indefesso studio têtat. Præterea Salahadini frater, qui interim Ægyptio præerat regno, Darũ (nouissima regni Hierosolymitani in finib. Aegypti urbs est) depopulatur. Balduinus procerũ côsilio adhibito, periculosiori morbo, quo cùm Berythêses conflictabantur, medelam adhibendam statuit. Nam utrumq; hostê simul reprimere, uires nô sufficiebât. Tyrũ cũ exercitu profectus, classem tringinta triũ nauiũ adornare iubet. Res intra dies septem mira celeritate perficitur. Dum hæc Tyri aguntur, Salahadinus, cum fortè excubitores intercepissent nuncium, literarum fasciculum ad obsessos deferentem, quibus ut urbem strenuè tuerentur, monebâtur, facta ipsis certa spe de auxilio ferendo, obsidionem soluit. Rex de hostiũ abitu certior factus, Sephorum redit.

Salahadinus gloriæ ac longè lateq; dominandi libidine supra modum ardens, in Mesopotamiam bellum trâsfert, & Euphrate trâsmisso, Edissam, Carram & alias quâplures ciuitates, Mussulæ domino subiectas, partim auro, partim ui expugnat. Rex Hierosolymitanus, commodam hosti damna inferendi occasionê arripiens, Damascenum agrum hostili animo depopulatur, patriarcha, qui crucis lignũ exercitui præferebat, simul eunte. Re feliciter gesta, pedê referunt. Facta hæc sunt anno 1180, mense Octobri. Cumq; extero bello implicitus Salahadinus, diutius abesset, denuò communi consilio in Damascenorum fines fit impetus, mense Decembri eiusdem anni. Bostro uicinæ uillę per Tripolitanum comitem armentis spoliantur, abactis incolis. Rex alia uia cũ maiori comitatu incedens, nulli loco, nô hominibus in hostium agro parcit: sed cum ipsam urbem Damascũ attigisset, regressus est.

Ex Mesopotamia uictor reuersus Salahadinus, rectà Alapiam contendit, quæ totius regni robur putabatur, quamq; ipse auidissimè expetebat. Eam itaq; obsidione cingit. Vrbis dominus, Samare & alijs quibusdam oppidis, ut per legatos inscijs ciuibus petierat, donatus, hosti eam tradit.

Tanto rerum successu Salahadini Sacræ terræ principes in angustias cogũtur, clàm militem alunt, quo uicino hosti, si necessitas fortè exigeret, resistere ualerêt. Sub hoc tempus rex Nazarethæ in febrem incidit, & elephantiacus morbus indies magis magisq; ingrauescebat. De uita itaq; ipse desperâs, Guidonem Lusinianum, cui nuper sororem uiduam desponderat, comitê Ioppensem & Ascalonitanum, præsente matre & patriarcha, regni procuratorê constituit, salua sibi regia dignitate, retentaq; Hierosolyma cum reditibus decê millium aureorum annuatim soluendorum. Iurasse fertur & ipse Guido regi, quòd eo uiuente ad coronam nunquam aspiraret.

Cum interea nonnihil respirasset à belli laboribus Salahadinus, in terram Sanctam iterum mouet, multa castella effringit, damnaq; habitatoribus infert infinita. Aduersarius exercitus ad Sephorianum fontem considet, cui Pisani, Ianuenses, Veneti, Lôgobardi,

gobardi, cùm hyeme instante à nauigatione prohiberentur, se coniunxerant. Aberat uix uno milliari hostis, urbium uicinarum habitatores metu perculsi, intra mœnia se continent, minusq; commeatu Castrenses iuuant: unde & fame in Christiano exercitu laboratũ est. Ac licet sacris militibus sæpius commoda daretur occasio cum hoste confligendi, tamen odio, ut ferebatur, contra Guidonem regni procuratorem concepto, reliqui duces prçliũ detrectarunt, quãuis semper alij prætextus adferrentur. Cũque iam multos dies liberè hostes prædas egissent, ad sua rediêre.

Vix autem elapso uno mense, redit Salahadinus, machinis bellicis, quæ ad urbium expugnationem facerent, ijsq; fortissimis & pluribus instructus, & perlustratis trans Iordanem locis, Petracensem urbem, dum nuptias parat Hemfredus cum regis sorore, obsidet. Rex obsessis mittit auxilio Tripolitanum comitem, quem repudiato Guidone, regni procuratorem iterum ordinarat. Cuius fortitudinem Salahadinus pertimescens, obsidionem soluit, cum iam integrum mensem duriter eos pressisset.

Cæterùm antequam ad hoc bellum iretur, rex Balduinum suum ex sorore Sibyllà nepotem, annorum quinq; puerum, in regno successorem de communi principum cõsilio denominat, regni gubernatore Tripolitano designato, anno 1183, die uigesima Nouẽbris. Sibylla autẽ quam diximus, Guilhelmo iuniori Montisferrati marchioni per tres menses matrimonio iuncta, ipso pòst in fata concedente, ex eo Balduinum filium posthumum progenuit, illaq; deinde Guidoni nupsit. Hactenus quod de rebus Hierosolymitanis diximus, Tyrius prçsens rerum spectator, adeoq; fide dignissimus, nobis suppeditauit.

Ex eo autẽ tempore regnum Hierosolymitanum semper in peius ruere cœpit. In rege enim Balduino, qui & corpore & consilio parum ualebat, nulla erat spes, in rege puero nulla, qui ob ætatem immaturã tantæ dignitatis onus ferre non poterat. Guidonis & Raimundi Tripolitani simultates, regni rebus plurimùm obstabant: prçterea hic cum barbaro amicitiam nimis suspectã contraxerat. Solius itaq; Guilhelmi Tyri archiepiscopi consilio rex utebatur, qui cũ à uicinis nihil restaret solatij (Constantinopoli enim cœlum terræ Andronicus miscebat) à Philippo Franciæ, Heinrico Anglo & Friderico Germano auxilium rebus afflictis petendum consulebat. Mittuntur legati ad Romanum pontificem, quem omnium primum sollicitandum censebat. Is omnem operam pollicetur largissimè, & quidem pro uirili prçstat. Nam per legatos, quos ipse addebat, ad Francum, Anglum, ac Germanum Imperatorem hospites illos deducit. Ab his omnibus quidem spes amplissima facta est. At Balduinus, cum ex legatis domum regressis præterea nihil cognoscere liceret, mœrore & angustia magis, quàm dolore aut acerbitate morbi extinctus est, anno ætatis suç uigesimo quinto, regni uerò 12, qui erat Christi 1185.

BALDVINVS

Quintus.

MOrtuo rege, quæ iam sub cineribus latuerant scintillç, in magnum exeunt incendiũ. Tripolitanus enim Raimundus omnẽ regni administrationẽ, ac regis pueri Balduini tutelam sibi integrã deberi contendit. At Sibylla defuncti regis soror, & uiuentis mater, Guidonem maritum instigat, ut cõpetitori nullo modo cedat. Minis autem quod uolebat Guido extorquet à regni proceribus. Sed paucis mẽsibus, septẽ nimirũ, auunculo suo superstes fuit Balduinus, à matre, ut uulgò ferebatur, lento ueneno regni cupiditate sublatus. Eius obitũ mater non prius aperuit, quàm ab Heraclio patriarcha, episcopis proceribusq; suũ Guidonem regio diademate insigniri magnis muneribus redemisset. Sic uno eodẽque die Guido coronatur, & Balduini exuuiæ terræ mandantur.

GVIDO.

TRipolitanus, cùm omni spe regni decidisset, ira exæstuãs, omnem mouerẽ cœpit lapidẽ, ut Guidoni ægrè faceret. Salahadinus animũ çgrotum & regnandi cupidũ magis impellit, eiq; suã operam addicit. Quod officij genus auidè arripit Raimũdus. Fata enim Hierosolymitanum regnũ appetebant. Salahadinus missis nuncijs, Turcos, Saracenos, ac Aegyptios arma capessere hortatur, utẽdum occasione omniũ maxima, discordia scilicet principum Christianorum. Ex præda diuitias pollicetur amplissimas. Conuolat ex omnibus locis subitò tantus ad Acconensem urbem (nam is dictus erat locus) exercitus, ut numerum ferè excederet omnem: ac quibus per Hierosolymitanorum fines iter tutum non patebat, Tripolitanus per Tyberiadis, Nazarethanum & Galilææ agrum saluos deducit. Accon urbs primùm ab hoste obsidione cingitur, & omni telorum & machinarum genere impetus fit. Sed dum in urbe expugnanda toti intenti sunt barbari, per auersam portam Templarij & Hospitalarij erumpentes, tanto oppugnantes à tergo concidunt robore, ut quindecim millia barbarorum circiter ea pugna occubuisse putarentur. Barbaris Tripolitanus

comes

comes, sed habitu mutato fucataque facie adfuisse creditur. Nec Christianis incruenta fuit pugna, præsertim primarijs quibusque uiris succumbentibus. Incidit hæc pugna in calendas Maij, anni 1187.

Cùm ui nihil præclari agere posset barbarus, rem dolo tentat. Autor est Tripolitano, ut amicitiam cum rege simulet. Placet uiro consilium, moxque regis per legatos ambit amicitiam. Barbarus Tyberiadem, quæ Tripolitano parebat, omissa Accone, (res ex composito agebatur) oppugnat. Tripolitanus à rege auxilium poscit. Conscribitur exercitus, omnisq; regni uis cogitur. Coniungit se his Tripolitanus. Mille quingenti equites, quindecim millia peditum æstimabantur. At hostium exercitus equitum centum uiginti millibus, peditũ uerò centum sexaginta millibus constabat. Ad subleuandam igitur Tyberiadis obsidionem profecti, ad Sophoritanum fontem castra ponunt. In itinere mox obuium habent hostem, qui in singulas occasiones intentus, commodissimis quibusque locis regios arcendos statuebat. Pugna inita est, quam nox tandem diremit. Postridiè restauratur prælium, in quo barbari, Tripolitani proditione & turpi ex acie fuga, superiores extitère. Cum Guidone rege & Bonifacius Montisferrati marchio uiuus in hostium uenit manus. Capta & sacrosancta crux. Omnes hoc prælio Christianorum uires concidère. Templarij & Hospitalarij omnes, quos barbarus ceperat milles, trucidati sunt. Rainaldus Castellio acinace per iugulum adacto interemptus est.

Parta uictoria, cætera omnia prona fuêré barbaro. Ptolemaide, Biblio & Berytho spontanea deditione potitus est. In dedititios enim mitis liberalisq; erat Salahadinus uictor, nec religionis Christianæ quenquam, præter Latinos, excedere iubebat, modò æquo cum cæteris iure uiuere, ac tributum conferre pollicerentur. Dehinc Ascalone, quæ sola hostium impetus acerrimos dies nouem magno animi robore sustinuerat, omissa, Hierosolymam itum est. Quæ urbs, regni caput, anno 1187, sexto nonas Octobris, obsidionis die decimaquarta, anno octuagesimonono quàm de barbaris olim recepta fuerat, cum nõ superessent qui propugnarent, uictori Salahadino conditionibus reddita est, ut ciuibus incolumibus uel abire, uel manere liceret. Latinis ad habitandum urbs negata, Syris, Græcis, Armenijs, Iacobitis, Georgianis & Nestorianis stationes designatæ. Exinde Ascalonem iterum petit barbarus, & eam quoque sub conditionibus accipit. Conuenit, ut rex ac Templariorum magister dimitterentur. Inter has turbas Tripolitanus nocte quadam mortuus, in cubili inuentus est, & quidem, ut Vincentius libro 29. capite 43 annotat, circumcisus: quod defectionis non modò à rege Guidone, sed etiam à Christiana religione certum est argumentum. Ac tres tantùm urbes Christianis in hisce tumultibus saluæ mansère, Tripolis, Tyrus & Antiochia, omni circumiacẽti ditione in solitudinem quandam redacta. Huius tamen urbis præsidiũ auarus patriarcha sceleratè precio barbaro prodidit.

Porrò eam, quam diximus, calamitatem multa præcessère prodigia, crebri horrendiq; terræ tremores, uenti atroces, solis defectus, grando frequens ad instar oui anserini, maiore solito mare redundans æstu. Regis cubiculario prægrandis aquila, septẽ iacula unguibus uncis gestans, & Christianorum copias circumuolitans, per quietẽ uisa, & huiusmodi humanam uocem edẽs, Væ Hierosolymis. Accedebat uita tum sacerdotum dissoluta, tum plebis obrutæ sceleribus mores: nec patriarcha Heraclius integrè uixisse traditur.

Fama rerum in Oriente pessum euntiũ Romanum pontificem extinxit, reges optimatesq; mœrore impleuit. Gregorius octauus, Vrbani successor, principes ut opem ferant, per legatos urget, ut terra marique ad Hierosolymam recuperandam contendãt. Inter hasce curas & Gregorius succumbit. Clemens tertius, qui ut eius locum, ita & sollicitudines subit, cunctantes principes instigat. Ex ipsa terra Sancta aderant legati, inter quos Guilhelmus Tyrius. Heracliũ Hierosolymitanum fuisse, Æmylius lib. 6 de Francis annotat. Sed quicunque fuerit, eius hortatu Rauennas & Pisanus archiepiscopi sacræ militiæ nomina dedère. Quibus Genuenses cum ingenti nauium ui se coniungunt. Anglus & Francus septẽ millia uirorum subministrant. Dani, Frisij, Hollandi, coniunctis classibus Iacobo Auenensi, qui Brabantinas ducebat cohortes, se adiungunt.

Salahadinus Occidentalium apparatu cognito, Guidonem regem, quem contra fidem Ascalonensibus datam per annum adhuc in uinculis detinuerat, dimittit, accepto ab eo iuramento, nunquam se regni ius armis prosequuturum aut uindicaturũ. Ea uerò ratione exteros milites placatum iri sperabat. Sed patrum sententia, hosti fidem seruandam in hac re non esse, censebat, cum ipse regem diutius quàm conuenerat, captiuum retinuisset. Guido Tyrum se confert, regio tumens nomine: sed à ciuibus excluditur. Conradus enim Montisferrati marchio, Græcorum aduectus nauibus,

Tyrum, ciuibus orantibus, & in uerba eius iurantibus, defendendam susceperat, hostemq; inde fortiter repulerat. Guido, collecta undique manu, ac Venetis Pisanisque fortuitò superuenientibus, Ptolemaidem corona cingit. Salahadini copiæ inde eos arcere molientes, cruento prælio reijciuntur, ac obsidentes ob famem iam ferè corporibus deficientes, præda & amplissima & lautissima potiuntur. Tantaq; ad eam urbem barbari clade affecti, eorumq; uires adeò fractæ sunt, ut nec terra nec mari in Christianos aliquid moliri tũ amplius sint ausi. Atrocissima hæc pugna in calẽdas Iulij anni 1189 incidit.

Fridericus Cæsar nobilissimo ualidissimoq; cũ exercitu ex Germania profectus, Pannoniamque emensus, ad Græcos defertur, à quibus satis inhumaniter tractatur. Nam præterquam quòd commeatum denegant, extremum agmen subinde, data aliqua occasione, uellicant. Sed perrupit Fridericus. Magna etiam clade Iconiẽses Turcos, uias occludere molientes, affecit, Iconio expugnato. Sed dum ab Armenijs discedit, Antiochiam iturus in fluuio Selephio, equo offendente uorticibus aquarum, suffocatur, anno 1190, quarto idus Iunij. Principatum paternum Fridericus filius suscipit. Imperatoris miserandum interitum lugẽtes copias Salahadinus eximprouisò obruere nititur: sed equorum hinnitu & armorum fragore proditum consilium minus feliciter succedit. Nam in fugam uertitur hostium manus. Inde mouens Fridericus, Antiochiam uenit. Exercitus ibi fame & morbo confectus, ciuium benignitate reficitur. Vnde in ulteriorem Cœlesyriam profectus, ut narrat Nicetas lib. 2 de Isaacij Angeli Imperio, Laodiceam seditione laborãtem, & ad Ismaelitas inclinantem, pacat. Berythũ quoq; nullo labore subigit, atq; alijs plurimis Syriacis urbibus, quæ prius Latinis paruerant, tum uerò ad Saracenos defecerãt, potitus est. Tyrum delatus, patri regia põpa funus facit. Ad Ptolemaidem regijs castris succedit, ubi pluribus laboribus exuperatis, & ipse diem claudit extremum, paternoq; monumento Tyri reconditur.

Tricesimustertius iam obsidionis agebatur mensis, quo Francus ex Sicilia, nauigatione secunda, castris succedit: qui ueluti cœlo demissus ab omnib. excipitur. Paucis interiectis diebus & Anglus, Cypro insula, quæ ipsi in mari periclitanti receptum negauerat, ui armisq; subacta, & rege Isaacio tyranno capto, uel, ut aliqui uolunt, occiso, præstò est. Tunc uniuersis uiribus urbs oppugnatur, & tandem cum multo labore capitur. Ducum omniũ primus Leopoldus Austriacus ex uno latere murum conscendit, ac ex turri quadam suum exerit signũ: accurrens Anglus, hoc deiecto, suum substituit. Fuit hæc iniuria maximi mali interutrosque occasio, ut suo loco diximus. Ex altero latere, suffossæ turris ruina militi liber in urbem datur ingressus. Ciues rebus suis desperatis, hostium se dedunt fidei, à quib. mox conditiones offeruntur: Redderent sacrosanctam crucem, ducenta millia Byzãtiorum aureorum soluerẽt, captiui omnes, quoscunque & Salahadinus teneret, ad suos redirent. Victis barbaris nihil aliud promissum, quàm ut salui discederent. Capta urbs quarto idus Iulij, anno 1191. Hanc uictoriam pestis subsecuta est, quæ plus quinquaginta pontifices comitesq; absumpsit. Francus relicta copiarum parte, quam Odoni Burgundiæ duci regendam dabat, in patriam remeauit. Summa rerũ tum ad Richardũ Anglum deferebatur, qui mox Ptolemaidis muros restitui iubet. Gazam Templarij muniunt. Franco abeunte, & Austriæ dux, cum ad æmulum belli summa delata esset, clàm discedit. Classem suam Veneti & Genuenses quoque reuocant. Pisani & ipsi profecti sunt. Salahadinus autẽ, amissa Ptolemaide, suis rebus diffidere cœpit. Eadem tempestate Conradus Tyrensis à duobus sicarijs, dum ociosè in foro ambulat, interimitur. Exinde de Hierosolymitana urbe tentanda tractatur. Placet consilium. Educuntur Ptolemaide quotquot supererant milites. Præcedebat Anglus, mox Franci incedebant, agmẽ claudebat Iacobus Auenensis. Barbarus regni caput peti nõ ignarus, terga adoritur: sed illi, uersis signis, strenuè hostium sustinuerunt impetus, cum quisque gloriæ laude extimulatus, uel solus hostem reprimere attentaret. Pugnam nox diremit. Auenensis fortiter pugnans occubuit. Barbarorũ tot millia interempta ferunt, quot patrum memoria una die uno prælio cæsa, nemo tradit. Sed hyeme iam ingruente, Richardus Ascalonam, ne milites ocio torpescerent, uallis & muris uestiuit. Galli Tyrum in hyberna concessère. Cæterùm Galli obsidionis intermissæ scribuntur autores extitisse, ne, si quid præclari gereretur, in Richardum solum gloria recideret. Vere iam appetente, coeunt iterum uterq; exercitus, & consilium de oppugnandis Hierosolymis exequi tentant: dumque rebus necessarijs occupantur, Richardus, ut Normanniæ à Gallo turbatæ suppetias ferret, reuocatur. Barbarus, hoc rumore cognito, qui iam animum ferè desponderat, confidentior factus est. Coactus igitur Richardus Salahadino pacem offerre, etiam has conditiones accipere compellitur: Dirueret

rueret muros urbium quascunq; post recepta Ptolemaidem instaurasset. Præter Tyrum itaq;, Ptolemaidem & Antiochiam, nihil integri mansit Christianis.

AMERICVS.

PRofecto Anglo, & reliqui sunt subsecuti. Obijt eodem tempore & Guido rex in Cypro insula, qua ab Anglo donatus fuerat. Vincentius Guidonem multo auro eam ab Anglo redemisse scribit, lib. 29. cap. 52. Cui Americus frater, uir ambitiosus, parum autem prudens, suffectus est, & ducta in uxorem Isabella uidua Heinrici Campani, qui Tyro & Ptolemaidi dominatus fuerat, regium titulum, & dotis nomine prædictas urbes accepit. Decessit & Salahadinus, cuius uel nomē cuiuis incusserat terrorē. Reliquit is filios nouem, quos, præter unum Norcadinum, Saphadinus patruus interemit omnes.

In magnam spem Salahadini nece erectus Celestinus pontifex, Heinrico sexto persuadet, ut assumpta cruce, belli sacri tessera, in sanctis locis laborantibus auxilium præstet. Heinricus alijs regni negocijs, uel, ut quidam uolunt, morbo impeditus, Conrado Moguntino & Heinrico Saxoni iuniori rerum summam demandat. His se adiungunt episcopi & principes plures. Hi Tyrum delati, militem reficiunt. Herbipolensis interim, regius cancellarius, iussu Imperatoris in Cyprum traijcit, Americum coronaturus. Confecto negocio, ad Ptolemaidem militem reperit. Inde motis simul castris, Berythum occupauerunt, eiectis barbaris. Inde Toronum oppugnant: sed ab auxiliaribus barbarorū copijs inde abiguntur. Cæterùm dum ad Toronum occupantur duces, Berythum in suam recipiunt potestatem barbari, anno 1197. Exinde Ioppen itum est, quam à Turcis desertam, Christiani milites occupant ac muniunt, Saracenosq; eam iterum tentantes, fortiter repellunt. Cecidêre tum Austriæ & Saxonum duces. A' Franco, licet cum Anglo bellum gereret, Romanus pontifex recentem contra barbaros militem mitti extorserat: qui sub idem tempus Ptolemaidē delatus, uires reficiebat. Dux erat Simon Montis fortis comes. Inter hæc de obitu Heinrici Imperatoris rumor spargitur, & Electorum alios Philippum defuncti fratrem, alios Ottonē Saxonem Imperatorem designasse, ex quā suffragiorū diuersitate bello ardere Germaniam totam. Moguntinus, penes quē sacri belli administratio erat, dignitatis suæ nullam habitam rationem ægerrimè ferens, cum copijs ad patrios lares redit. Eorum discessu Ioppen expugnatam barbari euerterunt, trucidatis ad unum omnibus Christianis. Simon pressis opem laturus, aëris inclementia prohibetur. Cōmodum tum accidit, ut inter ipsos barbaros orta sit discordia. Eius occasione induciæ factæ sunt, cautumq; ne Tyro Ptolemaidiq; intra decennium malum inferrent. Ita rebus è præsenti usu compositis, Simon suos è Syria deduxit: ut scribunt monachus Florentinus, Acconensis episcopus de recuperata Ptolemaide, Heroldus Continuatæ Historiæ de bello sacro libro 1 & 2. Aemylius lib. 6 de Francis, Neubrig. de rebus Anglicis.

DVODECIMAE CENTVRIAE FINIS.



LOCORVM SCRIPTVRAE S. QVI IN DVODECIMA ECCLESIASTICAE HISTOriæ Centuria explicantur, INDEX.

Thre-

LOCORVM SCRITVRAE FINIS.

RERVM

RERVM ET VERBORVM IN DVODECIMA ECCLESIASTICAE HISTORIAE CENturia præcipuè memorabilium INDEX.

Chonas

Clizastla-

Cono

D

dæmonia-

EPISCOPALIVM SEdium catalogus ex Tyrio.

EPISCOPI, SIVE DOctores.

F

Gregorius

contra

nos

M

MAGISTRATVS POLITICI IN GUBERNATIONE ECCLESIASTICA IUUANDA & CÕSERUANDA DISCIPLINA, OFFICIA.

QVAE AB IISDEM contra suum officium & ecclesiæ utilitatem gesta sint.

Schiren-

DE PONTIFICUM Romanorum principatu atque tyrannide, præpostero item cultu ac libidinibus.

SOLENNITATES seu festiuitates hoc seculo in ecclesia celebratæ.

 in Dania

Cantuarien-

Vdalschal-

Y

Z

INDICIS FINIS.

Digitized by Google